


NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
54F
12
ROMA


HISTORIÆ

ROMANÆ SCRIPTORVM LATINORVM VETERVM, QVI extant, omnium

TOMVS SECVNDVS.



AVRELIÆ ALLOBROGVM
Excudebat Petrus de la Rouiere.
M. DC. IX.



ILLVSTRISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS, FEDERICO SACRI IMPERII ELECTORI, EIVSQVE patrueli Georgio,

ERASMVS ROTERODAMVS S. D.



T ab his viris, quos fortunæ calculus mundi gubernaculis admouit, FEDERICE ac GEORGI, Ducum incorruptissimi, haud exegerim anxiam atque exactam scholasticarum disciplinarum cognitionem: in quibus qui consenuerint, eos fere sensu etiam communi carere videmus; tantum abest, vt tractandis rerum habenis sint idonei: ita vehementer ab istis dissentio, qui Reges prorsus ab omni librorum commercio, ceu re noxia, ablegant: perinde quasi hoc demum verè regium sit. Nihil omnino vel scire, vel agere, prçter aleam, venatus, motiones, & his etiam sordidiores voluptates. Cum quibus enim amicis libentius confabuletur cordatus & pius princeps, quàm cum iis, qui & semper præstò sunt, & sapiunt plurimum, & nihil loquuntur ad gratiam? Verùm nullis ex libris, mea sententia, plus vtilitatis capi possit, quàm ex eorum monumentis, qui res publicè priuatímque gestas, bona fide posteris prodiderunt; præsertim si regalis philosophiæ decretis imbutus huc accesserit. Etenim qui in hoc munere, rerum gerendarum exemplum, quàm gestarum fidem spectare maluerunt, hactenus modò prosunt, quod boni principis simulacrum oculis subiiciunt; si qui tamen id scitè veréque effinxerunt. Ceterum ex bonæ fidei scriproribus, super alias innumeras, hæc præcipua capitur vtilitas, quòd non alia res æquè, vel bonorum Regum animos ad res cum laude gerendas accendit, vel tyrannorum cupiditates cohibet ac refrenat: dum vtrique cernunt, horum litteris suam vitam omnem; mox in totius orbis, immo sæculorum omnium theatrum producendam, &, quidquid nunc vel in abdito patrant, vel adscito fuco prætexunt, vel metu dissimulari cogunt, verius quàm ignorari, paullo pòst clarissima in luce sub oculis omnium traducendum; cùm iam metu pariter ac spe libera posteritas, nec vllo corrupta studio, magno consensu rectè factis applaudet, paríque libertate his diuersa explodet, exsibilabítque. Nec enim arbitror, quemquam tyrannum, sic penitus omnem hominis sensum exuisse, vt vitam sibi iucundam ducat, si norit suum nomen apud posteros omnium

ætatum ac nationum tam inuisum & exsecrabile fore, quàm est Caligulæ, Neronis, Commodi, Heliogabali: ad quorum mentionem, ceu portentorum verius, quàm principum, nemo iam non despuit, non abominatur, non detestatur. Nam Vitellius viuus etiam malè gesti imperij pœnas dignas dedit: quas & Nero daturus erat, ni supplicij fœditate deterritus, ipse sui carnifex esse maluisset. Quod quidem exemplum vtinam in hæc vsque tempora durasset. Nunc .n. nihil est impunitius quàm quòd nulla satis grauis animaduersio pensare queat, malè obiti magistratus culpa. Iam in cæteris historiæ dotibus, quantum aliis quisque tribuendum putet, ipse viderit suo arbitratu. Illud opinor apud eruditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi *Suetonio*: qui, vt quidam non infestiuiter dixit, prorsus ea libertate scripsit Cæsarum vitas, qua vixerunt ipsi. Propemodum æquarunt Suetonium hac sanè laude, *AElius Spartianus, Iulius Capitolinus, AElius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus*: licèt eloquentiæ viribus sermonísque politie multò inferiores. Proinde mihi quidē digni videbantur, vt eorum lucubrationes studiosi summa fide seruarent: quorum fide factum est, vt tantarum rerum tam certa memoria duret in hāc vsque nostram ætatem. Ac *Suetonium* quidem nescio quo Deo propitio, & antehac non ita passim deprauatum, nunc eruditorum, meáque opera purū, ni fallor, & integrum habemus: suffragante mihi ad hoc negotij, peruetusto quodam codice, quem è Bibliotheca monasterij, apud Neruios olim, nunc Tornacenses, vulgato cognomine D. Martini, nobis exhibuit nobilissimus ille Gulielmus Montioius, qui id temporis regias vices ea in vrbe gerebat. Reliquos, quoniā nullo huiusmodi præsidio subleuabamur, quod vnum licuit, multò certè minus deprauatos dedimus. Eósque omnes vestri nominis lenocinio orbi commendare visum est, vel vestro in me studio, vel erga bonas litteras animi propensione, vt id auderem, prouocato, quo videlicet viri imaginibus & opibus clari, magis ac magis in his philosophari consuescant, & velut ad speculum vitam moréſque componere. Primùm enim, dum videmus mutatum orbis Romani statum, tanto sanguinis humani impendio constitisse, ea res pium certè principem à temerè nouandis rebus deterrebit. Deinde spectare est operæpretium, quàm æstuarijs vicibus, euripi cuiuspiam ritu, res humanæ sursum ac deorsum voluantur, ni solida principum sapientia, & incorrupta virtus fluxum hunc sistat inhibeátque. Quin & illud subit admirari, in tanto principum numero vix paucos extitisse tolerabiles, paucissimos probos, plerosque non improbos modò, verùm etiam ostenta mera merásque pestes humani generis; multos etiam mente captos. O nouā sæculi calamitatem, cùm vni furiosę bestiæ totus seruiret orbis, & ingemiscens eandem caneret cantionem, quam seruus Carion apud Aristophanem, ὡς ἀργαλέον! Et tamen huiusmodi portenta, parricidijs, sacrilegijs, incestis, breuiter nullo non dedecorum genere impurata, templis, aris, ac diuinis honoribus donabat hominum adulatio, fortunæ, vel magis sceleribus tribuens quod virtuti dari consueuit. Quis posthæc rectè factis grassetur ad nominis immortalitatem, si cœlum datur ijs, qui indigni erant vt terram contingerent? Nam quod Domitianus, & Commodus, vterque sceleratissimus, Dei vocabulum viui etiam vsurparunt, quis non videt manifestariæ cuiusdam insaniæ fuisse, verius quàm impudentiæ? Porrò quibus de causis

hoc

hoc acciderit, nondum mihi satis liquet: siue quod ipsa fortunæ magnitudo plurimas res secum deferr, quæ bene nata, rectéque instituta ingenia queant corrumpere. Id quod facilius credet, qui perpenderit, Neronis adolescentiā laudatissimæ indolis fuisse, & quo non alius adhuc fuit orbi pestilentior, optimi tamen principis spem initio de se præbuisse. Tum ab hoc multo pòst, Bassianum Getę fratrem, dum priuatus ageret, virum integrum ac sanctum, pessimum egisse principem: siue quod, vt quædam nauigia, immodicè magna vastáque, regi non queunt, ita totius orbis imperium maius est quàm vt vnius hominis animo sustineri possit; cùm perdifficile sit domum etiam vnam rectè administrare. Itaque qui maximè cupit optima, tamen Maronis illud cogitur dicere; *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Quod (opinor) intelligens Octauius Augustus, vir eruditus ac perspicax, &, quod in Cæsaribus rarum comperies, perpetuò sanus, non semel de deponenda Imperij mole cogitauit: & fecisset, si nactus fuisset in cuius humeros citra publici status perniciem onus reclinare potuisset. Siue id iis rebus magis adscribendum est, quas permultas quidem, at non omnes tamen in Aureliano recenset Flauius Vopiscus. Et tamen in tanta malorum principum turba, reperias licet dignas sancto principe cogitationes; audias voces absoluto principe dignas; comperias exempla in quibus nihil desideres. Inter Ethnicos inuenies, qui Christiano animo reipubl. gererent Imperium, non sibi; qui tam laboriosæ administrationis non aliud spectarent præmium, quàm vt de rebus humanis bene mererentur; qui publicam vtilitatem liberorum affectibus, immo suæ suorúmque incolumitati præferrent. O nos felices, si Christiani principes suæ quisque dicioni præstarent animum, quem Traianus, quem Antonini duo, quem Aurelius Alexander, orbi terrarum præstiterunt! Quin illud etiam mirandum, repertos qui ad Imperatorem de Imperatoribus non solum liberè, verùm etiam contumeliosè scribere auderent. Nam hodie id quidam exigunt, vt de sceleratissimis quoque Regibus honorificè scribamus: id agentes, ne quando libertatis exemplum in ipsos recidat. Sed multò magis ad rem pertinet, in his contemplari nomen illud Imperij, quod & olim orbi sacrosanctum augustúmque fuit, & nunc etiamnum multorum affectibus religiosum ac venerabile est: cùm nihil ferè supersit, præter inanem magni nominis vmbram, quam fœdis initiis in mundum irrepserit; primum in Iulio sceleratè, mox in Octauio, Lepido & Antonio sceleratius. Quid non potest Fortunæ libido in rebus humanis? Potestas ea quam postea Dis æquauit hominum consensus, impietate, cædibus, parricidiis, incestis, tyrannide, condita consecratáque fuit. Hic felicibus auspiciis cœpit illa Regibus adorata maiestas: ac sceleratius ferè propagata fuit, quàm nata. Fœda barbarorum militum colluuies non suffragiis, sed insanis tumultibus dominum orbi dabat; nec alia succedendi lex, nisi mactato superiore. His auibus auspicabantur Imperium: quod nihilo secius tamen interim emendum erat, quanticumque inexplebili militum auaritiæ libuisset. Nec satis erat in vnum sæuire caput. Ad liberos, ad affines, ad amicos omnes crudelissima laniena proferebatur: ac sæpenumero reciprocantibus, vt fit, vindictæ vicibus, quos viros, quas matronas effera immanitas indignè laniabat! Sæpe pluribus hinc & hinc imperium ad se trahentibus, miscebantur omnia. Ita semper ad nouum Imperij successorem, totus terrarum orbis concutiebatur. Summa

rerum in manibus erat non Senatus, non populi Romani, sed mercenarij facinorosique militis. Nec aliter imperare licuit, neque diutius imperare licuit, quàm illis belluis collibuisset, qui nec bonos nec malos principes diu ferre poterant. Alius parcior erat, alius profusior, alius eruditior quàm vellent; alius matri obsequentior, alius militaris disciplinæ tenacior, alius imbellis, alius immodicè bellator, alius in Senatum propensior; alij cognomen obstabat militi parum gratiosum, alij affinitas. Quamlibet leuis caussa, satis erat istis ad iugulandum orbis principem. Denique, vt nihil esset caussæ, expediebat illis subinde mutare principē. Insatiabilis habendi fames, ad res nouandas incitabat. Trucidabatur vt inutilis, quem iam exsuxerant: accersebatur alius, qui exhauriretur, mox & ipse trucidandus. Atque his rebus factum est, vt nonnullorum Imperium paucis modò mensibus, nonnullorum paucissimis etiam diebus finiretur. vt me quidem inter legendum crebrò subeat admiratio, fuisse vllos qui vellent Imperij vices capessere, cùm tot exemplis didicissent quibus legibus esset suscipiendum. Et hoc honoris sic venditum, immo locatum, Imperium vocabant. O miserum ac deplorandum illorum temporum statum! Oppressa Senatus auctoritate, oppressis legibus, oppressa populi Romani libertate, sic creato principi seruiebat orbis, princeps ipse seruiebat iis, qualem nemo vir probus domi vellet habere seruum. Imperatorem timebat Senatus: Imperator scelestam illam militum turbam formidabat. Imperator leges dabat Regibus: at huic leges dabant conductitij milites. Summa rerum orbis, ab armata paucorum temeritate pendebat. O magnificam & exoptandam omnibus monarchiam! Et tamen nescio quo pacto, velut ex composito, conueniebat inter Cæsares & milites Cæsarum Dominos, quos legimus aliquoties se decimari passos ab ijs quos mox erant suo arbitratu iugulaturi: quasi vices alternas inter se pacti, dominandi ac seruiendi. Hæc cùm ita habeant; neque enim negari potest; illud oportet expendere, num eiusmodi sit nobis optandum imperiū, si iam olim obsoletum, votis liceat restituere. Quod si nemo sanus optaturus sit, quantò minus quod iam multis sæculis maxima ex parte sit antiquatum exstinctúmque, magno rerum humanarum tumultu, summáque Christiani sanguinis iactura, vindicandum ac reuocandum videtur? præsertim cùm inter ethnicos etiam hoc animo repertus sit Otho, vt potiùs duxerit spontanea morte vitam abrumpere, quàm imperium tot hominum vita mercari: vir vel ob hoc ipsum dignus Imperio, si fortuna virtuti faueret. An parum est, suum quamque regionem habere dominum, nisi singulæ rursus alium haberent dominum, conduplicata populi seruitute? Nec hæc dixerim, quòd negem optimum esse Reip. statum monarchiam; si modò is ad æterni Numinis exemplum, quantum potentia cæteris antecellit, tantundem vincat & bonitate sapientiáque: sed partim quòd, vt sunt hominum ingenia, haud scio an huiusmodi quispiam possit contingere; partim quòd, etiam si maximè contingat, non arbitror capacē esse tantæ dicionis vnius mortalis animum. Etenim qui vectigalibus exigendis tantum agit Imperatorem, is quiduis est potius quàm Imperator. Non desiderabit orbis monarcham, si Christianos principes inter se iunget concordia. Verus & vnicus orbis monarcha CHRISTVS est; in cuius edicta si nostri principes consenserint, sub vno principe verè florebunt vniuersa: sin humanis cupiditatibus res gerentur,

æterna

æterna rerum viciſſitudine ſemper fluctuabimus iactabimúrque. Et tamen maximam huius felicitatis partem ipſi nobis præſtare poſſumus, ſi concordibus ſtudiis ad id quod per ſe optimum eſt, contendamus. Atque ego ſanè ita demùm arbitror felices fore reſpublicas, ſi principes ſanctè Chriſtianéq; inſtituti, ſimulatque ſuſceperint regnum, pariter & animum regno dignum ſuſcipiant, publicis commodis metiantur conſilia omnia; ab omni tyrannidis ſpecie, velut à peſte, abhorreant; ac pro ſe quiſque certet, quod ſortitus eſt regni, non ampliùs, ſed meliùs ſucceſſori tradere; omnes pariter adnitantur, ne bellum vllum ſit, potiùs quàm vt bello vincant; neque vllis ſit opus copiis, magis quàm vt his rebus ſint inſtructi; pacis artibus magni videri ſtudeant, quę conſiliis animique viribus conſtant. Equidem ſi quid nouari poſſit abſque rerum tumultu, iudicarim ad publicam orbis Chriſtiani tranquillitatem magnopere pertinere, ſi certis fœderibus ex vſu publico ſua cuique dicionis pomœria præſcribantur, quæ ſemel conſtituta, nullis affinitatibus aut pactis, vel contrahi poſſint, vel proferri; prorſus antiquato veterum titulorum iure, quos quiſque pro re nata, bello affectato, ſolet prætexere. Quod ſi quis fortè clamitet, ius neſcio quod ſuum adimi principibus; is illud mihi ſecum reputet velim, num æquum cenſeat, ob huiuſmodi iura, quæ ſiue habet aliquis fortaſſis, ſiue fingit, orbem Chriſtianum impiis ac parricidalibus armis ſine fine colliđi, tot innoxios aut interimi, aut perdi, tot immeritas fœminas affligi corrumpíque, denique totam illam malorum tragœdiam, quæ bellum omne ſecum defert, in vitam hominum inuehi. Nam his fontibus omnia ferè bella, quæ noſtra memoria vidimus, profecta eſſe conſtat. Verùm hæc non tantùm παρεργόντες videri poſſint, verùm etiam impudentius ad vos ſcripta, Principes vt magnos, ita cum primis ſapientes; ad hæc, quod eſt in iſta fortuna rariſſimũ, librorum etiam præſidiis cum primis inſtructos. Siquidem tuas eximias Federice dotes, cũ ſint inſigniter inſignes, non mirum ſi famæ celebritas ad nos vſque deuexit. Te verò, illuſtriſſime Georgi, patrueli laudatiſſimo per omnia ſimilem, ac verè Germanum, è propinquo cognoui, dum Phryſiam nobis finitimam adminiſtrares. Bene valete Principes verè felices, ſtemmatis quidem illuſtriſſimi, ſed ornamentis animi longè illuſtriores. Iſtos animos vobis ſeruet Chriſtus optimus maximus: vos orbi Chriſtiano, veſtríque ſimiles, nobis complures velit exſiſtere. Antuerpiæ, Nonis Iuniis,

Anno MDXVII.







C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER PRIMVS

DIVVS IVLIVS CÆSAR.



IVLIVS CAESAR DIVVS, annum agens sextumdecimum patrē amisit: sequentibúsq; consulibus flamē Dialis destinatus, dimissa Cossutia, quæ familia equestri, sed admodū diues, prætextato despōsata fuerat, Corneliā Cinnæ quater consulis filiam duxit vxorem: ex qua illi mox Iulia nata est: neque vt repudiaret compelli à Dictatore Sulla vllo modo potuit. Quare & sacerdotio, & vxoris dote, & gentilitiis hereditatibus multatus, diuersarum partium habebatur: vt etiam discedere è medio, &, quanquam morbo quartanæ aggrauante, propè per singulas noctes commutare latebras cogeretur, seque ab inquisitoribus pecunia redimere: donec per Virgines Vestales, perque Mamercum Æmilium & Aurelium Cottam, propinquos & affines suos, veniam impetrauit. Satis constat, Sullam, cùm deprecantibus amicissimis & ornatissimis viris aliquamdiu denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse (siue diuinitus, siue aliqua coniectura) *Vincerent, ac sibi haberent: dummodo scirent, eum, quem incolumem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum: nam Cæsari multos Marios inesse.* Stipendia prima in Asia fecit, M. Thermi Prætoris contubernio: à quo ad accersendam classem in Bithyniam missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ, quem rumorem auxit, intra paucos rursus dies repetita Bithynia, per caussam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidā libertino clienti suo. Reliqua militia, secundiore fama fuit: & à Thermo in expugnatione Mitylenarum corona ciuica donatus est. Meruit & sub Seruilio Isaurico in Cilicia, sed breui tempore. Nam Sullæ morte comperta, simul spe nouæ dissensionis, quæ per M. Lepidum mouebatur, Romam properè rediit. Et Lepidi quidem societate, quanquam magnis conditionibus inuitaretur, abstinuit: cùm ingenio

A eius diffisus, tū occasione, quam minorē opinione offenderat. Cæterū cōposita seditione ciuili, Cornelium Dolabellā, cōsularem & triumphalem virū, repetundarum postulauit: absolutóq;, Rhodū secedere statuit, & ad declinandam inuidiā, & vt per otium ac requiem Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro operam daret. Huc dum hibernis iam mensibus traiicit, circa Pharmacusam insulam à prædonibus captus est: mansitque apud eos non sine summa indignatione propè B quadraginta dies, cum vno medico & cubicularis duobus. Nam comites seruósque cæteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde quinquaginta talentis, expositus in litore, nō distulit quin è vestigio classe deducta persequeretur abeuntes: ac redactos in potestatem, supplicio, quod illis sæpe minatus inter iocum fuerat, afficeret. Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quò C pertenderat, transiit in Asiam: auxiliisque contractis, & præfecto regis prouincia expulso, nutantes ac dubias ciuitates retinuit in fide.

TRIBVNATV militum, qui primus Romam reuerso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendæ tribunitiæ potestatis, cuius vim Sulla diminuerat, enixissimè iuuit. L. etiam Cinnæ, vxoris fratri, & qui cum eo ciuili discordia Lepidum secuti, post necē consulis ad Sertorium confugerant, reditū in ciuitatem rogatione Plotia D confecit: habuitque & ipse super ea re concionē.

Quæstor Iuliā amitam, vxoremque Corneliam, defunctas laudauit è more pro Rostris. Et in amitæ quidem laudatione, de eius ac patris sui vtraque origine sic refert. *Amita mea Iulia maternum genus ab regibus ortū, paternum cum Diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcij Reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gētis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent:* E *& cærimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.* In Corneliæ autem locum Pompeiam duxit, Q. Pompeij filiā, L. Sullæ neptem: cū qua deinde diuortium fecit: adulteratam opinatus à P. Clodio: quem inter publicas cærimonias penetrasse ad eam muliebri veste tam constans fama erat, vt senatus quæstionem de pollutis sacris decre-

uerit. Quæstori vlterior Hispania obuenit: vbi cùm mandato prætoris iure dicundo conuentus circumiret, Gadeisque venisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quòd nihil dum à se memorabile actum esset in ætate qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuò efflagitauit, ad captandas quàm primùm maiorum rerum occasiones in vrbe. Etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitauerunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes: *quando mater, quam subiectam sibi vidisset, non alia esset quàm terra, quæ omnium parens haberetur.*

Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi C o s s. conscriptas in Cilicia legiones paullisper ob idipsū retinuissent: nec eo secius maiora mox in vrbe molitus est. Siquidem ante paucos dies quàm ædilitatem iniret, venit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla & Antronio, post designationem consulatus, ambitus condemnatis, vt principio anni senatum adorirentur: & trucidatis quos placitum esset, dictaturam Crassus inuaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur, constitutáque ad arbitrium rep. Sullæ & Antronio consulatus restitueretur. Meminerunt huius coniurationis Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in orationibus. De hac significare videtur & Cicero in quadā ad Axium epistola, referēs, *Cæsarem in consulatu confirmasse regnum de quo Ædilis cogitarat.* Tanusius adiicit, Crassum, pœnitentiā vel metu, diem cædi destinatum non obiisse, & idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari conuenerat, dedisse. Conuenisse autem Curio ait, vt togam de humero deiiceret. Idem Curio, sed & M. Actorius Naso, auctores sunt, conspirasse eum etiam cum Cn. Pisone adolescente: cui ob suspicionem vrbanæ coniurationis prouincia Hispania vltro extra ordinem data sit: pactúmque, vt simul foris ille, ipse Romæ, ad res nouas consurgerent, per Lambranos & Transpadanos: destitutum vtriusque consilium morte Pisonis. Ædilis, præter comitium ac forum, basilicásque, etiam Capitolium ornauit porticibus ad tempus extructis: in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur. Venationes autem, ludósque, & cum collegā & separatim edidit: quo factum est vt communium quoque impensarum solus gratiam caperet: nec dissimularet collega eius M. Bibulus euenisse sibi quod Polluci. vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta, tantùm Castoris vocaretur: ita suam Cæsarisque munificentiam, vnius Cæsaris dici. Adiecit insuper Cæsar etiam gladiatorium munus, sed aliquanto paucioribus quàm destinauerat, paribus. Nam cùm multiplici vndique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere Romæ liceret.

Conciliato populi fauore, tentauit per partem tribunorum, vt sibi Ægyptus prouincia plebiscito daretur: nactus extraordinarij imperij occasionem, quod Alexandrini regem suum socium atq; amicum à senatu appellatum, expulerant, résque vulgò improbabatur. nec obtinuit aduersante o-
A ptimatium factione. quorum auctoritatem vt
quibus posset modis inuicem diminueret, tropæa C. Marij de Iugurtha, deque Cimbris atque
Teutonis, olim à Sulla disiecta, restituit: atque
in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque
sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob
relata ciuium Romanorum capita, pecunias ex
ærario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus. Subornauit etiam qui C. Rabirio
B perduellionis diem diceret: quo præcipuo adiutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum
tribunatum senatus coërcuerat: ac sorte iudex in
reum ductus, tam cupidè condemnauit, vt ad
populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit. Deposita prouinciæ spe, Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima
largitione. In, qua reputans magnitudinem æris
alieni, cùm mane ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domum se nisi Pon-
C tificem non reuersurum, atque ita potentissimos
duos competitores, multúmque & ætate & dignitate antecedentes, superauit, vt plura ipse in
eorum tribubus suffragia quàm vterque in omnibus, tulerit. Prætor creatus, detecta coniuratione
Catilinæ, senatúque vniuerso in socios facinoris
vltimam statuente pœnam, solus municipatim
diuidendos, custodiendósque publicatis bonis,
censuit. Quin & tantum metum iniecit asperiora suadentibus, identidem ostentans quanta eos
D in posterum à plebe Romana maneret inuidia,
vt D. Silanum consulem designatum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat interpretatione lenire, velut grauius atque ipse sensisset exceptam: obtinuisetque adeo, transductis
ad se iam pluribus, & in his Ciceronis consulis
fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M.
Catonis oratio. Ac ne sic quidem impedire rem
destitit, quoadusque manus equitum Romanorum, quæ armata præsidij caussa circumstabat,
E immoderatiùs perseueranti necem comminata
est: etiam strictos gladios vsque eo intentans,
vt sedentem vnà proximi deseruerint, vix pauci complexu togáque obiecta protexerint. Tunc
planè deterritus non modò cessit, sed etiam in
reliquum anni tempus Curia abstinuit. Primo
Præturæ die, Q. Catulum de refectione Capitolij ad disquisitionem populi vocauit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium
transferebat. Verùm impar optimatum conspi-
F rationi, quos, relicto statim nouorum consulum officio, frequentes, obstinatósque ad resistendum concurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit: cæterum Cæcilio Metello Trib.
pleb. turbulentissimas leges aduersus collegarum
intercessionem ferenti, auctorem propugnatorémque se pertinacissimè præstitit: donec ambo
administratione reip. decreto patrum summouerentur. Ac nihilo minus permanere in magistratu, & ius dicere ausus, vt comperit paratos, qui vi
G ac per arma prohiberent, dimissis lictoribus, abiectáque prætexta, domum clàm refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo pòst sponte & vltro confluentem, operámque sibi in asserenda dignitate tumultuosiùs
pollicentem, compescuit. Quod cùm præter opinionem euenisset, senatus ob eumdem cœtum festinatò coactus, gratias ei per primores viros egit: accitúmque in Curiam, & amplissimis verbis
collaudatū, in integrum restituit, inducto priore
decreto.

accitúmq; in Curiam, & amplissimis verbis collaudatum, in integrum restituit, inducto priore decreto. Recidit rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinæ nominatus, & apud Nouium Nigrum Quæstorem à L. Vettio indice, & in senatu à Q. Curio: cui, quòd primus consilia coniuratorum detexerat, constituta erant publicè præmia. Curius è Catilina se cognouisse dicebat: Vettius etiam chirographum eius Catilinæ datum pollicebatur. Id verò Cæsar nullo modo tolerandum existimans, cùm implorato Ciceronis testimonio, quædam se de coniuratione vltro ad eum detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit: Vettium pignoribus captis, & direpta supellectile malè multatum, ac pro Rostris in concione pæne discerptum, coniecit in carcerem. eòdem Nouium Quæstorem, quòd compellari apud se maiorem potestatem passus esset. Ex prætura vlteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interuentu sponsorum remouit: ac neque more, neque iure, antequam prouinciæ ordinarentur, profectus est: incertum, metúne iudicij, quod priuato parabatur, an quò maturius sociis implorantibus subueniret. Pacatáque prouincia, pari festinatione, nô exspectato successore, ad triumphum simul consulatumque decessit. Sed cùm edictis iam comitiis ratio eius haberi non posset, nisi priuatus introisset vrbem, & ambienti vt legibus solueretur, multi contradicerent, coactus est, triumphum, ne cõsulatu excluderetur, dimittere.

E duobus cõsulatus competitoribus, L. Luccio, M. que Bibulo, Luceium sibi adiũxit: pactus vt is, quoniam inferior gratia esset, pecuniáque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, concordi & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantumdem pollicendi ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem è Rep. fieri. Igitur cum Bibulo consul creatus est. Eandẽ ob caussam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris Coss. minimi negotij, id est, siluę, callésque decernerentur. Qua maximè iniuria instinctus, omnibus officiis Cn. Pompeium assectatus est, offensum patribus, quòd Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur acta sua: Pompeióq; M. Crassum reconciliauit, veterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant: ac societatem cum vtroq; iniit, ne quid ageretur in Rep. quod displicuisset vlli è tribus. Inito honore, primus omnium instituit: vt tam senatus quàm populi diurna acta conficerentur, & publicarentur. Antiquum etiam retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores ponè sequerentur. Lege autem agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit. Ac postero die in senatu, conquestum, nec quoquam reperto qui super tali consternatione referre, aut censere aliquid auderet, qualia multa sæpe in leuioribus turbis decreta erant, in eam coëgit desperationem, vt quoad potestate abiret, domo abd[..]us nihil aliud quàm per edicta obnunciaret. Vnus ex eo tempore omnia in repub. & ad arbitrium administrauit: vt nonnulli vrbanorum, cùm quid per iocum testandi gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare Coss. actum scriberent bis, eundem præponentes, nomine at-

A que cognominẽ: vtque vulgò mox ferrentur hi versus,

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est:

Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Campum Stellatem maioribus consecratum, agrúmque Campanum ad subsidia reip. vectigalem relictum, diuisit extra sortem, ac xx. millibus ciuium, quibus terni pluresve liberi essent. Pu- B blicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte releuauit: ac ne in locatione nouorum vectigalium immoderatiùs licerentur, propalàm monuit. Cætera item quæ cuique libuissent, dilargitus est, contradicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. M. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem iussit. L. Lucullo liberiùs resistenti tantum calumniarum metum iniecit, vt ad genua vltro sibi accideret. Cicerone in iudicio quodam deplorantę C temporum statum, P. Clodium inimicum eius frustra iampridem à patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horáque nona, traduxit. Postremò in vniuersos diuersæ factionis inductum præmiis, vt sęde inferenda Pompeio nece solicitatum à quibusdam profiteretur, productúsque pro Rostris auctores ex compacto nominaret: sed vno atque altero frustra, nec sine suspicione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis con- D silij euentum, intercepisse veneno indicem creditur.

Sub idem tempus Calpurniam L. Pisonis filiam, successuri sibi in consulatu, duxit vxorem: suámque Iuliam Cn. Pompeio collocauit, repudiato priore spõso Seruilio Cępione, cuius vel pręcipua opera paullo antè Bibulũ impugnauerat. Ac post nouam affinitatem, Pompeium primum rogare sententiam cœpit, cùm Crassum soleret: essetque consuetudo, vt quem ordinem interrogandi sententias consul Kalend. Ianuariis instituisset, eum E toto anno conseruaret. Socero igitur generóque suffragantibus, ex omni prouinciarum copia Gallias potissimùm elegit, cuius emolumento & opportunitate idonea sit materia triumphorum. Et initio quidẽ Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per senatum, Comatam quoque: veritis patribus ne si ipsi negassent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperauit quin paucos post dies frequenti F curia iactaret, inuitis, & gementibus aduersariis adeptũ se quę cõcupisset: proinde ex eo insultaturũ omnium capitibus: ac negante quodam per contumeliam, *Facile hoc vlli fœminæ fore*, respõderit, quasi allodens, *In Assyria quoque regnasse Semiramin, magnámque Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam.* Functus consulatu, C. Memmio Lucioque Domitio prætoribus, de superioris anni actis referentibus, cognitionem senatui detulit: nec illo suscipiente, triduóque irritas altercationes absumto, in prouinciam abiit: statim quæstor G eius in præiudicium aliquot criminibus arreptus est. Mox & ipse L. Antistio tribuno plebis postulatus, appellato demum collegio, obtinuit, cum reip. caussa abesset, reus ne fieret. Ad securitatem ergo posteri temporis, in magno negotio habuit. obligare semper annuos magistratus, & è competitoribus, non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quàm qui sibi pepigissent propugnaturos, absentiam suam: cuius pacti non dubitauit à quibusdam iusiurandum atque etiam syn-

grapham exigere. Sed cùm L. Domitius consulatus candidatus palàm minaretur, Cos. se effecturum quod prætor nequisset, ademturúmque ei exercitus: Crassum Pompeiúmque in vrbem prouinciæ suæ Lucam extractos cópulit, vt detrudédi Domitij caussa consulatum alterum peterent: & vt in quinquennium sibi imperium propagaretur: perfecitque vtrumque. Qua fiducia ad legiones quas à rep. acceperat, alias priuato sumtu addidit: vnam etiam ex Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque Gallico: (Alauda enim appellabatur) quam disciplina cultúque Romano institutam & ornatam, postea vniuersam ciuitate donauit. Nec deinde vlla belli occasione, ne iniusti quidem ac periculosi, abstinuit; tam fœderatis quàm infestis ac feris gentibus vltro lacessitis: adeò vt senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreuerit, ac nonnulli dedédum eum hostibus censuerint. Sed prosperè decedentibus rebus, & sæpius & plurium quàm quisquam vnquam dierum supplicationes impetrauit. Gessit autem nouem annis, quibus in imperio fuit, hæc ferè. Omnem Galliam, quæ à saltu Pyrenæo Alpibúsque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patétque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit, eíque quadringenties in singulos annos stipendij nomine imposuit. Germanos qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus est & Britannos, ignotos anteà, superatísque pecunias & obsides imperauit. Per tot successus ter, nec amplius, aduersum casum expertus: in Britannia, classe vi tempestatis propè absumpta: & in Gallia, ad Gergouiam legione fusa: & in Germanorum finibus, Titurio & Arunculeio legatis per insidias cæsis. Eodem temporis spatio matrem primò, deinde filiam, nec multo pòst neptem amisit. INTER QVAE consternata P. Clodij cæde Rep. cùm senatus vnum Cos. nominatímque Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum tribunis plebis collegam se Pompeio destinantibus, id potiùs ad populum ferrét, vt absenti sibi, quandocúnque imperij tempus expleri cœpisset, petitio secundi Consulatus daretur: ne ea caussa maturius, & imperfecto adhuc bello decederet. Quod vt adeptus est, altiora iam meditans, & spei plenus nullum largitionis, aut officiorum in quemquam genus publicè, priuatímq; omisit. Forum de manubiis inchoauit, cuius area super HS. millies constitit. Munus populo, epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo. Quorum quàm maxima expectatio esset, ea quæ ad epulú pertinerent, quamuis macellariis oblocata, etiá domesticatim apparabat. Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reseruandósque mandabat. Tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat: precibus enitens, quod epistolis eius ostenditur, vt disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent. Legionibus stipendium in perpetuum duplicauit. Frumentum, quoties copia esset, etiam sine modo mensuráque præbuit: ac singula interdum mancipia & prædia viritim dedit. Ad retinendam autem Pompeij necessitudinem ac voluntatem, Octauiam sororis, suæ

A neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit, sibíque filiam eius in matrimonium petiit, Fausto Sullæ destinatam. Omnibus verò circa eum, atque etiam parte magna senatus, gratuito, aut leui fœnore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel inuitatos, vel sponte ad se commeantes vberrimo congiario prosequebatur: libertos insuper, seruulósque cuiusque prout domino patronóve gratus quis esset. Tum reorum aut obæratorum, aut prodigæ iuuentutis B subsidium vnicum, ac promptissimum erat: nisi quos grauior criminum, vel inopię luxuriæve vis vrgeret, quàm vt subueniri posset à se. his planè palàm bello ciuili opus esse dicebat. Nec minore studio reges atque prouincias per terrarum orbem alliciebat: aliis, captiuorum millia dono offerens: aliis, citra senatus populique auctoritatem quò vellent, & quoties vellent, auxilia submittens: supérque Italiæ, Galliarúmque & Hispaniarum, Asiæ quoque & Græciæ potentissimas vrbes præ- C cipuis operibus exornans: donec attonitis iam omnibus & quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de summa se Rep. acturum, retulit ad senatum vt ei succederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, vt is legem de iure magistratuum ferens; eo capite quo à petitione honorum D absentes submouebat, ne Cæsarem quidem exciperet, per obliuionem: ac mox lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus prouincias Cæsari & priuilegium eripere, retulit etiam vt colonis quos rogatione Vatinia Nouumcomum deduxisset, ciuitas adimeretur: quòd per ambitionem & vltra præscriptum data esset. ~~Commotus his Cæsar, ac~~ iudicans, quod sępe ex eo auditú ferunt, difficilius se principem ciuitatis à primo ordine in secundú, E quàm ex secundo in nouissimum detrudi, summa ope restitit, partim per intercessores tribunos, partim per Seruium Sulpicium alterum consulem. Insequenti quoque anno, C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in consulatu successerat, eadem tentante, collegam eius Æmiliú Paullum, Caiúmque Curionem violentissimum tribunorum, ingenti mercede defensores parauit. Sed cùm obstinatiùs omnia agi videret, & designatos etiam COSS. è parte diuersa, senatum literis de- F precatus est, ne sibi beneficium populi adimeretur: aut vt cæteri quoque imperatores ab exercitibus discederent: confisus vt putant, faciliùs se simulatq; libuisset, veteranos cóuocaturum, quàm Pompeium nouos milites. Cum aduersariis autem pepigit vt demissis octo legionibus Transalpináq; Gallia: duæ sibi legiones, & Cisalpina prouincia, vel etiam vna legio cum Illyrico, cócederetur, quoad cos. fieret. Verùm neque senatu interueniente, & aduersariis negantibus vllam se G de rep. facturos pactionem, transiit in citeriorem Galliam: conuentibúsque peractis, Rauennæ substitit, bello vindicaturus, si quid de tribunis plebis intercedentibus pro se grauius à senatu constitutum esset. Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit: caussas autem alias fuisse opinátur. Cn. Pópeius ita dictitabat, quòd neq; opera consummare quæ instituerat, neque populi exspectationé, quam de aduétu suo fecerat, priuatis opibus

opibus explere posset, turbare omnia ac permisce re voluisse. Alij timuisse dicunt ne eorum quæ primo consulatu aduersus auspicia legésque & intercessiones gessisset, rationem reddere cogeretur: cùm M. Cato identidem, nec sine iureiurando, denuntiaret, delaturum se nomen eius, simulac primùm exercitum dimisisset: cùmque vulgò fore prædicarent, vt si priuatus redisset, Milonis exemplo, circumpositis armatis, caussam apud iudices diceret. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos profligatósque aduersarios prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens, *Hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.* Quidam putant captum imperij consuetudine, pensitatisque suis & inimicorum viribus, vsum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupisset. Quod existimasse videbatur & Cicero, scribens de officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse Euripidis versus, quos sic ipse conuertit:

Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Cùm ergo sublatam tribunorum intercessionem, ipsósque vrbe cessisse nuntiatum est, præmissis confestim clàm cohortibus, nequa suspicio moueretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, considerauit, & ex consuetudine conuiuio se frequenti dedit. Dein post Solis occasum, mulis è proximo pristino vehiculum iunctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est: & cùm luminibus exstinctis decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per angustissimos tramites pedibus euasit: consecutúsque cohortes ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat, paullùm constitit: ac reputans quantum moliretur, conuersus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.* Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximia magnitudine & forma, in proximo sedens repentè apparuit, arundine canens: ad quem audiendum, cùm præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos & æneatores, rapta ab vno tuba prosiluit ad flumen: & ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, *Eatur*, inquit, *quò deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea est*, inquit.

Atque ita traiecto exercitu, adhibitis tribunis pleb. qui pulsi superuenerant, pro concione fidem militum flens, ac veste à pectore discissa, inuocauit. Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis, quod accidit opinione falsa. Nam cùm in alloquendo exhortandóque, sæpius digitum læuæ manus ostentans, affirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, anulum quoque æquo animo detracturum sibi, extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quàm audire, pro dicto accepit quod visu suspicatur: promissúmque ius anulorum cum millibus quadringenis fama distulit. Ordo & summa rerum quas deinceps gessit, sic se habent. Picenum, Vmbriam, Etruriam occupauit: & L. Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus, Corfinium præ-

A sidio tenebat, in deditionem redacto, atque dimisso, secundum superum mare Brundisium tetendit, quò Coss. Pompeiúsque confugerant, quàm primùm transfreatur. hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus, Romam iter conuertit: appellatísque de rep. Patribus, validissimas Pompeij copias, quæ sub tribus legatis M. Petreio, & L. Afranio, & M. Varrone in Hispania erant, inuasit: professus antè inter suos, *ire se ad exercitum sine duce, & inde reuersurum ad ducem*
B *sine exercitu.* Et quamquam obsidione Massiliæ, quæ sibi in itinere portas clauserat, summáque frumentariæ rei penuria, retardante, breui tamen omnia subegit. Hinc vrbe repetita, in Macedoniam transgressus, Pompeium per quatuor pæne menses maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico prælio fudit: & fugientem Alexandriam persecutus, vt occisum deprehendit, cum Ptolemæo rege, à quo sibi quoque insidias
C tendi videbat, bellum sanè difficillimum gessit: neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni, & intra mœnia copiosissimi ac sollertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Ægypti victor, Cleopatræ fratríque eius minori permisit: veritus prouinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, nouarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, & inde Pontum transiit, vrgentibus de Pharnace nuntiis: quem Mithridatis Ma-
D gni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, iámque multiplici successu præferocem, intra quintum, quàm adfuerat, diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, vna profligauit acie: crebrò commemorans Pompeij felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hostium contigisset. Dehinc Scipionem ac Iubam, reliquias partium in Africa refouentes, deuicit: Pompeij liberos in Hispania. Omnibus ciuilibus bellis nullã cladẽ, nisi per legatos suos, passus est: quorum C. Curio in Africa per-
E iit: C. Antonius in Illyrico in aduersariorum deuenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Caluinus in Ponto exercitum amiserunt. Ipse prosperrimè semper, ac ne ancipiti quidem vmquam fortuna, præterquam bis dimicauit: semel ad Dyrrachium: vbi pulsus, non instante Pompeio, negauit eum vincere scire: iterum in Hispania vltimo prælio, cùm desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitauit. Confectis bellis, quinquies triumphauit,
F post deuictum Scipionem quater eodem mense, sed interiectis diebus: & rursus semel post superatos Pompeij liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, nouissimum Hispaniensem, diuerso quemque apparatu & instrumento. Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excussus est, axe diffracto: adscenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephan-
G tis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, *VENI, VIDI, VICI*: non acta belli significantem, sicut cæteris, sed celeriter confecti notam. Veteranis legionibus prædæ nomine, in pedites singulos super bina sestertia, quæ initio ciuilis tumultus numerauerat, in equites vicena quaterna millia nummûm dedit. Assignauit

& agros, sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur. Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos quos pollicitus olim erat, viritim diuisit: & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ vsque ad bina millia nummûm, in Italia non vltra quingenos sestertios remisit. Adiecit epulum ac viscerationem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam cùm prius parcè, neque pro liberalitate sua præbitum iudicaret, quinto pòst die aliud largissimum præbuit.

Edidit spectacula varij generis. munus gladiatorium, ludos etiã regionatim vrbe tota, & quidẽ per omniũ linguarũ histriones: item Circẽses, athletas, naumachiã. Munere in foro depugnauit Furius Leptinus, stirpe prętoria, & Q. Calpenus senator quondã actorq; caussarũ. Pyrrichã saltauerũt Asię Bithynięq; principum liberi. Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit: donatúsq; quingentis sestertiis, & anulo aureo sessum in quatuordecim è scena per orchestram trãsiit. Circensibus, spatio circi ab vtraq; parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas bigásque, & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit turma duplex, maiorum minorúmque puerorum. Venationes editæ per dies quinque: ac nouissimè pugna diuisa in duas acies: quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. Nã quò laxiùs dimicaretur, sublatę metę, inque earum locum bina castra ex aduerso constituta erant. Athletę, stadio ad tempus extructo in regione Martij campi certauerunt per triduum. Nauali prælio in minore Codeta defosso lacu, biremes ac triremes, quadriremésque, Tyriæ, & Ægyptiæ classes, magno pugnatorum numero conflixerũt. Ad quæ omnia spectacula tantum vndique confluxit hominum, vt plerique aduenæ aut inter vicos aut inter vias tabernaculis positis manerent: ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi, & in his duo senatores. CONVERSVS hinc ad ordinandũ Reip. statum, fastos correxit, iam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, vt neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerẽt. Annúmque ad cursum Solis accommodauit, vt trecentorum sexaginta quinque dierum esset. & intercalario mense sublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum ex Kalẽdis Ianuariis nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem mẽsem, interiecit duos alios: fuítque is annus, quo hæc constituebantur, xv. mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat. Senatum suppleuit, patricios allegit: prætorum, ædilium, quæstorum, minorum etiam magistratuũ numerum ampliauit: nudatos opere censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemnatos, restituit. Comitia cum populo partitus est: vt exceptis consulatus competitoribus, de cętero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura breui, *Cæsar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, vt vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Admisit ad honores & proscriptorum liberos. Iudicia ad duo genera iudicũ redegit, equestris ordinis ac senatorij: tribunos ærarios,

A quod erat tertium, sustulit. Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atque ex viginti trecentísque millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui noui cœtus recensionis caussa moueri quandoq; possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his qui recẽsiti essent, subsortitio à prætore fieret. Octoginta autem ciuiũm millibus in transmarinas colonias distributis, vt exhaustæ quoque vr- B bis frequentia suppeteret, sanxit: Ne quis ciuis maior annis viginti, minórve XL. qui sacramento nõ teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: neu quis senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregrè proficisceretur: neve hi qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberẽt. Omnésque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quò libentiùs & ipsi vrbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit. C De pecuniis mutuis, disiecta nouarum tabularum exspectatione, quæ crebrò mouebatur, decreuit tandem, vt debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducto summæ æris alieni, si quid vsuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Cuncta collegia, præter antiquitus constituta, detraxit. Pœnas facinorum auxit: & cùm locupletes eo faciliùs D scelere se obligarent, quòd integris patrimoniis exsulabant, parricidas, vt Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multauit.

Ius laboriosissimè ac seuerissimè dixit. Repetundarum conuictos etiam ordine senatorio mouit. Diremit nuptias prætorij viri: qui digressam à marito post biduum statim duxerat, quamuis sine probri suspicione. Peregrinarum mercium portoria instituit. Lecticarum vsum, item conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis perso- E nis, & ætatibus, pérque certos dies ademit. Legem præcipuè sumtuariam exercuit: dispositis circa macellum custodibus, qui opsonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad se, submissis nonnumquam lictoribus atque militibus, qui si quà custodes fefellissent, iam apposita è triclinio auferrent.

Iam de ornanda instruendáque vrbe, item de tuendo ampliandóq; imperio, plura ac maiora in dies destinabat. In primis Martis templum, quan- F tum nusquam esset, exstruere, repleto & complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat: theatrúmque summæ magnitudinis Tarpeio monti accubans. Ius ciuile ad certum modũ redigere, atque ex immensa diffusáq; legum copia optima quæque & necessaria in paucissimos conferre libros. Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum. Siccare Pomptinas paludes: emittere Fucinum lacũ: viam mu- G nire à mari supero per Apennini dorsum ad Tiberim vsque: perfodere Isthmum: Dacos, qui se in Pontum & Thraciã effuderant, coërcere, mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, nec nisi antè expertos aggredi prælio. Talia agentem atque meditantem mors præuenit, de qua priùs quàm dicam, ea quæ ad formam & habitum, & cultũ & mores, nec minus quę ad ciuilia & bellica eius studia pertineant, non alienũ erit summatim expone-

exponere. Fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore
candido, teretibus membris, ore paulò pleniore,
nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera: niſi
quod tempore extremo repẽte animo linqui, atq;
etiam per ſomnũ exterreri ſolebat. Comitiali quo
que morbo bis inter res agendas correptus eſt.
Circa corporis curã moroſior, vt non ſolùm ton-
deretur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiã
vt quidam exprobrauerunt: Caluitij verò defor-
mitatem iniquiſſimè ferret, ſæpe obtrectatorum
iocis obnoxiam expertus. Ideóque & deficientem
capillũ reuocare à vertice aſſueuerat: & ex omni-
bus decretis ſibi à ſenatu populóque honoribus,
non aliud aut recepit aut vſurpauit libẽtiùs quàm
ius laureę coronę perpetuò geſtãdę. Etiã cultu no-
tabilẽ ferũt. Vſum enim lato clauo ad manus fim-
briato, nec vmquam aliter quàm ſuper eum cin-
geretur, & quidẽ fluxiore cinctura. Vnde emanaſ-
ſe Sullæ dictum, optimates ſæpius admonentis, *vt
malè præcinctum puerum cauerent.* Habitauit pri-
mò in Subura modicis ædibus: poſt autem pon-
tificatum maximum, in Sacra via domo publica.
Munditiarum lautitiarúmque ſtudioſiſſimũ multi
prodiderunt. Villam in Nemorenſi à fundamentis
inchoatam, magnóque ſumtu abſolutam, quia
non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſ-
ſe, quamquam tenuem adhuc & obæratum. In ex-
peditionibus teſſellata & ſectilia pauimenta cir-
cumtuliſſe.

Britanniam petiſſe ſpe margaritarum, quarum
amplitudinem conferentem, interdum ſua manu
exegiſſe pondus. Gemmas, toreumata, ſigna, tabu-
las operis antiqui ſemper animoſiſſimè compa-
raſſe: ſeruitia recentiora politioráque, immenſo
pretio, & cuius ipſum etiam puderet, ſic vt ratio-
nibus vetaret inferri.

Conuiuatum aſſiduè per prouincias duobus
tricliniis: vno, quo ſagati palliatíve, altero, quo to-
gati cum illuſtrioribus prouinciarum diſcumbe-
rent. Domeſticã diſciplinam in paruis ac maiori-
bus rebus diligenter adeò ſeuereq; rexit, vt piſto-
rem, alium quàm ſibi panem conuiuis ſubiicien-
tem, compedibus vinxerit: libertum gratiſſimum,
ob adulteratam equitis Romani vxorem, quam-
uis nullo querente, capitali pœna affecerit.

Pudicitiæ eius famam, nihil quidem præter Ni-
comedis contubernium lęſit, graui tamen & per-
enni opprobrio, & ad omnium conuitia expoſi-
to. Omitto Calui Licinij notiſſimos verſus.

*Bithynia quicquid & pædicator Cæ-
ſaris
Vmquam habuit.*

Prætereo actiones Dolabellæ & Curionis pa-
tris, in quibus eum Dolabella *pellicem reginæ, ſpon-
dam interiorem regiæ lecticæ*, ac Curio *ſtabulum Ni-
comedis*, & *Bithynicum fornicem* dicũt. Miſſa etiam
facio edicta Bibuli, quibus proſcripſit collegam
ſuum, *Bithynicam reginam: eique regem antea fuiſ-
ſe cordi, nunc eſſe regnum.* Quo tempore vt M. Bru-
tus refert, Octauius etiam quidam, valetudine mẽ-
tis liberius dicax, conuentu maximo cùm Pom-
peium regem appellaſſet, ipſum reginã ſalutauit.
Sed C. Memmius etiã ad cyathum & vinum Ni-
comedi ſtetiſſe obiecit, cum reliquis exoletis,
pleno conuiuio, accubantibus nonnullis vrbicis
negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero
verò non contentus in quibuſdam epiſtolis ſcri-
pſit, à ſatellitibus eum in cubiculum regium edu-

A ctum, in aureo lecto, veſte purpurea decubuiſſe,
floremque ætatis à Venere orti, in Bithynia con-
taminatum: quondam etiam in ſenatu defendenti
Nyſæ cauſſam, filiæ Nicomedis, beneficiáque re-
gis in ſe commemoranti, *Remoue*, inquit, *iſtæc oro
te: quando notum eſt, & quid ille tibi, & quid illi tu
dederis.* Gallico denique triumpho milites eius
inter cætera carmina, qualia currum proſequen-
tes ioculariter canunt, etiam vulgatiſſimum illud
B pronunciauerunt.

*Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæ-
ſarem:
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit
Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit
Cæſarem.*

Pronum & ſumtuoſum in libidines fuiſſe con-
ſtans opinio eſt, plurimáſq; & illuſtres fœminas
corrupiſſe: in quibus Poſtumiam Seruij Sulpicij,
C Lolliam Auli Gabinij, Tertullam M. Craſſi, etiam
Cn. Pompeij Muciam. Nam certè Pompeio, & à
Curionibus patre & filio, & à multis exprobratũ
eſt, quòd *cuius cauſſa poſt tres liberos exegiſſet vxo-
rem, & quem gemẽs Aegiſthum appellare conſueſſet,
eius poſtea filiam potentiæ cupiditate in matrimoniũ
recepiſſet.* Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem
Seruiliam: cui & proximo ſuo conſulatu ſexagies
H S. margaritam mercatus eſt: & bello ciuili ſu-
per alias donationes, ampliſſima prædia ex auctio
D nibus haſtæ nummo addixit. Cùm quidem pleriſ-
que vilitatem mirantibus, facetiſſimè Cicero,
Quò melius, inquit, *emptum ſciatis, Tertia deducta
eſt:* exiſtimabatur enim Seruilia, etiam filiam ſuã
Tertiam Cæſari conciliare. Ne prouincialibus
quidem matrimoniis abſtinuiſſe, vel hoc diſticho
apparet, iactato æquè à militibus per Gallicum
triumphum,

*Vrbani ſeruate vxores, mœchum cal-
uum adducimus.
E Aurum in Gallia effutuiſti: hîc ſumpſiſti
mutuum.*

Dilexit & reginas, inter quas Eunoen Mauram,
Bogudis vxorem: cui maritóque eius plurima &
immẽſa tribuit, vt Naſo ſcripſit: ſed maximè Cleo
patram, cum qua & conuiuia in primam lucem
ſæpe protraxit, & eadem naue thalamegu pæne
Æthiopia tenus Ægyptum penetrauit, niſi exerci-
tus ſequi recuſaſſet. Quam denique accitam in vr-
bem, non niſi maximis honoribus pręmiiſque au
F ctam remiſit, filiúmque natum appellare nomine
ſuo paſſus eſt. Quem quidẽ nonnulli Græcorum
ſimilem quoq; Cæſaris & forma & inceſſu tradi-
derunt. M. Antonius agnitum etiam ab eo, ſenatui
affirmauit. quæ ſcire C. Matium & C. Oppium,
reliquóſque Cæſaris amicos, quorum C. Oppius,
quaſi planè defenſione ac patrocinio res egeret,
librum edidit, *Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleo-
patra dicat.* Heluius Cinna Trib. pleb. pleriſque
confeſſus eſt, habuiſſe ſe ſcriptam paratámque le-
G gem, quam Cæſar ferre iuſſiſſet, cùm ipſe abeſſet,
vti vxores liberorum quærendorum cauſa, quas
& quo vellet, ducere liceret. Ac ne cui dubium o-
mnino ſit, & impudicitiæ eum, & adulteriorũ fla-
graſſe infamia. Curio pater quadã eum oratione,
*omnium mulierũ virum, & omnium virorum mulie-
rem* appellat. Vini parciſſimum ne inimici qui-
dem negauerunt. Verbum M. Catonis eſt, *Vnum
ex omnibus Cæſarem ad euertendam Remp. ſobrium
acceſſiſſe.* Nam circa victum C. Oppius adeò indif-

ferẽtem docet, vt quondam ab hospite conditum
oleum, pro viridi appositum, aspernantibus cæte-
ris, solum etiam largius dicat appetisse, ne hospité
aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur argue-
re. Abstinentiam neque in imperiis neque in ma-
gistratibus præstitit. Vt enim quidam monumen-
tis suis testati sunt, in Hispania à proconsule, & à
sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium
æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida,
quamquam nec imperata detrectarent, & aduen-
ti portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gal-
lia fana templáque Deûm donis referta expilauit:
vrbes diruit, sæpius ob prædam quam ob delictũ:
vnde factum vt auro abũdaret ternisque millibus
nummûm in libras promercale, per Italiam pro-
uinciásque diuideret. In primo consulatu tria
millia pondo auri furatus è Capitolio, tantum-
dẽ inaurati æris reposuit. Societates ac regna pre-
tio dedit: vt qui vni Ptolemæo propè sex millia
talentorum suo Pompeiique nomine abstulerit.
Postea verò euidentissimis rapinis ac sacrilegiis,
& onera bellorum ciuilium, & triumphorum ac
munerum sustinuit impendia. Eloquentia milita-
rique re aut æquauit præstantissimorum gloriam
aut excessit. Post accusationẽ Dolabellæ, haud du-
biè principibus patronis annumeratus est. Certè
Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat *se*
videre cui Cæsar debeat cedere: aitque eum *elegan-*
tem, splendidam quoque, ac etiam magnificam ac ge-
nerosam quodam modo rationem dicendi tenere. &
ad Cornelium Nepotem de eodẽ ita scripsit. *Quid?*
oratorum quem huic antepones eorum qui nihil a-
liud egerũt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior?
Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? Genus elo-
quentię dũtaxat adolescẽs adhuc Strabonis Cæsa-
ris secutus videtur: cuius etiam ex oratione, quæ
inscribitur, *Pro Sardis*, ad verbum nónulla trans-
tulit in *Diuinationem* suam. Pronuntiasse autem
dicitur voce acuta, ardenti motu gestúque, non si-
ne venustate. Orationes aliquas reliquit, inter
quas temerè quædam feruntur: vt *Pro Q. Metello*:
quam nõ immeritò Augustus existimat magis ab
actuariis exceptã, malè subsequentibus verba di-
centis quàm ab ipso editã. Nam in quibusdã exẽ-
plaribus inuenio, ne inscriptam quidẽ *Pro Metel-*
lo, sed, *quam scripsit Metello*, cùm ex persona Cæ-
saris sermo sit, Metellum seque aduersus commu-
nium obtrectatorum criminationes purgãtis. *A-*
pud milites quoque *in Hispania*, idem Augustus o-
rationem esse vix ipsius putat: quæ tamen duplex
fertur: vna quasi priore habita prętio: altera, poste-
riore: quo Asinius Pollio ne tempus quidem con-
cionandi habuisse eum dicit, subita hostium in-
cursione. Reliquit & rerum suarũ Commẽtarios,
Gallici ciuilisque belli Pompeiani. Nam Alexan-
drini, Africique & Hispaniensis, incertus auctor
est. Alij enim Oppium putant, alij Hirtium: qui e-
tiam Gallici belli nouissimum imperfectúmq; li-
brum suppleuerit. De commentariis Cęsaris Cice-
ro in eodem libro sic refert. *Commentarios scripsit*
valde quidem probandos: nudi sunt, recti, & venusti,
omni ornatu orationis, tanquã veste detracta: sed dũ
voluit alios habere parata vnde sumerent, qui vel-
lent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit,
qui illa volunt calamistris inurere, sanos quidem ho-
mines à scribendo deterruit. De eisdem commen-
tariis Hirtius ita prædicat, *Adeo probantur omniũ*
iudicio, vt prærepta, non præbita, facultas scriptori-
bus videatur. Cuius tamen rei maior nostra quàm

A *reliquorum est admiratio. Cæteri enim quàm bene*
atque emendatè, nos etiam quàm facilè atque cele-
riter eos perscripserit scimus. Pollio Asinius parum
diligenter, parumque integra veritate compositos
putat: cùm Cæsar pleraque & quæ per alios erant
gesta, temerè crediderit: & quæ per se vel consul-
tò, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit:
existimátq; rescripturum & correcturum fuisse.
Reliquit & *De analogia* libros duos, & *Anticato-*
nes totidem, ac pręterea poëma quod inscribitur
B *Iter.* Quorũ librorum primos, in transitu Alpiũ,
cùm ex citeriore Gallia, conuentibus peractis, ad
exercitum rediret: sequentes, sub tempus Mundẽ-
sis prælij fecit: nouissimum, dum ab vrbe in Hispa
niam vlteriorem IIII. & XX. die peruenit. *Epistola*
quoque eius *ad senatum* extant, quas primùm vi-
detur ad paginas & formã memorialis libelli con-
uertisse, cùm antea COSS. & duces nonnisi trans-
uersa charta scriptas mitterent. Extant & *ad Cice-*
nem, itẽ *ad familiares* domesticis de rebus: in qui-
C bus si qua occultiùs perferenda erãt, per notas scri-
psit, id est, sic structo litterarum ordine, vt nullum
verbũ effici posset: quæ si quis inuestigare & per-
sequi vellet, quartam elementorum litteram, id
est, *d* pro *a*, & perinde reliquas commutet. Ferun-
tur & à puero, & ab adolescentulo, quædam scri-
pta: vt *Laudes Herculis, Tragœdia OEdipus*: item
Dicta collectanea, quos omnes libellos vetuit Au-
gustus publicari, in epistola quam breuem admo-
D dum ac simplicem, ad Pompeiũ Macrum, cui or-
dinandas bibliothecas delegauerat, misit. Armorũ
& equitandi peritissimus, laboris vltra fidem pa-
tiens erat: in agmine, nonnumquam equo, sæpius
pedibus, anteibat, capite detecto, seu sol, seu im-
ber esset. Longissimas vias incredibili celeritate
confecit, expeditus, meritoria rheda, centena pas-
suum millia in singulos dies: si flumina moraren-
tur, nando traiiciens, vel innixus inflatis vtribus,
vt persæpe nuntios de se præuenerit. In obeundis
expeditionibus, dubium cautior an audentior.
E Exercitum neque per insidiosa itinera duxit vn-
quam, nisi perspeculatus locorũ situs: neq; in Bri-
tanniam transuexit: nisi antè per se portus & na-
uigationẽ, & accessum ad insulam explorasset. Ad
idẽ obsessione castrorum in Germania nuntiata,
per stationes hostiũ Gallico habitu penetrauit ad
suos. A Brundisio Dyrrachiũ inter oppositas clas-
ses hieme transmisit. Cessantibúsque copiis, quas
subsequi iusserat, cùm ad arcessendas frustra sæpe
misisset, nouissimè ipse clàm noctu paruulum na-
F uigium solus obuoluto capite conscendit: neque
aut quis esset antè detexit, aut gubernatorem ce-
dere aduersæ tempestati passus est, quàm penè ob-
rutus fluctibus. Ne religione quidem vlla à quo-
quam incepto absterritus vnquam vel retardatus
est. Cùm immolanti aufugisset hostia, profectio-
nem aduersus Scipionem & Iubam non distulit.
Prolapsus etiam in egressu nauis, verso ad melius
omine, *Teneo te*, inquit, *Africa*. Ad eludendas au-
tem vaticinationes, quibus felix & inuictum in
G ea prouincia fataliter Scipionũ nomen ferebatur,
despectissimum quendam ex Corneliorum gene-
re, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomẽ e-
rat, in castris secum habuit. Prælia nõ tantùm de-
stinatò, sed ex occasione sumebat: ac sępe ab itine-
re statim, interdum spurcissimis tempestatibus,
cùm minimè quis moturum putaret: nec nisi tem-
pore extremo ad dimicandum cunctantior factus
est. Quò sæpius vicisset, hoc minus experiendos
casus

A casus opinans: nihilque se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum vnquam hostem fudit, quin castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis dabat. Ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis suum, quò maior permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugę erepto. Vtebatur autem equo insigni, pedibus propè humanis, & in modum digitorum vngulis fissis: quem natum apud se, cum haruspices imperium orbis terræ significare domino
B pronuntiassent, magna cura aluit: nec patientem sessoris alterius primus adscendit: cuius etiam instar pro æde Veneris genitricis postea dedicauit. Inclinatam aciem solus sæpe restituit, obsistens fugientibus, retinénsque singulos, & contortis faucibus conuertens in hostem: & quidem adeò plerumque trepidos, vt aquilifer moranti cuspide sit comminatus: alius in manu detinentis reliquerit signum. Non minora illa constantiæ eius, immo maiora etiam, indicia fuerunt. Post aciem
C Pharsalicam, cùm præmissis in Asiam copiis, per angustias Hellesponti vectoria nauicula traiceret, L. Cassium partis aduersæ cum decem rostratis nauibus obuium sibi, neque refugit: & cominus tendens vltro ad deditionem hortatus supplicem ad se recepit. Alexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eòdem præcipitantibus cùm desilisset in mare, nando per cc. passus, euasit ad proximam nauem elata læua, ne libelli, quos tenebat,
D madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne spolio poriretur hostis. Militem neque à moribus neque à fortuna probabat, sed tantùm à viribus: tractabátque pari seueritate atque indulgentia. Non enim vbique, ac semper, sed cùm hostis in proximo esset, coërcebat: tum maximè exactor grauissimus disciplinæ, vt neque itineris, neque prælij tempus denuntiaret: sed paratum & intentum momentis omnibus, quo vellet, subitò educeret. Quod etiam
E sine caussa plerumque faciebat, præcipuè pluuiis & festis diebus. Ac subinde obseruandum se admonens, repentè interdiu vel noctè subtrahebat: augebátque iter, vt serius subsequentes defatigaret. Fama verò hostilium copiarum perterritos, non negando, minuendóve, sed insuper amplificando, ementiendóque, confirmabat. Itaque cùm expectatio aduentus Iubæ terribilis esset, conuocatis ad concionem militibus, *Scitote*, inquit *paucissimis his diebus regem affuturum cum x. legioni-*
F *bus equitum xxx. leuis armaturæ c. millibus, elephantis ccc. Proinde desinant quidam quærere vltrà, aut opinari, mihique qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustissima naue impositos, quocumq. vento, in quascumq. terras iubebo auehi.* Delicta neque obseruabat omnia, neq; pro modo exsequebatur: sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor acerrimus, conniuebat in ceteris. Ac nonnunquam post magnam pugnam atque victoriam remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi permittebat: iactare solitus, *mi-*
G *lites suos etiam vnguentatos bene pugnare posse*: nec *milites* eos pro concione, sed blãdiori nomine *commilitones* appellabat. habebátq; tã cultos, vt argēto & auro politis armis ornaret: simul & ad speciem, quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Diligebat quoque vsque adeo, vt audita clade Tituriana, barbam capillúmque summiserit: nec ante demserit quàm vindicasset. Quibus rebus & deuotissimos sibi, & fortissimos reddidit.

Ingresso ciuile bellum, centuriones cuiusque legionis singulos equites è viatico suo obtulerunt: & vniuersi milites gratuitam & sine frumento stipendióque operam, cùm tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent. Neque in tam diuturno spatio quisquam omnino desciuit: plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare aduersus eum vellent, recusarunt. Famem & cæteras necessitates, cùm non obsiderentur modò, sed & si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant, vt Dyrrachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, *cum feris sibi rem esse* dixerit: amouerique ocyus, nec cuiquam ostendi, iusserit: ne patientia & pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. Quanta fortitudine dimicauerint testimonio est, quòd aduerso semel apud Dyrrachium prælio, pœnam in se vltro depoposcerunt: vt consolandos eos magis imperator quàm puniendos habuerit. Cæteris præliis innumeras aduersariorum copias multis partibus ipsi pauciores facilè superauerunt. Denique vna sextæ legionis cohors præposita castello, quatuor Pompeij legiones per aliquot horas sustinuit pæne omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum centum ac triginta millia intra vallum repetta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, vel Cassij Scæuæ centurionis, vel C. Acilij militis, ne de pluribus referam. Scæua, excusso oculo, transfixus femore & humero, centum & viginti ictibus scuto perforato, custodiam portæ commissi castelli retinuit. Acilius nauali ad Massiliam prælio, iniecta in puppem hostium dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynægiri exemplum imitatus, transiluit in nauem, vmbone obuios agens. Seditionem per x. annos Gallicis bellis nullam omnino mouerunt, ciuilibus aliquas: sed vt celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis quàm auctoritate. Non enim cessit vnquam tumultuantibus, atque etiam obuiam semper iit. Et nonam quidem legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit: ægréque post multas & supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit. Decumanos autem Romæ cum ingentibus minis, summóque etiam vrbis periculo, missionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere: sed vna voce, qua *Quirites* eos pro militibus appellarat, tam facilè circumegit & flexit, vt ei *milites* esse confestim responderint: & quamuis recusantem vltro in Africam sint secuti: ac sic quoque seditiosissimum quemque & prædæ & agri destinati tertia parte multauit. Studium & fides erga clientes, ne iuueni quidem defuerunt. Masintham nobilem iuuenem, cùm aduersus Hiempsalem regem tam enixè defendisset, vt Iubæ regis filio in altercatione barbam inuaserit, stipendiarium quoq; pronuntiatum, & abstrahentibus statim eripuit, occultauitque apud se diu: & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia prosequentium, fascésque lictorum, lectica sua auexit. Amicos tanta semper facilitate indulgentiáque tractauit, vt C. Oppio comitanti se per syluestre iter, correptóque subita valitudine, & in diuersorio loco, quod vnum erat, cesserit: ac ipse humi ac sub diuo cubuerit. Iam autem rerum potens, quosdam etiam infimi generis ad amplissi-

mos honores prouexit. Cùm ob id culparetur, professus est palàm, *si grassatorum & sicariorum ope tuenda sua dignitate vsus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum.* Simultates contra nullos tam graues excepit vmquam, vt non occasione oblata libens deponeret. C. Memmij, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat: etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Caluo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, vltrò ac prior scripsit. Valerium Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem, eadem die adhibuit cœnę: hospitióque patris eius sicut consueuerat, vti perseuerauit. Sed & in vlciscendo natura lenissimus: piratas, à quibus captus est, cùm in deditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante iurauerat, iugulari prius iussit, deinde suffigi. Cornelio Phagitę, cuius quondam nocturnas insidias æger ac latens ne perduceretur ad Sullam, vix præmio dato euaserat, numquam nocere sustinuit. Philemonem à manu seruum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non grauius quàm simplici morte puniit. In P. Clodium Pompeiæ vxoris suæ adulterum, atque eadem de caussa pollutarum cerimoniarum reum testis citatus negauit se quidquam comperisse. quamuis & mater Aurelia & soror Iulia, apud eosdem iudices, omnia ex fide retulissent. Interrogatúsq; cur igitur repudiasset vxorem, *Quoniam,* inquit, *meos tam suspicione quàm crimine iudico carere oportere.* Moderationem verò clementiámq; tum in administratione tum in victoria belli ciuilis, admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompeio pro hostibus se habiturum, qui Reipubl. defuissent. ipse medios & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiauit. Quibus autem ex commendatione Pompeij, ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, cùm assiduo inter vtrasque partes vsu atque commercio, Afranius ac Petreius deprehensos intra castra Iulianos subita pœnitentia interfecissent, admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamauit *vt ciuibus parceretur*: deinceps nemini non suorum quem vellet, vnum partis aduersæ seruare concessit: nec vlli perisse, nisi in prælio reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio & Fausto, & L. Cæsare iuuene: ac ne hos quidem voluntate ipsius interemtos putant: quorum tamen & priores post impetratam veniam rebellauerant & Cæsar libertis seruisque eius ferro & igni crudelem in modum enectis, bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidauerát. Denique tempore extremo etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permisit, magistratúsque & imperia capere. Sed & statuas L. Sullæ atque Pompeij, à plebe disiectas, reposuit. Ac si qua posthac aut cogitarentur grauius aduersus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm vindicare. Itaque & detectas coniurationes, conuentúsque nocturnos, non vltra arguit, quàm vt edicto ostenderet esse sibi notas: & acerbè loquentibus satis habuit pro concione denuntiare ne perseuerarent. Aulique Cæcinæ criminosissimo libro, & Pitholai carminibus maledicentissimis, laceratam existimationem suam, ciuili animo tulit. Prægrauant tamen cætera facta, dictáque eius, vt & abusus dominatione, & iure cæsus existimetur. Non

A enim honores modò nimios recepit, vt continuũ consulatum, perpetuam dictaturam, pręfecturámque morum insuper prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestra: sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, Lupercos, appellationem mẽsis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libi- B dinem cepit, & dedit. Tertium & quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum consulatibus simul: atque vtroq; anno binos consules substituit sibi in ternos nouissimos menses: ita vt medio tempore comitia nulla habuerit, præter tribunorum & ædilium plebis: præfectósque pro prætoribus constituerit, qui pręsente se res vrbanas administrarent. Pridie autem Kal. Ianuarias repentiua consulis morte cessantem honorem in paucas horas peten- C ti dedit. Eadem licentia spreto patriæ more, magistratus in plures annos ordinauit. Decem prætoriis viris consularia ornaméta tribuit. Ciuitate donatos, & quosdam è semibarbaris Gallorum recepit in curiam. Præterea monetæ, publicisque vectigalibus, peculiares seruos præposuit. Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium Rufini liberti sui filio, suo exoleto, demãdauit. Nec minoris impotentiæ voces ꝓpalã edebat, vt T. Ampius scribit: *Nihil esse ãplius Rẽp.* D *appellationem modò, sine corpore, ac specie: Sullam nescisse literas, qui Dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius iam loqui secum, ac pro legibus habere quæ dicat.* Eoque arrogantiæ progressus est, vt haruspice tristia & sine corde exta sacro quondam nuntiante, *futura lætiora, cùm vellet: nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.* Verùm præcipuam & inexpiabilem sibi inuidiam hinc maximè mouit. Adeuntes se cum plurimis honorificentissimisque decretis, vniuersos patres con- E scriptos, sedens pro æde Veneris genitricis excepit. Quidam putant retentum à Cornelio Balbo, cùm conaretur assurgere: alij ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem C. Trebatium, vt assurgeret, minus familiari vultu respexisse. Idque factum eius tanto intolerabilius est visum, quòd ipse triumphanti & subsellia tribunitia præteruehenti sibi, vnum è collegio Pontium Aquilam non assurrexisse adeò indignatus sit, vt proclamauerit, *Repete ergo à me Aquila Remp. tribunus*, & F nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione polliceri, *si tamen per Pontium Aquilam licuerit.* Adiecit ad tam insignẽ despecti senatus contumeliam, multo arrogantius factum. Nam cùm sacrificio Latinarum reuertẽte eo, inter immodicas ac nouas populi acclamationes, quidam è turba statuæ eius coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset: & tribuni plebis Epidius Marullus Cæsetiúsque Flauus coronæ fasciam detrahi, hominémque duci in G vincula iussissent, dolens seu parum prosperè motam regni mentionem, siue, vt ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, tribunos grauiter increpitos potestate priuauit: neque ex eo infamiam affectati etiam regij nominis discutere voluit: quamquam & plebei regem se salutanti *Cæsarem se, non Regem* esse responderit, & Lupercalibus, pro Rostris à consule Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Ioui

Op. Max.

Op. Max. miserit. Quinetiam varia fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus imperij, exhaustáque Italia delectibus, & procuratione vrbis amicis permissa: proximo autem senatu L. Cottam Quindecim virum sententiam dicturum: vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi à rege, non posse vinci, Cæsar rex appellaretur. Quæ causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Consilia igitur dispersim antea habita, & quæ sæpe bini terníve ceperant, in vnum omnes contulerunt: ne populo quidem iam præsenti statu læto, sed clàm palámq; detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in senatum allectis libellus propositus est: *Bonum factum: ne quis senatori nouo curiam mõstrare velit.* & illa vulgò canebantur.

Gallos Cæsar in triumphum ducit: idem in curia

Galli bracas deposuerunt, latum clauum sumserunt.

Q. Maximo suffecto, trimestríque consule theatrum introeunte, cùm lictor animaduerti ex more iussisset, ab vniuersis cõclamatum est: *Non esse consulem eum.* Post remotos Cæsetium & Marullum tribunos, reperta sunt proximis comitiis complurium suffragia, consules eos declarantium. Subscripsere quidam L. Bruti statuæ, *Vtinam viueres.* Item ipsius Cæsaris statuæ: *Brutus, quia reges eiecit, consul primus factus est: Hic quia consules eiecit, rex postremò factus est.* Conspiratum est in eum à LX. amplius, C. Cassio, Marcellóque & D. Bruto principibus conspirationis. Qui primum cunctati, vtrúmne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem, partibus diuisis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent, an in Sacra via vel in aditu theatri adorirentur: postquam senatus Idibus Martiis in Pompeij curiam edictus est, facilè tempus & locum prætulerunt.

Sed Cæsari futura cædes euidentibus prodigiis denuntiata est. Paucos ante menses cùm in colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruẽdas villas sepulcra vetustissima disiicerent, idque eo studiosius facerent, quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ęnea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus, inuenta est, conscripta litteris verbisque Græcis, hac sententia, *Quandóque ossa Capys detecta essent, fore vt Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnísque mox Italiæ cladibus vindicaretur.* Cuius rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Cæsaris. Proximis diebus equorum greges, quos in traiiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos & sine custode dimiserat, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertímque flere. Et immolantem haruspex Spurinna monuit, caueret periculum quod non vltra Martias Idus proferretur. Pridie autem easdem Idus, auem regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varij generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt. Ea verò nocte cui illuxit dies cædis, & ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Ioue dextram iungere. & Calpurnia vxor imaginata est collabi fastigium domus, maritúmque in gremio suo confodi: ac subitò cubiculi fores sponte patuerunt.

A Ob hæc simul & ob infirmam valetudinem diu cunctatus, an se contineret, & quæ apud senatum proposuerat, agere differret: tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes ac iam dudum opperientes destitueret, quinta ferè hora progressus est: libellúmq; insidiarum indicem, ab obuio quodam porrectum, libellis cæteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, cùm litare non posset, introiit B curiam, spreta religione: Spurinnámque irridens, & vt falsum arguens, quòd sine vlla noxa Idus Martiæ adessent: quamquam is *venisse quidem eas* diceret: *sed non præteriisse.* Assidentem conspirati specie officij circumsteterunt: illicòque Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propius accessit: renuentique, & gestu in aliud tempus differenti ab vtroque humero togam apprehendit. deinde clamantem, *Ista quidem vis est*, alter Cassius aduersum vulnerat C paulùm infra iugulum. Cæsar Cassij brachium arreptum graphio traiecit, conatúsque prosilire, alio vulnere tardatus est. Vtque animaduertit vndique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit: simul sinistra manu sinũ ad ima crura deduxit, quo honestiùs caderet etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus, & viginti plagis confossus est, vno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito. Etsi tradiderunt quidam, D M. Bruto irruẽti dixisse, Καὶ σὺ εἶ ἐκείνων, καὶ σὺ τέκνον. Exanimis diffugientibus cũctis aliquandiu iacuit donec lecticæ impositum, dependente brachio, tres seruuli domum retulerunt. Nec in tot vulneribus, vt Antistius medicus existimabat, lethale vllum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus coniuratis, corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere: sed metu M. Antonij consulis, & magistri equitum Lepidi, destiterunt. Postulante ergo L. Pisone socero, testamentum eius aperitur: E recitatúrque in Antonij domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lauicano suo fecerat, demandauerátque virgini Vestali Maximæ. Q. Tubero tradit, heredem ab eo scribi solitum ex consulatu ipsius primo, vsque ad initium ciuilis belli, Cn. Pompeium: idque militibus pro concione recitatum. Sed nouissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octauium ex dodrãte, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante; re- F liquos in ima cera. C. Octauium etiam in familiã noménque adoptauit: pluresque percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit: D. Brutum etiam in secundis heredibus. Populo hortos circa Tiberim publicè, & viritim trecenos sestertios, legauit. Funere indicto, rogus exstructus est in Martio campo, iuxta Iuliæ tumulum: & pro Rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris Genitricis collocata, intráque lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput tropæum, cum veste in qua fuerat occisus. Præfe- G rentibus munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est vt omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus vrbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quędam ad miserationem, & inuidiam cædis eius, accommodata ex Pacuuij Armorum iudicio:

Men' me seruasse, vt essent qui me perderent?

Et ex Electra Attij alia ad similem sententiam. Laudationis loco consul Antonius per præco-

nè pronuntiauit senatusconf. quo omnia ei diuina simul atque humana decreuerat: item iusiurandú, quo se cuncti pro salute vnius adstrinxerant: quibus perpauca à se verba addidit. Lectum pro Rostris in Forum magistratus, & honoribus functi detulerunt. Quem cùm pars in Capitolini Iouis cella cremare, pars in curia Pompeij, destinaret, repentè duo quidam gladiis succincti, ac bina iacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt: confestimque circumstantium turba virgulta arida, & cum subsellijs tribunalia, quidquid præterea ad manum aderat, cōgessit: deinde tibicines & scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractam sibi, atque discissam, iniecere flammæ: & veteranorum militum legionarij arma sua, quibus exculti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræque ornamenta sua quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas. In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim suo quæque more lamentata est: præcipuéque Iudæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt. Plebs statim à funere ad domum Bruti & Cassij cum facibus tetendit: atque ægre repulsa, obuium sibi Heluium Cinnam, per errorem nominis, quasi, Cornelius is esset quem grauiter pridie concionatum de Cæsare requirebat, occidit: capútque eius præfixum hastæ circumtulit. Postea solidam columnam propè XXX. pedum lapidis Numidici in foro statuit: scripsítque, PARENTI PATRIAE. Apud eandem longo tempore, sacrificare, vota suscipere, cōtrouersias, quasdam interposito per Cæsarem iureiurando, distrahere, perseuerauit. Suspicionem Cæsar quibusdam suorum reliquit, neque voluisse se diutius viuere, neque curasse, quòd valetudine minus prospera vteretur

A ideóque & quæ religiones monerent, & quæ renuntiarent amici, neglexisse. Sunt qui putent confisum eum nouissimo illo Senat. cons. ac iureiurando, etiam custodias Hispanorum cum gladiis insectātiú se, remouisse. Alij è diuerso opinātur, insidias vndique imminentes subire semel confessum satius esse, quàm cauere semper. Alij ferūt dicere solitum, non tam sua quàm Reip. interesse, vti saluus esset: se iam pridem potentiæ gloriæque B abundè adeptum: Remp. si quid sibi eueniret, neq; quietam fore, & aliquanto deteriore conditione ciuilia bella subituram. Illud planè inter omnes ferè constitit, talem ei mortem pæne ex sententia obtigisse. Nam & quondam cum apud Xenophōtem legisset, Cyrum vltima valetudine mandasse quædam de funere suo aspernatus tam lentum mortis genus: subitā sibi celerémque optauerat. Et pridie quàm occideretur, in sermone nato super cœnam, apud M. Lepidum, quisnam esset finis C vitæ commodissimus, repentinum inopinatúmq; prætulerat. Periit sexto & quinquagesimo ætatis anno, atque in deorum numerum relatus est, non ore modo decernētium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primò consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam. Creditúmque est animam esse Cæsaris in cælū recepti: & hac de caussa simulacro eius in vertice additur stella. Curiam, in qua occisus est, ob- D strui placuit: Idúsque Martias parricidium nominari: ac ne vmquam eo die senatus ageretur. Percussorum autem ferè, neque triennio quisquā amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Dānati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem violauerant, interemerunt.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER II.

D. OCTAVIVS CAESAR AVGVSTVS.

GENTEM Octauiam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte oppidi iam pridem Octauius vocabatur: & ostendebatur ara Octauio consecrata: qui bello dux finitimo, cùm forte Marti rē diuinam faceret, nuntiata repentè hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit: atque ita prælium ingressus, victor rediit. Decretum etiam publicum exstabat, quo cauebatur, vt in posterum quoque simili modo exta Marti redde- B rentur, reliquiæque ad Octauios referrentur. Ea gens à Tarquinio Prisco rege, inter Romanas gentes allecta, in senatum mox à Ser. Tullio in patricias traducta, procedente tempore ad plebem se contulit: ac rursus magno interuallo per D. Iulium in patriciatum rediit. Primus ex hac magistratum populi suffragio cepit C. Rufus. Is quæstorius Cn. & C. procreauit: à quibus duplex Octauiorum familia defluxit, conditione diuersa. C Siquidem Cn. & deinceps ab eo reliqui omnes functi sunt honoribus summis. At Caius eiúsque posteri, seu fortuna, seu voluntate, in equestri ordine constitere, vsque ad Augusti patrem. Proauus Augusti secundo Punico bello, stipendia in

A Sicilia tribunus militū fecit, Æmilio Pappo imperatore. Auus municipalibus magisterijs contentus, abundante patrimonio, tranquillissimè senuit. Sed hæc alij. Ipse Augustus nihil amplius quàm equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, & in qua primus senator pater suus fuerit. M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat restionem, è pago Thurino, auum argentarium. Nec quidquam vltra de paternis Augusti B maioribus reperi. Octauius pater à principio ætatis, & re & æstimatione magna fuit: vt equidem mirer, hunc quoque à nonnullis argentarium, atque etiam inter diuisores, operásque campestres, proditum. Amplis enim innutritus opibus, honores & adeptus est facilè, & egregiè administrauit. Ex prætura Macedoniam sortitus, fugitiuos, residuam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit, negotio C sibi in senatu extra ordinem dato. Prouinciæ præfuit, non minore iustitia quàm fortitudine. Namque Bessis ac Thracibus magno prælio fusis, ita socios tractauit, vt epistolæ M. Tullij Ciceronis exstent, quibus Q. fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, hor-

rem, hortatur & monet, imitetur in promerendis A
sociis vicinum suum Octauium. Decedens Mace-
donia, priùs quàm confiteri se candidatum consu-
latus posset, morte obiit repentina, superstitibus
liberis, Octauia maiore, quàm ex Ancharia: & O-
ctauia minore, item Augusto, quos ex Atia tule-
rat. Atia M. Atio Balbo, & Iulia sorore C. Cæsaris,
genita est. Balbus paterna stirpe Aricinus, multis
in familia senatoriis imaginibus, à matre Ma-
gnum Pompeium arctissimo contingebat gradu, B
functúsque honore præturæ, inter xx. viros agrum
Campanum plebi Iulia lege diuisit. Verùm M. An-
tonius despiciens etiam maternam Augusti ori-
ginem, proauum eius Afri generis fuisse, & modò
vnguentariam tabernam, modò pistrinum Ariciæ
exercuisse, obiicit. Cassius quidem Parmensis qua-
dam epistola, non tantùm vt pistoris, sed etiam vt
nummularij nepotem, sic taxat Augustum: *Ma-
terna tibi farina: siquidem ex crudissimo Ariciæ pi-
strino hanc finxit manibus collybo decoloratis Ne- C
rulonensis mensarius.* Natus est Augustus, M. Tullio
Cicerone, & Antonio coss. IX. Kal. Octobris,
paullo ante solis exortum, regione Palatij, ad Ca-
pita bubula: vbi nunc sacrarium habet, aliquanto
pòst quàm excessit, constitutum. Nam vt senatus
Actis continetur, cùm C. Lectorius adolescens pa-
tricij generis, in deprecanda grauiore adulterij
pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque
patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem:
ac velut æditurum soli, quod primum D. Augustus D
nascens attigisset, peteretque donari, quasi pro-
prio suo, ac peculiari Deo decretum est, vt ea pars
domus consecraretur. Nutrimentorum eius o-
stenditur adhuc locus in auito suburbano, iuxta
Velitras permodicus, & cellæ penuariæ instar: te-
nétque vicinitatem opinio, tamquam & natus ibi
sit. Huc introire nisi necessariò & castè, religio est:
concepta opinione veteri, quasi temerè adeunti-
bus horror quidam & metus obiiciatur: sed &
mox confirmata est. Nam cùm possessor villæ no- E
uus, seu fortè, seu tentandi caussa cubitum se eò
contulisset euenit, vt post paucissimas noctis ho-
ras exturbatus inde subita vi, & incerta, pæne se-
mianimis cum strato simul ante fores inuenire-
tur. Infanti cognomen THVRINO inditum est, in
memoriam maiorum originis: vel quòd in regio-
ne Thurina, recens eo nato, pater Octauius aduer-
sus fugitiuos rem prosperè gesserat. Thurinum
cognominatum, satis certa probatione tradide-
rim, nactus puerilem imagunculam eius æream F
veterem, ferreis, ac pæne iam exolescentibus lite-
ris, hoc nomine inscriptam: quæ dono à me Prin-
cipi data inter cubiculares colitur. Sed & à M. An-
tonio in epistolis per contumeliam sæpe Thuri-
nus appellatur: & ipse nihil amplius quàm *mirari*
se rescribit, *Pro opprobrio nomen prius sibi obiici*.
Postea C. CAESARIS, & deinde AVGVSTI co-
gnomen assumsit: alterum, testamento maioris a-
nunculi: alterum, Munatij Planci sententia: cùm, G
quibusdam censentibus, Romolum appellari o-
portere, quasi & ipsum conditorem vrbis, præua-
luisset, vt Augustus potius vocaretur, non tantùm
nouo, sed etiam ampliore cognomine: quòd loca
quoque religiosa, & in quibus augurato quid
consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab a-
uium gestu gustúve: sicut etiam Ennius docet scri-
bens,

*Augusto augurio postquam inclyta condita
Roma est.*

Quadrimus, patrem amisit: duodecimum annum
agens, auiam Iuliam defunctam pro concione
laudauit. Quadriennio pòst virili toga sumta, mi-
litaribus donis triumpho Cæsaris Africano do-
natus est, quamquam expers belli propter ætatem.
Profectum mox auunculum in Hispanias, aduer-
sus Cn. Pompeij liberos, vix dum firmus à graui
valetudine, per infestas hostibus vias, paucissimis
comitibus, naufragio etiam facto, subsecutus, ma-
gnopere demeruit, approbata citò etiam morum
indole super itineris industriam. Cæsare post ac-
ceptas Hispanias expeditionem in Dacos, & inde
in Parthos, destinante, præmissus Apolloniam,
studiis vacauit. Vtque primùm occisum eum, he-
redémque se comperit, diu cunctatus, ân proxi-
mas legiones imploraret, id quidem consilium vt
præceps immaturúmque omisit: cęterùm, vrbe re-
petita, hereditatem adiit, dubitante matre, vitrico
verò Marcio Philippo consulari multùm dissua-
dente. Atque ab eo tempore exercitibus compa-
ratis, primum cum M. Antonio, Marcóque Le-
pido, dein tantum cum Antonio per duodecim
fetè annos, nouissimè per quatuor & XL. solus
Remp. tenuit. Proposita vitæ eius velut summa,
partes sigillatim, neque per tempora, sed per spe-
cies, exequar, quò distinctius demõstrari cognos-
cique possint. Bella ciuilia quinque gessit: Muti-
nense, Philippẽse, Perusinum, Siculum Actiacum.
Ex quibus primum ac nouissimum, aduersus M.
Antonium: secundum, aduersum Brutum & Cas-
sium, tertium aduersum L. Antonium Triumuiri
fratrem: quartum aduersus Sex. Pompeium, Cn. fi-
lium. OMNIVM bellorum initium & caussam
hinc sumsit, nihil conuenientius ducens quàm ne-
cem auunculi vindicare, tuerique acta. Confestim
vt Apollonia rediit, Brutum Cassiúmque, & vi,
nec opinantes, & quia præuisum periculum sub-
terfugerant, legibus aggredi, reósque cædis absen-
tes deferre statuit. Ludos autem victoriæ Cæsaris
non audentibus facere quibus obtigerat id mu-
nus, ipse edidit. Et quo constantius cętera quoque
exsequeretur, in locum Trib. plebis fortè demor-
tui candidatum se ostendit: quamquam patricius
nec dum senator. Sed aduersante conatibus suis
M. Antonio consule, quem vel præcipuum adiu-
torem sperauerat, ac ne publicum quidem & trã-
slatitium ius vlla in re sibi sine pactione grauissi-
mæ mercedis impertiente, ad optimates se contu-
lit: quibus eum inuisum sentiebat, maximè, quòd
D. Brutum obsessum Mutinæ, prouincia à Cæsare
data, & per senatum confirmata, expellere armis
niteretur. Hortantibus itaque nonnullis, percus-
sores ei subornauit. Hac fraude deprehensa, peri-
culum inuicem metuens, veteranos simul in suum
ac Reip. auxilium, quanta potuit largitione, con-
traxit. Iussúsque comparato exercitui pro prætore
præesse, & cum Hirtio ac Pansa, qui consulatum
acceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum
bellũ tertio mense confecit duobus præliis. Prio-
re, Antonius eum fugisse scribit, ac sine paluda-
mento equóque post biduum demum apparuisse:
sequenti satis constat non modò ducis, sed etiam
militis functum munere: atque in media dimica-
tione, aquilifero legionis suæ grauiter saucio a-
quilam humeris subiisse, diúque portasse. Hoc bel-
lo cùm Hirtius in acie, & Pansa paulo pòst ex
vulnere periissent, rumor increbruit, ambos opera
eius occisos: vt Antonio fugato, Rep. consulibus
orbata, solus victores exercitus occuparet. Pansa

quidem adeò suspecta mors fuit, vt Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Adiicit his Aquilius Niger, alterum è consulibus, Hirtium in pugnę tumultu ab ipso interemtum. Sed vt cognouit, Antoniũ post fugam à M. Lepido receptum, cæterósque duces, & exercitus, consentire pro partibus, causam optimatium sine cunctatione deseruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factáque quorundam calumniatus: quasi alij se *puerum*, alij *ornandum tollendúmque* iactassent: ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur. Et quo magis pœnitentiam prioris sectæ approbaret, Nursinos grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido: quòd Mutinensi acie interemtorum ciuium tumulo publicè exstructo adscripserant, *Pro libertate occubuisse.* Inita cum Antonio & Lepido societate, Philippense quoque bellum, quamquam inualidus atque æger, duplici prælio transegit. quorum priore castris exutus, vix ad Antonij cornu fuga euaserat. Nec successum victoriæ moderatus est: sed capite Bruti Romam misso, vt statuæ Cæsaris subiiceretur, in splendidissimum quemq; captiuum non sine verborum contumelia sæuiit. Vt quidem vni suppliciter sepulturam precanti respondisse dicatur, *Iam istam in volucrum fore potestatem*: alios, patrem & filium, pro vita rogantes, sortiri vel dimicare iussisse, vt alterutri concederetur: ac spectasse vtrumque morientem, cùm patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque voluntaria occubuisset nece. Quare cæteri, & in his M. Fauonius, ille Catonis æmulus, cùm catenati producerentur, imperatore Antonio honorificè salutato, hunc fœdissimo conuicio coràm proscidérunt. Partitis post victoriam officiis, cùm Antonius Orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepisset: neque veteranorum, neque possessorum gratiam tenuit: alteris pelli se, alteris nõ pro spe meritorum tractari querẽtibus. Quo tempore L. Antonium, fiducia consulatus quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res nouas molientem, confugere Perusiam coëgit, & ad deditionem fame compulit: non tamen sine magnis suis & ante bellum, & in bello discriminibus. Nam cùm spectaculo ludorum gregarium militem in XIIII. ordinibus sedentem excitari per apparitorem iussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato: quasi eundem mox & discruciatum necasset: minimum abfuit quin periret, concursu & indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quòd qui desiderabatur, repentè comparuit incolumis, ac sine iniuria. Circa Perusinum autem murum sacrificans, pænè interceptus est à manu gladiatorum, quæ oppido eruperat. Perusia capta in plurimos animaduertit: orare veniam, vel excusare se conantibus, vna voce occurrens, *Moriendum esse.* Scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos, vtriusque ordinis, ad aram diuo Iulio extructam, Idibus Martiis hostiarum more mactatos. Exstiterunt qui traderent, conspecto eũ ad arma isse, vt occulti aduersarij, & quos metus magis quàm voluntas contineret, facultate L. Antonij ducis præbita, detegerẽtur, deuictísq; his & confiscatis, promissa veteranis præmia persoluerentur. Bellum Siculum inchoauit in primis, sed diu traxit, intermissum sæpius: modò reparãdarum classium caussa, quas tempestatibus duplici naufragio, & quidem per æstatem amiserat: modò pace facta, flagitante populo, ob inter-

A clusos commeatus, famémque ingrauescentem: donec nauibus ex integro fabricatis, ac XX. seruorum millibus manumissis, & ad remum datis, portum Iulium apud Baias, immisso in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit. In quo cum hieme tota copias exercuisset, Pompeium inter Mylas & Naulochum superauit. sub horam pugnæ tam arcto repentè somno deuinctus, vt ad dandum signum ab amicis excitaretur. Vnde præbitam Antonio materiam putem exprobrandi, *Ne rectis*
B *quidem oculis eum adspicere potuisse instructam aciem: verum supinum, cælum intuentem, stupidum cubuisse: nec prius surrexisse, ac militibus in conspectum venisse, quàm à M. Agrippa fugatæ sint hostiũ naues.* Alij dictum factúmque eius criminantur, quasi classibus tempestate perditis exclamauerit, *etiam inuito Neptuno victoriam se adepturum*: ac die Circensium proximo solenni pompæ, simulacrum Dei detraxerit. nec temerè plura ac maiora pericula vllo alio bello adiit. Traiecto in Siciliam ex-
C ercitu, cùm partem reliquam copiarum continenti repeteret, oppressus ex improuiso à Demochare & Apollophane, præfectis Pompeij, vno demum nauigio ægerrimè effugit. Item cùm præter Locros Rhegium pedibus iret, & prospectis biremibus Pompeianis terram legẽtibus, suas ratus, descendisset ad littus, pæne exceptus est. Tunc etiam per deuios tramites refugientem, seruus Æmilij Pauli, comitis eius, dolens proscriptum olim ab eo patrem Paullum, & quasi occasione vltionis
D oblata, interficere conatus est. Post Pompeij fugam, collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium euocarat: superbientem XX. legionum fiducia, summásque sibi partes terrore ac minis vindicantem, spoliauit exercitu: supplicémque concessa, vita, Circeios in perpetuum relegauit. M. Antonij societatem semper dubiam & incertam reconciliationibúsque ~~variis malè~~ focillatam abrupit tandem. Et quo magis degenerasse eum à ciuili more approbaret, testamẽtum, quod
E is Romæ etiam de Cleopatræ liberis inter heredes, nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandúmque pro concione curauit. Remisit tamen hosti iudicato necessitudines, amicósque omnes: atque inter alios C. Sosium & T. Domitium, tunc adhuc coss. Bononiẽsibus quoque publicè, quòd in Antoniorum cliẽtela antiquitus erant, gratiam fecit cõiurandi cum tota Italia pro partibus suis. Nec multò pòst nauali prælio apud Actium vicit, in serum dimicatione protracta, vt in naui victor
F pernoctauerit. Ab Actio cùm Samum insulam in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione militum, præmia & missionem poscentium, quos ex omni numero confecta victoria Brundisium præmiserat, repetit Italiam, tempestate in traiectu bis conflictatus: primò inter promontoria Peloponnensi atque Ætoliæ: rursus circa montes Ceraunios, vtrobique parte Liburnicarum demersa: simúlque eius in qua vehebatur, fusis armamentis, & gubernaculo diffracto. Nec amplius
G quàm septem & XX. dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundisij commoratus, Asiæ Syriæque circuitu Ægyptum petit: obsessaque Alexandria, quò Antonius cum Cleopatra confugerat, breui potitus est. Et Antonium quidem seras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit, viditque mortuum: Cleopatræ, quam seruatam triumpho magnoperè cupiebat, etiam Psyllos admouit, qui venenum ac virus exsugerent: quòd perisse morsu as-

morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit. Antonium iuuenem, maiorem de duobus Fuluia genitis, simulacro D. Iulij, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cęsarionem, quẽ ex Cæsare Cleopatra concepisse prædicabat, retractum è fuga supplicio affecit. Reliquos Antonij reginæque communes liberos, non secus ac necessitudine iunctos sibi, & conseruauit, & mox pro conditione cuiusque sustinuit ac fouit.

Per idem tempus, conditorium & corpus Magni Alexandri, cùm prolatum è penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposita ac floribus aspersis veneratus est: consultúsque, num & Ptolemæum inspicere vellet, *Regem se voluisse ait videre non mortuos.* Ægyptum in, prouinciæ formam redactam, vt feraciorem habilioremque annonæ vrbicæ redderet; fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit. Quóque Actiacę victoriæ memoria celebratior in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit; ludósque illic Quinquennales cõstituit: & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat vsus, exornatum naualibus spoliis; Neptuno ac Marti consecrauit. Tumultus post hæc, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationésque complures, prius quàm inualescerent, indicio detectas compressit, & alias alio tempore: Lepidi iuuenis, deinde Varronis Murenæ, & Fannij Cæpionis, mox M. Egnatij, exin Plautij Rufi, Luciíque Paulli progeneri sui: ac præter has L. Audasij falsarum tabularum rei, ac neque ætate neque corpore integri: item Asinij Epicadi ex gente Parthyna hybridæ: ad extremum Telephi mulieris serui nomenclatoris. Nam ne vltimæ quidem sortis hominum cõspiratione & periculo caruit. Audasius atque Epicadus Iuliam filiam & Agrippam nepotem ex insulis quibus continebantur, rapere ad exercitus: Telephus, quasi debita sibi fato dominatione: & ipsum & senatum aggredi, destinauerant. Quinetiam quondam iuxta cubiculum eius lixa quidam ex Illyrico exercitu, ianitoribus deceptis, noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus: impósne mentis, an simulata dementia, incertum. Nihil enim exprimi quæstione potuit. Externa bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum, adolescens adhuc: & Antonio deuicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit. vna acie, dextrum genu lapide ictus, altera autem, & crus & vtrumque brachium ruina pontis consauciatus. Reliqua per legatos administrauit: vt tamen quibusdam Pannonicis, atque Germanicis aut interueniret, aut non longè abesset, Rauenniam, vel Mediolanum, vel Aquileiam vsque ab vrbe progrediens. Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhætiam: & Vindelicos, ac Salassos, gentes Inalpinas. Coërcuit & Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis: Germanósque vltra Albim fluuium summouit: ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes se, traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit. Alias item nationes malè quietas ad obsequium redegit. Nec vlli genti sine iustis & necessariis caussis bellum intulit. Tantúmque abfuit à cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi,

A vt quorundam barbarorum principes in ęde Martis Vltoris iurare coëgerit, mansuros se in fide ac pace quam peterent: à quibusdam verò nouum genus obsidum fœminas exigere tentauerit: quòd negligere marium pignora sentiebat. & tamen potestatem semper omnibus fecit, quoties vellent obsides recipiendi. Neque aut crebriùs aut perfidiosiùs rebellantes, grauiore vmquam multatus est pœna, quàm vt captiuos sub lege venundaret, ne in vicina regione seruirent, néve intra xxx. B annum liberarentur. Qua virtutis moderationísque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modò cognitos, pellexit ad amicitiam suam, populíq; Romani vltrò per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam vindicanti facilè cesserunt: & signa militaria quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt: obsidésque insuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab ipso electum comprobauerunt. Ianum Quirinum semel atque C iterum à condita vrbe memoriam ante suam clausum, in multo breuiore temporis spatio, terra mariq; pace parta tertio clusit. Bis ouans ingressus est vrbem post Philippense, & rursus post Siculum bellum. Curules triumphos treis egit, Dalmaticũ Actiacum, Alexandrinum: cõtinuò triduo omnes.

Graues ignominias cladésque, duas omnino, nec alibi quàm in Germania, accepit, Lollianam & Varianam: sed Lollianam maioris infamiæ, quàm detrimenti: Varianam pæne exitiabilem, D tribus legionibus, cum duce legatísque & auxiliis omnibus cæsis. Hac nuntiata excubias per vrbem indixit, ne quis tumultus existeret: & præsidibus prouinciarum propagauit imperium, vt & à peritis & assuetis socij continerentur. Vouit & magnos ludos Ioui Opt. Max. *SI REMPVBLICAM IN MELIOREM STATVM VERTISSET:* quod factum Cimbrico Marsicóque bello erat. Adeò namque consternatum ferunt, vt per continuos menses barba capillóq; summisso E caput interdũ foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare, legiones redde.* diémque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem. In re militari & commutauit multa, & instituit: atque etiam ad antiquum morem nonnulla reuocauit. disciplinam seuerissimè rexit, ne legatorum quidem cuiquam nisi grauatè, hibernísque demum mensibus, permisit vxorem interuisere. Equitem R. quòd duobus filiis adolescentibus, caussa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum F bonáque subiecit hastę: quem tamen, quòd imminere emtioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros pro libero esse sineret. Decimam legionem contumaciùs parentem, cum ignominia totam dimisit: item alias immodestè missionem postulantes, citra commoda emeritorum præmiorum exauctorauit: cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit: centuriones, statione deserta itidem, vt manipulares, capitali animaduersione puniit: pro cætero G delictorum genere variis ignominiis affecit: vt stare per totum diem iuberet ante Prætorium: interdum tunicatos, discinctósque, nonnumquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes. Neque post bella ciuilia, aut in concione, aut per edictum, vllos militum *commilitones* appellabat, sed *milites*. Ac ne à filiis quidem, aut priuignis suis, imperio præditis, aliter appellari passus est: ambitiosius id existimans, quàm aut ratio militaris, aut

A temporum quies, aut sua domúsque suæ maiestas postularet. Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum caussa, & si tumultus in grauiore annona metueretur, bis vsus est: semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis: eósque seruos adhuc, viris fœminísque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis, aut eódem modo armatos. Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, quidquid au- B ro argentóque constaret, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quàm parcissimè & sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit. M. Agrippam in Sicilia post naualem victoriam cæruleo vexillo donauit. Solos triumphales, quamquam & socios expeditionum & participes victoriarum suarum, numquam donis impertiendos putauit, quòd ipsi quoque ius habuissent tribuendi ea quibus vellent. Nihil autem minùs in perfecto duce, quàm festinationem C temeritatémque conuenire arbitrabatur. Crebrò itaque illa iactabat:

Σπεῦδε βραδέως, &

Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

Et, *Sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene*. Prælium quidē aut bellum suscipiēdum omnino negabat, nisi cùm maior emolumenti spes quàm damni metus ostenderetur. Nam *minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes* aiebat *esse aureo hamo piscantibus: cuius abrupti damnum nulla* D *captura pensare posset*. MAGISTRATVS atque honores, & ante tempus, & quosdam noui generis, perpetuósque cepit. Consulatum xx. ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad vrbem legionibus, missísque qui sibi nomine exercitus deposcerent. Cùm quidem cunctante senatu, Cornelius Centurio, princeps legationis, reiecto sagulo, ostendens gladij capulum, non dubitasset in curia dicere, *Hic faciet, si vos non feceritis*. Secundum consulatum post ix. annos, tertium anno interiecto E gessit: sequentes vsque ad vndecimum continuauit: multísque mox, cùm deferrentur, recusatis, duodecimum magno, id est, septemdecim annorum interuallo, & rursus tertium decimum biennio pòst vltro petiit: vt Caium & Lucium filios amplissimo præditos magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. Quinque medios consulatus à sexto ad vndecimum annuos gessit: cæteros autem sex, aut nouem aut sex aut quatuor aut tribus mensibus: secundum verò, paucissimis F horis. Nam die Kalendarum Ianuarij, cùm mane pro æde Capitolini Iouis paullulum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum. Nec omnes Romæ, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula Samo, octauum, & nonum Tarracone iniit. TRIVMVIRATVM Reip. constituendæ per decem annos administrauit: in quo restitit quidem aliquandiu collegis, ne qua fieret proscriptio: sed inceptam vtroque acerbiùs exercuit. Namque illis in multorum sæpe G personam per gratiam & preces exorabilibus, solus magnopere contendit ne cui parceretur, proscripsitque etiam C. Toranium tutorem suum, eundémque collegam patris sui Octauij in ædilitate. Iunius Saturnius hoc amplius tradit: Cùm peracta proscriptione, M. Lepidus in senatu excusasset præterita, & spem clementiæ in posterum fecisset, quoniam satis pœnarum exactum esset:

A hunc è diuerso professum, ita modum se proscribendi statuisse, vt omnia sibi reliquerit libera: in cuius tamen pertinaciæ pœnitentiam, postea T. Iunium Philopœmenem, quòd patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decorauit. In eadem hac potestate multiplici flagrauit inuidia. Nam & Pinarium equitem R. cùm concionante se, admissa turba paganorū apud milites subscribere quædam animaduertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram se cōfodi B imperauit. Et Tedium Afrum COS. designatum, quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis perterruit minis, vt is se præcipitauerit. Et Q. Gallum prætorem, in officio salutationis, tabulas duplices veste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere: nec quidquam statim ne aliud inueniretur, ausus inquirere, paullo pòst per centuriones & milites raptum è tribunali, seruilem in modum torsit: ac fatentem nihil, iussit occidi, priùs oculis eius sua manu effossis: quem C tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, coniectúmque à se in custodiam, deinde vrbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis periisse. Tribunitiam potestatem perpetuam recepit: in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptauit. Recepit & morum legúmque regimen æque perpetuum: quo iure, quamquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum collega, medium solus.

D De reddenda Rep. bis cogitauit: primò post oppressum statim Antonium, memor obiectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret ne redderetur: ac rursus tædio diuturnæ valetudinis: cùm etiam magistratibus ac senatu domum accitis Rationarium imperij tradidit. Sed reputans, & se priuatum non sine periculo fore, & illam plurium arbitrio temerè committi, in retinenda perseuerauit: dubium euentu meliore an voluntate. Quam voluntatem cùm præ se identidem ferret, quo- E dam etiam edicto his verbis testatus est: *Ita mihi saluam ac sospitem remp. sistere in sua sede liceat, atque eius rei fructum percipere, quem peto, vt optimi status auctor dicar: & moriens, vt feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta Reip. quæ iecero*. Fecitque ipse se compotem voti, nisus omni modo ne quem noui status pœniteret. VRBEM neque pro maiestate imperij ornatam, & inundationibus incendiísque obnoxiam, excoluit adeò, vt iure sit gloriatus, marmoream se relin- F quere, quam latericiam accepisset. Tutam verò, quantum prouideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit. Publica opera plurima exstruxit, ex quibus vel præcipua, Forum cum æde Martis Vltoris: templum Apollinis in Palatio: ædem Tonantis Iouis in Capitolio. Fori exstruendi caussa fuit, hominum & iudiciorum multitudo quæ videbatur, non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque festinantiùs, nec dum perfecta Martis æde, publicatum est, cautúmque vt separatim in eo publica iudicia & sortitiones iu- G dicum fierent. Ædem Marti bello Philippensi pro vltione paterna suscepto vouerat. Sanxit ergo vt de bellis triumphísque heic consuleretur senatus: prouincias cum Imperio petituri, hinc deducerentur: quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent.

Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari à

Deo

Deo, haruspices pronuntiarant. Addita porticus A cum bibliotheca Latina Græcáque: quo loco iam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriásque iudicum recognouit. Tonanti Ioui ædem consecrauit, liberatus periculo, cùm in expeditione Cãtabrica, per nocturnum iter lecticam eius fulgor perstrinxisset, seruúmque prælucentem exanimasset. Quædam etiam opera sub nomine alieno nepotum scilicet & vxoris sororísque, fecit: vt porticum basilicámque Lucij & Caij: item porticus B Liuiæ & Octauiæ, theatrúmque Marcelli. Sed & cæteros principes viros sæpe hortatus est, vt pro facultate quisque monumentis vel nouis, vel refectis & excultis, vrbem adornarent. Multáque à multis exstructa sunt: sicut à Marcio Philippo, ædes Herculis & Musarum: à L. Cornificio, ædes Dianæ: ab Asinio Pollione, atrium Libertatis: à Munatio Planco, ædes Saturni: à Cornelio Balbo, theatrum: à Statilio Tauro, amphitheatrum: à M. verò Agrippa, complura, & C egregia.

Spatium vrbis in regiones vicósque diuisit: instituitque vt illas annui magistratus sortitò tuerentur, hos, magistri è plebe cuiusque viciniæ electi. Aduersus incendia excubias nocturnas, vigilesq; commentus est. Ad coërcẽdas inundationes, alueum Tiberis laxauit, ac repurgauit, completũ olim ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coarctatum. Quò autem faciliùs vndique vrbs aditur, desumpta sibi Flaminia via Ariminotenus mu- D niendа, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas, refecit: eásque & cæteras opulentissimis donis adornauit: vt potè qui in cellam Capitolini Iouis sedecim millia pondo auri, gemmasq; ac margaritas quingenties HS. vna donatione contulerit. POSTQVAM verò pontificatum maximum, quem nunquam viuo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quidquid fatidicorum librorum E Græci Latiniq; generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur, supra duo millia cõtracta vndiq; cremauit: ac solos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Annum à D. Iulio ordinatum, sed postea negligẽtia conturbatum atque cõfusum, rursus ad pristinam rationem redegit: in cuius ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine nuncupauit, magis quàm Septembrem, quo erat natus: quia hoc F sibi & primus consulatus & insignes victoriæ obtigissent. Sacerdotum & numerum & dignitatem, sed & commoda auxit, præcipuè Vestaliũ virginũ. cùmq; in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirẽntque multi ne filias in sortem darent: adiurauit, si cuiusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturũ se fuisse eam. Nónulla etiam ex antiquis cæremoniis paullatim abolita restituit: vt Salutis augurium, Diale flaminiũ, sacrum Lupercale, ludos Seculares & compitalicios. Lupercalibus vetuit currere imberbes: item, Secularibus ludis iuuenes vtriusque sexus prohibuit vllum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum. Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus, & æstiuis. Proximum à Diis immortalibus honorẽ memoriæ ducum præstitit, qui imperium populi R. ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cuiusque, manentibus titulis, restituit: &

statuas omnium triumphali effigie in vtraque Fori sui porticu dedicauit. Professus est edicto, *commentum id se, vt illorum velut ad exemplar & ipse dum viueret, & insequentium ætatum principes exigerentur à ciuibus.* Pompeij quoque statuam contra theatri eius regiam, marmoreo Iano supposuit, translatam è curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.

PLERAQVE pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex consuetudine licentiáque bellorum ciuilium durauerant, aut per pacem etiam exstiterant. Nam & grassatorum plurimi palàm se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui caussa & rapti per agros viatores sine discrimine, liberi, seruique, ergastulis possessorum supprimebantur: & plurimæ factiones, titulo collegij noui, ad nullius non facinoris societatem coibant. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit: ergastula recognouit: collegia præter antiqua & legitima, dissoluit: tabulas veterum ærarij debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam, exussit. Loca in vrbe publica iuris ambigui possessoribus adiudicauit. Diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit: conditione proposita, vt si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret. Ne quod autem maleficium negotiúmve impunitate vel mora elaberetur, xxx. amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodauit. Ad tres iudicum decurias, quartam addixit ex inferiore censu: quæ ducenariorum vocaretur, iudicarétque de leuioribus summis. Iudices à tricesimo ætatis anno allegit: id est, quinquennio maturiùs quàm solebant. At plerisque iudicandi munus detrectantibus, vix concessit vt singulis decuriis per vices annua vacatio esset: & vt solitæ agi Nouembri ac Decembri mense res omitterentur. Ipse ius dixit assiduè, & in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem ius non diligentia modò summa, sed & lenitate: si quidem manifesti parricidij reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogasse: *Certè patrem tuum non occidisti?* & cùm de falso testamento ageretur, omnésque signatores lege Cornelia tenerentur, non tantùm duas tabellas, dãnatoriam & absolutoriã, simul cognoscentibus dedit: sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis quos fraude ad signandum, vel errore inductos, constitisset. Appellationes quotannis vrbanorum quidem litigatorum prætori delegauit vrbano: at prouincialium consularibus viris, quos singulos cuiusque prouinciæ negotiis præposuisset. Leges retractauit, & quasdã ex integro sanxit: vt sumtuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc cùm aliquanto quàm cæteras seueriùs emendasset, præ G tumultu recusantium perferre non potuit: nisi ademptа lenitate parte pœnarum: & vacatione triennij data, auctisque præmiis. Sic quoque abolitionem eius, publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos, receptósque partim ad se, partim in patris gremium ostentauit: manu vultúque significans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum. Cúmque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi

sentire, tempus sponsas habendi coarctauit: diuortiis modum imposuit. Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat) ad modum pristinum & splendorem redegit, duabus lectionibus: prima, ipsorum arbitratu, quo vir virum legit: secunda, suo & Agrippæ. quo tempore existimatur lorica sub veste munitus, ferróque cinctus præsedisse, decem valentissimis senatorij ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam senatorum, nisi solum, & prætentato sinu. Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit: seruauitque etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandíq; publicè ius. Quo autem lecti probatique & religiosiùs & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit vt priùs quam consideret quisque, thure ac mero supplicaret apud arã eius dei in cuius tẽplo coiretur: & ne plus quàm bis in mense legitimus senatus ageretur, Kalendis & Idibus: néve Septẽbri Octobrive mense vllos adesse alios necesse esset, quàm sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent: sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis antè tractaret. Sententias de maiore negotio, non more, atque ordine, sed prout libuisset, prærogabat: vt perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis quàm assentiendum esset. Auctor & aliarum rerum fuit; in queis, ne acta senatus publicarentur: ne magistratus deposito honore statim in prouincias mitterentur: vt proconsulibus ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur: vt cura ærarij à quæstoribus vrbanis ad prætorios prætorésve transiret: vt centumuiralem hastam, quam quæstura functi consueuerant cogere, decemuiri cogerent. Quóque plures partem administrandæ Reip. caperent, noua officia excogitauit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidundi, præfecturam vrbis, Triumuiratum legẽdi senatus, & alterũ recognoscendi turmas equitum, quotiescunq; opus esset. Censores creari desitos longo interuallo creauit, numerum prætorũ auxit. Exegit etiam, vt quoties consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, satis maiestatem eius imminui, quòd honorem eũ nõ solus, sed cum altero gereret. Nec parcior in bellica virtute honoranda, super xxx. ducibus iustos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit. Liberis senatorum, quò celeriùs Reip. assuescerẽt, protinus virilem togam, latum clauum induere, & curiæ interesse permisit: militiámq; auspicantibus, nõ tribunatum modò legionũ, sed & præfecturas alarũ dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlauios præposuit singulis alis. Equitum turmas frequenter recognouit, post longam intercapedinem reducto more transuectionis. Sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accusatore passus est: quod fieri solebat: & senio vel aliqua corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum quoties citarentur, pedibus venire. mox reddendi equi gratiam fecit, eis qui maiores annorum quinque & triginta re-

A tinere eum nollent. Impetratisque à senatu decem adiutoribus, vnumquemque equitum rationem vitæ reddere coëgit: atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notauit: plures admonitione, sed varia. Leuissimum genus admonitionis fuit: traditio coràm pugillarium, quos taciti, & ibidem statim legerent. Notauitque aliquos, quòd pecunias leuioribus vsuris mutuati, grauiore fœnore collocassent. Comitiis tribunitiis si deessent candidati, senatores ex equitibus Romanis creauit: B ita vt potestate transacta, in vtro vellent ordine, manerent. Cùm autem plerique equitum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis pronuntiauit, non teneri ea quibus ipsis parentibúsve equester census vnquam fuisset. Populi recensum vicatim egit, ac ne plebs frumentationum caussa frequentius à negotiis auocaretur, ter in annum quaternũm mensium tesseras dare destinauit: sed desideranti consuetu- C dinem veterem concessit rursus, vt sui quisque mensis acciperet. Comitiorum quoque pristinum ius reduxit: ac multiplici pœna coërcito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummûm à se diuidebat. Magni præterea existimans, sincerum, atque ab omni colluuione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum: & ciuitatem Romanam parcissimè dedit, & manumittendi mo- D dum terminauit. Tiberio pro cliente Græco petenti rescripsit, *Non aliter se daturum, quàm si præsens sibi persuasisset, quàm iustas petendi caussas haberet.* Et Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti, ciuitatem negauit, immunitatem obtulit: affirmans, *Se faciliùs passurum fisco detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ vulgari honorem.* Seruos non contentus multis difficultatibus à libertate, & multo pluribus à libertate iusta, remouisse: cùm & de numero & de conditio- E ne ac differentia eorum qui manumitterentur, curiosè cauisset, hoc quoque adiecit, ne vinctus vnquam tortúsve quis, vllo libertatis genere ciuitatem adipisceretur. Etiam habitum vestitúmque pristinum reducere studuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans: *En ait,*

Romanos rerum dominos, gentémque togatam,

Negotiũ ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in Foro Circóve, nisi positis lacernis, to- F gatum consistere. LIBERALITATEM omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit. Nam & inuecta vrbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, vt fœnore diminuto, plurimum agrorum pretiis accesserit. Et postea quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, vsum eius gratuitum iis qui cauere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Senatorum cẽsum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxa- G uit, suppleuitque non habentibus. Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersæ fere summæ: modò quadringenos, modò tricenos: nonnumquàm ducenos quinquagenósque nummos. ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis nonnisi ab vndecimo ætatis anno accipere consuessent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe leuissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserásque nummarias.

numinarias duplicauit. Sed vt salubrem magis quàm ambitiosum principem scires, querentem de inopia & caritate vini populum, seuerissima co[illegible]uit voce. *Satis prouisum a genero suo Agrippa, p[illegible]n tis pluribus aquis ne homines sitirent.* Ei[illegible]d[illegible] populo promissum quidem congiarium rep[illegible], *Bonæ se fidei esse respondit*: non promissum autem flagitanti, turpitudinem & impudent[illegible] edicto exprobrauit: affirmauitque, non daturum [illegible], quamuis dare destinarat. Nec minore grauitate atque constantia, cùm proposito congiario multos manumissos, insertósque ciuium numero, comperisset, negauit accepturos quibus prom[illegible]um non esset: cæterisque minus quàm promiserat, dedit, vt destinata summa sufficeret. Magna verò quondam sterilitate, ac difficili rem[illegible] venalicias & lanistarum familias, peregrin[illegible]que omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque seruitiorum, vrbe expulisset, vt tandem annona conualuit, *impetum se cepisse scribit [illegible] frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: [illegible]que tamen perseuerasse, quia certum haberet posse per a[illegible]tionem quandoque restitui.* At[illegible] post hanc rem temperauit, vt non mino[illegible] ar[illegible]orum, ac negotiantium, quàm pop[illegible] ra[illegible] dedi[illegible]ret. SPECTACVLORVM & assiduitate & varietate atque magnificentia, omnes ante[illegible]t. Fecisse ludos se ait suo nomine quater, [illegible] pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicie[illegible]. Fecitque nonnunquam vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum his[illegible] nô [illegible] foro modò, nec Amphitheatro, sed [illegible] in Septis, & aliquando nihil præ[illegible]in edidit. Athletas exstructis in [illegible]po [illegible]o sedilibus ligneis: item n[illegible] præ[illegible]lium [illegible] Tiberim cauato solo: in qu[illegible] [illegible] est. Quibus diebus custodes in vrbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obno[illegible] esset. In circo aurigas cursores[illegible]que & con[illegible]ratum, & nonnunquam e[illegible] nobilissima iuuentute, produxit. Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè, maiorum minorúmque puerorum delectu: prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem lap[illegible]tatum, aureo torque donauit: passúsque est ipsum posterósque Torquati ferre cognomen. Mox fin[illegible] fecit talia edendi, Asinio Pollione ora[illegible]e grauiter inuidiosèque in curia quest[illegible] Æ[illegible]ninum nepotis sui casum, qui & ipse crus [illegible]. Ad scenicas quoque & gladiatorias [illegible], etiam equitibus Romanis aliquando [illegible]st: verùm priùs quàm senatusconsulto [illegible]di[illegible]eretur. Postea nihil sanè, præterq[illegible] [illegible]olesc[illegible] [illegible]m Lucium honestè natum, exhib[illegible] tantùm [illegible]stenderet, quòd erat bipedali[illegible] librarum [illegible]tendecim, ac vocis immen[illegible]. Q[illegible]dam autem muneris die, Parthorum ob[illegible] tunc primum missos, per arenam me[illegible] spectaculum induxit, superque se subsel[illegible] [illegible]do collocauit. Solebat etiam citra spe[illegible] dies, si quando quid inusitatum dignumque [illegible]gnitu aduectum esset, [illegible] extra ordin[illegible] qu[illegible] loco publicare: vt rhinocerotem, a[illegible] Septa: tigrim in scena: anguem quinquagin[illegible]bit[illegible], pro omitio. Accidit votiuis circensibus, vt correptus valetudine, lectica cubans, thensas d[illegible]uceret: rursus commissione lu-

A dorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, euenit vt laxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, cùm consternatum ruinæ metu populum retinere, & confirmare nullo modo posset, transiit è loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maximè erat.

Spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinauitque, motus iniuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos con- B sessu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, vt quoties quid spectandum vsquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus: Romæ legatos liberarum sociarúmque gentium vetuit in orchestra considere: cùm quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem secreuit à populo. Maritis è plebe proprios ordines assignauit: prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis: sanxitque ne quis pullatorum media cauea sede- C ret. Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal, dedit. Athletarum verò spectaculo muliebrem sexum omnem adeò submouit, vt Pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus: edixeritque, *Mulieres ante horam quintam* D *venirent in theatrum, non placere.* Ipse Circenses ex amicorum ferè libertorúmque cœnaculis spectabat, interdum è puluinari, & quidem cum coniuge ac liberis sedens, spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat: petita venia, commendatísque qui suam vicem præsidendo fungerentur. Verùm quoties adesset, nihil prætereà agebat: seu vitandi rumoris caussa, quo patrem Cæsarem vulgò reprehensum commemorabat, quòd inter spectandum, epistolis, libellísque legendis, ac rescribendis vacaret: seu studio spe- E ctandi, ac voluptate, qua teneri se neque dissimulauit vnquam, & sæpe ingenuè professus est. Itaque corollaria & præmia alienis, quoque muneribus ac ludis & crebra & grandia de suo offerebat: nullíque Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honorauerit. Spectauit autem studiosissimè pugiles, & maximè Latinos: non legitimos atque ordinarios modò, quos etiam committere cum Græcis solebat: sed & cateruarios oppidanos inter angustias F vicorum pugnantes temere ac sine arte. Vniuersum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conseruauit priuilegia, & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, magistratibus in omni tempore & loco, lege vetere, permissam, ademit: præterquam ludos & scenam. Nec tamen eo minus aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas seuerissimè semper exegit. Nã histrionum li- G centiã adeò compescuit, vt Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circũtonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis cæsum relegauerit: Hylam pantomimum, querente prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberauerit: & Pyladem vrbe atq; Italia submouerit, quòd spectatorem, à quo exsibilabatur, demonstrasset digito, conspicuumque fecisset. Ad hunc modum vrbe vrbanísq; rebus ad-

ministratis, ITALIAM duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentauit, operibúsque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam iure ac dignatione vrbi quodam modo pro parte aliqua adæquauit: excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus vrbicis decuriones colonici, in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Ac necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentis etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat: aut iis qui è plebe regiones sibi reuisenti filios filiásve approbarent, singula nummorum millia pro singulis diuidebat. PROVINCIAS validiores, & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile tutum erat, ipse suscepit: cæteras proconsulibus sortitò permisit: & tamen nonnullas commutauit interdum, atque ex vtroque genere plerasque sæpius adiit. Vrbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate priuauit: alias, aut ære alieno laborantes leuauit, aut terræ motu subuersas denuò condidit, aut merita erga Pop. Rom. allegantes, Latinitate, vel ciuitate, donauit. Nō est, vt opinor, prouincia, excepta duntaxat Africa & Sardinia, quam non adierit. In has fugato Sexto Pompeio, traiicere ex Sicilia apparantem, continuæ & immodicæ tempestates inhibuerunt, nec mox occasio aut caussa traiiciendi fuit. REGNA, quibus belli iure potitus est, præter pauca, aut iisdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. Reges socios etiam inter semetipsos necessitudinibus mutuis iunxit: promptissimus affinitatis cuiusque atque amicitiæ conciliator & fautor: nec aliter vniuersos, quàm membra partésque imperij, curæ habuit. Rectorem quoque solitus est apponere ætate paruis, ac mente lapsis, donec adolescerent aut resipiscerent: ac plurimorum liberos & educauit simul cum suis & instituit.

EX MILITARIBVS COPIIS legiones & auxilia prouinciatim distribuit: classem Miseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi & inferi maris, collocauit. Certum numerum partim in vrbis, partim in sui custodiam allegit: dimissa Calagurritanorum manu, quam vsque ad deuictum Antonium: item Germanorum, quam vsque ad cladem Varianam, inter armigeros circa se habuerat. Neque tamen vnquam plures quàm tres cohortes in vrbe esse passus est, eásque sine castris, reliquas in hiberna & æstiua, circa finitima oppida dimittere assuerat. Quidquid autem vbique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorúmque formulam adstrinxit: definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum: ne aut ætate aut inopia post missionem solicitari ad res nouas possent. Vtque perpetuò ac sine difficultate sumtus ad tuendos eos prosequendósque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Et quò celeriùs, ac sub manum annuntiari cognoscíque posset, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit: commodius id visum est, vt qui à loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigerēt, possent. In diplomatibus, libellisq; & epistolis signandis, initio Sphinge vsus est: mox imagine Magni Alexandri: nouissimè sua, Dioscoridis manu sculpta, qua signare insecuti quoq; principes perseuerauerunt. Ad epistolas omnes horarum quoque momenta nec diei modò, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat. Clementiæ ciuilitatísque eius multa & magna documenta sunt: Ne enumerem quot & quos diuersarum partium, venia & incolumitate donatos, principem etiam in ciuitate locum tenere passus sit: Iunium Nouatum, & Cassium Patauinum, è plebe homines, alterum pecunia, alterum leui exilio punire satis habuit: cùm ille Agrippæ iuuenis nomine, asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset: hic conuiuio pleno proclamasset, *Neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum.* Quadam verò cognitione, cùm Æmilio Æliano Cordubensi inter cætera crimina vel maximè obiiceretur, quòd malè opinari de Cæsare soleret, conuersus ad accusatorem commotóque similis: *Velim*, inquit, *hoc mihi probes: faciam, sciat Ælianus & me linguam habere: plura enim de eo loquar.* Nec quidquam vltra, aut statim aut postea inquisiuit. Tiberio quoque de eadem re sedulò violentiùs apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: *Aetati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quemquam esse qui de me malè loquatur. Satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.* Templa quamuis sciret etiam proconsulibus decerni solere: in nulla tamen prouincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit: nam in vrbe quidem pertinacissimè abstinuit hoc honore. Atque etiam argenteas statuas olim sibi positas conflauit omnes: éxque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicauit. Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est: Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo, *O dominum æquum & bonum*: & vniuersi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent: & statim manu vultúque indecoras adulationes repressit: & insequenti die grauissimo corripuit edicto, *dominúmq;* se post hac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò vel ioco, passus est. atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temerè vrbe oppidóve vllo egressus, aut quoquā ingressus est, nisi vespere aut noctu: ne quem officij caussa inquietaret. In consulatu, pedibus ferè: extra consulatum, sæpe adoperta sella per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, *quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.* Die senatus numquam patres nisi in curia salutauit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente: & discedens eo modo sedentibus singulis valedicebat. Officia cum multis mutuò exercuit: nec priùs dies cuiusque solemnes frequentare desiit, quàm grandior iam natu, & in turba quondam sponsaliorum die vexatus. Gallum Terrinium senatorem, minùs sibi familiarem, sed captum repente oculis, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando reuocauit ad vitam. In senatu verba facienti dictum est, *Non intellexi*: & ab alio, *Contradicerem tibi si locum haberem.* Interdum ob immodicas altercationes disceptantium e curia per iram se proripienti quidam ingesserunt, *Licere oportere senatoribus de Rep. loqui.* Antistius Labeo senatus

senatus lectione, cùm vir virum legeret, M. Lepidum, hostem olim eius, & tunc exsulantem, legit: interrogauitq; ab eo, *an essent alij digniores, Suum quemque iudicium habere* respondit. Nec ideò libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

Etiam sparsos de se in curia famosos libellos, nec expauit, & magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modò censuit, cognoscendum posthac de iis qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant. Iocis quoque quorumdam inuidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia, ne senatus quidquam constitueret, intercessit. Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat: supplicabátque more solemni. Ferebat & ipse suffragium in tribu, vt vnus è populo. Testem se in iudiciis & interrogari & refelli æquissimo animo patiebatur. Forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos. Numquam filios suos populo commendauit, vt non adiiceret, *Si merebuntur.* Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab vniuersis in theatro, & à stantibus plausum, grauissimè questus est. Amicos ita magnos & potentes in ciuitate esse voluit, vt tamen pari iure essent quo cæteri, legibúsque iudiciariis æquè tenerentur. Cùm Asprenas Nonius arctius ei iunctus ei iunctus, caussam veneficij, accusante Cassio Seuero, diceret: consuluit senatum quid officij sui putaret: *Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum: sin deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur.* Et consentientibus vniuersis, sedit in subselliis per aliquot horas: verum tacitus, ac ne laudatione quidem iudiciali data. Affuit & clientibus: sicut Scutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum. Vnum omnino è reorum numero, ac ne eum quidem, nisi precibus, eripuit, exorato coram iudicibus accusatore, Castricium, per quem de coniuratione Murenæ cognouerat. PRO QVIBVS meritis quantoperè dilectus sit, facile est æstimare. Omitto senatusconsulta, quæ possunt videri vel necessitate expressa, vel verecundia. Equites Romani natalem eius sponte atque consensu, biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtij quotannis ex voto pro salute eius stipem iaciebant: item Kalendis Ianuariis strenam in Capitolio, etiam absenti: ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat: vt Apollinem Sandaliarium, & Iouem Tragœdum, aliáque in restitutionem Palatinæ domus incendio absumtæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam sigillatim è cætero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt: delibante tantummodo eo summarum aceruos, neque ex quoquam plus denario auferente. Reuertentem ex prouincia, non solùm faustis ominibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur. Obseruatum etiam est, ne quoties introiret vrbem, supplicium de quoquã sumeretur.

Patris patriæ cognomen vniuersi repentino maximóque consensu detulerunt ei. Prima plebs, legatione Antium missa: dein quia non recipiebat, ineunti Romæ spectacula frequens & laureata: mox in curia senatus: neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messallam id mandantibus cunctis: *Quod bonum,* inquit, *faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste (sic enim nos per-*

A *petuam felicitatem Reip. & læta huic precari existimamus) Sen. te consentiens cum pop. R. consalutat PATRIAE PATREM.* Cui lacrymans respondit Augustus, his verbis (ipsa enim sicut Messallæ, posui) *Compos factus votorum meorum, Patres C. quid habeo aliud deos immortales precari, quàm vt hunc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat?* Medico Antonio Musæ, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, statuam, ære collato, iuxta signum Æsculapij statuerunt. Nõ

B nulli patrumfamiliarum testamento cauerunt, vt ab heredibus suis, prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, votúmq; pro se solueretur, *QVOD SVPERSTITEM AVGVSTVM RELIQVISSENT.* Quædam Italiæ ciuitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt. Prouinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales pæne oppidatim constituerunt. Reges amici atque socij, & singuli in suo quisque regno, Cæsareas vrbes con-

C diderunt: & cuncti simul, ædem Iouis Olympici Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi sumtu destinauerunt, Geniòque eius dedicare: ac sæpe relictis, non Romæ modò, sed prouincias peragranti, quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientium præstiterunt.

QVONIAM qualis in imperiis ac magistratibus, regendáque per terrarũ orbem pace bellóque Rep. fuerit, exposui: referam nunc interiorem ac familiarem eius vitam: quibúsque moribus atque

D fortuna domi & inter suos egerit, à iuuenta vsque ad supremum vitæ diem. Matrem amisit in primo consulatu: sororem Octauiam, quinquagesimum & quartum agens ætatis annum. Vtrique cùm præcipua officia viuæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit.

Sponsam habuerat adolescens P. Seruilij Isaurici filiam: sed reconciliatus post primam discordiam Antonio, & postulantibus vtriusque militibus, vt & necessitudine aliqua iungerentur, priui-

E gnam eius Claudiam, Fuluiæ ex P. Clodio filiam, duxit vxorem, vix dum nubilem. Ac simultate cũ Fuluia socru exorta, dimisit intactã adhuc, & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam antè duobus consularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam diuortium fecit, pertæsus, vt scribit, morum peruersitatem eius: ac statim Liuiam Drusillam matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque & probauit vnicè ac perseueranter. Ex

F Scribonia Iuliam, ex Liuia nihil liberorum tulit, cùm maximè cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus. Iuliam primùm Marcello, Octauiæ sororis suæ filio, tantum quòd pueritiam egresso: deinde vt is obiit, M. Agrippæ nuptũ dedit: exorata sorore vt sibi genero cederet. Nam tunc Agrippa alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos. Hoc quoque defuncto, multis, ac diu, etiã ex equestri ordine, circumspectis conditionibus, Tiberium priuignum suum elegit: coégítque præ-

G gnantem vxorem, & ex qua iam pater erat, dimittere. M. Antonius scribit, *Primum eum Antonio filio suo despondisse Iuliam: dein Cotisoni Getarum regi: quo tempore sibi quoque inuicem filiam regis in matrimoniũ petisset.* Nepotes ex Agrippa & Iulia tres habuit, Caium, Lucium, & Agrippam: neptes duas, Iuliam & Agrippinam. Iuliam L. Paullo Censoris filio, Agrippinam Germanico sororis suæ nepoti collocauit. Caium & Lucium adoptauit

domi, per assem & libram emtos à patre Agrippa: tenerósque adhuc ad curam Reip. admouit: & cósules designatos circum prouincias exercitúsque dimisit. Filiam & neptes ita instituit, vt etiam lanificio assuefaceret: vetarétq; loqui, aut agere quidquam, nisi propalam, & quòd in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cœtu adeò prohibuit, vt L. Tucinio, claro decoróque iuueni, scripserit quondam, *Parum modestè fecisse eum, quòd filiam suam Baias salutatum venisset.* Nepotes, & litteras & natare rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æquè laborauit: quàm vt imitarentur chirographum suum. Neque cœnauit vnà, nisi vt in imo lecto assiderent: neque iter fecit, nisi vt vehiculo anteirent aut circà adequitarent. Sed lætum eum atque fidentem & sobole & disciplina domus, Fortuna destituit. Iulias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegauit. Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos: Caio, in Lycia: Lucio, Massiliæ, defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simúlque priuignum Tiberium adoptauit in foro, lege Curiata. Ex quibus Agrippam, breui, ob ingenium sordidum ac ferox abdicauit, sepósuitque Surrentum. Aliquanto autem patientiùs mortem quàm dedecora suorum tulit. Nam Caij Luciique casu nó adeò fractus, de filia, absens, ac libello per quæstorem recitato, notum senatui fecit: abstinuitque congressu hominum diu, præ pudore, etiam de necanda deliberauit. Certè cùm sub idem tempus vna ex cósciis liberta, Phœbe nomine, suspendio vitam finisset: *Maluisse se*, ait, *Phœbes patrem fuisse.* Relegatæ vsum vini, omnémque delicatiorem cultum ademit: neque adiri à quopiam libero, seruóve, nisi se cósulto, permisit: & ita vt certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. Pòst quinquennium demum ex insula in continentem, lenioribúsque paullo conditionibus, transtulit eam: nã vt omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit: deprecanti sæpe populo Rom. & pertinaciùs instanti, *tales filias talésque coniuges* pro concione imprecatus est. Ex nepte Iulia, post damnationem, editum infantem agnosci, alique vetuit. Agrippam nihilò tractibiliorem, immò in dies amentiorem, in insulam transportauit, sepsítque insuper custodia militum. Cauit etiam senatusconsulto, vt eodem loci in perpetuum contineretur: atque ad omnem & eius & Iuliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat,

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

nec aliter illos appellare quàm *treis vomicas*, aut *tria carcinomata sua.*

Amicitias neque facilè admisit, & constantissimè retinuit: non tantùm virtutes ac merita cuiusque dignè prosecutus, sed vitia quoque & delicta dumtaxat modica perpessus. Neque enim temerè, ex omni numero, in amicitia eius afflicti reperientur, præter Saluidienum Rufum, quem ad consulatum vsq;, & Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Ægypti, ex infima vtrumque fortuna, prouexerat. Quorum alterum res nouas molientem, damnandum senatui tradidit: alteri ob ingratum & maleuolum animum domo & prouincijs suis interdixit. Sed Gallo quoq; & accusatorum denuntiationibus & senatusconsultis ad necem compulso, laudauit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: cæterùm & illacry-

A mauit, & vicem suam conquestus est, *quòd sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet irasci.* Reliqui potentia atque opibus ad finem vitæ suæ cuiusque ordinis principes floruerunt: quamquam & offensis interuenientibus. Desiderauit enim nonnumquam, ne de pluribus referam, & M. Agrippæ patientiam, & Mæcenatis taciturnitatem: cùm ille ex leui rigoris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus

B contulisset: hic secretum de comperta Murenæ coniuratione, vxori Terentiæ prodidisset. Exegit & ipse inuicem ab amicis beneuolentiam mutuã, tam à defunctis quàm à viuis. Nam quamuis minimè appeteret hereditates, vt qui numquam ex ignoti testamento capere quidquam sustinuerit: amicorum tamẽ suprema iudicia morosissimè pensitauit, neq; dolore dissimulato, si parciùs, aut citra honorem verborum: neque gaudio, si gratè piéque quis se prosecutus fuisset. Legata, vel par-

C tes hereditatum à quibuscumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere consueuerat. Patronus dominúsque non minus seuerus, quàm facilis & clemens, multos libertorum in honore & vsu maximo habuit: vt Licinium Enceladum, aliósque, Cosmum seruum grauissimè de se opinantem, nó vltrà quàm cópedibus coercuit. Dio-

D medem dispensatorem, à quo, simul ambulãte, incurrenti repentè fero apro per metum obiectus est, maluit timiditatis arguere quàm noxæ: rémq; non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in iocum vertit. Idem Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit, compertum adulterare matronas. Thallo à manu, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit. Pædagogum ministrósque Caij filij, per occasionem valetudinis mortisq; eius superbè auaréq; in prouincia grassantes, oneratis graui pondere ceruici-

E bus, præcipitauit in flumen. Prima iuuenta variorum dedecorum infamiam subiit. Sex. Pompeius vt effœminatum insectatus est. M. Antonius adoptionem auunculi stupro meritum. Item Lucius Marci frater, quasi pudicitiam delibatam à Cæsare, A. etiam Hirtio in Hispania ccc. millibus nummûm substrauerit: solitúsque sit crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Sed & populus quondam vniuersus ludorum die, &

F accepit in contumeliam eius, & assensu maximo comprobauit versum in scena pronunciatum de Gallo matris Deûm tympanizante,

Videśne vt cinædus orbem digito temperet?

Adulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant: excusantes sanè non libidine, sed ratione commissa: quò faciliùs consilia aduersariorum per cuiusque mulieres exquireret. M. Antonius super festinatas Liuiæ nuptias obiecit, & fœminam consularem è triclinio viri coràm in cubiculum abductam, rursus in conuiuium

G rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam: & dimissam Scriboniam, quia liberiùs doluisset nimiam potentiam pellicis: & conditiones quæsitas per amicos, qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tamquam Thoranio mangone vendente. Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, nec dum planè inimicus, aut hostis. *Quid te mutauit? quòd reginam ineo? vxor mea est. Nunc cœpi, an abhinc annos nouem?*

nouem, tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas vti tu hanc epistolam cùm leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Saluiam Titisceniam, aut omnes. Anne refert vbi & in quam arrigas? COENA quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur: in qua deorum dearúmque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modò epistolæ singulorum nomina amarissimè annumerantis, exprobrant, sed & sine auctore notissimi versus,

Cùm primùm istorum conduxit mensa choragum,
Séxque deos vidit Mallia, séxque deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc Numina declinarunt:
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tunc in ciuitate pænuria ac fames. Acclamatúmque est postridie, *frumentum omne deos comedisse: & Cæsarem esse planè Apollinem, sed Tortorem.* quo cognomine is Deus quadam in parte vrbis colebatur. Notatus est vt pretiosæ suppellectilis Corinthiorúmq; præcupidus, & aleæ indulgens. Nam & proscriptionis tempore ad statuam eius adscriptum est,

Pater argentarius, ego Corinthiarius.

cùm existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Et deinde bello Siciliensi epigramma vulgatum est,

Postquam bis classe victus naues perdidit,
Aliquando vt vincat, ludit assiduè aleam.

Ex quibus siue criminibus siue maledictis, infamiam impudicitiæ facillimè refutauit & præsentis & posteræ vitæ castitate. Item lautitiarum inuidiam, cùm & Alexandria capta, nihil sibi præter vnum murrhinum calicem, & instrumento regio, retinuerit: & mox vasa aurea assiduissimi vsus conflauerit omnia. Circa libidines hæsit: postea quoque, vt ferũt, ad vitiandas virgines promtior, quæ sibi vndiq; etiam ab vxore conquirerentur. Aleæ rumorem nullo modo expauit: lusitque simpliciter & palàm oblectamenti caussa etiã senex: ac præterquam Decembri mense, aliis quoque festis profestísque diebus. Nec id dubium est, autographa quadam epistola, *Cœnaui*, ait, *mi Tiberi cum iisdem. Accesserunt conuiuæ Vinicius & Silius pater. Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim iactatis, vt quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuersos qui Venerem iecerat.* Et rursus aliis litteris, *Nos, mi Tiberi, Quinquatrius satis iucundè egimus. Lusimus enim per omnes dies, forúmque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimẽtis præter spem paullatim retractus est. Ego perdidi viginti millia nummûm, meo nomine: sed cùm effusè in lusu liberalis fuissem, vt soleo plerumque. Nã si quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donaui, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet.* Scribit ad filiam, *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis conuiuis dederam: si vellent inter se inter cœnam vel talis vel par impar ludere.* In cæteris partibus vitæ continentissimum fuisse constat, ac sine suspicione vllius vitij. Habitauit primò iuxta Romanum fo-A rum supra Scalas anularias, in domo quæ Calui oratoris fuerat: postea in Palatio: sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate neque cultu conspicuis: vt in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, & sine marmore vllo, aut insigni pauimento conclauia. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme & æstate mansit: quamuis parum salubrem valetudini suæ vrbem hieme experiretur, B assiduéque in vrbe hiemaret. Si quando quid secretò aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τεχνόφυον vocabat: huc transibat, aut in alicuius libertinorum suburbanum: æger autem in domo Mæcenatis cubabat. Ex secessibus præcipuè frequentauit maritima, insulásque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, Lanuuiũ, Præneste, Tibur: vbi etiam in porticibus Herculis templi persæpe ius dixit. Ampla & operosa prætoria grauabatur. C Et neptis quidem suæ Iuliæ, profusè ab ea extructa, etiam diruit ad solum: sua verò quamuis modica, non tam statuarum tabularúmque pictarum ornatu, quàm xystis & nemoribus excoluit, rebúsque vetustate ac raritate notabilibus: qualia sunt Capreis immanium belluarum ferarúmq; membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, & arma Heroum. Instrumenti eius & suppellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix priuatæ elegan-D tiæ sunt. Ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili & modicè instrato. Veste non temerè alia quàm domestica vsus est, ab vxore & sorore & filia neptibúsq; confecta: togis neque restrictis neque fusis clauo, nec lato nec angusto: calceamentis altiusculis, vt procerior quàm erat, videretur. Et forensia autem, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinósque casus parata. Conuiuabatur & assiduè, nec vnquam nisi recta: non sine magno ordinum hominúmq; E delectu. Valerius Messalla tradit, neminem vnquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, post proditam Sex. Pompeij classem. Ipse scribit inuitasse se quendam, in cuius villa maneret, qui speculator suus olim fuisset. Conuiuia nonnunquam & seriùs inibat, & maturiùs relinquebat: cùm conuiuæ & cœnare inciperent priùs quàm ille discumberet, & permanerent digresso eo. Cœnam trinis ferculis, aut cùm abundantissimè senis, præbebat, F vt non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes vel submissim fabulantes prouocabat, & aut acroamata, & histriones, aut etiam triuiales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos. Festos & solennes dies profusissimè, nonnunquam ioculariter tantùm celebrabat. Saturnalibus, & si quando aliàs libuisset, modò munera diuidebat, vestem & aurum, & argentum: modò nummos o-G mnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos: interdum nihil præter cilicia & spongias, & rutabula & forpices, atque alia id genus, titulis obscuris & ambiguis. Solebat & inæqualissimarum rerum sortes, & auersas tabularũ pictuas in cõuiuio vẽditare: incertóq; casu spẽ mercãtiũ vel frustrari vel explere: ita vt per singulos lectos licitatio fieret, & seu iactura seu lucrũ cõmunicaretur.

Cibi (nam ne hoc quidem omiserim) minimi erat atque vulgaris ferè. Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu

pressum, & ficos virides bifetas maximè appetebat: vescebatúrque & ante cœnam, quocumque tempore & loco, quo stomachus desiderasset. Verba ipsius ex epistolis sunt, *Nos in essedo panem & palmulas gustauimus*, Et iterum; *Dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi.* Et rursus, *Ne Iudaus quidē, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium seruat quàm ego hodie seruaui: qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducaui prius quàm vngui inciperem.* Ex hac obseruantia nonnunquam vel ante initium vel post dimissum conuiuium solus cœnitabat, cùm pleno conuiuio nihil tangeret. Vini quoq; natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super cœnā in castris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit. Postea, quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit, aut si excessisset, reijciebat. Et maximè delectatus est Rhætico, neque temerè interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, vel lactucula thyrsum, aut recens acidúmve pomum succi vinosioris. Post cibum meridianum, ita vt vestitus calceatúsque erat, tectis pedibus paullisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non ampliùs, cùm plurimum, quàm septem horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, sed vt in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare, vt euenit, nō posset: lectoribus, aut fabulatoribus arcessitis, resumebat, producebátq; vltra primam sæpe lucem. Nec in tenebris vigilauit vmquā, nisi assidente aliquo. Matutina vigilia offendebatur: ac si vel officij vel sacri caussā maturiùs euigilandum esset, ne id cōtra commodum faceret, in proximo cuiuscumque domesticorum cœnaculo manebat. Sic quoq; sæpe indigēs somni, & dum per vicos deportaretur, & deposita lectica inter aliquas moras condormiebat. FORMA fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima, quamquā & omnis lenocinij negligens, & in capite comendo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operam daret: ac modò tonderet, modò raderet barbam: eóque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat, vel in sermone vel tacitus, adeò tranquillo serenóq; vt quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quò minùs, vt destinarat, in transitu Alpium per simulationē colloquij propius admissus, in præcipitiū propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiā existimari volebat inesse quiddā diuini vigoris; gaudebátque, si quis sibi acriùs contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret: sed in senecta sinistro minùs vidit. Dentes raros & exiguos, & scabros: capillum leuiter inflexum & subflauum, supercilia coniuncta, mediocres aures: nasum & à summo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem inter aquilum cādidúmque: staturam breuem: (quam tamen Iulius Marathus libertus etiam in memoriam eius quinque pedum & dodrantis fuisse tradit:) sed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur: vt nonnisi ex comparatione adstantis alicuius procerioris intelligi posset. Corpore traditur maculoso, dispersis

A per pectus atque aluum genitiuis notis, in modum & ordinem ac numerum stellarum cælestis Vrsæ: sed & callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduóque & vehementi strigilis vsu, plurifariam concretis, ad impetiginis formam. Coxendice, & femore, & crure sinistro, non perinde valebat, vt sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio arenarum atque arundinum cōfirmabatur. Dextræ quoque manus digitum salutarem, tam imbe-
B cillum interdum sentiebat, vt torpentem contractúmque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturæ admoneret. Questus est & de vesica, cuius dolore, calculis demum per vrinam eiectis, leuabatur. Graues & periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est: præcipuè Cantabria domita, cùm etiam distillationibus iecinore vitiato, ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi necessariò subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis cu-
C rari coactus: auctore Antonio Musa. Quasdam & anniuersarias, ac tempore certo recurrentes, experiebatur. Nam sub natalem suum plerumque languebat: & initio veris præcordiorum inflatione tentabatur: austrinis autē tēpestatibus, grauedine. Quare quassato corpore, neque frigora neq; æstus facilè tolerabat. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & subuculæ thorace laneo, & feminalibus, & tibialibus muniebatur: æstate apertis cu-
D biculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua, atque etiam vētilante aliquo, cubabat. Solis verò ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub diuo spatiabatur. Itinera lectica, & noctibus ferè, eàque lenta ac minuta faciebat, vt Præneste vel Tibur biduo procederet. Ac si quo peruenire mari posset, potius nauigabat. Verùm tantam infirmitatem magna cura tuebatur, in primis lauandi raritate. Vngebatur etiam sæpius, & sudabat ad flammam: deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta. At
E quoties neruorum caussa, marinis, Albulísque calidis vtendum esset, contentus hoc erat, vt insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ad pedes alternis iactaret. Exercitationes campestres equorum & armorum statim post ciuilia bella omisit: & ad pilam primò folliculúmque transiit: mox nihil aliud quàm vectabatur & deambulabat: ita vt in extremis spatiis subsultim decurreret, sestertio vel lo-
F dicula inuolutus. Animi laxandi caussa, modò piscabatur hamo: modò talis, aut ocellatis, nucibúsque ludebat cū pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat, præcipuè Mauros & Syros. Nam pumilios, atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturę maliq; ominis, abhorrebat. ELOQVENTIAM studiáque liberalia ab ętate prima & cupidè & laboriosissimè exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse & scripsisse & declamasse quotidie traditur. Nam deinceps neque in senatu, ne-
G que apud populum, neque apud milites locutus est vmquam, nisi meditata & composita oratione: quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores, nonnisi in scriptis, & è libello habebat: ne plus minúsve loqueretur ex tempore. Pronuntiabat dulci & proprio quodam oris sono: dabátq; assiduè phonasco operam;

tam: sed nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est. Multa varij generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitauit: sicut *Rescripta Bruto de Catone*. Quæ volumina cùm iam senior ex magna parte legisset, fatigatus, Tiberio tradidit perlegenda. Item *Hortationes ad philosophiam*: & aliqua *De vita sua*, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec vltrà exposuit. Poëticam summatim attigit. Vnus liber extat scriptus ab eo hexametris versibus, cuius & argumentum & titulus est, *Sicilia*. Exstat alter æquè modicus *Epigrammatum*, quæ ferè tempore balnei meditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorsus non succedente stylo aboleuit: quærentibúsque amicis *quidnam Aiax ageret*, respondit, *Aiacem suum in spongiam incubuisse*. Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate: & *reconditorum verborum*, vt ipse dicit *fœtoribus*. Præcipuámque curam duxit, sensum animi quàm apertissimè exprimere, quod quò facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque coniunctiones sæpius iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos & antiquarios, vt diuerso genere vitiosos pari fastidio spreuit. Exagitabat nonnunquam inprimis Mæcenatem suum, cuius μυροβρεχεῖς, vt ait, *cincinnos* vsquequaque persequitur, & imitando per iocum irridet. Sed nec Tiberio parcit, & exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti, M. quidem Antonium, vt insanum, increpat: quasi ea scribentem quæ mirentur potius homines, quàm intelligant. Deinde ludens malum & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addidit hæc, *Tuque dubitas Cimberne Annius an Verrius Flaccus imitandi sint tibi? ita vt verbis quæ C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis vtaris? an potius Asiaticorum oratorũ inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferẽda?* Et quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: *opus est*, inquit, *dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris*.

Quotidiano sermone quædam frequentiùs & notabiliter vsurpasse eum, literæ ipsius autographæ ostentant. In quibus identidem cùm aliquos numquam soluturos significare vult, *Ad Kalendas Græcas soluturos*, ait, & cùm hortatur ferenda esse præsentia, qualiacumque sint, *Contenti simus hoc Catone*: & ad exprimendam festinatæ rei velocitatem, *velocius quàm asparagi coquantur*. Ponit assiduè & pro stulto, *baceolum*: & pro pullo, *pulleiaceum* & pro cerito, *vacerrosum*: & *vapide sese habere*, pro malè, & *betizare*, pro languere: quod vulgò *lachanizare* dicitur. Item *simus*, pro sumus: & *domos* genitiuo casu singulari, pro domus. Nec vmquam aliter hæc duo, ne quis mendam magis quàm consuetudinem putet. Notaui & in chirographo eius illa præcipuè: non diuidit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum transfert: sed ibidem statim subiicit, circumducítque. Orthographiam, id est, formulam rationémque scribendi à grammaticis institutam, non adeò custodiit: ac videtur eorum sequi potiùs opinionem, qui perinde scribendum ac loquamur existiment. Nam quòd sæpe non literas modo, sed syllabas aut permutat aut præterit, com-

A munis hominum error est. Nec ego id notarem, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato eum consulari successorem dedisse, vt rudi & indocto, cuius manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animaduerterit. Quoties autem per notas scribit, *b* pro *a*: *c* pro *b*, ac deinceps eadem ratione sequẽtes literas ponit: pro x autem duplex *aa*. NE Græcarum quidem disciplinarum leuiore studio tenebatur: in quibus & ipsis præstabat largiter, magistro dicendi vsus Apollodoro Pergameno, quem

B iam grandem natu, Apolloniam quoque secum ab vrbe iuuenis adhuc eduxerat. Deinde etiam eruditione varia repletus Sphæri, Arei philosophi, filiorúmque eius Dionysij & Nicanoris, contubernium iniit: non tamen vt aut loqueretur expeditè, aut componere aliquid auderet. Nam & si quid res exigeret, Latinè formabat, vertendúmq; alij dabat. Sed planè poëmatum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri, & sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. In euoluen-

C dis vtriusque linguæ auctorib', nihil æquè sectabatur quàm præcepta & exempla publicè vel priuatim salubria: eáque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum prouinciarúmque rectores, aut ad vrbis magistratus plerunque mittebat: prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos & senatui recitauit, & populo notos per edictum sæpe fecit: vt orationes *Q. Metelli De prole augenda*, & *Rutilij De modo ædificiorum*: quò magis persuaderet vtranque rem non à se

D primò animaduersam, sed antiquis iam tunc curę fuisse. Ingenia seculi sui omnibus modis fouit. Recitantes & benignè & patienter audiuit: nec tantum carmina & historias, sed & orationes & dialogos. Componi tamen aliquid de se, nisi & seriò, & à præstantissimis, offendebatur, admonebátq; Prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri. CIRCA RELIGIONES talem accepimus. Tonitrua & fulgura paullo infirmiùs expauescebat: vt semper & vbique pellem

E vituli marini circunferret, pro remedio atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem, in abditum & concameratum locum se reciperet consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris, vt suprà diximus. SOMNIA neque sua, neque aliena de se, negligebat. Philippensi acie, quamuis statuisset non egredi tabernaculo, propter valetudinem: egressus est tamen, amici somnio monitus: cessitque res prosperè, quando captis castris, lectica eius, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata

F est. Ipse per omne ver, plurima & formidolosissima, & vana, & irrita videbat: reliquo tempore rariora, & minùs vana. Cùm dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Ioui assiduè frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem, cultores sibi abduci: séque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum: ideóque mox tintinnabulis fastigium ædis redimiuit, quòd ea ferè ianuis dependebant. Ex nocturno visu etiam stipem quotan-

G nis die certo emendicabat à populo, cauam manum asses porrigentibus præbens.

AVSPICIA quædam & omnia pro certissimis obseruabat. Si manè sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, vt dirum: si terra maríve ingrediente se longinquam profectionem forte rorasset, vt lætum, maturique & prosperi reditus. Sed & ostentis præcipuè mouebatur. Enatam inter iuncturas lapidum ante domum suam

palmam in compluuium deorum penatium transtulit: vtque coalesceret, magnopere curauit. Apud insulam Capreas, veterrimæ ilicis demissos iam ad terram languentésque ramos conualuisse aduentu suo, adeo lætatus est, vt eas cum republica Neapolitanorum permutauerit, Ænaria data. Obseruabat & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut nonis quidquã rei seriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud deuitãs, vt ad Tiberium scribit, quàm δυσφημίαν nominis. Peregrinarum cæremoniarum, sicut veteres ac præceptas reuerentissimè coluit, ita cæteras contemtui habuit. Namque Athenis initiatus, cùm postea Romæ pro tribunali de priuilegio sacerdotum Atticę Cereris cognosceret, & quędam secretiora proponerentur, dimisso consilio & corona circumstantium, solus audiit disceptantes. At contrà non modò in peragrãda Ægypto paullũ deflectere ad visendũ Apin supersedit: sed & Caiũ nepotem, quòd Iudæam prætervehens apud Hierosolymam nõ supplicasset, collaudauit. ET QVONIAM ad hoc ventum est, non ab re fuerit subtexere quæ ei prius quàm nasceretur, & ipso natali die, ac deinceps euenirent, quibus futura magnitudo eius, & perpetua felicitas sperari animaduertique posset. Velitris antiquitus tacta de cælo parte muri, responsum est, eius oppidi ciuem quandóque rerum potiturum: qua fiducia Velitrini, & tunc statim, & posteà sæpius pæne ad exitium sui cum pop. Rom. belligerauerant. serò tandem documentis apparuit, ostentum illud, Augusti potentiam portendisse. Auctor est Iulius Marathus, ante paucos quàm nasceretur menses, prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur, regem pop. Rom. Naturam parturire: senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos qui grauidas vxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne senatusconsultum ad ęrarium deferretur. In Asclepiadis Mẽdetis λογουμένων libris lego, Atiam, cùm ad solẽne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormisse: draconem repentè irrepsisse ad eam, paullóque pòst egressum: illámque expergefactam quasi à concubitu mariti purificasse se: & statim in corpore eius extitisse maculam, velut depicti draconis: nec potuisse vnquam eximi: adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit: Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. Eadem Atia prius quàm pareret, somniauit intestina sua ferri ad sidera, explicarique per omnem terrarum & cęli ambitum. Somniauit & pater Octauius, vtero Atiæ iubar solis exortum. Quo natus est die, cùm de Catilinę coniuratione ageretur in curia, & Octauius ob vxoris puerperium seriùs adfuisset, nota ac vulgata res est, P. Nigidum comperta moræ caussa, vt horam quoq; partus acceperit, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. Octauio postea cùm per secreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi patris luco barbara cærimonia de filio consulenti, idem affirmatum est à sacerdotibus: quòd infuso super altaria mero, tantum flammæ emicuisset, vt supergressa fastigium templi ad cælum vsque ferretur: vnique olim omnino Magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti, simile prouenisset ostentum. Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuuiísque Iouis

A Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus. Infans adhuc, vt scriptum apud C. Drusum exstat, repositus vespere in cunas à nutricula loco plano, postera luce non comparuit: & diu quæsitus, tandem in altissima turri repertus est, iacens contra solis exortum. Cùm primùm fari cœpisset, in auito suburbano obstrepentes forte ranas silere iussit: atque ex eo negantur ibi ranæ coaxarę. Ad B quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prandenti, ex improuiso aquila panem ei è manu rapuit, & cùm altissimè volasset, rursus ex improuiso leniter delapsa reddidit. Q. Catulus post dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniauit: prima, Iouem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus vnum secreuisse: atque in eius sinum signum Reip. quod manu gestaret, reposuisse, at insequenti, animaduertisse se in gremio Capitolini Iouis eundem C puerum: quem cùm detrahi iussisset, prohibitum monitu Dei tanquam is ad tutelam Reip. educaretur. Ac die proximo obuium sibi Augustum, cùm incognitum aliâs haberet, non sine admiratione contuitus simillimum dixit puero de quo somniasset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: eiúsque osculum delibatum digitis ad os suum re- D tulisset. M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinę noctis familiaribus fortè narrabat: puerum, facie liberali, demissum cœlo, catena aurea, ad fores Capitolij constitisse, eique Iouem flagellum tradidisse: deinde repente Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque auunculus Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietẽ sibi obuersata sit. Sumenti virilem togam, tunica laticlaui resuta ex vtraque parte, ad pedes deci- E dit. Fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare quàm vt is ordo cuius insigne id esset, quandóque ei subiiceretur. Apud Mundam D. Iulius castris locum capiens, cùm siluam cæderet, arborem palmæ repertam conseruari, vt omen victoriæ, iussit: ex ea continuò enata soboles, adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modo matricem, verùm etiam obtegeret, frequentaretúrque columbarum nidis: quamuis id auium genus duram & asperam frondem maximè F vitet. Illo & præcipuè ostento, motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere, quàm sororis nepotem vellet. In secessu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa adscenderat: cùm Agrippæ, qui prior consulebat, magna, & pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec velle edere, perseuerabat, metu ac pudore, ne minor inueniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edicta, exsiluit Theogenes, adorauítque G eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt thema suum vulgauerit, nummúmque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. POST necem Cæsaris, reuerso ab Apollonia & ingrediente eo vrbem, repentè liquido ac puro sereno, circulus ad speciẽ cęlestis arcus orbẽ Solis ãbiit: ac subinde Iuliæ Cęsaris filię monumentũ fulmine ictũ est. Primo autẽ cõsulatu ei auguriũ capienti, duodecim se vultures, vt Romulo, ostenderunt: & immolanti omnium victima-

rum ioci-

cum iociner replicata intrinsecus ab ima fibra
paruerunt: nemine peritorum aliter coniectante,
quam læta per hæc & magna portendi. QVIN &
bellorum omnium euentus antè præsensit. Con-
tractis ad Bononiam Triumuirum copiis aquila
tentorio eius supersedens, duos coruos hinc &
inde infestantes afflixit, & ad terram dedit: notan-
te omni exercitu, futuram quandoque inter col-
legas discordiam talem, qualis secuta est, ac exi-
tum præsagiente. In Philippis, Thessalus quidam
de futura victoria nuntiauit, auctore D. Cæsare,
cuius sibi species itinere auio occurrisset. Circa
Perusiam, sacrificio non litante, cùm augeri ho-
stias imperasset: ac subita eruptione hostes o-
mnem rei diuinæ apparatum abstulissent: consti-
tit inter haruspices, quæ periculosa & aduersa sa-
crificanti denuntiata essent, cuncta in illos reca-
sura qui exta haberent. Neque aliter euenit. Pri-
die quàm Siciliensem pugnam classe committe-
ret, deambulanti in littore, piscis è mari exsiluit,
& ad pedes iacuit. Apud Actium descendenti in
aciem, asellus cum asinario occurrit: Eutychus,
homini: bestiæ, Nicon, erat nomen. Vtriusque si-
mulachrum æneum victor posuit in templo, in
quod castrorum suorum locum vertit. MORS
quoque eius, de qua dehinc dicam, diuinitásque
post mortem, euidentissimis ostentis præcognita
est. Cùm lustrum in campo Martio magna popu-
li frequentia conderet, aquila eum sæpius cir-
cumuolauit: transgressáque in vicinam ædem, su-
per nomen Agrippæ, ad primam literam sedit:
quo animaduerso, vota, quæ in proximum lu-
strum suscipi mos est, collegam suum Tiberium
nuncupare iussit. Nam se quamquam conscriptis
paratisque iam tabulis, negauit suscepturum quæ
non esset soluturus. Sub idem tempus ictu fulmi-
nis ex inscriptione statuæ eius prima nominis li-
tera effluxit. Responsum est, centum solos dies
posthac victurum, quem numerum C litera nota-
ret: futurúmque vt inter deos referretur, quòd
ÆSAR, id est, reliqua pars è Cæsaris nomine,
Etrusca lingua Deus vocaretur. Tiberium igitur
in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque
prosecuturus, cùm interpellatores alijs atque alijs
causis in iure dicendo detinerent, exclamauit,
(quod & ipsum mox inter omnia relatum est,)
*Non, si omnia morarentur, amplius se posthac Romæ
futurum.* Atque itinere inchoato, Asturam perre-
xit: & inde, præter consuetudinem, de nocte ad
occasionem auræ euectus est. Caussam valetudinis
contraxit ex profluuio alui. Tunc Campaniæ ora,
proximísque insulis circuitis, Capreatum quo-
que secessui quatriduum impendit: remississimo
ad otium & ad omnem comitatem animo. Fortè
Puteolanum sinum prætereuehenti, vectores nau-
tæque de naui Alexandrina, quæ tantum quod
appulerat, candidati, coronatíque, & thura liban-
tes, fausta omina & eximias laudes congesserant.
*Per illum se viuere: per illum nauigare: libertate at-
que fortunis per illum frui.* Quare admodum exhi-
laratus, quadragenos aureos comitibus diuisit:
iusque iurandum, & cautionem exegit à singulis,
non aliò datam summam: quàm in emptionem
Alexandrinarum mercium absumpturos. Sed &
cæteros continuos dies, inter varia munuscula,
togas insuper ac pallia distribuit: lege proposita,
vt Romani Græco, Græci Romano habitu & ser-
mone vterentur. Spectauit assiduè & exercentes
ephebos, quorum aliqua adhuc copia ex vetere

A instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in
conspectu suo præbuit, permissa, immò exacta
iocandi licentia, diripiendique pomorum & op-
soniorum, rerúmque missilium. Nullo denique
genere hilaritatis abstinuit. Vicinam Capreis in-
sulam Ἀπραγόπολιν appellabat, à desidia seceden-
tium illuc è comitatu suo. Sed ex dilectis vnum
Masgabam nomine, quasi conditorem insulæ,
κτίστην vocare consueuerat: huius Masgabæ, ante
annum defuncti, tumulum, cùm ex triclinio ani-
B maduertisset magna turba multísque luminibus
frequentari, versum compositum ex tempore cla-
rè, pronuntiauit,

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Conuersúsque ad Thrasyllum Tiberij comitem,
contrà accubantem, & ignarum rei, interrogauit,
cuiusnam poëtæ putaret esse quo hæsitante, sub-
iecit alium,

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

de hoc quoque consuluit: cùm ille nihil aliud re-
C sponderet, quàm cuiuscumque essent optimos es-
se: cachinnum sustulit, atque in iocos effusus est.
Mox Neapolim traiecit, quamquam & tum infir-
mis intestinis morbo variante: tamen & quin-
quennale certamen gymnicum honori suo insti-
tutum perspectauit: & cum Tiberio ad destina-
tum locum contendit. Sed in redeundo, aggraua-
ta valetudine, tandem Nolæ succubuit: reuoca-
túmque ex itinere Tiberium, diu secreto sermo-
ne detinuit, neque pòst vlli maiori negotio ani-
D mum accommodauit. Supremo die identidem
exquirens, an iam de se tumultus foris esset, peti-
to speculo capillum sibi comi, ac malas labentes
corrigi præcepit. Et amicos admissos percuncta-
tus, *Ecquid ijs videretur mimum vitæ commodè
transegisse*, adiecit & clausulam:

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Omnibus deinde dimissis, dum aduenientes ab
vrbe de Drusi filia ægra interrogabat, repentè in
osculis Liuiæ, & in hac voce defecit: *Liuia nostri
E coniugij memor viue, ac vale*: sortitus exitum faci-
lem, & qualem semper optauerat. Nam ferè quo-
ties audisset, citò ac nullo cruciatu defunctum
quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (hoc e-
nim & verbo vti solebat) precabatur. Vnum o-
mninò ante efflatam animam signum alienatæ
mentis ostendit, quòd subitò pauefactus, à qua-
draginta se iuuenibus abripi questus est. Id quo-
que magis præsagium quàm mentis diminutio
fuit: siquidem totidem milites Prætoriani extu-
F lerunt eum in publicum. Obiit in cubiculo eo-
dem, quo pater Octauius: duobus Sextis, Pom-
peio & Appuleio coss. XIIII. Kalend. Septem-
bris, hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis
anno, diebus quinque & triginta minus. Corpus
decuriones municipiorum & coloniarum à Nola
Bouillas vsque deportarunt noctibus propter
anni tempus, cùm interdiu in basilica cuiusque
oppidi, vel in ædium sacrarum maxima reponere-
tur. A Bouillis equester ordo suscepit, vrbique in-
G tulit, atque in vestibulo domus collocauit Sena-
tus & in funere ornando, & in memoria hono-
randa eo studio certatim progressus est, vt inter
alia complura censuerint quidam funus trium-
phali porta ducendum præcedente Victoria, quæ
est in curia, canentibus næniam principum li-
beris vtriusque sexus. Alij exsequiarum die po-
nendos anulos aureos, ferreósque sumendos;
nonnulli legenda ossa per sacerdotes summorum

collegiorum. Fuit & qui suaderet appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam: quòd hoc genitus Augustus, illo defunctus esset. Alius, vt omne tēpus à primo die natali vsq; ad exitum eius, seculum Augustum appellaretur, & ita in fastos referretur. Verùm adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est: pro æde D. Iulij à Tiberio: & pro Rostris sub veteribus, à Druso Tiberij filio, ac senatorum humeris delatus in Campum, crematúsque. Nec defuit vir prætorius qui se effigiem cremati eundem in cælum vidisse iurasset. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibúsq; nudis, ac in Mausoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripámque Tiberis, sexto suo consulatu exstruxerat: circumiectásque siluas & ambulationes in vsum populi tunc iam publicarat.

Testamentum, L. Planco, C. Silio, coss. III. Nonas Aprilis, ante annum & quatuor menses quàm decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipsius, partim libertorum Polybij & Hilarionis manu scriptum, depositúmque apud sex virgines Vestales, cum tribus signatis æque voluminibus protulerunt. Quæ omnia in senatu aperta atque recitata sunt. Heredes instituit primos, Tiberium ex parte dimidia, & sextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit: secundos, Drusum Tiberij filium ex triente, & ex

A partibus reliquis Germanicum, liberósque eius tres sexus virilis: tertio gradu, propinquos amicósque complures. Legauit populo Rom. quadringenties, tribubus tricies quinquies HS. Prætorianis militibus singula millia nummorum. Cohortibus vrbanis quingenos: legionariis trecenos nummos: quam summam repræsentari iussit: nam & confiscatam semper, repositámque habuerat. Reliqua legata variè dedit: produxitque quæ-
B dam ad vicena sestertia: quibus soluendis annuum diem finiit, excusata rei familiaris mediocritate: nec plus peruenturum ad heredes suos, quàm millies & quingenties professus, quamuis viginti proximis annis quaterdecies millies ex testamentis amicorum percepisset: quod pæne omne cum duobus paternis patrimoniis, cæterisque hereditatibus in Remp. absumpsisset. Iulias, filiam neptémque, si quid his accidisset, vetuit sepulchro suo inferri. De tribus voluminibus, vno, mandata
C de funere suo complexus est: altero, indicem rerum à se gestarum: quem vellet incîdi in æneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur: tertio, breuiarium totius imperij, quantum militum sub signis vbiq; esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis. Adiecit, & libertorum seruorúmque nomina, à quibus ratio exigi posset.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER III.

TIBERIVS NERO CAESAR.

PATRICIA gens Claudia (fuit enim & alia plebeia, nec potentia minor nec dignitate) orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam, cum magna clientelum manu commigrauit, auctore Tito Tatio consorte Romuli; vel, quod magis constat, Atta Claudio gentis principe, post reges exactos sexto ferè anno, à patribus in patricios cooptata. Agrum insuper trans Anienem clientibus; locúmque sibi ad sepulturam sub Capitolio publicè accepit. Deinceps procedente tempore duodetrigenta consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos septem, duas ouationes adepta est. Cùm prænominibus cognominibúsque variis distingueretur, Lucij prænomen consensu repudiauit, postquam è duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinij, cædis alter conuictus est. Inter cognomina autem, & Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus. Multa multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in Remp. exstant. Sed vt præcipua commemorem, Appius Cæcus societatem cum rege Pyrrho, vt parum salubrem, iniri dissuasit. Claudius Caudex, primus freto classe traiecto, Pœnos Sicilia expulit. Claudius Nero aduenientem ex Hispania cum ingentibus copiis Asdrubalem, prius quàm Hannibali fratri coniungeretur, oppressit. Contrà Claudius Appius Regillanus decemuir, legibus scribendis, virginem ingenuam, per vim, libidinis gratia, in seruitutem asserere conatus, caussa fuit plebi secedendi rursum à patribus. Claudius Drusus, statua sibi

A cum diademate ad Appij forum posita, Italiam per clientelas occupare tentauit. Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, quasi vt biberent, quando esse nollent, prælium nauale iniit: superatúsque, cùm dictatorem dicere à senatu iuberetur, velut iterum illudens discrimini publico, Glyciam viatorem suum dixit. Exstant & fœminarum exempla diuersa æ-
B què si quidem gentis eiusdem vtraque Claudia fuit, & quæ nauem cum sacris matris deûm Idææ adhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, *vt ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret*: & quæ nouo more iudicium maiestatis apud populum mulier subiit, quòd in conferta multitudine ægrè procedente carpento, palàm optauerit, *vt frater suus Pulcher reuiuisceret, atque iterum classem amitteret, quò minor turba Romæ foret.* Præterea notissimum est Claudios o-
C mnes, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum vrbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori, in adoptionem se dedit, optimates assertorésque vnicos dignitatis ac potentiæ patriciorum semper fuisse, atque aduersus plebem adeò violentos ac contumaces, vt ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit: nonnulli in altercatione & iurgio tribunos plebis pulsauerint. Etiā virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphan-
D tem, adscenso simul curru, vsque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset. Ex hac stirpe Tiberius

Cæs-

Cæsar genus trahit, & quidem vtrumque: pater- A
num, a Tiberio Nerone maternum, ab Appio Pul-
chro: qui ambo Appij Cæci filij fuerunt. Insertus
est & Liuiorum familiæ, adopto in eam materno
auo. Quæ familia, quanquam plebeia, tamen & i-
psa admodum floruit, octo consulatibus, censuris
duabus, triumphis tribus: dictatura etiam ac ma-
gisterio equitum honorata: clara & insignibus vi-
ris, ac maxime Salinatore, Drusisque. Salinator v-
niuersas tribus in censura notauit leuitatis no-
mine, quòd cùm se post priorem consulatum
multa irrogata condemnassent, consulem iterum
censoremq; fecissent. Drusus hostium duce Drau-
so cominus trucidato, sibi posterisque suis co-
gnomen inuenit. Traditur etiam pro prætore ex
prouincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim
in obsidione Capitolij datum: nec, vt fama, ex-
tortum à Camillo. Eius abnepos ob eximiam ad-
uersus Gracchos operam patronus senatus dictus
filium reliquit, quem in simili dissensione multa
varie molientem, diuersa factio per fraudem in-
teremit. Pater verò Tiberij, quæstor C. Cæsaris A-
lexandrino bello classi præpositus, plurimum ad
victoriam contulit. Quare & Pontifex in locum
P. Scipionis substitutus, & ad deducendas in Gal-
liam colonias: in queis Narbona & Arelate e-
rant, missus est. Tamen Cæsare occiso, cunctis
turbarum metu abolitionem facti decernentibus,
etiam de præmiis tyrannicidarum referendum
censuit. Prætura deinde functus, cùm exitu anni
discordia inter Triumuiros exorta esset, retentis D
vltra iustum tempus insignibus, L. Antonium
consulem Triumuiri fratrem ad Perusiam secutus
deditione à cæteris facta, solus permansit in parti-
bus, ac primò Præneste, inde Neapolim euasit: ser-
uisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam pro-
fugit. Sed indignè ferens nec statim se in conspe-
ctum Sex. Pompeij admissum, & fascium vsu pro-
hibitum, ad M. Antonium traiecit in Achaiam.
Cum quo breui reconciliata inter omnes pace,
Romam rediit, vxorémque Liuiam Drusillam, & E
tunc grauidam, & antè iam apud se filium enixam
petenti Augusto concessit. Nec multò pòst diem
obiit, vtroq; liberorum superstite, Tiberio Dru-
sóque Neronibus.

TIBERIVM quidam Fundis natum existimaue-
runt, secuti leuem coniecturam, quòd materna e-
ius auia Fundana fuerit, & quod mox simulacrum
Felicitatis ex senatusconsulto publicatum ibi sit.
Sed vt plures, certioresque tradunt, natus est Ro-
mæ in palatio, XVI. Kal. Decemb. M. Æmilio Le-
pido iterum, & L. Munatio Planco coss. post bel-
lum Philippense. Sic enim in Fastos Actaque pu-
blica relatum est. Nec tamen desunt qui partim
antecedente anno, Hirtij ac Pansæ: partim inse-
quente, Seruilij Isaurici Antonijque consulatu,
genitum eum scribant.

INFANTIAM pueritiamque habuit laboriosam,
& exercitatam: comes vsquequaque parentum
fugæ: quos quidem apud Neapolim sub irruptio-
nem hostis nauigium clàm petentes, vagitu suo G
pæne bis prodidit: semel, cùm à nutricis vbere, i-
tem cùm à sinu matris raptim auferretur ab iis
qui pro necessitate temporis mulierculas leuare
onere tentabant. Per Siciliam quoq; & Achaiam
circumductus ac Lacedæmoniis publicè, quòd in
tutela Claudiorum erant, demandatus, digre-
diens inde itinere nocturno, discrimen vitæ adiit:
flamma repentè è siluis vndique exorta, adeóque
omnem comitatum circumplexa, vt Liuiæ pars
vestis & capilli amburerentur. Munera, quibus à
Pompeia Sexti Pompeij sorore, in Sicilia donatus
est, chlamys & fibula, item bullæ aureæ, durant, o-
stendunturque adhuc Baiis. Post reditum in vr-
bem, à M. Gallio senatore testamento adoptatus,
hereditate adita, mox nomine abstinuit: quòd
Gallius aduersarum Augusto partium fuerat. No-
uem natus annos, defunctum patrem pro Rostris
laudauit. Dehinc pubescens, Actiaco triumpho
B currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali
equo, cùm Marcellus Octauiæ filius dexteriore
veheretur. Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis
Circensibus ductor turmæ puerorum maiorum.

VIRILI toga sumta adolescentiam omnem, spa-
tiúmque insequentis ætatis vsque ad principatus
initia per hæc ferè transegit: Munus gladiatorium
in memoriam patris, & alterum in aui Drusi, de-
dit, diuersis temporibus ac locis: primum in foro,
secundum in Amphitheatro, rudiariis quoq; qui-
C busdam reuocatis, auctoramento centenûm mil-
lium. Dedit & ludos, sed absens: cuncta magnifi-
cè, impensa matris ac vitrici. Agrippinam M. A-
grippa genitam, neptem Cæcilij Attici equitis
Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit
vxorem: sublatóque ex ea filio Druso, quamquam
bene conuenientem, rursúmque grauidam, demit-
tere, ac Iuliam Augusti filiam confestim coactus
est ducere: non sine magno angore animi; cùm &
Agrippinæ consuetudine teneretur, & Iuliæ mo-
res improbaret: vt quam sensisset, sui quoque sub
priore marito appetentem: quod sanè vulgò etiam
existimabatur. Sed Agrippinam & abegisse post
diuortium doluit: & semel omnino ex occursu vi-
sam, adeo contentis & tumentibus oculis prose-
cutus est, vt custoditum sit ne vmquam in cóspe-
ctum eius posthac veniret. Cum Iulia primò con-
corditer & amore mutuo vix: mox dissedit, & ali-
quanto grauius, vt etiam perpetuò secubaret in-
tercepto communis filij pignore, qui Aquileiæ
natus infans exstinctus est, Drusum fratrem in
Germania amisit, cuius corpus pedib. toto itinere
prægrediens, Romam vsque peruexit. CIVILIVM
officiorum rudimentis regem Archelaum, Tral-
lianos & Thessalos: varia quosque de causa Augu-
sto cognoscente defendit. Pro Laodicenis, Thya-
tirenis, Chiis terræ motu afflictis, opémque im-
plorantibus, senatum deprecatus est. Fannium
Cæpionem, qui cum Varrone Murena in Augu-
stum conspirauerat, reum maiestatis apud iudices
F fecit, & condemnauit. Intérque hæc duplicem cu-
ram administrauit, annonæ, quę arctior inciderat:
& repurgandorum tota Italia ergastulorum, quo-
rum domini in inuidiam venerant: quasi exceptos
supprimerent, non solùm viatores, sed & quos sa-
cramenti metus ad huiusmodi latebras compu-
lisset. STIPENDIA prima expeditione Cantabrica
tribunus militum fecit: deinde ducto ad orien-
tem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit
ac pro tribunali diadema imposuit. Recepit & si-
gna quæ M. Crasso ademerant Parthi. Posthæc
comatam Galliam anno ferè rexit, & barbarorum
incursionibus & principum discordia inquietam
Exhinc Rhæticum Vindelicúmque bellum, inde
Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhætico
atque Vindelico, gentes Alpinas: Pannonico,
Breucos & Dalmatas subegit. Germanico, qua-
draginta millia dedititiorum traiecit in Galliam,
iuxtáque ripam Rheni sedibus assignatis colloca-

uit. quas ob res, & ouans, & curru vrbem ingressus, est primus vt quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. Magistratus & maturiùs inchoauit, & pæne iunctim percurrit, quæsturam præturam, consulatum: interpositóque tempore, cos. iterum, etiam tribunitiam potestatem in quinquennium accepit. A

TOT PROSPERIS confluentibus, integra ætate ac valetudine statuit repentè secedere, séque è medio quàm longissimè amouere. Dubium vxoris ne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque vltra perferre posset, an vt vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret, si quando indiguisset sui Resp. Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco & quasi possessione, vsurpati a se diu secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare præsens videretur. Quam caussam & ipse, sed posteà, reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit. Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico, deseri se etiam in senatu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinaciùs retinentibus; cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ vxore & filio, confestim Ostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucósque admodum in digressu osculatus. Ab Ostia oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nuntiata, paullum substitit. Sed increbrescente rumore, quasi ad occasionem maioris spei commoraretur, tantum non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit, amœnitate & salubritate insulæ iam inde captus, cùm ad eam ab Armenia rediens appulisset. Heic modicis contentus ædibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitæ ciuile admodum instituit: sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans mutuáq; cum Græculis officia vsurpans, propè ex æquo. Fortè quodam in disponendo die, mane prædixerat, quidquid ægrorum in ciuitate esset, visitare se velle: id à proximis aliter exceptum est: iussique sunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera disponi. Perculsus igitur inopinata re, diu quid ageret incertus, tandem singulos circuit: excusans factum etiam tenuissimo cuique, & ignoto. Vnum hoc tantummodo, neque preterea quidquam notatum est, in quo exercuisse ius tribunitiæ potestatis visus sit. Cùm circa scholas & auditoria professorum assiduus esset, moto inter antisophistas grauiore iurgio, non defuit qui eum interuenientem & quasi studiosiorem partis alterius conuitio incesseret. Sensim itaque regressus domum, repentè cum apparitoribus prodiit, citatúmque pro tribunali, voce præconis conuitiatorem rapi iussit in carcerem. Comperit deinde Iuliam vxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiúmque ei suo nomine, ex auctoritate Augusti remissum: & quamquam lætus animo, tamen officij duxit, quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus literis, & vel vtcumque meritæ, quidquid vnquam dono dedisset, concedere. Transacto autem tribunitiæ potestatis tempore, confessus tandem nihil aliud secessu deuitasse se, quàm æmulationis cum Caio Lucióque suspicionem, petiit vt sibi securo iam ab hac parte, corroboratis his, &

secundum locum facilè curantibus, permitteretur reuisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetrauit: vltróque etiam admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupidè reliquisset. Remansit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem consecutus vt ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto abesset. Enimuero tunc non priuatum modo, sed etiam obnoxium, & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitánsque præter nauigantium officia, quibus frequentabatur assiduè: nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deuerteret Rhodum. Et accesserunt maioris solicitudinis caussæ. Namque priuignum Caium, Orienti præpositum, cùm visendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollij comitis & rectoris eius. Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficij sui centuriones, à commeatu castra repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua, & quæ tentare singulorum animos ad nouas res viderentur. De qua suspicione certior ab Augusto factus, non cessauit efflagitare aliquem, cuiuslibet ordinis custodem, factis atque dictis suis.

Equi quoque, & armorum solitas exercitationes omisit: redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali statu biennio, ferè permansit, contemptior in dies, & inuisior: adeò vt imagines eius & statuas Nemausenses subuerterint: ac familiari quodam conuiuio mentione eius orta extiterit qui Caio polliceretur, *Confestim se, si iuberet, Rhodum nauigaturum, caputque exsulis* (sic enim appellabatur) *relaturum*. Quo precipuè, non iam metu, sed discrimine, coactus est tam suis quàm matris impensissimis precibus reditum expostulare: impetrauitque adiutus aliquantum etiam casu. Destinatum Augusto erat, nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris filij, statuere. Is fortè tunc M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio, reuocatus est: verùm sub conditione, ne quam partem curámve Reip. attingeret. REDIIT octauo post secessum anno, magna, nec incerta spe futurorum, quam & ostentis, & prædictionibus ab initio ætatis conceperat. prægnans enim Liuia, cùm an marem editura esset, variis captaret ominibus, ouum incubanti gallinæ subductum, nunc sua, nunc ministrarum manu per vices vsque eò fouit, quoad pullus insigniter cristatus exclusus est. Ac de infante Scribonius mathematicus præclara spopondit *etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni*: ignota scilicet tunc adhoc Cæsarum potestate. Et ingresso primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, vt apud Philippos sacratæ olim victricium legionum aræ, sponte subitis collucerent ignibus: & mox dum Illyricum petens, iuxta Patauium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, vt de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret: euenit vt summum numerum iacti ab eo ostenderent: hodieque sub aqua visuntur ij tali. Ante paucos verò quàm reuocaretur dies, aquila, numquam anteà Rhodi conspecta, in culmine domus eius assedit: & pridie quàm de reditu certior fieret, vestimenta mutanti, tunica ardere visa est. Thrasyllum quoque mathematicum, quem vt sapientiæ professorem contubernio admouerat, tunc maximè expertus est, affirmantem naue præuisa gaudium

B C D E F G

illum afferri, cùm quidem illum durius & contra
prædicta cadentibus rebus, vt falsum & secreto-
rum temere conscium, eo ipso momento dum
spatiatur vna, præcipitare in mare destinasset. Ro-
mam reuersus, deducto in forum filio Druso, sta-
tim è Carinis ac Pompeiana domo, Esquilias in
hortos Mæcenatianos transmigrauit: totúmque
se ad quietem contulit, priuata modò officia ob-
iens, ac publicorum munerum expers. Caio &
Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab
Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa: coa-
ctus prius ipse Germanicum adoptare. Nec quid-
quam postea pro patrefamilias egit: aut ius quod
adoptione amiserat, ex vlla parte retinuit. Nam
neque donauit, neque manumisit: nec hereditatem
quidem aut legata percepit vlla aliter quàm
vt peculio referret accepta: nihil ex eo tempore
prætermissum est ad maiestatem eius augendam,
ac multo magis, postquam Agrippa abdicato at-
que seposito, certum erat, vni spem successionis
incumbere. Data rursus potestas tribunitia in quin-
quennium: delegatus pacandæ Germaniæ status:
Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ red-
ditis, eum quoque adire in prouinciam iussi. Sed
nunciata Illyrici defectione, transiit ad curam no-
ui belli, quod grauissimum omnium externorum
bellorum post Punica, per xv. legiones paremque
auxiliorum copiam triennio gessit: in magnis o-
mnium rerum difficultatibus, summáque fru-
gum inopia. Et quanquam sæpius reuocaretur,
tamen perseuerauit: metuens, ne vicinus & præ-
ualens hostis instaret vltro cedentibus. Ac perse-
uerantiæ grande pretium tulit: toto Illyrico, quod
inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam,
& Macedoniam, interque Danubium flumen, &
sinum maris Hadriatici patet, perdomito & in de-
ditionem redacto. Cui gloriæ amplior adhuc ex
opportunitate cumulus accessit. Nam sub id ferè
tempus Quintilius Varus, cum tribus legionibus
in Germania periit, nemine dubitante, quin vi-
ctores Germani iuncturi se Pannoniis fuerint, ni-
si debellatum priùs Illyricum esset. Quas ob res
triumphus ei decretus est, multique & magni ho-
nores. Censuerunt etiam quidam, vt *Pannonicus*,
alij vt *Inuictus*, nonnulli vt *Pius* cognominaretur.
Sed de cognomine intercessit Augustus eo con-
tentum repromittens, quod se defuncto suscepturus
esset. Triumphum ipse distulit, mœsta ciuitate
clade Variana. Nihilominus vrbem prætextatus,
& laurea coronatus intrauit: positúmque in Septis
tribunal, senatu adstante, conscendit: ac medius
inter duo coss. cum Augusto simul sedit: vnde
populo consalutato, circum templa deductus est.
Proximo anno repetita Germania, cùm animad-
uerteret, Varianam cladem temeritate & negli-
gentia ducis accidisse, nihil non de consilij sen-
tentia egit: semper aliàs sui arbitrij, contentúsque
se vno, tunc præter consuetudinem cum pluribus
de ratione belli communicauit. Curam quoque
solito exactiorem præstitit. Traiecturus Rhenum,
commeatum omnem ad certam formulam ad-
strictum non ante transmisit, quàm consistens a-
pud ripam explorasset vehiculorum onera: ne qua
deportarentur, nisi concessa aut necessaria. Trans
Rhenum verò eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens
in cespite nudo cibum caperet sæpe: sine tentorio
pernoctaret: præcepta sequentis diei omnia, & si
quid subiti muneris iniungendum esset, per li-
bellos daret: addita monitione, vt de quoque quis

A que dubitaret, se, nec alio interprete, quacunque
vel noctis hora vteretur. Disciplinam acerrimè
exegit: animaduersionum & ignominiarum gene-
ribus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato
legionis, quòd paucos milites cum liberto suo
trans ripam venatum misisset, ignominia notato.
Prælia, quamuis minimum fortunæ casibúsque
permitteret, aliquanto constantius inibat, quoties
lucubrante se, subitò ac nullo propellente, deci-
B deret lumen, & extingueretur, confidens, vt aiebat
ostento, sibi ac maioribus suis in omni ducatu ex-
pertissimo. Sed re prosperè gesta, non multum
abfuit quin à Bructero quodam occideretur: cui
inter proximos versanti, & trepidatione detecto,
tormentis expressa confessio est cogitati facino-
ris. A Germania in vrbem post biennium regres-
sus, triumphum quem distulerat, egit: prosequen-
tibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamẽta
impetrarat. Ac priùs quàm in Capitolium flecte-
C ret, descendit e curru, séque præsidenti patri ad
genua submisit. Batonem Pannonium ducem in-
gentibus donatum præmiis, Rauennam transtulit:
gratiam referens, quòd se quondam cum exercitu
iniquitate loci circumclusum, passus esset eua-
dere. Prandium dein populo mille mensis, &
congiarium trecenos nummos viritim dedit. De-
dicauit & Concordiæ ædem: item Pollucis & Ca-
storis, suo fratrisque nomine, de manubiis. Ac
D non multò post lege per coss. lata, vt prouincias
cum Augusto communiter administraret, simúl-
que censum ageret, condito lustro in Illyricum
profectus est. Et statim ex itinere reuocatus, iam
quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Au-
gustum reperit, fuitque vnà secretò per totum
diem. Scio vulgo persuasum, quasi egresso post se-
cretum sermonem Tiberio vox Augusti per cu-
bicularios excepta sit: *Miserum populum Roma-
num, qui sub tam lentis maxillis erit.* Nec illud qui-
dem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palàm
E nec dissimulanter morum eius diritatem adeò
improbasse, vt nonnunquam remissiores hila-
rioresque sermones superueniente eo abrumpe-
ret: sed expugnatum precibus vxoris adoptionem
non abnuisse: vel etiam ambitione tractum, vt tali
successore desiderabilior ipse quandoque fieret.
Adduci tamen nequeo quin existimem, circum-
spectissimum principem, in tanto præsertim ne-
gotio, nihil temerè fecisse: sed vitiis virtutibúsque
F Tiberij perpensis, potiores duxisse virtutes: præ-
sertim cùm & *Reip. caussa adoptare se eum* pro
concione iurauerit: & epistolis aliquot, vt peri-
tissimum rei militaris, vtque vnicum populi Rom.
præsidium prosequatur. Ex quibus in exemplum
pauca hinc inde subieci. *Vale iucundissime Tiberi,
& rem gere feliciter, ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν
Iucundissime, & ita sim felix, vir fortissime & dux
νομιμώτατε. Vale. Et, Ordinem æstiuorum tuorum. Ego
verò, mi Tiberi, & inter tot rerum difficultates, καὶ
τοσαύτην ῥᾳθυμίαν τῶν στρατευομένων non potuisse, quem-*
G *quam prudentius gerere se, quàm tu gesseris, exi-
stimo. Hi quoque, qui tecum fuerunt omnes, confiten-
tur versum illum in te posse dici,
Vnus homo nobis vigilando restituit rem. Siue, in-
quit, quid incidit de quo sit cogitandum diligentius,
siue quid stomachor valde, medius fidius Tiberium
meum desidero: succurritque versus ille Homericus,*

Τούτου γ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι.

Attenuatum te esse continuatione laborum, cùm au-

dio & lego, Dij me perdant, nisi cohorrescit corpus meum: téque rogo vt parcas tibi: ne si te languere audierimus, & ego & mater tua exspiremus, & de summa imperij sui populus Rom. periclitetur. Nihil interest valeam ipse nec ne, si tu non valebis: Deos obsecro, vt te nobis conseruent, & valere nunc & semper patiantur, si non populum Rom. perosi sunt.

EXCESSVM Augusti non priùs palam fecit, quàm Agrippa iuuene interempto. Hunc tribunus militũ, custos appositus occidit, lectis codicillis, quibus vt id faceret, iubebatur. Quos codicillos dubium fuit, Augustúsne moriens reliquisset, quò materiam tumultus post se abduceret: an nomine Augusti Liuia, & ea conscio Tiberio an ignaro, dictasset. Tiberius renunciãti tribuno factum esse quod imperasset, *Neque imperasse se, & redditurum eum senatui rationem respondit.* inuidiam scilicet in præsentia vitans. Nam mox silentio rẽ obliterauit. Iure autem tribunitiæ potestatis coacto senatu, inchoatáque allocutione derepente velut impar dolori, congemuit: vtque non solùm vox, sed vt & spirit⁹ deficeret, optauit; ac perlegẽdum librum Druso filio tradidit. Illatum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus nisi senatorij ordinis, cæteris extra curiam signa agnoscentibus recitauit per libertum. Testamenti initium fuit: *Quoniam sinistra Fortuna Caium & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia & sextante heres esto.* Quo & ipso aucta est suspicio opinantium, successorem adscitum eum necessitate magis quàm iudicio: quando ita præfari non abstinuerit. Principatum quamuis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi & specie dominationis assumta, diu tamen recusauit impudentissimo animo nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros quanta bellua esset Imperium: nunc precantem senatum, & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens: vt quidam patientiam rumperent, atque vnus in tumultu proclamaret, *Aut agat, aut desistat:* alter corã exprobraret, *Cæteros quod polliciti sint, tardè præstare: se ipsũ quod præstet, tardè polliceri.* Tãdẽ quasi coactus & querens *miserã & onerosã iniungi sibi seruitutẽ*, recepit imperium: nec tamen aliter quàm vt depositurũ se quandóque spem faceret. Ipsius verba sunt hęc: *Dum veniam ad id tempus quo vobis æquum possit videri, dare vos aliquam senectuti meæ requiem.*

Cunctandi caussa erat, metus vndique imminentium discriminum: vt sæpe *lupum se auribus tenere* diceret. Nam & seruus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in vltionem domini compararat: & L. Scribonius Libo vir nobilis res nouas clàm moliebatur: & duplex seditio militum in Illyrico & in Germania exorta est. Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem: ante omnia, vt æquarentur stipendio prætorianis Germaniciani. Quidam etiam principem detrectabant non à se datum summáque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capessendam Remp. perurgebant, quanquam obfirmatè resistentem. Quem maximè casum timens partes sibi quas senatui liberet, tuendas in Rep. depoposcit: quando vniuersæ sufficere solus nemo posset: nisi cum altero, vel etiam cum pluribus. Simulauit & valetudinem, quò æquiore animo Germanicus celerem successionem, vel certè societatem principatus, operiretur. Compositis seditionibus, Cle-

A mentem quoque fraude deceptum, redegit in potestatem: Libonem, ne quid in nouitate acerbiùs fieret, secundo demum anno in senatu coarguit, medio temporis spatio tantum cauere contentus. Nam & inter pontifices sacrificanti simul pro secespita plumbeum cultrum subiiciendum curauit: & secretum petenti nonnisi adhibito Druso filio dedit: dextrámque obambulantis veluti incumbens, quoad perageretur sermo, cõtinuit. VERVM liberatus metu, ciuilem admodum inter initia ac

B paulò minus quàm priuatum egit. Ex plurimis maximísque honoribus, præter paucos & modicos non recepit. Natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus, vix vnius bigæ adiectione honorari passus est. Templa, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit: etiam statuas, atque imagines nisi permittente se poni: permisítque ea sola conditione, ne inter simulacra deorum, sed inter ornamenta ædium ponerentur. Intercessit & quò minùs in acta sua iuraretur: & ne mensis Septem-

C ber, Tiberius, October, Liuius, vocarentur. Prænomen quoque *IMPERATORIS*, cognoménque *PATRIS PATRIAE*, & ciuicam in vestibulo coronam recusauit. Ac ne *AVGVSTI* quidem nomen, quamquam hereditarium, vllis nisi ad reges ac dynastas epistolis addidit. Nec ampliùs quàm omnino tres consulatus, vnum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens vsque in Idus Maias gessit. Adulationes adeò auersatus est, vt neminem senatorum aut officij aut

D negotij caussa ad lecticam suam admiserit: consularem verò satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, vt caderet supinus, atque etiam si quid in sermone, vel in continua oratione blãdius de se diceretur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, & commutare continuò. *Dominus* appellatus à quodam, denuntiauit ne se ampliùs contumeliæ caussa nominaret. Alium dicentem, *sacras eius occupationes*: & rursus alium, *auctore eo senatum se adiisse*, verba mutare, & pro

E *auctore suasorem*: pro *sacris, laboriosas* dicere coëgit. Sed aduersus conuitia malósque rumores & famosa de se ac suis carmina firmus ac patiens, subinde iactabat, *In ciuitate libera linguam mentémque liberas esse debere.* Et quondam senatu cognitionem de eiusmodi criminibus ac reis flagitante. *Non tantum,* inquit, *otij habemus vt implicare nos pluribus negotiis debeamus, si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur.* Extat &

F sermo eius in senatu percivilis: *Siquidem locutus aliter fuerit, dabo operam vt rationem factorum meorum dictorúmque reddam: si perseuerauerit, inuicem eum odero.* Atque hæc eo notabiliora erant, quòd ipse in appellandis venerandísque singulis, & vniuersis, propè excesserat humanitatis modum. Dissentiens in curia à Q. Haterio, *Ignoscas,* inquit, *rogo, si quid aduersus te liberiùs, sicut senator, dixero.* Et inde omnes alloquens, *Dixi & nunc & sæpe alias P. C. bonum & salutarem principem,*

G *quẽ vos tãta & tã libera potestate instruxistis, senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus sæpe, & plerumque etiam singulis: neque id dixisse me pœnitet, & bonos & æquos & fauentes vos habui dominos, & adhuc habeo.*

Quin etiam speciem libertatis quandam induxit, conseruatis senatui ac magistratibus & maiestate pristina & potestate: neque tam paruum quidquam, neque tam magnum publici priuatique

negotij

[illegible] quæ non ad Patres Conscriptos [illegible] ibus ac monopoliis [illegible] reficiendisve operibus etiam de le[illegible] [illegible] auctorando milite, ac legionum [illegible] um descriptione. denique qu[illegible]bus [illegible] prorogari, aut extraordinaria bella [illegible] quid & qua forma regum litteris re[illegible] [illegible] tum alæ, de vi & rapinis reum [illegible] in senatu dicere coegit. Numquam [illegible] introiuit lectica quondam in[illegible] [illegible] comites à se remouit.

Q[illegible] diuersus se [illegible]rentiam suam decetni ne [illegible] quidem est. Negante eo, destinatos [illegible] abesse oportere, vt præsentes ho[illegible] acquiescerent, Prætor designatus, libe[illegible] gationem impetrauit. Iterum censente, vt [illegible] legatam in opus noui theatri pecu[illegible]u, ad munitionem viæ transferre concedere[illegible], obtine[illegible] non potuit quin rata voluntas lega[illegible] [illegible]. Cum senatusconsultum per discessio[illegible] forte fieret, transeuntem eum in alteram [illegible] in qua pauciores erant, secutus est nemo. Cætera quoque nonnisi per magistratus & iure ordinario a[illegible]bantur: tanta c o s. auctoritate vt legati ex Africa adierint eos, querentes trahi se à C[illegible]e, ad quem missi forent. Nec mirum, cùm pal[illegible] esse[illegible] ipsum quoque eisdem assurgere & de[illegible] via.

Corripuit consulares exercitibus præpositos, quòd non de rebus gestis senatui scriberent: quodque de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent: quasi non omnium tribuendorum ipsi ius haberent. Præturem collaudauit, quòd honore inito, consuetudinem antiquam retulisset [illegible] maioribus suis pro concione memorandi. Quorundam illustrium exsequias vsque ad [illegible] frequentauit. Parem moderationem [illegible] quoque & personis & rebus exhibuit. [illegible] Rhodiorum magistratus, quòd litteras publicas sine subscriptione ad se dederant, euocasset, ne v[illegible] quidem insectatus, ac tantummodo iussos [illegible]bere, remisit. Diogenes grammaticus, d[illegible] sabbatis Rhodi solitus, venientem, vt se extra ordinem audiret, non admiserat: ac per seruulum suum in septimum diem distulerat. Hunc Romæ salutandi sui causâ pro foribus adstantem [illegible] nihil [illegible] ampliùs, quàm vt post [illegible] annum rediret, admonuit. P[illegible] oneranda[illegible] tributo prouincias suadenti[illegible], rescripsit, *Boni pastoris, esse tondere pecus, non deglubere.* [illegible] principem exer[illegible] præstitit[illegible] [illegible] varium diu, commodi[illegible], & ad vtilitate publicas p[illegible]orem. A[illegible] interuen[illegible]ebat, [illegible] quid perperam [illegible] itaque & consiliu io[illegible] [illegible] dit. & magistratibus [illegible] cogn[illegible]s plerumque [illegible] of[illegible] [illegible] iliarium [illegible] atque mill[illegible], vel ex [illegible] in parte [illegible]. & si quem [illegible] [illegible] rumor [illegible] adesse iudi[illegible] [illegible] è plano, aut [illegible] tribunali, [illegible] ngionis, & n[illegible] cognoi[illegible] [illegible] bat, atque [illegible] pu[illegible] [illegible] deli[illegible]a aut mala [illegible]etudine [illegible] nda suscepit. L[illegible] ac [illegible] coercuit: mer[illegible] [illegible] pari[illegible]que gladiat[illegible] ad [illegible] Corru[illegible]

A [illegible]um pretia in immensum exarsisse, tresque mullos xxx. millibus nummûm venisse, grauiter conquestus, adhibendum supellectili modum censuit: annonámque macelli, Senatus arbitratu, quotannis temperandam; dato Ædilibus negotio, popinas ganeásque vsque eo inhibendi, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. Et vt parcimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, sollemnibus ipse cœnis pri-
B diana sæpe ac semesa opsonia apposuit, dimidiatúmque aprum: affirmans, *Omnia eadem habere, quæ totum.* Quotidiana oscula prohibuit edicto: item, strenarum commercium, ne vltra Kalendas Ianuarias exerceretur. Consueuerat quadruplam strenam & de manu reddere: sed offensus interpellari se toto mense ab iis qui potestatem sui die festo non habuissent, vltra non reddidit.

Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accu-
C sator publicus deesset, vt propinqui more maiorum de communi sententia coercerent, auctor fuit. Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vt vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum antè iurauerat. Fœminæ famosæ, vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exsoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex iuuentute vtriusque ordinis profligatissimus
D quisque, quò minùs in opera scenæ arenæque edenda senatusconsulto teneretur, famosi iudicij notam sponte subibant. Eos eaque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit. Senatori latum clauum ademit, cùm cognouisset sub Kalend. Iulij demigrasse in hortos, quò viliùs post diem ædes in vrbe conduceret. Alium & quæstura remouit, quòd vxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.

E Externas cærimonias, Ægyptios Iudaicósque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem, per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cæli distribuit: reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. Expulit & mathematicos: sed deprecantibus, ac se artem desituros promittentibus, ve-
F niam dedit.

In primis tuendæ pacis à grassaturis ac latrociniis seditionumque licentia, curam habuit. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romæ castra constituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ continerentur. Populares tumultus exortos grauissimè coërcuit: & ne orirentur, sedulò cauit. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum & histriones, propter quos dissidebatur, relegauit: nec vt reuocaret,
G vmquam vllis populi precibus potuit euinci. Cùm Polentina plebs funus cuiusdam Primipilaris non priùs ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorium munus: [illegible]hortem ab vrbe, & aliam a Cottij regno, dissi[illegible]ulata itineris caussa, detectis [illegible]nis, repentè armis [illegible] canentibusq; per diuersas portas in oppidum immisit, ac partem maiorē plebis ac decurionū in [illegible]a vincula coniecit. Aboleuit & ius morém-

sentiret, tempus sponsas habendi coarctauit: diuortiis modum imposuit. Senatorum affluentem numerum deformi & inconditâ turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat) ad modum pristinum & splendorem redegit, duabus lectionibus: prima, ipsorum arbitratu, quo vir virum legit: secunda, suo & Agrippæ. quo tempore existimatur lorica sub veste munitus, ferróque cinctus præsedisse, decem valentissimis senatorij ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam senatorum, nisi solum, & prætentato sinu. Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit: seruauitque etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandiq; publicè ius. Quo autem lecti probatique, & religiosiùs & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit vt priùs quam consideret quisque, thure ac mero supplicaret apud arã eius dei in cuius tẽplo coiretur: & ne plus quàm bis in mense legitimus senatus ageretur, Kalendis & Idibus: néve Septẽbri Octobríve mense vllos adesse alios necesse esset, quàm sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent: sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis antè tractaret. Sententias de maiore negotio, non more, atque ordine, sed prout libuisset, perrogabat: vt perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis quàm assentiendum esset. Auctor & aliarum rerum fuit: in queis, ne acta senatus publicarentur: ne magistratus deposito honore statim in prouincias mitterentur: vt proconsulibus ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur: vt cura ærarij à quæstoribus vrbanis ad prætorios prætorésve transiret: vt centumuiralem hastam, quam quæstura functi consueuerant cogere, decemuiri cogerent. Quóque plures partem administrandæ Reip. caperent, noua officia excogitauit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alueí Tiberis, frumenti populo diuidundi, præfecturam vrbis, Triumuiratum legẽdi senatus, & alterũ recognoscendi turmas equitum, quotiescunq; opus esset. Censores creari desitos longo interuallo creauit, numerum prætorũ auxit. Exegit etiam, vt quoties consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, satis maiestatem eius imminui, quòd honorem eũ nõ solus, sed cum altero gereret. Nec parcior in bellica virtute honoranda, super xxx. ducibus iustos triomphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit. Liberis senatorum, quò celeriùs Reip. assuescerẽt, protinus virilem togam, latum clauum induere, & curiæ interesse permisit: militiámq; auspicantibus, nõ tribunatum modò legionũ, sed & præfecturas alarũ dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlauios præposuit singulis alis. Equitum turmas frequenter recognouit, post longam intercapedinem reducto more transuectionis. Sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accusatore passus est: quod fieri solebat: & senio vel aliqua corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum quoties citarentur, pedibus venire. mox reddendi equi gratiam fecit eis qui maiores annorum quinque & triginta retinere eum nollent. Impetratisque à senatu decem adiutoribus, vnumquemque equitum rationem vitæ reddere coëgit: atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notauit: plures admonitione, sed varia. Leuissimum genus admonitionis fuit: traditio corám pugillarium, quos taciti & ibidem statim legerent. Notauitque aliquos, quòd pecunias leuioribus vsuris mutuati, grauiore fœnore collocassent. Comitiis tribunitiis si deessent candidati, senatores ex equitibus Romanis creauit: ita vt potestate transacta, in vtro vellent ordine, manerent. Cùm autem plerique equitum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis pronuntiauit, non teneri ea quibus ipsis parentibúsve equester census vnquam fuisset. Populi recensum vicatim egit, ac ne plebs frumentationum caussa frequentius a negotiis auocaretur, ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinauit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, vt sui quisque mensis acciperet. Comitiorum quoque pristinum ius reduxit: ac multiplici pœna coërcito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummûm à se diuidebat. Magni præterea existimans, sincerum, atque ab omni colluuione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum: & ciuitatem Romanam parcissimè dedit, & manumittendi modum terminauit. Tiberio pro cliente Græco petenti rescripsit, *Non aliter se daturum, quàm si præsens sibi persuasisset, quàm iustas petendi caussas haberet.* Et Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti, ciuitatem negauit, immunitatem obtulit: affirmans, *Se faciliùs passurum fisco detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ vulgari honorem.* Seruos non contentus multis difficultatibus à libertate, & multo pluribus à libertate iusta, remouisse: cùm & de numero & de conditione ac differentia eorum qui manumitterentur, curiosè cauisset, hoc quoque adiecit, ne vinctus vnquam tortúsve quis, vllo libertatis genere ciuitatem adipisceretur. Etiam habitum vestitúmque pristinum reducere studuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans: *En* ait,

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Negotiũ ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in Foro Circóve, nisi positis lacernis, togatum consistere. LIBERALITATEM omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit. Nam & inuecta vrbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, vt fœnore diminuto, plurimum agrorum pretiis accesserit. Et postea quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, vsum eius gratuitum iis qui cauere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Senatorum cẽsum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxauit, suppleuitque non habentibus. Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersæ ferè summæ modò quadringenos, modò tricenos: nonnunquam ducenos quinquagenósque nummos. ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis nonnisi ab vndecimo ætatis anno accipere consuessent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe leuissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesseras que nummarias

nummarias duplicauit. Sed vt salubrem magis quam ambitiosum principem scires, querentem de inopia & caritate vini populum, seuerissima coe[illegible]uit voce. *Satis prouisum a genero suo Agrippa* [illegible] *pluribus aquis ne homines sitirent.* Ei[illegible] d[illegible] p[illegible] promissum quidem congiarium te[illegible]p[illegible]nti, *Bo[illegible]se fidei esse respondit*: non promissum a[illegible]tem flagitanti, turpitudinem & impuden[illegible]t[illegible]to exprobrauit: affirmauitque, non da[illegible]turu[illegible] se quan uis dare destinarat. Nec minore grauit[illegible] atque constantia, cùm proposito congiario multos manumissos, [illegible]ertósque ciuium nu[illegible]ro, comperisset, negauit accepturos quibus pro[illegible]um non esset: cæterisque minus quàm promiserat, dedit, vt destinata summa sufficeret. Magna vero quondam sterilitate, ac difficili re[illegible]medio, cùm venalicias & lanistarum familias, pe[illegible]reg[illegible]ue omnes, exceptis medicis & præce[illegible]pto[illegible]us, partemque seruitiorum, vrbe expulisset, vt tandem annona conualuit, *impetum se cepisse* scribi[illegible] *frumentationes publicas in perpetuum abolendi* [illegible] *earum fiducia cultura agrorum cessa*[illegible] [illegible] *tamen perseuerasse, quia certum ha*[illegible] *et, p*[illegible] *per ambitionem quandoque restitui.* [illegible]ta post hanc [illegible]em temperauit, vt non mino[illegible] [illegible]orum [illegible] ac negotiantium, quàm popul[illegible] [illegible]em deduceret. SPECTACVLORVM & [illegible] [illegible] atque magnificentia, o[illegible]m[illegible]. Fecisse ludos se ait suo nomine q[illegible] [illegible]us magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Fecitque nonnu[illegible]qua vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histrion[illegible] non in foro modò, nec Amphitheatro, sed in C[illegible] & in Septis, & aliquando nihil præter venationem edidit. Athletas exstructis in [illegible] [illegible]o sedilibus ligneis: item naualepr[illegible] Tiberim cauato solo: in quo [illegible] C[illegible] [illegible] nemus est. Quibus diebus custodes in vrbe disposuit, ne raritate remanen[illegible]tium [illegible] obnoxia esset. In circo aurigas cur[illegible]s[illegible]que & conse[illegible]res [illegible]tarum, & nonnunq[illegible]n [illegible] nobilissi[illegible] [illegible]uenture, produxit. Sed & Tro[illegible] [illegible]um edidit frequentissimè, maiorum min[illegible]rum[illegible] puerorum d[illegible]lectu: prisci decorique mo[illegible] existimans, claræ stirpis indolem sic notesc[illegible]. [illegible] hoc ludicro C. Nonium Asprenatem la[illegible] [illegible]tarum, au[illegible]eo torque donauit: passúsque [illegible] posteros que Torquati ferre cognomen. Mox fin[illegible] fecit talia edendi, Asinio Pollio[illegible]n[illegible] or[illegible] grauiter inuidioséque in curia que[illegible]st[illegible] [illegible] nepotis sui casum, qui & ipse crus [illegible] Ad scenicas quoque & gladiato[illegible] [illegible] iam equitibus Romanis aliquando v[illegible] verùm priùs quàm senatusconsul[illegible]to [illegible]rceretur. P[illegible]stea nihil sanè, præter[illegible] [illegible] Lucium honestè natum, [illegible] tantùm [illegible]nderet, quòd erat bipeda[illegible]l[illegible] [illegible] ostenderet, ac vocis im[illegible] [illegible] autem muneris die, Parthorum [illegible] primùm miss[illegible] per arenam me[illegible] [illegible] spectaculum induxit [illegible] super se subsel[illegible] [illegible] collocauit. Solebat etiam citra spec[illegible]tac[illegible] [illegible] dies, si quando quid inusitatum dig[illegible]umque [illegible]nitu adductum esset, [illegible] extra ordi[illegible]n[illegible] qu[illegible] loco publicare: vt rh[illegible] [illegible] Sept[illegible] ge[illegible] in scena: anguem quinquagin[illegible] [illegible] pro comitio. Accidit votiuis cir[illegible] [illegible] correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret: rursus commissione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, euenit vt laxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, cùm consternatum ruinæ metu populum retinere, & confirmare nullo modo posset, transiit è loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maximè erat.

Spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinauitque, motus iniuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, vt quoties quid spectandum vsquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus: Romæ legatos liberarum sociarúmque gentium vetuit in orchestra considere: cùm quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem secreuit à populo. Maritis è plebe proprios ordines assignauit: prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis: sanxitque ne quis pullatorum media cauea sederet. Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal, dedit. Athletarum verò spectaculo muliebrem sexum omnem adeò submouit, vt Pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus: edixeritque, *Mulieres ante horam quintam venire in theatrum, non placere.* Ipse Circenses ex amicorum ferè libertorúmque cœnaculis spectabat, interdum è puluinari, & quidem cum coniuge ac liberis sedens, spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat: petita venia, commendatisque qui suam vicem præsidendo fungerentur. Verùm quoties adesset, nihil prætera agebat: seu vitandi rumoris caussa, quo patrem Cæsarem vulgò reprehensum commemorabat, quòd inter spectandum, epistolis, libellisque legendis, ac rescribendis vacaret: seu studio spectandi, ac voluptate, qua teneri se neque dissimulauit vnquam, & sæpe ingenuè professus est. Itaque corollaria & præmia alienis, quoque muneribus ac ludis & crebra & grandia de suo offerebat: nullique Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honorauerit. Spectauit autem studiosissimè pugiles, & maximè Latinos: non legitimos atque ordinarios modò, quos etiam committere cum Græcis solebat: sed & catervarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. Vniuersum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conseruauit priuilegia, & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, magistratibus in omni tempore & loco, lege vetere, permissam, ademit: præterquam ludos & scenam. Nec tamen eo minus aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas seuerissimè semper exegit. Nā histrionum licentiā adeò compescuit, vt Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circūtonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis cæsum relegauerit: Hylam pantomimum, querente prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberauerit: & Pyladem vrbe atq; Italia submouerit, quòd spectatorem, à quo exsibilabatur, demonstrasset digito, conspicuúmque fecisset. Ad hunc modum vrbe vrbanisq; rebus ad-

ministratis, ITALIAM duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentauit, operibúsque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam iure ac dignatione vrbi quodam modo pro parte aliqua adæquauit: excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus vrbicis decuriones colonici, in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Ac necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentis etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat: aut iis qui è plebe regiones sibi reuisenti filios filiásve approbarent, singula nummorum millia pro singulis diuidebat. PROVINCIAS validiores, & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile tutum erat, ipse suscepit: cæteras proconsulibus sortitò permisit: & tamen nonnullas commutauit interdum, atque ex vtroque genere plerasque sæpius adiit. Vrbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate priuauit: alias, aut ære alieno laborantes leuauit, aut terræ motu subuersas denuò condidit, aut merita erga Pop. Rom. allegantes, Latinitate, vel ciuitate, donauit. Nō est, vt opinor, prouincia, excepta duntaxat Africa & Sardinia, quam non adierit. In has fugato Sexto Pompeio, traiicere ex Sicilia apparantem, continuæ & immodicæ tempestates inhibuerunt, nec mox occasio aut caussa traiiciendi fuit. REGNA, quibus belli iure potitus est, præter pauca, aut iisdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. Reges socios etiam inter semetipsos necessitudinibus mutuis iunxit: promptissimus affinitatis cuiusque atque amicitiæ conciliator & fautor. nec aliter vniuersos, quàm membra partésque imperij, curæ habuit. Rectorem quoque solitus est apponere ætate paruis, ac mente lapsis, donec adolescerent aut resipiscerent: ac plurimorum liberos & educauit simul cum suis & instituit.

EX MILITARIBVS COPIIS legiones & auxilia prouinciatim distribuit: classem Miseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi & inferi maris, collocauit. Certum numerum partim in vrbis, partim in sui custodiam allegit: dimissa Calagurritanorum manu, quam vsque ad deuictum Antonium: item Germanorum, quam vsque ad cladem Varianam, inter armigeros circa se habuerat. Neque tamen vnquam plures quàm tres cohortes in vrbe esse passus est, eásque sine castris, reliquas in hiberna & æstiua, circa finitima oppida dimittere assuerat. Quidquid autem vbique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorúmque formulam adstrinxit: definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum: ne aut ætate aut inopia post missionem solicitari ad res nouas possent. Vtque perpetuò ac sine difficultate sumtus ad tuendos eos prosequendósque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Et quò celeriùs, ac sub manum annuntiari cognoscique posset, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit: commodius id visum est, vt qui à loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigerēt, possent. In diplomatibus, libellisq; & epistolis signandis, initio Sphinge vsus est: mox imagine Magni Alexandri: nouissimè sua, Dioscoridis manu sculpta, qua signare inse-

A cuti quoq; principes perseuerauerunt. Ad epistolas omnes horarum quoque momenta nec diei modò, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat. Clementiæ ciuilitatísque eius multa & magna documenta sunt: Ne enumerem quot & quos diuersarum partium, venia & incolumitate donatos, principem etiam in ciuitate locum tenere passus sit: Iunium Nouatum, & Cassium Patauinum, è plebe homines, alterum pecunia, alterum B leui exilio punire satis habuit: cùm ille Agrippæ iuuenis nomine, asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset: hic conuiuio pleno proclamasset, *Neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum.* Quadam verò cognitione, cùm Æmilio Æliano Cordubensi inter cætera crimina vel maximè obiiceretur, quòd malè opinari de Cæsare soleret, conuersus ad accusatorem commotóque similis: *Velim,* inquit, *hoc mihi probes: faciam, sciat AElianus & me linguam habere: plura* C *enim de eo loquar.* Nec quidquam vltra, aut statim aut postea inquisiuit. Tiberio quoque de eadem re sedulò violentiùs apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: *Aetati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quemquam esse qui de me malè loquatur. Satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.* Templa quamuis sciret etiam proconsulibus decerni solere: in nulla tamen prouincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit? nam in vrbe D quidem pertinacissimè abstinuit hoc honore. Atque etiam argenteas statuas olim sibi positas conflauit omnes: éxque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicauit. Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est: Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo, *O dominum æquum & bonum*: & vniuersi quasi de ipso dictum exsultantes E comprobassent: & statim manu vultúque indecoras adulationes repressit: & insequenti die grauissimo corripuit edicto, *dominúmq;* se post hac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò vel ioco, passus est. atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temerè vrbe oppidóve vllo egressus, aut quoquā ingressus est, nisi vespere aut noctu: ne quem officij caussa inquietaret. In consulatu, pedibus ferè: extra consulatum, sæpe adoperta sella per publicum inces- F sit. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, *quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.* Die senatus nunquam patres nisi in curia salutauit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente: & discedens eo modo sedentibus singulis valedicebat. Officia cum multis mutuò exercuit: nec priùs dies cuiusque solem- G nes frequentare desiit, quàm grandior iam natu, & in turba quondam sponsaliorum die vexatus. Gallum Terrinium senatorem, minùs sibi familiarem, sed captum repente oculis, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando reuocauit ad vitam. In senatu verba facienti dictum est, *Non intellexi*: & ab alio, *Contradicerem tibi si locum haberem.* Interdum ob immodicas altercationes disceptantium è curia per iram se proripienti quidam ingesserunt, *Licere oportere senatoribus de Rep. loqui.* Antistius Labeo

senatus

senatus [illegible]ione, cùm vir virum legeret, M. Lepidum hostem olim eius, & tunc exsulantem, legit: interrogatusq; ab eo, *an essent alij digniores, Suum quemque iudicium habere* respondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

[illegible]tiam sparsos de se in curia famosos libellos, nec expauit, & magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modò censuit, cognoscendum posthac de iis qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant. Iocis quoque quorundam inuidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia, ne senatus quidquam constitueret, intercessit. Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat: supplicabátque more solemni. Ferebat & ipse suffragium in tribu, vt vnus è populo. Testem se in iudiciis & interrogari & refelli æquissimo animo patiebatur. Forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos. Numquam filios suos populo commendauit, vt non adiiceret, *Si merebuntur.* Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab vniuersis in theatro, & à stantibus plausum, grauissimè questus est. Amicos ita magnos & potentes in ciuitate esse voluit, vt tamen pari iure essent quo cæteri, legibúsque iudiciariis æquè tenerentur. Cùm Asprenas Nonius arctius ei iunctus ei iunctus, caussam veneficij, accusante Cassio Seuero, diceret: consuluit senatum quid officij sui putaret: *Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum: si deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur.* Et consentientibus vniuersis, sedit in subselliis per aliquot horas: verum tacitus, ac ne laudatione quidem iudiciali data. Affuit & clientibus: sicut Scutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum. Vnum *omnino* è reorum numero, ac ne eum quidem, nisi precibus, eripuit, exorato coram iudicibus accusatore, Castricium, per quem de coniuratione Murenæ cognouerat. PRO QVIBVS meritis quantoperè dilectus sit, facile est æstimare. Omitto senatusconsulta, quæ possunt videri vel necessitate expressa, vel verecundia. Equites Romani natalem eius sponte atque consensu, biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtij quotannis ex voto pro salute eius stipem iaciebant: item Kalendis Ianuariis strenam in Capitolio, etiam absenti: ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat: vt Apollinem Sandaliarium, & Iouem Tragœdum, aliáque in restitutionem Palatinæ domus incendio absumtæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam sigillatim è cætero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias c[illegible]tulerunt: delibante tantummodo eo summ[illegible] aceruos, neque ex quoquam plus denario auferente. Reuertentem ex prouincia, non solùm faustis ominibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur. Obseruatum etiam est, ne quoties introiret vrbem, supplicium de quoquã sumeretur.

Patris patriæ cognomen vniuersi repentino maximóque consensu detulerunt ei. Prima plebs, le[illegible]one Antium missa: dein quia non [illegible]cipiebat, [illegible]neunti Romæ spectacula frequens & laureata: [illegible]n curia senatus: neque decreto, neque acclam[illegible]one, sed per Valerium Messallam id mandan[illegible] cunctis: *Quod bonum,* inquit, *faustumque sit [illegible] domuique tuæ, Cæsar Auguste (sic enim nos perpetuam felicitatem Reip. & læta huic precari existimamus) Sen. te consentiens cum pop. R. consalutat PATRIAE PATREM.* Cui lacrymans respondit Augustus, his verbis (ipsa enim sicut Messallæ, posui) *Compos factus votorum meorum, Patres C. quid habeo aliud deos immortales precari, quàm vt hunc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat?* Medico Antonio Musæ, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, statuam, ære collato, iuxta signum Æsculapij statuerunt. Nonnulli patrumfamiliarum: testamento cauerunt, vt ab heredibus suis, prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, votúmq; pro se solueretur, *QVOD SVPERSTITEM AVGVSTVM RELIQVISSENT.* Quædam Italiæ ciuitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt. Prouinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales pæne oppidatim constituerunt. Reges amici atque socij, & singuli in suo quisque regno, Cæsareas vrbes condiderunt: & cuncti simul, ædem Iouis Olympici Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi sumtu destinauerunt, Geniòque eius dedicare: ac sæpe relictis, non Romæ modò, sed prouincias peragranti, quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientium præstiterunt.

QVONIAM qualis in imperiis ac magistratibus, regendáque per terrarũ orbem pace bellóque Rep. fuerit, exposui: referam nunc interiorem ac familiarem eius vitam: quibúsque moribus atque fortuna domi & inter suos egerit, à iuuenta vsque ad supremum vitæ diem. Matrem amisit in primo consulatu: sororem Octauiam, quinquagesimum & quartum agens ætatis annum. Vtrique cùm præcipua officia viuæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit.

Sponsam habuerat adolescens P. Seruilij Isaurici filiam: sed reconciliatus post primam discordiam Antonio, & postulantibus vtriusque militibus, vt & necessitudine aliqua iungerentur, priuignam eius Claudiam, Fuluiæ ex P. Clodio filiam, duxit vxorem, vix dum nubilem. Ac simultate cũ Fuluia socru exorta, dimisit intactam adhuc, & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam antè duobus consularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam diuortium fecit, pertæsus, vt scribit, morum peruersitatem eius: ac statim Liuiam Drusillam matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque & probauit vnicè ac perseueranter. Ex Scribonia Iuliam, ex Liuia nihil liberorum tulit, cùm maximè cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus. Iuliam primùm Marcello, Octauiæ sororis suæ filio, tantum quòd pueritiam egresso: deinde vt is obiit, M. Agrippæ nuptũ dedit; exorata sorore vt sibi genero cederet. Nam tunc Agrippa alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos. Hoc quoque defuncto, multis, ac diu, etiã ex equestri ordine, circumspectis conditionibus, Tiberium priuignum suum elegit: coëgítque prægnantem vxorem, & ex qua iam pater erat, dimittere. M. Antonius scribit, *Primum eum Antonio filio suo despondisse Iuliam: dein Cotisoni Getarum regi: quo tempore sibi quoque inuicem filiam regis in matrimoniũ petisset.* Nepotes ex Agrippa & Iulia tres habuit, Caium, Lucium, & Agrippam: neptes duas Iuliam Agrippinam. Iuliam L. Paullo Censoris filio, Agrippinam Germanico sororis suæ nepoti collocauit. Caium & Lucium adoptauit

domi, per assem & libram emtos à patre Agrippa: tenerósque adhuc ad curam Reip. admouit: & cõsules designatos circum prouincias exercitúsque dimisit. Filiam & neptes ita instituit, vt etiam lanificio assuefaceret: vetaretq; loqui, aut agere quidquam, nisi propalam, & quòd in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cœtu adeò prohibuit, vt L. Tucinio, claro decoróque iuueni, scripserit quondam, *Parum modestè fecisse eum, quòd filiam suam Baias salutatum venisset.* Nepotes, & litteras & natare rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æquè laborauit: quàm vt imitarentur chirographum suum. Neque cœnauit vnà, nisi vt in imo lecto assiderent: neque iter fecit, nisi vt vehiculo anteirẽt aut circà adequitarent. Sed lętum eum atque fidentem & sobole & disciplina domus, Fortuna destituit. Iulias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegauit. Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos: Caio, in Lycia: Lucio, Massiliæ, defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simúlque priuignum Tiberium adoptauit in foro, lege Curiata. Ex quibus Agrippam, breui, ob ingenium sordidum ac ferox abdicauit, seposuítque Surrentum. Aliquanto autem patientiùs mortem quàm dedecora suorum tulit. Nam Caij Luciique casu nõ adeò fractus, de filia, absens, ac libello per quæstorem recitato, notum senatui fecit: abstinuitque congressu hominum diu, præ pudore, etiam de necanda deliberauit. Certè cùm sub idem tempus vna ex cõsciis liberta, Phœbe nomine, suspendio vitam finisset: *Maluisse se*, ait, *Phœbes patrem fuisse.* Relegatæ vsum vini, omnémque delicatiorem cultum ademit: neque adiri à quopiam libero, seruóve, nisi se cõsulto, permisit: & ita vt certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. Post quinquennium demum ex insula in continentem, lenioribúsque paullo conditionibus, transtulit eam: nã vt omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit: deprecanti sæpe populo Rom. & pertinaciùs instanti, *tales filias talésque coniuges* pro concione imprecatus est. Ex nepte Iulia, post damnationem, editum infantem agnosci, alique vetuit. Agrippam nihilò tractabiliorem, immò in dies amentiorem, in insulam transportauit, sepsítque insuper custodia militum. Cauit etiam senatusconsulto, vt eodem loci in perpetuum contineretur: atque ad omnem & eius & Iuliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat,

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

nec aliter illos appellare quàm *treis vomicas*, aut *tria carcinomata sua.*

AMICITIAS neque facilè admisit, & constantissimè retinuit: non tantùm virtutes ac merita cuiusque dignè prosecutus, sed vitia quoque & delicta dumtaxat modica perpessus. Neque enim temerè, ex omni numero, in amicitia eius afflicti reperientur, præter Saluidienum Rufum, quem ad consulatum vsq;, & Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Ægypti, ex infima vtrumque fortuna, prouexerat. Quorum alterum res nouas molientem, damnandum senatui tradidit: alteri ob ingratum & maleuolum animum domo & prouincijs suis interdixit. Sed Gallo quoq; & accusatorum denontiationibus & senatusconsultis ad necem compulso, laudauit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: cæterùm & illacry-

A mauit, & vicem suam conquestus est, *quòd sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.* Reliqui potentia atque opibus ad finem vitę suę cuiusque ordinis principes floruerunt: quamquam & offensis interuenientibus. Desiderauit enim nonnumquam, ne de pluribus referam, & M. Agrippæ patientiam, & Mæcenatis taciturnitatem: cùm ille ex leui rigoris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus

B contulisset: hic secretum de comperta Murenæ coniuratione, vxori Terentiæ prodidisset. Exegit & ipse inuicem ab amicis beneuolentiam mutuã, tàm à defunctis quàm à viuis. Nam quamuis minimè appeteret hereditates, vt qui numquam ex ignoti testamentento capere quidquam sustinuerit: amicorum tamẽ suprema iudicia morosissimè pensitauit, neq; dolore dissimulato, si parciùs, aut citra honorem verborum: neque gaudio, si gratè piéque quis se prosecutus fuisset. Legata, vel par-

C tes hereditatum à quibuscumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere consueuerat. Patronus dominúsque non minus seuerus, quàm facilis & clemens, multos libertorum in honore & vsu maximo habuit: vt Licinium Enceladum, aliósque, Cosmum seruum grauissimè de se opinantem, nõ vltrà quàm cõpedibus coercuit. Dio-

D medem dispensatorem, à quo, simul ambulãte, incurrenti repentè fero apro per metum obiectus est, maluit timiditatis arguere quàm noxæ: rémq; non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in iocum vertit. Idem Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit, compertum adulterare matronas. Thallo à manu, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit. Pędagogum ministrósque Caij filij, per occasionem valetudinis mortisq; eius superbè auaréq; in prouincia grassantes, oneratis graui pondere ceruici-

E bus, præcipitauit in flumen. PRIMA iuuenta variorum dedecorum infamiam subiit. Sex. Pompeius vt effœminatum insectatus est. M. Antonius adoptionem auunculi stupro meritum. Item Lucius Marci frater, quasi pudicitiam delibatam à Cæsare, A. etiam Hirtio in Hispania ccc. millibus nummûm substrauerit: solitúsque sit crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Sed & populus quondam vniuersus ludorum die, &

F accepit in contumeliam eius, & assensu maximo comprobauit versum in scena pronunciatum de Gallo matris Deûm tympanizante,

Videsne vt cinædus orbem digito temperet?

Adulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant: excusantes sanè non libidine, sed ratione commissa: quò faciliùs consilia aduersariorum per cuiusque mulieres exquireret. M. Antonius super festinatas Liuiæ nuptias obiecit, & fœminam consularem è triclinio viri coràm in cubiculum abductam, rursus in conuiuium

G rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam: & dimissam Scriboniam, quia liberiùs doluisset nimiam potentiam pellicis: & conditiones quæsitas per amicos, qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tamquam Thoranio mangone vendente. Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, nec dum planè inimicus, aut hostis. *Quid te mutauit? quòd reginam ineo? vxor mea est. Nunc cœpi, an abhinc annos*

nouem

nouem. Tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas vt tu hanc epistolam cùm leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Saluiam Titisceniam, aut omnes. Anne refert vbi & in quam arrigas? COENA quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur: in qua deorum dearúmque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modò epistolæ singulorum nomina amarissimè annumerantis, exprobrant, sed & sine auctore notissimi versus,

Cùm primum istorum conduxit mensa choragum,
Séxque deos vidit Mallia, séxque deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc Numina declinarunt:
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tunc in ciuitate pænuria ac fames. Acclamatúmque est postridie, *frumentum omne deos comedisse: & Cæsarem esse planè Apollinem, sed Tortorem.* quo cognomine is Deus quadam in parte vrbis colebatur. Notatus est vt pretiosæ supellectilis Corinthiorúmq; præcupidus, & aleæ indulgens. Nam & proscriptionis tempore ad statuam eius adscriptum est,

Pater argentarius, ego Corinthiarius.

cùm existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Et deinde bello Siciliensi epigramma vulgatum est,

Postquam bis classe victus naues perdidit,
Aliquando vt vincat, ludit assiduè aleam.

Ex quibus siue criminibus siue maledictis, infamiam impudicitię facillimè refutauit & pręsentis & posteræ vitæ castitate. Item lautitiarum inuidiam, cùm & Alexandria capta, nihil sibi pręter vnum murrhinum calicem, & instrumento regio, retinuerit: & mox vasa aurea assiduissimi vsus conflauerit omnia. Circa libidines hæsit: postea quoque, vt ferũt, ad vitiandas virgines promtior, quæ sibi vndiq; etiam ab vxore conquirerentur. Aleæ rumorem nullo modo expauit: lusitque simpliciter & palàm oblectamenti caussa etiã senex: ac præterquam Decembri mense, aliis quoque festis profestísque diebus. Nec id dubium est, autographa quadam epistola, *Cœnaui*, ait, *mi Tiberi cum iisdem. Accesserunt conuiuæ Vinicius & Silius pater. Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim iactatis, vt quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuersos qui Venerem iecerat.* Et rursus aliis litteris, *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis iucundè egimus. Lusimus enim per omnes dies, foriúmque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimẽtis præter spem paullatim retractus est. Ego perdidi viginti millia nummûm, meo nomine: sed cùm effusè in lusu liberalis fuissem, vt soleo plerumque. Nã si quas manus remisi cuique, exegissẽ, aut retinuissem quod cuique donaui, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet.* Scribit ad filiam, *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis conuiuis dederam: si vellent inter se inter cœnam vel talis vel par impar ludere.* In cæteris partibus vitæ continentissimum fuisse constat, ac sine suspicione vllius vitij. Habitauit primò iuxta Romanum fo-

A rum supra Scalas anularias, in domo quæ Calui oratoris fuerat: postea in Palatio: sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate neque cultu conspicuis: vt in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, & sine marmore vllo, aut insigni pauimento conclauia. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme & æstate mansit: quamuis parum salubrem valetudini suæ vrbem hieme experiretur,
B assiduéque in vrbe hiemaret. Si quando quid secretò aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τεχνόφυον vocabat: huc transibat, aut in alicuius libertinorum suburbanum: æger autem in domo Mæcenatis cubabat. Ex secessibus præcipuè frequentauit maritima, insulásque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, Lanuuiu, Præneste, Tibur: vbi etiam in porticibus Herculis templi persæpe ius dixit. Ampla & operosa prætoria grauabatur.
C Et neptis quidem suæ Iuliæ, profusè ab ea extructa, etiam diruit ad solum: sua verò quamuis modica, non tam statuarum tabularúmque pictarum ornatu, quàm xystis & nemoribus excoluit, rebúsque vetustate ac raritate notabilibus: qualia sunt Capreis immanium belluarum ferarúmq; membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, & arma Heroum. Instrumenti eius & supellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix priuatę elegan-
D tiæ sunt. Ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili & modicè instrato. Veste non temerè alia quàm domestica vsus est, ab vxore & sorore & filia neptibúsq; confecta: togis neque restrictis neque fusis clauo, nec lato nec angusto: calceamentis altiusculis, vt procerior quàm erat, videretur. Et forensia autem, & calceos numquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinósque casus parata. Conuiuabatur & assiduè, nec vmquam nisi recta: non sine magno ordinum hominúmq;
E delectu. Valerius Messalla tradit, neminem vmquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, post proditam Sex. Pompeij classem. Ipse scribit inuitasse se quendam, in cuius villa maneret, qui speculator suus olim fuisset. Conuiuia nonnumquam & seriùs inibat, & maturiùs relinquebat: cùm conuiuæ & cœnare inciperent priùs quàm ille discumberet, & permanerent digresso eo. Cœnam trinis ferculis, aut cùm abundantissimè senis, præbebat,
F vt non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes vel submissim fabulantes prouocabat, & aut acroamata, & histriones, aut etiam triuiales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos. Festos & solennes dies profusissimè, nonnumquam iocullariter tantùm celebrabat. Saturnalibus, & si quando aliàs libuisset, modò munera diuidebat, vestem & aurum, & argentum: modò nummos o-
G mnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos: interdum nihil præter cilicia & spongias, & rutabula & forpices, atque alia id genus, titulis obscuris & ambiguis. Solebat & inæqualissimarum rerum sortes, & aduersas tabularũ picturas in cõuiuio vẽditare: incertóq; casu spẽ mercãtiũ vel frustrari vel explere: ita vt per singulos lectos licitatio fieret, & seu iactura seu lucrũ cõmunicaretur.

Cibi (nam ne hoc quidem omiserim) minimi erat atque vulgaris ferè. Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu

pressum, & ficos virides bifetas maximè appetebat: vescebatúrque & ante cœnam, quocumque tempore & loco, quo stomachus desiderasset. Verba ipsius ex epistolis sunt, *Nos in essedo panem & palmulas gustauimus.* Et iterum; *Dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi.* Et rursus, *Ne Iudæus quidē, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium seruat quàm ego hodie seruaui: qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducaui prius quàm vngui inciperem.* Ex hac obseruantia nonnunquam vel ante initium vel post dimissum conuiuium solus cœnitabat, cùm pleno conuiuio nihil tangeret. Vini quoq; natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super cœnā in castris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit. Postea, quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit, aut si excessisset, reijciebat. Et maximè delectatus est Rhætico, neque temerè interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, vel lactuculæ thyrsum, aut recens aridúmve pomum suci vinosioris. Post cibum meridianum, ita vt vestitus calceatúsque erat, retectis pedibus paullisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non ampliùs, cùm plurimum, quàm septem horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, sed vt in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare, vt euenit, nō posset: lectoribus, aut fabulatoribus arcessitis, resumebat, producebátq; vltra primam sæpe lucem. Nec in tenebris vigilauit vnquā, nisi assidente aliquo. Matutina vigilia offendebatur: ac si vel officij vel sacri caussa maturiùs euigilandum esset, ne id cōtra commodum faceret, in proximo cuiuscumque domesticorum cœnaculo manebat. Sic quoq; sæpe indigēs somni, & dum per vicos deportaretur, & deposita lectica inter aliquas moras condormiebat. FORMA fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima, quanquā & omnis lenocinij negligens, & in capite comendo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operam daret: ac modò tonderet, modò raderet barbam: eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat, vel in sermone vel tacitus, adeò tranquillo serenóq; vt quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quò minùs, vt destinatat, in transitu Alpium per simulationē colloquij propius admissus, in præcipitiū propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiā existimari volebat inesse quiddā diuini vigoris; gaudebátque, si quis sibi acriùs contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret: sed in senecta sinistro minùs vidit. Dentes raros & exiguos, & scabros: capillum leuiter inflexum & subflauum, supercilia coniuncta, mediocres aures: nasum & à summo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem inter aquilum candidúmque: staturam breuem: (quam tamen Iulius Marathus libertus etiam in memoriam eius quinque pedum & dodrantis fuisse tradit:) sed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur: vt nonnisi ex comparatione adstantis alicuius procerioris intelligi posset. Corpore traditur maculoso, dispersis

A per pectus atque aluum genitiuis notis, in modum & ordinem ac numerum stellarum cælestis Vrsę: sed & callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduóque & vehementi strigilis vsu, plurifariam concretis, ad impetiginis formam. Coxendice, & femore, & crure sinistro, non perinde valebat, vt sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio arenarum atque arundinum cōfirmabatur. Dextræ quoque manus digitum salutarem, tam imbe-

B cillum interdum sentiebat, vt torpentem contractúmque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturæ admoueret. Questus est & de vesica, cuius dolore, calculis demum per vrinam eiectis, leuabatur. Graues & periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est: præcipuè Cantabria domita, cùm etiam distillationibus iecinore vitiato, ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi necessariò subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis cu-

C rari coactus auctore Antonio Musa. Quasdam & anniuersarias, ac tempore certo recurrentes, experiebatur. Nam sub natalem suum plerumque languebat: & initio veris præcordiorum inflatione tentabatur: austrinis autē tēpestatibus, grauedine. Quare quassato corpore, neque frigora neq; æstus facilè tolerabat. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & subucula thorace laneo, & feminalibus, & tibialibus muniebatur: æstate apertis cu-

D biculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat. Solis verò ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub diuo spatiabatur. Itinera lectica, & noctibus ferè, eáque lenta ac minuta faciebat, vt Præneste vel Tibur biduo procederet. Ac si quo peruenire mari posset, potius nauigabat. Verùm tantam infirmitatem magna cura tuebatur, in primis lauandi raritate. Vngebatur etiam sæpius, & sudabat ad flammam: deinde perfunde-

E batur egelida aqua, vel sole multo calefacta. At quoties neruorum caussa, marinis, Albulisque calidis vtendum esset, contentus hoc erat, vt insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ac pedes alternis iactaret. Exercitationes campestres equorum & armorum statim post ciuilia bella omisit: & ad pilam primò folliculúmque transiit: mox nihil aliud quàm vectabatur & deambulabat: ita vt in extremis spatiis subsultim decurreret, sestertio vel lo-

F dicula inuolutus. Animi laxandi caussa, modò piscabatur hamo: modò talis, aut ocellatis, nucibúsque cū pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat, præcipuè Mauros & Syros. Nam pumilios, atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturæ malique ominis, abhorrebat. ELOQVENTIAM studiáque liberalia ab ętate prima & cupidè & laboriosissimè exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse & scripsisse & declamasse quotidie traditur. Nam deinceps neque in senatu, ne-

G que apud populum, neque apud milites locutus est vnquam, nisi meditata & composita oratione: quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores, nonnisi in scriptis, & è libello habebat: ne plus minúsve loqueretur ex tempore. Pronuntiabat dulci & proprio quodam oris sono: dabatq; assiduè phonasco ope-

ram:

ram: sed nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est. Multa varij generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitauit: sicut *Rescripta Bruto de Catone.* Quæ volumina cùm iam senior ex magna parte legisset, fatigatus, Tiberio tradidit perlegenda. Item *Hortationes ad philosophiam*: & aliqua *De vita sua*, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec vltrà exposuit. Poëticam summatim attigit. Vnus liber extat scriptus ab eo hexametris versibus, cuius & argumentum & titulus est, *Sicilia*. Extat alter æquè modicus *Epigrammatum*, quæ ferè tempore balnei meditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorsus non succedente stylo aboleuit: quærentibúsque amicis *quidnam Aiax ageret*, respondit, *Aiacem suum in spongiam incubuisse*. Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate: & *reconditorum verborum*, vt ipse dicit *fœtoribus*. Præcipuámque curam duxit, sensum animi quàm apertissimè exprimere, quod quò facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque coniunctiones sæpius iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos & antiquarios, vt diuerso genere vitiosos pari fastidio spreuit. Exagitabat nonnumquam in primis Mæcenatem suum, cuius *μυροβρεχεῖς*, vt ait, *cincinnos* vsquequaque persequitur, & imitando per iocum irridet. Sed nec Tiberio parcit. & exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti, M. quidem Antonium, vt insanum, increpat: quasi ea scribentem quæ mirentur potius homines, quàm intelligant. Deinde ludens malum & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addidit hæc, *Tuque dubitas Cimberne Annius an Verrius Flaccus imitandi sint tibi? ita vt verbis quæ C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis vtaris? an potius Asiaticorum oratorũ inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferẽda?* Et quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: *opus est*, inquit, *dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris.*

Quotidiano sermone quædam frequentiùs & notabiliter vsurpasse eum, literæ ipsius autographæ ostentant. In quibus identidem cùm aliquos numquam soluturos significare vult, *Ad Kalendas Græcas soluturos*, ait, & cùm hortatur ferenda esse præsentia, qualiacumque sint, *Contenti simus hoc Catone*: & ad exprimendam festinatæ rei velocitatem, *velocius quàm asparagi coquantur*. Ponit assiduè & pro stulto, *baceolum*: & pro pullo, *pulleiaceum* & pro cerrito, *vacerrosum*: *&* *vapide se habere*, pro malè, & *betizare*, pro languere: quod vulgò *lachanizare* dicitur. Item *simus*, pro sumus: & *domos* genitiuo casu singulari, pro domus. Nec vmquam aliter hæc duo, ne quis mendam magis quàm consuetudinem putet. Notaui & in chirographo eius illa præcipuè: non diuidit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum transfert: sed ibidem statim subiicit, circumducítque. Orthographiam, id est, formulam rationémque scribendi à grammaticis institutam, non adeò custodiit: ac videtur eorum sequi potiùs opinionem, qui perinde scribendum ac loquamur existiment. Nam quòd sæpe non literas modo, sed syllabas aut permutat aut prætcrit, com-

A munis hominum error est. Nec egò id notarem, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato cum consulari successorem dedisse, vt rudi & indocto, cuius manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animaduerterit. Quoties autem per notas scribit, *b* pro *a*: *c* pro *b*, ac deinceps eadem ratione sequẽtes literas ponit: pro x autem duplex *aa*. NE Græcarum quidem disciplinarum leuiore studio tenebatur: in quibus & ipsis præstabat largiter, magistro dicendi vsus Apollodoro Pergameno, quem B iam grandem natu, Apolloniam quoque secum ab vrbe iuuenis adhuc eduxerat. Deinde etiam eruditione varia repletus Shæri, Arei philosophi, filiorúmque eius Dionysij & Nicanoris, contubernium iniit: non tamen vt aut loqueretur expeditè, aut componere aliquid auderet. Nam & si quid res exigeret, Latinè formabat, vertendúmq; alij dabat. Sed planè poëmatum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri, & sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. In euoluen- C dis vtriusque linguæ auctorib⁹, nihil æquè sectabatur quàm præcepta & exempla publicè vel priuatim salubria; eáque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum prouinciarúmque rectores, aut ad vrbis magistratus plerunque mittebat: prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos & senatui recitauit, & populo notos per edictum sæpe fecit: vt orationes *Q. Metelli De prole augenda*, & *Rutilij De modo ædificiorum*: quò magis persuaderet vtranque rem non à se D primò animaduersam, sed antiquis iam tunc curę fuisse. Ingenia seculi sui omnibus modis fouit. Recitantes & benignè & patienter audiuit: nec tantum carmina & historias, sed & orationes & dialogos. Componi tamen aliquid de se, nisi & seriò, & à præstantissimis, offendebatur, admonebátq; Prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri. CIRCA RELIGIONES talem accepimus. Tonitrua & fulgura paullo infirmiùs expauescebat: vt semper & vbique pellem E vituli marini circumferret, pro remedio atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem, in abditum & concameratum locum se reciperet consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris, vt suprà diximus. SOMNIA neque sua, neque aliena de se, negligebat. Philippensi acie, quamuis statuisset non egredi tabernaculo, propter valetudinem: egressus est tamen, amici somnio monitus: cessítque res prosperè, quando captis castris, lectica eius, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata F est. Ipse per omne ver, plurima & formidolosissima, & vana, & irrita videbat: reliquo tempore rariora, & minùs vana. Cùm dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Ioui assiduè frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem, cultores sibi abduci: séque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum: ideóque mox tintinnabulis fastigium ædis redimiuit, quòd ea ferè ianuis dependebant. Ex nocturno visu etiam stipem quotan- G nis die certo emendicabat à populo, cauam manum asses porrigentibus præbens.

AVSPICIA quædam & omnia pro certissimis obseruabat. Si manè sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, vt dirum: si terra maríve ingrediente se longinquam profectionem forte rorasset, vt lætum, maturique & prosperi reditus. Sed & ostentis præcipuè mouebatur. Enatam inter iuncturas lapidum ante domum suam

palmam in compluuium deorum penatium transtulit: vtque coalesceret, magnopere curauit. Apud insulam Capreas, veterrimæ ilicis demissos iam ad terram languentésque ramos conualuisse aduentu suo, adeo lætatus est, vt eas cum republica Neapolitanorum permutauerit, Ænaria data. Obseruabat & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut nonis quidquã rei seriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud deuitãs, vt ad Tiberium scribit, quàm δυσφημίας nominis. Peregrinarum cæremoniarum, sicut veteres ac præceptas reuerentissimè coluit, ita cæteras contemtui habuit. Namque Athenis initiatus, cùm postea Romæ pro tribunali de priuilegio sacerdotum Atticę Cereris cognosceret, & quędam secretiora proponerentur, dimisso consilio & corona circumstantium, solus audiit disceptantes. At contrà non modò in peragrãda Ægypto paullũ deflectere ad visendũ Apin supersedit: sed & Caiũ nepotem, quòd Iudæam prætereuehens apud Hierosolymam nõ supplicasset, collaudauit. ET QVONIAM ad hoc ventum est, non ab re fuerit subtexere quæ ei prius quàm nasceretur, & ipso natali die, ac deinceps euenirent, quibus futura magnitudo eius, & perpetua felicitas sperari animaduertíque posset. Velitris antiquitus tacta de cælo parte muri, responsum est, eius oppidi ciuem quandóque rerum potiturum: qua fiducia Velitrini, & tunc statim, & posteà sæpius pæne ad exitium sui cum pop. Rom. belligerauerant. serò tandem documentis apparuit, ostentum illud, Augusti potentiam portendisse. Auctor est Iulius Marathus, ante paucos quàm nasceretur menses, prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur, regem pop. Rom. Naturam parturire: senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos qui grauidas vxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne senatusconsultum ad ęrarium deferretur. In Asclepiadis Mẽdetis λογυμένων libris lego, Ariam, cùm ad solẽne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormisse: draconem repentè irrepsisse ad eam, paullóque pòst egressum: illámque expergefactam quasi à concubitu mariti purificasse se: & statim in corpore eius extitisse maculam, velut depicti draconis: nec potuisse vnquam eximi: adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit. Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. Eadem Atia prius quàm pareret, somniauit intestina sua ferri ad sidera, explicarique per omnem terrarum & cęli ambitum. Somniauit & pater Octauius, vtero Atiæ iubar solis exortum. Quo natus est die, cùm de Catilinę coniuratione ageretur in curia, & Octauius ob vxoris puerperium seriùs adfuisset, nota ac vulgata res est, P. Nigidum comperta moræ caussa, vt horam quoq; partus acceperit, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. Octauio postea cùm per secreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi patris luco barbara cærimonia de filio consulenti, idem affirmatum est à sacerdotibus: quòd infuso super altaria mero, tantum flammæ emicuisset, vt supergressa fastigium templi ad cælum vsque ferretur: vnique olim omnino Magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti, simile prouenisset ostentum. Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuuiisque Iouis

A Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus. Infans adhuc, vt scriptum apud C. Drusum exstat, repositus vespere in cunas à nutricula loco plano, postera luce non comparuit: & diu quæsitus, tandem in altissima turri repertus est, iacens contra solis exortum. Cùm primùm fari cœpisset, in auito suburbano obstrepentes forte ranas silere iussit: atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad
B quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prandenti, ex improuiso aquila panem ei è manu rapuit, & cùm altissimè volasset, rursus ex improuiso leniter delapsa reddidit. Q. Catulus post dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniauit: prima, Iouem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus vnum secreuisse: atque in eius sinum signum Reip. quod manu gestaret, reposuisse, at insequenti, animaduertisse se in gremio Capitolini Iouis eundem
C puerum: quem cùm detrahi iussisset, prohibitum monitu Dei tanquam is ad tutelam Reip. educaretur. Ac die proximo obuium sibi Augustum, cùm incognitum aliâs haberet, non sine admiratione contuitus simillimum dixit puero de quo somniasset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: eiúsque osculum delibatum digitis ad os suum re-
D tulisset. M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinę noctis familiaribus forte narrabat: puerum, facie liberali, demissum cœlo, catena aurea, ad fores Capitolij constitisse, eique Iouem flagellum tradidisse: deinde repente Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque auunculus Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietẽ sibi obuersata sit. Sumenti virilem togam, tunica laticlaui resuta ex vtraque parte, ad pedes deci-
E dit. Fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare quàm vt is ordo cuius insigne id esset, quandóque ei subiiceretur. Apud Mundam D. Iulius castris locum capiens, cùm siluam cæderet, arborem palmæ repertam conseruari, vt omen victoriæ, iussit: ex ea continuò enata soboles, adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modo matricem, verùm etiam obtegeret, frequentaretúrque columbarum nidis: quamuis id auium genus duram & asperam frondem maximè
F vitet. Illo & præcipuè ostento, motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere, quàm sororis nepotem vellet. In secessu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa adscenderat: cùm Agrippæ, qui prior consulebat, magna, & pæne incredibilia prædicerentur; reticere ipse genituram suam, nec velle edere, perseuerabat, metu ac pudore, ne minor inueniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edicta, exiliuit Theogenes, adorauítque
G eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt thema suum vulgauerit, nummúmque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. POST necem Cæsaris, reuerso ab Apollonia & ingrediente eo vrbem, repentè liquido ac puro sereno, circulus ad speciẽ cęlestis arcus orbẽ Solis ábiit: ac subinde Iuliæ Cęsaris filię monumentũ fulmine ictũ est. Primo autẽ cõsulatu ei auguriũ capienti, duodecim se vultures, vt Romulo, ostenderunt: & immolanti omnium victimarum ioci-

cum iocinera replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt: nemine peritorum aliter coniectante, quàm læta per hæc & magna portendi. QVIN & bellorum omnium euentus antè præsensit. Contractis ad Bononiam Triumuirum copiis aquila tent... o eius supersedens, duos coruos hinc & inde infestantes afflixit, & ad terram dedit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas dis... cordiam talem, qualis secuta est, ac exitum præsagiente. In Philippis, Thessalus quidam de futura victoria nuntiauit, auctore D. Cæsare, cuius sibi species itinere auio occurrisset. Circa Perusiam, sacrificio non litante, cùm augeri hostias imperasset: ac subita eruptione hostes omnem rei diuinæ apparatum abstulissent: constitit inter haruspices, quæ periculosa & aduersa sacrificanti denuntiata essent, cuncta in illos recasura qui exta haberent. Neque aliter euenit. Pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in littore, piscis è mari exsiluit, & ad pedes iacuit. Apud Actium descendenti in aciem, asellus cum asinario occurrit: Eutychus, homini: bestiæ, Nicon, erat nomen. Vtriusque simulachrum æneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit. MORS quoque eius, de qua dehinc dicam, diuinitásque post mortem, euidentissimis ostentis præcognita est. Cùm lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumuolauit: transgressaque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ, ad primam literam sedit: quo animaduerso, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit. Nam se quamquam conscriptis paratísque iam tabulis, negauit suscepturum quæ non esset soluturus. Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuæ eius prima nominis litera effluxit. Responsum est, centum solos dies posthac victurum, quem numerum C litera notaret: futurúmque vt inter deos referretur, quòd *ÆSAR*, id est, reliqua pars è Cæsaris nomine, Etrusca lingua Deus vocaretur. Tiberium igitur in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosecuturus, cùm interpellatores alijs atque alijs causis in iure dicendo detinerent, exclamauit, (quod & ipsum mox inter omnia relatum est,) *Non, si omnia morarentur, amplius se posthac Romæ futurum.* Atque itinere inchoato, Asturam perrexit: & inde, præter consuetudinem, de nocte ad occasionem auræ euectus est. Caussam valetudinis contraxit ex profluuio alui. Tunc Campaniæ ora, proximísque insulis circuitis, Caprearum quoque secessui quatriduum impendit: remississimo ad otium & ad omnem comitatem animo. Fortè Puteolanum sinum prætereuehenti, vectores nautæque de naui Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati, coronatique, & thura libantes, fausta omina & eximias laudes congesserant. *Per illum se viuere: per illum nauigare: libertate atque fortunis per illum frui.* Quare admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diuisit: iusque iurandum, & cautionem exegit à singulis, non aliò datam summam: quàm in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Sed & cæteros continuos dies, inter varia munuscula, togas insuper ac pallia distribuit: lege proposita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu & sermone vterentur. Spectauit assiduè & exercentes ephebos, quorum aliqua adhuc copia ex vetere

A instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in
conspectu suo præbuit, permissa, imm... exacta
iocandi licentia, diripiendique pomorum & opsoniorum, rerúmque missilium. Nullo denique
genere hilaritatis abstinuit, Vicinam Capreis insulam Ἀπραγόπολιν appellabat, à desidia secedentium illuc è comitatu suo. Sed ex dilectis vnum
Masgabam nomine, quasi conditorem insulæ,
κτίστην vocare consueuerat: huius Masgabæ, ante
annum defuncti, tumulum, cùm ex triclinio ani-
B maduertisset magna turba multísque luminibus
frequentari, versum compositum ex tempore clarè, pronuntiauit,

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Conuersusque ad Thrasyllum Tiberij comitem,
contrà accubantem, & ignarum rei, interrogauit,
cuiusnam poëtæ putaret esse quo hæsitante, subiecit alium,

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

de hoc quoque consuluit: cùm ille nihil aliud re-
C sponderet, quàm cuiuscumque essent optimos esse: cachinnum sustulit, atque in iocos effusus est.
Mox Neapolim traiecit, quamquam & tum infirmis intestinis morbo variante: tamen & quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectauit: & cum Tiberio ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggrauata valetudine, tandem Nolæ succubuit: reuocatúmque ex itinere Tiberium, diu secreto sermone detinuit, neque pòst vlli maiori negotio ani-
D mum accommodauit. Supremo die identidem
exquirens, an iam de se tumultus foris esset, petito speculo capillum sibi comi, ac malas labentes
corrigi præcepit. Et amicos admissos percunctatus, *Ecquid ijs videretur mimum vitæ commodè transegisse*, adiecit & clausulam:

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Omnibus deinde dimissis, dum aduenientes ab
vrbe de Drusi filia ægra interrogabat, repentè in
osculis Liuiæ, & in hac voce defecit: *Liuia nostri*
E *coniugij memor viue, ac vale*: sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat. Nam ferè quoties audisset, citò ac nullo cruciatu defunctum
quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (hoc enim & verbo vti solebat) precabatur. Vnum omnino ante efflatam animam signum alienatæ
mentis ostendit, quòd subitò pauefactus, à quadraginta se iuuenibus abripi questus est. Id quoque magis præsagium quàm mentis diminutio
fuit: siquidem totidem milites Prætoriani extu-
F lerunt eum in publicum. Obiit in cubiculo eodem, quo pater Octauius: duobus Sextis, Pompeio & Appuleio COSS. XIIII. Kalend. Septembris, hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis
anno, diebus quinque & triginta minus. Corpus
decuriones municipiorum & coloniarum à Nola
Bouillas vsque deportarunt noctibus propter
anni tempus, cùm interdiu in basilica cuiusque
oppidi, vel in ædium sacrarum maxima reponeretur. A Bouillis equester ordo suscepit, vrbique in-
G tulit, atque in vestibulo domus collocauit Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda eo studio certatim progressus est, vt inter
alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum præcedente Victoria, quæ
est in curia, canentibus næniam principum liberis vtriusque sexus. Alij exsequiarum die ponendos anulos aureos, ferreósque sumendos;
nonnulli legenda ossa per sacerdotes summorum

collegiorum. Fuit & qui suaderet appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam: quòd hoc genitus Augustus, illo defunctus esset. Alius, vt omne tẽpus à primo die natali vsq; ad exitum eius, seculum Augustum appellaretur, & ita in fastos referretur. Verùm adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est: pro æde D. Iulij à Tiberio: & pro Rostris sub veteribus, à Druso Tiberij filio, ac senatorum humeris delatus in Campum, crematúsque. Nec defuit vir prætorius qui se effigiem cremati eundem in cælum vidisse iurasset. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibúsq; nudis, ac in Mausoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripámque Tiberis, sexto suo consulatu exstruxerat: circumiectásque siluas & ambulationes in vsum populi iam tum publicarat.

Testamentum, L. Planco, C. Silio, coss. III. Nonas Aprilis, ante annum & quatuor menses quàm decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipsius, partim libertorum Polybij & Hilarionis manu scriptum, depositúmque apud sex virgines Vestales, cum tribus signatis æque voluminibus protulerunt. Quæ omnia in senatu aperta atque recitata sunt. Heredes instituit primos, Tiberium ex parte dimidia, & sextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit: secundos, Drusum Tiberij filium ex triente, & ex

A partibus reliquis Germanicum, liberósque eius tres sexus virilis: tertio gradu, propinquos amicósque complures. Legauit populo Rom. quadringenties, tribubus tricies quinquies HS. Prætorianis militibus singula millia nummorum. Cohortibus vrbanis quingenos: legionariis trecenos nummos: quam summam repræsentari iussit: nam & confiscatam semper, repositámque habuerat. Reliqua legata variè dedit: produxitque quæ-
B dam ad vicena sestertia: quibus soluendis annuum diem finiit, excusata rei familiaris mediocritate: nec plus peruenturum ad heredes suos, quàm millies & quingenties professus, quamuis viginti proximis annis quaterdecies millies ex testamentis amicorum percepisset: quod pæne omne cum duobus paternis patrimoniis, cæterisque hereditatibus in Remp. absumpsisset. Iulias, filiam neptémque, si quid his accidisset, vetuit sepulchro suo inferri. De tribus voluminibus, vno, mandata
C de funere suo complexus est: altero, indicem rerum à se gestarum: quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur: tertio, breuiarium totius imperij, quantum militum sub signis vbiq; esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigalium residuis. Adiecit, & libertorum seruorúmque nomina, à quibus ratio exigi posset.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER III.

TIBERIVS NERO CAESAR.

PATRICIA gens Claudia (fuit enim & alia plebeia, nec potentia minor nec dignitate) orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam, cum magna clientelum manu commigrauit, auctore Tito Tatio consorte Romuli: vel, quod magis constat, Atta Claudio gentis principe, post reges exactos sexto ferè anno, à patribus in patricios cooptata. Agrum insuper trans Anienem clientibus, locúmque sibi ad sepulturam sub Capitolio publicè accepit. Deinceps procedente tempore duodetrigenta consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos septem, duas ouationes adepta est. Cùm prænominibus cognominibúsque variis distingueretur, Lucij prænomen consensu repudiauit, postquam è duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinij, cædis alter conuictus est. Inter cognomina autem, & Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus. Multa multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in Remp. exstant. Sed vt præcipua commemorem, Appius Cæcus societatem cum rege Pyrrho, vt parum salubrem, iniri dissuasit. Claudius Caudex, primus freto classe traiecto, Pœnos Sicilia expulit. Claudius Nero aduenientem ex Hispania cum ingentibus copiis Asdrubalem, prius quàm Hannibali fratri coniungeretur, oppressit. Contrà Claudius Appius Regillanus decemuir, legibus scribendis, virginem ingenuam, per vim, libidinis gratia, in seruitutem asserere conatus, caussa fuit plebi secedendi rursum à patribus. Claudius Drusus, statua sibi

A cum diademate ad Appij forum posita, Italiam per clientelas occupare tentauit. Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, quasi vt biberent, quando esse nollent, prælium nauale iniit: superatúsque, cùm dictatorem dicere à senatu iuberetur, velut iterum illudens discrimini publico, Glyciam viatorem suum dixit. Exstant & fœminarum exempla diuersa, æ-
B què si quidem gentis eiusdem vtraque Claudia fuit, & quæ nauem cum sacris matris deûm Idææ adhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, *vt ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret*: & quæ nouo more iudicium maiestatis apud populum mulier subiit, quòd in conferta multitudine ægrè procedente carpento, palàm optauerit, *vt frater suus Pulcher reuiuisceret, atque iterum classem amitteret, quò minor turba Romæ foret*. Præterea notissimum est Claudios o-
C mnes, excepto dumtaxat P. Clodio, qui ob expellendum vrbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori, in adoptionem se dedit, optimates assertorésque vnicos dignitatis ac potentiæ patriciorum semper fuisse, atque aduersus plebem adeò violentos ac contumaces, vt ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit: nonnulli in altercatione & iurgio tribunos plebis pulsauerint. Etiã
D virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, adscenso simul curru, vsque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset. Ex hac stirpe Tiberius

Cæ-

Cæsar genus trahit, & quidem vtrumque: paternum, à Tiberio Nerone maternum, ab Appio Pulchro: qui ambo Appij Cæci filij fuerunt. Insertus est & Liuiorum familiæ, adopto in eam materno auo. Quæ familia, quanquam plebeia, tamen & ipsa admodum floruit, octo consulatibus, censuris duabus, triumphis tribus: dictatura etiam ac magisterio equitum honorata: clara & insignibus viris, ac maxime Salinatore, Drusisque. Salinator vniuersas tribus in censura notauit leuitatis nomine, quòd cùm se post priorem consulatum multa irrogata condemnassent, consulem iterum censoremq; fecissent. Drusus hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen inuenit. Traditur etiam pro prætore ex prouincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolij datum: nec, vt fama, extortum à Camillo. Eius abnepos ob eximiam aduersus Gracchos operam patronus senatus dictus filium reliquit, quem in simili dissensione multa variè molientem, diuersa factio per fraudem interemit. Pater verò Tiberij, quæstor C. Cæsaris Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & Pontifex in locum P. Scipionis substitutus, & ad deducendas in Galliam colonias: in queis Narbona & Arelate erant, missus est. Tamen Cæsare occiso, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum censuit. Prætura deinde functus, cùm exitu anni discordia inter Triumuiros exorta esset, retentis vltra iustum tempus insignibus, L. Antonium consulem Triumuiri fratrem ad Perusiam secutus deditione à cæteris facta, solus permansit in partibus, ac primò Præneste, inde Neapolim euasit: seruisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indignè ferens nec statim se in conspectum Sex. Pompeij admissum, & fascium vsu prohibitum, ad M. Antonium traiecit in Achaiam. Cum quo breui reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, vxorémque Liuiam Drusillam, & tunc grauidam, & antè iam apud se filium enixam petenti Augusto concessit. Nec multò pòst diem obiit, vtroq; liberorum superstite, Tiberio Drusóque Neronibus.

TIBERIVM quidam Fundis natum existimauerunt, secuti leuem coniecturam, quòd materna eius auia Fundana fuerit, & quod mox simulacrum Felicitatis ex senatusconsulto publicatum ibi sit. Sed vt plures, certioresque tradunt, natus est Romæ in palatio, XVI. Kal. Decemb. M. Æmilio Lepido iterum, & L. Munatio Planco coss. post bellum Philippense. Sic enim in Fastos Actáque publica relatum est. Nec tamen desunt qui partim antecedente anno, Hirtij ac Pansæ: partim insequente, Seruilij Isaurici Antoniique consulatu, genitum eum scribant.

INFANTIAM pueritiámque habuit laboriosam, & exercitatam: comes vsquequaque parentum fugæ: quos quidem apud Neapolim sub irruptionem hostis nauigium clam petentes, vagitu suo pæ[illegible]is prodidit: semel, cùm à nutricis vbere, item cùm à sinu matris raptim auferretur ab iis qui pro necessitate temporis mulierculas leuare onere tentabant. Per Siciliam quoq; & Achaiam [illegible]omductus ac Lacedæmoniis publicè, quòd in [illegible] la Claudiorum erant, demandatus, digre[illegible]s inde itinere nocturno, discrimen vitæ adiit: [illegible]na repentè è siluis vndique exorta, adeóque omnem comitatum circumplexa, vt Liuiæ pars vestis & capilli amburerentur. Muneta, quibus à Pompeia Sexti Pompeij sorore, in Sicilia donatus est, chlamys & fibula, item bullæ aureæ, durant, ostenduntúrque adhuc Baiis. Post reditum in vrbem, à M. Gallio senatore testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuit: quòd Gallius aduersarum Augusto partium fuerat. Nouem natus annos, defunctum patrem pro Rostris laudauit. Dehinc pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, cùm Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur. Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis Circensibus ductor turmæ puerorum maiorum.

VIRILI toga sumta adolescentiam omnem, spatiúmque insequentis ætatis vsque ad principatus initia per hæc ferè transegit: Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in aui Drusi, dedit, diuersis temporibus ac locis: primum in foro, secundum in Amphitheatro, rudiariis quoq; quibusdam reuocatis, auctoramento centenûm millium. Dedit & ludos, sed absens: cuncta magnificè, impensa matris ac vitrici. Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Cæcilij Attici equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit vxorem: sublatóque ex ea filio Druso, quanquam bene conuenientem, rursúmque grauidam, dimittere, ac Iuliam Augusti filiam confestim coactus est ducere: non sine magno angore animi; cùm & Agrippinæ consuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret: vt quam sensisset, sui quoque sub priore marito appetentem: quod sanè vulgò etiam existimabatur. Sed Agrippinam & abegisse post diuortium doluit: & semel omnino ex occursu visam, adeo contentis & tumentibus oculis prosecutus est, vt custoditum sit ne vnquam in cóspectum eius posthac veniret. Cum Iulia primò concorditer & amore mutuo vix: mox dissedit, & aliquanto grauius, vt etiam perpetuò secubaret intercepto communis filij pignore, qui Aquileiæ natus infans exstinctus est, Drusum fratrem in Germania amisit, cuius corpus pedib. toto itinere prægrediens, Romam vsque peruexit. CIVILIVM officiorum rudimentis regem Archelaum, Trallianos & Thessalos: varia quosque de causa Augusto cognoscente defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terræ motu afflictis, opémque implorantibus, senatum deprecatus est. Fannium Cæpionem, qui cum Varrone Murena in Augustum conspirauerat, reum maiestatis apud iudices fecit, & condemnauit. Intérque hæc duplicem curam administrauit, annonæ, quę arctior inciderat: & repurgandorum tota Italia ergastulorum, quorum domini in inuidiam venerant: quasi exceptos supprimerent, non solùm viatores, sed & quos sacramenti metus ad huiusmodi latebras compulisset. STIPENDIA prima expeditione Cantabrica tribunus militum fecit: deinde ducto ad orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit ac pro tribunali diadema imposuit. Recepit & signa quæ M. Crasso ademerant Parthi. Posthæc comatam Galliam anno ferè rexit, & barbarorum incursionibus & principum discordia inquietam. Exhinc Rhæticum Vindelicúmque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhætico atque Vindelico, gentes Alpinas: Pannonico, Breucos & Dalmatas subegit. Germanico, quadraginta millia dedititiorum traiecit in Galliam, iuxtáque ripam Rheni sedibus assignatis colloca-

uit. quas ob res, & ouans, & curru vrbem ingres- A
sus, est primus vt quidam putant, triumphalibus
ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam
tributo genere honoris. Magistratus & maturiùs
inchoauit, & pæne iunctim percurrit, quæsturam
præturam, consulatum: interpositóque tempore,
cos. iterum, etiam tribunitiam potestatem in
quinquennium accepit.

TOT PROSPERIS confluentibus, integra ætate
ac valetudine statuit repentè secedere, séque è me- B
dio quàm longissimè amouere. Dubium vxoris
ne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet,
neque vltra perferre posset, an vt vitato assiduitatis
fastidio, auctoritatem absentia tueretur,
atque etiam augeret, si quando indiguisset sui
Resp. Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis,
loco & quasi possessione, vsurpati a se diu
secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ,
qui M. Marcello ad munera publica admoto,
Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare C
præsens videretur. Quam caussam & ipse, sed postea,
reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac
requiem laborum prætendens, commeatum petiit.
Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico,
deseri se etiam in senatu conquerenti, veniam
dedit. Quin & pertinaciùs retinentibus, cibo
per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi
potestate, relictis Romæ vxore & filio, confestim
Ostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam
prosequentium reddito, paucósque admodum in D
digressu osculatus. Ab Ostia oram Campaniæ legens,
imbecillitate Augusti nuntiata, paullum
substitit. Sed increbrescente rumore, quasi ad occasionem
maioris spei commoraretur, tantum
non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit,
amœnitate & salubritate insulæ iam inde captus,
cùm ad eam ab Armenia rediens appulisset. Heic
modicis contentus ædibus, nec multo laxiore
suburbano, genus vitæ ciuile admodum instituit:
sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulās E
mutuáq; cum Græculis officia vsurpans, propè
ex æquo. Fortè quodam in disponendo die, mane
prædixerat, quidquid ægrorum in ciuitate esset,
visitare se velle: id à proximis aliter exceptum est:
iussique sunt omnes ægri in publicam porticum
deferri, ac per valetudinum genera disponi. Perculsus
igitur inopinata re, diu quid ageret incertus,
tandem singulos circuit: excusans factum etiam
tenuissimo cuique, & ignoto. Vnum hoc
tantummodo, neque prçterea quidquam notatum F
est, in quo exercuisse ius tribunitiæ potestatis visus
sit. Cùm circa scholas & auditoria professorum
assiduus esset, moto inter antisophistas grauiore
iurgio, non defuit qui eum interuenientem
& quasi studiosiorem partis alterius conuitio incesseret.
Sensim itaque regressus domum, repentè
cum apparitoribus prodiit, citatúmque pro tribunali,
voce præconis conuitiatorem rapi iussit in
carcerem. Comperit deinde Iuliam vxorem ob libidines
atque adulteria damnatam, repudiúmque G
ei suo nomine, ex auctoritate Augusti remissum:
& quamquam lætus animo, tamen officij duxit,
quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus
literis, & vel vtcumque meritæ, quidquid
vnquam dono dedisset, concedere. Transacto autem
tribunitiæ potestatis tempore, confessus tandem
nihil aliud secessu deuitasse se, quàm æmulationis
cum Caio Lucióque suspicionem, petiit vt
sibi securo iam ab hac parte, corroboratis his, &

A secundum locum facilè curantibus, permitteretur
reuisere necessitudines, quarum desiderio
teneretur. Sed neque impetrauit: vltróque etiam
admonitus est, dimitteret omnem curam
suorum, quos tam cupidè reliquisset. Remansit
ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem
consecutus vt ad velandam ignominiam, quasi
legatus ab Augusto abesset. Enimuero tunc non
priuatum modo, sed etiam obnoxium, & trepidum
B egit, mediterraneis agris abditus, vitánsque
præter nauigantium officia, quibus frequentabatur
assiduè: nemine cum imperio aut magistratu
tendente quoquam, quin diuerteret Rhodum. Et
accesserunt maioris solicitudinis caussæ. Namque
priuignum Caium, Orienti præpositum, cùm visendi
gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi
sensit ex criminationibus M. Lollij comitis & rectoris
eius. Venit etiam in suspicionem per quosdam
beneficij sui centuriones, à commeatu castra
C repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua,
& quæ tentare singulorum animos ad nouas
res viderentur. De qua suspicione certior ab Augusto
factus, non cessauit efflagitare aliquem, cuiuslibet
ordinis custodem, factis atque dictis suis.

Equi quoque, & armorum solitas exercitationes
omisit; redegitque se, deposito patrio habitu,
ad pallium & crepidas: atque in tali statu biennio,
ferè permansit, contemtior in dies, & inuisior: adeò
vt imagines eius & statuas Nemausenses sub-
D uerterint: ac familiari quodam conuiuio mentione
eius orta extiterit qui Caio polliceretur,
*Confestim se, si iuberet, Rhodum nauigaturum, caputque
exsulis* (sic enim appellabatur) *relaturum.*
Quo præcipuè, non iam metu, sed discrimine, coactus
est tam suis quàm matris impensissimis precibus
reditum expostulare: impetrauitque adiutus
aliquantum etiam casu. Destinatum Augusto erat,
nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris filij,
statuere. Is fortè tunc M. Lollio offensior, faci-
E lis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente ergo
Caio, reuocatus est: verùm sub conditione, ne
ne quam partem curámve Reip. attingeret. REDIIT
octauo post secessum anno, magna, nec incerta
spe futurorum, quam & ostentis, & prædictionibus
ab initio ætatis conceperat. prægnans
enim Liuia, cùm an marem editura esset, variis
captaret ominibus, ouum incubanti gallinæ subductum,
nunc sua, nunc magistratum manu per
vices vsque eò fouit, quoad pullus insigniter cri-
F status exclusus est. Ac de infante Scribonius mathematicus
præclara spopondit *etiam regnaturum
quandoque, sed sine regio insigni*: ignota scilicet
tunc adhuc Cæsarum potestate. Et ingresso primam
expeditionem, ac per Macedoniam ducente
exercitum in Syriam, accidit, vt apud Philippos
sacratæ olim victricium legionum aræ, sponte subitis
collucerent ignibus: & mox cùm Illyricum
peteret, iuxta Patauium adisset Geryonis oraculum,
sorte tracta, qua monebatur, vt de consultationi-
G bus in Aponi fontem talos aureos iaceret: euenit
vt summum numerum iacti ab eo ostenderent:
hodieque sub aqua visuntur ij tali. Ante paucos
verò quàm reuocaretur dies, aquila, nunquam
anteà Rhodi conspecta, in culmine domus eius
assedit: & pridie quàm de reditu certior fieret, vestimenta
mutanti, tunica ardere visa est. Thrasyllum
quoque mathematicum, quem vt sapientiæ
professorem contubernio admouerat, tunc maximè
expertus est, affirmantem naue præuisa gau-
dium

dium afferri: cùm quidem illum duriùs & contra præ[illegible]ta cadentibus rebus, vt falsum & secretorum temere conscium, eo ipso momento dum [illegible] it vna, præcipitare in mare destinasset. Romam reu[illegible]sus, deducto in forum filio Druso, statim è Carinis ac Pompeiana domo, Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigrauit: totúmque se ad quietem contulit, priuata modò officia obiens, ac publicorum munerum expers. Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa: coactus prius ipse Germanicum adoptare. Nec quidquam postea pro patrefamilias egit: aut ius quod adoptione amiserat, ex vlla parte retinuit. Nam neque donauit, neque manumisit: nec hereditatem quidem, aut legata percepit vlla aliter quàm vt peculio referret accepta: nihil ex eo tempore præ[illegible]mittum est ad maiestatem eius augendam, ac multo magis, postquam Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, vni spem successionis incumbere. Data rursus potestas tribunitia in quinquennium: delegatus pacandæ Germaniæ status: Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ redditis, eum quoque adire in prouinciam iussi. Sed nunciata Illyrici defectione, transiit ad curam noui belli, quod grauissimum omnium externorum [illegible] in post Punica, per xv. legiones paremque [illegible] copiam, triennio gessit: in magnis omnium [illegible]m difficultatibus, summáque frugum [illegible] quam sæpius reuocaretur, tamen [illegible]: metuens, ne vicinus & prævalens hostis [illegible] vltro cedentibus. Ac perseuerantiæ grande pretium tulit: toto Illyrico, quod inter Italiam, regnúmque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, [illegible]que Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito & in deditionem redacto. C[illegible] gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit. Nam sub id ferè tempus Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani iuncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum priùs Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei decretus est, multique & magni honores. Censuerunt etiam quidam, vt *Pannonicus*, alij vt *Inuictus*, nonnulli vt *Pius* cognominaretur. Sed de cognomine intercessit Augustus eo contentum repromittens: quod se defuncto susceptu[r]us es[set]. Triumphum ipse distulit, mœsta ciuitate clade Variana. Nihilo minus vrbem prætextatus, & laurea coronatus intrauit: positúmque in Septis tribunal, senatu adstante, conscendit: ac medius inter duos coss. cum Augusto simul sedit: vnde populo consalutato, circum templa deductus est. Proximo anno repetita Germania, cùm animaduerteret, Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidisse, nihil non de consilij sententia egit: semper alias sui arbitrij, contentúsque se vno cum: præter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicauit. Curam quoque solito exactiorem præstitit. Traiecturus Rhenum, commeatum omnem ad certam formulam adstrictum non ante transmisit, quàm consistens apud ripam explorasset vehiculorum onera: ne qua [illegible] rarentur, nisi concessa aut necessaria. Trans [illegible]um verò eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens [illegible] ipite nudo cibum caperet sæpe: sine tentorio [pern]octaret: præcepta sequentis diei omnia, & si [quid] subiti muneris iniungendum esset, per li[bell]os daret: addita monitione, vt de quoque qui[d]

A que dubitaret, se, nec alio interprete, quacunque vel noctis hora vteretur. Disciplinam acerrimè exegit animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quòd paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato. Prælia, quamuis minimum fortunæ casibúsque permitteret, aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se, subitò ac nullo propellente, deci-
B deret lumen, & extingueretur, confidens, vt aiebat ostento, sibi ac maioribus suis in omni ducatu expertissimo. Sed re prosperè gesta, non multum abfuit quin à Bructero quodam occideretur: cui inter proximos versanti, & trepidatione detecto, tormentis expressa confessio est cogitati facinoris. A Germania in vrbem post biennium regressus, triumphum quem distulerat, egit: prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ac priùs quàm in Capitolium flecte-
C ret, descendit è curru, séque præsidenti patri ad genua submisit. Batonem Pannonium ducem ingentibus donatum præmiis, Rauennam transtulit: gratiam referens, quòd se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset euadere. Prandium dein populo mille mensis, & congiarium trecenos nummos viritim dedit. Dedicauit & Concordiæ ædem: item Pollucis & Castoris, suo fratrísque nomine, de manubiis. Ac
D non multò post lege per coss. lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret, simúlque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est. Et statim ex itinere reuocatus, iam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit, fuitque vna secretò per totum diem. Scio vulgo persuasum, quasi egresso post secretum sermonem Tiberio vox Augusti per cubicularios excepta sit: *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit*. Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palàm
E nec dissimulanter morum eius diritatem adeò improbasse, vt nonnunquam remissiores hilarióresque sermones superueniente eo abrumperet: sed expugnatum precibus vxoris adoptionem non abnuisse: vel etiam ambitione tractum, vt tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret. Adduci tamen nequeo quin existimem, circumspectissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temerè fecisse: sed vitiis virtutibúsque
F Tiberij perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cùm & *Resp. caussa adoptare se eum* pro concione iurauerit: & epistolis aliquot, vt peritissimum rei militaris, vtq; vnicum populi Rom. præsidium prosequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde subieci. *Vale iucundissime Tiberi, & rem gere feliciter*, ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν. *Iucundissime, & ita sim felix, vir fortissime & dux* νομιμώτατε. *Vale. Et, Ordinem æstiuorum tuorum. Ego verò, mi Tiberi, & inter tot rerum difficultates*, καὶ τοσαύτην ῥᾳθυμίαν τῶν στρατευομένων *non potuisse, quem-*
G *quam prudentius gerere se, quàm tu gesseris, existimo. Hi quoque, qui tecum fuerunt omnes, confitentur versum illum in te posse dici,*
Vnus homo nobis vigilando restituit rem. Siue, inquit, quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, siue quid stomachor valde, medius fidius Tiberium meum desidero. succurritque versus ille Homericus.

Τούτου δ᾽ ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι.

Attenuatum te esse continuatione laborum, cùm au-

[illegible] quo non ad Patres Conscriptos [illegible] vectigalibus ac monopoliis [illegible] s reficiendis ve operibus etiam de le[illegible] exauctorando milite, ac legionum [illegible] uin d[illegible]ptione: denique qui[illegible]os [illegible]m pror[illegible]ari, aut extraordinaria bella [illegible] quid & q[illegible] regum literis re[illegible]. Præfectum alæ, de vi [illegible] rapinis [illegible] in senatu dicere coëgit. Numquam [illegible] his intrauit: lectica quondam in[illegible]ge[illegible] comites à se remouit.

[illegible] sententiam suam decerni ne [illegible] q[illegible]lem est. Negante eo, destinatos [illegible] ratu abesse oportere, vt præsentes ho[illegible] acquiescerent, Prætor designatus, libe[illegible]gationem impetrauit. Iterum censente, vt [illegible]bianis legatam in opus noui theatri pecu[illegible] ad munitionem viæ transferre concedere[illegible] non potuit quin rata voluntas lega[illegible] esset. Cum senatusconsultum per discessio[illegible]nem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, [illegible] pauciores erant, secutus est nemo. Cætera quoque nonnisi per magistratus & iure ordinario agebantur: tanta cos[illegible]. auctoritate vt legati ex A[illegible] die [illegible] eos, querentes trahi se à [illegible]e, ad quem missi forent. Nec mirum, cùm palam esset, ip[illegible]m quoquè eisdem assurgere & de[illegible]cedere via.

Corrip[illegible]t consulares exercitibus præpositos, quòd non de rebus gestis senatui scriberent: quodque de tribuendis quibusdam militaribus [illegible]onis ad se referrent: quasi non omnium tribuendorum ipsi ius haberent. Prætorem collaudauit, quod honore inito, consuetudinem antiquam retulisset [illegible]e maioribus suis pro concione memorandi. Quorundam illustrium exsequias vsque [illegible]n frequentauit. Parem moderationem [illegible] quoque & personis & rebus exhibuit. cùm Rhodiorum magistratus, quòd literas publica[illegible] sine subscriptione ad se dederant, euocasse[illegible] verbo quidem insectatus, ac tantum [illegible]odo iussos [illegible]bere, remisit. Diogenes grammaticus, disputare sabbatis Rhodi solitus, ve uen[illegible], vt se extra ordinem audiret, non admiserat: ac p[illegible] ruulum suum in septimum diem distul[illegible]rat. [illegible]unc Romæ salutandi sui causa pro for[illegible]s adstantem nihil amplius, quàm vt p[illegible] septimum annum rediret, admonuit. [illegible] oneranda[illegible] tributo prouincias suadenti[illegible], rescripsit, *Bo[illegible] pastoris, esse tondere pecus, non [illegible]e glubere* [illegible] paullati[illegible] principem exerc[illegible] præstit[illegible]: [illegible] diu commod[illegible] sæpius & ad [illegible]tilitates publicas p[illegible]o[illegible]. A[illegible] primò cærenus interueniebat, [illegible] experi[illegible] le que & constitutiones [illegible]dit: & magistratibus pr[illegible]nali cognoscenti[illegible] plerumque se of[illegible] consiliarium [illegible]ebatque militum, vel [illegible] in parte [illegible] & si quo[illegible] eorum [illegible] rumor es[illegible] indi[illegible] [illegible]lano, aut e[illegible] tribunali, [illegible]s, & no[illegible] qua[illegible]gnol[illegible]at, atque [illegible] pu[illegible]b[illegible]s [illegible] consuetudine [illegible] su[illegible]pit, L[illegible]m, ac [illegible] p[illegible] corripuit: merc[illegible] sce[illegible] paribúsque gladiatorum ad [illegible]. Corinthiorum [illegible]

A rum pretia in immensum exarsisse, tresque mullos xxx. millibus nummûm venisse, grauiter conquestus, adhibendum supellectili modum censuit: annonámque macelli, Senatus arbitratu, quotannis temperandam; dato Ædilibus negotio, popinas ganeásque vsque eò inhibendi, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. Et vt parsimoniam publicam exem-B plo quoque iuuaret, sollemnibus ipse cœnis pridiana sæpe ac semesa opsonia apposuit, dimidiatúmque aprum: affirmans *Omnia eadem habere, quæ totum.* Quotidiana oscula prohibuit edicto: item strenarum commercium, ne vltra Kalendas Ianuarias exerceretur. Consueuerat quadruplam strenam & de manu reddere: sed offensus interpellari se toto mense ab his qui potestatem sui die festo non habuissent, vltrà non reddidit.

Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accu-C sator publicus deesset, vt propinqui more maiorum de communi sententia coërcerent, auctor fuit. Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vt vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum antè iurauerat. Fœminæ famosæ, vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exsoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex iuuentute vtriusque ordinis profligatissimus D quisque, quò minus in opera scenæ arenæque edenda senatusconsulto tenerentur, famosi iudicij notam sponte subibant. Eos easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit. Senatori latum clauum ademit, cùm cognouisset sub Kalend. Iulij demigrasse in hortos, quò viliùs post diem ædes in vrbe conduceret. Alium & quæstura remouit, quòd vxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.

Externas cærimonias, Ægyptios Iudaicósque E ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem, per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cæli distribuit: reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. Expulit & mathematicos: sed deprecantibus, ac se artem desituros promittentibus, ve-F niam dedit.

In primis tuendæ pacis à grassaturis ac latrociniis seditionumque licentia curam habuit. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romæ castra constituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ continerentur. Populares tumultus exortos grauissimè coërcuit: & ne orirentur, sedulò cauit. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum & histriones, propter quos dissidebatur, relegauit: nec, vt reuocaret, G vnquam vllis populi precibus potuit euinci. Cùm Polentina plebs funus cuiusdam Primipilaris non prius ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorium munus: cohortem ab vrbe, & aliam à Cottij regno, dissimulata itineris caussa, detectis signis, repentè armis concinentibus, per diuersas portas in oppidum immisit, ac partem maiorem plebis ac decurionū in perpetua vincula coniecit. Aboleuit & ius moremque

que asylorum, quæ vsquam erant. Cyzicenis, in ciues Romanos violentius quædam ausis, publicè libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant. Hostiles motus, nulla postea expeditione suscepta, per legatos compescuit: nec per eos quidem, nisi cunctanter & necessariò. Reges infestos suspectósque comminationibus magis & querelis quàm vi repressit. Quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit: vt Maraboduum Germanum, Thrascypolim Thracem, Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in formam prouinciæ redegit. Biennio continuo post adeptum imperium, pedem porta non extulit: sequenti tempore, præterquàm in propinqua oppida, & cùm longissimè, Antio tenus nusquam abfuit: idque perrarò & paucos dies, quamuis prouincias quoque & exercitus reuisurum se sæpe pronunciaret: & propè quotannis profectionem præpararet: vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia & colonias dispositis. Ad extremum vota pro itu & reditu suo suscipi passus: vt vulgò iam per iocum Callipides vocaretur: quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, prouerbio Græco notatum est.

Sed orbatus vtroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, secessum Campaniæ petiit: constanti & opinione & sermone pæne omnium, quasi neque rediturus vnquam, & citò mortem etiam obiturus, quod paullò minùs vtrumque euenit. Nam neque Romam amplius rediit: sed & paucos post dies iuxta Terracinam in prætorio, cui speluncæ nomen erat, incœnantem eo, complura & ingentia saxa fortuitò supernè delapsa sunt: multísque conuiuarum & ministrorum elisis, præter spem euasit.

Peragrata Campania, cùm Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam causam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit: præcipuè delectatus insula, quòd vno paruóque litore adiretur, septa vndique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Statimque reuocante assidua obtestatione populo, propter cladem, quæ apud Fidenas, supra xx. hominum millia gladiatorio munere, amphitheatri ruina perierant, transiit in continentem, potestatémque omnibus adeundi sui fecit: tanto magis quòd ab vrbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes submouerat.

Regressus in insulam, Reip. quidem curam vsque adeo abiecit, vt postea non decurias equitum suppleuerit, non tribunos militum præfectósque, nunquam non prouinciarum præsides vllos mutauerit: Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit. Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis Sarmatísque, Gallias à Germanis vastari neglexerit: magno dedecore imperij, nec minori discrimine. Cæterum secreti licentiam nactus, & quasi ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia male diu dissimulata, tandem profudit: de quibus singulatim ab exordio referam. In castris tiro etiam tum, propter nimiam vini auiditatem, pro Tiberio, Biberius: pro Claudio, Caldius: pro Nerone, Mero, vocabatur. Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pom-

A ponio Flacco & L. Pisone, noctem continuam, que biduum epulando potandóque consumpsit: quorum, alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos, & omnium horarum amicos professus. Sestio Gallo libidinoso, ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, & à se ante paucos dies apud senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret aut demeret: vtque nudis puellis ministrantibus cœnaretur. Ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit, ob epotam in conuiuio, propinante se, vini amphoram. Asellio Sabino H S. ducenta donauit, pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & ostreæ, & turdi certamen induxerat. Nouum denique officium instituit à voluptatibus, præposito equite Rom. T. Cæsonio Prisco. Secessu verò Caprensi, etiam sellariam excogitauit sedem arcanarum libidinum, in quam vndique conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosíque concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, inuicem incestarent se coram ipso, vt aspectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum & figurarum adornauit, librísque Elephantidis instruxit: ne cui in opera edenda exemplar imperatæ scenæ deesset. In siluis quoque ac nemoribus passim venereos locos commentus est, prostantésque per antra & cauas rupes ex vtriusque sexus pube, Paniscorum & Nympharum habitu: palámque iam & vulgato nomine insulæ abutentes, Caprineum dictitabant. Maiore adhuc & turpiore infamia flagrauit, vix vt referri audiríve, nedum credi, fas sit. Quasi pueros primæ teneritudinis, quos pisciculos vocabat, institueret, vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent: morsúque sensim appetentes, atque etiam quasi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admoueret: pronior sanè ad id genus libidinis & natura & ætate. Quare Parrhasij quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, vt si argumento offenderetur, decies pro ea H S. acciperet: non modò prætulit, sed & in cubiculo dedicauit. Fertur etiam in sacrificando quondam captus facie ministri, acerram præferentis, nequisse abstinere, quin pæne vix dum re diuina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simúlque fratrem eius tibicinem: atque vtrique mox, quòd mutuò flagitium exprobrabant, crura fregisse. Fœminarum quoque, & quidem illustrium, capitibus quantopere solitus sit illudere, euidentissimè apparuit, Malloniæ cuiusdam exitu, quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissimè recusantem, delatoribus obiecit: ac ne ream quidem interpellare desiit, Ecquid pæniteret, donec ea, relicto iudicio, domum se abripuit, ferroque transegit, obscœnitate oris hirsuto atque olido [illegible] palam exprobrata. [illegible] de nota in Atellanico exodio [illegible] assensu maximo [illegible] ueterem capreis naturam ligurrire. P[illegible] parcus ac tenax, [illegible] dignationémque [illegible]

sustentauit : vnà modò liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus, cùm tribus classibus factis, pro dignitate cuiusque, primæ sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed gratorum appellabat.

Princeps neq; opera vlla magnifica fecit: Nam & quæ sola susceperat, Augusti templum, restitutionémque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit: neque spectacula omnino edidit: & iis, quæ ab aliquo ederentur, rarissimè interfuit, nequid exposceretur, vtique postquam comœdũ Actium coactus est manumittere. Paucorum senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negauit se aliis subuenturum, nisi senatui iustas necessitatum caussas probassent. Quo peracto plerosque modestia & pudore deterruit: in quibus Ortalum Q. Hortensij oratoris nepoté, qui permodica re familiari, auctore Augusto, quatuor liberos tulerat. Publicè munificentiam bis omnino exhibuit : proposito millies H S. gratuitò in triennij tempus: & rursus quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio restituto. Quorũ alterum magna difficultate nummaria populo auxilium flagitante, coactus est facere, cùm per senatusconsultum sanxisset, vt fœneratores duas patrimonij partes in solo collocarent, debitores totidé æris alieni statim soluerent, nec res expediretur: alterum, ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficium tanti æstimauit, vt montem Cœlium appellatione mutata vocari Augustũ iusserit. Militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil vnquã largitus est, prȩterquàm singula millia denariorum prætorianis, quòd Seiano se non accommodassent: & quædam munera Syriacis legionibus, quòd solæ nullam Seiani imaginem inter signa coluissent: atque etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortẽ, ex morte compendium captans. Ne prouincias quidem vlla liberalitate subleuauit : excepta Asia, disiectis terræ motu ciuitatibus. Procedente mox tempore etiam ad rapinas conuertit animum. Satis constat, Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, & vt ne quo nisi ipso herede moreretur. Condemnatam & generosissimam fœminam Lepidam, in gratiam Quirini consularis prædiuitis, & orbi, qui dimissam eam è matrimonio post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat : præterea Galliarum & Hispaniarum, Syriæque & Græciæ principes, confiscatos ob tam leue ac tam impudens calumniarum genus : vt quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent. plurimis etiam ciuitatibus & priuatis, veteres immunitates & ius metallorum ac vectigalium adempta. sed & Vononem regem Parthorum, qui pulsus à suis, quasi in fidem pop. Rom. cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia, & occisum.

ODIVM aduersus necessitudines, in Druso primùm fratre detexit : prodita eius epistola, qua secum de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat: deinde & in reliquis. Iuliæ vxori tantum abfuit, vt relegatæ, quod minimum est, officij aut humanitatis aliquid impertiret, vt ex constitutione patris vno oppido clausam, domo quoque egredi, & commercio hominum

A frui vetuerit: sed & peculio concesso à patre, præbitisque annuis fraudauit, per speciem publici iuris, quòd nihil de his Augustus testamento cauisset. Matrem Liuiam grauatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem, & congressum eius assiduum vitauit : & longiores secretioresque sermones, ne eius consiliis, quibus tantùm interdum & ægrè vti solebat, regi videretur. Tulit etiam perindignè, actum à senatu, vt titulis suis quasi Augusti, ita & Liuiæ filius adiiceretur. Qua-
B re non *Parentem patriæ* appellari, non vllum insignem honorem recipere publicè passus est. Sed & frequenter admonuit, *quòd non maribus, nec fœminæ conuenientibus negotiis abstineret*: præcipuè; vt animaduertit incendio iuxta ędem Vestæ, & ipsam interuenisse : populúmque & milites, quò enixiùs opem ferrent, adhortatam, sicut sub marito solita esset. Dehinc ad simultatem vsque processit; hac, vt ferunt, de caussa:
C Instanti sæpius, vt ciuitate donatum in decurias allegeret, negauit alia se conditione allecturum, quàm si pateretur adscribi albo, *extortum id sibi à matre*. At illa commota, veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate & intolerantia morum eius, è sacrario protulit, atque recitauit. Hos & custoditos tamdiu, & exprobratos tam infestè, adeò grauiter tulit, vt quidam putent inter caussas secessus hanc ei vel præcipuam fuisse. Toto quidem triennio, quo viuente matre adfuit, semel omnino eam, nec am-
D pliùs quàm vnu die, ac paucissimis vidit horis: ac mox, neque ægræ adesse curauit, defunctámque, & dum aduentus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum & tabido corpore funeratam, prohibuit consecrari : quasi id ipsa mandasset. Testamentum quoque eius pro irrito habuit, omnésque amicitias & familiaritates, etiam quibus ea funeris sui curam moriens demandarat, intra breue tempus afflixit: vno ex his equestris ordinis viro & in antliam
E condemnato. Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptiuum Germanicum patria charitate dilexit. Alterius virtutibus, alterius vitiis infensus : nam Drusus animi fluxioris, remissiorisque vitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus est : sed tantum non statim pòst à funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito. Quin & Iliensium legatis paullò seriùs consolantibus, quasi obliterata iam doloris memoria : irridens
F *Se quoque* respondit *vicem eorum dolere, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent*. Germanico vsque adeò obtrectauit, vt & præclara facta eius pro superuacuis eleuaret: & gloriosissimas victorias, ceu damnosas Reip. increparet. Quòd verò Alexandriam, propter immensam & repentinam famem, inconsulto se adisset, questus est in senatu. Etiam caussa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatum Syriæ creditur : quem mox huius criminis reum, putant quidam manda-
G ta prolaturum, nisi ea secreta obstarent, per quæ multifariam increpitum, & per noctes creberrimè acclamatum est, *Redde Germanicum*. Quam suspicionem confirmauit ipse postea: coniuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis. Nurum Agrippinam, post mortem mariti, liberiùs quiddam questam, manu apprehendit : Græcóque versu, *Si non dominaris*, inquit, *filiola, iniuriam te*

accipere existimas? Nec vllo mox sermone dignatus est. Quondam verò inter cœnam porrecta à se poma gustare non ausam, etiam vocare desiit, simulans, se veneni crimine accersitum: cùm præstructum vtrumque consultò esset, vt & ipse tentandi gratia offerret, & illa quasi certissimum exitium caueret. Nouissimè calumniatus, modò ad statuam Augusti, modò ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegauit: conuitiantique oculum per centurionem verberibus excussit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum iussit. Sed & perseuerantem, atque ita absumtam, criminosissimè insectatus est, cùm diem quoque natalem eius inter nefastos referendum suasisset. Imputauit etiam, quòd non laqueo strangulatam in Gemonias abiecerit: próq; tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Ioui donum ex auro sacraretur. Cùm ex Germanico tres nepotes, Neronem & Drusum & Caium: ex Druso vnum Tiberium haberet, destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis, Neronem & Drusum P. C. commendauit: diémque vtriusque tirocinij, congiario plebi dato, celebrauit. Sed vt comperit, ineunte anno, pro eorum quoque salute publicè vota suscepta: egit cum senatu, *Non debere talia præmia tribui, nisi expertis & ætate prouectis*: atque ex eo, patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit: variàque fraude inductos, vt & concitarentur ad conuitia, & concitati perderentur, accusauit per litteras, amarissimè congestis etiam probris, & iudicatos hostes fame necauit: Neronem, in insula Pontia, Drusum, in ima parte Palatij. Putant Neronem ad voluntariam mortem coactum, cùm ei carnifex, quasi ex senatus auctoritate missus, laqueos & vncos ostentaret: Druso autem adeò alimenta subducta, vt tomentum è culcita tentauerit mandere: amborum sic reliquiis dispersis, vt vix quandoque colligi possent. Super veteres amicos ac familiares, viginti sibi è numero principum ciuitatis depoposcerat, velut consiliarios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos aut tres incolumes præstitit: cæteros, alium alia de caussa perculit. Inter quos cum plurimorum clade Ælium Seianum, quem ad summam potentiam, non tā beneuolentia prouexerat, quàm vt esset cuius ministerio ac fraudibus liberos Germanici circumueniret: nepotémque suum ex Druso filium naturalem ad successionem imperij confirmaret. Nihilo lenior in conuictores Græculos, quibus vel maximè acquiescebat. Zenonem quendam exquisitiùs sermocinantem, cùm interrogasset, *quænam illa tam molesta dialectos esset*: & ille respondisset, *Doridem*: relegauit Cinariam: existimans exprobratum sibi veterem secessum, quòd Doricè Rhodij loquantur. Item cùm soleret ex lectione quotidiana quęstiones super cœnam proponere: comperissetque, Seleucum grammaticum à ministris suis perquirere quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire: primùm à contubernio remouit, deinde etiam ad mortem compulit.

Sæua ac lenta natura ne in puero quidem latuit: quam Theodorus Gadareus rhetoricæ præceptor & perspexisse primus sagaciter, & assimilasse aptissimè visus est: subinde in obiurgando appellans eum, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον. Sed aliquanto magis in principe eluxit, etiam inter initia, cùm adhuc fauorem hominū moderationis simulatione captaret. Scurram, qui prætereunte funere clare mortuo mandarat vt, nuntiaret Augusto, *nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset*, attractum ad se, recipere debitum ducique ad supplicium imperauit, & patri suo verum referre. Nec multo pòst in senatu Pompeio cuidam, equiti Romano quiddam pernegant, dum vincula minatur, affirmauit: fore *vt ex Pompeio Pompeianus fieret*: acerba cauillatione simul hominis nomen incessens, veterem que partium fortunam. Sub idem tempus, consulente prætore, an iudicia maiestatis cogi iuberet, exercēdas esse leges respōdit, & atrocissimè exercuit. Statuæ quidam Augusti caput dempserat, vt alterius imponeret. Acta res in senatu. Et quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, paullatim hoc genus calumniæ eò processit, vt hæc quoque capitalia essent: circa Augusti simulacrum seruum cecidisse: vestimenta mutasse, nummo vel anulo effigiem impressam, latrinæ aut lupanari intulisse, dictum vllum factúmve eius existimatione aliqua læsisse. Periit denique & is qui honores in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant.

Multa præterea, specie grauitatis ac morum corrigendorum, sed & magis naturæ obtemperans, ita sænè & atrociter factitauit, vt nonnulli versiculis quoque & præsentia exprobrarent, & futura denuntiarent mala:

Asper & immitis, breuiter vis omnia dicam?
Dispeream si te mater amare potest.
Non es eques, quare? non sunt tibi millia centum.
Omnia si quæras, & Rhodos exsilium est.
Aurea mutasti Saturni sæcula, Cæsar:
Incolumi nam te, ferrea semper erunt.
Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem:
Tam bibit hunc auidè, quàm bibit antè merum.
Adspice felicem sibi non tibi Romule Sullam:
Et Marium, si vis, adspice, sed reducem.
Nec non Antoni ciuilia bella mouentis,
Nec semel infectas adspice cæde manus.
Et dic, Roma perit: regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exsilio.

Quæ primò quasi ab impatientibus Romæ dominij, ac non tam ex animi sententia, quàm bile & stomacho fingerentur, volebat accipi. Dicebátque identidem, *Oderint, dum probent.* Deinde vera planè certáque esse ipse fecit fidem.

In paucis diebus quàm Capreas attigit, piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit: territus, quòd is à tergo insulæ per aspera & deuia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam, quòd non & locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari imperauit. Militem prætorianum, ob surreptum è viridario pauonem capite puniit. In quodam itinere lectica, qua vehebatur, vepribus impedita: exploratorem viæ primarum cohortium centurionem stratum humi pæne ad necem verberauit.

Mox in omne genus crudelitatis erupit, numquam deficiente materia: cùm primò matris, deinde ne-

de nepotum & nurus, postremò Seiani familiares
atque etiam notos persequeretur. Post cuius inte-
ritum vel sæuissimus extitit: quo maximè appa-
ruit: non tam ipsum à Seiano concitari solitum,
quàm Seianũ quærenti occasiones subministras-
se. Etsi commẽtario, quem de vita sua summatim
breuiterque composuit, ausus est scribere, *Seianũ
se puniisse, quòd comperisset furere aduersus Germa-
nici liberos filij sui:* quorum ipse alterum suspecto
iam, alterum oppresso demum Seiano interemit.
Singillatim crudeliter facta eius exsequi longum
est: generatim velut exemplaria sæuitiæ enume-
rare sat erit. Nullus à pœna hominum cessauit
dies: ne religiosus quidem ac sacer. Animaduer-
sum in quosdam ineunte anno nouo: accusati
damnatique multi cum liberis atque etiam vxo-
ribus suis. Interdictũ, ne capite damnatos propin-
qui lugerent: decreta accusatoribus præcipua
præmia, nonnunquam & testibus. Nemini dela-
torum fides abrogata. Omne crimen pro capitali
receptum, etiam paucorum simpliciúmque ver-
borum. Obiectum est poetæ, quòd in tragœdia
Agamemnonem probris lacessisset: obiectum &
historico, quòd *Brutum Cassiúmque vltimos Ro-
manorum* dixisset: animaduersum est statim in au-
ctores, scriptáq; abolita, quamuis probarentur a-
liquot ante annos, etiam Augusto audiente reci-
tata. Quibusdam custodiæ traditis non modò stu-
dendi solatium ademtum, sed etiam sermonis &
colloquij vsus. Citati ad caussam dicendam, par-
tim se domi vulnerauerunt, certi damnationis, sed
ad vexationem ignominiámque vitandam: par-
tim in media curia venenum hauserunt, & tamen
colligatis vulneribus, ac semianimes palpitantés-
que in carcerem rapti. Nemo punitorum non &
in Gemonias abiectus vncóque tractus. Viginti
vno die abiecti tractique sunt; inter eos pueri &
fœminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito
nefas esset virgines strangulari, vitiatæ priùs à
carnifice, dein strangulatæ. Mori volentibus vis
adhibita viuendi. Nam mortem adeò leue suppli-
cium putabat, vt cùm audisset vnum è reis, Car-
nulium nomine, anticipasse eam, exclamauerit,
Carnulius me euasit. Et in recognoscendis custo-
diis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respon-
dit, *Nondum tecum in gratiam redij.* Annalibus
suis vir consularis inseruit, frequenti quondam
conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum
subitò & clarè à quodam nano adstante mensæ
inter Capreas, cur Paconius, maiestatis reus, tam
diu viueret: statim quidem petulantiam linguæ
obiurgasse, cæterùm post paucos dies scripsisse se-
natui, vt de pœna Paconij quàm primùm statue-
ret. Auxit intenditque sæuitiam, exacerbatus indi-
cio de morte filij sui Drusi: quem cùm morbo &
intemperantia periisse existimaret, vt tandem vene-
no interemptum fraude Liuillæ vxoris atque Sei-
ani cognouit, neque tormentis neque supplicio
cuiusquam pepercit: soli huic cognitioni adeò
per totos dies deditus & intentus, vt Rhodien-
sem hospitem, quem familiaribus litteris Ro-
mam euocarat, aduenisse sibi nuntiatum, torque-
queri sine mora iusserit, quasi aliquis ex necessa-
riis quæstioni adesset: deinde errore detecto, &
occidi, ne diuulgaret iniuriam. Carnificinæ eius
ostenditur locus Capreis, vnde damnatos post
longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se
in mare iubebat: excipiente classiariorum manu,
& contis atque remis elidente cadauera: ne cui

A residui spiritus quidquam inesset. excogitauerat
autem inter genera cruciatus, etiam vt larga me-
ri potione per fallaciam oneratos repentè vere-
tris deligatis, fidicularum simul vrinæque tor-
mento distenderet. Quòd nisi eum & mors præ-
uenisset, & Thrasyllus consultò, vt aiunt, differre
quædam, spe longioris vitæ compulisset: plures a-
liquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepo-
tibus parsurus creditur: cùm & Caium suspectum
B habeTiberium vt ex adulterio conceptum
aspernaretur. Nec abhorret à vero: namque iden-
tidem *Felicem Priamum vocabat, quòd superstes
omnium suorum extitisset.* Quam verò inter hæc
non modò inuisus ac detestabilis, sed prætrepidus
quoque atque etiam contumeliis obnoxius vixe-
rit, multa indicia sunt. Haruspices secretò ac sine
testibus consuli vetuit. Vicina verò vrbi oracula
etiam disiicere conatus est: sed maiestate Præne-
stinarum sortium territus, destitit: cùm obsigna-
C tas deuectásque Romam non reperisset in arca,
nisi relatas rursus ad templum. Vnum & alterum
consulares oblatis prouinciis, non ausus à se di-
mittere, vsque adeò detinuit, donec successores
post aliquot annos præsentibus daret: quum inte-
rim manente officij titulo, etiam delegaret pluri-
ma: assiduéque illi per legatos & adiutores suos
exsequenda curarent. Nurum ac nepotes num-
quam aliter post damnationem, quàm catenatos,
obsutáque lectica, loco mouit: prohibitis per mi-
D litem obuiis ac viatoribus respicere vsquam, vel
consistere. Seianum res nouas molientem, quam-
uis iam & natalem eius publicè celebrari, & ima-
gines aureas coli passim videret, vix tandem & a-
stu magis ac dolo, quàm principali auctoritate,
subuertit. Nam primò, vt à se per speciem honoris
dimitteret, collegam sibi assumsit in quinto con-
sulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum
susceperat. Deinde spe affinitatis ac tribunitiæ
potestatis deceptum, inopinantem criminatus est
E pudenda miserandáque oratione: cùm inter alia
P.C. precaretur, *mitterent alterum è consulibus, qui
senem se, & solum, in conspectum eorum cum ali-
quo militari præsidio perduceret.* Sic quoque dif-
fidens, tumultúmque metuens, Drusum nepotem,
quem vinculis adhuc Romæ continebat, solui,
si res posceret, ducémque constitui præceperat.
Aptatis etiam nauibus ad quascumque legiones
meditabatur fugam, speculabundus ex altissima
rupe identidem signa, quæ ne nuntij morarentur,
F tolli procul, vt quidque foret factum, mandaue-
rat. Verùm & oppressa coniuratione Seiani, ni-
hilò securior aut constantior, per nouem proxi-
mos menses non egressus est villa, quæ vocatur
Iouis. Vrebant insuper anxiam mentem varia vn-
dique conuitia, nullo non damnatorum omne
probri genus coram, vel per libellos in orchestra
positos, ingerente. Quibus quidem diuersissimè
afficiebatur: modò, vt præ pudore ignota & celata
cuncta cuperet: nonnunquam eadem contemne-
G ret, & proferret vltro atque vulgaret. Quin & Ar-
tabani Parthorum regis laceratus est litteris, par-
ricidia & cædes & ignauiam & luxuriam obii-
cientis, monentisque vt voluntaria morte, maxi-
mo iustissimóque ciuium odio quamprimum sa-
tisfaceret. postremò semetipse pertæsus talis epi-
stolæ principio, tantum non summam malo-
rum suorum professus est. *Quid scribam vobis
Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid
omnino nõ scribam, hoc tẽpore? Dij me, Deæque peius*

perdant, quem quotidie perire sentio, si scio. Existimant quidam, præsciisse hæc eum peritia futurorum: ac multò antè, quâta se quandoque acerbitas & infamia maneret, prospexisse. Ideóque vt imperium iniret, & *PATRIS PATRIAE* appellatioocm, & in acta sua iuraretur, obstinacissimè recusasset: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. Quod sanè & ex oratione eius, quam de vtraque habuit, colligi potest: vel cùm ait, *Similem se semper sui futurum: nec vnquam mutaturum mores suos, quamdiu mentis sanæ fuisset: sed exempli caussa cauendum, ne se senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset.* Et rursus; *Si quando autem*, inquit, *de moribus meis, deuotóque vobis animo dubitaueritis: quod prius quàm eueniat, opto vt me supremus dies huic mutata vestra de me opinioni eripiat: nihil honoris adyciet mihi* P A T R I S *appellatio: vobis autem exprobrabit, aut temeritatem delati mihi eius cognominis, aut inconstantiam contrary de me iudicij.* C O R P O R E fuit amplo atque robusto: statura, quæ iustam excederet. Latus ab humeris & pectore: cæteris quoque membris vsque ad imos pedes æqualis & congruens, sinistra manu agiliore ac validiore. articulis ita firmis, vt recens & integrum malum digito terebraret. caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, vt ceruicem etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur. Facie honesta: in qua tamen crebri, & subtiles tumores, cum prægrandibus oculis: & qui, quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent, sed ad breue: & cùm primum à somno patuissent, demum rursum hebescebant. Incedebat ceruice rigida & obstipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rarissimo etiã cum proximis sermone, eóque tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atq; arrogantiæ plena, & animaduerterit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpe apud senatum ac populum, professus, *Naturæ vitia esse, non animi.* Valetudine prosperrima vsus est; tempore quidem principatus pæne toto propè illæsa: quamuis à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adiumento consiliòve medicorum. C I R C A D E O S ac religiones neglegentior: quippe addictus mathematicæ, persuasionisque plenus, cuncta fato agi. Tonitrua tamẽ prætermodum expauescebat: & turbatiore cœlo numquam non coronam lauream capite gestauit, quòd fulmine afflari negetur id genus frõdis.

A R T E S liberales vtriusque generis studiosissimè coluit. In oratione Latina secutus est Coruinum Messallam: quem senem adolescens obseruauerat. Sed affectatione & morositate nimia obscurabat stylum: vt aliquanto ex tempore quàm à cura præstantior haberetur. Cõposuit & carmen lyricum, cuius est titulus, *Conquestio de L. Cæsaris morte.* Fecit & Græca poemata, imitatus Euphorionem & Rhianum, & Parthenium: quibus poëtis admodum delectatus, scripta eorum & imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedicauit: & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderũt. Maximè tamen curauit notitiam historiæ fabularis, vsque ad ineptias atque derisum. Nam & grammaticos, quod genus hominum præcipuè, vt diximus, appetebat, eiusmodi ferè quæstionibus experiebatur: *Quæ mater Hecubæ: Quod Achilli no-*

A *mẽ inter virgines fuisset: Quid Sirenes cantare sint solita.* Et quo primùm die, post excessum Augusti, curiam intrauit: quasi pietati simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verùm sine tibicine, supplicauit: vt ille olim in morte filij.

Sermone Græco, quamquam aliàs promtus & facilis, non tamen vsquequaque vsus est. Abstinuitque maximè in senatu: adeò quidem vt *Mo-* B *nopolium* nominaturus, priùs veniam postularit, quòd sibi verbo peregrino vtendũ esset: atque etiã in quodam decreto patrum, cùm ἐμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque Græcè testimonium interrogatum, nisi Latinè respõdere vetuit. Bis omnino toto secessus tempore, Romam redire conatus, semel triremi vsqoe ad proximos C Naumachiæ hortos subuectus est: disposita statione per ripas Tiberis, quæ obuiam prodeuntes submoueret. Iterum, Appià vsque ad septimum lapidem, sed prospectis modò nec aditis vrbis mœnibus, rediit. Primò, incertum qua de caussa, postea ostento territus. Erat ei in oblectamentis serpẽs draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cùm consumtum à formicis inuenisset, monitus est vt vim multitudinis caueret. Rediens er- D go properè Campaniam, Asturæ in languorem incidit. Quo paullùm leuatus, Circeios pertendit. Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis non interfuit solùm, sed etiam missum in arenam aprum iaculis desuper petiit, statimq; latere conuulso, & , vt exæstuarat, afflatos aura, in grauiorem recidit morbum. Sustentauit tamẽ aliquandiu, quamuis Misenum vsque deuectus, nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne conuiuia quidem ac cæteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione. Nam Cha- E riclem medicum, quod commeatu abfuturus, è conuiuio egrediens, manum sibi osculandi caussa apprehendisset, existimans tentatas ab eo venas sibi, remanere ac recumbere hortatus est, cœnámque protraxit. Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valete dicentes appellaret. Interim cùm in actis senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos, de quibus stri- F ctim & nihil aliud quàm nominatos ab indice scripserat: pro contemto se habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo destinauit, non temerè quidquam nisi ex tuto ausurus. Sed & tempestatibus & ingrauescẽte vi morbi retẽtus, paullò pòst obiit in villa Luculliana, octauo & septuagesimo ętatis anno, tertio & vigesimo imperij, decimo septimo Kalen. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro c o s s. Sunt qui putent venenum ei à Caio datum lentum atque tabificum: Alij in remissione fortuitæ febris cibum deside- G ranti negatum: nonnulli puluinum iniectum, cũ extractum sibi deficienti anulum mox resipiscens requisisset. Seneca eũ scribit, *Intellecta defectione, exemptum anulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse: dein rursus aptasse digito, & compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem: subitò vocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul à lectulo deficiẽtibus viribus concidisse.* Supremo natali suo Apollinẽ Temenitẽ & amplitudinis & artis eximiæ aduectum Suracusis, vt in biblio-

bliotheca noui tẽpli poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, *Non posse se ab ipso dedicari*. Et ante paucos quàm obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit. Ac Miseni cinis è fauilla & carbonibus ad calefaciendum tricliniũ illatus, exstinctus & iam diu frigidus, exarsit repente prima vespera, atque in multam noctem pertinaciter luxit. Morte eius ita lætatus est populus, vt ad primum nuntium discurrentes, pars *Tiberiũ in Tiberim trahi* clamitarẽt, pars *Terram matrem, deósque Manes orarent, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent*: alij vncum & Gemonias cadaueri minarẽtur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis etiam recenti atrocitate. Nam cùm senatusconsulto cautum esset vt pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, forte accidit vt quorũdam supplicij dies is esset, quo nũtiatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia absente adhuc Caio, A nemo exstabat qui adiri interpellaríque posset, custodes, ne quid aduersus constitutum facerent, strangulauerunt, abiecerúntq; in Gemonias. Creuit igitur inuidia: quasi, etiam post mortem tyranni, sæuitia permanente. Corpus vt moueri à Miseno cœpit, conclamantibus plerisque, *Atellam potius deferendum & in Amphitheatro semiustulandum*, Romam per milites deportatum est, crematúmque publico funere.

Testamentum duplex ante biennium fecerat: B alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo: obsignaueràtque etiam humillimorum signis. Eo testamento heredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druso, nepotes: substituítque inuicem. Dedit & legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus, ac militibus vniuersis, plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER IV.

C. CAESAR CALIGVLA.

GERMANICVS C. Cęsaris pater Drusi & minoris Antoniæ filius, à Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio antè quàm per leges liceret, & post eam, consulatum statim gessit. Missúsque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nuntiato, legiones vniuersas imperatorem Tiberium pertinacissimè recusantes, & sibi summam Reip. deferentes, incertum constantia an pietate maiore, compescuit: atque hoste mox deuicto, triumphauit. Consul deinde iterum creatus, ac priùs quàm honorem iniret ad componendum Orientis statum expulsus, cùm Armeniæ regem deuicisset, Cappadociam in prouinciæ formam redegisset, annum ætatis agens quartum & trigesimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant, & spumas quæ per os fluebant cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est: cuius ea natura existimatur, vt tinctum veneno igne cõfici nequeat. Obiit autem, vt opinio fuit, fraude Tiberij, ministerio & opera C. Pisonis. Qui sub idem tempus Syriæ præpositus, nec dissimulans offendendum sibi aut patrem, aut filium, quasi planè ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum grauissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo affecit: propter quæ, vt Romam rediit, pæne discerptus à populo, & à senatu capitis dãnatus est. Omnes Germanico corporis animique virtutes & quantas nemini cuiquam, contigisse satis constat, formam & fortitudinem egregiam: ingenium in vtroque eloquentiæ doctrinæq; genere præcellens beneuolentiam singularem: conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paullatim repleta assidua equi vectatione post cibum. Hostem cominus sępe percussit. Orauit caussas etiam triumphaleis: atque inter cætera studiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Domi forísque ciuilis, libera ac fœderata oppida sine lictoC ribus adibat. Sicubi clarorum virorum sepulchra cognosceret inferias Manibus dabat, Cæsorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias vno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare primus aggressus est. Obtrectatoribus etiã qualescumque, & quantacumque de caussa nactus esset, lenis adeò & innoxius, vt Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas diu vexãti, non prius succensere in animum induxerit, quàm veneficiis quoque & deuotionibus impugnari se comperisse: ac ne tunc quidem vltrà progressus, quàm vt D amicitiam ei more maiorum renuntiaret, mandarétque domesticis vltionem, si quid sibi accideret.

QVARVM virtutum fructum vberrimum tulit, sic probatus & dilectus à suis, vt Augustus, (omitto enim necessitudines reliquas,) diu cunctatus an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo fauorabilis, vt plurimi tradant, quoties aliquò adueniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiúmve nonnumquam eum discrimen vitæ adisse: è Germania verò, post compressam seditionem, reuertenti, E prætorianas cohortes vniuersas prodisse obuiam, quamuis pronũtiatum esset, vt duę tantummodo exirent: populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem vsque ad vicesimum lapidem effudisse se. TAMEN longè maiora & firmiora de eo iudicia in morte ac post mortem exstitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subuersæ Deûm aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi. Quin & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibúsque aduersus nos bellum esset, velut in doF mestico communique mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Regum etiam regem & exercitatione venandi, & conuictu megistanum abstinuisse, quod apud Parthos iustitij instar est. ROMAE equidem, cùm ad primam famam valetudinis attonita & mœsta ciuitas sequentes nuntios opperiretur, &

repentè iam vesperi incertis auctoribus conualuisse tandem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac pæne reuulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur. Expergefactus è somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque vndique concinentium, *Salua Roma, Salua patria, Saluus est Germanicus.* Sed vt demum fato functum palàm factum est, non solatiis vllis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: durauitque etiam per festos Decẽbris mẽsis dies. Auxit gloriã desideriúmq; defunctis etiã atrocitas insequentium tẽporũ cunctis nec temere opinantibus, reuerentia, eius ac metu repressam Tiberij sęuitiam, quę mox erupit. HABVIT in matrimonio Agrippinã, M. Agrippę & Iulię filiam, & ex ea nouẽ liberos tulit: quorũ duo infãtes adhuc rapti, vnus iã puerascẽs, insigni festiuitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Liuia dedicauit Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur. Cæteri superstites patri fuerunt. Tres sexus fœminini, Agrippina, Drusilla, Liuilla, continuo triennio natæ, totidem mares, Nero & Drusus & C. Cæsar. Neronem & Drusum senatus, Tiberio criminante, hostes iudicauit. C. Cæsar natus est pridie Kal. Septembres, patre suo & C. Fonteio Capitone COSS. Vbi natus sit incertum diuersitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit. Plinius Secundus in Treueris vico Ambiatino supra Confluentes: addit etiam pro argumento *aras ibi ostendi inscriptas, OB AGRIPPINAE PVERPERIVM.* Versiculi imperante mox eo, diuulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant.

In castris natus, patriis nutritus in armis.
Iam designati principis omen erat.

Ego in actis Antij ipsum inuenio editũ. Gętulicũ refellit Plinius, quasi mentitũ per adulationẽ, vt ad laudes iuuenis gloriosique principis aliquid etiam ex vrbe Herculi sacra sumeret, abusúmque audentiùs mendacio, quòd ante annum ferè natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipse C. Cæsar: de cuius amabili pueritia immaturóque obitu suprà diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriæ mandarunt, Germanicum exacto consulatu in Galliam missum consentiunt, iam nato Caio. Nec Plinij opinionem inscriptio aræ quidquam adiuuerit, cùm Agrippina bis in ea regione filias enixa sit: & qualiscunque partus, sine vllo sexus discrimine, *puerperium* vocetur: quòd antiqui etiam puellas *pueras*, sicut & pueros *puellos* dictitarent. Exstat & Augusti epistola ante paucos quàm obiret menses, ad Agrippinam neptem ita scripta de Caio hoc (neque enim quisquam iam alius infans nomine pari tunc supererat) *Puerum Caium XV. Kalend. Iunij, si Dij volent, vt ducerent Talarius & Asellius, heri cum his constitui. Mitto præterea cum eo ex seruis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, vt retineret. Valebis mea Agrippina, & dabis operam vt valens peruenias ad Germanicum tuum.* Abundè arbitror apparere, non potuisse ibi nasci Caium, quò prope bimulus demum perductus ab vrbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc eleuant: & eò faciliùs quòd hi sine auctore sint. Sequenda igitur est quæ sola Actorum restat & publici instrumenti auctoritas: præsertim cùm Caius Antium,

A omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quàm natale solum dilexerit: tradatúrque etiam sedem ac domicilium Imperij tædio vrbis transferre eò destinasse. Caligulæ cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore & gratia valuerit, maximè cognitum est: cùm post excessum Augusti tumultuantes & in furorem vsque præcipites, solus
B haud dubiè conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt quàm ablegari eum ob seditionis periculum, & in proximam ciuitatem demandari animaduertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi represso ac retento vehiculo, inuidiam quæ sibi fieret deprecati sunt. Comitatus est patrem & in Syriaca expeditione. Vnde reuersus primùm in matris, deinde ea relegata, in Liuię Augustę proauiæ suæ contubernio mansit: quam defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudauit.
C Transiitque ad Antoniam auiam, & inde vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, vno atque eodem die togam sumsit, barbámque posuit: sine vllo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius. Hîc omnibus insidiis tentatus elicientium, cogentiúmque se ad querelas, nullam vnquam occasionem dedit: perinde obliterato suorum casu ac si nihil cuiquam accidisset: quæ verò ipse pateretur, incredibili dissimulatione
D transmittens. Tantique in auum & qui iuxta erãt, obsequij: vt non immeritò sit dictum: *Nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem dominum fuisse.* Naturam tamen sæuam atque probrosam, ne tunc quidem inhibere poterat: quin & animaduersionibus pœnisque ad supplicium datum cupidissimè interesset: & ganeas atque adulteria capillamento celatus, & veste longa noctibus obiret: ac scenicas saltãdi canẽdique artes studiosissimè appeteret: facilè id sanè Tiberio patiente, si
E per has mansuefieri posset ferum eius ingenium. Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, vt aliquoties prædicaret, *Exitio suo omniúmque Caium viuere: & se natricem* (serpentis id genus) *populo R. Phaëtontem orbi terrarum educare.* Non ita multo post Iuniam Claudillam M. Silani nobilissimi viri filiam duxit vxorem. Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, prius quam inaugurararetur, ad Pontificatum traductus est: insigni testimonio pietatis atque indolis: cùm deserta desolatáque reliquis subsidiis aula, Seiano
F verò tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paullatim admoueretur. Quam quò magis confirmaret, amissa Iunia ex partu, Enniam Næuiam Macronis vxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, sollicitauit ad stuprum, pollicitus & matrimonium suum, si potitus Imperio fuisset: déque ea re & iureiurando & chirographo cauit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est, vt quidam opinantur: spirantique adhuc detrahi annulum: & quoniam su-
G spicionem retinentis dabat, puluinum iussit iniici, atque etiam fauces manu sua oppressit: liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamauerat, confestim in crucem acto. Nec abhorret à veritate: cùm sint quidam auctores, ipsum, postea, & si non de perfecto, at certè de cogitato quondam parricidio professum. Gloriatum enim esse assiduè, in commemoranda sua pietate, *ad vlciscendam necem matris & fratrum, introisse se cum pugione cubi-*

ne cubi-

ne cubiculum Tiberij dormientis: & misericordia correptum, abiecto ferro recessisse: nec illum quamquam sensisset, aut inquirere quidquam, aut exsequi ausum. Sic imperium adeptus, populum Rom. vel vt ita dicam, hominum genus, voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximæ parti prouincialium ac militum; quòd infantem plerique cognouerant: sed & vniuersæ plebi vrbanæ ob memoriam Germanici patris, miserationémque propè afflictæ domus. Itaque vt à Miseno mouit, quamuis lugentis habitu, & funus Tiberij prosequens: tamen inter altaria & victimas, ardentesq; tedas densissimo & lætissimo obuiorum agmine incessit, super fausta nomina, *sidus*, & *pullum*, & *puppum* & *alumnum* appellantium.

Ingressóque vrbem, statim consensu senatus & irrumpentis in Curiam turbæ, irrita Tiberij voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc coheredem ei dederat, ius arbitriúmque omnium rerum illi permissum est: tanta publica lętitia, vt tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur. Cùm deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas traiecisset, vota pro reditu suscepta sunt: ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificãda solicitudine & cura de incolumitate eius. Vt verò in aduersam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito vouerent. Accessit ad immensũ ciuium amorem notabilis etiam externorum fauor. Namque Artabanus Parthorum rex, odium semper contemptúmque Tiberij præ se ferens, amicitiam eius vltrò petiit: venitque ad colloquium legati consularis: & transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana Cæsarúmque imagines adorauit. Incendebat & ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato, funeratóque amplissimè, confestim Pandateriam, & Pontias, ad transferendos matris fratrisque cineres festinauit, tempestate turbida, quò magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in vrnas condidit. Nec minore scena Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi subuectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit. Inferiásque his annua religione publicè instituit: & eò amplius matri Circenses, carpentúmque quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem mensem *Germanicum* appellauit. Post hæc, Antoniæ auiæ quidquid vnquam Liuia Augusta honorum cepisset, vno senatusconsulto congessit. Patruum Claudium equitem Rom. ad id tempus collegam sibi in consulatu assumsit. Fratrem Tiberium die virilis togæ adoptauit, appellauitque *principem iuuentutis*. De sororibus auctor fuit, vt omnibus sacramentis adiiceretur, *NEQVE ME LIBEROSQVE MEOS CHARIORES HABEO QVAM CAIVM ET SORORES EIVS.* Item relationibus Consulum: *QVOD BONVM FELIXQVE SIT C. CAESARI SORORIBVSQVE EIVS.* Pari popularitate damnatos, relegatósque restituit: criminúmque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Commentarios ad matris fratrúmque suorum caussas pertinentes, ne cui postmodum

A delatori aut testi maneret vllus metus, conuectos in forum, & antè clarè obtestatus deos neque legisse neque attigisse quidquam, concremauit. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens, *Nihil sibi admissum cur cuiquam inuisus esset*: negauítque se delatoribus aures habere. Spintrias monstruosarum libidinum ægrè, ne profundo mergeret, exoratus, vrbe submouit. Titi Labieni, Cordi Cremutij, Cassij Seueri scripta senatuscon- B sultis abolita, requiri, & esse in manibus lectitaríque permisit: quando maximè sua interesset, vt facta quæque posteris tradantur. Rationes imperij ab Augusto, proponi solitas, sed à Tiberio intermissas, publicauit. Magistratibus liberam iurisdictionem, & sine sui appellatione concessit. Equites Romanos seuerè curioséque, nec sine moderatione recognouit: palam adempto equo quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum qui minore culpa tenerentur; nominibus C modo in recitatione præteritis. Vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Tentauit & comitiorum more reuocato, suffragia populo reddere. Legata ex testamento Tiberij, quamquam abolito, sed & Iuliæ Augustæ, quod Tiberius suppresserat; cum fide, ac sine calumnia repræsentata persoluit. Centesimam auctionum Italiæ remisit. Multis incendiorum damna suppleuit: ac si quibus regna restituit, adiecit & fructum omnem vectigaliorum, & D redituum medij temporis, vt Antiocho Comageno HS. millies confiscatum. Quóque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octingenta donauit, quòd excruciata grauissimis tormentis de scelere patroni reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus: quem quotannis certò die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente: nobilibúsque pueris, ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum eius canenti- E bus. Decretum autem vt dies quo cepisset imperium, *Palilia* vocaretur, velut argumentum rursus conditæ vrbis. CONSVLATVS quatuor gessit: primum ex Kal. Iulij per duos menses: secundum ex Kalend. Ianuariis per triginta dies: tertium vsque in Idus Ianuarij: quartum vsque in VII. Idus easdẽ. Ex omnibus duos nouissimos coniunxit. Tertium autem Lugduni iniit solus: non, vt quidam opinantur, superbia negligentiáve, sed quòd defun- F ctum sub Kalendarum diem collegam rescisse absens non poterat. Congiarium populo bis dedit trecenos HS. toties abundantissimum epulum senatui equestríque ordini, etiam coniugibus ac liberis vtrorumque. Posteriore epulo forensia insuper viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylij distribuit. Et vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adiecit diem Saturnalibus, appellauitque *Iuuenalem*. Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit: quibus inseruit cateruas A- G frorum Campanorúmque pugilum ex vtraque regione electissimorum. Neque spectaculis ipse semper præsedit: sed interdum aut magistratibus aut amicis præsidendi munus iniunxit. Scenicos ludos & assiduè, & varij generis, multifariam fecit: quondam etiam & nocturnos accensis tota vrbe luminibus. Sparsit & missilia variarum rerum & panaria cum opsonio viritim diuisit. Qua epulatione equiti Rom. contra se hilariùs auidiúsque vescenti, partes suas misit: sed & senatori ob can-

dem caussam codicillos, quibus prætorem eum
extra ordinem designabat. Edidit & Circenses
plurimos à mane vsque ad vesperam, interiecta
modò Africanarum venatione, modò Troiæ de-
cursione: quosdam autem præcipuos. minio &
chrysocolla constrato Circo: nec vllis nisi ex se-
natorio ordine aurigantibus. Commisit & subi-
tos, cùm è Gelotiana apparatum Circi prospi-
cientem pauci ex proximis mænianis postulassent.

Nouũ præterea atque inauditum genus specta-
culi excogitauit. Nam Baiarum medium inter-
uallum Puteolanas ad moles trium millium &
sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, con-
tractis vndique onerariis nauibus, & ordine du-
plici ad ancoras collocatis superiectóque aggere
terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per
hunc pontem vltro citróque commeauit, biduo
continenti. Primo die phalerato equo, insignísque
quercica corona, & securi, & cætra, & gladio, au-
reáque chlamyde. Postridie quadrigario habitu,
curriculóque biiugi famosorum equorum præ se
ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus,
comitante prætorianorum agmine, & in essedis
cohorte amicorum. Scio plerosque existimasse,
talem à Caio pontem excogitatum æmulatione
Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto an-
gustiorem Hellespontum contabulauerit. Alios,
vt Germaniam & Britanniam, quibus imminebat
alicuius immensi operis fama territaret. Sed a-
uum meum narrantem puer audiebam, caussam
operis ab interioribus aulicis proditam, quòd
Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Ti-
berio, & in verum nepotem proniori, affirmasset,
*Non magis Caium imperaturum, quàm per Baia-
num sinum equis discursurum.* Edidit & peregrè
spectacula: in Sicilia Syracusis astycos ludos, & in
Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quo-
que Græcæ Latinæque facundiæ. quo certamine
ferunt victoribus præmia victos contulisse, eo-
rundem & laudes componere coactos. Eos autem
qui maximè displicuissent, scripta sua spongia
linguáve delere iussos, nisi ferulis obiurgari aut
flumine proximo mergi maluissent. OPERA sub
Tiberio semiperfecta, templum Augusti thea-
trúmque Pompeij absoluit. Inchoauit autem a-
quæductum regione Tiburti, & Amphitheatrum
iuxta Septa: quorum operum à successore eius
Claudio, alterum peractum, omissum alterum est,
Syracusis collapsa vetustate mœnia, Deorúmque
ædes refectæ. Destinauerat & Samij Polycra-
tis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere,
in Iugo Alpium vrbem condere, sed ante omnia
Isthmum in Achaia perfodere. Miserátque iam ad
demetiendum opus primipilarem.

HACTENVS quasi de principe, reliqua vt de
monstro narranda sunt. Compluribus cognomi-
nibus assumtis (nam & PIVS, & CASTRORVM
FILIVS, & PATER EXERCITVM, & OPTIM.
MAX. CÆSAR vocabatur) cùm audiret fortè reges
qui officij caussa in vrbem aduenerant, concer-
tantes apud se super cœnam de nobilitate generis,
exclamauit, Εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Nec mul-
tum abfuit quin statim diadema sumeret, spe-
ciémque principatus in regni formam conuerte-
ret. Verùm admonitus, & principum & regum se
excessisse fastigium, diuinam ex eo maiestatem as-
serere sibi cœpit. Datóque negotio, vt simulacra
numinum religione & arte præclara, inter quæ
Olympici Iouis, apportarentur è Græcia, quibus

A capite demto suũ imponeretur: partem palatij ad
Forum vsque promouit, atque æde Castoris &
Pollucis in vestibulũ transfigurata, consistens sæ-
pe inter fratres deos, medium se adorandum ad-
euntibus exhibebat: & quidam eum LATIALEM
IOVEM consalutauerunt. Templum etiam numi-
ni suo proprium, & sacerdotes & excogitatissi-
mas hostias instituit. In templo simulacrum sta-
bat aureum iconicum. Amiciebatúrque quotidie
veste, quali ipse vteretur. Magisteria sacerdotij di-
B tissimus quisque & ambitione & licitatione ma-
xima vicibus comparabant. Hostiæ erant phœni-
copteri, pauones, tetraones, numidicæ, meleagri-
des, phasianæ, quæ generatim per singulos dies
immolarentur. Et noctibus quidem plenam ful-
gentémque lunam inuitabat assiduè in amplexus
atque concubitum: interdiu verò cum Capitolino
Ioue secretò fabulabatur, modò insusurrans, ac
præbens inuicem aures, modò clariùs, nec sine
iurgiis. Nam vox comminantis audita est,

C Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε,

donec exoratus, vt referebat, & in contubernium
vltro inuitatus, super templum Diui Augusti põ-
te transmisso, palatium Capitoliúmque coniun-
xit. Mox quò propior esset, in area Capitolina no-
uæ domus fundamenta iecit. Agrippę se nepotem
neque credi neque dici ob ignobilitatem eius
volebat: succensebátque, si qui vel oratione vel
carmine imaginibus eum Cæsarum insererent.
Prædicabat autem matrem suam ex incesto, quòd
D Augustus cum Iulia filia commisisset, procrea-
tam. Ac non contentus hac Augusti insectatione,
Actiacas Siculásque victorias, vt funestas pop.
Rom. & calamitosas, vetuit solennibus feriis ce-
lebrari. Liuiam Augustam proauiam, *Vlyssem sto-
latum* identidem appellans, etiam ignobilitatis
quadam ad senatum epistola arguere ausus est,
quasi materno auo decurione Fundano ortam:
cùm publicis monimentis certum sit Aufidium,
Lingonem Romæ honoribus functum. Auię An-
E toniæ secretum petenti denegauit, nisi vt interue-
niret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indi-
gnitates & tędia, caussa exstitit mortis: dato tamen
vt quidam putant, & veneno. Nec defunctę vllum
honorem habuit, prospexitque è triclinio arden-
tem rogum. Fratrem Tiberium inopinantem, re-
pentè immisso tribuno militum, interemit. Sila-
num item socerum ad necem, secandásque noua-
cula fauces, compulit: caussatus in vtroque, quòd
hic ingressum se turbatius mare non esset, secutus
F ac spe occupandi vrbem, si quid sibi per tempesta-
tes accideret, remansisset: ille antidotum oboluis-
set, quasi ad præcauenda venena sua sumptum:
cùm & Silanus impatientiam nauseæ vitasset, &
molestiam nauigandi & Tiberius propter assi-
duam & ingrauescentem tussim medicamento v-
sus esset. Nam Claudium patruum non nisi in lu-
dibrium reseruauit. CVM omnibus sororibus suis
stupri consuetudinem fecit: plenóque conuiuio
singulas infra se vicissim collocabat vxore suprà
G cubante. Ex his Drusillam vitiasse virginem, præ-
textatus adhuc, creditur. Atque etiam in concu-
bitu eius quondam deprehensus ab auia Antonia
apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio
Longino consulari collocatam abduxit, & in mo-
dum iustę vxoris propalam habuit. Heredem quo-
que bonorum atque Imperij ęger instituit. Eadem
defuncta, iustitium indixit: in quo risisse, lauisse
cœnasse cum parentibus, aut coniuge, liberísue,
capitale

capitale fuit. Ac mœroris impatiens cùm repentè
noctúque profugisset ab vrbe, transcurrissetque
Campaniã, Syracusas petiit. Rursusq; inde prope-
re rediit, barba capillóque promisso. Nec vn-
quam postea quantiscumque de rebus, ne pro
concione quidem populi, aut apud milites, nisi
per nomen Drusillæ deierauit. Reliquas sorores,
nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, vt
quas sæpe exoletis suis prostrauerit. Quo faciliùs
eas in caussa Æmilij Lepidi condemnauit, quasi
adulteras, & insidiarum aduersus se conscias. Nec
solùm chirographa omnium requisita fraude ac
stupro diuulgauit, sed & tres gladios in necem
suam præparatos, Marti vltori addito elogio, con-
secrauit. MATRIMONIA contraxerit turpiùs, an
dimiserit, an tenuerit, non est facile cernere. Li-
uiam Orestillam C. Pisoni nubentem, cùm ad of-
ficium & ipse venisset, ad se deduci imperauit, in-
traq; paucos dies repudiatam biennio pòst relega-
uit: quòd repetisse vsum prioris mariti tempore
medio videbatur. Alij tradunt, adhibitum cœnæ
nuptiali, mandasse ad Pisonem, contrà accumben-
tem, *Noli vxorem meam premere* statimq; è con-
uiuio abduxisse eam secum, & proximo die edi-
xisse, *MATRIMONIVM SIBI RE-
PERTVM EXEMPLO ROMV-
LI ET AVGVTI.* Lolliam Paullinam,
C. Memmio consulari exercitus regenti nuptam,
facta mentione auiæ eius, vt quondam pulcherri-
mæ, subitò ex prouincia euocauit, ac perductam à
marito coniunxit sibi, breuiq; missam fecit, inter-
dicto cuiusdam in perpetuum coitu Cæsoniam
neq; facie insigni, neque ætate integra, matremq;
iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac la-
sciuiæ perditæ, & ardentiùs, & constãtiùs amauit:
vt sæpe chlamyde peltaq; & galea ornatã, & iuxta
adequitantem, militibus ostenderit: amicis verò
etiam nudam. Quam enixam vxorio nomine di-
gnatus est vno atq; eodem die professus, & maritũ
se eius, & patrẽ infantis ex ea natæ. Infantem autẽ
Iuliam Drusillã appellatam, per omnium dearum
templa circumferens, Mineruæ gremio imposuit,
alendamq; & instituendam cõmendauit. Nec vllo
firmiore indicio sui seminis esse credebat, quàm
feritatis: quæ illi quoq; tanta iam tunc erat, vt in-
festis digitis, ora & oculos simul ludẽtium infantiũ
incesseret. Leue ac frigidũ sit his addere quo pro-
pinquos amicosq; pacto tractauerit. Ptolemæum
regis Iubæ filium consobrinum suum (erat enim
& is M. Antonij ex Selena filia nepos) & in pri-
mis ipsum Macronem, ipsam Enniam, adiutores
imperij: quibus omnibus pro necessitudinis iure,
proq; meritorum gratia cruenta mors persoluta
est. Nihilò reuerentior leniórve erga senatum:
quosdam summis honoribus functos, ad essedum
sibi occurrere togatos per aliquot passuum mil-
lia, & cœnanti, modò ad pluteum, modò ad pedes
stare succinctos linteo, passus est: alios cùm clàm
interemisset citare nihilò minus vt viuos perseue-
rauit, paucos post dies voluntaria morte perijsse
mentitus. Coss. oblitis de natali suo edicere, abro-
ganit magistratum, fuitq; per triduum sine sum-
ma potestate Resp. Quæstorem suum in coniura-
tione nominatũ flagellauit veste detracta, subie-
ctaq; militum pedibus, quò firmè verberaturi in-
sisterẽt. Simili superbia violẽtiaq; cæteros tracta-
uit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo
loca de media nocte occupãtium, omnes fustibus
abegit. Elisique per eum tumultum viginti am-

A plius equites Rom. totidem matronæ, super in-
numeram turbam cæteram. Scenicis ludis, inter
plebem & equitem caussam discordiarum serens
decimas maturiùs dabat, vt equestria ab infimo
quoque occuparentur. Gladiatorio munere, redu-
ctis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti
quemquam vetabat: remotóque ordinario appa-
ratu rabidis feris vilissimos senio confectos gla-
diatores quoque pegmares, patresfamiliarum no-
B tos, sed insignes debilitate aliqua corporis subii-
ciebat. Ac nonnunquam horreis præclusis, po-
pulo famem indixit.

SÆVITIAM ingenij per hæc maximè ostendit.
Cùm ad saginam ferarum muneri præparatarum
cariùs pecudes compararentur, ex noxiis laniau-
dos adnotauit & custodiarum seriem recogno-
scens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo
intra porticum mediam, *à caluo ad caluum duci*
imperauit. Votum exegit ab eo qui pro salute sua
C gladiatoriam operam promiserat: spectauitque
ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem, &
post multas preces. Alterum qui se periturum ea
de caussa vouerat, cunctantem pueris tradidit ver-
benatum infulatúmque, qui votum reposcentes
per vicos agerẽt, quoad præcipitaretur ex aggere.
Multos honesti ordinis, deformatos priùs stig-
matum notis, ad metalla, aut ad viarum munitio-
nes, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum
more quadrupedes cauea coërcuit, aut medios
D serra dissecuit. Nec omnes grauibus ex caussis, ve-
rùm malè de munere suo opinatos, vel quòd
numquam per Genium suum deierassent. Pa-
rentes supplicio filiorum interesse cogebat. Quo-
rum vni valetudinem excusanti lecticam misit;
aliuín è spectaculo pœnæ epulis statim adhibuit,
atque omni comitate ad hilaritatem & iocos pro-
uocauit. Curatorem munerum ac venationum
per continuos dies in conspectu suo catenis ver-
beratum non priùs occidit, quàm offensus putre-
E facti cerebri odore. Atellanæ poëtam, ob ambigui
ioci versiculum, media Amphitheatri arena igni
cremauit. Equitem Rom. obiectum feris, cùm se
innocentem proclamasset, reduxit: abscissáque
lingua, rursus induxit. Reuocatum quendam à ve-
tere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere con-
suesset, respondente eo per adulationem: *Deos
semper oraui, vt quod euenit, periret Tiberius, & tu
imperares:* opinans sibi quoque exsules suos mor-
tem imprecari, misit circum insulas, qui vniuer-
F sos contrucidarent. Cùm discerpi senatorem con-
cupisset, subornauit qui ingredientem curiam, re-
pentè hostem publicum appellantes, inuaderent,
graphiisque confossum lacerandum cæteris tra-
derent. Nec antè satiatus est quàm membra & ar-
tus & viscera hominis tracta per vicos, atque an-
te se congesta vidisset. Immanissima facta augebat
atrocitate verborum. *Nihil magis in natura sua
laudare se ac probare dicebat, quàm,* vt ipsius verbo
G *vtar, ἀδιατρεψίαν* Monenti Antoniæ auiæ, tamquã
parum esset non obedire: *Memento* ait, *omnia mi-
hi & in omnes licere.* Trucidaturus fratrem, quem
metu venenorum præmuniri medicamentis su-
spicabatur. *Antidotum* inquit, *aduersus Cæsarem?*
Relegatis sororibus, nõ solùm insulas habere, sed
etiam gladios minabatur. Prætorium virum ex
secessu Anticyræ, quam valetudinis caussa petie-
rat, propagari sibi commeatum sæpius desideran-
tem, cùm mandasset interimi, adiecit. *Necessa-
riam esse sanguinis missionem cui tam diu non pro-*

deſſet e'leborum. Decimo quoque die, numerum punicndorum ex cuſtodia ſubſcribens, *Rationem ſe purgare dicebat.* Gallis Græcíſque aliquot vno tempore condemnatis, gloriabatur *Gallograciam ſeſe ſubegiſſe.* Non temere in quemquam, niſi crebris & minutis ictibus animaduerti paſſus eſt: perpetuo notóque iam præcepto; *Ita feri, vt ſe mori ſentiat.* Punitò per errorem nominis alio quàm quem deſtinauerat, ipſum quoque paria meruiſſe dixit: Tragicum illud ſubinde iactabat.

Oderint dum metuant.

Sæpe in cunctos pariter ſenatores, vt Seiani clientes, aut matris ac fratrum ſuorum delatores, inuectus eſt, prolatis libellis quos crematos ſimulauerat, defenſáque Tiberij ſæuitia, quaſi neceſſaria, cùm tot criminantibus credendum eſſet. Equeſtrem ordinem, vt ſcenæ arenæque deuotum aſſiduè proſcidit. Infenſus turbæ fauenti aduerſus ſtudium ſuum exclamauit: *Vtinā pop. Rom. vnam ceruicem haberet.* Cúmque Tetrinius latro poſtularetur, *et qui poſtularent, Tetrinios eſſe* ait. Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes, ſine certamine vllo totidem ſecutoribus ſuccubuerant: cùm occidi iuberentur, vnus reſumta fuſcina, omnes victores interemit. Hanc vt crudeliſſimam cædem & defleuit edicto, & eos qui ſpectare ſuſtinuiſſent, exſecratus eſt. Queri etiam palàm de conditione temporum ſuorum ſolebat: *quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur.* Auguſti principatum, clade Variana: Tiberij, ruina ſpectaculorum apud Fidenas, memorabile factum: ſui obliuionē imminere proſperitate rerum. Atq; identidem exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. ANIMVM quoque remittenti, ludóque & epulis dedito, eadem dictorum factorúmque ſæuitia aderat. Sæpe in conſpectu prandentis vel comiſſantis, ſeriæ quæſtiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex quibuſcumque è cuſtodia capita amputabat. Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo ſignificauimus, cùm multos è litore inuitaſſet ad ſe repēte omnes præcipitauit: quoſdam gubernacula apprehendenteis, contis remiſque detruſit in mare. Romæ publico epulo ſeruum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim tradidit, vt manibus abſciſſis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſſam pœnę indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Myrmillonem è ludo rudibus ſecum batuentem, & ſponte proſtratum, confodit ferrea ſica, ac more victorum cum palma diſcurrit. Admo talaltaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactauit. Lautiore conuiuio effuſus ſubitò in cachinnos, coss. qui iuxta cubabant, quidnam rideret, blandè quærentibus: *Quid*, inquit, *niſi vno meo nutu iugulari vtrumque veſtrum ſtatim poſſe?* Inter varios iocos, cùm aſſiſtens ſimulacro Iouis, Appellem tragœdum conſuluiſſet, vter illi maior videretur, cunctantem flagellis diſcidit: collaudans ſubinde vocē deprecantis, quaſi etiam in gemitu prędulcem. Quoties vxoris vel amiculæ collum exoſcularetur, addebat, *Tam bona ceruix, ſimulac iuſſero, demetur.* Quin & ſubinde iactabat, *Exquiſiturum ſe vel fidiculis de Cæſonia ſua, cur eam tantopere diligeret.* NEC MINORE liuore ac malignitate quàm ſuperbia ſæuitiáq; pęne aduerſus omnis ęui homines graſſatus eſt. Statuas virorum illuſtrium, ab

A Auguſto ex Capitolina area propter anguſtias in Martium Campum collocatas, ita ſubuertit atque diſiecit, vt reſtitui ſaluis titulis non valuerint. Vetuítque poſthac, viuentium cuiquam vſquam ſtatuam aut imaginem, niſi conſulto ſe & auctore, poni. Cogitauit etiam de Homeri carminibus abolendis. *Cur enim ſibi non liceret*, dicens, *quod Platoni licuit, qui eum è ciuitate quam conſtituebat, eiecerit?* Sed & Virgilij & Titi Liuij ſcripta & imagines, paullum abfuit quin ex omnibus bibliothecis
B amouerit: quorum alterum, *vt nullius ingenij, minimæque doctrinæ*: alterum, vt *verboſum in hiſtoria negligentémque carpebat.* De iuris quoque conſultis, quaſi ſcientiæ eorum omnem vſum aboliturus ſæpe iactauit, *Se, me hercle, effecturum, ne quid reſpōdere poſſint præter æquum.* Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit: Torquato torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompeio ſtirpis antiquæ, Magni cognomen. Ptolemæum, de quo retuli, & acceſſitum è regno, & exceptum
C honorificè, non alia de cauſſa repentè percuſſit, quàm quòd edente ſe munus, ingreſſum ſpectacula, conuertiſſe hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit. Pulchros & comatos, quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo deturpabat. Erat Eſius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & ſpeciem *Coloſſeros* dictus. Hunc è ſpectaculis detractum, repente & in arenam deductum, Thraci, & mox hoplomacho comparauit: biſq; victorem conſtringi
D ſine mora iuſſit: & pannis obſitum vicatim circumduci, ac mulieribus oſtendi, deinde iugulari. Nullus denique tam abiectæ conditionis, támq; extremæ ſortis fuit, cuius non commodis obtrectaret. Nemorenſi regi, quòd multos iam annos potiretur ſacerdotio, validiorem aduerſariū ſubornauit. Cùm quodam die muneris, eſſedario Porio, ob proſperam pugnam ſeruum ſuum manumittenti, ſtudioſiùs plauſum eſſet, ita ſe proripuit è ſpectaculis, vt calcata lacinia togæ, præceps per
E gradus iret indignabundus, & clamitans, *Dominum gentium populum ex re leuiſſima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm conſecratis principibus aut præſenti ſibi.* PVDICITIÆ neque ſuæ, neque alienę pepercit. M. Lepidum Mneſterem pantomimum, quoſdam obſides dilexiſſe fertur, commercio mutui ſtupri. Valerius Catullus conſulari familia iuuenis, ſtupratum à ſe, ac latera ſibi contubernio eius defeſſa, etiam vociferatus eſt. Super ſororum inceſta, & notiſsimum proſtitutæ Pyralidis amorem, non temere vlla illuſtriore fœ-
F mina abſtinuit: quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatis, prætérque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter, ac lentè, mercantium more, conſiderabat: etiam faciem manu alleuans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties deinde libuiſſet egreſſus triclinio, cùm maximè placitam ſeuocaſſet, paulò pòſt recentibus adhuc laſciuiæ notis, reuerſus vel laudabat palàm, vel vituperabat: ſingula numerans bona maláve corporis, atque concu-
G bitus. Quibuſdam abſentium maritorum nomine repudium ipſe miſit, iuſsitque in acta referri. NEPOTINIS ſumptibus omnium prodigorum ingenia ſuperauit: commentus nouum balnearum vſum, portentoſiſsima genera ciborum, atque cœnarum: vt calidis frigidiſque vnguentis lauaretur: pretioſiſsimas margaritas acetó liquefactas ſorberet: cōuiuiis ex auro panes & opſonia apponeret: *Aut frugi hominem eſſe dictitās, aut Cæſarem.*

Quin

Quin & nummos non mediocris summæ, è fastigio basilicæ Iuliæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricauit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnáque etiam vitium, & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias litora Campaniæ peragraret. In exstructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione postnabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Et iactæ itaque moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquari, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totúmque illud Tiberij Cæsaris, vicies ac septies millies H S. non toto vertente anno absumsit. EXHAVSTVS igitur atque egens, ad rapinas conuertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere. Negabat iure ciuitatem Romanam vsurpare eos, quorum maiores sibi posterísque eam impetrassent, nisi filij essent. Neque enim intelligi debere *posteros* vltra hunc gradum. Prolatáque Diuorum Iulij & Augusti diplomata, vt vetera & obsolata deflebat. Arguebat & perperam editos census, quibus postea quacumque de caussa quidquā incrementi accessisset. Testamēta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberij, neq; illum neq; se heredem reliquissét, vt ingrata rescidit. Item cæterorum, vt irrita & vana: quoscùnque quis diceret herede Cæsare mori destinasse. Quo metu iniecto, cùm iam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter libertos palam heres nuncuparetur, derisores vocabat: quòd post nuncupationem viuere perseuerarent, & multis venenatas mattéas misit. Cognoscebat autem de talibus caussis, taxato priùs modo summæ, ad quem conficiendum consideret: confecto demum excitabatur. Ac ne paullulum quidem moræ patiens, super quadraginta reos quondam ex diuersis criminibus vna sententia condemnauit, gloriatúsque est expergefactæ somno Cæsoniæ, *quantum egisset, dum ea meridiaret.* Auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subiecit, & venditauit: exquirens per se pretia, & vsque eò extendens, vt quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum à Caio præconem, ne prætorium virum, crebro capitis motu nutātem sibi, præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores H S. nonagies ignoranti addicerentur. In Gallia quoque, cùm damnatatum sororum ornamenta, & supellectilem, & seruos, atque etiam libertos, immensis pretiis vendidisset: inuitatus lucro, quidquid instrumenti veteris aulæ erat, ab vrbe repetiit: comprehensis ad deportandum meritorijs quoque vehiculis, & pistrinensibus iumentis: adeò, vt & panis Romæ sæpe deficeret, & litigatorum plerique, quòd occurrere absentes ad vadimonium non possent, caussa caderent. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinij adhibuit: modò auaritiæ singulos increpans, *& quòd non puderet eos locupletiores esse, quàm se*, modò pœnitentiam simulans, quòd principalium rerum priuatis copiam faceret. Comperterat prouincialem locupletem du-

A centa HS. numerasse vocatoribus, vt per fallaciam
conuiuio interponeretur, nec tulerat molestè tam
magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione, misit, qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet: diceretque *cœnaturum apud Cæsarem, vocatu ipsius.* Vectigalia noua atque inaudita, primùm per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunosque prætorianos exercuit: nullo
rerum aut hominum genere omisso, cui non tri-
B buti aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota vr-
be venirent, certum statúmque exigebatur. Pro litibus atque iudiciis vbicumque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua, ex capturis prostitutarum, quātum quæq; vno concubitu mereret. Additúmque ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretricium,
C & quæ lenocinium fecissent: nec nō & matrimo-
nia obnoxia essent. Huiusmodi vectigalibus indictis, neque propositis, cùm per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante pop. Rom. proposuit quidem legem: sed & minutissimis literis, & angustissimo loco: vti ne cui describere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit: distinctisq; & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuíque
D staren. Misit circum fora, & basilicas nomencla-
tores ad inuitandos in libidinem iuuenes senésq;: præbita aduenientibus pecunia fenebris, appositíq; qui nomina palàm subnotarēt quasi adiuuantiū Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio atq; etiam periurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori, demandata vice sua, progressus in atrium domus, cùm prætereuntes duos equites Rom. locupletes sine mora corripi, confiscarique iussisset: exsultans rediit, gloriánsque numquam se prosperiore alea
E vsum. Filia verò nata, paupertatem, nec iam impe-
ratoria modò, sed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit & strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium Kalend. Ianuarijs ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Nouissimè contrectandę pecunię cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, &
F toto corpore aliquandiu volutatus est. MILITIAM
résque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed cùm ad visendum nemus flumenq; Clitumni Meuaniam processisset: admonitus de supplendo numero Batauorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus & auxiliis vndique excitis, delectibus vbique acerbissimè actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum nunquam alius, iter ingressus est: confecitque modò tam fe-
G stinanter & rapidè, vt prætorianæ cohortes contra
morem signa iumentis imponere, & ita subsequi cogerentur: interdum adeò segniter & delicatè, vt octophoro veheretur, atque à propinquarum vrbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter puluerem exigeret. Postquam castra attigit, vt se acrem & seuerum ducem ostenderet, legatos, qui auxilia serius ex diuersis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, ple-

uit. quas ob res, & ouans, & curru vrbem ingref-
sus, est primus vt quidam putant, triumphalibus
ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam
tributo genere honoris. Magistratus & maturiùs
inchoauit, & pæne iunctim percurrit, quæsturam
præturam, consulatum: interpositóque tempore,
cos. iterum, etiam tribunitiam potestatem in
quinquennium accepit.

Tot prosperis confluentibus, integra ætate
ac valetudine statuit repentè secedere, seque è me-
dio quàm longissimè amouere. Dubium vxoris
ne tædio, quam neque criminari aut dimittere au-
deret, neque vltra perferre posset, an vt vitato assi-
duitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur,
atque etiam augeret, si quando indiguisset sui
Resp. Quidam existimant, adultis iam Augusti li-
beris, locu & quasi possessione, vsurpati a se diu
secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M. Agrip-
pæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto,
Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare
præsens videretur. Quam caussam & ipse, sed po-
steà, reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac
requiem laborum prætendens, commeatum pe-
tiit. Neque aut matri suppliciter precanti, aut vi-
trico, deseri se etiam in senatu conquerenti, ve-
niam dedit. Quin & pertinaciùs retinentibus, ci-
bo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeū-
di potestate, relictis Romæ vxore & filio, confe-
stim Ostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam
prosequentium reddito, paucósque admodum in
digressu osculatus. Ab Ostia oram Campaniæ le-
gens, imbecillitate Augusti nuntiata, paullum
substitit. Sed increbrescente rumore, quasi ad oc-
casionem maioris spei commoraretur, tantum
non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit,
amœnitate & salubritate insulæ iam inde captus,
cùm ad eam ab Armenia rediens appulisset. Heic
modicis contentus ædibus, nec multo laxiore
suburbano, genus vitæ ciuile admodum instituit:
sine lictore aut viatore gymnasia interdū obābu-
lās mutuáq, cum Græculis officia vsurpans, propè
ex æquo. Fortè quodam in disponendo die, mane
prædixerat, quidquid ægrorum in ciuitate esset,
visitare se velle: id à proximis aliter exceptum est:
iussique sunt omnes ægri in publicam porticum
deferri, ac per valetudinum genera disponi. Per-
culsus igitur inopinata re, diu quid ageret incer-
tus, tandem singulos circuit: excusans factum e-
tiam tenuissimo cuique, & ignoto. Vnum hoc
tantummodo, neque præterea quidquam notatum
est, in quo exercuisse ius tribunitiæ potestatis vi-
sus sit. Cùm circa scholas & auditoria professo-
rum assiduus esset, moto inter antisophistas gra-
uiore iurgio, non defuit qui eum interuenientem
& quasi studiosiorem partis alterius conuitio in-
cesseret. Sensim itaque regressus domum, repentè
cum apparitoribus prodiit: citatúmque pro tribu-
nali, voce præconis conuitiatorem rapi iussit in
carcerem. Comperit deinde Iuliam vxorem ob li-
bidines atque adulteria damnatam, repudiúmque
ei suo nomine, ex auctoritate Augusti remissum:
& quamquam lætus animo, tamen officij duxit,
quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequen-
tibus literis, & vel vtcumque meritæ, quidquid
vnquam dono dedisset, concedere. Transacto au-
tem tribunitiæ potestatis tempore, confessus tan-
dem nihil aliud secessu deuitasse se, quàm æmula-
tionis cum Caio Lucióque suspicionem, petiit vt
sibi securo iam ab hac parte, corroboratis his, &

A secundum locum facile curantibus, permitteretur
tur reuisere necessitudines, quarum desiderio
teneretur. Sed neque impetrauit: vltróque e-
tiam admonitus est, dimitteret omnem curam
suorum, quos tam cupidè reliquisset. Remansit
ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem
consecutus vt ad velandam ignominiam, quasi
legatus ab Augusto abesset. Enimuero tunc non
priuatum modo, sed etiam obnoxium, & trepi-
B dum egit, mediterraneis agris abditus, vitánsque
prætet nauigantium officia, quibus frequentaba-
tur assiduè: nemine cum imperio aut magistratu
tendente quoquam, quin diuerteret Rhodum. Et
accesserunt maioris solicitudinis caussæ. Namque
priuignum Caium, Orienti præpositum, cùm vi-
sendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi
sensit ex criminationibus M. Lollij comitis & re-
ctoris eius. Venit etiam in suspicionem per quos-
dam beneficij sui centuriones, à commeatu castra
C repetentes, mandata ad complures dedisse ambi-
gua, & quæ tentare singulorum animos ad nouas
res viderentur. De qua suspicione certior ab Au-
gusto factus, non cessauit efflagitare aliquem, cu-
iuslibet ordinis custodem, factis atque dictis suis.

Equi quoque, & armorum solitas exercitatio-
nes omisit; redegítque se, deposito patrio habitu,
ad pallium & crepidas: atque in tali statu biennio,
ferè permansit, contemtior in dies, & inuisior: a-
deò vt imagines eius & statuas Nemausenses sub-
D uerterint: ac familiari quodam conuiuio men-
tione eius orta extiterit qui Caio polliceretur,
*Confestim se, si iuberet, Rhodum nauigaturum, ca-
pútque exsulis* (sic enim appellabatur) *relaturum.*
Quo præcipuè, non iam metu, sed discrimine, coa-
ctus est tam suis quàm matris impensissimis pre-
cibus reditum expostulare: impetrauitque adiutus
aliquantum etiam casu. Destinatum Augusto e-
rat, nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris fi-
lij, statuere. Is fortè tunc M. Lollio offensior, faci-
E lis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente er-
go Caio, reuocatus est: verùm sub conditione, ne
ne quam partem curámve Reip. attingeret. Re-
diit octauo post secessum anno, magna, nec in-
certa spe futurorum, quam & ostentis, & prædi-
ctionibus ab initio ætatis conceperat. prægnans
enim Liuia, cùm an marem editura esset, variis
captaret ominibus, ouum incubanti gallinæ sub-
ductum, nunc sua, nunc ministrarum manu per
vices vsque eò fouit, quoad pullus insignitèr cri-
F status exclusus est. Ac de infante Scribonius ma-
thematicus præclara spopondit *etiam regnaturum
quandoque, sed sine regio insigni*: ignota scilicet
tunc adhuc Cæsarum potestate. Et ingresso pri-
mam expeditionem, ac per Macedoniam ducente
exercitum in Syriam, accidit, vt apud Philippos
sacratæ olim victricium legionum aræ, sponte su-
bitis collucerent ignibus: & mox cùm Illyricum
petens, iuxta Patauium adisset Geryonis oraculum,
sorte tracta, qua monebatur, vt de consultationi-
G bus in Aponi fontem talos aureos iaceret: eue-
nit vt summum numerum iacti ab eo ostenderent:
hodieque sub aqua visuntur hi tali. Ante paucos
verò quàm reuocaretur dies, aquila, numquam
anteà Rhodi conspecta, in culmine domus eius
assedit: & pridie quàm de reditu certior fieret, ve-
stimenta mutanti, tunica ardere visa est. Thrasyl-
lum quoque mathematicum, quem vt sapientiæ
professorem contubernio admouerat, tunc maxi-
mè expertus est, affirmantem naue præuisa gau-
dium

dium asseruit, cùm quidem illum duriùs & contra prædicta cadentibus rebus, vt falsum & secretorum temere conscium, eo ipso momento dum [illegible] ut vna, præcipitare in mare destinasset. Romam reuersus, deducto in forum filio Druso, statim e Carinis ac Pompeiana domo, Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigrauit: totúmque se ad quietem contulit, priuata modò officia obiens, ac publicorum munerum expers. Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa: coactus prius ipse Germanicum adoptare. Nec quidquam postea pro patrefamilias egit: aut ius quod adoptione amiserat, ex vlla parte retinuit. Nam neque donauit, neque manumisit: nec hereditatem quidem, aut legata percepit vlla aliter quàm vt peculio referret accepta: nihil ex eo tempore prætermissum est ad maiestatem eius augendam, ac multo magis, postquam Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, vni spem successionis incumbere. Data rursus potestas tribunitia in quinquennium: delegatus pacandæ Germaniæ status: [illegible] legati, mandatis Augusto Romæ redditis, cum quibus quæ adire in prouinciam iussi. Sed nuntiata Illyrici defectione, transiit ad curam noui belli, quod grauissimum omnium externorum bellorum post Punica, per xv. legiones paremque auxiliorum copiam, triennio gessit: in magnis omnium rerum difficultatibus, summáque frugum [illegible] quamquam sæpius reuocaretur, tam [illegible] ne vicinus & præualens hostis instaret vltro cedentibus. Ac perseuerantiæ grande pretium tulit: toto Illyrico, quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito & in ditionem redacto. Cui gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit. Nam sub id ferè tempus Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit, nemine dubitante, quin victores Germani iuncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei decretus est, multique & magni honores. Censuerunt etiam quidam, vt *Pannonicus*, alij vt *Inuictus*, nonnulli vt *Pius* cognominaretur. Sed de cognomine intercessit Augustus eo contentum repromittens: quod se defuncto suscepturus esset. Triumphum ipse distulit, mœsta ciuitate clade Variana. Nihilo minus vrbem prætextatus, & laurea coronatus intrauit: positúmque in Septis tribunal, senatu adstante, conscendit: ac medius inter duos coss. cum Augusto simul sedit: vnde populo consalutato, circum templa deductus est. Proximo anno repetita Germania, cùm animaduerteret, Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidisse, nihil non de consilij sententia egit: semper alias sui arbitrij, contentúsque se vno, tunc præter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicauit. Curam quoque [illegible] ro exactiorem præstitit. Traiecturus Rhenum, commeatum omnem ad certam formulam adstrictum non ante transmisit, quàm consistens apud ripam explorasset vehiculorum onera: ne qua [illegible] tarentur, nisi concessa aut necessaria. Trans [illegible] um verò eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens [illegible] spite nudo cibum caperet sæpe: sine tentorio [illegible] octaret: præcepta sequentis diei omnia, & si [illegible] subiti muneris iniungendum esset, per libellos daret: addita monitione, vt de quoque quid

A que dubitaret, se, nec alio interprete, quacunque vel noctis hora vteretur. Disciplinam acerrimè exegit: animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato. Prælia, quamuis minimum fortunæ casibúsque permitteret, aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se, subitò ac nullo propellente, deci-B deret lumen, & extingueretur, confidens, vt aiebat ostento, sibi ac maioribus suis in omni ducatu expertissimo. Sed re prosperè gesta, non multum abfuit quin à Bructero quodam occideretur: cui inter proximos versanti, & trepidatione detecto, tormentis expressa confessio est cogitati facinoris. A Germania in vrbem post biennium regressus, triumphum quem distulerat, egit: prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ac priùs quàm in Capitolium flecteC ret, descendit è curru, séque præsidenti patri ad genua submisit. Batonem Pannonium ducem ingentibus donatum præmiis, Rauennam transtulit: gratiam referens, quòd se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset euadere. Prandium dein populo mille mensis, & congiarium trecenos nummos viritim dedit. Dedicauit & Concordiæ ædem: item Pollucis & Castoris, suo fratrísque nomine, de manubiis. Ac D non multò post lege per coss. lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret, simúlque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est. Et statim ex itinere reuocatus, iam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit, fuitque vna secretò per totum diem. Scio vulgo persuasum, quasi egresso post secretum sermonem Tiberio vox Augusti per cubicularios excepta sit: *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.* Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palàm E nec dissimulanter morum eius diritatem adeo improbasse, vt nonnunquam remissiores hilarioresque sermones superueniente eo abrumperet: sed expugnatum precibus vxoris adoptionem non abnuisse: vel etiam ambitione tractum, vt tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret. Adduci tamen nequeo quin existimem, circumspectissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temerè fecisse: sed vitiis virtutibúsque F Tiberij perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cùm & *Reip. caussa adoptare se eum* pro concione iurauerit: & epistolis aliquot, vt peritissimum rei militaris, vtq; vnicum populi Rom. præsidium prosequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde subieci. *Vale iucundissime Tiberi, & rem gere feliciter, ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν Iucundissime, & ita sim felix, vir fortissime & dux νομιμώτατε. Vale. &, Ordinem æstiuorum tuorum. Ego verò, mi Tiberi, & inter tot rerum difficultates, καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν τῶν στρατευομένων non potuisse, quem-*G *quam prudentius gerere se, quàm tu gesseris, existimo. Hi quoque qui tecum fuerunt omnes, confitentur versum illum in te posse dici,*

Vnus homo nobis vigilando restituit rem. Siue, inquit, *quid incidit de quo sit cogitandum diligentius, siue quid stomachor valde, medius fidius Tiberium meum desidero. succurritque versus ille Homericus.*

Τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι.

Attenuatum te esse continuatione laborum, cùm au-

[illegible] de quo non ad Patres Conscriptos [illegible] igalibus ac monopoli[illegible], [illegible] operibus etiam de l[illegible] [illegible] tudo milite, ac legionum [illegible] scriptione. denique quibus [illegible], aut extraordinaria bella [illegible] & qua forma regum lit[illegible] re- [illegible] ter. [illegible] alæ, de vi & rapinis reum [illegible] dicere coegit. Nunquam [illegible] lectica quondam in- [illegible] a se remouit.

[illegible] sententiam suam deceret [illegible]. Negante eo, destinatos [illegible] oporte[illegible], vt præsentes ho- no[illegible] acquiescerent, Prætor designatus, libe- [illegible] gationem impetrauit. Iterum censente, vt [illegible] legatam in opus noui theatri pecu- [illegible] ad munitionem viæ transferre concedere- tur, obtinere non potuit quin rata voluntas lega- toris [illegible]. Cum senatus consultum per discessio- n[illegible] forte fieret, transeuntem eum in alteram pa[illegible] in qua pauciores erant, secutus est nemo. Cætera q[illegible] [illegible] per magistratus & iure ordinario a[illegible] coss. auctoritate vt legati e[illegible] Africa adierunt eos, querentes trahi se à C[illegible] ad quem missi forent. Nec mirum, cum palam [illegible] quoque eisdem assurgere & de- cedere via.

Corripuit consulares exercitibus præpositos, quòd non de rebus gestis senatui scriberent: quodque de t[illegible]buendis quibusdam militaribus donis ad se referrent: quasi non omnium tri- buendorum ipsi ius haberent. Prætorem col- laudauit, quòd hono[illegible] inito, consuetudinem an- tiquam retulisset de maioribus suis pro concio- ne memorandi. [illegible] quorundam illustrium exse- quias vsque ad [illegible] frequentauit. Parem mo- derationem [illegible] quoque & personis & rebus exhibui[illegible] cum Rhodiorum magistratus, quòd [illegible] teras publicas sine subscriptione ad se de- dera[illegible], ne verbo quidem insectatus, ac [illegible] modo iussos [illegible] ribere, remisit. Dioge- nes grammaticus, disputare sabbatis Rhodi so- litus venientem [illegible] vt se [illegible] ordinem audiret, non admiserat: ac per seruulum suum in septimum diem distulerat. Hunc Romæ salutandi sui caussa pro foribus adstantem, nihil ampliùs, quam vt [illegible] annum rediret, admo- nuit. P[illegible] tributo prouincias suadentibus, [illegible], *Bo[illegible] pastoris, esse tonde re pecus, non [illegible] glubere.* Paullatim principem exercuit præstitit[illegible] [illegible] varium diu [illegible] [illegible] pius, & ad [illegible] publi- cas [illegible]. A[illegible] primò [illegible] interueniebat, [illegible] Inque & consiliu [illegible] [illegible] & magistratibus [illegible] cogn[illegible] plerumque se of- fer[illegible] debátque [illegible], vel ex [illegible] parte p[illegible] & siquem [illegible] gratia rumor [illegible]. iudi- [illegible] e plano, aut e [illegible] tribunali, [illegible] gionis, & [illegible] gnos [illegible] bat, atque [illegible] qua in pu- [illegible] [illegible] dine [illegible] suscepit. L[illegible] orum ac [illegible] corripuit: [illegible] ludique gladiator[illegible] [illegible] Corinthio[illegible] o-

rum pretia in immensum exarsisse, tresque mullos xxx. millibus nummûm venisse, grauiter conquestus, adhibendum supellectili modum censuit: annonámque macelli, Senatus arbitratu, quotannis temperandam; dato Ædilibus negotio, popinas ganeásque vsque eò inhiben di, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. Et vt parcimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, sollennibus ipse cœnis pridiana sæpe ac semesa opsonia apposuit, dimidiatúmque aprum: affirmans, *Omnia eadem habere, quæ totum.* Quotidiana oscula prohibuit edicto: item, strenarum commercium, ne vltra Kalendas Ianuarias exerceretur. Consueuerat quadruplam strenam & de manu reddere: sed offensus interpellari se toto mense ab iis qui potestatem sui die festo non habuissent, vltra non reddidit.

Matronas prostitutæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui more maiorum de communi sententia coercerent, auctor fuit. Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vt vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum antè iurauerat. Fœminæ famosæ, vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exsoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex iuuentute vtriusque ordinis profligatissimus quisque, quò minus in opera scenæ arenæque edenda senatusconsulto tenerentur, famosi iudicij notam sponte subibant. Eos eàque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit. Senatori latum clauum ademit, cùm cognouisset sub Kalend. Iulij demigrasse in hortos, quò viliùs post diem ædes in vrbe conduceret. Alium & quæstura remouit, quòd vxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.

Externas cærimonias, Ægyptios Iudaicósque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem, per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cæli distribuit: reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. Expulit & mathematicos: sed deprecantibus, ac se artem desituros promittentibus, veniam dedit.

In primis tuendæ pa[illegible] à grassaturis ac latrociniis seditionúmque licentia curam habuit. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romæ castra constituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ continerentur. Populares tumultus exortos grauissimè coërcuit: & ne orirentur, sedulò cauit. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum & histriones, propter quos dissidebatur, relegauit: nec vt reuocaret, vnquam vllis populi precibus potuit euinci. Cum Pollentina plebs funus cuiusdam Primipilaris non priùs ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorium munus: cohortem ab vrbe, & aliam à Cottij regno, dissimulata itineris caussa, detectis signis, repentè armis concinentibus, per diuersas portas in oppidum immisit, ac partem maiorem plebis ac decurionum in perpetua vincula coniecit. Aboleuit & ius morem-

quo asylorum, quæ vsquam erant. Cyzicenis, in ciues Romanos violentiùs quædam ausis, publicè libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant. Hostiles motus, nulla postea expeditione suscepta, per legatos compescuit: nec per eos quidem, nisi cunctanter & necessariò. Reges infestos suspectósque comminationibus magis & querelis quàm vi repressit. Quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit: vt Maroboduum Germanum, Thrascypolim Thracem, Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in formam prouinciæ redegit. Biennio continuo post adeptum imperium, pedem porta non extulit: sequenti tempore, præterquàm in propinqua oppida, & cùm longissimè, Antio tenus nusquam abfuit: idque perrarò & paucos dies, quamuis prouincias quoque & exercitus reuisurum se sæpe pronuntiasset: & propè quotannis profectionem præpararet: vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia & colonias dispositis. Ad extremum vota pro itu & reditu suo suscipi passus, vt vulgo iam per iocum *Callipides* vocaretur: quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, prouerbio Græco notatum est.

SED ORBATVS vtroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, secessum Campaniæ petiit: constanti & opinione & sermone pæne omnium, quasi neque rediturus vnquam, & citò mortem etiam obiturus: quod paulò minus vtrumque euenit. Nam neque Romam amplius rediit: sed & paucos post dies iuxta Terracinam in prætorio, cui speluncæ nomen erat, incœnante eo, complura & ingentia saxa fortuitò supernè delapsa sunt: multisque conuiuarum & ministrorum elisis, præter spem euasit.

Peragrata Campania, cùm Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam caussam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit: præcipuè delectatus insula, quòd vno paruóque littore adiretur, septa vndique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Statimque reuocante assidua obtestatione populo, propter cladem, qua apud Fidenas, supra xx. hominum millia gladiatorio munere, amphitheatri ruina perierant, transiit in continentem, potestatémque omnibus adeundi sui fecit: tantò magis quòd ab vrbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes submouerat.

Regressus in insulam, Reip. quidem curam vsque adeo abiecit, vt postea non decurias equitum suppleuerit, non tribunos militum præfectosq; vnquam, non prouinciarum præsides vllos mutauerit: Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit. Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam a Dacis Sarmatisque: Gallias à Germanis vastari neglexerit: magno dedecore imperij, nec minori discrimine. CÆTERVM secreti licentiam nactus, & quasi ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia male diu dissimulata, tandem profudit: de quibus singulatim ab exordio referam. In castris tiro etiam tum, propter nimiam vini auiditatem, pro Tiberio, *B[illegible]ius*, pro Claudio, *Caldius*, pro Nerone *Mero* vocabatur. Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, cùm [illegible]om-

A ponio Flacco & L. Pisone, noctem continuamque biduum epulando potandóque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confestim detulit, codicillis quoque *iucundissimos, & omnium horarum amicos* professus. Sestio Gallo libidinoso, ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, & a se ante paucos dies apud senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex con-

B suetudine immutaret aut demeret, vtque nudis puellis ministrantibus cœnaretur. Ignotissimum quæsituræ candidatum nobilissimis anteposuit, ob epotam in conuiuio, propinante se, vini amphoram. Asellio Sabino HS. ducenta donauit, pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & ostreæ, & turdi certamen induxerat. Nouum denique officium instituit à voluptatibus, præposito equite Rom. T. Cæsonio Prisco. Secessu verò Capreensi, etiam sellariam excogitauit, sedem

C arcanarum libidinum, in quam vndique conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosíque concubitus repertores, quos *spintrias* appellabat, triplici serie connexi, inuicem incestarent se coram ipso, vt aspectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum & figurarum adornauit, librísque Elephantidis instruxit: ne cui in opera edenda exemplar imperatæ schemæ deesset. In siluis quoque

D ac nemoribus passim venereos locos commentus est, prostantésque per antra & cauas rupes ex vtriusque sexus pube, Paniscorum & Nympharum habitu: palámque iam & vulgato nomine insulæ abutentes, *Caprineum* dictitabant. Maiore adhuc & turpiore infamia flagrauit, vix vt referri audiriue, nedum credi fas sit. Quasi pueros primæ teneritudinis, quos pisciculos vocabat, institueret, vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent: morsú-

E que sensim appetentes, atque etiam quasi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admoueret: pronior sanè ad id genus libidinis & natura & ætate. Quare Parrhasij quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, vt si argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet: non modò prætulit, sed & in cubiculo dedicauit. Fertur etiam in sacri-

F ficando quondam captus facie ministri, acerram præferentis, nequisse abstinere, quin pæne vix dum re diuina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simulque fratrem eius tibicinem: atque vtrique mox, quòd mutuò flagitium exprobrabant, crura fregisse. Fœminarum quoque, & quidem illustrium, capitibus quantopere solitus sit illudere, euidentissimè apparuit, Malloniæ cuiusdam exitu: quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissimè recusantem, delatoribus obiecit: [illegible]

G ream quidem interpellare desiit, *Ecquid pæniteret*, donec ea, relicto iudicio, domum arripuit, ferróque transegit, [illegible] obscœnitate [illegible] hirsuto atque olido seni cl[illegible] exprobr[illegible] V[illegible] de nota in Atellanico exodio proxi[illegible] assensu maximo excepta, percrebuit [illegible] *vetulum capru naturam ligurire*. Pr[illegible] parcus ac tenax, comit[illegible] [illegible] tionúmque [illegible]

sustentauit : vnâ modò liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus, cùm tribus classibus factis, pro dignitate cuiusque, primæ sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed gratorum appellabat.

Princeps neq; opera vlla magnifica fecit: Nam & quæ sola susceperat, Augusti templum, restitutionémque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit: neque spectacula omnino edidit: & iis, quæ ab aliquo ederentur, rarissimè interfuit, nequid exposceretur, vtique postquam comœdũ Actium coactus est manumittere. Paucorum senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negauit se aliis subuenturum, nisi senatui iustas necessitatum caussas probassent. Quo peracto plerosque modestia & pudore deterruit: in quibus Ortalum Q. Hortensij oratoris nepotẽ, qui permodica re familiari, auctore Augusto, quatuor liberos tulerat. Publicè munificentiam bis omnino exhibuit: proposito millies HS. gratuitò in triennij tempus: & rursus quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio restituto. Quorũ alterum magna difficultate nummaria populo auxilium flagitante, coactus est facere, cùm per senatusconsultum sanxisset, vt fœneratores duas patrimonij partes in solo collocarent, debitores totidẽ æris alieni statim soluerent, nec res expediretur: alterum, ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficium tanti æstimauit, vt montem Cœlium appellatione mutata vocari Augustũ iusserit. Militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil vmquã largitus est, præterquàm singula millia denariorum prætorianis, quòd Seiano se non accommodassent: & quædam munera Syriacis legionibus, quòd solæ nullam Seiani imaginem inter signa coluissent: atque etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortẽ, ex morte compendium captans. Ne prouincias quidem vlla liberalitate subleuauit: excepta Asia, disiectis terræ motu ciuitatibus. Procedente mox tempore etiam ad rapinas conuertit animum. Sat constat, Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, & vt ne quo nisi ipso herede moreretur. Condemnatam & generosissimam fœminam Lepidam, in gratiam Quirini consularis prædiuitis, & orbi, qui dimissam eam è matrimonio post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat: præterea Galliarum & Hispaniarum, Syriæque & Græciæ principes, confiscatos ob tam leue ac tam impudens calumniarum genus: vt quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent. plurimis etiam ciuitatibus & priuatis, veteres immunitates & ius metallorum ac vectigalium adempta. sed & Vononem regem Parthorum, qui pulsus à suis, quasi in fidem pop. Rom. cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia, & occisum.

ODIVM aduersus necessitudines, in Druso primùm fratre detexit: prodita eius epistola, qua secum de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat: deinde & in reliquis. Iuliæ vxori tantum abfuit, vt relegatæ, quod minimum est, officij aut humanitatis aliquid impertiret, vt ex constitutione patris vno oppido clausam, domo quoque egredi, & commercio hominum

A frui vetuerit: sed & peculio concesso à patre, præbitisque annuis fraudauit, per speciem publici iuris, quòd nihil de his Augustus testamento cauisset. Matrem Liuiam grauatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem, & congressum eius assiduum vitauit: & longiores secretioresque sermones, ne eius consiliis, quibus tantùm interdum & ægrè vti solebat, regi videretur. Tulit etiam perindignè, actum à senatu, vt titulis suis quasi Augusti, ita & Liuiæ filius adiiceretur. Qua-
B re non *Parentem patriæ* appellari, non vllum insignem honorem recipere publicè passus est. Sed & frequenter admonuit, *quòd non maribus, nec fœmina conuenientibus negotijs abstineret*: præcipueq; vt animaduertit incendio iuxta ædem Vestæ, & ipsam interuenisse: populúmque & milites, quò enixiùs opem ferrent, adhortatam, sicut sub marito solita esset. Dehinc ad simultatem vsque processit; hac, vt ferunt, de caussa: Instanti sæpius, vt ciuitate donatum in decurias
C allegeret, negauit alia se conditione allecturum, quàm si pateretur adscribi albo, *extortum id sibi à matre.* At illa commota, veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate & intolerantia morum eius, è sacrario protulit, atque recitauit. Hos & custoditos tamdiu, & exprobratos tam infestè, adeò grauiter tulit, vt quidam putent inter caussas secessus hanc ei vel præcipuam fuisse. Toto quidem triennio, quo viuente matre adfuit, semel omnino eam, nec am-
D pliùs quàm vno die, ac paucissimis vidit horis: ac mox, neque ægræ adesse curauit, defunctámque, & dum aduentus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum & tabido corpore funeratam, prohibuit consecrari: quasi id ipsa mandasset. Testamentum quoque eius pro irrito habuit, omnésque amicitias & familiaritates, etiam quibus ea funeris sui curam moriens demandarat, intra breue tempus afflixit: vno ex his equestris ordinis viro & in antliam
E condemnato. Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptiuum Germanicum patria charitate dilexit. Alterius virtutibus, alterius vitiis infensus: nam Drusus animi fluxioris, remissiorisque vitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus est: sed tantum non statim pòst à funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito. Quin & Iliensium legatis paullò seriùs consolantibus, quasi obliterata iam doloris memoria: irridens
F *Se quoque* respondit *vicem eorum dolere, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent.* Germanico vsque adeò obtrectauit, vt & præclara facta eius pro superuacuis eleuaret: & gloriosissimas victorias, ceu damnosas Reip. increparet. Quòd verò Alexandriam, propter immensam & repentinam famem, inconsulto se adisset, questus est in senatu. Etiam caussa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatum Syriæ creditur: quem mox huius criminis reum, putant quidam manda-
G ta prolaturum, nisi ea secreta obstarent, per quæ multifariam increpitum, & per noctes creberrimè acclamatum est, *Redde Germanicum.* Quam suspicionem confirmauit ipse postea: coniuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis. Nurum Agrippinam, post mortem mariti, liberiùs quiddam questam, manu apprehendit: Græcóque versu, *Si non dominaris*, inquit, *filiola, iniuriam te*

de nepotum & nurus, postremò Seiani familiares atque etiam notos persequeretur. Post cuius interitum vel sæuissimus exstitit: quo maximè apparuit: non tam ipsum à Seiano concitari solitum, quàm Seianũ quærenti occasiones subministrasse. Etsi commẽtario, quem de vita sua summatim breuiterque composuit, ausus est scribere, *Seianũ se puniße, quòd comperisset furere aduersus Germanici liberos filij sui*: quorum ipse alterum suspecto iam, alterum oppresso demum Seiano interemit. Sigillatim crudeliter facta eius exsequi longum est: generatim velut exemplaria sæuitiæ enumerare sat erit. Nullus à pœna hominum cessauit dies: ne religiosus quidem ac sacer. Animaduersum in quosdam ineunte anno nouo: accusati damnatique multi cum liberis atque etiam vxoribus suis. Interdictũ, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnumquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciúmque verborum. Obiectum est poëtæ, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset: obiectum & historico, quòd *Brutum Caßiúmque vltimos Romanorum* dixisset: animaduersum est statim in auctores, scriptáq; abolita, quamuis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente recitata. Quibusdam custodiæ traditis non modò studendi solatium ademtum, sed etiam sermonis & colloquij vsus. Citati ad caussam dicendam, partim se domi vulnerauerunt, certi damnationis, sed ad vexationem ignominiámque vitandam: partim in media curia venenum hauserunt, & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes palpitantésque in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonias abiectus vncóque tractus. Viginti vno die abiecti tractique sunt; inter eos pueri & fœminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ priùs à carnifice, dein strangulatæ. Mori volentibus vis adhibita viuendi. Nam mortem adeò leue supplicium putabat, vt cùm audisset vnum è reis, Carnulium nomine, anticipasse eam, exclamauerit; *Carnulius me euasit*. Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit, *Nondum tecum in gratiam redij*. Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subitò & clarè à quodam nano adstante mensæ inter Capreas, cur Paconius, maiestatis reus, tam diu viueret: statim quidem petulantiam linguæ obiurgasse, cæterùm post paucos dies scripsisse senatui, vt de pœna Paconij quàm primùm statueret. Auxit intendítque sæuitiam, exacerbatus indicio de morte filij sui Drusi: quem cùm morbo & intemperãtia perisse existimaret, vt tandem veneno interemptum fraude Liuillæ vxoris atque Seiani cognouit, neque tormentis neque supplicio cuiusquam pepercit: soli huic cognitioni adeò per totos dies deditus & intentus, vt Rhodiensem hospitem, quem familiaribus litteris Romam euocarat, aduenisse sibi nuntiatum, torqueri sine mora iusserit, quasi aliquis ex necessariis quæstioni adesset: deinde errore detecto, & occidi, ne diuulgaret iniuriam. Carnificinæ eius ostenditur locus Capreis, vnde damnatos post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubebat: excipiente classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera: ne cui

A residui spiritus quidquam inesset. excogitauerat autem inter genera cruciatus, etiam vt larga meri potione per fallaciam oneratos repente veretris deligatis, fidicularum simul vrinæque tormento distenderet. Quòd nisi eum & mors præuenisset, & Thrasyllus consultò, vt aiunt, differre quædam, spe longioris vitæ compulisset: plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur: cùm & Caium suspectum B haberet, & Tiberium vt ex adulterio conceptum aspernaretur. Nec abhorret à vero: namque identidem *Felicem Priamum vocabat, quòd superstes omnium suorum extitisset*. Quam verò inter hæc non modò inuisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoque atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia sunt. Haruspices secretò ac sine testibus consuli vetuit. Vicina verò vrbi oracula etiam disiicere conatus est: sed maiestate Prænestinarum sortium territus, destitit: cùm obsignaC tas deuectásque Romam non reperisset in arca, nisi relatas rursus ad templum. Vnum & alterum consulares oblatis prouinciis, non ausus à se dimittere, vsque adeò detinuit, donec successores post aliquot annos præsentibus daret: quum interim manente officij titulo, etiam delegaret plurima: assiduéque illi per legatos & adiutores suos exsequenda curarent. Nurum ac nepotes numquam aliter post damnationem, quàm catenatos, obsutáque lectica, loco mouit: prohibitis per miD litem obuiis ac viatoribus respicere vsquam, vel consistere. Seianum res nouas molientem, quamuis iam & natalem eius publicè celebrari, & imagines aureas coli passim videret, vix tandem & astu magis ac dolo, quàm principali auctoritate, subuertit. Nam primò, vt à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumsit in quinto consulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac tribunitiæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est E pudenda miserandáque oratione: cùm inter alia P.C. precaretur, *mitterent alterum è consulibus, qui senem se, & solum, in conspectum eorum cum aliquo militari præsidio perduceret*. Sic quoque diffidens, tumultúmque metuens, Drusum nepotem, quem vinculis adhuc Romæ continebat, solui, si res posceret, ducémque constitui præceperat. Aptatis etiam nauibus ad quascumque legiones meditabatur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem signa, quæ ne nuntij morarentur, F tolli procul, vt quidque foret factum, mandauerat. Verùm & oppressa coniuratione Seiani, nihilò securior aut constantior, per nouem proximos menses non egressus est villa, quæ vocatur Iouis. Vrebant insuper anxiam mentem varia vndique conuitia, nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in orchestra positos, ingerente. Quibus quidem diuersissimè afficiebatur: modò, vt præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: nonnumquam eadem contemneG ret, & proferret vltro atque vulgaret. Quin & Artabani Parthorum regis laceratus est litteris, parricidia & cædes & ignauiam & luxuriam obiicientis, monentísque vt voluntaria morte, maximo iustissimóque ciuium odio quamprimum satisfaceret. postremò semetipse pertæsus talis epistolæ principio, tantum non summam malorum suorum professus est. *Quid scribam vobis Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino nõ scribam, hoc tẽpore? Dij me, Deæque pænis*

perdant, quem quotidie perire sentio, si scio. Existimant quidam, præscisse hæc cum peritia futurorum: ac multò antè, quāta se quandoque acerbitas & infamia maneret, prospexisse. Ideóque vt imperium iniret, & *PATRIS PATRIAE* appellationem, & in acta sua iuraretur, obstinacissimè recusasset: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. Quod sanè & ex oratione eius, quam de vtraque habuit, colligi potest: vel cùm ait, *Similem se semper sui futurum: nec vnquam mutaturum mores suos, quamdiu mentis sanæ fuisset: sed exempli caussa cauendum, ne se senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset.* Et rursus; *Si quando autem*, inquit, *de moribus meis, deuotóque vobis animo dubitaueritis: quod prius quàm eueniat, opto vt me supremus dies huic mutata vestra de me opinioni eripiat: nihil honoris adyciet mihi PATRIS appellatio: vobis autem exprobrabit, aut temeritatem delati mihi eius cognominis, aut inconstantiam contrarij de me iudicij.* CORPORE fuit amplo atque robusto: statura, quæ iustam excederet. Latus ab humeris & pectore: cæteris quoque membris vsque ad imos pedes æqualis & congruens, sinistra manu agiliore ac validiore. articulis ita firmis, vt recens & integrum malum digito terebraret. caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, vt ceruicem etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur. Facie honesta: in qua tamen crebri, & subtiles tumores, cum prægrandibus oculis: & qui, quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent, sed ad breue: & cùm primum à somno patuissent, deinum rursum hebescebant. Incedebat ceruice rigida & obstipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rarissimo etiā cum proximis sermone, eóque tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atq; arrogantiæ plena, & animaduerterit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpe apud senatum ac populum, professus, *Naturæ vitia esse, non animi.* Valetudine prosperrima vsus est; tempore quidem principatus pæne toto propè illæsa: quamuis à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adiumento consiliíve medicorum. CIRCA DEOS ac religiones neglegentior: quippe addictus mathematicæ, persuasionísque plenus, cuncta fato agi. Tonitrua tamē prætermodum expauescebat: & turbatiore cœlo numquam non coronam lauream capite gestauit, quòd fulmine afflari negetur id genus frōdis.

ARTES liberales vtriusque generis studiosissimè coluit. In oratione Latina secutus est Coruinum Messallam: quem senem adolescens obseruauerat. Sed affectatione & morositate nimia obscurabat stylum: vt aliquanto ex tempore quàm à cura præstantior haberetur. Cōposuit & carmen lyricum, cuius est titulus, *Conquestio de L. Cæsaris morte.* Fecit & Græca poemata, imitatus Euphorionem & Rhianum, & Parthenium: quibus poëtis admodum delectatus, scripta eorum & imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedicauit: & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderūt. Maximè tamen curauit notitiam historiæ fabularis, vsque ad ineptias atque derisum. Nam & grammaticos, quod genus hominum præcipuè, vt diximus, appetebat, eiusmodi ferè quæstionibus experiebatur: *Quæ mater Hecubæ: Quod Achilli no-*

A *mē inter virgines fuisset: Quid Sirenes cantare sint solitæ.* Et quo primùm die, post excessum Augusti, curiam intrauit: quasi pietati simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verùm sine tibicine, supplicauit: vt ille olim in morte filij.

Sermone Græco, quamquam aliàs promtus & facilis, non tamen vsquequaque vsus est. Abstinuítque maximè in senatu: adeò quidem vt *Mo-*
B *nopolium* nominaturus, priùs veniam postularit, quòd sibi verbo peregrino vtendū esset: atque etiā in quodam decreto patrum, cùm ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque Græcè testimonium interrogatum, nisi Latinè respōdere vetuit. Bis omnino toto secessus tempore, Romam redire conatus, semel triremi vsque ad proximos
C Naumachiæ hortos subuectus est: disposita statione per ripas Tiberis, quæ obuiam prodeuntes submoueret. Iterum, Appiâ vsque ad septimum lapidem, sed prospectis modò nec aditis vrbis mœnibus, rediit. Primò, incertum qua de caussa, postea ostento territus. Erat ei in oblectamentis serpēs draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cùm consumtum à formicis inuenisset, monitus est vt vim multitudinis caueret. Rediens er-
D go properè Campaniam, Asturæ in languorem incidit. Quo paullùm leuatus, Circeios pertendit. Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis non interfuit solùm, sed etiam missum in arenam aprum iaculis desuper petiit, statimq; latere conuulso, &, vt exæstuarat, afflatus aura, in grauiorem recidit morbum. Sustentauit tamē aliquandiu, quamuis Misenum vsque deuectus, nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne conuiuia quidem ac cæteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione. Nam Cha-
E riclem medicum, quod commeatu abfuturus, è conuiuio egrediens, manum sibi osculandi caussa apprehendisset, existimans tentatas ab eo venas sibi, remanere ac recumbere hortatus est, cœnámque protraxit. Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellaret. Interim cùm in actis senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos, de quibus stri-
F ctim & nihil aliud quàm nominatos ab indice scripserat: pro contemto se habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo destinauit, non temerè quidquam nisi ex tuto ausurus. Sed & tempestatibus & ingrauescēte vi morbi retētus, paullò pòst obiit in villa Luculliana, octauo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperij, decimo septimo Kalen. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro COSS. Sunt qui putent venenum ei à Caio datum lentum atque tabificum: Alij in remissione fortuitæ febris cibum deside-
G ranti negatum: nonnulli puluinum iniectum, cū extractum sibi deficienti anulum mox resipiscens requisisset. Seneca eū scribit, *Intellecta defectione, exemptum anulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse: dein rursus aptasse digito, & compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem: subitò vocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul à lectulo deficientibus viribus concidisse.* Supremo natali suo Apollinē Temenitē & amplitudinis & artis eximiæ aduectum Syracusis, vt in biblio-

bliotheca noui tēpli poneretur, viderat per quietem affirmantem ſibi, *Non poſſe ſe ab ipſo dedicari*. Et ante paucos quàm obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit. Ac Miſeni cinis è fauilla & carbonibus ad calefaciendum tricliniū illatus, exſtinctus & iam diu frigidus, exarſit repente prima veſpera, atque in multam noctem pertinaciter luxit. Morte eius ita lætatus eſt populus, vt ad primum nuntium diſcurrentes, pars *Tiberiū in Tiberim trahi* clamitarēt: pars *Terram matrem, deóſque Manes orarent, ne mortuo ſedem vllam niſi inter impios darent*: alij vncum & Gemonias cadaueri minarētur, exacerbati ſuper memoriam priſtinæ crudelitatis etiam recenti atrocitate. Nam cùm ſenatuſconſulto cautum eſſet vt pœna damnatorum in decimum ſemper diem differretur, forte accidit vt quorūdam ſupplicij dies is eſſet, quo nūtiatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia abſente adhuc Caio, nemo exſtabat qui adiri interpellaríque poſſet, cuſtodes, ne quid aduerſus conſtitutum facerent, ſtrangulauerunt, abiecerúntq; in Gemonias. Creuit igitur inuidia: quaſi, etiam poſt mortem tyranni, ſæuitia permanente. Corpus vt moueri à Miſeno cœpit, conclamantibus pleriſque, *Atellam potius deferendum & in Amphitheatro ſemiuſtulandum*, Romam per milites deportatum eſt, crematúmque publico funere.

Teſtamentum duplex ante biennium fecerat: alterum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo: obſignauerátque etiam humillimorum ſignis. Eo teſtamento heredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druſo, nepotes: ſubſtituítque inuicem. Dedit & legata pleriſque: inter quos virginibus Veſtalibus, ac militibus vniuerſis, plebíque Romanæ viritim, atque etiam ſeparatim vicorum magiſtris.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER IV.

C. Caesar Caligvla.

GERMANICVS C. Cæſaris pater Druſi & minoris Antoniæ filius, à Tiberio patruo adoptatus, quæſturam quinquennio antè quàm per leges liceret, & poſt eam, conſulatum ſtatim geſſit. Miſſúſque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nuntiato, legiones vniuerſas imperatorem Tiberium pertinaciſſimè recuſantes, & ſibi ſummam Reip. deferentes, incertum conſtantia an pietate maiore, compeſcuit: atque hoſte mox deuicto, triumphauit. Conſul deinde iterum creatus, ac priùs quàm honorem iniret ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cùm Armeniæ regem deuiciſſet, Cappadociam in prouinciæ formam redegiſſet, annum ætatis agens quartum & trigeſimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt: cuius ea natura exiſtimatur, vt tinctum veneno igne cōfici nequeat. Obiit autem, vt opinio fuit, fraude Tiberij, miniſterio & opera C. Piſonis. Qui ſub idem tempus Syriæ præpoſitus, nec diſſimulans offendendum ſibi aut patrem, aut filium, quaſi planè ita neceſſe eſſet, etiam ægrum Germanicum grauiſſimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo affecit: propter quæ, vt Romam rediit, pæne diſcerptus à populo, & à ſenatu capitis dānatus eſt. Omnes Germanico corporis animique virtutes & quantas nemini cuiquam, contigiſſe ſatis conſtat, formam & fortitudinem egregiam: ingenium in vtroque eloquentiæ doctrinæq; genere præcellens beneuolentiam ſingularem: conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax ſtudium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, ſed ea quoque paullatim repleta aſſidua equi vectatione poſt cibum. Hoſtem cominus ſæpe percuſſit. Orauit cauſſas etiam triumphaleis: atque inter cætera ſtudiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Domi foríſque ciuilis, libera ac fœderata oppida ſine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum ſepulchra cognoſceret inferias Manibus dabat, Cæſorum clade Variana veteres ac diſperſas reliquias vno tumulo humaturus, colligere ſua manu, & comportare primus aggreſſus eſt. Obtrectatoribus etiā qualeſcumque, & quantacumque de cauſſa nactus eſſet, lenis adeò & innoxius, vt Piſoni decreta ſua reſcindenti, clientelas diu vexāti, non prius ſuccenſere in animum induxerit, quàm veneficiis quoque & deuotionibus impugnari ſe comperiſſe: ac ne tunc quidem vltrà progreſſus, quàm vt & amicitiam ei more maiorum renuntiaret, mandarétque domeſticis vltionem, ſi quid ſibi accideret.

QVARVM virtutum fructum vberrimum tulit, ſic probatus & dilectus à ſuis, vt Auguſtus, (omitto enim neceſſitudines reliquas,) diu cunctatus an ſibi ſucceſſorem deſtinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo fauorabilis, vt plurimi tradant, quoties aliquò adueniret, vel ſicunde diſcederet, præ turba occurrentium proſequentiúmve nonnumquam eum diſcrimen vitæ adiſſe: è Germania verò, poſt compreſſam ſeditionem, reuertenti, prætorianas cohortes vniuerſas prodiſſe obuiam, quamuis pronūtiatum eſſet, vt duę tantummodo exirent: populi autem Romani ſexum, ætatem, ordinem omnem vſque ad viceſimum lapidem effudiſſe ſe. TAMEN longè maiora & firmiora de eo iudicia in morte ac poſt mortem exſtitere. Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubuerſæ Deûm aræ, Lares à quibuſdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti. Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibúſque aduerſus nos bellum eſſet, velut in domeſtico communique mœrore conſenſiſſe ad inducias. Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus. Regum etiam regem & exercitatione venandi, & conuictu magiſtanum abſtinuiſſe, quod apud Parthos iuſtitij inſtar eſt. ROMAS equidem, cùm ad primam famam valetudinis attonita & mœſta ciuitas ſequentes nuntios opperiretur, &

repentè iam vesperi incertis auctoribus conualuisse tandem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac pæne reuulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur. Expergefactus è somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque vndique concinentium, *Salua Roma, Salua patria, Saluus est Germanicus.* Sed vt demum fato functum palàm factum est, non solatiis vllis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: durauitque etiam per festos Decēbris mēsis dies. Auxit gloriā desideriúmq; defunctis etiā atrocitas insequentium tēporū cunctis nec temere opinantibus, reuerentia, eius ac metu repressam Tiberij sęuitiam, quę mox erupit. HABVIT in matrimonio Agrippinā, M. Agrippę & Iulię filiam, & ex ea nouē liberos tulit: quorū duo infātes adhuc rapti, vnus iā puerascēs, insigni festiuitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Liuia dedicauit Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur. Cæteri superstites patri fuerunt. Tres sexus fœminini, Agrippina, Drusilla, Liuilla, continuo triennio natæ, totidem mares, Nero & Drusus & C. Cæsar. Neronem & Drusum senatus, Tiberio criminante, hostes iudicauit. C. Cæsar natus est pridie Kal. Septembres, patre suo & C. Fonteio Capitone COSS. Vbi natus sit incertum diuersitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit. Plinius Secundus in Treueris vico Ambiatino supra Confluentes: addit etiam pro argumento *aras ibi ostendi inscriptas, OB AGRIPPINAE PVERPERIVM.* Versiculi imperante mox eo, diuulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant.

In castris natus, patrijs nutritus in armis.
Iam designati principis omen erat.

Ego in actis Antij ipsum inuenio editū. Gętulicū refellit Plinius, quasi mentitū per adulationē, vt ad laudes iuuenis gloriosique principis aliquid etiam ex vrbe Herculi sacra sumeret, abusúmque audentiùs mendacio, quòd ante annum ferè natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipse C. Cæsar: de cuius amabili pueritia immaturóque obitu suprà diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriæ mandarunt, Germanicum exacto consulatu in Galliam missum consentiunt, iam nato Caio. Nec Plinij opinionem inscriptio aræ quidquam adiuuerit, cùm Agrippina bis in ea regione filias enixa sit: & qualiscunque partus, sine vllo sexus discrimine, *puerperium* vocetur: quòd antiqui etiam puellas *pueras*, sicut & pueros *puellos* dictitarent. Exstat & Augusti epistola ante paucos quàm obiret menses, ad Agrippinam neptem ita scripta de Caio hoc (neque enim quisquam iam alius infans nomine pari tunc supererat) *Puerum Caium* XV. *Kalend. Iunij, si Dij volent, vt ducerent Talarius & Asellius, heri cum his constitui. Mitto præterea cum eo ex seruis meis medicum, quem scripsi Germanico si vellet, vt retineret. Valebis mea Agrippina, & dabis operam vt valens peruenias ad Germanicum tuum.* Abundè arbitror apparere, non potuisse ibi nasci Caium, quò propè bimulus demum perductus ab vrbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc eleuarit: & eò faciliùs quòd hi sine auctore sint. Sequenda igitur est quæ sola Actorum restat & publici instrumenti auctoritas: præsertim cùm Caius Antium,

A omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quàm natale solum dilexerit: tradatúrque etiam sedem ac domicilium Imperij tædio vrbis transferre eò destinasse. Caligulæ cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore & gratia valuerit, maximè cognitum est: cùm post excessum Augusti tumultuantes & in furorem vsque præcipites, solus B haud dubiè conspectu suo flexit. Non enim priùs destiterunt quàm ablegari eum ob seditionis periculum, & in proximam ciuitatem demandari animaduertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi represso ac retento vehiculo, inuidiam quæ sibi fieret deprecati sunt. Comitatus est patrem & in Syriaca expeditione. Vnde reuersus primùm in matris, deinde ea relegata, in Liuię Augustę proauiæ suæ contubernio mansit: quam defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudauit. C Transiitque ad Antoniam auiam, & inde vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, vno atque eodem die togam sumsit, barbámque posuit: sine vllo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium, cogentiúmque se ad querelas, nullam vnquam occasionem dedit: perinde obliterato suorum casu ac si nihil cuiquam accidisset: quæ verò ipse pateretur, incredibili dissimulatione D transmittens. Tantique in auum & qui iuxta erāt, obsequij: vt non immerito sit dictum: *Nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem dominum fuisse.* Naturam tamen sæuam atque probrosam, ne tunc quidem inhibere poterat: quin & animaduersionibus pœnisque ad supplicium datum cupidissimè interesset: & ganeas atque adulteria capillamento celatus, & veste longa noctibus ambiret: ac scenicas saltādi canēdique artes studiosissimè appeteret: facilè id sanè Tiberio patiente, si per has mansuefieri posset ferum eius ingenium. E Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, vt aliquoties prædicaret, *Exitio suo omniúmque Caium viuere: & se natricem* (serpentis id genus) *populo R. Phaëtontem orbi terrarum educare.* Non ita multo post Iuniam Claudillam M. Silani nobilissimi viri filiam duxit vxorem. Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priùs quam inauguraretur, ad Pontificatum traductus est: insigni testimonio pietatis atque indolis: cùm deserta desolatáque reliquis subsidiis aula, Seiano F verò tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paullatim admouetetur. Quam quò magis confirmaret, amissa Iunia ex partu, Enniam Næuiam Macronis vxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, sollicitauit ad stuprum, pollicitus & matrimonium suum, si potitus Imperio fuisset: déque ea re & iureiurando & chirographo cauit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est, vt quidam opinantur: spirantique adhuc detrahi anulum: & quoniam su- G spicionem retinentis dabat, puluinum iussit inijci: atque etiam fauces manu sua oppressit, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamauerat, confestim in crucem acto. Nec abhorret à veritate: quùm sint quidam auctores, ipsum, postea, & si non de perfecto, at certè de cogitato quondam parricidio professum. Gloriatum enim esse assiduè, in commemoranda sua pietate, *ad vlciscendam necem matris & fratrum: introisse se cum pugione cubi-*

ne cubiculum Tiberij dormientis: & misericordia correptum, abiecto ferro recessisse: nec illum quamquam sensisset, aut inquirere quidquam, aut exsequi ausum. Sic imperium adeptus, populum Rom. vel vt ita dicam, hominum genus, voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximæ parti prouincialium ac militum, quòd infantem plerique cognouerant: sed & vniuersæ plebi vrbanæ ob memoriam Germanici patris, miserationémque propè afflictæ domus. Itaque vt à Miseno mouit, quamuis lugentis habitu, & funus Tiberij prosequens: tamen inter altaria & victimas, ardentesq; tedas densissimo & lætissimo obuiorum agmine incessit, super fausta nomina, *sidus*, & *pullum*, & *puppum* & *alumnum* appellantium.

Ingressóque vrbem, statim consensu senatus & irrumpentis in Curiam turbæ, irrita Tiberij voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc coheredem ei dederat, ius arbitriúmque omnium rerum illi permissum est: tanta publica lętitia, vt tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur. Cùm deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas traiecisset, vota pro reditu suscepta sunt: ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificãda sollicitudine & cura de incolumitate eius. Vt verò in aduersam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito vouerent. Accessit ad immensũ ciuium amorem notabilis etiam externorum fauor. Namque Artabanus Parthorum rex, odium semper contemptúmque Tiberij præ se ferens, amicitiam eius vltrò petiit: venitque ad colloquium legati consularis: & transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana Cæsarúmque imagines adorauit. Incendebat & ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato, funeratóque amplissimè, confestim Pandatariam, & Pontias, ad transferendos matris fratrísque cineres festinauit, tempestate turbida, quò magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in vrnas condidit. Nec minore scena Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi subuectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit. Inferiásque his annua religione publicè instituit: & eò amplius matri Circenses, carpentúmque quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem mensem *Germanicum* appellauit. Post hæc, Antoniæ auiæ quidquid vnquam Liuia Augusta honorum cepisset, vno senatusconsulto congessit. Patruum Claudium equitem Rom. ad id tempus collegam sibi in consulatu assumsit. Fratrem Tiberium die virilis togæ adoptauit, appellauítque *principem iuuentutis*. De sororibus auctor fuit, vt omnibus sacramentis adiiceretur, *NEQVE ME LIBEROSQVE MEOS CHARIORES HABEO QVAM CAIVM ET SORORES EIVS.* Item relationibus Consulum: *QVOD BONVM FELIXQVE SIT C. CAESARI SORORIBVSQVE EIVS.* Pari popularitate damnatos, relegatósque restituit: criminúmque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Commentarios ad matris fratrúmque suorum caussas pertinentes, ne cui postmodum

A delatori aut testi maneret vllus metus, conuectos in forum, & antè clarè obtestatus deos neque legisse neque attigisse quidquam, concremauit. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens, *Nihil sibi admissum cur cuiquam inuisus esset*: negauítque se delatoribus aures habere. Spintrias monstruosarum libidinum ægrè, ne profũdo mergeret, exoratus, vrbe submouit. Titi Labieni, Cordi Cremutij, Cassij Seueri scripta senatuscon- B sultis abolita, requiri, & esse in manibus lectitaríque permisit: quando maximè sua interesset, vt facta quæque posteris tradantur. Rationes imperij ab Augusto, proponi solitas, sed à Tiberio intermissas, publicauit. Magistratibus liberam iurisdictionem, & sine sui appellatione concessit. Equites Romanos seuerè curioséque, nec sine moderatione recognouit: palam adempto equo quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum qui minore culpa tenerentur, nominibus C modo in recitatione præteritis. Vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Tentauit & comitiorum more reuocato, suffragia populo reddere. Legata ex testamento Tiberij, quamquam abolito, sed & Iuliæ Augustæ, quod Tiberius suppresserat; cum fide, ac sine calumnia repræsentata persoluit. Centesimam auctionum Italiæ remisit. Multis incendiorum damna suppleuit: ac si quibus regna restituit, adiecit & fructum omnem vectigaliorum, & D redituum medij temporis, vt Antiocho Comageno HS. millies confiscatum. Quóque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octinginta donauit, quòd excruciata grauissimis tormentis de scelere patroni reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus: quem quotannis certò die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente: nobilibúsque pueris, ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum eius canenti- E bus. Decretum autem vt dies quo cepisset imperium, *Palilia* vocaretur, velut argumentum rursus conditæ vrbis. CONSVLATVS quatuor gessit: primum ex Kal. Iulij per duos menses: secundum ex Kalend. Ianuariis per triginta dies: tertium vsque in Idus Ianuarij: quartum vsque in VII. Idus easdẽ. Ex omnibus duos nouissimos coniunxit. Tertium autem Lugduni iniit solus: non, vt quidam opinantur, superbia negligentiáve, sed quòd defun- F ctum sub Kalendarum diem collegam rescisse absens non potuerat. Congiarium populo bis dedit trecenos HS. toties abundantissimum epulum senatui equestríque ordini, etiam coniugibus ac liberis vtrorumque. Posteriore epulo forensia insuper viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylij distribuit. Et vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adiecit diem Saturnalibus, appellauítque *Iuuenalem*. Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit: quibus inseruit cateruas A- G frorum Campanorúmque pugilum ex vtraque regione electissimorum. Neque spectaculis ipse semper præsedit: sed interdũm aut magistratibus aut amicis præsidendi munus iniunxit. Scenicos ludos & assiduè, & varij generis, multifariam fecit: quondam etiam & nocturnos accensis tota vrbe luminibus. Sparsit & missilia variarum rerum & panaria cum opsonio viritim diuisit. Qua epulatione equiti Rom. contra se hilariùs auidiúsque vescenti, partes suas misit: sed & senatori ob can-

dem caussam codicillos, quibus prætorem eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos à mane vsque ad vesperam, interiecta modò Africanarum venatione, modò Troiæ decursione: quosdam autem præcipuos. minio & chrysocolla constrato Circo: nec vllis nisi ex senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, cùm è Geloriana apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis męnianis postulassent.

Nouũ præterea atque inauditum genus spectaculi excogitauit. Nam Baiarum medium interuallum Puteolanas ad moles trium millium & sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, contractis vndique onerariis nauibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis superiectóque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem vltro citróque commeauit, biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignísque quercica corona, & securi, & cætra, & gladio, auréaque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculóque biiugi famosorum equorum præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante prætorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Scio plerosque existimasse, talem à Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulauerit. Alios, vt Germaniam & Britanniam, quibus imminebat alicuius immensi operis fama territaret. Sed auum meum narrantem puer audiebam, caussam operis ab interioribus aulicis proditam, quòd Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmasset, *Non magis Caium imperaturum, quàm per Baianum sinum equis discursurum.* Edidit & peregrè spectacula: in Sicilia Syracusis astycos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ. quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongia linguáve delere iussos, nisi ferulis obiurgari aut flumine proximo mergi maluissent. OPERA sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrúmque Pompeij absoluit. Inchoauit autem aquæductum regione Tiburti, & Amphitheatrum iuxta Septa: quorum operum à successore eius Claudio, alterum peractum, omissum alterum est, Syracusis collapsa vetustate mœnia, Deorúmque ædes refectæ. Destinauerat & Samij Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere, in Iugo Alpium vrbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere. Miserátque iam ad demetiendum opus primipilarem.

HACTENVS quasi de principe, reliqua vt de monstro narranda sunt. Compluribus cognominibus assumtis (nam & PIVS, & CASTRORVM FILIVS, & PATER EXERCITVM, & OPTIM. MAX. CÆSAR vocabatur) cùm audiret fortè reges qui officij caussa in vrbem aduenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamauit, Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit quin statim diadema sumeret, speciémque principatus in regni formam conuerteret. Verùm admonitus, & principum & regum se excessisse fastigium, diuinam ex eo maiestatem asserere sibi cœpit. Datóque negotio, vt simulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ Olympici Iouis, apportarentur è Græcia, quibus capite demto suũ imponeretur: partem palatij ad Forum vsque promouit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulũ transfigurata, consistens sæpe inter fratres deos, medium se adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum LATIALEM IOVEM consalutauerunt. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum. Amiciebatúrque quotidie veste, quali ipse vteretur. Magisteria sacerdotij ditissimus quisque & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabant. Hostiæ erant phœnicopteri, pauones, tetraones, numidicæ, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur. Et noctibus quidem plenam fulgentémque lunam inuitabat assiduè in amplexus atque concubitum: interdiu verò cum Capitolino Ioue secretò fabulabatur, modò insusurrans, ac præbens inuicem aures, modò clariùs, nec sine iurgiis. Nam vox comminantis audita est,

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε,

donec exoratus, vt referebat, & in contubernium vltro inuitatus, super templum Diui Augusti põte transmisso, palatium Capitoliúmque coniunxit. Mox quò propior esset, in area Capitolina nouæ domus fundamenta iecit. Agrippę se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem eius volebat: succensebátque, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem matrem suam ex incesto, quòd Augustus cum Iulia filia commisisset, procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione, Actiacas Siculásque victorias, vt funestas pop. Rom. & calamitosas, vetuit solennibus feriis celebrari. Liuiam Augustam proauiam, *Vlyssem stolatum* identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad senatum epistola arguere ausus est, quasi materno auo decurione Fundano ortam: cùm publicis monimentis certum sit Aufidium, Lingonem Romæ honoribus functum. Auię Antoniæ secretum petenti denegauit, nisi vt interueniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates & tędia, caussa extitit mortis: dato tamen vt quidam putant, & veneno. Nec defunctę vllum honorem habuit, prospexitque è triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberium inopinantem, repentè immisso tribuno militum, interemit. Silanum item socerum ad necem, secandásque nouacula fauces, compulit: caussatus in vtroque, quòd hic ingressum se turbatius mare non esset secutus ac spe occupandi vrbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset: ille antidotum oboluisset, quasi ad præcauenda venena sua sumptum: cùm & Silanus impatientiam nauseæ vitasset, & molestiam nauigandi & Tiberius propter assiduam & ingrauescentem tussim medicamento vsus esset. Nam Claudium patruum non nisi in ludibrium reseruauit. CVM omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit: plenóque conuiuio singulas infra se vicissim collocabat vxore suprà cubante. Ex his Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc, creditur. Atque etiam in concubitu eius quondam deprehensus ab auia Antonia apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum iustę vxoris propalam habuit. Heredem quoque bonorum atque Imperij ęger instituit. Eadem defuncta, iustitium indixit: in quo risisse, lauisse cœnasse cum parentibus, aut coniuge, liberísve,

capitale

capitale fuit. Ac mœroris impatiens cùm repentè A
noctúque profugisset ab vrbe, transcurrissetque
Campaniã, Syracusas petiit. Rursúsq; inde prope-
re rediit, barba capillóque promisso. Nec vm-
quam postea quantiscumque de rebus, ne pro
concione quidem populi, aut apud milites, nisi
per nomen Drusillæ deierauit. Reliquas sorores,
nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, vt
quas sæpe exoletis suis prostrauerit. Quo faciliùs
eas in caussa Æmilij Lepidi condemnauit, quasi B
adulteras, & insidiatum aduersus se conscias. Nec
solùm chirographa omnium requisita fraude ac
stupro diuulgauit, sed & tres gladios in necem
suam præparatos, Marti vltori addito elogio, con-
secrauit. MATRIMONIA contraxerit turpiùs, an
dimiserit, an tenuerit, non est facile cernere. Li-
uiam Orestillam C. Pisoni nubentem, cùm ad of-
ficium & ipse venisset, ad se deduci imperauit, in-
traq; paucos dies repudiatam biennio pòst relega-
uit: quòd repetisse vsum prioris mariti tempore C
medio videbatur. Alij tradunt, adhibitum cœnæ
nuptiali, mandasse ad Pisonem, contrà accumben-
tem. *Noli vxorem meam premere* statimq; è con-
uiuio abduxisse eam secum, & proximo die edi-
xisse, *MATRIMONIVM SIBI RE-
PERTVM EXEMPLO ROMV-
LI ET AVGVTI.* Lolliam Paullinam,
C. Memmio consulari exercitus regenti nuptam,
facta mentione auiæ eius, vt quondam pulcherri-
mæ, subitò ex prouincia euocauit, ac perductam à D
marito coniunxit sibi, breuiq; missam fecit, inter-
dicto cuiuidam in perpetuum coitu Cæsoniam
neq; facie insigni, neque ætate integra, matremq;
iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac la-
sciuiæ perditæ, & ardentiùs, & constãtiùs amauit:
vt sæpe chlamyde peltaq; & galea ornatã, & iuxta
adequitantem, militibus ostenderit: amicis verò
etiam nudam. Quam enixam vxorio nomine di-
gnatus est vno atq; eodem die professus, & maritũ
se eius, & patrẽ infantis ex ea natæ. Infantem autẽ E
Iuliam Drusillã appellatam, per omnium dearum
templa circumferens, Mineruæ gremio imposuit,
alendamq; & instituendam cõmendauit. Nec vllo
firmiore indicio sui seminis esse credebat, quàm
feritatis: quæ illi quoq; tanta iam tunc erat, vt in-
festis digitis, ora & oculos simul ludẽtium infantiũ
incesseret. Leue ac frigidũ sit his addere quo pro-
pinquos amicosq; pacto tractauerit. Ptolemæum
regis Iubæ filium consobrinum suum (erat enim
& is M. Antonij ex Selena filia nepos) & in pri- F
mis ipsum Macronem, ipsam Enniam, adiutores
imperij: quibus omnibus pro necessitudinis iure,
proq; meritorum gratia cruenta mors persoluta
est. Nihilò reuerentior leniórve erga senatum:
quosdam summis honoribus functos, ad essedum
sibi occurrere togatos per aliquot passuum mil-
lia, & cœnanti, modò ad pluteum, modò ad pedes
stare succinctos linteo, passus est: alios cùm clàm
interemisset citare nihilò minus vt viuos perseue-
rauit, paucos post dies voluntaria morte perijsse G
mentitus. Coss. oblitis de natali suo edicere, abro-
ganit magistratum, fuitq; per triduum sine sum-
ma potestate Resp. Quæstorem suum in coniura-
tione nominatũ flagellauit veste detracta, subie-
ctaq; militum pedibus, quo firmè verberaturi in-
sisterẽt. Simili superbia violẽtiaq; cæteros tracta-
uit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo
loca de media nocte occupãtium, omnes fustibus
abegit. Elisique per eum tumultum viginti am-

A plius equites Rom. totidem matronæ, super in-
numeram turbam cæteram. Scenicis ludis, inter
plebem & equitem caussam discordiarum serens
decimas maturiùs dabat, vt equestria ab infimo
quoque occuparentur. Gladiatorio munere, redu-
ctis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti
quemquam vetabat: remotóque ordinario appa-
ratu rabidis feris vilissimos senio confectos gla-
diatores quoque pegmares, patresfamiliarum no-
B tos, sed insignes debilitate aliqua corporis subii-
ciebat. Ac nonnumquam horreis præclusis, po-
pulo famem indixit.

SÆVITIAM ingenij per hæc maximè ostendit.
Cùm ad saginam ferarum muneri præparatarum
cariùs pecudes compararentur, ex noxiis lanian-
dos adnotauit & custodiarum seriem recogno-
scens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo
intra porticum mediam, *a caluo ad caluum duci*
imperauit. Votum exegit ab eo qui pro salute sua
C gladiatoriam operam promiserat: spectauitque
ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem, &
post multas preces. Alterum qui se periturum ea
de caussa vouerat, cunctantem pueris tradidit ver-
benatum infulatúmque, qui votum reposcentes
per vicos agerẽt, quoad præcipitaretur ex aggere.
Multos honesti ordinis, deformatos priùs stig-
marum notis, ad metalla, aut ad viarum munitio-
nes, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum
more quadrupedes cauea coërcuit, aut medios
D serra dissecuit. Nec omnes grauibus ex caussis, ve-
rùm malè de munere suo opinatos, vel quòd
numquam per Genium suum deierassent. Pa-
rentes supplicio filiorum interesse cogebat. Quo-
rum vni valetudinem excusanti lecticam misit:
aliuín è spectaculo pœnæ epulis statim adhibuit,
atque omni comitate ad hilaritatem & iocos pro-
uocauit. Curatorem munerum ac venationum
per continuos dies in conspectu suo catenis ver-
beratum non priùs occidit, quàm offensus putre-
E facti cerebri odore. Atellanæ poëtam, ob ambigui
ioci versiculum, media Amphitheatri arena igni
cremauit. Equitem Rom. obiectum feris, cùm se
innocentem proclamasset, reduxit: abscisáque
lingua, rursus induxit. Reuocatum quendam à ve-
tere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere con-
suesset, respondente eo per adulationem: *Deos
semper oraui, vt quod euenit, periret Tiberius, & tu
imperares:* opinans sibi quoque exsules suos mor-
tem imprecari, misit circum insulas, qui vniuer-
F sos contrucidarent. Cùm discerpi senatorem con-
cupisset, subornauit qui ingredientem curiam, re-
pente hostem publicum appellantes, inuaderent,
graphiisque confossum lacerandum cæteris tra-
derent. Nec antè satiatus est quàm membra & ar-
tus & viscera hominis tracta per vicos, atque an-
te se congesta vidisset. Immanissima facta augebat
atrocitate verborum. *Nihil magis in natura sua
laudare se ac probare dicebat, quàm,* vt ipsius verbo
vtar, ἀδιατρεψίαν Monenti Antoniæ auiæ, tamquã
G parum esset non obedire: *Memento* ait, *omnia mi-
hi & in omnes licere.* Trucidaturus fratrem, quem
metu venenorum præmuniri medicamentis su-
spicabatur. *Antidotum* inquit, *aduersus Cæsarem?*
Relegatis sororibus, nõ solùm insulas habere, sed
etiam gladios minabatur. Prætorium virum ex
secessu Anticyræ, quam valetudinis caussa petie-
rat, propagari sibi commeatum sæpius desideran-
tem, cùm mandasset interimi, adiecit. *Necessa-
riam esse sanguinis missionem cui tam diu non pro-*

desset e'leborum. Decimo quoque die, numerum A
puniendorum ex custodia subscribens, *Rationem*
se purgare dicebat. Gallis Græcisque aliquot vno
tempore condemnatis, gloriabatur *Gallogræciam*
sese subegisse. Non temere in quemquam, nisi cre-
bris & minutis ictibus animaduerti passus est:
perpetuo notóque iam præcepto; *Ita feri, vt se mo-*
ri sentiat. Punito per errorem nominis alio quàm
quem destinauerat, ipsum quoque paria meruisse
dixit: Tragicum illud subinde iactabat.

Oderint dum metuant.

Sæpe in cunctos pariter senatores, vt Seiani
clientes, aut matris ac fratrum suorum delatores,
inuectus est, prolatis libellis quos crematos si-
mulauerat, defensáque Tiberij sęuitia, quasi neces-
saria, cùm tot criminantibus credendum esset.
Equestrem ordinem, vt scenæ arenæque deuo-
tum assiduè proscidit. Infensus turbæ fauenti ad-
uersus studium suum exclamauit: *Vtinã pop. Rom.*
vnam ceruicem haberet. Cúmque Tetrinius latro
postularetur, *& qui postularent, Tetrinios esse* ait. C
Retiarij tunicati quinque numero gregatim di-
micantes, sine certamine vllo totidem secutori-
bus succubuerant: cùm occidi iuberentur, vnus
resumpta fuscina, omnes victores interemit. Hanc
vt crudelissimam cædem & defleuit edicto, & eos
qui spectare sustinuissent, exsecratus est. Queri e-
tiam palàm de conditione temporum suorum so-
lebat: *quod nullis calamitatibus publicis insigniren-*
tur. Augusti principatum, clade Variana: Tiberij,
ruina spectaculorum apud Fidenas, memorabile D
factum: sui obliuioné imminere prosperitate re-
rum. Atq; identidem exercituum cædes, famem,
pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ o-
ptabat. ANIMVM quoque remittenti, ludóque &
epulis dedito, eadem dictorum factorúmque sæ-
uitia aderat. Sæpe in conspectu prandentis vel
comissantis, seriæ quæstiones per tormenta habe-
bantur. Miles decollandi artifex quibuscumque è
custodia capita amputabat. Puteolis dedicatione
pontis, quem excogitatum ab eo significauimus, E
cùm multos è litore inuitasset ad se repēte omnes
præcipitauit: quosdam gubernacula apprehen-
denteis, contis remisque detrusit in mare. Romæ
publico epulo seruum, ob detractam lectis argen-
team laminam, carnifici confestim tradidit, vt
manibus abscissis, atque ante pectus è collo pen-
dentibus, pręcedente titulo, qui caussam pœnę in-
dicaret, per cœtus epulantium circumduceretur.
Myrmillonem è ludo rudibus secum batuentem,
& sponte prostratum, confodit ferrea sica, ac mo- F
re victorum cum palma discurrit. Admota al-
taribus victima, succinctus poparum habitu, ela-
to altè malleo, cultrarium mactauit. Lautiore
conuiuio effusus subitò in cachinnos, coss. qui
iuxta cubabant, quidnam rideret, blandè quæren-
tibus: *Quid*, inquit, *nisi vno meo nutu iugulari v-*
trumque vestrum statim posse? Inter varios iocos,
cùm assistens simulacro Iouis, Appellem tragœ-
dum consuluisset, vter illi maior videretur, cun-
ctantem flagellis discidit: collaudans subinde vo- G
cē deprecantis, quasi etiam in gemitu prędulcem.
Quoties vxoris vel amiculæ collum exoscularetur,
tur, addebat, *Tam bona ceruix, simulac iussero, de-*
metur. Quin & subinde iactabat, *Exquisiturum se*
vel fidiculis de Cæsonia sua, cur eam tantopere di-
ligeret. NEC MINORE liuore ac malignitate quàm
superbia sęuitiáq; pęne aduersus omnis ęui homi-
nes grassatus est. Statuas virorum illustrium, ab

Augusto ex Capitolina area propter angustias in
Martium Campum collocatas, ita subuertit atque
disiecit, vt restitui saluis titulis non valuerint. Ve-
tuitque posthac, viuentium cuiquam vsquam sta-
tuam aut imaginem, nisi consulto se & auctore,
poni. Cogitauit etiam de Homeri carminibus ab-
olendis. *Cur enim sibi non liceret*, dicens, *quod Pla-*
toni licuit, qui eum è ciuitate quam constituebat, eie-
cerit? Sed & Virgilij & Titi Liuij scripta & imagi-
nes, paullum abfuit quin ex omnibus bibliothecis
B amouerit: quorum alterum, *vt nullius ingenij, mi-*
nimæque doctrinæ: alterum, vt *verbosum in historia*
negligentémque carpebat. De iuris quoque consul-
tis, quasi scientiæ eorum omnem vsum abolitu-
rus sæpe iactauit, *Se, me hercle, effecturum, ne quid*
respõdere possint præter æquum. Vetera familiarum
insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato
torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompeio stir-
pis antiquæ, Magni cognomen. Ptolemæum, de
quo retuli, & accersitum è regno, & exceptum
honorificè, non alia de caussa repentè percussit,
quàm quòd edente se munus, ingressum specta-
cula, conuertisse hominum oculos fulgore pur-
pureæ abollæ animaduertit. Pulchros & comatos,
quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpa-
bat. Erat Esius Proculus patre primipilari, ob e-
gregiam corporis amplitudinem & speciem *Co-*
lossēros dictus. Hunc è spectaculis detractum, re-
pente & in arenam deductum, Thraci, & mox ho-
plomacho comparauit: bisq; victorem constringi
sine mora iussit: & pannis obsitum vicatim cir-
cumduci, ac mulieribus ostendi, deinde iugulari.
Nullus denique tam abiectæ conditionis, támq;
extremæ sortis fuit, cuius non commodis obtre-
ctaret. Nemorensi regi, quòd multos iam annos
potiretur sacerdotio, validiorem aduersariũ sub-
ornauit. Cùm quodam die muneris, essedario Po-
rio, ob prosperam pugnam seruum suum manu-
mittenti, studiosiùs plausum esset, ita se proripuit
è spectaculis, vt calcata lacinia togæ, præceps per
gradus iret indignabundus, & clamitans, *Domi-*
num gentium populum ex re leuissima plus honoris
gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus
aut præsenti sibi. PVDICITIÆ neque suæ, neque a-
lienę pepercit. M. Lepidum Mnesterem pantomi-
mum, quosdam obsides dilexisse fertur, commer-
cio mutui stupri. Valerius Catullus consulari fa-
milia iuuenis, stupratum à se, ac latera sibi contu-
bernio eius defessa, etiam vociferatus est. Super
sororum incesta, & notissimum prostitutæ Py-
rallidis amorem, non temere vlla illustriore fœ-
mina abstinuit: quas plerumque cum maritis ad
cœnam vocatis, prætereúque pedes suos transeun-
tes, diligenter, ac lentè, mercantium more, consi-
derabat: etiam faciem manu alleuans, si quæ pu-
dore submitterent. Quoties deinde libuisset e-
gressus triclinio, cùm maximè placitam seuocas-
set, paulò pòst recentibus adhuc lasciuiæ notis, re-
uersus vel laudabat palàm, vel vituperabat: singu-
la numerans bona maláve corporis, atque concu-
bitus: Quibusdam absentium maritorum nomine
repudium ipse misit, iussitque in acta referri. NE-
POTINIS sumptibus omnium prodigorum inge-
nia superauit: commentus nouum balnearum v-
sum, portentosissima genera ciborum, atque cœ-
narum: vt calidis frigidisque vnguentis lauare-
tur: pretiosissimas margaritas aceto liquefactas
sorberet: cõuiuiis ex auro panes & opsonia appo-
neret: *Aut frugi hominem esse dictitãs, aut Cæsarem.*

Quin

Quin & nummos non mediocris summæ, è fastigio basilicæ Iuliæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricauit & de cedris Liburnicas, geminatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnáque etiam vitium, & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias litora Campaniæ peragraret. In extructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Et iactæ itaque moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totúmque illud Tiberij Cæsaris, vicies ac septies millies HS. non toto vertente anno absumsit. EXHAVSTVS igitur atque egens, ad rapinas conuertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere. Negabat iure ciuitatem Romanam vsurpare eos, quorum maiores sibi posterísque eam impetrassent, nisi filij essent. Neque enim intelligi debere *posteros* vltra hunc gradum. Prolatáque Diuorum Iulij & Augusti diplomata, vt vetera & obsolata deflebat. Arguebat & perperam editos census, quibus postea quacumque de caussà quidquã incrementi accessisset. Testaméta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberij, neq; illum neq; se heredem reliquissét, vt ingrata rescidit. Item cæterorum, vt irrita & vana: quoscùnque quis diceret herede Cæsare mori destinasse. Quo metu iniecto, cùm iam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, derisores vocabat: quòd post nuncupationem viuere perseuerarent, & multis venenatas matteas misit. Cognoscebat autem de talibus caussis, taxato priùs modo summæ, ad quem conficiendum consideret: confecto demum excitabatur. Ac ne paullulum quidem moræ patiens, super quadraginta reos quondam ex diuersis criminibus vna sententia condemnauit, gloriatúsque est expergefactæ somno Cæsoniæ, *quantum egisset, dum ea meridiaret*. Auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subiecit, & venditauit: exquirens per se pretia, & vsque eò extendens, vt quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum à Caio præconem, ne prætorium virum, crebro capitis motu nutãtem sibi, præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores HS. nonagies ignoranti addicerentur. In Gallia quoque, cùm damnatarum sororum ornamenta, & supellectilem, & seruos, atque etiam liberos, immensis pretiis vendidisset: inuitatus lucro, quidquid instrumenti veteris aulæ erat, ab vrbe repetiit: comprehensis ad deportandum meritorijs quoque vehiculis, & pistrinensibus iumentis: adeò, vt & panis Romæ sæpe deficeret, & litigatorum plerique, quòd occurrere absentes ad vadimonium non possent, caussa caderent. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinij adhibuit: modò auaritiæ singulos increpans, *& quòd non puderet eos locupletiores esse, quàm se*, modò pœnitentiam simulans, quòd principalium rerum priuatis copiam faceret. Comperat prouincialem locupletem du-

A centa HS. numerasse vocatoribus, vt per fallaciam conuiuio interponeretur, nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione, misit, qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet: diceretque *cœnaturum apud Cæsarem, vocatu ipsius.* Vectigalia noua atque inaudita, primùm per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunósque prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non
B tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota vrbe venirent, certum statúmque exigebatur. Pro litibus atque iudiciis vbicumque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua, ex capturis prostitutarum, quãtum quæq; vno concubitu mereret. Additúmque ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretricium,
C & quæ lenocinium fecissent: nec nõ & matrimonia obnoxia essent. Huiusmodi vectigalibus indictis, neque propositis, cùm per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante pop. Rom. proposuit quidem legem: sed & minutissimis literis, & angustissimo loco: vti ne cui describere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit: distinctisq; & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique
D starent. Misit circum fora, & basilicas nomenclatores ad inuitandos in libidinem iuuenes senésq;: præbita aduenientibus pecunia fenebris, appositiq; qui nomina palàm subnotarẽt quasi adiuuantiũ Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio atq; etiam periurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori, demandata vice sua, progressus in atrium domus, cùm prætereuntes duos equites Rom. locupletes sine mora corripi, confiscarique iussisset: exsultans rediit, gloriánsque numquam se prosperiore alea
E vsum. Filia verò nata, paupertatem, nec iam imperatoria modò, sed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit & strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium Kalend. Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Nouissimè contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, &
F toto corpore aliquandiu volutatus est. MILITIAM résque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed cùm ad visendum nemus flumenq; Clitumni Meuaniam processisset: admonitus de supplendo numero Batauorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus & auxiliis vndique excitis, delectibus vbique acerbissimè actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum nunquam alius, iter ingressus est: confecitque modò tam fe-
G stinanter & rapidè, vt prætorianæ cohortes contra morem signa iumentis imponere, & ita subsequi cogerentur: interdum adeò segniter & delicatè, vt octophoro veheretur, atque à propinquarum vrbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter puluerem exigeret. Postquam castra attigit, vt se acrem & seuerum ducem ostenderet, legatos, qui auxilia serius ex diuersis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, ple-

risque centurionum maturis iam, & nonnullis A ante paucissimos quàm consummaturi essent dies primos pilos ademit, caussatus senium cuiusque & imbecillitatem: ceterorum increpita cupiditate commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam rescidit. Nihil autem amplius quàm Adminio Cinobellini Britannorum regis filio, qui pulsus à patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto: quasi vniuersa tradita insula, magnificas Romam literas misit: monitis speculatoribus, vt vehiculo ad Forum vsque & Curiam B pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente senatu, coss. traderent. Mox deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos trajici occulique trans Rhenum iussit: ac sibi post prandium, quàm tumultuosissimè adesse hostem nuntiari. Quo facto, proripuit se cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximam siluam, truncatisque arboribus, & in modum tropæorum adornatis ad lumina reuersus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignauiam corri- C puit: comites autem & participes victoriæ, nouo genere ac nomine coronarum donauit, quas, distinctas Solis ac Lunæ, siderúmque specie, *exploratorias* appellauit. Rursus obsides quosdam abductos è literario ludo, clámque præmissos, deserto repente conuiuio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cœna renuntiantes coactum agmē, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhorta- D tus est. Monuit etiam notissimo Virgilij versu, *Durarent, secundisque se rebus seruarent*. Atque inter hæc absentem senatum populúmque grauissimo obiurgauit edicto, quòd *Cæsare præliante & tantis discriminibus obiecto, intempestiua conuiuia, circum & theatra & amœnos secessus celebrarent*. Postremo quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam cœpturus esset, repentè vt conchas legerent, ga- E leásque & sinus replerēt, imperauit: *spolia Oceani* vocans, *Capitolio Palatióq; debita*. Et in indicium victoriæ altissimam turrem excitauit: ex qua, vt ex Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emicarent: pronuntiatóque militi donatiuo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: *Abite*, inquit, *læti, abite locupletes*.

Conuersus hinc ad curam triumphi, præter cap- F tiuos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, & vt ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompam: coëgitque non tantum rutilare, & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam deuehi. Scripsit & procuratoribus, *Triumphum apparerent quàm minima summa, sed quantus numquam alius fuisset: quando in omnium hominum bo- G na ius haberent*.

Priusquam prouincia decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones, quæ post excessum Augusti seditionem olim mouerant, contrucidādi: quòd & patrem suum Germanicū ducem, & se infantem tunc obsedissent. Vixque à tam præcipiti cogitatione reuocatus, inhiberi nullo potuit modo quin decimare velle perseueraret. Vocatos itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato, circumsedit. Sed cùm videret, suspecta re, plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concione: confestimque vrbem petiit, deflexa omni acerbitate in senatum, cui ad auertendos tantorum dedecorum rumores palàm minabatur: querens inter cætera, fraudatum se iusto triumpho, cùm ipse paullò ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denuntiasset. Aditus ergo in itinere à legatis amplissimi ordinis, vt maturaret orantibus, quàm maxima voce, *Veniam*, inquit, *veniam, & hic mecum*: capulum gladij crebrò verberans quo cinctus erat: Edixit & *reuerti se, sed iis tantum qui optarent, equestri ordini & populo: nam se neque ciuem, neque principem senatui amplius fore*. Vetuit etiam quemque senatorum sibi occurrere: atque omisso, vel dilato triumpho, ouans vrbem natali suo ingressus est. Intráq; quartum mensem periit, ingentia facinora ausus, & aliquanto maiora moliens. Siquidem proposuerat Antium, deinde Alexandriam, commigrare, interempto priùs vtriusq; ordinis electissimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli, diuerso titulo: alteri GLADIVS, alteri PVGIO index erat. Ambo notas & nomina continebant morti destinatorum. Inuenta & arca ingens, variorum venenorum plena: quibus mox a Claudio demersis, infecta maria traduntur, non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima litora eiecit.

STATVRA fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis & crurum, & oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera. Quare transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quacumque de caussa *capram* nominare, criminosum & exitiale habebatur. Vultum verò natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Valetudo ei neque animi, neque corporis constitit. Puer comitiali morbo vexatus: in adolescentia ita patiens laborum erat, vt tamen nonnumquam subita defectione ingredi, stare, colligere semet ac sufferre vix posset. Mentis valetudinem & ipse senserat: ac subinde de secessu, déque purgando cerebro cogitauit. creditur potionatus à Cæsonia vxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Incitabatur insomnio maximè: neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat: ac ne his quidem placida quiete, sed pauida miris rerum imaginibus: vt qui inter cæteras, pelagi quondam speciem colloquentem secum videre visus sit. Ideoque magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, inuocare identidem atque expectare lucem consueuerat. Non immeritò mentis valetudini attribuerim diuersissima in eodem vitia, summam confidentiam, & contrà, nimium metum. Nam qui deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura conniuere, caput obuoluere, ad verò maiora proripere se è strato, sub lectúmque condere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repentè à Messana noctu profugit, Ætnei verticis fumo ac murmure pauefactus. Aduersus Barbaros quoque minacissimus, cùm trans Rhenum inter angustias den-

sūmque

[illegible] *mentu* [illegible] equum [illegible] ac p[illegible] [illegible] bus & [illegible] p[illegible] n or[illegible], per [illegible] ratione [illegible] appellat: [illegible] ac qua[illegible] tas certe sibi superfuturas p[illegible] Alpium iuga, vt Cimbri, B v[illegible] es quond[illegible]m, occuparent: [illegible] d[illegible] cust[illegible] bus eius postea confilem [illegible] apud tumultuantes milites emoritiendi, ipsum [illegible] anus intalisse, nuntio malæ pagi [illegible]. VESTITV, calceatúque, & cætero hab[illegible], neque patrio, neque ciuili, ac ne vir[illegible] quide, ac d[illegible]q; non humano semper vsus est. Sæpe depictas gemmatásque indutus pænulas, manuleatus & armillatus in publicum processit: aliquando sericatus, & cycladatus, ac modò in crepidis vel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri: plerumque verò aurea barba, fulmen tenens aut fuscinam, aut caduceum, deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum, etiam ante expeditionem assiduè gestauit: interdum & magni Alexandri thoracem, repetitum è conditorio eius. LIBERALIVM disciplinarum minimum eruditioni, eloquentiæ plurimùm attendit, quantumuis facundus & promptus, vtique si perorandum in aliquem esset, irato & verba & sententiæ suppetebant: pronuntiatio quoque & vox, vt neque eodem loci præ ardore consisteret, & exaudiretur à procul stantibus. peroraturus, *stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur.* lenius comptiúsque scribendi genus adeò contemnens, vt Senecam tum maximè placentem, *commissiones meras* componere & *arenam esse sine calce diceret.* Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, & magnorum in senatu reo- E rum accusationes defensionesque meditari, ac, prout stylus cesserat, vel onerare sententia sua quemque, vel subleuare: equestri quoque ordine ad audiendum inuitato per edicta. Sed & aliorum generum artes studiosissime, & diuersissimas exercuit. Thrax & auriga, idem cantor, atque saltator, batuebat pugnatoriis armis. Aurigabat exstructo plurifariam circo. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, vt ne publicis quidem spe F ctaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret, & gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palam effingeret. Nec ha[illegible] de [illegible] videtur eo die quo periit, peruigi[illegible] ndixisse, [illegible] quàm [illegible] initium in [illegible] nam prod[illegible] undi[illegible] licentia tempo[illegible] auspicaretur. Saltauit autem nonnunquam etiam noctu: & quondam tres consulares secunda vigilia in [illegible] acc[illegible]os, multaque & extrema metuentes, s[illegible] p[illegible] pulpitum [illegible] deinde repente magno [illegible] arum & scabellorum strepitu, cum palla, tunicaque talari pro[illegible] e[illegible] desaltato cantico abiit. A[illegible] qui lu[illegible] [illegible] ad cætera, natare nesciit. Q[illegible] vero [illegible] tum omnibus ad[illegible] [illegible] pantomimum etiam inter [illegible] acula [illegible] ut: ac si quis [illegible] eo vel leniter o[illegible] [illegible] abi[illegible] manu sua flagellaba[illegible] [illegible] tumul[illegible] anti, per centurionem d[illegible] [illegible] iberet sine mora. [illegible] regem in Mauritaniam [illegible]

dos. Quorum exemplum erat: *Et quem* [illegible] *neque bonus quisquam neque malus e*[illegible]. T[illegible] [illegible] m-G[illegible] corporis custodibus præposuit. Myr[illegible] maturas [illegible] dit. Columbo victori, leuiter tamen [illegible] ven[illegible] in plagam [illegible] didit, quod [illegible] S. C. *lumbinum* appellauit. Sic certè inter [illegible] scriptum, & eo repertum est. Prasinæ factioni ita addictus & deditus, vt cœnaret in stabulo [illegible], & maneret. Agitatori Cy B thico commissatione quadam in apophoretis vicies H-S contulit. Incitato equo, cuius causa pridie Circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, & monilia è gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit, quò lautiùs nomine eius inuitati, acciperentur: consulatum quoque traditur destinasse.

ITA BACCHANTEM atque grassantem, non de- C fuit plerisque animus adoriri. Sed vna alteráque conspiratione detecta, aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicauerunt, perfeceruntque, non sine conscientia potentissimorum libertorum præfectorúmque prætorii: quòd ipsi quoque, etsi falsò, in quadam coniuratione, quasi participes nominati, suspectos tamen se & inuisos sentiebant. Nam & statim seductis magnam fecit inuidiam, *districto gladio affirmans sponte se periturum, si & illis morte dignus vi* D *deretur:* nec cessauit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Cùm placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea tribunus cohortis prætoriæ depoposcit, quem Caius seniorem iam, vt mollem & effœminatum denotare omni probro consueuerat: & modò, signum petenti, *PRIAPVM* aut *VENEREM* dare: modò ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre, formatam commotámque in obscœnum modum. Futuræ cædis multa prodigia extiterunt. Olympiæ simulacrum Iouis, quod dissolui transferríque Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, vt machinis labefactis opifices diffugerint. Superuenitque illicò quidam Cassius quoque nomine iussum se somnio affirmans immolare taurum Ioui. Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cœlo tactum est: item Romæ cella Palatini atriensis. Nec defuerunt qui conie[illegible]rent altero [illegible] dum à custodibus domino portendi: altero [illegible] furtus insignem, [illegible] cod[illegible] m die [illegible] q[illegible] ndam fuisset. Consulenti quoque de genitura sua, Sulla mathematicus *certissimam necem appropinquare* affirmauit. Monuerunt & fortes Antiatinæ, *vt à Cassio caueret.* Qua causa ille Cassium longinum Asiæ tum proconsulem occidendum delegauerat, immemor Chæream Cassium nominari. Pridie quàm periret, somniauit consistere se in cœlo iuxta solium Iouis: impulsúmque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita sunt etiam quæ [illegible] illo ipso die paullò prius acciderant. Sacrificans respersus est phœnicopteri sanguine. Et pantomimus Mnester tragediam salt[illegible], quam [illegible] N[illegible] [illegible] du[illegible] ludi[illegible] [illegible] M[illegible] du[illegible] m Ph[illegible] ppus occisu[illegible]. Et cùm in L[illegible] [illegible] m[illegible] [illegible] [illegible] ferum [illegible] [illegible] un[illegible] [illegible] petim [illegible] atis [illegible] Pallorum & [illegible]

noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Aegyptios & Aethiopes explicarentur. Nono Kalendas Februarias, hora quasi septima, cunctatus an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridie cibo onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Cùm in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas euocati, praepararentur, vt eos inspiceret hortaretúrque, restitit. Ac nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac repraesentare spectaculum voluit. Duplex dehinc fama est: alij tradunt alloquenti pueros à tergo Chaeream ceruicem gladio, caesim grauiter percussisse, praemissa voce: *Hoc age.* Dehinc Cornelium Sabinum, alterum è coniuratis tribunum, ex aduerso traiecisse pectus: alij, Sabinum, submota per conscios centuriones turba, signum more militiae petisse, & Caio *Iouem* dante, Chaeream exclamasse: *Accipe ratum*: respicientique maxillam ictu discidisse. Iacentem, contractisque membris clamitantem se viuere, caeteri vulneribus triginta confecerunt. Nam signum erat omnium, *Repete.* Quidam etiam per obscoena ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarij cum asseribus in auxilium accurrerunt: mox Germani corporis custodes, ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam senatores innoxios

A interemerunt. Vixit annis xxix. imperauit triennio & x. mensibus, diebúsque viii. Cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cespite obrutum est: postea per sorores ab exsilio reuersas erutum, crematum, & sepultumque. Satis constat, prius quàm id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam

B donec ipsa domus incendio consumpta sit. Periit vnà & vxor Caesonia, gladio à centurione confossa, & filia parieti illisa. Conditionem temporum illorum etiam per haec existimare quiuis possit. Nam neque caede vulgata statim creditum est. Fuitque suspicio, ab ipso Caio famam caedis simulatam & emissam, vt eo pacto erga se hominum mentes deprehenderet. Neque coniurati cuiquam imperium destinauerint. Et senatus in asserenda

C libertate adeo consensit, vt coss. primò non in curiam, quia Iulia vocabatur, sed in Capitolium conuocarent. Quidam vero sententiae loco abolendam Caesarum memoriam ac diruenda templa censuerunt. Obseruatum autem notatúmque est in primis, Caesares omnes, quibus Caij praenomen fuit, ferro perisse, iam inde ab eo qui Cinnanis temporibus sit occisus.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER V.

C. CLAVDIVS DRVSVS CAESAR.

PATREM Claudij Caesaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem praenomine, Liuia, cum Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit: fuitque suspicio, ex vitrico per adulterij consuetudinem procreatum. Statim certè vulgatus est versus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Is Drusus in quaesturae praeturaeque honore, dux Rhaetici, deinde Germanici belli, Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum nauigauit, transque Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quae nunc adhuc DRVSINAE vocantur. Hostem etiam frequenter caesum, ac penitus in intimas solitudines actum, non priùs destitit insequi, quam species barbarae mulieris humana amplior, victorem tendere vltrà sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ouandi ius, & triumphalia ornamenta percepit: ac post praeturam confestim inito consulatu, atque expeditione repetita supremum diem morbo obiit in aestiuis castris, quae ex eo *Scelerata* sunt appellata. Corpus eius per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obuiis scribarum decuriis, ad vrbem deuectum, sepultum est in Martio campo. Caeterum exercitus honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarúmque ciuitates publicè supplicarent. Praeterea senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropaeis via Appia decreuit, & Germanici cognomen ipsi posterisque eius. Fuisse autem creditur non minus gloriosi quàm ciuilis animi. Nam ex hoste [illegible] opima [illegible], ac [illegible] capitali [illegible]

D crimine duces Germanorum tota acie insectatus: nec dissimulasse vnquam pristinum se Reip. statum, quandóque restituturum, si posset. Vnde existimo nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto, reuocatúmque ex prouincia: & quia cunctaretur interceptum veneno. Quod equidem magis ne praetermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem: cùm Augustus tantopere &

E viuum dilexerit, vt coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est: & defunctum ita pro concione laudauerit, vt deos precatus sit, *Similes ei Caesares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quàm illi dedissent.* Nec contentus, elogium tumulo eius versibus à se compositis insculpsisse etiam vitae memoriam prosa oratione composuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit: verùm tres omnino reliquit, Germanicum, Liuillam, Claudium. CLAVDIVS natus est, Iulo

F Antonio, Fabio Africano coss. Kalen. Augustis, Lugduni, eo ipso die quo primùm ara ibi Augusto dedicata est: appellatúsque Tiberius Claudius Drusus. Mox fratre maiore in Iuliam familiam adoptato, Germanici cognomen assumsit. Infans autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiae atque adolescentiae tempus, varijs & tenacibus morbis conflictatus est: adeo vt animo simul & corpore hebetato, ne progressa quidem aetate, vlli

G publico priuatoque muneri habilis existimaretur. Diu, atque etiam post tutelam receptam, alieni arbitrij, & sub paedagogo fuit: quem *Barbarum olim superiumentarium, ex industria sibi appositum* [illegible] *se* [illegible] *quam saeuissime* [illegible]

ceret, ipse quodá libello côqueritur. Ob hâc eâdê
valetudinê & gladiatorio munere, quod simul cû
fratre memoriæ patris edebat, pallio latus nouo
more præcedit: & togæ virilis die, circa mediá no-
ctê, sine sollêni officio lectica in Capitoliú lat⁹ est.

Disciplinis tamê liberalibus ab ętate prima non
mediocrê operá dedit, ac sæpe experimêta cuiusq;
etiá publicauit. Verùm ne sic quidem quidquá di-
gnitatis assequi, aut spê de se cômodiorem in po-
sterú facere potuit. Mater Antonia *portêtú eú homi-*
nis dictitabat, *nec absolutum à natura, sed tâtùm in-*
choatum: ac si quê socordiæ argueret, *stultiorê* aie-
bat *filio suo Claudio.* Auia Augusta, pro despectissi-
mo semper habuit: nô affari, nisi rarissimè: nô mo-
nere, nisi acerbo & breui scripto, aut per internû-
tios solita. Soror Liuilla, cùm audisset quádoq; im
peraturú, tá iniquá & tam indignam sortê populo
Rom. palàm & clarè detestata est. Ná & auúculus
maior Augustùs quid de eo in vtramque partem
opinatus sit, quò certiùs cognoscatur, capita ex i-
psius epistolis posui. *Collocutus sum cú Tiberio, vt*
mandasti mea Liuia, quid nepoti tuo Tiberio facien-
dum esset ludis Martialibus. Consentit autem vter-
que nostrum, semel esse nobis statuendum, quod consi-
lium in illo sequamur. Nam si est ἄρτιος, *vt ita dicam,*
ὁλόκληρος, *quid est quod dubitemus, quin per eosdem*
articulos & gradus producendus sit, per quos frater
eius productus sit? Sin autem ἠλαττῶσθαι *sentimus eú,*
καὶ βεβλάφθαι καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρ-
τιότητα *præbenda materia deridendi & illú & nos nô*
est hominib⁹, τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσιν.
Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis tem
porú deliberabimus, μὴ προϋποκειμένου ἡμῖν, *posse eum*
gerere honores, arbitremur necne. In præsentia ta-
men quibus consulis, curare eum ludis Martialibus
triclinium sacerdotú, nô displicet nobis, si est passurus
se ab Silani filio, homine sibi affini admoneri, ne quid
faciat quod conspici & derideri possit. Spectare eum
Circenses ex puluinari, nô placet nobis. Expositus e-
nim in prima fronte spectaculorum côspicietur. In Al-
banum môtem ire eú, non placet nobis, aut esse Romæ
Latinarum diebus. Cur enim non præficitur vrbi, si
potest fratrê suú sequi in môtem? Habes nostras, mea
Liuia, sententias, quibus placet semel de tota re ali-
quid constitui: ne semper inter spem & metú fluctue-
mus. Licebit autem, si voles, Antoniæ quoque nostræ
des hanc partem epistolæ huius legêdam. Rursus al-
teris litteris: *Tiberium adolescentem ego verò, dum*
tu aberis, quotidie inuitabo ad cœnâ, ne solus cœnet
cum suo Sulpicio & Athenodoro: qui vellem diligen-
tius, & minus μετεώρως *deligeret sibi aliquem, cuius*
motum & habitum & incessum imitaretur misellus:
Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν. *vbi non aberrauit*
eius animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ δυσγένεια. Itê
tertiis litteris: *Tiberiú nepotem tuum placere mihi*
declamantem potuisse, peream, nisi mea Liuia admi-
ror. Nam qui tam ἀσαφῶς *loquatur, qui possit, cùm*
declamat, σαφῶς *dicere quæ dicenda sunt, non vi-*
deo. Nec dubium est, quin post hæc Augustus cô-
stituerit, & reliquerit eum nullo præter auguralis
sacerdotij honore impertitú: ac ne heredê quidê,
nisi inter tertios, ac pęne extraneos, è parte sexta
nuncuparit: legatóque non ampliùs quàm octin-
gêtorum sestertiorú prosecutus. TIBERIVS pa-
truus, petêti honores, consularia ornamenta detu-
lit. Sed instâtiùs legitimos flagitanti, id solùm co-
dicillis rescripsit, *Quadraginta aureos in Saturna-*
lia & Sigillaria se misisse ei. Tûc demum abiecta spe
dignitatis, ad otiú concessit, modò in hortis & su-
burbana domo, modò in Câpaniæ secessu delites-

A cens: atq; ex contubernio sordidissimorum homi-
num super veterem segnitiæ notá, ebrietatis quo-
que & aleæ infamiam subiit. Cùm interim, quan-
quam hoc modo agenti, numquam aut officium
hominum, aut reuerentia publica defuit. Eque-
ster ordo bis patronum eum perferendæ pro se
legationis elegit: semel, cùm deportandum Ro-
mam corpus Augusti humeris suis à COSS. ex-
posceretur: iterum cùm oppressum Seianum apud
B eosdem gratularetur. Quin & spectaculis adue-
nienti assurgere, & lacernas deponerê solebât. Se-
natus quoque, vt ad numerum sodalium Augu-
stalium sorte ductorum extra ordinem adiicere-
tur, censuit: & mox vt domus ei, quam incendio
amiserat, publica impensa restitueretur, dicendæ-
que inter consulares sententiæ ius esset. Quod de-
cretum abolitum est, excusante Tiberio imbecil-
litatem eius, ac damnum liberalitate sua resarturum
polliceente. Qui tamen moriens, & in tertiis
C heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, lega-
to etiam circa sestertium vicies prosecutus, com-
mendauit insuper exercitibus, ac senatui populóq;
Rom. inter cæteras necessitudines nominatim.

Sub Caio demú fratris filio secúdá existimatio-
nê circa initia imperij omnibus lenociniis colli-
gête, honores auspicatus, consulatú gessit vnà per
duos mêses: euenitq; vt primitus ingredienti cum
fascibus Forum, prætervolans aquila dexteriore
humero côsideret. Sortitus est & de altero côsula-
D tu in quartú annú: præseditque nonnúquá specta-
culis in Caij vicê acclamâte populo, *Feliciter,* par-
tim *patruo Imperatoris,* partim *Germanici fratri.*

Nec eo minùs contumeliis obnoxius vixit. Ná
& si paullò seriùs ad prædictam cœnæ horam oc-
currisset, non nisi ægrè, & circuito demum tricli-
nio recipiebatur. Et quoties post cibum addor-
misceret, quod ei ferè accidebat, olearum ac pal-
mularum ossibus incessebatur: interdum ferula
E flagróve, velut per ludum, excitabatur à copreis.
Solebant & manibus stertentis socci induci, vt re-
pentê expergefactus faciem sibi confricaret. Sed
ne discriminibus quidem caruit: primùm in ipso
consulatu, quòd Neronis & Drusi fratrum Cæsa-
ris, statuas segniùs locandas ponendásque curas-
set, pæne honore submotus est: deinde extraneo,
vel etiam domesticorum aliquo deferente, assiduè
variéque inquietatus. Cùm verò detecta esset Le-
F pidi & Gætulici côiuratio, missus in Germaniam
inter legatos ad gratulandum, etiam vitæ pericu-
lum adiit: indignante ac fremente Caio, patruum
potissimùm ad se missum, quasi ad puerum re-
gendum: adeò vt non defuerint qui traderent,
præcipitatum quoque in flumen, sicut vestitus ad-
uenerat. Atque ex eo nunquam non in senatu no-
uissimus consularium sententiam dixit, ignomi-
niæ causa post omnes interrogatus. Etiá cognitio
falsi testamêti recepta est, in quo & ipse signauerat.
Postremò etiá sestertiú octogiesptro introitu noui
sacerdotij coact⁹ impêdere, ad eas rei familiaris an
G gustias decidit, vt cùm obligatá ęrario fidê libera-
re non posset, in vacuú lege prędiatoria venalis pe
pêderit sub edicto præfectorú. *PER HÆC AC*
talia, maxima ætatis parte trásacta, quiquagesimo
anno Imperiú cepit, quantúuis mirabili casu. Ex-
clusus inter cęteros ab insidiatorib⁹ Caij, cùm qua
si secretú eo desiderâte turbá submoueret, in diętá,
cui nomen est Hermæum, recesserat. Neq; multò
pòst rumore cædis exterritus, prorepsit ad sola-
rium proximum: intérque prætenta foribus ve-
la se abdidit: latentem discurrens fortè grega-

rius miles, animaduersis pedibus, è studio sciscitandi quisnam esset, agnouit, extractúmque, & præ metu ad genua sibi accidentem, *IMPERATOREM* salutauit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quàm fre-mentes, perduxit. Ab his lecticæ, impositus, & quia serui diffugeraot, vicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquanto mioore spe quàm fiducia. Nam consules cum senatu & cohortibus vrbanis, Forum Capitoliúmque occuparunt, asserturi communem libertatem: accitúsque & ipse per Tribunum pleb. in curiam ad suadenda quæ viderentur, *vi se & necessitate teneri* respondit. Verùm postero die, senatu segniore in exsequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diuersa censentium, & multitudine quæ circumstabat, vnum rectorem iam nominatim exposceute, armatos pro concione iurare in nomen suum passus est, promisitque singulis quindena H S. primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus. IMPERIO stabilito, nihil antiquius duxit quàm id biduum quo de mutando Reip. statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorúmque in eo veniam & obliuionem in perpetuum sanxit, ac præstitit: tribunis modò ac centurionibus paucis è coniuratorum in Caium numero interemptis, exempli simul caussa, & quòd suam quoque cædem depoposcisse cognouerat. Côuersus hinc ad officia pietatis, iusiurandum neque sanctius sibi, oeque crebrius instituit, quàm *PER AVGVSTVM*. Auiæ Liuiæ diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem, decernendum curauit. Parentibus inferias publicas: & hoc amplius patri Circenses anouos natali die: matri carpentum quod per Circum duceretur: & cognomen Augustæ, ab auia recusatum. Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia iudicum corônauit. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit: testatus quondam per edictum *Tanto impensius petere se vt natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset & aui sui Antonij.* Tiberio marmoreum arcum iuxta Pompeij theatrum, decretum quidem olim à senatu, verùm omissum, peregit. Caij quoque, & si acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamuis exordium principatus sui, vetuit inter festos referri.

Ac in semet augendo parcus atque ciuilis, prænomine *Imperatoris* abstinuit, nimios honores recusauit, sponsalia filiæ, natalémque geniti nepotis, silentio ac tantùm domestica religione, trâsegit. Nemioem exsulum, nisi ex senatus auctoritate, restituit: vt sibi in curiam præfectum Prætorij, tribunósque militum secum inducere liceret, vtque rata essent quę procuratores sui in iudicando statuerent, precariò exegit. Ius nundinarum in priuata prædia à consulibus petiit: cognitionibus magistratuum, vt vnus è consiliariis, frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes, surgens & ipse cum cętera turba, voce ac manu veneratus est. Tribunis pleb. adeuntibus se pro tribunali excusauit, quòd propter angustias nô posset audire eos nisi stantes. Qure in breui spatio tantum amoris

A fauorísque collegit, vt cùm profectum eum Ostiam periisse ex insidiis nuntiatum esset, magna consternatione populus, & militem quasi proditorem, & senatum quasi parricidam, diris execrationibus incessere non antè destiterit, quàm vnus atque alter, & mox plures à magistratibus in Rostra producti, saluum & appropiquare confirmarent. NEC tamen expers insidiarum vsquequaque permansit, sed & à singulis, & per factionem, &

B denique ciuili bello infestatus est. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est: reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter, vt egressum theatro, alter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autê ad res nouas Gallus Asinius, & Statilius Coruinus, Pollionis ac Messallæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus

C Scribonianus, Dalmatię legatus: verùm intra quintum diem oppressus est, legionibus quæ sacramentû mutauerant, in pœnitentiam religione côuersis, postquam denûtiato ad nouum Imperatorem itinere, casu quodam, an diuinitus, neque aquila ornari, neque signa conuelli moueriq; potuerunt.

CONSVLATVS super pristinum quatuor gessit: ex quibus duos primos iunctim: sequentes per interuallum, quarto quemque anno, semestrem nouissimum, bimestres cæteros, tertium autem

D nouo circa principem exemplo in locum demortui suffectus. Ius & côsul, & extra honorem laboriosissimè dixit, etiam suis suorúmque diebus sollennibus, nonnunquam festis quoque antiquitus, & religiosis. Nec semper præscripta legum secutus, duritiam lenitatémve multarum, ex bono & æquo perinde vt afficeretur, moderatus est. Nam & iis qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones: & in maiore fraude conuictos, legitimam pœnam supergres-

E sus, ad bestias condemnauit. In cognoscendo autem ac decernendo mira varietate animi fuit, modò circumspectus & sagax, modò inconsultus ac præceps: nonnumquam friuolus amentique similis. Cùm decurias rerum actu expûgeret, eum qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, vt cupidum iudicandi dimisit: alium interpellatum ab aduersariis de propria lite, negantémque cognitionis rem, sed ordinarij iuris esse, agere caussam confestim apud se coëgit,

F proprio negotio documentum daturum, quàm æquus iudex in alieno negotio futurus esset. Fœminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrimque argumentorum fide, ad coofessionem compulit, indicto matrimonio iuuenis. Absentibus secundum præsentes facillimè dabat, nullo delectu, culpa ne quis in aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, præcidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machæra mensáque laniooia flagitauit. Peregrinitatis reum

G orta inter aduocatos leui contentiooe, togatúmne an palliatum dicere caussam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitû sępius, & prout accusaretur defenderetúrve, iussit. De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiasse creditur, *SECVNDVM EOS SE SENTIRE QVI VERA PROPOSVISSENT*. propter quę vsq; eò euiluit, vt passim ac propalàm contemtui esset. Excusans quidam testê è prouincia ab eo vocatum, negauit præsto esse posse, dis-

simulara

simulata diu caussa, ac post longas demum interrogationes, *mortuus est*, inquit, *Puteolis*. Alius gratias agens, quòd reum defendi pateretur, adiecit: *Et tamen fieri solet*. Illud quoque à maioribus natu audiebam, adeo caussidicos patiētia eius solitos abuti, vt descendentem è tribunali non solùm voce reuocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinerent. Ac ne cui hæc mira sint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρὸς. Equitē quidem Romanum B obscœnitatis in fœminas reum, sed falso, & ab impotentibus inimicis conficto crimine, satis constat, cùm scorta meritoria citari aduersus se, & audiri pro testimonio videret, graphium & libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ & sæuitiæ exprobratione iecisse in faciem eius, vt genam non leuiter perstrinxerit. GESSIT & censuram intermissam diu post Paullum Planciúmque censores: sed hanc quoque inæqualiter, vatióq; & animo & euentu. Recognitione equi- C tum iuuenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, *habere* dicens *censorem suum*. Alium corruptelis adulteriisq; famosum, nihil amplius quàm monuit, *vt aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certè cautius*. Addiditq;, *Quare enim ego scio, quam amicam habeas?* Et cum orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam, *Litura tamen*, inquit, *exstet*. Splendidum virum, Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini sermonis igna- D rum, non modò albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quenquam nisi sua voce, vtcunque quis posset, ac sine patrono, rationem vitæ passus est reddere. Notauitque multos, & quosdam inopinantes, & ex caussa noui generis, quod se inscio, ac sine commeatu Italia excessissent: quendam verò & quòd comes regis in prouincia fuisset, referens maiorum temporibus Rabirio Postumo, Ptolemæum Alexandriam, crediti seruandi caussa secuto, maiestatis crimen apud iu- E dices motum. Plures notare conatus, magna inquisitorum negligentia, sed suo maiore dedecore, innoxios fere reperit, quibuscunq; cœlibatum, aut orbitatem, aut egestatem obiiceret, maritos, patres, opulentos se probantibus: eo quidem, qui sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum corpus veste deposita ostentante. Fuerunt & illa in censura eius notabilia, quòd essedum argenteum sumtuosè fabricatum ac venale, ad Sigillaria redimi concidique coram imperauit: quódq; F vno die XX. edicta proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonebat, *vt vberi vinearum prouentu bene dolia picarentur*: altero, *nihil æquè facere ad viperæ morsum, quàm taxi arboris succum*.

EXPEDITIONEM vnam omnino suscepit, eámque modicam. cùm decretis sibi à senatu ornamētis triumphalibus, leuiorem maiestati principali titulum arbitraretur, velletq; iusti triūphi decus, vnde acquireret, Britanniam potissimùm elegit: neq; tētatam vlli post Diuum Iulium, & tunc tu- G multuantem ob non redditos trāsfugas. Huc cùm ab Ostia nauigaret, vehementi circo bis pæne demersus est prope Liguriam, iuxtáq; Stœchadas insulas. Quare à Massilia Gessoriacum vsque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine vllo prælio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto quàm profectus erat mense, Romā rediit, triumphauitq; maximo apparatu. Ad cuius spectaculum commeare A in vrbem non solùm præsidibus prouinciarum permisit, verùm etiam exsulibus quibusdam: atq; inter hostilia spolia, naualem coronam fastigio Palatinæ domus iuxta ciuicā fixit, traiecti & quasi domiti Oceani insigne. Currum eius Messallina vxor carpento secuta est. Secuti & triumphalia ornamenta eodē bello adepti, sed cæteri pedibus & in prætexta: Crassus Frugi equo phalerato, & in veste palmata, quòd eum honorem iterauerat.

B VRBIS annonæq; curam solicitissimè semper egit. Cùm Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac familiarum turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis conuocauit: ac positis ante se cum pecunia fiscis, ad subueniendum hortatus est, repræsentaturus pro opera dignam cuiq; mercedem. Arctiore autem annona ob assiduas sterilitates detentus quondam, medio Foro à turba, conuitiísque ac simul fragminibus panis C ita instratus, vt ægrè nec nisi postico euadere in Palatium valuerit: nihil nō ex eo cogitauit ad inuehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset: & naues mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituit. Pro conditione cuiusque ciuis vacationem legis Papiæ Poppææ, Latinis ius Quiritum: fœminis ius quatuor liberorum: quæ constituta hodie seruantur. D Opera magna potius quam necessaria, quàm multa perfecit: sed vel præcipua, aquæ ductum à Caio inchoatum. item emissarium Fucini lacus, portúmq; Ostiensem: quamquam sciret ex his alterum ab Augusto precantibus assiduè Marsis negatum, alterum à D. Iulio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum: Claudiæ aquæ gelidos & vberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est: simúlq; riuum Anienis noui lapideo opere in vrbem perduxit, diuisitq; in plurimos & ornatissimos lacus. E Fucinum aggressus est, non minus compēdij spe quàm glorię, cùm quidam priuato sumptu emissuros se repromitterēt, si sibi siccati agri concederētur. Per tria autem passuū millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absoluit ægrè, & post vndecim annos, quamuis continuis triginta hominum millibus sine intermissionē operantibus. Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistráque brachio, & ad introitum profundo F iam solo mole obiecta. quam quo stabiliùs fundaret, nauem antè demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat aduectus, congestísque pilis superposuit altissimā turrim in exēplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Congiaria populo sæpius distribuit.

SPECTACVLA quoque complura magnificáq; edidit, non vsitata modò, ac solitis locis, sed & commentatitia, & ex antiquitate repetita, & vbi præterea nemo ante eū. Ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, è tribu- G nali posito in orchestra cōmisit, cùm prius apud superiores ædes supplicasset, pérq; mediam caueā, sedētibus ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit & sæculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in historiis suis prodat, *intermissos eos, Augustum multò pòst, diligentissimè annorum ratione subducta, in ordinē redegisse*. Quare vox præconis irrisa est, inuitātis more sollēni ad ludos, *quos nec spectasset quis-*

quam,nec spectaturus esset:cùm superessent qui adhuc spectauerant,&quidam histrionum producti olim,tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interiecta per quinos missus venatione. Circo verò maximo marmoreis carceribus, auratisq; metis, quæ vtraque & tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria senatoribus constituit loca,promiscuè spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina. Troiæ lusum exhibuit,& Africanas conficiente turma equitum prætorianorum,ducibus tribunis,ipsóque præfecto:prætereà Thessalos equites, qui feros tauros per spatia circi agunt, insiliúntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladitoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit. Anniuersarium in castris prætorianis, sine venatione apparatúque, iustum atque legitimum in septis, ibidem extraordinarium & breue, dierúmque paucorum, quódque appellare cœpit *Sportulam*: quia primùm daturum se dixerat,*velut ad subitam cōdictámque cœnulam inuitare se populum*. Nec vllo spectaculi genere cōmunior aut remissior erat,adeò vt oblatos victoribus aureos,prolataq; sinistra manu,pariter cū vulgo,voce digitisque numeraret:ac sæpe hortando rogandóq; ad hilaritatem homines prouocaret, *dominos* identidem appellans, immistis interdum frigidis & accersitis iocis: qualis est, vt cùm Palumbum postulantibus, *daturum se* promisit,*si captus esset*.Illud quoque planè quantumuis salubriter & in tempore, cum essedario, pro quo quatuor filij deprecabantur,magno omnium fauore indulsisset rudem,tabulam illico misit,admonens populum,*quantopere liberos suscipere deberet, quos videret & gladiatori præsidio, gratiaque esse*. Edidit & in Martio campo expugnationem direptionémq; oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præseditque paludatus.Quin & emissurus Fucinum lacum,naumachiā ante commisit. Sed cùm proclamātibus naumachiariis, *Aue Imperator, morituri te salutant*, respondisset, *Auete vos*: neque post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet, diu cunctatus,an omnes igni ferróque absumeret,tandem è sede sua prosiliuit:ac per ambitum lacus,nō sine fœda vacillatione discurrens, partim minando,partim adhortando ad pugnam compulit.Hoc spectaculo classis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argēteo, qui è medio lacu per machinam emerserat.QVAEDAM circa cærimonias, ciuilémq; & militarem morem,item circa omniū ordinum statum, domi forísque,aut correxit, aut exoleta reuocauit,aut etiā noua instituit. In cooptandis per collegia sacerdotibus, neminem nisi iuratus nominauit: obseruauitque sedulò,vt quoties terra in vrbe mouisset,ferias aduocata concione prætor indiceret: vtque dira aui in vrbe aut in Capitolio visa,obsecratio haberetur,eámque ipse iure Max. Pont. commonito pro Rostris populo præiret, submotáque operariorum seruorúmque turba,rerum actū diuisum anteà in hibernos æstiuósque menses cōiunxit. Iurisdictionem de fideicommissis quotannis, & tantùm in vrbe delegari magistratibus solitam,in perpetuum, atque etiam per prouincias potestatibus demandauit. Capiti Papiæ Poppeæ legis,à Tiberio Cæsare,quasi sexagenarij generare non possent, addito,obrogauit. Sanxit vt pupillis extra ordinem tutores à coss.

A darentur, vtque hi, quibus à magistratibus prouinciæ interdicerentur,vrbe quoque & Italia submouerentur. Ipse quosdam nouo exemplo relegauit, vt vltrà lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe. De maiore negotio acturus, in curia medius inter consulum sellas, tribunitio subsellio sedebat. Commeatus à senatu peti solitos,beneficij sui fecit.

Ornamenta consularia etiam procuratoribus
B ducenariis indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Latum clauum, quamuis initio affirmasset non lecturum se senatorem, nisi ciuis R.abnepotē, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite R.adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verēs,etiam App.Cæcum generis sui proauctorem,censorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appij, & deinceps aliquandiu, *libertinos* dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his
C procreatos.Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus iniunxit: detractáque Ostiensi & Gallica prouincia, curam ærarij Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut vtiq; prætura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta Silano filiæ suæ sponso, nondum puberi dedit. Maioribus verò natu, tam multis, támque facile, vt epistula communis legionum
D nomine exstiterit,petentium, *vt legatis consularibus simul cum exercitu & triumphalia darentur, ne caussam belli quoquo modo quærerent*. A Plautio etiam ouationem decreuit:ingressoque vrbem obuiam progressus,& in Capitolium eunti, & inde rursus reuertēti latus texit.Gabinio secūdo, Caucis,gente Germanica,superatis, Cauchius cognomē vsurpare concessit. Equestres militias ita ordinauit,vt post cohortem,alam: post alam,tribunatum legionis daret:stipendiáque instituit, & imaginariæ militiæ tenus,quod vocatur *Supra numerum*,quo absentes,& titulo tenus fungerentur. Milites domos senatorias salutandi caussa ingredi,etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, publicauit. Ingratos,& de quibus patroni quererentur, reuocauit in seruitutem: aduocatisque eorum negauit se aduersus libertos ipsorum ius dicturum. Cùm quidam ægra & affecta mancipia in insu-
F lam Æsculapij tędio medendi exponerent,omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini,si conualuissent:quòd si quis necare quem mallet,quàm exponere,cędis crimine teneri. Viatores ne per Italiæ oppida, nisi aut pedibus,aut sella aut lectica transirent, monuit edicto. Puteolis & Ostiæ singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocauit. Peregrinæ conditionis homines vetuit vsurpare Romana nomina, dumtaxat gentilitia. Ciuitatem Romanam vsurpantes in campo Esquilino securi per-
G cussit. Prouincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, senatui,reddidit. Lyciis ob exitiabiles inter se discordias, libertatem ademit: Rhodiis ob pœnitentiam veterum delictorum, reddidit. Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit: recitata vetere epistola Græca senatus populíque Ro. Seleuco regi amicitiam, & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Iudæos impulsore

pulsore CHRESTO assiduè tumultuantes Roma expulit. Germanorum legatis orchestra sedere permisit, simplicitate eorum & fiducia motus, quòd in popularia deducti, cùm animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam, penitus aboleuit. Contrà, sacra Eleusina etiam transferre ex Attica Romam conatus est. Templum quoque in Sicilia Veneris Erycinæ vetustate collapsum, vt ex ærario populi R. reficeretur, auctor fuit. Cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, ac vetere fetialium præfatione adhibita. Sed & hęc & cętera, totúmq; adeò ex patre magis principatum, non tam suo quàm vxorum libertorúmque arbitrio administrauit: talis vbique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet.

SPONSAS admodum adolescens duas habuit: Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem: item Liuiam Medullinam, cui & cognomen Camillæ erat, è genere antiquo Dictatoris Camilli. Prioré, quòd parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiauit: posteriorem, ipso die qui erat nuptiis destinatus, ex valitudine amisit. Vxores deinde duxit Plautiam Vrgulanillam, triumphali, & mox Æliam Pætinam, consulari patre. Cum vtraq; diuortium fecit: sed cum Pætina, ex leuibus offensis: cum Vrgulanilla, ob libidinum probra & homicidij suspicionem. Post has Valeriá Messallinam, Barbati Messallæ consobrini sui filiam in matrimonium accepit. Quam cum cóperisset super cætera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit: confirmauitque pro concione apud prætorianos; *Quatenus sibi matrimonia malè cederent, permansurum se in cælibatu: ac nisi permásisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum.* Nec durare valuit, quin de conditionibus continuò tractaret, etiam de Pętinæ, quam olim exegerat, déque Lolliæ Paullinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verùm illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per ius osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornauit proximo senatu qui censeret cogendum se ad ducendum eam vxorem, quasi Reip. maximè interesset: dandámque cæteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix vno interposito die, confecit nuptias: non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cuius officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebrauit.

LIBEROS ex tribus vxoribus tulit: ex Vrgulanilla Drusum & Claudiam: ex Pætina Antoniá: ex Messallina Octauiam, & quem primo Germanicum, mox Británicum cognominauit. Drusum Pompeiú impuberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum: cùm ei ante paucos dies filiam Seiani despódisset. Quo magis miror fuisse qui traderét, fraude à Seiano necatum. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamuis ante quintum mensem diuortij natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abiici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sullæ, nobilissimis iuuenibus, Octauiam Neroni priuigno suo collocauit, Silano antè desponsatam. Britannicum vigesimo imperij die, inq; secundo consulatu natum sibi, paruulum etiam tum, & militibus pro concione, manibus suis gestans, & plebi, per spectacula gremio, aut ante se retinens, assiduè commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. E generis Neronem adoptauit: Pompeium atque Silanum non recusauit modò, sed & interemit. LIBERTORVM pręcipuè suspexit Posidem spadonem, quem etiam Británico triúpho inter militares viros hasta pura donauit. Nec minus Felicem, quem cohortibus & alis, prouinciæque Iudææ præposuit, trium reginarum maritum. Et Harpocram, cui lectica per vrbem vehendi, spectaculáq; publicè edendi ius tribuit. Ac super hos Polybium à studiis, qui sæpe inter duos COSS. ambulabat. Sed ante omnes, Narcissum ab epistolis, & Pallantem à rationibus: quos decreto quoque senatus, non præmiis modò ingentibus, sed & quæstoriis prætoriísque ornamentis ornari libenter passus est: tantum pręterea acquirere & rapere, vt querente eo quódam de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, *Abundaturum, si à duobus libertis in consortium reciperetur.*

HIS, vt dixi, vxoribúsq; addictus, non principem se, sed ministrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est: & quidem insciens plerumque & ignarus. Ac ne sigillatim nomina quæque enumerem, reuocatas liberalitates eius, iudicia rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorú codicillos: App. Silanum consocerum suum, Iuliásque, alteram Germanici filiá, crimine incerto, nec defésione vlla data, occidit. Item Cn. Pompeium, maioris filiæ virum, & L. Silanum, minoris sponsum. Ex quibus Pompeius, in concubitu dilecti adolescentuli confossus est. Silanus abdicare se prætura ante quartú Kalend. Ianuarias, moriq; initio anni coactus, die ipso Claudij & Agrippinę nuptiarú. In quinq; & triginta senatores, trecétósq; ampliùs equites Rom. tanta facilitate animaduertit, vt de nece consularis viri renuntiante céturione, *Factú esse quod imperasset, negaret quidquá se imperasse, nihilo minus rem comprobaret:* affirmantibus libertis, officio milites functos, quòd ad vltionem Imperatoris vltrò procurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quòd nuptiis, quas Messallina cú adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipse consignauerit: inductus, quasi de industria simularétur, ad euertendum transferendúmq; periculum quod immineret ipsi per quædam ostenta portéderetur.

AVCTORITAS dignitásq; formæ non defuit, vel stanti, vel sedenti, ac præcipuè quiescenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat: & specie canitiéq; pulcra, opimis ceruicibus. Cęterùm & ingredientem destituebant poplites minùs firmi, & remisse quid vel seriò agentem multa dehonestabant. Risus indecens: ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus: præterea linguæ titubantia, capútque, cùm semper, tum in quantulocumque actu vel maximè tremulum. Valetudine sicut olim graui, ita princeps perprospera vsus est, excepto stomachi dolore. Quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

CONVIVIA agitauit & ampla & assidua, ac ferè patentissimis locis, vt plerumque sexceni simul discumberent. Conuiuatus & super emissarium Fucini lacus, ac pæne submersus,

cùm emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ & libertos suos cum pueris puellisq; nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur. Conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diē posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, *quo veniam daret flatum crepitúmque ventris in conuiuio emittendi:* cùm periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Cibi viníque, quocumque & tempore & loco, appetentissimus. Cognoscens quondam in Augusti foro, ictúsque nidore prandij, quod in proxima Martis æde Salijs apparabatur, deserto tribunali, adscendit ad sacerdotes, vnáque discubuit. Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: & vt statim supino, ac per somnum hianti, pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Somni breuissimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque euigilabat, vt tamen interdiu nonnunquam in iure dicendo obdormisceret, vixque ab aduocatis de industria vocem augentibus excitaretur. Libidinis in fœminas profusissimæ, marium omnino expers. Alea studiosissimè lusit: de cuius arte librum quoque emisit: solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alueóque adaptatis, ne lusus confunderetur. SÆVVM & sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. Tormenta quæstionum, pœnasque parricidarum repræsentabat, exigebátque coram. Cùm & spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisset, & delegatis ad palum noxijs carnifex deesset, accitum ad vrbe vesperam vsque operiri perseuerauit. Quocumque gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam fortè prolapsos iugulari iubebat: maximè retiarios, vt expirantium faciem videret. Cùm par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi paruulos ex vtroque ferro in vsum fieri sine mora iussit. Bestiarijs meridianisq; adeò delectabatur, vt etiam prima luce ad spectaculum descenderet: & meridie, dimisso ad prandium populo, persederet: prætérq; destinatos, etiam leui subitáq; de caussa, quosdam committeret, de fabrorum quoq; ac ministrorum, atq; id genus numero, si αὐτόματον, vel pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. Induxit & vnum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus. SED NIHIL æquè quàm timidus ac diffidens fuit. Primis imperij diebus, quamquam, vt diximus, iactator ciuilitatis, neq; conuiuia inire ausus est, nisi vt spiculatores cum lanceis circumstarent, militésq; vice ministrorum fungerentur: neque ęgrum quemquam visitauit, nisi explorato priùs cubiculo, culcitisq;, & stragulis prætentatis, & excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos. Serò enim, ac vix remisit, ne fœminę pętextatique pueri & puellæ contrectarentur, & ne cuiuis comiti aut librario calamarię aut graphiarię thecę adimerentur. Motu ciuili, cùm eum Camillus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa & minaci & contumaci epistola cedere imperio iuberet, vitámq; otiosam in priuata re agere: dubitauit, adhibitis principibus viris, an obtēperaret. Quasdam insidias temere delatas adeò expauit, vt deponere imperium tentauerit. Quodam, vt suprà retuli, cum ferro circa sacrificantem se deprenso, senatum per præcones properè conuocauit: lacrymisque & vociferatione miseratus

A est conditionem suam, cui nihil tuti vsquam esset, ac diu publico abstinuit. Messallinæ quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quàm periculi metu abiecit, cùm adultero Silio acquiri imperium credidisset: quo tempore fœdum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via, quàm *essetne sibi saluum imperium,* requirēs. Nulla adeò suspicio, nullus auctor tam leuis exstitit, a quo non mediocri scrupulo iniecto ad cauendum vlciscendúmque B compelleretur. Vnus ex litigatoribus, seducto in salutatione affirmauit se vidisse per quietem, occidi eum à quodam: deinde paullò post, quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem aduersarium suum demonstrauit: confestímque is pro deprehenso ad pœnam raptus est. Pari modo oppressum ferunt App. Silanum: quem cùm Messallina & Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit: affirmans somniasse se, C vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot iam noctibus obseruari retulit. Nec multò pòst ex composito irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie, ad id temporis vt adesset, præceptum erat, quasi planè repræsentaretur somnij fides, arcessi statim ac mori iussus est. Nec dubitauit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret. IRAE ATQVE ira- D cundiæ conscius sibi, vtrumque excusauit edicto: distinxitque, pollicitus *alteram quidem breuem & innoxiam, alteram non iniustam fore.* Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obuiam non miserint, grauiter correptis, eáque cum inuidia, *vt in ordinem se coactum* conscriberet, repente tantum non satisfacientibus veniam modò dedit. Quosdam in publico parum tempestiuè adeuntes, manu sua repulit. Item scribam quæstorium, itémque prætura functum senato- E rem, inauditos & innoxios relegauit: quòd ille aduersus priuatum se intemperantiùs assuisset: hic in ædilitate inquilinos prædiorum suorum contra vetitum cocta vendentes multasset, villicúmque interuenientem flagellasset. Qua de caussa etiam coërcitionem popinarum ædilibus ademit. Ac ne stultitiam quidem suam tacuit, simulatámque à se ex industria sub Caio, quòd aliter euasurus peruenturúsque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testa- F tus est. Nec antè persuasit, quàm intra breue tempus liber editus sit, cui index erat Μωρῶν ἐπανάστασις: argumentum autem, *Stultitiam neminem fingere.*

INTER CAETERA in eo mirati sunt homines & obliuionem & inconsiderantiam: vel, vt Græcè dicam, *μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν.* Occisa Messallina, paullò pòst quàm in triclinio decubuit, *cur domina non veniret,* requisiuit. Multos ex iis quos capite damnauerat, postero statim die & in conuiuium & ad aleæ lusum admoueri iussit: & G quasi morarentur, vt somniculosos per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam vxorem, non cessauit omni ratione *filiam & alumnam & in gremio suo natam, atque educatam,* prædicare. Adsciturus in nomen familiæ suæ Neronem, quasi parum reprehenderetur, quòd adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, *neminem vnquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum.*

SERMONIS verò rerúmque tantam sæpe negligentiam ostendit, vt nec quis, nec inter quos, quóve tempore ac loco verba faceret, scire ac cogitare existimaretur. Cùm de laniis, ac vinariis ageretur, exclamauit in curia: *Rogo vos, quis potest sine offula viuere?* descripsitque abundantiam veterum tabernarum, vnde solitus esset vinum olim & ipse petere. De quæstore quodã candidato inter caussas suffragationis suæ posuit, *quòd pater eius frigidã ægro sibi tempestiuè dedisset.* Inducta teste in senatu, *Hæc,* inquit, *matris meæ liberta & ornatrix fuit: sed me patronum semper existimauit. Hoc ideo dixi, quòd quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant.* Sed & pro tribunali, Ostiensibus quiddam publicè orantibus, cùm excanduisset, *Nihil habere se vociferatus est, quare eos demereatur: si quem alium, & se liberũ esse.* Nam illa eius quotidiana, & planè omnium horarũm & momentorum erant, *Quid? ego tibi Theogonius videor, & λογιώτατος;* multáque talia etiam priuatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito. HISTORIAM in adolescentia, hortante T. Liuio, Sulpicio verò Flauo etiam adiuuante, scribere aggressus est. Et cũ primùm frequenti auditorio commisisset, ægrè perlegit, refrigeratus sæpe à semetipso. Nam cùm initio recitationis defractis compluribus subselliis, obesitate cuiusdam, risus exortus esset: ne sedato quidem tumultu tẽperare potuit, quin ex interuallo subinde facti reminisceretur, cachinnósque reuocaret. In principatu quoque & scripsit plurimum, & assiduè recitauit per lectorem. Initium autem sumsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed & transiit ad inferiora tempora, cœpítque à pace ciuili: cùm sentiret neque liberè, neque verè sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & à matre, & ab auia. Prioris materiæ duo volumina, posterioris vnum & quadraginta reliquit. Composuit & *De vita sua* octo volumina, magis ineptè quàm ineleganter. Item *Ciceronis defensionem aduersus Asinij Galli libros,* satis eruditam. Nouas etiam commẽtus est litteras tres, ac numero veterum quasi maximè necessarias addidit. De quarum ratione cùm priuatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, vt in vsu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisq; operum. Nec minore cura Græca studia secutus est, amorem præstantiámque linguæ occasione omni professus. Cuidam Barbaro Græcè & Latinè disserenti, *Cum vtroque,* inquit, *sermone nostro sis peritus.* Et in commendanda patribus conscriptis Achaia, *gratam sibi prouinciam,* ait, *communium studiorum commercio.* Ac sæpe in senatu legatis perpetua oratione respondit. Multùm verò pro tribunali etiam, Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem vltus esset, excubitori tribuno signum de more poscenti, non temere aliud dedit quàm,

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

DENIQVE & Græcas scripsit historias, **A** Τυῤῥηνικῶν xx. Καρχηδονιακῶν viii. Quarum caussa veteri Alexandriæ museo alterum additum ex ipsius nomine: institutúmque vt quotannis in altero Τυῤῥηνικῶν libri, altero Καρχηδονιακῶν, diebus statutis, velut in auditorio recitarentur toti à singulis per vices. SVB EXITV VITAE, signa quædam nec obscura pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, déque Neronis adoptione dederat. Siquidem commemorantibus libertis, ac laudanti- **B** bus cognitionem, qua pridie quandam adulterij ream condemnauerat: *sibi quoque in fatis esse* iactauit *omnia impudica, sed non impunita matrimonia.* Et subinde obuium sibi Britannicum arctiùs complexus, hortatus est, *vt cresceret, rationémque à se omnium factorum acciperet.* Græca insuper voce prosecutus, *ὁ τρώσας ἰάσεται.* Cúmque impubi teneróque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit *Vt tandem pop. Rom. verum Cæsarem habeat.* Non multoque pòst, te- **C** stamentum etiam conscripsit, ac signis omnium magistratuum obsignauit. Priùs igitur quàm vltra progrederetur, præuentus est ab Agrippina, quam præter hæc, conscientia quoque, nec minùs delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occisum conuenit: vbi autem & per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem alij, domestico conuiuio, per **D** ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum auidissimo ciborum talium, obtulerat. Etiam de subsequentibus diuersa fama est. Multi statim hausto veneno obmutuisse aiunt, excruciatúmque doloribus nocte tota, defecisse prope lucem. Nonnulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente euomuisse omnia, repetitúmque toxico, incertum pultíne addito, cùm velut exhaustum refici cibo oporteret, an immisso per clysterem: vt quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subueniretur. MORS eius celata est, do- **E** nec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque & quasi pro ægro adhuc vota suscepta sũt, & inducti per simulationem comœdi, qui velut desiderantem oblectarent. Excessit III. Idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiola coss. LXIIII. ætatis, imperij XIIII. anno. Funeratus est solenni principum pompa, & in numerum deorum relatus. Quem honorem à Nerone destitutum abolitúmque, recepit mox per Vespasianum. Præsagia mor- **F** tis eius præcipua fuerunt: exortus crinitæ stellæ, quam cometem vocant: tactúmque de cælo monumentum Drusi patris: & quòd eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant. Sed ipse nec ignorasse, aut dissimulasse vltima vitæ suæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam & cùm coss. designaret, neminem vltra mensem, quo obiit, designauit: & in senatu, cui nouissimè interfuit, multùm ad concordiam liberos suos cohortatus, vtriusque ætatem suppliciter patribus commendauit. Et in vltima cognitione pro tribunali, *accessisse ad finem mortalitatis,* quamquam abominantibus qui audiebant, semel atque iterum pronuntiauit.

quia Olympiæ Cereris sacerdoribus spectare conceditur. Non immeritò inter spectacula ab eo edita, & Tiridatis in vrbem introitum retulerim. Quem Armeniæ regem magnis pollicitationibus sollicitatum, cùm destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quò opportunissimè potuit: dispositis circa fori templa armatis cohortibus, curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria, atque vexilla: & primò per deuexum pulpitum subeuntem admisit ad genua alleuatúmq; dextra exosculatus est: dein precãti, tiara deducta, diadema imposuit, verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronuntiante. Perductum deinde in theatrum, ac rursus supplicantẽ, iuxta se latere dextro collocauit. Ob quæ imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata. Ianum geminum clausit, tam nullo quàm residuo bello. CONSVLATVS quatuor gessit: primum bimestrem, secundum & nouissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos continuauit, reliquos inter annua spatia variauit. In iurisdictione postulatoribus nisi sequenti die, ac per libellos, non temere respondit. In cognoscẽdo, morem eum tenuit, vt continuis actionibus omissis, sigillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad consultandum secederet, neque in commune quidquam neque propalam deliberabat: sed & conscriptas ab vnuquoque sententias tacitus ac secreto legens, quid ipsi libuisset, perinde atq; pluribus idem videretur, pronuntiabat. In Curiam libertinorum filios diu non admisit: admissísque à prioribus principibus honores denegauit. Candidatos, qui supra numerum essent, in solatium dilationis ac moræ, legionibus præposuit. Consulatum in senos plerumque menses dedit. Defunctóque circa Kalend. Ianuarias altero è coss. neminem substituit: improbans exemplum vetus Caninij Rebili, vno die consulis. Triumphalia ornamenta, etiam quæstoriæ dignitatis, & nonnullis ex equestri ordine tribuit: nec vtique de caussa militari. sed & de quibusdã reb. rationes ad senatũ missas, præterito quæstoris officio, per coss. plerumque recitabat. Formam ędificiorum vrbis nouam excogitauit: & vt ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: eásque sumptũ suo exstruxit. Destinarat etiam Ostia tenus mœnia promouere, atque inde fossa mare veteri vrbi inducere. Multa sub eo & animaduersa seuerè, & coërcita, nec minus instituta: adhibitus sumtibus modus: publicæ cœnæ ad sportulas redactę: interdictum ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, cùm antea nullum non opsonij genus proponeretur: afflicti suppliciis CHRISTIANI, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ: vetiti quadrigariorum lusus, quibus inueterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per iocum ius erat: pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ.

Aduersus falsarios tunc primùm repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto, obsignarentur. Cautum vt in testamentis primæ duę cerę, testatorum modò nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderetur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Item vt litigatores pro patrociniis certã iustámq; mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: vtque rerum actu ab ærario caussæ ad forum, ac recuperatores transferrentur: & vt omnes appellationes à iudicibus ad senatum fierent.

Augendi propagandíque Imperij neque voluntate vlla, neque spe motus vnquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitauit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur destitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio in prouinciæ formam redegit. PEREGRINATIONES duas omnino suscepit, Alexandrinam & Achaicam: sed Alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis cum in ęde Vestę resedisset, consurgẽti ei primum lacinia obhæsit: deinde tanta coorta caligo est, vt despicere non posset. In Achaia Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit. Parabat & ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis senûm pedum tyronibus noua legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna, in vnum contuli: vt secernerem à probris ac sceleribus eius; de quibus dehinc dicam. INTER ceteras disciplinas pueritię tempore imbutus & musica, statim vt Imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios, accersiit: diebúsque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari exercerique cœpit: nec eorum quidquam omittere, quæ generis eius artifices, vel conseruandæ vocis caussa, vel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere: & clystere vomitúque purgari: & abstinere pomis, cibísque officientibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis, & fuscæ) prodire in scenam concupiuit: subinde inter familiares Græcum prouerbium iactans, *occultæ musicæ nullum esse respectum*. Et prodiit Neapoli primùm: ac ne concusso quidem repente motu terræ theatro, antè cantare destitit, quàm inchoatum absolueret *νόμον*. Ibidem sæpius & per complures cantauit dies: sumto etiam ad reficiendam vocem breui tempore, impatiens secreti à balneis in theatrum transiit, mediáque in orchestra frequente populo epulatus, *si paullum subbibisset, aliquid se sufferri tinniturum* Græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de nouo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria euocauit. Neque eo segniùs adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ iuuentutis vndique elegit, qui diuisi in factiones, plausuum genera condiscerent, (*bombos*, & *imbrices*, & *testas* vocabant) operámque nauarent cantanti sibi insignes pinguissima coma, & excellẽtissimo cultu pueri, nec sine anulo lęuis: quorum duces quadragena millia HS. merebant. Cùm magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutam diem reuocauit. Flagitantibúsque cunctis *cœlestem vocem* respondit quidem, *in hortis se copiam volentibus facturum*; sed adiuuante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens: ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum iussit adscribi: sorticuláque in vrnam cum cæteris demissa intrauit

trauit

trauit ordine suo, simúlque Præfecti prætorij ci-
tharam sustinentes, pòst tribuni militum, iuxtá-
que amicorum intimi. Vtque constitit, peracto
principio, Nioben se cantaturum per Cluuium
Rufum consularem pronuntiauit, & in horam se-
re decimam perseuerauit: coronámque eam, &
reliquam certaminis partem in annum sequentem
distulit, vt sæpius canendi occasio esset. Quod cùm
tardum videretur, non cessauit identidem se pu-
blicare. Non dubitauit etiam priuatis spectaculis
operam inter scenicos dare, quodam prætorum
HS. decies offerente. Tragœdias quoque cantauit
personatus: heroum Deorúmque, item heroidum
ac Dearum personis effictis ad similitudinem o-
ris sui, & fœminæ: prout quamque diligeret. In-
ter cætera cantauit *Canacen parturientem, Orestem
matricidam, Œdipodem excæcatum. Herculem in-
sanum.* In qua fabula fama est tirunculum militem
positum ad custodiam aditus, cùm eum ornari ac
vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, vi-
deret, accurrisse ferendæ opis gratia. EQVORVM
studio vel præcipuè ab ineunte ætate flagrauit,
plurimúsque illi sermo, quamquam vetaretur, de
circensibus erat, & quondam tractum Prasinum
agitatorem inter condiscipulos querens, obiur-
gante magistro, de Hectore se loqui ementitus est.
Sed cùm inter initia Imperij, eburneis quadrigis
quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam mini-
mos Circenses commeabat secessu, primò clàm,
deinde propalam: vt nemini dubium esset, eo die
vtiq; affuturum. Neque dissimulabat velle se pal-
marum numerum ampliare: quare spectaculum
multiplicatis missilibus in serum protrahebatur,
ne dominis quidem iam factionum dignantibus,
nisi ad totius diei cursum, greges ducere. Mox &
ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit:
positóque in hortis inter seruitia & sordidam ple-
bem rudimento, vniuersorum se oculis in Circo
maximo præbuit, aliquo liberto mittente map-
pam, vnde magistratus solent. Nec contentus ha-
rum artium experimenta Romę dedisse, Achaiam
vt diximus, petit, hinc maximè motus. Instituerãt
ciuitates, apud quas musici agones edi solent, o-
mnes citharœdorum coronas ad ipsum mittere.
Eas adeò gratè recipiebat, vt legatos, qui pertulis-
set, non modò primos admitteret, sed etiam fami-
liaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his
rogatus, vt cantaret super cœnam, exceptúsque ef-
fusiùs: *solos scire audire Græcos, solósque se & studijs
suis dignos* ait. Nec profectione dilata, vt primùm
Cassiopen traiecit, statim ad aram Iouis Cassij
cantare auspicatus est. CERTAMINA deinceps
obiit omnia. Nam & quæ diuersissimorum tem-
porum sunt, cogi in vnum annum, quibusdam et-
iam iteratis, iussit. Olympiæ quoque præter con-
suetudinem musicum agona commisit. Ac, ne
quid circa hæc occupatum auocaret detineretve,
cùm pręsentia eius vrbicas res egere à liberto He-
lio admoneretur, rescripsit his verbis, *Quamuis
nunc tuum consilium sit & votum, celeriter reuerti
me, tamen suadere & optare potius debes vt, Ne-
rone dignus reuertar.*
Cantante eo, ne necessaria quidem caussa exce-
dere theatro licitum erat. Itaq; & enixæ quædam
in spectaculis dicuntur, & multi, tædio audiendi
laudãdique, clausis oppidorum portis, aut furtim
desiluisse de muro, aut morte simulata funere e-
lati. Quàm autem trepidè anxiéque certauerit,
quanta aduersariorum ęmulatione, quo metu iu-
A dicum, vix credi potest. Aduersarios, quasi planè
conditionis eiusdem, obseruare, captare, infamare
secretò, nonnunquam ex occursu maledictis in-
cessere: ac, si qui arte præcellerent, corrumpere et-
iam solebat. Iudices autem, priùs quàm inciperet
reuerentissimè alloquebatur, *omnia se facienda fe-
cisse, sed euentum in manu esse Fortunæ: illos, vt sa-
pientes & doctos viros, fortuita debere, excludere:*
atque vt auderet, hortantibus, æquiore animo re-
B cedebat: ac ne sic quidem sine sollicitudine taci-
turnitatem pudorémque quorundam pro tristitia
ac malignitate arguens, suspectósque sibi dicens.
In certando verò ita legi obediebat, vt numquã
excreare ausus, sudorem quoque frontis brachio
detergeret: atque etiam in quodam tragico actu,
cùm elapsum baculum citò resumsisset, pauidus &
metuens, ne ob delictum certamine submouere-
tur, non aliter confirmatus est, quàm adiurante
hypocrita, non animaduersum id inter exsulta-
C tiones succlamationésque populi. Victorem au-
tem se ipse pronuntiabat. Qua de caussa & præ-
conio vbique contendit. Ac ne cuius alterius hie-
ronicarum memoria aut vestigium exstaret vs-
quam, subuerti & vnco trahi, abiicíque in latri-
nas omnium statuas & imagines imperauit. Au-
rigauit quoque plurifariam, Olympiis verò etiam
decemiugem: quamuis id ipsum in rege Mithri-
date, carmine quodam suo reprehendisset. Sed ex-
cussus curru, ac rursus repositus, cùm perdurare
D non posset, destitit ante decursum: nec eo secius
coronatus est. Decedens deinde, prouinciam vni-
uersam libertate donauit: simúlque iudices ciui-
tate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia è
medio stadio, Isthmiorum die, sua ipse voce pro-
nuntiauit.
REVERSVS è Gręcia Neapolim, quòd in ea pri-
mùm artem protulerat, albis equis introiit, disie-
cta parte muri, vt mos hieronicarum est. Simili
modo Antium, inde Albanũ, inde Romam. Sed &
E Romam eo curru quo Augustus olim triumpha-
uerat, & in veste purpurea, distinctáque stellis au-
reis chlamyde, coronámque capite gerens Olym-
picam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa
cæterarum cum titulis, *vbi, & quos, quo cantionum
quóve fabularum argumento vicisset*: sequentibus
currum ouantium ritu plausoribus, *Augustianos,
milítésque se triumphi eius* clamitantibus. Dehinc
diruto Circi maximi arcu, per Velabrum Forúm-
F que, Palatium & Apollinem petiit. Incedenti pas-
sim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem cro-
co, ingestæque aues, ac lemnisci, & bellaria. Sa-
cras coronas in cubili circum lectos posuit. Item
statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam
nummum percussit. Ac post hæc tantum abfuit à
remittendo laxandóque studio, vt conseruandæ
vocis gratia, neque milites vmquam, nisi absens,
aut alio verba pronuntiante, appellarit: neque
quidquam serio iocóve egerit, nisi adstante pho-
G nasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium
ad os applicaret: multísque vel amicitiam suam
obtulerit, vel simultatem indixerit, prout quisque
se magis parciúsve laudasset. PETVLANTIAM, li-
bidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem sen-
sim quidem primò & occultè, vel vt iuuenili er-
rore, exercuit: sed vt tunc quoque dubium nemini
foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. Post cre-
pusculum statim arrepto pileo vel galero, popinas
inibat: circúmque vicos vagabatur ludibundus,
nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes à

cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloa- A
císque demergere assueuerat: tabernulas etiam effringere & expilare: quintana domi constituta, vbi partæ, & ad licitationem diuidendę prædæ pretium assumeretur. Ac sæpe in eiusmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, à quodam laticlauio, cuius vxorem attrectauerat, propè ad necem cæsus. Quare numquam postea se publico illud horæ sine tribunis commisit, procul & occultè subsequentibus. Interdiu quoque clàm gestatoria
sella delatus in theatrum, seditionibus pantomi- B
morum ex parte proscenij superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et cùm ad manus ventum esset, lapidibúsque & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse iecit in populum, atque etiam prætoris caput consauciauit.

Pavlatim verò inualescentibus vitiis, iocularia & latebras omisit, nulláque dissimulandi cura ad maiora palàm erupit. Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpius calidis
piscinis, ac tempore ęstiuo niuatis. Cœnitabátque C
nonnumquam & in publico, Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius vrbis ambubaiarúmque ministeria. Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Baianum sinum præternauigaret, dispositæ per litora & ripas diuersoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ & matronarum institoria copas imitantium, atque hinc inde orantium vt appelleret. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum vnimi-
tellita quadragies HS. constiterūt, alteri pluris ali- D
quanto absortio rosaria. Super ingenuorum pædagogia, & nuptarum concubinatus, Vestali virgini Rubricæ vim intulit. Acten libertam paullum abfuit quin iusto matrimonio sibi coniungeret: submissis consularibus viris qui regio genere ortam peierarent. Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote & flameo, per sollenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se
pro vxore habuit. Exstátque cuiusdam non inscitus E
iocus, *Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem.* Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum, lecticáq; vectum, & circa conuentus mercatúsque Græciæ ac mox Romę circa Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam matris concubitum appetiisse, & ab obtrectatorib. eius, ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ præualeret, deterritum nemo dubitauit: vtique postquam mere-
tricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, F
inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum incestè, ac maculis vestis proditum affirmant. Suam quidem pudicitiam vsque adeò prostituit, vt contaminatis pæne omnibus membris, nouissimè quasi genus lusus excogitaret: quatenus feræ pelle contectus emitteretur è cauea, virorúmque ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina inuaderet: & cùm affatim desęuisset, conficeretur à Doryphoro liberto: cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse
denupsit: voces quoque & eiulatus vim patien- G
tium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte purum esse: verum plerosque dissimulare vitium & calliditate obtegere: ideóq; professis apud se obscœnitatem, cætera quoque concessisse delicta. Divitiarvm & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm

profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos, veréque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabatúrque auunculum Caium, nullo magis nomine, quàm quòd ingentes à Tiberio relictas opes in breui spatio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingena nummûm millia diurna erogauit, abeuntíque super HS. millies contulit. Menecratem citharœdum & Spicillum myrmillonem triumphalium virorum patrimoniis ędibúsq; donauit. Cercopithecū Pancrotē fœneratorē, & vrbanis rusticísq; prędiis locupletatum, propè regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctum HS. aleā lusit: Piscatus est rete aurato, purpura coccóque funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata eum Mazacum turba, atque cursorum.

Non in alia re damnosior quàm in ædificando. Domum à Palatio Esquilias vsque fecit. Quam primò *Transitoriam*, mox incendio absumtam restitutámque, *Auream* nominauit. De cuius spatio atq; cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum eius fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, vt porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad vrbium speciem. Rura insuper aruis atque vinetis & pascuis, siluísque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis vnionúmque conchis erāt. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores fistulis, vt vnguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis & Albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cùm absolutam dedicaret, hactenus comprobauit, vt se diceret *quasi hominem tandem habitare cœpisse.* Præterea inchoabat piscinam à Miseno ad Auernum lacum, contectā, porticibusq; conclusam, quò quidquid totis Baiis calidarum esset, committeretur. Fossam ab Auerno Ostiam vsque, vt nauibus, nec tamen mare iretur, longitudinis per centum sexaginta milliaria: latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod vbique esset custodiæ in Italiam deportari, etiam scelere conuictos, nonnisi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam imperij, etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opum impulsus est: ex indicio equitis Rom. pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse eruі paruula molientium opera.

Verùm vt spes fefellit, destitutus, atque ita iam exhaustus & egens, vt stipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi ac differri necesse esset, calumniis rapinísque intendit animum. Ante omnia instituit, vt è libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogeretur ei, si qui sine probabili caussa eo nomine essent, quo fuissent illæ familiæ quas ipse contingeret: deinde vt ingratorum in principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset studiosis iurisque scripsissent vel dictassent ea: tum vt lege maiestatis

maiestatis facta dictáque omnia, quibus modò delator non deesset, tenerentur. Reuocauit & pręmia coronarum, quæ vnquam sibi in certaminibus ciuitates detulissent. Et cùm interdixisset vsum amethystini ac Tyrij coloris, submisissetque qui nundinarum die pauculas vncias venderet: præclusit cunctos negotiatores. Quinetiam inter canendum animaduersam matronam è spectaculis, vetita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis creditur: detractámque illicò, non veste modò, sed & bonis exuit. Nulli delegauit officium, vt non adiiceret: *scis quid mihi opus sit*, & *hoc agamus, ne quis quidquam habeat*. Vltimò, templis compluribus dona detraxit, simulacráque ex auro vel argento fabricata conflauit: in his Penatium deorum, quæ mox Galba restituit. PARRICIDIA & cædes a Claudio exorsus est: cuius necis, etsi non auctor, at conscius fuit: neque dissimulanter, vt qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quasi deorum cibum, posthac prouerbio Græco collaudare sit solitus. Certè omnibus rerum verborúmque contumeliis mortuum insectatus est, modò stultitiæ, modò sæuitiæ arguens. Nam & *morari* eum inter homines desiisse, producta prima syllaba iocabatur: multáque decreta & constituta, vt insipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique bustum eius consepiri, nisi humili leuíque materia neglexit. Britannicum, non minus æmulatione vocis, quæ illi iucundior suppetebat, quàm metu, ne quandóque apud hominum gratiam paterna memoria præualeret, veneno aggressus est. Quod acceptum à quadam Locosta venenariorum indice, cùm opinione tardiùs cederet, ventre modò Britannici moto: accersitam mulierem sua manu verberauit, arguens pro veneno remedium dedisse. Excusantique minus datum ad occultandam facinoris inuidiam: *Sane*, inquit, *legem Iuliam timeo*: coegitq; se coram in cubiculo quàm posset velocissimum ac præsentaneum coquere. Deinde in hœdo expertus, postquam is quinque horas protraxit: iterum ac sæpius recoctum, porcello obiecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, daríque cœnanti secum Britannico imperauit. Et cùm ille ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud conuiuas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translatitio extulit funere. Locustæ pro nauata opera, impunitatem prædiáque ampla, sed & discipulos dedit. Matrem, dicta factáque sua exquirentem acerbiùs & corrigentem, hactenus primò grauabatur, vt inuidia identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rhodúmque abiturus: mox & honore omni, & potestate priuauit: abductáque militum & Germanorum statione, contubernio quoque ac palatio expulit. Neque in diuexanda quidquam pensi habuit: submissis & qui Romæ morantem litibus, & in secessu quiescentem, per conuitia & iocos, terra marique prætereuehentes inquietarent. Verùm minis eius ac violentia territus perdere statuit. Et cùm veneno ter tentasset, sentirétque antidotis præmunitam: lacunaria, quę noctu super dormientem laxata machina deciderent, parauit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem nauem, cuius vel naufragio vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, iucundissimis literis Baias euocauit ad sollēnia Quinquatrium simul celebranda. datóque negotio trierarchis, qui Liburnicam,

A qua aduecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit conuiuium. Repetentiq; Baulos, in locum corrupti nauigij, machinosum illud obtulit, hilare prosecutus: atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilauit, ceptorum opperiens exitum. Sed vt diuersa omnia, nandóque euasisse eam comperit, inops consilij, L. Agerinum
B libertum eius, saluam & incolumem cum gaudio nuntiantem, obiecto clàm iuxta pugione, vt percussorem sibi subornatum arripi constringíque iussit, matrémque occidi: quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus, ad visendum interfectæ cadauer accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse. Neq; tamen sceleris conscientiam, quanquam & militum & senatus po-
C pulíque gratulationibus confirmaretur, aut statim aut vnquam postea ferre potuit: sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per Magos sacro, euocare Manes, & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impij & scelerati voce præconis submouerentur, interesse non ausus est. Iunxítque parricidio matris, amitæ necem. Quam cùm ex duritia alui cubantem visitaret: & illa trac-
D tãs lanuginem eius, vt assolet, iam grandis natu, per blanditias fortè dixisset, *Simul hanc excepero, mori volo*: conuersus ad proximos, confestim se positurum, velut irridens, ait: præcepitque medicis, vt largiùs purgarent ægram. Nam necdum defunctæ bona inuasit, suppresso testamento, ne quid abscederet.

Vxores præter Octauiam duas postea duxit. Poppæam Sabinam, quæstorio patre natam, & equiti Romano antè nuptam: deinde Statiliam
E Messallinam, Tauri bis cōsulis ac triumphalis abneptem. Qua vt potiretur, virum eius Atticum Vestinum cos. in honore ipso trucidauit. Octauiæ consuetudinem citò aspernatus, corripientibus amicis, *sufficere illi debere* respondit, *vxoria ornamenta*. Eandem mox sæpe frustra strãgulare meditatus, dimisit vt sterilem: sed improbante diuortium populo, nec parcente conuitiis, etiam relegauit. Denique occidit sub crimine adulteriorum adeò impudenti falsóque, vt in quæstione perne-
F gantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum indicem subiecerit, qui dolo stupratam a se fateretur. Poppæam duodecimo die post diuortium Octauiæ in matrimonium acceptam, dilexit vnicè. Et tamen ipsam quoque ictu calcis occîdit: quòd se ex aurigatione serò reuersum, grauida & ęgra conuitiis incesserat. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. Nullũ adeò necessitudinis genus est, quod nõ scelere perculerit. Antoniam Claudij filiã, recusãtem post Poppęę mortẽ nuptias suas, quasi molitricem
G nouarũ rerum, interemit. Similiter interemit cæteros, aut affinitate aliqua sibi aut propinquitate coniunctos. In quibus Aulum Planciũ iuuenem: quem cùm ante mortem per vim constuprasset: *Eat nunc*, inquit, *mater mea & successorem meum osculetur*: iactans dilectum ab ea, & ad spem imperij impulsum. Priuignum Rufinum Crispinum, Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, seruis ipsius demandauit. Tuscum nu-

tricis filium relegauit, quòd in procuratione Ægypti, balneis in aduentum suum exstructis, lauisset. Senecam præceptorem ad necem compulit: quamuis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, persanctè iurasset, *suspectum se frustra, periturúmque potius quàm nociturum ei*. Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos diuites & senes, olim adoptionis, mox dominationis suæ fautores, atque rectores, veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit.

Nec minore sæuitia foris & in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, vt ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cęde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere: nobilissimo cuique exitium destinauit. Enimuero multò magis & quasi per iustam caussam duabus coniurationibus promulgatis: quarũ prior maiórq; Pisoniana, Romæ: posterior, Viniciana, Beneuenti conflata atque detecta est. Cõiurati è vinculis triplicium catenarum dixere caussam: cùm quidam crimen vltro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi vrbe pulsi, enectíq; veneno aut fame. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis vno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

Nullus posthac adhibitus delectus, aut modus interimendi quoscunque libuisset, quacumque de caussa. Sed ne de pluribus referam, Saluidieno Orfito obiectum est, quòd tabernas tres de domo sua circa forum ciuitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino iurisconsulto, ac luminibus orbato, quòd in vetere gentili stemmate C. Cassij percussoris Cæsaris, imagines restituisset: Pæto Thraseæ, tristior & pædagogi vultus. Mori iussis, non ampliùs quàm horarium spatium dabat. Ac ne quid moræ interueniret, medicos admouebat, *qui cunctantes continuò curarent*. Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptij generis, crudam carnem & quidquid daretur mandere assueto, concupisse viuos homines laniandos absumendósque obiicere. Elatus inflatúsque tantis velut successibus, negauit *quemquam principum scisse quid sibi liceret*. Multásque nec dubias significationes sæpe iecit, ne reliquis quidem se parsurum senatoribus: eúmque ordinem sublaturum quandoque è Rep. ac prouincias & exercitus equiti Rom. ac libertis permissurum. Certè neque adueniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere Isthmi, magna frequentia clarè, *Vt sibi ac populo Rom. bene res verteret*, optauit: dissimulata senatus mentione. Sed nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi,

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί,

imò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planéque ita fecit: nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurísque vicorum, incendit vrbem tam palàm, vt plerique consulares, cubicularios eius, cum stupa tædáque in prædiis suis deprehensos non attigerint: & quædam horrea circa domum Auream, quorum spatium maximè desiderabat, vt bellicis machinis labefactata, atq; inflammata sint, quòd saxeo muro constructa erant. Per sex dies, septémque noctes ea clade sæuitum

A est, ad monumentorum bustorúmque diuersoria plebe compulsa. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, deorúmque ædes ab regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæque: & quidquid visendum, atque memorabile ex antiquitate durauerat. Hoc incendium è turri Mecenatiana prospectans, lætúsque *flammæ*, vt aiebat, *pulchritudine* Ἅλωσιν

B Ilij in illo suo scenico habitu decantauit. Ac ne non hinc quoque quantum posset prædæ & manubiarum inuaderet, pollicitus cadauerum & ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: collationibúsque non receptis modò, verùm & efflagitatis, prouincias priuatorúmque census prope exhausit. ACCESSERVNT tantis ex principe malis probrísque quædam & fortuita: pestilentia vnius autumni, qua triginta funerum millia in rationem Libiti-

C næ venerunt: clades Britannica, qua duo præcipua oppida, magna ciuium sociorúmque cæde direpta sunt: ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia sub iugum missis, ægréque Syria retenta. Mirum, & vel præcipuè notabile inter hæc fuit, nihil eum patientiùs quàm maledicta & cõuitia hominum tulisse: neque in vllos leniorem, quàm qui se dictis aut carminibus lacessissent, extitisse. Multa Græcè Latinéque proscripta, aut vulgata sunt, sicut illa,

D Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι,
Νεόψηφον Νέρων ἰδίαν μητέρα ἀπέκτεινε.

Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.
Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
Noster erit Paean, ille Ἑκατηβελέτης.
Roma domus fiet: Veios migrate Quirites.
Si non & Veios occupat ista domus.

E Sed neque auctores requisiuit: & quosdam per indicem delatos ad senatum, affici grauiore pœna prohibuit. Transeuntem enim Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, *quòd Naupli mala bene cantuaret, sua bona malè disponeret*. Et Datus Attellanarum histrioni, in cãtico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauerat, vt bibentem natantémque faceret, exitum C. Claudij Agrippinæque significans: & in nouissima clausula,

F *Orcus vobis ducit pedes*,

Senatum gestu notaret: histrionem & philosophum Nero nihil amplius quàm vrbe Italiáque submouit, vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia. TALEM principem paullò minus XIIII. ãnos perpessus terrarum orbis, tandem destituit: initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam prouinciam pro prætore obtinebat. Prædictum à mathemati-

G cis Neroni olim erat, fore vt quandoque destitueretur: vnde illa vox eius celeberrima, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει. quo maiore venia meditaretur citharœdicam, artem principi sibi gratam, priuato necessariam. Spoponderunt tamen quidam destituto ei dominationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionem. Cui spei pronior, Britannia Armeniáque amissa, ac rursus vtraque recepta, defunctum se fatalibus malis existimabat. Vt verò consulto Delphis Apolline,

polline, septuagesimum ac tertium annum cauendum sibi audiuit, quasi eo demum obiturus, ac nihil coniectans de ætate Galbæ, tanta fiducia, non modò senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, vt amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitauerit inter suos dicere, *pisces eas sibi relaturos.* Neapoli de motu Galliarum cognouit die ipso, quo matrem occiderat: adeòque leniter ac securè tulit, vt gaudentis etiam suspicionem præberet, tamquam occasione nata spoliandarum iure belli opulentissimarum prouinciarum. Statimque in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectauit. Cœnæ quoque tempore interpellatus, tumultuosioribus literis, hactenus excanduit, vt malum iis qui defecissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliterauit. Edictis tandem Vindicis contumeliosis, & frequentibus permotus, senatum epistola in vltionem sui reique publicæ adhortatus est, excusato languore faucium, propter quem nō adesset. Nihil autem æquè doluit quàm vt citharœdum malum se increpitum, ac pro Nerone Aenobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumturum se professus est, deposito adoptiuo. Cætera conuitia vt falsa, non alio argumento refellebat, quàm quòd etiam inscitia tantopere laboratæ perfectæque à se artis obiiceretur, singulos subinde rogitans, nosséntne quemquam præstantiorem. Sed vrgentibus aliis super alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. Leuitérque modò in itinere friuolo auspicio mente recreata, cùm annotasset insculptum monumento, militem Gallum ab equite Rom. oppressum, trahi crinibus, ad eam speciem exiluit gaudio, cœlúmq; adorauit. Ac ne tunc quidem aut senatu, aut populo coram appellato, quosdam è primoribus viris domum euocauit: transactáque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica noui & ignoti generis circumduxit. Ostendénsque singula, de ratione ac difficultate cuiusque differens, támque se etiam prolaturum omnia in theatrum affirmauit, si per Vindicem liceat.

Postquam etiam deinde Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animóque malè fracto, diu & sine voce, & propè intermortuus iacuit. Vtque resipiit, veste descissa, capite conuerberato, *actum de se* pronuntiauit. Consolantique nutriculæ, & aliis quoque iam principibus similia accidisse memoranti, *Se verò præter cæteros inaudita & incognita pati* respondit, qui *suum imperium viuus amitteret.* Nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiæ omisit vel imminuit. Quinimo, cùm prosperi quiddam ex prouinciis nuntiatum esset, super abundantissimam cœnam iocularia in defectionis duces carmina, lasciuéque modulata, quæ vulgò innotuerunt, etiam gesticulatus est: ac spectaculis theatri clàm illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, *abuti eum occupationibus suis.*

Initio statim tumultus, multa & immania, verùm non abhorrentia à sua natura, creditur destinasse. Successores, percussorésque submittere exercitus & prouincias regentibus, quasi conspiratis, idémque & vnū sentientibus: quidquid vbiq; exsulum, quidquid in vrbe hominū Gallicanorū A esset, contrucidare: illos, ne desciscentibus aggregarentur: hos, vt conscios popularium suorum, atque fautores: Gallias exercitibus diripiendas permittere: senatum vniuersum veneno per conuiuia necare, vrbem incendere, feris in populum immissis, quò difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam pœnitentia quam perficiendi desperatione, credensq; expeditionem necessariam, coss. ante tempus priuauit honore: atq; in vtriusque locum solus iniit consulatum, quasi fatale esB set, non posse Gallias debellari nisi à consule, ac susceptis fascibus. Cùm post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmauit, simul ac primùm prouinciam attigisset, inermem se conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quàm fleturum. Reuocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret. In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis scenicis organis, concubinásque, quas secum educeret, tōdendi ad virilem modum, & securibus peltísque Amazonicis instruendi. C Mox tribus vrbanas ad sacramentum citauit: ac nullo idoneo respondente, certum dominis seruorum numerum indixit: nec nisi ex tota cuiusq; familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre iussit: & insuper inquilinos priuatarum ædium atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco. Exegitque ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum postulatum, aurum ad obrussam: vt pleD rique omnem collationem palàm recusarent, cōsensu flagitantes, à delatoribus potius reuocanda præmia quæcumque cepissent. Ex annonæ quoque caritate lucrantium accreuit inuidia. Nam & fortè accidit, vt in publica fame, Alexandrina nauis nuntiaretur puluerem luctatoribus aulicis aduexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin subiret. Statuæ eius à vertice currus appositus est cū inscriptione Græca, *Nunc demum agona esse*, &, *Traheret tanE tem.* Alterius collo & ascopera deligata, simúlque titulus, *Ego quid potui? sed tu culeum meruisti.* Adscriptum & columnis, *Etiam Gallos eum cantando excitasse.* Iam noctiuus iurgia cum seruis pleriq; simulantes, crebrò Vindicem poscebant.

Terrebatur adhæc euidentibus portentis somniorum & auspiciorum, & omnium tum veteribus tum nouis: numquam antea somniare solitus. Occita demum matre, vidit per quietem, nauem sibi regenti extortum gubernaculum: trahique se F ab Octauia vxore in arctissimas tenebras: & modò pennatarum formicarum multitudinem oppleri: modò à simulacris gentium ad Pompeij theatrum dedicatarum circuiri arceriqúe progressu: asturconem, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantùm capite integro hinnitus ediG re canoros. De Mausoleo sponte foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum cientis. Kalen. Ianuarij exornati Lares in ipso sacrificij apparatu conciderunt. Auspicanti Sporus anulum muneri obtulit: cuius gemmæ sculptura erat, *Proserpinæ raptus.* Votorum nuncupatione magna iam ordinum frequentia vix repertæ Capitolij claues. Cùm ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in senatu, *daturos pœnas sceleratos, ac*

breui dignum exitum facturos, conclamatum est ab vniuersis: *Tu facies Auguste*. Obseruatum etiam fuerat, nouissimam fabulam cantasse eum publicè *OEdipodem exsulem*, atque in hoc decidisse versu,

θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

Nunciata interim etiam cæterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit: duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos à celatura carminum Homeri vocabat, solo illisit: ac sumto à Locusta veneno, & in auream pyxidem condito, transiit in hortos Seruilianos. Vbi præmissis libertorum fidissimis, Ostiam, ad classem præparandam, tribunos centurionésque prætorij de fugæ societate tentauit. Sed partim tergiuersantibus, partim apertè detrectantibus, vno verò etiam proclamante,

Vsque adeòne mori miserum est?

varia agitauit, Parthósne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proq; Rostris quanta maxima posset miseratione veniam præteritorum precaretur: ac ni flexisset animos, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Inuentus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne priùs quàm in forū perueniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam ferè noctem excitatus, vt comperit stationem militum recessisse prosiluit è lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil à quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verùm clausis omniū foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: vnde iam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Ac statim Spicillum myrmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisiuit. Et nemine reperto: *Ergo ego*, inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum? procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim*. Sed reuocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desiderauit: & offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam & Numentanam viam circa quartum milliarium, vt erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit: adopertóque capite, & ante faciem obtento sudario equum inscendit, quatuor solùm comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terræ, & fulgure aduerso pauefactus, audiit ex proximis castris clamorem militum, & sibi aduersa & Galbæ prospera ominantium: etiam ex obuiis viatoribus quendam dicentem, *Hi Neronem persequuntur*: alium sciscitantem, *Ecquid in vrbe noui de Nerone*? Equo autem odore abiecti in via cadaueris consternato, detecta facie agnitus est à quodam Missicio prætoriano, & salutatus. Vt ad diuerticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægrè, nec nisi strata sub pedibus veste, ad auersum villæ parietem euasit. Ibi hortante eodem Phaonte, vt interim in specum egestæ arenæ concederet, negauit *se viuum sub terram iturum*: ac paulisper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subiecta lacuna poturus manu hausit: & *Hæc est*, inquit, *Neronis decocta*. Deinde diuulsa sentibus pænula traiectos surculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cauernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum modicella culcita: vetere pallio strato instructum. Faméque interim & siti

A interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit. Tunc vnoquoque hinc inde instante, vt quàm primùm se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperauit, dimensus ad corporis sui modulum: componique simul, si qua inuenirentur, frusta marmoris, & aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaueri, flens B ad singula, atque identidem dictitans: *Qualis artifex pereo!* Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque *se hostem à senatu iudicatum & quæri, vt puniatur more maiorum*. Interrogauitque quale id genus esset pœnæ. Et cùm comperisset nudi hominis, ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentatáque vtriusque acie rursus condidit, caussatus *nondum adesse fatalem horam*. Ac modò Sporum hortabatur, C vt lamentari ac plangere inciperet: modò orabat, vt se aliquis ad mortem capessendam exemplo iuuaret: interdum segnitiem suam his verbis increpabat: *Viuo deformiter ac turpiter*, οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει, νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Iámque equites appropinquabant, quibus præceptum erat vt viuum eum attraherent. Quod vt sensit, trepidanter effatus,

Ἵππων μ᾽ ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis. D Semianimísque adhuc interrumpenti centurioni, & pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quàm *Serò*, &, *Hæc est fides*. Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibúsque oculis vsque ad horrorem formidinémque visentium. Nihil priùs ac magis à comitibus exegerat, quàm ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed vt, quoquo modo, totus cremaretur. Permisit hoc Icelus Galbæ libertus, non multò antè vinculis exsolutus, in quæ E primo tumultu coniectus fuerat. Funeratus est impensa ducentorū milliū, stragulis albis auro intextis, quibus vsus Kalend. Ianuarij fuerat. Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur è campo Martio impositum colle hortorum. In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstanti Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio. STATVRA fuit pæne iusta: corpore maculoso & fœdo: suffla- F uo capillo: vultu pulcro magis quàm venusto: oculis cæsiis & hebetioribus: ceruice obesa, ventre proiecto; gracillimis cruribus, valetudine prospera. Nam qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per XIIII. annos languit, atque ita, vt neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum habitúmque adeò pudendus, vt comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit: ac plerumque synthesinam indutus, ligato circum collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu G & discalceatus. LIBERALES disciplinas omnes fere puer attigit. Sed à philosophia eum mater auertit: monens, imperaturo contrariam esse: à cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quò diutius in admiratione sui detineret. Itaque ad poeticam pronus carmina libenter, ac sine labore composuit, nec, vt quidam putant, aliena pro suis edidit. Venêre in manus meas pugillares libellíque, cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis: vt facilè appareret, nō translatos,

translatos, aut dictante aliquo exceptos: sed
planè quasi à cogitante atque generante exaratos:
ita multa & deleta & inducta & superscripta inerant.

Habuit & pingendi fingendíque maximè non
mediocre studium. Maximè autem popularitate
efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo
animum vulgi mouerent. Exiit opinio post scenicas
coronas proximo lustro descensurum eum
ad Olympia inter athletas. Nam luctabatur assiduè:
nec aliter certamina gymnica Græcia tota
spectauerat, quàm brabeutarum more in stadio
humi assidens: ac si qua paria longiùs recessissent,
in medium manibus suis protrahens. Destinauerat
etiam qui Apollinem cantu, Solem aurigando
æquiparare existimaretur, imitari & Herculis facta.
Præparatúmque leonem aiunt, quem vel clauа
vel brachiorum nexibus in Amphiteatri arena
spectante populo nudus elideret. Sub exitu
quidem vitæ palàm vouerat, si sibi incolumis status
permansisset, proditurum se partæ victoriæ ludis,
etiam hydraulam & choraulam, & vtricularium,
ac nouissimo die histrionem, saltaturúmque
Virgilij Turnum. Et sunt qui tradant Paridem
histrionem occisum ab eo, quasi grauem aduersarium.
Erat illi æternitatis perpetuæque famæ
cupido, sed inconsulta. Ideóque multis rebus
ac locis vetere appellatione detracta, nouam
induxit ex suo nomine. Mensem quoque Apri-

A lem, Neroneum appellauit. Destinauerat & Romam
Neropolim nuncupare.

Religionum vsquequaque contemptor, præter
vnius deæ Syriæ. Hanc mox ita spreuit, vt vrina
contaminaret: alia superstitione captus, in qua sola
pertinacissimè hęsit. Siquidem icunculam puellarem,
cùm quasi remedium insidiarum à plebeio
quodam & ignoto muneri accepisset, detecta cõfestim
coniuratione pro summo numine trinísq;
in die sacrificijs colere perseuerauit: volebátque
B credi monitione eius futura prænoscere. Ante
paucos quàm periret menses, attendit & extispicio,
nec vmquam litauit. OBIIT secundo & trigesimo
ætatis anno, die quo quondam Octauiam
interemerat. Tantúmque gaudium publicè præbuit,
vt plebs pileata tota vrbe discurreret. Et tamen
non defuerunt, qui per longum tempus vernis
æstiuísque florentibus tumulum eius ornarẽt:
ac modò imagines prętextatas in Rostris proferrent,
C modò edicta, quasi viuentis, & breui magno
inimicorum malo reuersuri. Quinetiam Vologesus
Parthorum rex, missis ad Senatum legatis
de instauranda societate, hoc etiam magnopere
orauit, vt Neronis memoria coleretur. Denique
cùm post viginti annos adolescente me extitisset
conditionis incertæ, qui se Neronem esse
iactaret, tam fauorabile nomẽ eius apud
Parthos fuit, vt vehementer adiutus, &
vix redditus sit.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER VII.

SER. SVLPITIVS GALBA.

PROGENIES Cæsarum in Nerone defecit.
quod futurum compluribus quidem signis,
sed euidentissimis duobus apparuit. Liuiæ olim
post Augusti statim nuptias Veientanum suum
reuisenti, prætereuolans aquila, gallinam albam,
ramulum lauri rostro tenentem, ita vt rapuerat,
demisit in gremium: cúmque nutriri alitem, pangíque
ramulum placuisset, tanta pullorum soboles
prouenit, vt hodie quoque ea villa ad *Gallinas*
vocetur: tale verò lauretum, vt triumphaturi Cæsares
inde laureas decerperẽt: fuítque mos triumphantibus,
alias confestim eodem loco pangere:
& obseruatum est sub cuiusque obitum, arborem
ab ipso institutam, elanguisse. Ergo nouissimo
Neronis anno, & silua omnis exaruit radicitus,
& quidquid ibi gallinarum erat, interiit: ac subinde
tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus
simul statuis deciderunt: Augustíque sceptrum
è manibus excussum est.

NERONI GALBA successit, nullo gradu contingens
Cæsarum domum: sed haud dubiè nobilissimus,
magnáque & vetere prosapia: vt qui statuarum
titulis *PRONEPOTEM Q. CATVLI CAPILOLINI* semper
adscripserit: Imperator verò etiam stemma in atrio
proposuerit, quo paternam originem ad Iouem:
maternam, ad Pasiphaen Minois vxorem referret. Imagines &
elogia vniuersi generis exsequi longum est. fami-

D liæ breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum
cognomen Galbæ tulit, cur, aut vnde traxerit, ambigitur.
Quidam putant, quòd oppidum Hispanię
frustra diu oppugnatum illitis demum galbano
facibus succenderit: alij quòd in diuturna valetudine
galbeo, id est, remedijs lana inuolutis assiduè
vteretur: nonnulli quòd præpinguis fuerit visus,
quem *galbam* Galli vocant: vel contra, quòd tam
exilis, quàm sunt animalia, quę in esculis nascuntur,
appellantúrque galbæ. Familiam illustrauit
E Ser. Galba consularis, temporum suorum eloquẽtissimus:
quem tradunt, Hispaniam ex prætura obtinentem,
xxx. Lusitanorum millibus perfidia trucidatis,
Viriatini belli caussã extitisse. Eius nepos
ob repulsam consulatus infensus Iulio Cęsari, cuius
legatus in Gallia fuerat, conspirauit cũ Cassio
& Bruto: propter quod Pedia lege damnatus est.
Ab hoc sunt Imperatoris Galbæ auus & pater. Auus
clarior studiis quàm dignitate: nõ enim egressus
F prætutę gradum, multiplicem nec incuriosam
historiã edidit. Pater consulatu functus, quàm breui
corpore atque etiam gibber modicæque in dicẽdo
facultatis, caussas industriè actitauit. Vxores
habuit Mummiam Achaicam, neptem Catuli,
proneptem L. Mummij, qui Corinthum excidit:
item Liuiam Ocellinam, ditem admodum & pulcrã.
à qua tamen nobilitatis caussã appetitus vltro
existimatur, & aliquanto enixius, postquam sub-

rius miles, animaduersis pedibus, è studio sciscitandi quisnam esset, agnouit, extractúmque, & præ metu ad genua sibi accidentem, *IMPERATOREM* salutauit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quàm frementes, perduxit. Ab his lecticæ, impositus, & quia serui diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquanto minore spe quàm fiducia. Nam consules cum senatu & cohortibus vrbanis, Forum Capitoliúmque occuparunt, asserturi communem libertatem: accitúsque & ipse per Tribunum pleb. in curiam ad suadenda quæ viderentur, *vi se & necessitate teneri* respondit. Verùm postero die, senatu segniore in exsequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diuersa censentium, & multitudine quæ circumstabat, vnum rectorem iam nominatim exposcente, armatos pro concione iurare in nomen suum passus est, promisitque singulis quindena HS. primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus. IMPERIO stabilito, nihil antiquius duxit quàm id biduum quo de mutando Reip. statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorúmque in eo veniam & obliuionem in perpetuum sanxit, ac præstitit: tribunis modò ac centurionibus paucis è coniuratorum in Caium numero interemptis, exempli simul caussa, & quòd suam quoque cædem depoposcisse cognouerat. Cõuersus hinc ad officia pietatis, iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quàm *PER AVGVSTVM*. Auiæ Liuiæ diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem, decernendum curauit. Parentibus inferias publicas: & hoc amplius patri Circenses annuos natali die: matri carpentum quod per Circum duceretur: & cognomen Augustæ, ab auia recusatum. Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia iudicum coronauit. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit: testatus quondam per edictum *Tanto impensius petere se vt natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset & aui sui Antonij*. Tiberio marmoreum arcum iuxta Pompeij theatrum, decretum quidem olim à senatu, verùm omissum, peregit. Caij quoque, & si acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamuis exordium principatus sui, vetuit inter festos referri.

Ac in semet augendo parcus atque ciuilis, prænomine *Imperatoris* abstinuit, nimios honores recusauit, sponsalia filiæ, natalémque geniti nepotis, silentio ac tantùm domestica religione, trãsegit. Neminem exsulum, nisi ex senatus auctoritate, restituit: vt sibi in curiam præfectum Prætorij, tribunósque militum secum inducere liceret, vtque rata essent quę procuratores sui in iudicando statuerent, precariò exegit. Ius nundinarum in priuata prædia à consulibus petiit: cognitionibus magistratuum, vt vnus è consiliariis, frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes, surgens & ipse cum cętera turba, voce ac manu veneratus est. Tribunis pleb. adeuntibus se pro tribunali excusauit, quòd propter angustias nõ posset audire eos nisi stantes. Quare in breui spatio tantum amoris

A fauorísque collegit, vt cùm profectum cum Ostiam periisse ex insidiis nuntiatum esset, magna consternatione populus, & militem quasi proditorem, & senatum quasi parricidam, diris exsecrationibus incessere non antè destiterit, quàm vnus atque alter, & mox plures à magistratibus in Rostra producti, saluum & appropinquare confirmarent. NEC tamen expers insidiarum vsquequaque permansit, sed & à singulis, & per factionem, & B denique ciuili bello infestatus est. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est: reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter, vt egressum theatro, alter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autẽ ad res nouas Gallus Asinius, & Statilius Coruinus, Pollionis ac Messallæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus C Scribonianus, Dalmatię legatus: verùm intra quintum diem oppressus est, legionibus quæ sacramẽtũ mutauerant, in pœnitentiam religione cõuersis, postquam denũtiato ad nouum Imperatorem itinere, casu quodam, an diuinitus, neque aquila ornari, neque signa conuelli moueriq; potuerunt.

CONSVLATVS super pristinum quatuor gessit: ex quibus duos primos iunctim: sequentes per interuallum, quarto quemque anno, semestrem nouissimum, bimestres cæteros, tertium autem D nouo circa principem exemplo in locum demortui suffectus. Ius & cõsul, & extra honorem laboriosissimè dixit, etiam suis suorúmque diebus sollemnibus, nonnunquam festis quoque antiquitus, & religiosis. Nec semper præscripta legum secutus, duritiam lenitatémve multarum, ex bono & æquo perinde vt afficeretur, moderatus est. Nam & iis qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones: & in maiore fraude conuictos, legitimam pœnam supergres-E sus, ad bestias condemnauit. In cognoscendo autem ac decernendo, mira varietate animi fuit, modò circumspectus & sagax, modò inconsultus ac præceps: nonnumquam friuolus amentique similis. Cùm decurias rerum actu expũgeret, eum qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, vt cupidum iudicandi dimisit: alium interpellatum ab aduersariis de propria lite, negantémque cognitionis rem, sed ordinarij iuris esse, agere caussam confestim apud se coëgit, F proprio negotio documentum daturum, quàm æquus iudex in alieno negotio futurus esset. Fœminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuuenis. Absentibus secundum præsentes facillimè dabat, nullo delectu, culpa ne quis in aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, præcidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machæra mensáque lanionia flagitauit. Peregrinitatis reum G orta inter aduocatos leui contentione, togatúmne an palliatum dicere caussam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitũ sępius, & prout accusaretur defenderetúrve, iussit. De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiasse creditur, *SECVNDVM EOS SE SENTIRE QVI VERA PROPOSVISSENT*. propter quę vsq; eò euiluit, vt passim ac propalàm contemtui esset. Excusans quidam testẽ è prouincia ab eo vocatum, negauit præsto esse posse, dis-

simulata

simulata diu caussa, ac post longas demum inter-
rogationes, *mortuus est*, inquit, *Puteolis*. Alius gra-
tias agens, quòd reum defendi pateretur, adiecit:
Et tamen fieri solet. Illud quoque à maioribus na-
tu audiebam, adeò caussidicos patiẽtia eius solitos
abuti, vt descendentem è tribunali non solùm vo-
ce reuocarent, sed & lacinia togæ retenta, inter-
dum pede apprehenso retinerent. Ac ne cui hæc
mira sint, litigatori Græculo vox in altercatione
B excidit καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρός. Equitẽ quidem Roma-
num obscœnitatis in fœminas reum, sed falso, &
ab impotentibus inimicis conficto crimine, satis
constat, cùm scorta meritoria citari aduersus se, &
audiri pro testimonio videret, graphium & libel-
los, quos tenebat in manu, ita cum magna stulti-
tiæ & sæuitiæ exprobratione iecisse in faciem e-
ius, vt genam non leuiter perstrinxerit. GESSIT &
censuram intermissam diu post Paullum Plan-
cúmque censores: sed hanc quoque inæqualiter,
C varioq; & animo & euentu. Recognitione equi-
tum iuuenem probri plenum, sed quem pater pro-
batissimum sibi affirmabat, sine ignominia di-
misit, *habere* dicens *censorem suum*. Alium corru-
ptelis adulteriisq; famosum, nihil amplius quàm
monuit, *vt aut parcius ætatula indulgeret, aut certè
cautius*. Addiditq;, *Quare enim ego scio, quam ami-
cam habeas?* Et cum orantibus familiaribus dem-
psisset cuidam appositam notam, *Litura tamen*, in-
quit, *exstet*. Splendidum virum, Græciæque pro-
D uinciæ principem, verùm Latini sermonis igna-
rum, non modò albo iudicum erasit, sed etiam in
peregrinitatem redegit. Nec quenquam nisi sua
voce, vtcunque quis posset, ac sine patrono, ratio-
nem vitæ passus est reddere. Notauitque multos,
& quosdam inopinantes, & ex caussa noui gene-
ris, quòd se inscio, ac sine commeatu Italia exces-
sissent: quendam verò & quòd comes regis in pro-
uincia fuisset, referens maiorum temporibus Ra-
birio Postumo, Ptolemæum Alexandriam, crediti
seruandi caussa secuto, maiestatis crimen apud iu-
E dices motum. Plures notare conatus, magna in-
quisitorum negligentia, sed suo maiore dedecore,
innoxios fere reperit, quibuscunq; cœlibatum,
aut orbitatem, aut egestatem obiiceret, maritos,
patres, opulentos se probantibus: eo quidem, qui
sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum
corpus veste deposita ostentante. Fuerunt & illa
in censura eius notabilia, quòd essedum argen-
teum sumtuosè fabricatum ac venale, ad Sigilla-
F ria redimi concidique coram imperauit: quódq;
vno die XX. edicta proposuit: inter quæ duo, quo-
rum altero admonebat, *vt vberi vinearum prouen-
tu bene dolia picarentur*: altero, *nihil æquè facere
ad viperæ morsum, quàm taxi arboris succum*.

EXPEDITIONEM vnam omnino suscepit, eámque modicam. cùm decretis sibi à senatu ornamẽ-
tis triumphalibus, leuiorem maiestati principali
titulum arbitraretur, velletq; iusti triũphi decus,
vnde acquireret, Britanniam potissimùm elegit:
neq; tẽtatam vlli post Diuum Iulium, & tunc tu-
G multuantem ob non redditos trãsfugas. Huc cùm
ab Ostia nauigaret, vehementi circio bis pæne de-
mersus est prope Liguriam, iuxtáq; Stœchadas in-
sulas. Quare à Massilia Gessoriacum vsque pede-
stri itinere confecto, inde transmisit: ac sine vllo
prælio aut sanguine intra paucissimos dies parte
insulæ in deditionem recepta, sexto quàm profe-
ctus erat mense, Romã rediit, triumphauitq; ma-
ximo apparatu. Ad cuius spectaculum commeare
in vrbem non solùm præsidibus prouinciarum
permisit, verùm etiam exsulibus quibusdam: atq;
inter hostilia spolia, naualem coronam fastigio
Palatinæ domus iuxta ciuicã fixit, traiecti & quasi
domiti Oceani insigne. Currum eius Messallina v-
xor carpento secuta est. Secuti & triumphalia or-
namenta eodẽ bello adepti, sed cæteri pedibus &
in prætexta: Crassus Frugi equo phalerato, & in
veste palmata, quòd eum honorem iterauerat.

VRBIS annonæq; curam sollicitissimè sem-
per egit. Cùm Æmiliana pertinacius arderent, in
diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente
militum ac familiarium turba, auxilio plebem per
magistratus ex omnibus vicis conuocauit: ac po-
sitis ante se cum pecunia fiscis, ad subueniendum
hortatus est, repræsentaturus pro opera dignam
cuiq; mercedem. Arctiore autem annona ob assi-
duas sterilitates detentus quondam in medio Foro
à turba, conuitiisque ac simul fragminibus panis
ita infestatus, vt ægrè nec nisi postico euadere in
Palatium valuerit: nihil nõ ex eo cogitauit ad in-
uehendos etiam in tempore hiberno commeatus.
Nam & negotiatoribus certa lucra proposuit,
suscepto in se damno, si cui quid per tempestates
accidisset: & naues mercaturæ caussa fabrican-
tibus magna commoda constituit. Pro condi-
tione cuiusque ciuis vacationem legis Papiæ
Poppææ, Latinis ius Quiritum: fœminis ius qua-
tuor liberorum: quæ constituta hodie seruantur.
Opera magna potius quam necessaria, quàm mul-
ta perfecit: sed vel præcipua, aquæ ductum à Caio
inchoatum. item emissarium Fucini lacus, por-
túmq; Ostiensem: quamquam sciret ex his alte-
rum ab Augusto precantibus assiduè Marsis ne-
gatum, alterum à D. Iulio sæpius destinatum,
ac propter difficultatem omissum: Claudiæ aquæ
gelidos & vberes fontes, quorum alteri Cæruleo,
alteri Curtio & Albudino nomen est: simúlq; ri-
uum Anienis noui lapideo opere in vrbem per-
duxit, diuisitq; in plurimos & ornatissimos lacus.
Fucinum aggressus est, non minus compẽdij spe
quàm gloriæ, cùm quidam priuato sumptu emis-
suros se repromitterẽt, si sibi siccati agri concede-
rẽtur. Per tria autem passuũ millia, partim effosso
monte, partim exciso, canalem absoluit ægrè, &
post vndecim annos, quamuis continuis triginta
hominum millibus sine intermissione operanti-
bus. Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra
sinistráque brachio, & ad introitum profundo
iam solo mole obiecta. quam quo stabiliùs funda-
ret, nauem antè demersit, qua magnus obeliscus
ex Ægypto fuerat aduectus, congestisque pilis su-
perposuit altissimã turrim in exẽplum Alexandri-
ni Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia
dirigerent. Congiaria populo sæpius distribuit.

SPECTACVLA quoque complura magnificáq;
edidit, non vsitata modò, ac solitis locis, sed &
commentaritia, & ex antiquitate repetita, & vbi
præterea nemo ante eũ. Ludos dedicationis Pom-
peiani theatri, quod ambustum restituerat, è tribu-
nali posito in orchestra cõmisit, cùm prius apud
superiores ædes supplicasset, perq; mediam caueã,
sedẽtibus ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit
& sæculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec le-
gitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in histo-
riis suis prodat, *intermissos eos, Augustum multò
pòst, diligentissimè annorum ratione subducta, in or-
dinẽ redegisse*. Quare vox præconis irrisa est, inui-
tãtis more sollẽni ad ludos, *quos nec spectasset quis-*

quam, nec ſpectaturus eſſet: cùm ſupereſſent qui adhuc ſpectauerant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Circenſes frequenter etiam in Vaticano commiſit, nonnunquam interiecta per quinos miſſus venatione. Circo verò maximo marmoreis carceribus, auratiſq; metis, quæ vtraque & tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria ſenatoribus conſtituit loca, promiſcuè ſpectare ſolitis. Ac ſuper quadrigarum certamina, Troiæ luſum exhibuit, & Africanas conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus tribunis, ipſóque præfecto: præterea Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpatia circi agunt, inſiliúntque defeſſos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladitoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit. Anniuerſarium in caſtris prætorianis, ſine venatione apparatúque, iuſtum atque legitimum in ſeptis, ibidem extraordinarium & breue, dierúmque paucorum, quódque appellare cœpit *Sportulam*: quia primùm daturum ſe dixerat, *velut ad ſubitam cõdictámque cœnulam inuitare ſe populum*. Nec vllu ſpectaculi genere cõmuniot aut remiſſior erat, adeò vt oblatos victoribus aureos, prolatáq; ſiniſtra manu, pariter cũ vulgo, voce digitiſque numeraret: ac ſæpe hortando rogandóq; ad hilaritatem homines prouocaret, *dominos* identidem appellans, immiſtis interdum frigidis & accerſitis iocis: qualis eſt, vt cùm Palumbum poſtulantibus, *daturum ſe* promiſit, *ſi captus eſſet*. Illud quoque planè quantumuis ſalubriter & in tempore, cum eſſedario, pro quo quatuor filij deprecabantur, magno omnium fauore induliſſet rudem, tabulam illico miſit, admonens populum, *quantopere liberos ſuſcipere deberet, quos videret & gladiatori præſidio, gratiæque eſſe*. Edidit & in Martio campo expugnationem direptionémq; oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præſeditque paludatus. Quin & emiſſurus Fucinum lacum, naumachiã ante commiſit. Sed cùm proclamãtibus naumachiariis, *Aue Imperator, morituri te ſalutant*, reſpondiſſet, *Auete vos*: neque poſt hanc vocem, quaſi venia data, quiſquam dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferróque abſumeret, tandem è ſede ſua proſiluit: ac per ambitum lacus, nõ ſine fœda vacillatione diſcurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium ſingulæ, exciente buccina Tritone argẽteo, qui è medio lacu per machinam emerſerat. QVAEDAM circa cærimonias, ciuilémq; & militarem morem, item circa omniũ ordinum ſtatum, domi foriſque, aut correxit, aut exoleta reuocauit, aut etiã noua inſtituit. In cooptandis per collegia ſacerdotibus, neminem niſi iuratus nominauit: obſeruauitque ſedulò, vt quoties terra in vrbe mouiſſet, ferias aduocat. concione prætor indiceret: vtque dira aui in vrbe aut in Capitolio viſa, obſecratio haberetur, eámque ipſe iure Max. Pont. commonito pro Roſtris populo præiret, ſubmotáque operariorum ſeruorúmque turba, rerum actũ diuiſum anteà in hibernos æſtiuóſque menſes cõiunxit. Iuriſdictionem de fideicommiſſis quotannis, & tantùm in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias poteſtatibus demandauit. Capiti Papiæ Poppææ legis, à Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarij generare non poſſent, addito, obrogauit. Sanxit vt pupillis extra ordinem tutores à coſs.

A darentur, vtque hi, quibus à magiſtratibus pro-
uinciæ interdicerentur, vrbe quoque & Italia ſub-
mouerentur. Ipſe quoſdam nouo exemplo rele-
gauit, vt vltrà lapidem tertium vetaret egredi ab
vrbe. De maiore negotio acturus, in curia me-
dius inter conſulum ſellas, tribunitio ſubſellio
ſedebat. Commeatus à ſenatu peti ſolitos, benefi-
cij ſui fecit.

Ornamenta conſularia etiam procuratoribus
B ducenariis induliſit. Senatoriam dignitatem recu-
ſantibus, equeſtrem quoque ademit. Latum cla-
uum, quamuis initio affirmaſſet non lecturum ſe
ſenatorem, niſi ciuis R. abnepotẽ, etiam liberti-
ni filio tribuit: ſed ſub conditione, ſi prius ab e-
quite R. adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehen-
ſionem verẽs, etiam App. Cæcum generis ſui pro-
auctorem, cenſorem, libertinorum filios in ſena-
tum allegiſſe docuit: ignarus temporibus Appij,
& deinceps aliquandiu, *libertinos* dictos, non i-
C pſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his
procreatos. Collegio quæſtorum pro ſtratura via-
rum gladiatorum munus iniunxit: detractáque
Oſtienſi & Gallica prouincia, curam ærarij Sa-
turni reddidit, quam medio tempore prætores,
aut vtiq; prætura functi ſuſtinuerant. Triumpha-
lia ornamenta Silano filiæ ſuæ ſponſo, nondum
puberi dedit. Maioribus verò natu, tam multis,
támque facile, vt epiſtola communis legionum
D nomine extiterit, petentium, *vt legatis conſulari-*
bus ſimul cum exercitu & triumphalia darentur, ne
cauſſam belli quoquo modo quærerent. A Plautio e-
tiam ouationem decreuit: ingreſſoque vrbem ob-
uiam progreſſus, & in Capitolium eunti, & inde
rurſus reuertẽti latus texit. Gabinio ſecũdo, Cau-
cis, gente Germanica, ſuperatis, Caucius cogno-
mẽ vſurpare conceſſit. Equeſtres militias ita or-
dinauit, vt poſt cohortem, alam: poſt alam, tribu-
natum legionis daret: ſtipendiáque inſtituit, & i-
maginariæ militiæ tenus, quod vocatur *Supra nu-*
merum, quo abſentes, & titulo tenus fungerentur.
Milites domos ſenatorias ſalutandi cauſſa ingre-
di, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos,
qui ſe pro equitibus Romanis agerent, publica-
uit. Ingratos, & de quibus patroni quererentur, re-
uocauit in ſeruitutem: aduocatiſque eorum ne-
gauit ſe aduerſus libertos ipſorum ius dicturum.
Cùm quidam ægra & affecta mancipia in inſu-
F lam Æſculapij tædio medendi exponerent, omnes
qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire
in ditionem domini, ſi conualuiſſent: quòd ſi quis
necare quem mallet, quàm exponere, cædis crimi-
ne teneri. Viatores ne per Italiæ oppida, niſi aut
pedibus, aut ſella aut lectica tranſirent, monuit e-
dicto. Puteolis & Oſtiæ ſingulas cohortes ad ar-
cendos incendiorum caſus collocauit. Peregrinæ
conditionis homines vetuit vſurpare Romana
nomina, duntaxat gentilitia. Ciuitatem Roma-
nam vſurpantes in campo Eſquilino ſecuri per-
G cuſſit. Prouincias Achaiam & Macedoniam,
quas Tiberius ad curam ſuam tranſtulerat, ſena-
tui, reddidit. Lyciis ob exitiabiles inter ſe diſ-
cordias, libertatem ademit: Rhodiis ob pœni-
tentiam veterum delictorum, reddidit. Ilien-
ſibus, quaſi Romanæ gentis auctoribus, tri-
buta in perpetuum remiſit: recitata vetere e-
piſtola Græca ſenatus populique Ro. Seleuco
regi amicitiam, & ſocietatem ita demum pol-
licentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab
omni onere immunes præſtitiſſet. Iudæos im-
pulſore

pulsore Chresto assiduè tumultuantes Roma expulit. Germanorum legatis orchestra sedere permisit, simplicitate eorum & fiducia motus, quòd in popularia deducti, cùm animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam, penitus aboleuit. Contrà, sacra Eleusina etiam transferre ex Attica Romam conatus est. Templum quoque in Sicilia Veneris Erycinæ vetustate collapsum, vt ex ærario populi R. reficeretur, auctor fuit. Cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, ac vetere fetialium præfatione adhibita. Sed & hęc & cętera, totúmq; adeò ex parte magna principatum, non tam suo quàm vxorum libertorúmque arbitrio administrauit: talis vbique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet.

Sponsas admodum adolescens duas habuit: Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem: item Liuiam Medullinam, cui & cognomen Camillæ erat, è genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorē, quòd parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiauit: posteriorem, ipso die qui erat nuptiis destinatus, ex valitudine amisit. Vxores deinde duxit Plautiam Vrgulanillam, triumphali, & mox Æliam Pætinam, consulari patre. Cum vtraq; diuortium fecit: sed cum Pætina, ex leuibus offensis: cum Vrgulanilla, ob libidinum probra & homicidij suspicionem. Post has Valeriā Messallinam, Barbati Messallæ consobrini sui filiam in matrimonium accepit. Quam cum cōperisset super cætera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit: confirmauitque pro concione apud prætorianos; *Quatenus sibi matrimonia malè cederent, permansurum se in cælibatu: ac nisi permāsisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum.* Nec durare valuit, quin de conditionibus continuò tractaret, etiam de Pętinæ, quam olim exegerat, déque Lolliæ Paullinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verùm illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per ius osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornauit proximo senatu qui censeret cogendum se ad ducendum eam vxorem, quasi Reip. maximè interesset: dandámque cæteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix vno interposito die, confecit nuptias: non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cuius officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebrauit.

Liberos ex tribus vxoribus tulit: ex Vrgulanilla Drusum & Claudiam: ex Pætina Antoniā: ex Messallina Octauiam, & quem primo Germanicum, mox Britānicum cognominauit. Drusum Pompeiū impuberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum: cùm ei ante paucos dies filiam Seiani despōdisset. Quo magis miror fuisse qui traderēt, fraude à Seiano necatum. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamuis ante quintum mensem diuortij natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abiici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sullæ, nobilissimis iuuenibus, Octauiam Neroni priuigno suo collocauit, Silano antè desponsatam. Britanicum vigesimo imperij die, inq; secundo consulatu natum sibi, paruulum etiam tum, & militibus pro concione, manibus suis gestans, & plebi, per spectacula gremio, aut ante se retinens, assiduè commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. E generis Neronem adoptauit: Pompeium atque Silanum non recusauit modò, sed & interemit. Libertorum pręcipuè suspexit Posidem spadonem, quem etiam Britānico triūpho inter militares viros hasta pura donauit. Nec minus Felicem, quem cohortibus & alis, prouinciæque Iudææ præposuit, trium reginarum maritum. Et Harpocram, cui lectica per vrbem vehendi, spectaculáq; publicè edendi ius tribuit. Ac super hos Polybium a studiis, qui sæpe inter duos coss. ambulabat. Sed ante omnes, Narcissum ab epistolis, & Pallantem à rationibus: quos decreto quoque senatus, non præmiis modò ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est: tantum pręterea acquirere & rapere, vt querente eo quōdam de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, *Abundaturum, si à duobus libertis in consortium reciperetur.*

His, vt dixi, vxoribúsq; addictus, non principem se, sed ministrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est: & quidem insciens plerumque & ignarus. Ac ne sigillatim nomina quæque enumerem, reuocatas liberalitates eius, iudicia rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorū codicillos: App. Silanum consocerum suum, Iuliásque, alteram Germanici filiā, crimine incerto, nec defēsione vlla data, occidit. Item Cn. Pompeium, maioris filiæ virum, & L. Silanum, minoris sponsum. Ex quibus Pompeius, in concubitu dilecti adolescentuli confossus est. Silanus abdicare se prætura ante quartū Kalend. Ianuarias, moríq; initio anni coactus, die ipso Claudij & Agrippinę nuptiarū. In quinq; & triginta senatores, trecētósq; ampliùs equites Rom. tanta facilitate animaduertit, vt de nece consularis viri renuntiante cēturione, *Factū esse quod imperasset, negaret quidquā se imperasse,* *nihilo minus rem comprobaret:* affirmantibus libertis, officio milites functos, quòd ad vltionem Imperatoris vltrò procurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quòd nuptiis, quas Messallina cū adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipse consignauerit: inductus, quasi de industria simularētur, ad euertendum transferendúmq; periculum quod imminere ipsi per quædam ostenta portēderetur.

Avctoritas dignitásq; formæ non defuit, vel stanti, vel sedenti, ac præcipuè quiescenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat: & specie canitiéq; pulcra, opimis ceruicibus. Cęterùm & ingredientem destituebant poplites minùs firmi, & remisse quid vel seriò agentem multa dehonestabant. Risus indecens: ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus: præterea linguæ titubantia, capútque, cùm semper, tum in quantulocumque actu vel maximè tremulum. Valetudine sicut olim graui, ita princeps perprospera vsus est, excepto stomachi dolore. Quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

Convivia agitauit & ampla & assidua, ac ferè patentissimis locis, vt plerumque sexceni simul discumberent. Conuiuatus & super emissarium Fucini lacus, ac pæne submersus,

cùm emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisq; nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur. Conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diē posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, *quo veniam daret flatum crepitúmque ventris in conuiuio emittendi:* cùm periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Cibi viníque, quocumque & tempore & loco, appetentissimus. Cognoscens quondam in Augusti foro, ictúsque nidore prandij, quod in proxima Martis æde Salijs apparabatur, deserto tribunali, adscendit ad sacerdotes, vnáque discubuit. Nec temere vmquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: & vt statim supino, ac per somnum hianti, pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Somni breuissimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque euigilabat, vt tamen interdiu nonnunquam in iure dicendo obdormisceret, víxque ab aduocatis de industria vocem augentibus excitaretur. Libidinis in fœminas profusissimæ, marium omnino expers. Alea studiosissimè lusit: de cuius arte librum quoque emisit: solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alueóque adaptatis, ne lusus confunderetur. SÆVVM & sanguinarium natura fuisse, magnis minimísque apparuit rebus. Tormenta quæstionum, pœnásque parricidarum repræsentabat, exigebátque coram. Cùm & spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisset, & delegatis ad palum noxijs carnifex deesset, accitum ad vrbe vesperam vsque operiri perseuerauit. Quocumque gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam fortè prolapsos iugulari iubebat: maximè retiarios, vt expirantium faciem videret. Cùm par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi paruulos ex vtroque ferro in vsum fieri sine mora iussit. Bestiarijs meridianísq; adeò delectabatur, vt etiam prima luce ad spectaculum descenderet: & meridie, dimisso ad prandium populo, persederet: prætéreq; destinatos, etiam leui subitáq; de caussa, quosdam committeret, de fabrorum quoq; ac ministrorum, atq; id genus numero, si αὐτόματον, vel pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. Induxit & vnum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus. SED NIHIL æquè quàm timidus ac diffidens fuit. Primis imperij diebus, quamquam, vt diximus, iactator ciuilitatis, neq; conuiuia inire ausus est, nisi vt speculatores cum lanceis circumstarent, milités q; vice ministrorum fungerentur: neque ęgrum quemquam visitauit, nisi explorato priùs cubiculo, culcitísq; & stragulis prætentatis, & excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos. Serò enim, ac vix remisit, ne fœminę prętextatíque pueri & puellæ contrectarentur, & ne cuiuis comiti aut librario calamarię aut graphiarię thecę adimerentur. Motu ciuili, cùm eum Camillus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa & minaci & contumaci epistola cedere imperio iuberet, vitámq; otiosam in priuata re agere: dubitauit, adhibitis principibus viris, an obtéperaret. Quasdam insidias temere delatas adeò expauit, vt deponere imperium tentauerit. Quodam, vt suprà retuli, cum ferro circa sacrificantem se deprenso, senatum per præcones properè conuocauit: lacrymísque & vociferatione miseratus

A est conditionem suam, cui nihil tuti vsquam esset, ac diu publico abstinuit. Messallinæ quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quàm periculi metu abiecit, cùm adultero Silio acquiri imperium credidisset: quo tempore fœdum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via, quàm *essétne sibi saluum imperium*, requirēs. Nulla adeò suspicio, nullus auctor tam leuis exstitit, à quo non mediocri scrupulo iniecto ad cauendum vlciscendúmque
B compelleretur. Vnus ex litigatoribus, seducto in salutatione affirmauit se vidisse per quietem, occidi eum à quodam: deinde paullò post, quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem aduersarium suum demonstrauit: confestímque is pro deprehenso ad pœnam raptus est. Pari modo oppressum ferunt App. Silanum: quem cùm Messallina & Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit: affirmans somniasse se,
C vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot iam noctibus obseruari retulit. Nec multò pòst ex composito irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie, ad id temporis vt adesset, præceptum erat, quasi planè repræsentaretur somnij fides, arcessi statim ac mori iussus est. Nec dubitauit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret. IRAE ATQVE ira-
D cundiæ conscius sibi, vtrumque excusauit edicto: distinxítque, pollicitus *alteram quidem breuem & innoxiam, alteram non iniustam fore.* Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obuiam non misetint, grauiter correptis, eáque cum inuidia, *vt in ordinem se coactum* conscriberet, repente tantum non satisfacientibus veniam modò dedit. Quosdam in publico parum tempestiuè adeuntes, manu sua repulit. Item scribam quæstorium, itémque prætura functum senato-
E rem, inauditos & innoxios relegauit: quòd ille aduersus priuatum se intemperantiùs affuisset: hic in ædilitate inquilinos prædiorum suorum contra vetitum cocta vendentes multasset, villicúmque interuenientem flagellasset. Qua de caussa etiam coërcitionem popinarum ædilibus ademit. Ac ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatámque à se ex industria sub Caio, quòd aliter euasurus peruenturúsque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testa-
F tus est. Nec antè persuasit, quàm intra breue tempus liber editus sit, cui index erat Μωρῶν ἐπανάστασις, argumentum autem, *Stultitiam neminem fingere.*

INTER CAETERA in eo mirati sunt homines & obliuionem & inconsiderantiam: vel, vt Græcè dicam, μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. Occisa Messallina, paullò pòst quàm in triclinio decubuit, *cur domina non veniret*, requisiuit. Multos ex iis quos capite damnauerat, postero statim die & in conuiuium & ad aleæ lusum admoneri iussit: &
G quasi morarentur, vt somniculosos per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam vxorem, non cessauit omni ratione *filiam & alumnam & in gremio suo natam, atque educatam*, prædicare. Adsciturus in nomen familiæ suæ Neronem, quasi parum reprehenderetur, quòd adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, *neminem vmquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum.*

SERMONIS

Sermonis verò rerúmque tantam sæpe negligentiam ostendit, vt nec quis, nec inter quos, quóve tempore ac loco verba faceret, scite ac cogitare existimaretur. Cùm de laniis, ac vinariis ageretur, exclamauit in curia: *Rogo vos, quis potest sine offula viuere?* descripsitque abundantiam veterum tabernarum, vnde solitus esset vinum olim & ipse petere. De quæstore quodã candidato inter caussas suffragationis suæ posuit, *quòd pater eius frigidã agro sibi tempestiuè dedisset.* Inducta teste in senatu, *Hæc,* inquit, *matris meæ liberta & ornatrix fuit: sed me patronum semper existimauit. Hoc ideo dixi, quòd quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant.* Sed & pro tribunali, Ostiensibus quiddam publicè orantibus, cùm excanduisset, *Nihil habere se vociferatus est, quare eos demereatur: si quem alium, & se liberũ esse.* Nam illa eius quotidiana, & planè omnium horarũm & momentorum erant, *Quid? ego tibi Theogonius videor, &* λογιώτατος; multáque talia etiam priuatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito. Historiam in adolescentia, hortante T. Liuio, Sulpicio verò Flauo etiam adiuuante, scribere aggressus est. Et cũ primùm frequenti auditorio commisisset, ægrè perlegit, refrigeratus sæpe à semetipso. Nam cùm initio recitationis defractis compluribus subselliis, obesitate cuiusdam, risus exortus esset: ne sedato quidem tumultu tẽperare potuit, quin ex interuallo subinde facti reminisceretur, cachinnósque reuocaret. In principatu quoque & scripsit plurimum, & assiduè recitauit per lectorem. Initium autem sumsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed & transiit ad inferiora tempora, cœpitque à pace ciuili: cùm sentiret neque liberè, neque verè sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & à matre, & ab auia. Prioris materię duo volumina, posterioris vnum & quadraginta reliquit. Composuit & *De vita sua* octo volumina, magis ineptè quàm ineleganter. Item *Ciceronis defensionem aduersus Asinij Galli libros*, satis eruditam. Nouas etiam commẽtus est litteras tres, ac numero veterum quasi maximè necessarias addidit. De quarum ratione cùm priuatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, vt in vsu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisq; operum. Nec minore cura Græca studia secutus est, amorem præstantiámque linguæ occasione omni professus. Cuidam Barbaro Græcè & Latinè disserenti, *Cum vtroque,* inquit, *sermone nostro sis peritus.* Et in commendanda patribus conscriptis Achaia, *gratam sibi prouinciam,* ait, *communium studiorum commercio.* Ac sæpe in senatu legatis perpetua oratione respondit. Multùm verò pro tribunali etiam, Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem vltus esset, excubitori tribuno signum de more poscenti, non temere aliud dedit quàm,

Ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Denique & Græcas scripsit historias,

A Τυῤῥηνικῶν xx. Καρχηδονιακῶν viii. Quarum caussa
veteri Alexandriæ museo alterum additum ex ipsius nomine: institutúmque vt quotannis in altero Τυῤῥηνικῶν libri, altero Καρχηδονιακῶν, diebus statutis, velut in auditorio recitarentur toti à singulis per vices. Sub exitu vitae, signa quædam nec obscura pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, déque Neronis adoptione dederat. Siquidem commemorantibus libertis, ac laudanti-
B bus cognitionem, qua pridie quandam adulterij ream condemnauerat: *sibi quoque in fatis esse* iactauit *omnia impudica, sed non impunita matrimonia.* Et subinde obuium sibi Britannicum arctiùs complexus, hortatus est, *vt cresceret, rationémque à se omnium factorum acciperet.* Græca insuper voce prosecutus, ὁ τρώσας ἰάσεται. Cúmque impubi teneróque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit, *Vt tandem pop. Rom. verum Cæsarem habeat.* Non multoque pòst, te-
C stamentum etiam conscripsit, ac signis omnium magistratuum obsignauit. Priùs igitur quàm vltra progrederetur, præuentus est ab Agrippina, quam præter hæc, conscientia quoque, nec minùs delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occisum conuenit: vbi autem & per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem alij, domestico conuiuio, per
D ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum auidissimo ciborum talium, obtulerat. Etiam de subsequentibus diuersa fama est. Multi statim hausto veneno obmutuisse aiunt, excruciatúmque doloribus nocte tota, defecisse prope lucem. Nonnulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente euomuisse omnia, repetitúmque toxico, incertum pultíne addito, cùm velut exhaustum refici cibo oporteret, an immisso per clysterem: vt quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subueniretur. Mors eius celata est, do-
E nec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque & quasi pro ęgro adhuc vota suscepta sũt, & inducti per simulationem comœdi, qui velut desiderantem oblectarent. Excessit III. Idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiola coss. LXIIII. ætatis, imperij XIIII. anno. Funeratus est solenni principum pompa, & in numerum deorum relatus. Quem honorem à Nerone destitutum abolitúmque, recepit mox per Vespasianum. Pręsagia mor-
F tis eius præcipua fuerunt: exortus crinitæ stellæ, quam cometem vocant: tactúmque de cœlo monumentum Drusi patris: & quòd eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant. Sed ipse nec ignorasse, aut dissimulasse vltima vitæ suæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam & cùm coss. designaret, neminem vltra mensem, quo obiit, designauit: & in senatu, cui nouissimè interfuit, multùm ad concordiam liberos suos cohortatus, vtriusque ætatem suppliciter patribus commendauit. Et in vltima cognitione pro tribunali, *accessisse ad finem mortalitatis*, quamquam abominantibus qui audiebant, semel atque iterum pronuntiauit.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER VI.

Nero Clavdivs Caesar.

EX gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Calvinorvm & Aenobarborvm.
Aenobarbi auctorem originis, itémq; cognominis habent L. Domitium: cui rure quondam reuertenti, iuuenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem maiestatis, adeò permulsisse malas, vt è nigro rutilum ærique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit, & in posteris eius, magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem consularibus vii. triumpho censuráque duplici, & inter patricios allecti, perseuerarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne prænomina quidem vlla præterquam Cnęi & Lucij vsurparunt: eáque ipsa notabili varietate, modò continuantes vnumquodque per ternas personas, modò alternantes per singulas. Nã primum secúdúmque ac tertium Aenobarborum Lucios: rursus sequentes tres, ex ordine Cnæos accepimus: reliquos nónisi vicissim, tum Lucios tum Cnæos. Plures è familia cognosci referre, arbitror: quò faciliùs appareat, ita degenerasse à suorum virtutibus Neronem, vt tamen vitia cuiusque, quasi tradita & ingenita, retulerit. Vt igitur paullò altius repetam, atauus eius Cn. Domitius in tribunatu pontificibus offensior, quòd alium quàm se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum à collegiis ad populum transtulit: ac in consulatu Allobrogibus Aruernisq; superatis, elephanto per prouinciam inuectus est: turba militum, quasi inter sollennia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, *Non esse mirandum quòd æneam barbam haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum.* Huius filius prætor C. Cæsarem abeuntem consulatu, quem aduersus auspicia legésque gessisse existimabatur, ad disquisitionem senatus vocauit: mox consul imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentauit: successorque ei per factionem nominatus, principio ciuilis belli ad Corfinium captus est. Vnde dimissus, Massilienses obsidione laborantes cùm aduentu suo confirmasset, repente destituit. Aciéque demum Pharsalica occubuit. Vir neque satis constans, & ingenio truci. In desperatione rerum, mortem timore appetitam ita expauit, vt haustum venenum pœnitentia euomuerit, medicúmque manumiserit, qui idem sibi prudens ac sciens minùs noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompeio de mediis ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

Reliquit filium omnibus gentis suæ proculdubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianę necis, quamquam insons, damnatus lege Pedia, cùm ad Cassium Brutúmque se, propinqua sibi cognatione cóiunctos, contulisset, post vtriusque interitum classem olim commissam retinuit: auxit etiam: nec nisi partibus vbique profligatis, M. Antonio sponte, & ingentis meriti loco tradidit. solúsq; omnium ex iis, qui pari lege damnati erát, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit, ac subinde redintegrata dissensione ciuili, eidem Antonio legatus, delatã sibi summã imperij ab iis quos Cleopatræ pudebat, neq; suscipere, neq; recusare fidéter, propter subitam valetudinẽ, ausus, trãsiit ad Augustum: & in diebus paucis obiit, non nulla & ipse infamia adspersus. Nã Antonius cum desiderio amicæ Seruiliæ Naidis trãsfugisse iactauit. Ex hoc Domitius nascitur, quem emtorẽ familię pecuniæq; in testamento Augusti fugisse, mox vulgò notatũ est: nõ minùs aurigãdi arte in adolescentia clarus, quàm deinde ornamẽtis triumphalibus ex Germanico bello. Verùm arrogans, profusus, immitis, censorẽ L. Plancum via sibi decedere Ædilis coëgit: præturæ consulatúsq; honore, equites, R. matronásq; ad agẽdũ mimum produxit in scenam: venationésq; & in circo & in omnibus vrbis regionibus dedit. Munus etiã gladiatorium: sed tanta sæuitia, vt necesse fuerit Augusto clàm frustra monitum edicto coërcere. Ex Antonia maiore patrẽ Neronis procreauit, omni parte vitæ detestabilem. Siquidem comes ad oriẽtem C. Cæsaris iuuenis, occiso liberto suo, quod potare quantum iubebatur, recusarat, dimissus è cohorte amicorum, nihilò modestiùs vixit. Sed & in viæ Appię vico, repente puerum citatis iumentis, haud ignarus obtriuit: & Romæ, medio foro, cuidam equiti R. liberiùs iurganti oculum eruit. perfidiæ verò tantæ, vt non modò argẽtarios pretiis rerum coemtarum, sed & in prætura mercede palmarum aurigarios fraudauerit. Notatus ob hæc & sororis ioco, querentibus dominis factionum, *repræsentanda præmia in posterum* sanxit. Maiestatis quoque & adulteriorum, incestique cum sorore Lepida sub excessu Tiberij reus, mutatione temporum euasit: decessitque Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina Germanico genita. Nero natus est Antij post ix. mẽses quàm Tiberius excessit, xviii. Kal. Ianuarias: tantum quod exoriente Sole, pæne vt radiis priùs, quàm terra contingeretur. De genitura eius statim multa & formidolosa multis coniectantibus. Præsagio fuit etiam Domitij patris vox inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex se & Agrippina nisi detestabile & malo publico nasci potuisse. Eiusdem futuræ infelicitatis signum euidens die lustrico exstitit: nam C. Cæsar, rogante sorore, vt infanti ei quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum suum, à quo mox principe Nero adoptatus est, eius se dixit dare: neq; id ipse seriò, sed per iocum, & aspernante Agrippina, quòd tum Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrẽ amisit: cuius ex parte tertia heres, ne hãc quidem integram cepit, correptis per coheredem Caium vniuersis bonis, & subinde matre etiam relegata, pæne

inops

inops atque egens apud amitam Lepidam nutri- A
tus est, sub duobus pędagogis, saltatore atque ton-
sore. Verùm Claudio Imperium adepto, non so-
lùm paternas opes recuperauit: sed & Crispi Pas-
sieni vitrici sui hereditate ditatus est. Gratia qui-
dem & potentia reuocatæ restitutæque matris vs-
que eo floruit, vt emanaret in vulgus, missos à
Messallina vxore Claudij, qui eum meridiantem
quasi Britannici ęmulum strangularent. Additum
fabulæ est, eosdem dracone è puluino se profe-
rente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, B
deprehensis in lecto eius circum ceruicalia ser-
pentis exuuiis: quas tamen aureæ armillæ ex vo-
luntate matris inclusas dextro brachio gestauit a-
liquandiu: ac tædio tandem maternæ memoriæ
abiecit: rursúsque extremis suis rebus frustra re-
quisiuit. TENER adhuc, necdum matura pueritia,
circensibus ludis Troiam constantissimo fauora-
biliterque lusit. Vndecimo ætatis anno à Claudio
adoptatus est, Annæóque Senecæ iam tunc sena-
tori in disciplinam traditus. Ferunt Senecam pro- C
xima nocte visum sibi per quietem, C. Cęsari prę-
cipere: & fidem somnio Nero breui fecit, prodita
immanitate naturæ, quibus primùm potuit expe-
rimentis. Namque Britannicum fratrem, quòd se
post adoptioné AENOBARBVM ex consuetudine
salutasset, vt subditicium apud patrem arguere co-
natus est. Amitam etiam Lepidam, ream testimo-
nio coram afflixit, gratificans matri, à qua rea pre-
mebatur. Deductus in forum tiro, populo congia-
rium, militi donatiuum proposuit: indictáque de- D
cursione prætorianis, scutum sua manu prætulit:
exinde patri gratias in senatu egit. Apud eundem
consulem pro Bononiensibus Latinè, & pro Rho-
diis atque Iliensibus Græcè verba fecit. Auspica-
tus est & iurisdictionem Præfectus vrbis, sacro
Latinarum celeberrimis patronis, non translati-
tias, vt assoler, & breues, sed maximas plurimásq;
postulationes certatim ingerentibus: quamuis in-
terdictum à Claudio esset. Nec multò post duxit
vxorem Octauiam: edidítque pro Claudij salute E
Circenses, & venationem.

SEPTEMDECIM natus annos, vt de Claudio pa-
làm factum est, inter horam sextam septimámque
processit ad excubitores: cùm ob totius diei diri-
tatem non aliud auspicandi tempus accommoda-
tius videretur: próque Palatij gradibus *IMPE-
RATOR* consalutatus, lectica in castra, & inde
raptim appellatis militibus in curiam delatus est:
discessítque iam vesperi: ex immensis, quibus cu-
mulabatur, honoribus, tantùm *PATRIS PA-* F
TRIAE nomine recusato, propter ætatem. Orsus
hinc à pietatis ostentatione, Claudium apparatis-
simo funere elatum laudauit: consecrauítque. Me-
moriæ Domitij patris honores maximos habuit.
Matri summam omnium rerum publicarum pri-
uatarúmque permisit. Primo etiam Imperij die si-
gnum excubanti tribuno dedit, *Optimam matrem*:
ac deinceps eiusdem sæpe lectica per publicum si-
mul vectus est. Antium coloniam deduxit, adscri-
ptis veteranis è prætorio, additísque per domici- G
lij translationem ditissimis primipilarium, vbi &
portum operis sumtuosissimi fecit. Atque, vt cer-
tiorem adhuc indolem offenderet: *ex Augusti præ-
scripto imperaturum se* professus, neque liberalitatis,
neque clementiæ, nec comitatis quidem exhi-
bendæ vllam occasionem omisit. Grauiora vecti-
galia aboleuit, aut minuit. Præmia delatorum Pa-
piæ legis ad quartas redegit, diuisis populo viri-

tim quadringenis nummis. Senatorũ nobilissimo
cuique, sed à re familiari destituto, annua salaria,
& quibusdam quingena constituit. Item præto-
rianis cohortibus frumentum menstruúmq; gra-
tuitũ. Et cùm de supplicio cuiusdam capite dam-
nati, vt ex more subscriberet, admoneretur:
Quàm vellem, inquit, *nescisse literas!* Omnes ordi-
nes subinde, ac memoriter salutauit. Agenti se-
natui gratias respondit: *Cum meruero.* Ad campe-
stres exercitationes suas admisit & plebem; decla-
mauit & sępius publicè: recitauit & carmina, non
modò domi, sed in theatro; tanta vniuersorum lę-
titia, vt ob recitationem supplicatio decreta sit,
eáque pars carminum aureis literis Ioui Capito-
lino dicata.

SPECTACVLORVM plurima & varia genera
edidit: Iuuenales, circenses, scenicos ludos, gla-
diatorium munus. Iuuenalibus senes quoque cō-
sulares; anúsque matronas recepit ad lusum. Cir-
censibus loca equiti secreta à cæteris tribuit: cō-
misitq; etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos
pro æternitate Imperij susceptos appellari *Ma-
ximos* voluit, ex vtroque ordine & sexu plerique
ludicras partes sustinuerunt. Notissimus eques
R. elephanto supersedens per catadromum decu-
currit. Inducta est & Afranij togata, quæ *Incen-
dium* inscribitur: concessúmque vt scenici arden-
tis domus supellectilem diriperent, ac si habe-
rent. Sparsa & populo missilia omnium rerum
per omnes dies singula quotidie millia. Auium
cuiusq; generis multiplex penus, tesseræ frumen-
tariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritę
tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atq; etiam man-
suetæ feræ: nouissimè naues, insulę, agri. Hos ludos
spectauit è proscenij fastigio. Munere quod in
Amphitheatro ligneo, in regione Martij campi
intra anni spatium fabricato dedit, neminem oc-
cidit, ne noxium quidem. Exhibuit autem ad
ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentós-
que equites R. & quosdam fortunæ atque existi-
mationis integræ ex iisdem ordinibus, confecto-
résque ferarum, & ad varia arenę ministeria. Exhi-
buit & naumachiam marina aqua innātibus bel-
luis: item Pyrrichas quasdam è numero ephebo-
rum, quibus post editam operam diplomata ciui-
tatis Romanæ singulis obtulit. Inter Pyrricharum
argumenta, taurus Pasiphaën in ligneo iuuencę si-
mulacro abditam iniit, vt multi spectantium cre-
diderunt. Icarus primo statim conatu iuxta cubi-
culum eius decidit, ipsúmq; cruore respersit. Nam
perrarò præsidere, cæterùm accubans primùm
paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto
spectare consueuerat. Instituit & quinquennale
certamen primùs omnium Romæ, more Gręco,
triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod ap-
pellauit NERONIA. Dedicatísque thermis atque
gymnasio, senatui quoque & equiti oleum præ-
buit: Magistros toti certamini præposuit consula-
res sorte, sede prætorum, deinde in orchestram se-
natúmque descendit, & orationis quidem carmi-
nísq; Latini coronam, de qua honestissimus quis-
que contenderat, ipsorum consensu concessam si-
bi recepit. Citharam autem à iudicibus ad se dela-
tam adorauit, ferrique ad Augusti statuam iussit.
Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthysiæ
apparatum, barbam primam posuit, conditámque
in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis
adornatam Ioui Capitolino cōsecrauit. Ad athle-
tarum spectaculum inuitauit & virgines Vestales,

quia Olympiæ Cereris sacerdotibus spectare conceditur. A Non immeritò inter spectacula ab eo edita, & Tiridatis in vrbem introitum retulerim. Quem Armeniæ regem magnis pollicitationibus sollicitatum, cùm destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quò opportunissimè potuit: dispositis circa fori templa armatis cohortibus, curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria, B atque vexilla: & primò per deuexum pulpitum subeuntem admisit ad genua alleuatúmq; dextra exosculatus est: dein precāti, tiara deducta, diadema imposuit, verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronuntiante. Perductum deinde in theatrum, ac rursus supplicantē, iuxta se latere dextro collocauit. Ob quæ imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata. Ianum geminum clausit, tam nullo quàm residuo bello. CConsvlatvs quatuor gessit: primum bimestrem, secundum & nouissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos continuauit, reliquos inter annua spatia variauit. In iurisdictione postulatoribus nisi sequenti die, ac per libellos, non temere respondit. In cognoscēdo, morem eum tenuit, vt continuis actionibus omissis, sigillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad consultandum secederet, neque in commune quidquam neque propalam deliberabat: sed & conscriptas ab vnoquoque sententias tacitus ac D secreto legens, quid ipsi libuisset, perinde atq; pluribus idem videretur, pronuntiabat. In Curiam libertinorum filios diu non admisit: admissisque à prioribus principibus honores denegauit. Candidatos, qui supra numerum essent, in solatium dilationis ac moræ, legionibus præposuit. Consulatum in senos plerumque menses dedit. Defunctóque circa Kalend. Ianuarias altero è coss. neminem substituit: improbans exemplum vetus Caninij Rebili, vno die consulis. Triumphalia orna- E menta, etiam quæstoriæ dignitatis, & nonnullis ex equestri ordine tribuit: nec vtique de caussa militari. sed & de quibusdā reb. rationes ad senatū missas, præterito quæstoris officio, per cos. plerumque recitabat. Formam ędificiorum vrbis nouam excogitauit: & vt ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumptu suo exstruxit. Destinarat etiam Ostia tenus mœnia promouere, atque inde fossa mare veteri vrbi inducere. Multa sub eo & ani- F maduersa seuerè, & coërcita, nec minus iostituta: adhibitus sumtibus modus: publicæ cœnæ ad sportulas redactę: interdictum ne quid in popinis costi præter legumina aut olera veniret, cùm antea nullum non opsonij genus proponeretur: afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ: vetiti quadrigariorum lusus, quibus inueterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per iocum ius erat: pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ. G

Aduersus falsarios tunc primùm repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto, obsignarentur. Cautum vt in testamentis primæ duę cerę, testatorum modò nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderetur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Item vt litigatores pro patrociniis certā iustámq; mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: vtque rerum actu ab ærario caussæ ad forum, ac recuperatores transferrentur: & vt omnes appellationes à iudicibus ad senatum fierent.

Augendi propagandique Imperij neque voluntate vlla, neque spe motus vmquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitauit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur destitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio in prouinciæ formam redegit. Peregrinationes duas omnino suscepit, Alexandrinam & Achaicam: sed Alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis cùm in ęde Vestę resedisset, consurgēti ei primum lacinia obhæsit: deinde tanta coorta caligo est, vt despicere non posset. In Achaia Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit. Parabat & ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis senûm pedum tyronibus noua legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna, in vnum contuli: vt secernerem à probris ac sceleribus eius; de quibus dehinc dicam. Inter ceteras disciplinas puerit ię tempore imbutus & musica, statim vt Imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios, accersiit: diebúsque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari exercerique cœpit: nec eorum quidquam omittere, quæ generis eius artifices, vel conseruandæ vocis caussa, vel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere: & clystere vomitúque purgari: & abstinere pomis, cibísque officiētibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis, & fuscæ) prodire in scenam concupiuit: subinde inter familiares Græcum prouerbium iactans, *occultæ musicæ nullum esse respectum.* Et prodiit Neapoli primùm: ac ne concusso quidem repente motu terræ theatro, antè cantare destitit, quàm inchoatum absolueret *νόμον*. Ibidem sæpius & per complures cantauit dies: sumto etiam ad reficiendam vocem breui tempore, impatiens secreti à balneis in theatrum transiit, mediáque in orchestra frequente populo epulatus, *si paullum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturum* Græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de nouo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria euocauit. Neque eo segniùs adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ iuuentutis vndique elegit, qui diuisi in factiones, plausuum genera condiscerent, (*bombos*, & *imbrices*, & *testas* vocabant) operámque nauarent cantanti, sibi insignes pinguissima coma, & excellētissimo cultu pueri, nec sine anulo læuis: quorum duces quadragena millia HS. merebant. Cùm magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutam diem reuocauit. Flagitantibúsque cunctis *cœlestem vocem* respondit quidem, *in hortis se copiam volentibus facturum*; sed adiuuante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens: ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum iussit adscribi: sorticuláque in vrnam cum ceteris demissa intrauit

trauit ordine suo, simúlque Præfecti prætorij citharam sustinentes, pòst tribuni militum, iuxtáque amicorum intimi. Vtque constitit, peracto principio, Nioben se cantaturum per Cluuium Rufum consularem pronuntiauit, & in horam fere decimam perseuerauit: coronámque eam, & reliquam certaminis partem in annum sequentem distulit, vt sępius canendi occasio esset. Quod cùm tardum videretur, non cessauit identidem se publicare. Non dubitauit etiam priuatis spectaculis operam inter scenicos dare, quodam prætorum HS. decies offerente. Tragœdias quoque cantauit personatus: heroum Deorúmque, item heroidum ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & fœminæ: prout quamque diligeret. Inter cætera cantauit *Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem insanum*. In qua fabula fama est tirunculum militem positum ad custodiam aditus, cùm eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia. EQVORVM studio vel præcipuè ab ineunte ætate flagrauit, plurimúsque illi sermo, quamquam vetaretur, de circensibus erat, & quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, obiurgante magistro, de Hectore se loqui ementitus est. Sed cùm inter initia Imperij, eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses commeabat secessu, primò clàm, deinde propalàm: vt nemini dubium esset, eo die vtiq; affuturum. Neque dissimulabat velle se palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis missilibus in serum protrahebatur, ne dominis quidem iam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, greges ducere. Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positóque in hortis inter seruitia & sordidam plebem rudimento, vniuersorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, vnde magistratus solent. Nec contentus harum artium experimenta Romę dedisse, Achaiam vt diximus, petit, hinc maximè motus. Instituerāt ciuitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad ipsum mittere. Eas adeò gratè recipiebat, vt legatos, qui pertulisset, non modò primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, vt cantaret super cœnam, exceptúsque effusius: *solos scire audire Græcos, solósque se & studijs suis dignos* ait. Nec profectione dilata, vt primùm Cassiopen traiecit, statim ad aram Iouis Cassij cantare auspicatus est. CERTAMINA deinceps obiit omnia. Nam & quæ diuersissimorum temporum sunt, cogi in vnum annum, quibusdam etiam iteratis, iussit. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit. Ac, ne quid circa hæc occupatum auocaret detinerétve, cùm pręsentia eius vrbicas res egere à liberto Helio admoneretur, rescripsit his verbis, *Quamuis nunc tuum consilium sit & votum, celeriter reuerti me, tamen suadere & optare potius debes vt, Nerone dignus reuertar.*

Cantante eo, ne necessaria quidem caussa excedere theatro licitum erat. Itaq; & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi, tædio audiendi laudādique, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quàm autem trepidè anxiéque certauerit, quanta aduersariorum ęmulatione, quo metu iu-
A dicum, vix credi potest. Aduersarios, quasi planè
conditionis eiusdem, obseruare, captare, infamare
secretò, nonnunquam ex occursu maledictis incessere:
ac, si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat. Iudices autem, priùs quàm inciperet
reuerentissimè alloquebatur, *omnia se facienda fecisse, sed euentum in manu esse Fortunæ: illos, vt sapientes & doctos viros, fortuita debere, excludere:*
atque vt auderet, hortantibus, æquiore animo re-
B cedebat: ac ne sic quidem sine sollicitudine taciturnitatem pudorémque quorundam pro tristitia ac malignitate arguens, suspectósque sibi dicens.

In certando verò ita legi obediebat, vt numquā exscreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in quodam tragico actu, cùm elapsum baculum citò resumsisset, pauidus & metuens, ne ob delictum certamine submoueretur, non aliter confirmatus est, quàm adiurante hypocrita, non animaduersum id inter exsulta-
C tiones succlamationésque populi. Victorem autem se ipse pronuntiabat. Qua de caussa & præconio vbique contendit. Ac ne cuius alterius hieronicarum memoria aut vestigium exstaret vsquam, subuerti & vnco trahi, abiicique in latrinas omnium statuas & imagines imperauit. Aurigauit quoque plurifariam, Olympiis verò etiam decemiugem: quamuis id ipsum in rege Mithridate, carmine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, cùm perdurare
D non posset, destitit ante decursum: nec eo secius coronatus est. Decedens deinde, prouinciam vniuersam libertate donauit: simúlque iudices ciuitate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia è medio stadio, Isthmiorum die, sua ipse voce pronuntiauit.

REVERSVS è Gręcia Neapolim, quòd in ea primùm artem protulerat, albis equis introiit, disiecta parte muri, vt mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanū, inde Romam. Sed &
E Romam eo curru quo Augustus olim triumphauerat, & in veste purpurea, distinctáque stellis aureis chlamyde, coronámque capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterarum cum titulis, *vbi. & quos, quo cantionum quóve fabularum argumento vicisset*: sequentibus currum ouantium ritu plausoribus, *Augustianos, militésque se triumphi eius* clamitantibus. Dehinc diruto Circi maximi arcu, per Velabrum Forúmque, Palatium & Apollinem petiit. Incedenti pas-
F sim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aues, ac lemnisci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos posuit. Item statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percussit. Ac post hæc tantum abfuit à remittendo laxandóque studio, vt conseruandæ vocis gratia, neque milites vmquam, nisi absens, aut alio verba pronuntiante, appellarit: neque quidquam serio iocóve egerit, nisi adstante pho-
G nasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os applicaret: multísque vel amicitiam suam obtulerit, vel simultatem indixerit, prout quisque se magis parciúsve laudasset. PETVLANTIAM, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem sensim quidem primò & occultè, vel vt iuuenili errore, exercuit: sed vt tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. Post crepusculum statim arrepto pileo vel galero, popinas inibat: circúmque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes à

cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacísque demergere assueuerat: tabernulas etiam effringere & expilare: quintana dumi constituta, vbi partæ, & ad licitationem diuidendę prædæ pretium assumeretur. Ac sæpe in eiusmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, à quodam laticlauio, cuius vxorem attrectauerat, propè ad necem cæsus. Quare numquam postea se publico illud horæ sine tribunis commisit, procul & occultè subsequentibus. Interdiu quoque clàm gestatoria sella delatus in theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenij superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et cùm ad manus ventum esset, lapidibúsque & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse iecit in populum, atque etiam prætoris caput consauciauit.

Pavlatim verò inualescētibus vitiis, iocularia & latebras omisit, nulláque dissimulandi cura ad maiora palam erupit. Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore ęstiuo niuatis. Cœnitabátque nonnumquam & in publico, Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius vrbis ambubaiarúmque ministeria. Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Baianum sinum præternauigaret, dispositæ per litora & ripas diuersoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ & matronarum institoria copas imitantium, atque hinc inde orantium vt appelleret. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum vni mitellita quadragies HS. constiterūt, alteri pluris aliquanto absortio rosaria. Super ingenuorum pædagogia, & nuptarum concubinatus, Vestali virgini Rubricæ vim intulit. Acten libertam paullum abfuit quin iusto matrimonio sibi coniungeret: submissis consularibus viris qui regio genere ortam peierarent. Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote & flameo, per sollenne noptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro vxore habuit. Exstátque cuiusdam non inscitus iocus, *Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem.* Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum, lecticáq; vectum, & circa conuentus mercatúsque Græciæ ac mox Romę circa Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam matris concubitum appetiisse, & ab obtrectatorib. eius, ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ præualeret, deterritum nemo dubitauit: vtique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica com matre veheretur, libidinatum incestè, ac maculis vestis proditum affirmant. Suam quidem pudicitiam vsque adeò prostituit, vt contaminatis pæne omnibus membris, nouissimè quasi genus lusus excogitaret: quatenus feræ pelle contectus emitteretur è cauea, virorúmque ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina inuaderet: & cùm affatim desęuisset, conficeretur à Doryphoro liberto: cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit: voces quoque & eiulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte purum esse: verum plerosque dissimulare vitium & calliditate obtegere: ideóq; professis apud se obscœnitatem, cætera quoque concessisse delicta. Divitiarvm & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm

A profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos, veréque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabatúrque auunculum Caium, nullo magis nomine, quàm quòd ingentes à Tiberio relictas opes in breui spatio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingena nûmûm millia diurna erogauit, abeuntíque super HS. millies contulit. Menecratem citharœdum &
B Spiculum myrmillonem triumphalium virorum patrimoniis ędibúsq; donauit. Cercopithecū Panerotē fœneratorē, & vrbanis rusticísq; prędiis locupletatum, propè regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctum HS. aleā lusit: Piscatus est rete aurato, purpura coccóque funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum.
C Non in alia re damnosior quàm in ædificando. Domum à Palatio Esquilias vsque fecit. Quam primò *Transitoriam*, mox incendio absumtam restitutámque, *Auream* nominauit. De cuius spatio atq; cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum eius fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, vt porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad vrbium speciem. Rura insuper aruis atque vineis & pascuis, siluísque
D que varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis vnionúmque conchis erát. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores fistulis, vt vnguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis & Albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cùm absolutam dedicaret, hactenus comprobauit, vt se diceret *quasi ho-*
E *minem tandem habitare cœpisse.* Prætetea inchoabat piscinam à Miseno ad Auernum lacum, contectā, porticibusq; conclusam, quò quidquid totis Baiis calidarum esset, committeretur. Fossam ab Auerno Ostiam vsque, vt nauibus, nec tamen mariretur, longitudinis per centum sexaginta milliaria: latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod vbique esset custodiæ in Italiam deportari, etiam scelere conuictos, nonnisi ad opus
F damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam imperij, etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opum impulsus est: ex indicio equitis Rom. pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui paruula molientium opera.

Verùm vt spes fefellit, destitutus, atque ita iam exhaustus & egens, vt stipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi ac differri
G necesse esset, calumniis rapinísque intendit animum. Ante omnia instituit, vt è libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogeretur ei, si qui sine probabili caussa eo nomine essent, quo fuissent illæ familiæ quas ipse contingeret: deinde vt ingratorum in principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset studiosis iurisqui scripsissent vel dictassent ea: tum vt lege

maiestatis

maiestatis facta dictáque omnia, quibus modò A
delator non deesset, tenerentur. Reuocauit & prę-
mia coronarum, quæ vnquam sibi in certamini-
bus ciuitates detulissent. Et cùm interdixisset v-
sum amethystini ac Tyrij coloris, submisissetque
qui nundinarum die pauculas vncias venderet:
præclusit cunctos negotiatores. Quinetiam inter
canendum animaduersam matronam è spectacu-
lis, vetita purpura cultam, demonstrasse procura- B
toribus suis creditur: detractámque illicò, non ve-
ste modò, sed & bonis exuit. Nulli delegauit offi-
cium, vt non adiiceret: *scis quid mihi opus sit*, &
hoc agamus, ne quis quidquam habeat. Vltimò, tem-
plis compluribus dona detraxit, simulacráque ex
auro vel argento fabricata conflauit: in his Pena-
tium deorum, quæ mox Galba restituit. PARRI-
CIDIA & cædes a Claudio exorsus est: cuius necis,
etsi non auctor, at conscius fuit: neque dissimu-
lanter, vt qui boletos, in quo cibi genere vene- C
num is acceperat, quasi deorum cibum, posthac
prouerbio Græco collaudare sit solitus. Certè o-
mnibus rerum verborúmque contumeliis mor-
tuum insectatus est, modò stultitiæ, modo sæui-
tiæ arguens. Nam & *morari* eum inter homines
desiisse, producta prima syllaba iocabatur: multá-
que decreta & constituta, vt insipientis atque de-
liri, pro irritis habuit. Denique bustum eius con-
sepiri, nisi humili leuique materia neglexit. Bri-
tannicum, non minus æmulatione vocis, quæ illi D
iucundior suppetebat, quàm metu, ne quandóque
apud hominum gratiam paterna memoria præ-
ualeret, veneno aggressus est. Quod acceptum à
quadam Locusta venenariorum indice, cùm opi-
nione tardiùs cederet, ventre modò Britannici
moto: accersitam mulierem sua manu verberauit,
arguens pro veneno remedium dedisse. Excusan-
tique minus datum ad occultandam facinoris in-
uidiam: *Sane*, inquit, *legem Iuliam timeo*: coegitq;
se coram in cubiculo quàm posset velocissimum E
ac præsentaneum coquere. Deinde in hœdo ex-
pertus, postquam is quinque horas protraxit: ite-
rum ac sæpius recoctum, porcello obiecit. Quo
statim exanimato, inferri in triclinium, darique
cœnanti secum Britannico imperauit. Et cùm ille
ad primum gustum concidisset, comitiali morbo
ex consuetudine correptum apud conuiuas emen-
titus, postero die raptim inter maximos imbres
translatitio extulit funere. Locustæ pro nauata o-
pera, impunitatem prædiáque ampla, sed & disci- F
pulos dedit. Matrem, dicta factáque sua exquiren-
tem acerbiùs & corrigentem, hactenus primò
grauabatur, vt inuidia identidem oneraret, quasi
cessurus imperio, Rhodúmque abiturus: mox &
honore omni, & potestate priuauit: abductáque
militum & Germanorum statione, contubernio
quoque ac palatio expulit. Neque in diuexanda
quidquam pensi habuit: submissis & qui Romæ
morantem litibus, & in secessu quiescentem, per
conuitia & iocos, terra marique prætereuehentes
inquietarent. Verùm minis eius ac violentia ter- G
ritus perdere statuit. Et cùm veneno ter tentasset,
sentirétque antidotis præmunitam: lacunaria, quę
noctu super dormientem laxata machina decide-
rent, parauit. Hoc consilio per conscios parum ce-
lato, solutilem nauem, cuius vel naufragio vel ca-
meræ ruina periret, commentus est. Atque ita re-
conciliatione simulata, iucundissimis literis Ba-
ias euocauit ad sollennia Quinquatrium simul ce-
lebranda. datóque negotio trierarchis, qui Libur-
nicam, qua aduecta erat, velut fortuito concursu
confringerent, protraxit conuiuium. Repetentiq;
Baulos, in locum corrupti nauigij, machinosum
illud obtulit, hilare prosecutus: atque in digressu
papillas quoque exosculatus, reliquum temporis
cum magna trepidatione vigilauit, cœptorum op-
periens exitum. Sed vt diuersa omnia, nandóque
euasisse eam comperit, inops consilij, L. Ageri-
num libertum eius, saluam & incolumem cum
gaudio nuntiantem, obiecto clam iuxta pugione,
vt percussorem sibi subornatum arripi constrin-
gíque iussit, matrémque occidi: quasi deprehen-
sum crimen voluntaria morte vitasset. Addun-
tur his atrociora, nec incertis auctoribus, ad vi-
sendum interfectæ cadauer accurrisse, contrectas-
se membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitíque
interim oborta bibisse. Neq; tamen sceleris con-
scientiam, quanquam & militum & senatus po-
pulique gratulationibus confirmaretur, aut sta-
tim aut vnquam postea ferre potuit: sæpe confes-
sus exagitari se materna specie, verberibus Furia-
rum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per Ma-
gos sacro, euocare Manes, & exorare tentauit. Pe-
regrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris,
quorum initiatione impij & scelerati voce præ-
conis submouerentur, interesse non ausus est.
Iunxitque parricidio matris, amitæ necem. Quam
cùm ex duritia alui cubantem visitaret: & illa tra-
ctãs lanuginem eius, vt assolet, iam grandis natu,
per blanditias fortè dixisset, *Simul hanc excepero,
mori volo*: conuersus ad proximos, confestim se
positurum, velut irridens, ait: præcepitque medi-
cis, vt largiùs purgarent ægram. Nam necdum
defunctæ bona inuasit, suppresso testamento, ne
quid abscederet.

Vxores præter Octauiam duas postea duxit.
Poppæam Sabinam, quæstorio patre natam, & e-
quiti Romano antè nuptam: deinde Statiliam
Messallinam, Tauri bis cõsulis ac triumphalis ab-
neptem. Qua vt potiretur, virum eius Atticum
Vestinum cos. in honore ipso trucidauit. Octauiæ
consuetudinem citò aspernatus, corripientibus a-
micis, *sufficere illi debere* respondit, *vxoria orna-
menta*. Eandem mox sæpe frustra strãgulare medi-
tatus, dimisit vt sterilem: sed improbante diuor-
tium populo, nec parcente conuitiis, etiam rele-
gauit. Denique occidit sub crimine adulteriorum
adeò impudenti falsóque, vt in quæstione perne-
gantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum
indicem subiecerit, qui dolo stupratam a se fate-
retur. Poppæam duodecimo die post diuortium
Octauiæ in matrimonium acceptam, dilexit vni-
cè. Et tamen ipsam quoque ictu calcis occîdit:
quòd se ex aurigatione serò reuersum, grauida &
ęgra conuitiis incesserat. Ex hac filiam tulit Clau-
diam Augustam, amisítque admodum infantem.
Nullũ adeò necessitudinis genus est, quod nõ sce-
lere perculerit. Antoniam Claudij filiã, recusãtem
post Poppęę mortẽ nuptias suas, quasi molitricem
nouarũ rerum, interemit. Similiter interemit cæ-
teros, aut affinitate aliqua sibi aut propinquitate
coniunctos. In quibus Aulum Planciũ iuuenem:
quem cùm ante mortem per vim constuprasset:
Eat nunc, inquit, *mater mea & successorem meum
osculetur*: iactans dilectum ab ea, & ad spem impe-
rij impulsum. Priuignum Rufinum Crispinum,
Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur
ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum
piscaretur, seruis ipsius demandauit. Tuscum nu-

tricis filium relegauit, quòd in procuratione Ægypti, balneis in aduentum suum exstructis, lauisset. Senecam præceptorem ad necem compulit: quamuis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, persanctè iurasset, *suspectum se frustra, periturúmque potius quàm nociturum ei.* Butro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos diuites & senes, olim adoptionis, mox dominationis suæ fautores, atque rectores, veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit.

Nec minore sæuitia foris & in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, vt ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cęde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere: nobilissimo cuique exitium destinauit. Enimuero multò magis & quasi per iustam causam duabus coniurationibus promulgatis: quarū prior maiórq; Pisoniana, Romæ: posterior, Viniciana, Beneuenti conflata atque detecta est. Cōiurati è vinculis triplicium catenarum dixere causam: cùm quidam crimen vltro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tanquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi vrbe pulsi, enectíq; veneno aut fame. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis vno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

Nullus posthac adhibitus delectus, aut modus interimendi quoscunque libuisset, quacunque de caussa. Sed ne de pluribus referam, Saluidieno Orfito obiectum est, quòd tabernas tres de domo sua circa forum ciuitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino iurisconsulto, ac luminibus orbato, quòd in vetere gentili stemmate C. Cassij percussoris Cæsaris, imagines restituisset: Pæto Thraseæ, tristior & pædagogi vultus. Mori iussis, non ampliùs quàm horarum spatium dabat. Ac ne quid moræ interueniret, medicos admouebat, *qui cunctantes continuò curarent.* Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptij generis, crudam carnem & quidquid daretur mandere assueto, concupisse viuos homines laniandos absumendósque obiicere. Elatus inflatúsque tantis velut successibus, negauit *quemquam principum scisse quid sibi liceret.* Multásque nec dubias significationes sæpe iecit, ne reliquis quidem se parsurum senatoribus: eúmque ordinem sublaturum quandoque è Rep. ac prouincias & exercitus equiti Rom. ac libertis permissurum. Certè neque adueniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere Isthmi, magna frequentia clarè, *Vt sibi ac populo Rom. bene res verteret*, optauit: dissimulata senatus mentione. Sed nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi,

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί,

imò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planéque ita fecit: nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum, incendit vrbem tam palàm, vt plerique consulares, cubicularios eius, cum stupa tædáque in prædiis suis deprehensos non attigerint: & quædam borrea circa domum Auream, quorum spatium maximè desiderabat, vt bellicis machinis labefactata, atq; inflammata sint, quòd saxeo muro constructa erant. Per sex dies, septémque noctes ea clade sæuitum est, ad monumentorum bustorúmque diuersoria plebe compulsa. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, deorúmque ædes ab regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæque: & quidquid visendum, atque memorabile ex antiquitate durauerat. Hoc incendium è turri Mecenatiana prospectans, lætúsque *flammæ*, vt aiebat, *pulchritudine* ἅλωσιν Ilij in illo suo scenico habitu decantauit. Ac ne non hinc quoque quantum posset prædæ & manubiarum inuaderet, pollicitus cadauerum & ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: collationibúsque non receptis modò, verùm & efflagitatis, prouincias priuatorúmque census prope exhausit. ACCESSERVNT tantis ex principe malis probrísque quædam & fortuita: pestilentia vnius autumni, qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt: clades Britannica, qua duo præcipua oppida, magna ciuium sociorúmque cæde direpta sunt: ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia sub iugum missis, ægréque Syria retenta. Mirum, & vel præcipuè notabile inter hæc fuit, nihil eum patientiùs quàm maledicta & conuitia hominum tulisse: neque in vllos leniorem, quàm qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse. Multa Græcè Latinéque proscripta, aut vulgata sunt, sicut illa,

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι,
Νεόψηφον Νέρων, ἰδίαν μητέρα ἀπέκτεινε.

Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.
Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
Noster erit Pæan, ille Ἑκατηβελέτης.
Roma domus fiet: Veios migrate Quirites.
Si non & Veios occupat ista domus.

Sed neque auctores requisiuit: & quosdam per indicem delatos ad senatum, affici grauiore pœna prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, *quòd Naupli mala bene cantitaret, sua bona malè disponeret.* Et Datus Attellanarum histrioni, in cātico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauerat, vt bibentem natantémque faceret, exitum C. Claudij Agrippinæque significans: & in nouissima clausula,

Orcus vobis ducit pedes,

Senatum gestu notaret: histrionem & philosophum Nero nihil amplius quàm vrbe Italiáque submouit, vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia. TALEM principem paullò minus XIIII. āuos perpessus terrarum orbis, tandem destituit: initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam prouinciam pro prætore obtinebat. Prædictum à mathematicis Neroni olim erat, fore vt quandoque destitueretur: vnde illa vox eius celeberrima, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει. quo maiore venia meditaretur citharœdicam, artem principi sibi gratam, priuato necessariam. Spoponderunt tamen quidam destituto ei dominationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionem. Cui spei pronior, Britannia Armeniáque amissa, ac rursus vtraque recepta, defunctum se fatalibus malis existimabat. Vt verò consulto Delphis Apolline,

polline, septuagesimum ac tertium annum cauendum sibi audiuit, quasi eo demum obiturus, ac nihil coniectans de ætate Galbæ, tanta fiducia, non modò senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, vt amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitauerit inter suos dicere, *pisces eas sibi relaturos*. Neapoli de motu Galliarum cognouit die ipso, quo matrem occiderat: adeóque lentè ac securè tulit, vt gaudentis etiam suspicionem præberet, tamquam occasione nata spoliandarum iure belli opulentissimarum prouinciarum. Statimque in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectauit. Cœnæ quoque tempore interpellatus, tumultuosioribus literis, hactenus excanduit, vt malum iis qui defecissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliterauit. Edictis tandem Vindicis contumeliosis, & frequentibus permotus, senatum epistola in vltionem sui reique publicæ adhortatus est, excusato languore faucium, propter quem nõ adesset. Nihil autem æquè doluit quàm vt citharœdum malum se increpitum, ac pro Nerone Aenobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumturum se professus est, deposito adoptiuo. Cætera conuitia vt falsa, non alio argumento refellebat, quàm quòd etiam inscitia tantopere laboratæ perfectæque à se artis obiiceretur, singulos subinde rogitans, nossentne quemquam præstantiorem. Sed vrgentibus aliis super alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. Leuitérque modò in itinere friuolo auspicio mente recreata, cùm annotasset insculptum monumento, militem Gallum ab equite Rom. oppressum, trahi crinibus, ad eam speciem exiluit gaudio, cœlúmq; adorauit. Ac ne tunc quidem aut senatu, aut populo coram appellato, quosdam è primoribus viris domum euocauit: transactáque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica noui & ignoti generis circumduxit. Ostendénsque singula, de ratione ac difficultate cuiusque disserens, iámque se etiam prolaturum omnia in theatrum affirmauit, si per Vindicem liceat.

Postquam etiam deinde Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animóque malè fracto, diu & sine voce, & propè intermortuus iacuit. Vtque resipiit, veste descissa, capite conuerberato, *actum de se* pronuntiauit. Consolantique nutriculæ, & aliis quoque iam principibus similia accidisse memoranti, *Se verò præter cæteros inaudita & incognita pati* respondit, qui *suum imperium viuus amitteret*. Nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiæ omisit vel imminuit. Quinimo, cùm prosperi quiddam ex prouinciis nuntiatum esset, super abundantissimam cœnam iocularia in defectionis duces carmina, lasciuéque modulata, quæ vulgò innotuerunt, etiam gesticulatus est: ac spectaculis theatri clàm illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, *abuti eum occupationibus suis*.

Initio statim tumultus, multa & immania, verùm non abhorrentia à sua natura, creditur destinasse. Successores, percussorésque submittere exercitus & prouincias regentibus, quasi conspiratis, idémque & vnũ sentientibus: quidquid vbiq; exsulum, quidquid in vrbe hominũ Gallicanorũ

A esset, contrucidare: illos, ne desciscentibus aggregarentur: hos, vt conscios popularium suorum, atque fautores: Gallias exercitibus diripiendas permittere: senatum vniuersum veneno per conuiuia necare, vrbem incendere, feris in populum immissis, quò difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam pœnitentia quam perficiendi desperatione, credensq; expeditionem necessariam, coss. ante tempus priuauit honore: atq; in vtriusque locum solus iniit consulatum, quasi fatale es-
B set, non posse Gallias debellari nisi à consule, ac susceptis fascibus. Cùm post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmauit, simul ac primùm prouinciam attigisset, inermem se conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quàm fleturum. Reuocatísque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret. In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis scenicis organis, concubinásque, quas secum educeret, tõdendi ad virilem modum, & securibus peltisque Amazonicis instruendi.
C Mox tribus vrbanas ad sacramentum citauit: ac nullo idoneo respondente, certum dominis seruorum numerum indixit: nec nisi ex tota cuiusq; familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre iussit: & insuper inquilinos priuatarum ædium atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco. Exegitque ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam: vt ple-
D rique omnem collationem palàm recusarent, cõsensu flagitantes, à delatoribus potius reuocanda præmia quæcumque cepissent. Ex annonæ quoque caritate lucrantium accreuit inuidia. Nam & fortè accidit, vt in publica fame, Alexandrina nauis nuntiaretur puluerem luctatoribus aulicis aduexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin subiret. Statuæ eius à vertice currus appositus est cũ inscriptione Græca, *Nunc demum agona esse*, &, *Traheret tan-*
E *tem*. Alterius collo & ascopera deligata, simúlque titulus, *Ego quid potui? sed tu culeum meruisti*. Adscriptum & columnis, *Etiam Gallos eum cantando excitasse*. Iam noctibus iurgia cum seruis plerique simulantes, crebrò Vindicem poscebant.

Terrebatur adhæc euidentibus portentis somniorum & auspiciorum, & omnium tum veteribus tum nouis: numquam antea somniare solitus. Occisa demum matre, vidit per quietem, nauem sibi regenti extortum gubernaculum: trahíque se
F ab Octauia vxore in arctissimas tenebras: & modò pennatarum formicarum multitudinem oppleri: modò à simulacris gentium ad Pompeij theatrum dedicatarum circuiri arcerique progressu: asturconem, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantùm capite integro hinnitus ede-
G re canoros. De Mausoleo sponte foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum cientis. Kalen. Ianuarij exornati Lares in ipso sacrificij apparatu conciderunt. Auspicanti Sporus anulum muneri obtulit: cuius gemmæ sculptura erat, *Proserpinæ raptus*. Votorum nuncupatione magna iam ordinum frequentia vix repertæ Capitolij claues. Cùm ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in senatu, *daturos pœnas sceleratos, ac*

breui dignum exitum facturos, conclamatum est ab vniuersis: *Tu facies Auguste*. Obseruatum etiam fuerat, nouissimam fabulam cantasse cum publicè *OEdipodem exsulem*, atque in hoc decidisse versu,

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

Nuntiata interim etiam cæterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit: duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit: ac sumto à Locusta veneno, & in auream pyxidem condito, transiit in hortos Seruilianos. Vbi præmissis libertorum fidissimis, Ostiam, ad classem præparandam, tribunos centurionésque prætorij de fugæ societate tentauit. Sed partim tergiuersantibus, partim apertè detrectantibus, vno verò etiam proclamante,

Vsque adeóne mori miserum est?

varia agitauit, Parthóśne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, próq; Rostris quanta maxima posset miseratione veniam præteritorum precaretur: ac ni flexisset animos, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Inuentus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne priùs quàm in forū perueniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam ferè noctem excitatus, vt comperit stationem militum recessisse prosiluit è lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil à quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verùm clausis omniū foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: vnde iam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Ac statim Spicillum myrmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisiuit. Et nemine reperto: *Ergo ego*, inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum? procurritque quasi precipitaturus se in Tiberim*. Sed reuocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desiderauit: & offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam & Numentanam viam circa quartum milliarium, vt erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit: adopertóque capite, & ante faciem obtento sudario equum inscendit, quatuor solùm comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statímque tremore terræ, & fulgure aduerso pauefactus, audiit ex proximis castris clamorem militum, & sibi aduersa & Galbæ prospera ominantium: etiam ex obuiis viatoribus quendam dicentem, *Hi Neronem persequuntur*: alium sciscitantem, *Ecquid in vrbe noui de Nerone?* Equo autem odore abiecti in via cadaueris consternato, detecta facie agnitus est à quodam Missicio prætoriano, & salutatus. Vt ad diuerticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægrè, nec nisi strata sub pedibus veste, ad auersum villæ parietem euasit. Ibi hortante eodem Phaonte, vt interim in specum egestæ arenæ concederet, negauit *se viuum sub terram iturum*: ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subiecta lacuna poturus manu hausit: & *Hæc est*, inquit, *Neronis decocta*. Deinde diuulsa sentibus pænula traiectos surculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cauernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum modicella culcita: vetere pallio strato instructum. Faméque interim & siti

A interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit. Tunc vnoquoque hinc inde instante, vt quàm primùm se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperauit, dimensus ad corporis sui modulum: componíque simul, si qua inuenirentur, frusta marmoris, & aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaueri, flens

B ad singula, atque identidem dictitans: *Qualis artifex pereo!* Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos prærripuit, legitque *se hostem à senatu iudicatum & quæri, vt puniatur more maiorum*. Interrogauitque quale id genus esset pœnæ. Et cùm comperisset nudi hominis, ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentatáque vtriusque acie rursus condidit, caussatus *nondum adesse fatalem horam*. Ac modò Sporum hortaba-

C tur, vt lamentari ac plangere inciperet: modò orabat, vt se aliquis ad mortem capessendam exemplo iuuaret: interdum segnitiem suam his verbis increpabat: *Viuo deformiter ac turpiter*, οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει, νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Iámque equites appropinquabant, quibus præceptum erat vt viuum eum attraherent. Quod vt sensit, trepidanter effatus,

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à li-

D bellis. Semianimísque adhuc irrumpenti centurioni, & pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quàm *Sero*, &, *Hæc est fides*. Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibúsque oculis vsque ad horrorem formidinémque visentium. Nihil priùs ac magis à comitibus exegerat, quàm ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed vt, quoquo modo, totus cremaretur. Permisit hoc Icelus Galbæ libertus, non multò antè vinculis exsolutus, in quæ

E primo tumultu coniectus fuerat. Funeratus est impensa ducentorū milliū, stragulis albis auro intextis, quibus vsus Kalend. Ianuarij fuerat. Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur è campo Martio impositum colle hortorum. In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstanti Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio. STATVRA fuit pæne iusta: corpore maculoso & fœdo: suffla-

F uo capillo: vultu pulcro magis quàm venusto: oculis cæsiis & hebetioribus: ceruice obesa, ventre proiecto; gracillimis cruribus, valetudine prospera. Nam qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per XIIII. annos languit, atque ita, vt neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum habitúmque adeò pudendus, vt comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit: ac plerumque synthesinam indutus, ligato circum collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu

G & discalceatus. LIBERALES disciplinas omnes fere puer attigit. Sed à philosophia eum mater auertit: monens, imperaturo contrariam esse: à cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quò diutius in admiratione sui detineret. Itaque ad poeticam pronus carmina libenter, ac fine labore composuit, nec, vt quidam putant, aliena pro suis edidit. Venêre in manus meas pugillares libellique, cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis: vt facilè appareret, nō translatos,

tranſlatos, aut dictante aliquo exceptos: ſed planè quaſi à cogitante atque generante exaratos: ita multa & deleta & inducta & ſuperſcripta inerant.

Habuit & pingendi fingendíque maximè non mediocre ſtudium. Maximè autem popularitate efferebatur; omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi mouerent. Exiit opinio poſt ſcenicas coronas proximo luſtro deſcenſurum eum ad Olympia inter athletas. Nam luctabatur aſſiduè: nec aliter certamina gymnica Græcia tota ſpectauerat, quàm brabeutarum more in ſtadio humi aſſidens: ac ſi qua paria longiùs receſſiſſent, in medium manibus ſuis protrahens. Deſtinauerat etiam qui Apollinem cantu, Solem aurigando æquiparare exiſtimaretur, imitari & Herculis facta. Præparatúmque leonem aiunt, quem vel claua vel brachiorum nexibus in Amphiteatri arena ſpectante populo nudus eliderет. Sub exitu quidem vitæ palàm vouerat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam & choraulam, & vtricularium, ac nouiſſimo die hiſtrionem, ſaltaturúmque Virgilij Turnum. Et ſunt qui tradant Paridem hiſtrionem occiſum ab eo, quaſi grauem aduerſarium. Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, ſed inconſulta. Ideóque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta, nouam induxit ex ſuo nomine. Menſem quoque Apri-

A lem, Neroneum appellauit. Deſtinauerat & Romam Neropolim nuncupare.

Religionum vſquequaque contemptor, præter vnius deæ Syriæ. Hanc mox ita ſpreuit, vt vrina contaminaret: alia ſuperſtitione captus, in qua ſola pertinaciſſimè hęſit. Siquidem icunculam puellarem, cùm quaſi remedium inſidiarum à plebeio quodam & ignoto muneri accepiſſet, detecta cōfeſtim coniuratione pro ſummo numine triníſq; in die ſacrificijs colere perſeuerauit: volebátque

B credi monitione eius futura prænoſcere. Ante paucos quàm periret menſes, attendit & extiſpicio, nec vnquam litauit. Obiit ſecundo & trigeſimo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat. Tantúmque gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe diſcurreret. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æſtiuiſque florentibus tumulum eius ornarēt: ac modò imagines prętextatas in Roſtris pro-

C ferrent, modò edicta, quaſi viuentis, & breui magno inimicorum malo reuerſuri. Quinetiam Vologeſus Parthorum rex, miſſis ad Senatum legatis de inſtauranda ſocietate, hoc etiam magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Denique cùm poſt viginti annos adoleſcente me extitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe iactaret, tam fauorabile nomē eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus ſit.

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER VII.

SER. SVLPITIVS GALBA.

PROGENIES Cæſarum in Nerone defecit. quod futurum compluribus quidem ſignis, ſed euidentiſſimis duobus apparuit. Liuiæ olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Veientanum ſuum reuiſenti, prætervolans aquila, gallinam albam; ramulum lauri roſtro tenentem, ita vt rapuerat, demiſit in gremium: cúmque nutriri alitem, pangique ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles prouenit, vt hodie quoque ea villa ad *Gallinas* vocetur: tale verò lauretum, vt triumphaturi Cæſares inde laureas decerperēt: fuitque mos triumphantibus, alias confeſtim eodem loco pangere: & obſeruatum eſt ſub cuiuſque obitum, arborem ab ipſo inſtitutam, elanguiſſe. Ergo nouiſſimo Neronis anno, & ſilua omnis exaruit radicitus, & quidquid ibi gallinarum erat, interiit: ac ſubinde tacta de cœlo Cæſarum æde, capita omnibus ſimul ſtatuis deciderunt: Auguſtique ſceptrum è manibus excuſſum eſt.

NERONI GALBA ſucceſſit, nullo gradu contingens Cæſarum domum: ſed haud dubiè nobiliſſimus, magnáque & vetere proſapia: vt qui ſtatuarum titulis *PRONEPOTEM Q. CATVLI CAPILOLINI* ſemper adſcripſerit: Imperator verò etiam ſtemma in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Iouem: maternam, ad Paſiphaen Minois vxorem referret. Imagines & elogia vniuerſi generis exſequi longum eſt: fami-

D liæ breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, aut vnde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quòd oppidum Hiſpanię fruſtra diu oppugnatum illitis demum galbano facibus ſuccenderit: alij quòd in diuturna valetudine galbeo, id eſt, remediis lana inuolutis aſſiduè vteretur: nonnulli quòd præpinguis fuerit viſus, quem *galbam* Galli vocant: vel contra, quòd tam exilis, quàm ſunt animalia, quę in eſculis naſcuntur, appellantúrque galbæ. Familiam illuſtrauit

E Ser. Galba conſularis, temporum ſuorum eloquētiſſimus: quem tradunt, Hiſpaniam ex prætura obtinentem, xxx. Luſitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli cauſſā extitiſſe. Eius nepos ob repulſam conſulatus infenſus Iulio Cęſari, cuius legatus in Gallia fuerat, conſpirauit cū Caſſio & Bruto: propter quod Pedia lege damnatus eſt. Ab hoc ſunt Imperatoris Galbæ auus & pater. Auus clarior ſtudiis quàm dignitate: nō enim egreſ-

F ſus prætutę gradum, multiplicem nec incurioſam hiſtoriā edidit. Pater conſulatu functus, quàm breui corpore atque etiam gibber modicæque in dicēdo facultatis, cauſſas induſtriè actitauit. Vxores habuit Mummiam Achaicam, neptem Catuli, proneptem L. Mummij, qui Corinthum excidit: item Liuiam Ocellinam, ditem admodum & pulcrā. à qua tamen nobilitatis cauſſā appetitus vltro exiſtimatur, & aliquanto enixius, poſtquam ſub-

inde instanti vitium corporis secretò posita veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Ex Achaica liberos, Caiũ & Seruium procreauit. Quorum maior Caius attritis facultatibus vrbe cessit: prohibitúsq; à Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit. SER. Galba Imperator, M. Valerio Messalla, Cn. Lentulo COSS. natus est, IX. Kal. Ianuarij, in villa colli supposita, prope Terracinam sinistrorsum Fundos petentibus. Adoptatus à nouerca sua Liuij nomen, & Ocellæ cognomen assumsit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Seruio vsq; ad tempus imperij vsurpauit. Cõstat Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales, apprehensa buccula dixisse, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Sed & Tiberius, cùm comperisset imperaturum eum, verùm in senecta: *Viuat sanè* ait, *quãdo id ad nos nihil pertinet.* Auo quoque eius fulgur procuranti, cùm exta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum, sed serum imperium portendi familiæ responsum est. Et ille irridens: *Sanè*, inquit, *cùm mula pepererit.* Nihil æque postea Galbam tentantem res nouas confirmauit, quam mulæ partus: cæterisque, vt obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lętissimo accepit, memor sacrificij, dictiq; aui. Sumpta virili toga somniauit fortunã dicente, *stare se ante fores defessam: & nisi ocyus reciperetur, cuicunque obuio prædæ futuram.* Vtq; euigilauit aperto atrio, simulacrum æneum Deæ cubitali maius iuxta limen inuenit: idque gremio suo Tusculum, vbi æstiuare consueuerat, auexit: & in parte ædium consecratũ, menstruis deinceps supplicationibus & peruigilio anniuersario coluit. Quamquam autem nõdum ætate constanti, veterem ciuitatis, exoletúmque morem, ac tantum in domo sua hærẽtem, obstinatissimè retinuit: vt liberti seruiq; bis die frequentes adessent, ac mâne *salutare*, vesperi *valere* sibi singuli dicerent. INTER liberales disciplinas attendit iuri. Dedit & matrimonio operam: verùm amissa vxore Lepida, duobúsq; ex ea filiis, remansit in cœlibatu, neque sollicitari vlla cõditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem viduatę morte Domitij, quę maritum quoqueadhuc necdum cælibem Galbam, adeò omnibus sollicitauerat modis, vt inter conuentum matronarum correpta iurgio, atque etiam manu pulsata sit à matre Lepida. Obseruauit ante omnes Liuiam Augustam: cuius & viuæ gratia plurimum valuit, & mortuæ testamento pæne ditatus est. HS. namque quingenties cùm præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta reuocante, ne hoc quidem accepit. HONORIBVS ante legitimum tempus initis, prætor commissione ludorum Floralium, nouum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit: exin prouinciæ Aquitaniæ anno fere præfuit: mox consulatum per sex menses ordinarium gessit. Euenitque vt in eo ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Saluius Otho pater Othonis succederet, velut præsagium insequentis casus, quo medius inter vtriusque filios extitit Imperator. A Caio Cæsare, Gætulico substitutus, postridie quàm ad legiones venit, sollenni fortè spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, *vt manus pænulis continerent.* Statim per castra iactatum est,

Disce miles militare, Galba est, non Gætulicus.

Pari seueritate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militẽ opere assiduo corroborauit: maturéq; barbaris: qui iam in Galliam vsque proruperant, coercitis, præsenti quoque Caio talem & se & exercitum approbauit, vt inter innumeras contractásque ex omnibus prouinciis copias, neque testimonium, neque præmia ampliora vlli perciperent. Ipse maximè insignis, quòd campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.

CÆDE Caij nuntiata, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prętulit. Per hoc gratissimus Claudio, receptúsque in cohortem amicorum, tantæ dignationis est habitus, vt cùm subita ei valitudo nec adeò grauis incidisset, dilatus sit expeditionis Britannicæ dies. Africam pro consule biennio obtinuit, extra sortem electus ad ordinãdam prouinciam, & intestina dissensione, & barbarorum tumultu inquietam. Ordinauitque magna seueritatis ac iustitiæ cura, etiam in paruulis rebus. Militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum, tritici modium cẽtum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simulatque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri: & is fame extabuit. At in iure dicendo, cùm de proprietate iumẽti quęreretur, leuibus vtrimq; argumentis, & testibus, ideóq; difficili coniectura veritatis, ita decreuit, vt ad lacum, vbi adaquari solebat, duceretur capite inuoluto: atque ibidem reuelato, eius esset ad quem sponte se à potu recepisset. Ob res, & tunc in Africa, & olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit, & sacerdotium triplex, inter XV. viros, sodalesque Titios, itemq; Augustales cooptatus, atq; ex eo tempore prope ad medium Neronis principatum in secessu plurimum vixit: ne ad gestandum quidem vmquam iter ingressus, quàm vt secum vehiculo proximo decies HS. in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti Hispania Tarraconẽsis oblata est. Accidítque, vt cùm prouinciam ingressus sacrificaret, intra ædem publicam, puero è ministris acerram tenenti, capillus repentè toto capite canesceret. Nec defuerunt qui interpretarentur, significari rerum mutationem, successurúmque iuueni senem: hoc est, ipsum Neroni. Nec multo pòst in Cantabriæ lacum fulmen decidit: repertæque sunt duodecim secures, haud ambiguum summi Imperij signum. Per octo annos variè & inęquabiliter prouinciam rexit. Primo acer, vehemens, & in coercendis quidem delictis vel immodicus. Nam & nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputauit, mensæque eius affixit. Et tutorẽ, quòd pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit: implorantíq; leges, & ciuem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multóq; præter cæteras altiorẽ & dealbatam statui crucem iussit. Paullatim in desidiam segnitiémque conuersus est, ne quid materiæ præberet Neroni: &, vt dicere solebat, *quòd nemo rationem otij sui reddere cogeretur.* Carthagine noua cõuentum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitanię auxilia implorante, superuenerũt Vindicis litterę, hortantis *vt humano generi assertorem ducémque se accommodaret.* Nec diu cunctatus cũditionem partim metu partim spe recepit. Nam & mãdata Neronis de nece sua ad procuratores clàm missa deprehenderat: & confirmabatur cum se-

cundissimis

[illegible] auspiciis, & ominibus, tum virginis
[illegible] vaticinatione, tanto magis, quòd eadem
[illegible] sacerdos Iouis Cluniæ ex penetrali
somnio monitus eruerat, ante ducentos annos si-
militer à fatidica puella pronuntiata. Quorum
[illegible] sententia erat, *Oriturum quandoque*
ex Hispania principem, dominumq; rerum.

[illegible] cum quasi manumissioni vacaturus
[illegible] tribunal, propositis ante se damna-
torum occisorumque à Nerone quàm plurimis i-
maginibus, & adstante nobili puero, quem exsu-
lantem ex proxima Baleari insula, ob id ipsum ac-
[illegible], deplorato temporum statum, consalutatúsque
[illegible] *IMPERATOR*, *legatum se Senatus populi*
R. professus est. Deinde iustitio indicto, è plebe
[illegible] prouinciæ legiones & auxilia conscri-
psit super exercitum veterem legionis vnius, dua-
[illegible] alarum & cohortium trium. Ac è pri-
[illegible] prudentia atque ætate præstantibus, ve-
[illegible] ad quos de maiore re, quoties
[illegible] referretur, instituit. Delegit & equestris
[illegible] anulorum aureo-
rum [illegible] ex [illegible] sque cir-
ca [illegible] excubitum agerent. Etiam
[illegible] auctor singulis vni-
[illegible] simul & vt qua posset
quisque [illegible] caussam iuuarent.
Per [illegible] munitione oppidi, quod
sedem bello [illegible] repertus est anulus opere
antiquo [illegible] victoriam cum tro-
pæo exprimente [illegible] de Alexandria nauis
Dertosam [illegible] sine gubernato-
re, sine nauta [illegible] vt nemini dubium
esset, iustum [illegible] fauentibus diis, bellum
suscipi: cùm [illegible] ex inopinato prope cuncta
turbata sunt [illegible] appropinquan-
tem, pœnit [illegible] destituere co-
nata est, ægreque [illegible] & serui, quos
à liberto Neronis [illegible] fraudem præparatos muneri
acceperat, per [illegible] tum in balneas transeun-
tem pæne interemerunt: nisi cohortantibus inui-
cem, ne occasionem omitterent, interrogatísque
de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu
confessio esset. Accessit ad tanta discrimina mors
Vindicis, qua maxime consternatus, destitutóque
similis, non multum abfuit quin vitæ renuntia-
ret. Sed superuenientibus ab vrbe nuntiis, vt occi-
sum Neronem, cunctósque in verba sua iurasse
cognouit: deposita, LEGATI, suscepit CÆSA-
RIS appellationem. Itérque ingressus est paluda-
tus, ac dependente a ceruicibus pugione ante pe-
ctus, nec prius vsum togæ recuperauit quàm op-
pressi, qui nouas res moliebantur, præfecto præ-
torij Nymphidio Sabino, Romæ: in Germania,
Fonteio Capitone: in Africa Clodio Macro, lega-
tis. PRÆCESSERAT de eo fama sæuitiæ simul atq;
auaritiæ: quòd ciuitates Hispaniarum Galliarum-
que, quæ cunctantiùs sibi accesserant, grauioribus
tributis, quasdam etiam murorum destructione
punisset: & præpositos procuratores [illegible]
capitis affecisset cum coniugibus ac liberis: quód-
que oblatam à Tarraconensibus è vetere templo
Iouis coronam auream librarum quindecim con-
flasset, ac tres vncias quæ ponderi decrant, iu-
sisset [illegible]. Ea fama & confirmata & aucta est vt
primum vrbem introijt. Nam cùm classiarios
quos Nero ex remigibus iustos milites [illegible]
dire ad pristinum statum cogeret. [illegible]
atque insuper aquilam, & signa pertinaciùs [illegible]

A gitantes, non modo immisso equite disiecit, sed
decimauit etiam. Item Germanorum cohortem à
Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam,
multisq; experimentis fidelissimam, dissoluit, ac
sine vllo commodo remisit in patriam: quasi Cn.
Dolabellæ, iuxta cuius hortos tendebat, pronio-
rem. Illa quoq; verène an falsò, per ludibrium ia-
ctabantur, apposita lautiore cœna, ingemuisse eum.
Et ordinario quidem dispensatori breuiarium ra-
B tionum offerenti, paropsidem leguminis pro se-
dulitate ac diligentia porrexisse. Cano autem cho-
raulæ, mirè placenti, denarios quinque donasse,
prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis.
Quare aduentus eius non perinde gratus fuit: idq;
proximo spectaculo apparuit. Siquidem Atellanis
notissimum canticum exorsis, *Venit Io Simus à vil-*
la: cuncti simul spectatores consentiente voce re-
liquam partem tulerunt, ac sæpius versu repetito
egerunt. Maiore adeò & fauore & auctoritate a-
C deptus est, quàm gessit, Imperium: quanquam
multa documenta egregij principis daret: sed ne-
quaquam tam grata erant, quàm inuisa quæ secus
fierent. Regebatur trium arbitrio, quos vnà &
intra Palatium habitantes, nec vnquam non ad-
hærentes, pædagogos vulgò vocabant. Hi erant
T. Vinius legatus eius in Hispania, cupiditatis im-
mensæ: Cornelius Laco, ex assessore præfectus
prætorij, arrogantia socordiáque intolerabilis:
D incertus Icelus, paullò antè anulis aureis, & Mar-
tiani cognomine ornatus, ac iam summi eque-
stris gradus candidatus. His diuerso vitiorum ge-
nere grassantibus, adeò se abutendum permisit &
tradidit, vt vix sibi ipsi constaret: modò acerbior
parciorque, modò remissior ac negligentior quàm
conueniret principi electo, atque illius ætatis.
Quosdam claros ex vtroque ordine viros suspicio-
ne minima, inauditos condemnauit. Ciuitatem
Romanam rarò dedit. Iura trium liberorum vix v-
E ni atque alteri: ac ne his quidem, nisi ad certum
præfinitumq; tempus. Iudicibus sextam decuriam
adijci precantibus, non modo negauit: sed etiam
concessum à Claudio beneficium, ne hieme ini-
tióque anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.
Existimabatur etiam senatoria & equestria officia
bienni spatio determinaturus, nec daturus nisi in-
uitis ac recusantibus. Liberalitates Neronis non
plus decimis concessis, per quinquaginta equites
F R. ea conditione reuocandas curauit exigendasq;:
vt & si quid [illegible] aut xystici donatum olim ve-
didissent, auferretur emptoribus, quādo illi absum-
pto pretio soluendo non [illegible] quirent. At contrà, nihil non
per comites atq; libertos pretio adipisci, aut donari
gratia passus est, vectigalia, immunitates, pœnas
innocentium, impunitates noxiorum. Quinetiam
pop. R. deposcente supplicium Haloti & Tigilli-
ni, solos ex omnibus Neronis emissariis vel ma-
leficentissimos incolumes præstitit, atque insuper
Halotum procuratione amplissima ornauit. Pro
G Tigillino etiam sæuitiæ populum increpuit edi-
cto. PER hæc prope vniuersis ordinibus offensus,
vel præcipua flagrauit inuidia apud milites. Nam
cùm in verba eius absentis iurantibus donati-
uum grandius solito præpositi pronuntiassent,
neque ratam rem habuit, & subinde iactauit, *le-*
gere se militem, non emere consueße. Atque eo qui-
dem nomine omnes qui vbique erant exacerba-
uit. Cæterum pretorianos etiam metu & indigni-
tate commouit, remouens subinde plerosque vt
suspectos, & Nymphidij socios. Sed maximè fre-

mebat superioris Germaniæ exercitus, fraudari se præmiis nauatæ aduersus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obsequium rumpere ausi, Kalend. Ianuar. adigi sacramento, nisi in nomen senatus, recusarunt, statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinauerunt, *displicere Imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi quem cuncti exercitus comprobarent.* Quod vt nunciatum est, despectui esse non tam senectam suam, quàm orbitatem ratus, Pisonem Frugi Licinianum, nobilem egregiúmque iuuenem, ac sibi olim probatissimum, testamentóque semper in bona & nomen [illegible] tum, repentè è media salutantium turba apprehendit: filiumque appellans, perduxit in castra, ac pro concione adoptauit: ne tunc quidem donatiui vlla mentione facta: quo faciliorem occasionem M. Saluio Othoni præbuit perficiendi conata, intra sextum adoptionis diem. MAGNA & assidua monstra iam inde à principio exitum ei, qualis euenit, portenderant. Cum per omne iter dextra sinistráque oppidatim victimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo, essedum eius inuasit, elatísque pedibus totum cruore perfudit, ac descendentem speculator impulsu turbæ lancea propè vulnerauit. Vrbem quoque, & inde Palatium ingressum, excepit terræ tremore, & assimilis quidam mugitus sonus. Secuta sunt aliquantò manifestiora. Monile margaritis gemmísque consertum ad ornandum Fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreuerat: id repentè quasi augustiore dignius loco Capitolinæ Veneri dedicauit: ac proxima nocte somniauit speciem Fortunæ querentis fraudatam se dono destinato, minantísque erepturam & ipsam quæ dedisset. Cúmque exterritus luce prima ad expiandum somnium, præmissis qui rem diuinam appararent, Tusculum excucurrisset, nihil inuenit præter tepidam in ara fauillam, atratúmque iuxta senem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. Obseruatum etiam est Kalend. Ianuariis sacrificanti coronam de capite excidisse: auspicanti pullos euolasse: adoptionis die, neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro Tribunali, oblitis ministris, & in senatu curulem peruersè collocatam. Prius verò quam occideretur, sacrificantem manè haruspex identidem monuit, caueret periculum: non longè percussores abesse. Haud multò post cognoscit teneri castra ab Othone: ac plerisque vt eodem quamprimùm pergeret suadentibus (posse enim auctoritate & præsentia præualere) nihil amplius quàm continere se statuit: & legionariorum firmare præsidiis, qui multifariam diuersèque tendebant. Loricam tamen induit linteam, quamquam haud dissimulans parum aduersus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, vt eum in publicum elicerent, de industria dissiparant, paucis temerè affirmantibus [illegible] factum negotium, oppressos qui tumultuarentur, aduenire frequentes cæteros gratulabundos, & in omne obsequium paratos: his vt occurreret, prodiit tanta fiducia, vt militi cuidam occisum à se Othonem glorianti, *Quo auctore* responderit, atque in Forum usque processit. Ibi equites, quibus mandata [illegible] erat, [illegible] per publicum dimota [illegible] quos adegissent, viso procul [illegible] per [illegible] runt: deinde [illegible] ursum incitati, [illegible] a suis [illegible] idatunt. SVNT QVI tradant [illegible] primum tumultum proclamasse eum, *Quid agitis commilitones? ego vester sum & vos mei:* donatiuum, etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse vltro iugulum: & *vt hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur* hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque præsentium quempiam opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui accerserentur spreuisse nuntium, excepta Germanicorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quòd se ægros & inualidos magnopere fouisset, in auxilium aduolauere: sed serius itinere deuio per ignorantiam locorum retardati. Iugulatus est ad lacum Curtij, ac relictus, ita vt erat, donec gregarius miles à frumentatione rediens abiecto onere caput ei amputauit. Et quoniam capillo arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inserto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibúsq; donauit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem, *Galba cupide fruaris ætate tua.* Maxime irritati ad talem iocorum petulantiam quòd ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, vt adhuc floridam & vegetam respondisse eum: *ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν.* Ab his Patrobij Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco vbi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit. Serò tandem dispensator Argius, & hoc & cæterum truncum in priuatis eius hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.

Statura fuit iusta, capite caluo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibúsque articulari morbo distortissimis: vt neque calceum perpeti, neque libellos euoluere aut tenere omnino valeret. Excreuerat etiam in dextero eius latere caro, propendebatq; adeò, vt ægrè fascia substringeretur. Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere consueuerat; inter cœnam verò vsque eo abundantem, vt congestas super manus reliquias circumferri iuberet, spargique ad pedes stantium. Libidinis in mares pronior: & eos non nisi præduros, exoletósque. Ferebant in Hispania Icelum è veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modò artissimis osculis palàm exceptum ab eo, sed vt sine mora velleretur oratum, atque seductum. Periit tertio & septuagesimo ætatis anno, Imperij mense septimo. Senatus vt primum licitum fuit, statuam ei decreuerat rostratæ columnæ superstantem in parte Fori, qua trucidatus est. Sed decretum Vespasianus aboleuit, percussores sibi ex Hispania in Iudæam submisisse opinatus.

MAIORES SALVII OTHONIS.

MAIORES Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex principibus Etruriæ. Auus M. Saluius Otho, patre equite Rom. matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liuiæ Augustæ, in cuius domo creuerat, senator est factus, nec præturæ gradum excessit. Pater L. Otho materno genere præclaro, multorum & magnorum propinquitatum, tam charus, tamque non absimilis facie Tiberio principi fuit, vt plerique procreatum ex eo crederent. Vrbanos honores, proconsulatum Africæ, & extraordinaria imperia seuerissimè administrauit. [illegible] etiam est in Illyrico milites quos [illegible] Camilli [illegible] nit [illegible] a præ[illegible]

tos suos, quasi defectionis aduersus Claudium auctores, occiderant, capite punire: & quidem ante principia se coram: quamuis ob id ipsum promotos in ampliorem gradū à Claudio sciret. Quo facto, sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen maturè recuperauit, detecta equitis R. fraude, quem prodentibus seruis necē Claudio parare compererat. Namque & senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita, prosecutus est eum: & Claudius allectum inter patricios collaudans amplissimis verbis, hoc quoque adiecit: *Vir quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Ex Albia Terentia fœmina duos tulit filios, L. Titianum, & minorem Marcum cognominem sibi. Tulit & filiam, quam nondū nubilem Druso Germanici filio despondit. OTHO Imperator, IIII. Kal. Maij natus est, Camillo Arrūtio, Domitio Aënobarbo, COSS. A prima adolescentia prodigus, ac procax, adeò vt sæpe flagris obiurgaretur à patre. Ferebatur & vagari noctibus solitus: atque inualidum quemque obuiorum vel potulētum corripere: ac distento sago impositum in sublime iactare. Post patris deinde mortem, libertinam aulicam gratiosam, quò efficacius coleret, etiam diligere simulauit, quamuis anum, ac pæne decrepitam. Per hanc insinuatus Neroni, facilè summū inter amicos locum tenuit congruentiâ morum: vt verò quidam tradunt, & consuetudine mutui stupri: ac tantùm potentia valuit, vt damnatum repetundis consularem virum, ingens præmium pactus, prius quàm planè restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in senatum ad agendas gratias introducere. Omnium autem consiliorum secretorúmque particeps, die quem Nero necandæ matri destinauerat, ad auertendas suspiciones cœnam vtrique exquisitissimæ comitatis dedit. Item Poppęam Sabinam, tunc adhuc amicam eius, abductam marito demandatámque interim sibi, nuptiarum specie recepit. Nec corrupisse contentus, adeò dilexit, vt ne riualem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certè non modò missos ad arcessendā nō recepisse, sed ipsum etiam exclusisse quondam pro foribus adstantem, miscentemq; frustrà minas & preces, ac depositum reposcentem. Quare diducto matrimonio, sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam. Id satis visum, ne pœna acrior mimum omnem diuulgaret: qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit,

Cur Otho mentito sit quæritis exsul honore?
Vxoris mœchus cœperat esse suæ.

Prouinciam administrauit quæstorius per decem annos, moderatione atq; abstinētia singulari. Vt tandem vltionis occasio data est, conatibus Galbę primus accessit: eodémq; momento & ipse spem Imperij cepit: magnam quidem & ex conditione temporum, sed aliquantò maiorem ex affirmatione Seleuci mathematici. Qui cùm eum olim superstitē Neroni fore spopōdisset, tunc vltro inopinatus aduenerat, imperaturum quoq; breui repromittens. Nullo igitur officij aut ambitionis in quemquam genere omisso, quoties cœna principem acciperet, aureos excubāti cohortī viritim diuidebat: nec eo minùs alium alia via militū demerebatur. Cuidam etiam de parte finiū cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emācipauitq; : vt iam vix vllus esset, qui nō & sentiret & prædicaret solum successione Imperij dignum. Sperauerat autem fore vt adoptaretur à Galba: idque in dies expectabat. Sed postquam,

A Pisone prælato, spe decidit, ad vim conuersus est:
instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Neq; enim dissimulabat, *nisi principem, se stare non posse: nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.* Ante paucos dies seruo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies sestertiûm expresserat. Hoc subsidium tanti cœpti fuit: ac primò quinque speculatoribus commissa est res, deinde decem aliis, quos singuli
B binos produxerant: omnibus dena sestertia repręsentata, & quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui, nec adeò multi, haud dubia fiducia in ipso negotio pluribus affuturis. Erat animus post adoptionem statim Castra occupare, cœnantémque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur inuidia, quòd eiusdem statione & Caius fuerat occisus, & desertus Nero. Medium quoque tempus religio & Seleucus exemit. Ergo destinata die,
C præmonitis consciis, vt se in Foro sub æde Saturni ad Miliarium aureum opperirentur, mâne Galbam salutauit: vtque cōsueuerat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audiuitque prædicta haruspicis. Deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum conuenerat, quasi vænalem domum inspecturus abscessit: proripuitque se postica parte Palatij ad constitutum. Alij febrem simulasse aiunt, eámque excusationem proximis mandasse, si quęreretur. Tūc abditus propere muliebri sella in Castra contendit: ac deficienti-
D bus lecticariis, cùm descēdisset, cursúmq; cepisset, laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus, & à præsente comitatu IMPERATOR consalutatus, inter faustas acclamationes strictósque gladios ad principia deuenit: obuio quoque non aliter ac si conscius & particeps foret, adhærente. Ibi missis qui Galbam & Pisonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro concione testatus est, quàm *id demū se habiturū quod sibi illi reliquissent.* Dein-
E de vrgente iam die ingressus senatum, positáque breui ratione, quasi raptus de publico, & suscipere Imperium vi coactus, gesturúsque communi omnium arbitrio, Palatium petit. Ac super cæteras gratulantium adulantiúmque blanditias, ab infima plebe appellatus NERO, nullum indicium recusantis dedit: immo vt quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisq; epistolis suis ad quosdam prouinciarum Præsides, Neronis cognomē adiecit. Certè & imagines statuásque eius reponi
F passus est: & procuratores atque libertos ad eadem officia reuocauit. Nec quidquam priùs pro potestate subscripsit, quàm quingenties HS. ad peragendam Auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pauefactus gemitus maximos edidisse: repertúsque à concursantibus humi ante lectū iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse: postridie quoque in augurando tempestate orta grauiter prolapsum, identidem ob-
G murmurasse: Τί γὰρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; SVB idem verò tempus, Germaniciani exercitus in Vitellij verba iurauerant. Quod vt comperit, auctor senatui fuit mittēdæ legationis, quę doceret, electum iam principem: quietem & concordiam suaderet. Et tamen per internuntios ac litteras, consortem Imperij, generúmque se Vitellio obtulit. Verùm haud dubio bello iāq; ducibus & copiis quas Vitellius pręmiserat, appropinquantibus, animū fi-

démque prætorianorum erga se pæne internecio-
ne amplissimi ordinis captertus est : & placuerat
per classiarios arma transferri, remittiq; nauibus.
Ea cùm in castris sub noctem promerentur, in-
sidias quidam suspicati, tumultũ excitauerunt : ac
repente omnes, nullo certo duce, in Palatium cu-
currerũt, cædem senatus flagitantes: repulsisq; tri-
bunorũ, qui inhibere tentabant, nonnullis & oc-
cisis, sicut erant cruẽti, vbinam Imperator esset re
quirentes, perruperunt in tricliniũ vsque, nec nisi
viso destiterunt. Expeditionem autẽ impigrè atq;
etiam præproperè inchoauit: nulla ne religionum
quidem cura, sed & moris nec dum conditis an-
cilibus, quod antiquitus infaustum haberetur : &
die, quo cultores Deûm matris lamentari & plan-
gere incipiunt : præterea aduersissimis auspiciis.
Nam & victimas Diti patri cęsas lætauit: cùm tali
sacrificio contraria casta potiora sint. Et primo e-
gressu inũdationibus Tiberis retardatus, ad xx. e-
tiam lapidẽ ruina ædificiorum præclusam viã of-
fendit. Simili temeritate, quamuis dubium nemi-
ni esset, quin trahi bellum oporteret, quando &
fame & angustiis locorum vrgeretur hostis, quàm
primùm tamen decertare statuit : siue impatiens
longioris sollicitudinis, sperãsque antè Vitellij
aduẽtum profligari plurimũ posse: siue impar mi-
litum ardori, pugnam deposcentium. Nec illi pu-
gnæ affuit, substititq; Brixelli. Et tribus quidem,
verùm mediocribus præliis apud Alpes, circáque
Placentiã, & ad Castoris, quod loco nomen est, vi-
cit: nouissimo maximóque apud Bebraicũ fraude
superatus est: cùm spe colloquij facta, quasi ad cõ-
ditionem pacis militibus eductis, ex improuiso, at-
que in ipsa consalutione, dimicandũ fuisset: ac sta-
tim moriẽdi impetum cepit: vt multi, nec frustra,
opinantur, magis pudore, ne tanto rerum homi-
númq; periculo dominationem sibi asserere per-
seueraret, quàm desperatione vlla, aut diffidentia
copiarũ: quippe residuis, integrísq; etiã nunc, quas
secum ad secundos casus detinuerat, & superue-
nientibus aliis è Dalmatia, Pannoniáque & Mœ-
sia: ne victis quidem adeò afflictis, vt non in vltio
nem ignominiæ quiduis discriminis vltrò, & vel
solę subirẽt. Interfuit huic bello pater meus Sue-
tonius Lenis, tertiæ decimę legionis tribunus an-
gusti clauius. Is mox referre crebrò solebat, Otho-
nem etiam priuatum vsque adeò detestatum ciui-
lia bella, vt memorãte quodã inter epulas de Cas-
sij Brutiq; exitu, cohorruerit: nec cõcursum cum
Galba fuisse, nisi consideret sine bello rem transi-
gi posse. Tunc ad despiciendã vitam exemplo ma-
nipularis militis cõcitatũ: qui cùm cladẽ exercitus
nuntiaret, nec cuiquam fidẽ faceret, ad nunc men-
dacij, nunc timoris, quasi fugisset ex acie, argue-
retur, gladio ante pedes eius incubuerit : hoc viso
proclamasse eum aiebat: *non ampliùs se in periculũ
tales támque benemeritos coniectarum*. Fratrem igi-
tur, fratrísq; filium, & singulos amicorum cohor-
tatus, vt sibi quisq; pro facultate cõsuleret, ab am-
plexu & osculo suo dimisit omnes, secretóq; ca-
ptato, binos codicillos exarauit ad sororẽ cõsola-
torios. Sed & ad Messallinam Neronis, quam ma-
trimonio destinauerat, commẽdans reliquias suas
& memoriam. Quidquid deinde epistolarum erat,
ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent,
cõcremauit. Diuisit & pecunias domesticis ex co-
pia præsenti. Atq; ita paratus, intentúsq; iã morti,
tumultu inter moras exorto, vt eos qui discedere
& abire cœptabant, corripi quasi desertores, deti-

A neriq; sensit: *Adyciamus*, inquit, *vitæ & hanc noctẽ*,
his ipsis, totidémque verbis, vetuitq; vim cuiquã
fieri: & in seruũ vsq; patẽte cubiculo, si quis adire
vellet, potestatem sui præbuit. Post hæc sedata siti
gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, &
explorata vtriusque acie, cùm alterum puluino
subdidisset, foribus adopertis arctissimo somno
quieuit. Et circa lucem demum expergefactus,
vno se traiecit ictu infra læuam papillam: irrum-
B pentibúsque ad primum gemitum, modò celans,
modò detegens plagam, exanimatus est: & celeri-
ter (nam ita præceperat) funeratus, xxxviii. ætatis
anno, & xcv. imperij die. TANTO Othonis animo
nequaquam corpus aut habitus competiit. Fuisse
enim traditur & modicæ staturæ, & malè peda-
tus, scambúsque. Munditiarum verò pæne mulie-
brium : vulso corpore, galericulo capiti propter
raritatem capillorum adaptato & annexo, vt ne-
mo dignosceret. Quin & faciem quotidie rasitare,
C ac pane madido linere consuetum: idque instituis-
se a prima lanugine, ne barbatus vnquam esset.
Sacra etiam Isidis sępe in lintea religiosáque veste
propalàm celebrasse. Per quę factũ putem, vt mors
eius minimè congruens vitæ, maiori miraculo
fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo
fletu manus ac pedes iacentis exosculati, *fortissi-
mum virum, vnicum Imperatorem* prædicantes, ibi-
dem statim nec procul à rogo vim suæ vitæ attu-
D lerunt. Multi & absentiũ accepto nuntio, præ do-
lore armis inter se ad internecionem concurre-
runt. Denique magna pars hominum, incolu-
mem grauissimè detestata, mortuum laudibus tu-
lit: vt vulgò iactatum sit etiam, *Galbam ab eo non
tam dominandi quàm Resp. ac libertatis restituendæ
causa, interemtum.*

A. VITELLIVS.

E VITELLIORVM originem alij aliam, & qui-
dem diuersissimam tradunt: partim veterem
& nobilem: partim verò nouam & obscuram, at-
que etiã sordidam. Quod ego per adulatores ob-
trectatorésq; Imperatoris Vitellij euenisse opina-
rer: nisi aliquanto prius de familię conditione va-
riatum esset. Exstat Q. Eulogij ad Q. Vitellium, di-
ui Augusti quæstorem, libellus, quo continetur,
Vitellios Fauno, Aboriginũ rege, & Vitellia, quæ
F multis locis pro numine coleretur, ortos, toto La-
tio imperasse. Horum residuam stirpẽ ex Sabinis
transisse Romam, atq; inter patritios allectam. in-
dicia stirpis diu mansisse, viam Vitelliam ab Iani-
culo ad mare vsque : item coloniam eiusdem no-
minis, quam gentili copia aduersus Æquiculos
tutandam olim depoposcissent : tempore deinde
Samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quos-
dam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ : corúmque
progeniem lõgo pòst interuallo repetisse vrbem,
atque ordinem senatorium. Contrà, plures aucto-
rem generis libertinum prodiderunt. Cassius Se-
G uerus, nec minùs alij, eundem & sutorẽ veteramẽ
tarium: cuius filius sectionibus & cognituris vbe-
rius compẽdium nactus, ex muliere vulgari, An-
tiochi cuiusdam furnariam exercentis filia, equi-
tem Rom. genuerit. Sed quod discrepat, sit in
medio. Cæterùm P. Vitellius domo Nuceriâ, siue
ille stirpis antiquæ, siue pudendis parentibus at-
que auis, eques certè Romanus, & rerum Augusti
procurator, quatuor filios amplissimæ dignitatis
cognomines, ac tãtùm prænominibus distinctos,
reliquit,

reliquit, Aulum, Quintum, Publium & Lucium. A AVLVS in consulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæsaris patre inierat: prælautus alioqui, famosúsque cœnarum magnificentia. QVINTVS caruit ordine, cùm auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores, remouerique placuisset. PVBLIVS Germanici Comes, Cn. Pisonem inimicum, & interfectorem eius accusauit, condemnauitque: ac post præturæ honorem inter Seiani conscios arreptus, & in custodiam fratri datus, scalpro libra- B rio venas sibi incidit: nec tam mortis pœnitentia, quàm suorum obtestatione, obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit. LVCIVS ex consulatu Syriæ præpositus, Artabanum Parthorum regem summis artibus, non modò ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa, pellexit. Mox cum Claudio principe, duos insuper ordinarios consulatus, censuráque gessit. Curam quoque imperij sustinuit, absente eo, expeditione Britannica: vir innocens & industrius, C sed amore libertinæ perinfamis, cuius etiã saliuis melle commistis, nec clàm quidè aut rarò, sed quotidie ac palàm arterias & fauces pro remedio fouebat. Idem miri in adulando ingenij, primus C. Cæsarè adorari vt Deum instituit: cùm reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, circũuertènsque se, deinde procumbens. Claudium vxoribus libertisque addictum ne qua non arte demereretur, pro maximo munere a Messallina petit, vt sibi pedes præberet excalceandos: D detractúmque socculum dextrum, inter togam tunicásque gestauit assiduè, nonnumquam osculabundus. Narcissi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Huius & illa vox est, *Sepe facias*, cùm sæculares ludos edenti Claudio gratularetur. Decessit paralysi altero die quàm correptus est, duobus filiis superstitibus, quos ex Sextilia probatissima, nec ignobili fœmina editos, consules vidit: & quidem eodem ambos totóque anno, cùm maiori minor in VI. menses successisset. E Defunctum senatus publico funere honorauit: itè statua pro rostris, cum hac inscriptione, PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. Aulus Vitellius L. filius IMP. natus est VIII. Kalend. Octobris, vel, vt quidam, VII. Idus Septembris, Druso Cæsare, Norbano Flacco coss. Genituram eius prædictam à mathematicis, ita parentes exhorruerunt, vt magnopere semper contenderit pater ne qua ei prouincia viuo se committeretur: & mater missum ad legiones, & appellatum Imperatore F pro afflicto statim lamentata sit. Pueritiam primámque adolescentiam Capreis egit, inter Tiberiana scorta, & ipse perpetuo spintriæ cognomine notatus: existimatúsque corporis gratia initium & caussa incrementorũ patri fuisse. Sequenti quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit: Caio per aurigandi, Claudio per aleæ studium familiaris. Sed aliquanto Neroni acceptior, cùm propter eadem hæc, tum peculiari merito: quòd præsidens certamini Nero- G neo, cupientem inter citharœdos contendere, nec quamuis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideóque egressum theatro, reuocauerat quasi perseuerantis populi legatione suscepta, exorandúmque præbuerat. Trium itaque principum indulgentia, non solùm honoribus, verùm & sacerdotiis amplissimis auctus, proconsulatũ Africæ posthęc, curámque operũ publicorum administrauit: & voluntate dispari, & existimatione. In prouincia singularẽ innocentiã præstitit biennio continuato, cùm succedenti fratri legatus substitutus esset. At in vrbano officio, dona atque ornamèta templorum surripuisse, & commutasse quædã ferebatur: próque auro & argento, stannum & aurichalcũ supposuisse. Vxorem habuit Petroniam, cõsularis viri filiam, & ex ea filium Petronianum, captũ altero oculo. Hunc heredem à matre sub cõditione institutũ, si de potestate patris exiisset, manu emisit: breuique, vt creditũ est, interemit, insimulatũ insuper parricidij, & quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset. Duxit mox Galeriam Fundanam, prætorio patre. Ac de hac quoque liberos vtriusque sexus tulit, sed marem: titubantia oris, propè mutum, & elinguem. A Galba in inferiorè Germaniam contra opinionem missus est. Adiutum putant T. Iunij suffragio, tunc potètissimi, & cui iam pridem per communem factionis suæ fauorem conciliatus esset: nisi quòd Galba præ se tulit, nullos minus metuendos, quàm qui de solo victu cogitarẽt: ac posse prouincialibus copiis profundã eius expleri gulã, vt cuiuis euidès sit, contemtu magis quàm gratia electũ. Satis cõstat exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, vt vxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domũ in reliquũ partem anni ablocaret: vtque ex aure matris detractum vnionem pigneraverit ad itineris impẽsas. Creditorũ quidẽ præstolãtium ac detinentium turbam, & in iis Sinuessanos Formianósque, quorũ publica vectigalia interuerterat, nõnisi terrore calumniæ amouit: cùm libertino cuidam acerbiùs debitum reposcẽti, iniuriarum formulã, quasi calce ab eo percussus intẽdisset, nec aliter quàm extorris quinquaginta HS. remisisset. Aduenientem malè animatus erga principem exercitus, pronúsque ad res nouas, libès ac supinis manibus excepit, velut dono Deũm oblatum ter consulis filium ętate integra, facili ac prodigo animo. Quam veterè de se persuasionem Vitellius recentibus etiã de se experimentis auxerat, tota via caligatorum quosque militum obuios exosculãs: pérque stabula ac diuersoria, mulionibus ac viatoribus prẽter modũ comis: vt mane singulos iámne ièntassent sciscitaretur, seque, fecisse ructu quoque ostẽderet. CASTRA verò ingressus, nihil cuiquam poscẽti negauit: atque etiã vltrò ignominiosis notas, reis sordes, dãnatis supplicia dempsit. Quare vixdũ mẽse trãsacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac iã vespere, subitò à militibus è cubiculo raptus, ita vt erat, in veste domestica IMPERATOR cõsalutatus: circulatúsque per celeberrimos vicos, strictũ diui Iulij gladiũ tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectũ sibi à quodã: nec antè in Prætoriũ rediit, quàm flagrãte triclinio ex cõceptu camini: tũ quidẽ consternatis, & quasi omine aduerso anxiis omnib*, inquit: *Bono animo estote, nobis alluxit:* nullo sermone alio apud milites vsus. Cõsentière deinde etiã iã superioris prouinciæ exercitu, qui priùs à Galba ad senatum defecerat, cognomen GERMANICI delatum ab vniuersis, cupidè recepit: AVGVSTI, distulit: CÆSARIS, in perpetuum recusauit. Ac subinde cæde Galbæ annunciata, cõpositis Germanicis reb*, partit* est copias, quas aduersus Othonè præmitteret, quasque ipse perduceret. Præmisso agmini lętũ euenit auspiciũ: siquidem à parte dextra repetè aquila aduolauit: lustratisque signis ingressos viam sensim antecessit. At contrà ipso mouente, statuę equestres cùm plurifariam ei po-

nerentur, fractis repentè cruribus pariter corruerunt:& laurea, quam religiosissimè circumdederat, in profluentem excidit. Mox Viennæ pro tribunali iura reddēti, gallinaceus supra humerum, ac deinde in capite adstitit. Quibus ostentis, par respondit exitus: nam confirmatū per legatos suos imperium, per se retinere non potuit. De Bebriacensi victoria & Othonis exitu, cùm adhuc in Gallia esset, audiit: nihilque cunctatus, quidquid prætorianarum cohortium fuit, vt pessimi exēpli, vno exauctorauit edicto, iussus tribunis tradere arma. Cētum autem atque viginti, quorum libellos Othoni datos inuenerat, exposcentium præmia, ob editam in cęde Galbæ operam, conquiri, & supplicio affici imperauit: egregiè prorsus, atque magnificè, & vt summi principis spem ostenderet, nisi cætera magis ex natura, & priore vita sua, quàm ex imperij maiestate gessisset. Namq; itinere inchoato, per medias ciuitates ritu triumphantiū vectus est: perque flumina delicatissimis nauigiis, & variarū coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiæ, aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam omnium in iocum vertens: qui non contenti epulo vbique publicè præbito, quoscumque libuisset, in libertatem asserebant, verbera & plagas, sæpe vulnera, nonnumquam necem repræsentantes aduersantibus. Vtq; campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadauerū tabem, detestabili voce cōfirmare ausus est: *Optimè olere occisum hostem, & melius ciuem.* Nec eò secius ad leniendam grauitatem odoris, plurimum meri propalàm hausit, passímque diuisit. Pari vanitate atque insolentia lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens, dignum eo Mausoleo ait: pugionémq;, quo se is occiderat, in Agrippinensem coloniam misit, Marti dedicandum. In Apennini quidem iugis etiam peruigilium egit.

VRBEM denique ad classicum introiit paludatus, ferróque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonū armis. Magis deinde ac magis, omni diuino humanóque iure neglecto. Alliensi die pontificatū maximum cepit: comitia in decem annos ordinauit, séq; perpetuum consulē. Et ne cui dubium foret, quod exēplar regendæ Reip. eligeret, medio Martio campo adhibita publicorum sacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit: ac sollenni conuiuio citharœdum placētem palàm admonuit, vt & aliquid de Domitio diceret: inchoantiq; Neroniana ctiáca, primus exsultans etiam plausit. Talibus principiis magnam imperij partem, nonnisi consilio & arbitrio vilissimi cuiusque histrionum & aurigarum, administrauit, & maximè Asiatici liberti. Hunc adolescentulum mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, cùm Puteolis poscam vendentem deprehendisset, coniecit in compedes, statimq; soluit, & rursus in deliciis habuit: iterum deinde ob nimiam contumaciam & ferocitatē grauatus, circumforaneo lanistę vendidit, dilatúmque ad finem muneris, repentè surripuit, & prouincia demum accepta manumisit: ac primo imperij die aureis donauit anulis super cœnam, cùm mane rogātibus pro eo cūctis, detestatus esset seuerissimè talem equestris ordinis maculam. Sed vel præcipuè luxuriæ sæuitiæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in ientacula & prandia & cœnas, comissationésque facilè omnibus sufficiens,

A vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alij eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummûm constiterunt. Famosissima super cæteras fuit cœna ei data aduentitia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem auium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperauit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem *Clypeum Mineruæ* Αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac scarorum B iocinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes, à Carpathio vsque, fretóque Hispaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum, commiscuit. Vt autem homo non profundæ modò, sed intempestiuæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem statim viscus & farra pæne rapta è foco, mandaret, circáque viarum popinas fumantia opsonia, vel pridiana atque semesa.

C PRONVS verò ad cuiusque & quacumque de caussa, necem atque supplicium: nobiles viros, condiscipulos & æquales suos, omnibus blanditiis tantùm non ad societatem imperij allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam vnum veneno manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre poposcerat. Tum fœneratorum & stipulatorum publicanorúmque, qui vnquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix vlli pepercit. Ex quibus D quendam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimque reuocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici iussit, *velle se* dicens, *pascere oculos*: alterius pœnæ duos filios adiecit, deprecari pro patre conatos. Sed & equitem Romanum proclamantem, cùm raperetur ad pœnam, *Heres meus es*, exhibere testamenti tabulas coēgit: vtque legit coheredem sibi libertum eius adscriptum, iugulari cum liberto imperauit. Quosdam & de plebe ob id ipsum, quòd Venetæ factioni clarè maledixerant, interemit: E contemtu sui, & noua spe id ausos opinatus. Nullis tamen infensior, quàm vernaculis & mathematicis, vt quisque deferretur, inauditum capite puniebat: exacerbatus, quòd post edictum suum, quo iubebat intra Kal. Octobris vrbe Italiáque mathematici excederent, statim libellus est propositus, *& Chaldæos dicere, Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem vsquam esset.* Suspectus & in mortem matris fuit, F quasi ægræ præberi cibum prohibuisset: vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, *ita demum firmiter ac diutissimè imperaturum, si superstes parenti exstitisset.* Alij traduot, ipsam tædio præsentium, & imminentium metu, venenum à filio impetrasse, haud sanè difficulter.

OCTAVO imperij mēse desciuerunt ab eo exercitus Mœsiarum, atque Pannoniæ: item ex transmarinis, Iudaicus & Syriacus: ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba iurarunt. Ad retinendum ergo cæterorum hominum studium G ac fauorem, nihil non publicè priuatimq; nullo adhibito modo, largitus est. Delectum quoque ea conditione in vrbe egit, vt voluntariis non modò missionem post victoriam, sed etiam veteranorum iustæ've militiæ commoda polliceretur. Vrgenti deinde terra, mariq; hosti, hinc fratrem cum classe, ac tironibus & gladiatorū manu opposuit: hinc Bebriacenses copias & duces. Atque vbique aut superatus aut proditus, salutem sibi & millies

us. à Flauio Sabino Vespasiani fratre pepigit: statimque pro gradibus Palatij apud frequentes milites *cedere se imperio, quod inuitus recepisset*, professus, cunctis reclamantibus rem distulit: ac nocte interposita, primo diluculo sordidatus descendit ad Rostra: multisque cum lacrymis eadem illa verba, verùm è libello testatus est. Rursus interpellante milite, ac populo, & ne deficeret hortante omnémque operam suam certatim pollicente, animum resumpsit, Sabiniúmque & reliquos Flauianos nihil iam metuentes, vi subita in Capitolium compulit: succensóque templo Iouis Opt. Max. oppressit: cùm & prælium & incendium è Tiberiana prospiceret domo inter epulas. Non multò pòst pœnitens facti, & in alios culpam cōferens, vocata concione iurauit, coëgitque iurare cæteros, *nihil sibi antiquius quiete publica fore.* Tunc solutum à latere pugionem, Consuli primùm, deinde illo recusante, magistratibus, ac mox senatoribus, singulis porrigens: nullo recipiente, quasi in æde Concordiæ positurus, abcessit. Sed quibusdam acclamantibus, *ipsum esse Concordiam*, rediit: nec solùm retinere se ferrum affirmauit, verùm etiam CONCORDIÆ recipere cognomen.

Suasitq; senatui, vt legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad consulendum petituros. Postridie responsa opperienti nuntiatum est per exploratorem, hostem appropinquare. Continuò igitur abstrusus gestatoria sella, duobus solis comitibus, pistore & coquo, Auentinum & paternam domum clàm petiit, vt inde in Campaniam fugeret. Mox, leui rumore & incerto, tamquam pax impetrata esset, referri se in palatium passus est: vbi cùm deserta o-

A mnia reperisset, dilabentibus etiam qui simul erant, zona se aureorum plena circumdedit: confugitque in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane, lectóque & culcita obiectis. IRRVPERANT iam agminis antecessores: ac nemine obuio rimabantur, vt fit, singula. Ab iis extractus è latebra, sciscitantes *quisnam esset* (nam ignorabatur(& *vbi esse Vitellium sciret*, mendacio elusit,
B deinde agnitus rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, vt custodiretur interim vel in carcere: donec religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa seminudus in Forum tractus est, inter magna rerum verborúmque ludibria, per totum viæ Sacræ spatium, reducto coma capite, ceu noxij solent, atque etiam mento mucrone gladij subiecto, vt visendam præberet faciem, neve submitteret: quibusdam stercore & cœno incessentibus, aliis *in-*
C *cendiarium & patinarium* vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur subdebile, impulsu olim quadrigæ, cùm auriganti Caio ministratorem exhiberet) tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, & inde vnco tractus in Tiberim. Periit cum fratre & filio, anno vitæ VII. & quinquagesimo: nec fefellit coniecturam eorum qui au-
D gurio, quod factum ei Viennæ ostendimus, non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicuius Gallicani hominis potestatem: siquidem ab Antonio Primo aduersarum partium duce oppressus est: cui Tolosæ nato cognomen in pueritia *Becco* fuerat, id valet, gallinacei rostrum.



C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CAESARIBVS LIBER X.

T. FLAVIVS VESPASIANVS Augustus.

REBELLIONE trium principum & cæde incertum diu, & quasi vagum imperium, suscepit firmauitque tandem gens FLAVIA: obscura illa quidem, ac sine vllis maiorum imaginibus: sed tamen Reip. nequaquam pœnitenda: constet licet Domitianum cupiditatis ac sæuitiæ meritò pœnas luisse. Titus Flauius Petro, municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarum partium centurio: incertum sponte an euocatus, profugit ex Pharsalica acie, domúmque se contulit. Vbi deinde venia & missione impetrata, coactiones argentarias factitauit. Huius filius cognomine Sabinus, expers militię (etsi quidam eum primipilarem: nonnulli, cùm adhuc ordines duceret, sacramento solutum per caussam valetudinis tradunt) publicum quadragesimæ in Asia egit. Manebántque imagines à ciuitatibus ei positæ sub hoc titulo, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Postea fœnus apud Heluetios exercuit, ibique diem obiit, superstitibus vxore Vespasia Polla, & duo-

E bus ex ea liberis: quorum maior Sabinus ad præfecturam vrbis, minor Vespasianus ad principatum vsque processit. Polla Nursiæ honesto genere orta, patrem habuit Vespasium Pollionem, ter tribunum militum, præfectúmque castrorum, fratrémque senatorem pretoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum milliarium à Nursia Spoletum euntibus in monte summo appellatur Vespasiæ: vbi Vespasiorum complura monumenta exstant, magnum indicium splendoris familiæ, &
F vetustatis. Non negauerim iactatum à quibusdam, Petronis patrē è regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quæ ex Vmbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solerent: subsedisse autem in oppido Reatino, vxore ibidem ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quamuis satis curiosè inquirerem, inueni.

VESPASIANVS natus est in Sabinis vltra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine, xv. Kalend. Decemb. vesperi, Q. Sulpicio Came-

rino, C. Poppæo Sabino coss. quinquennio antè quàm Augustus excederet: educatus sub paterna auia Tertulla, in prædiis Cosanis. Quare princeps quoque & locum incunabulorum assiduè frequentauit: manente villa, qualis fuerat olim: ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret. Et auiæ memoriam tantoperè dilexit, vt sollennibus ac festis diebus poculo quoque, eius argenteo potare perseuerauerit. Sumta toga virili, latum clauum, quamquam fratre adepto, diu auersatus est: nec vt tandem appeteret, compelli nisi à matre potuit. Ea demum extudit, magis conuicio quàm precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat. Tribunatu militum in Thracia meruit. Quæstor Cretam & Cyrenas prouinciam sorte cepit: ædilitatis ac mox præturæ candidatus, illam non sine repulsa, sextóque loco vix adeptus est: ac prima statim petitione, & in primis prætor, infensus senatui Caium ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria eius Germanica depoposcit, pœnæque coniuratorum addendum censuit, vt insepulti proiicerentur. Egit & gratias ei apud amplissimum ordinem, quòd se honore cœnæ dignatus esset. Inter hæc Flauiam Domitillam duxit vxorem Statilij Capellæ equitis Rom. Sabratensis ex Africa delegatam olim, Latinæque conditionis, sed mox ingenuam & ciuem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam: patre asserente Flauio Liberali Ferenti genito, nec quidquã ampliùs quàm quæstorio scriba. Ex hac liberos tulit, Titum & Domitianum, & Domitillã. Vxori ac filiæ superstes fuit: atq; vtramq; adhuc priuatus amisit. Post vxoris excessum Cænidem Antoniæ libertam, & à manu, dilectam quondam sibi, reuocauit in contuberniũ: habuítq; etiam Imperator pænè iustæ vxoris loco. Claudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam translatus tricies, cum hoste conflixit. Duas validissimas gẽtes, superque xx. oppida, & insulam Vectem Britanniæ proximam in deditionem redegit: partim Auli Plautij consularis legati, partim Claudij ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta, & in spatio breui duplex sacerdotium accepit. Præterea consulatum, quem gessit per duos nouissimos anni menses: medium tempus ad Proconsulatum vsque in otio secessúq; egit: Agrippinam timens potentem adhuc filium, & defuncti quoque Narcissi amicos perosam. Exin sortitus Africam, integerrimè, nec sine magna dignatione administrauit: nisi quòd Adrumeti seditione quadam, rapa in eum iacta sunt. Rediit certè nihilo opulentior, vt qui propè labefactata iam fide, omnia prædia fratri obligarit: necessarióque ad mangonicos quæstus sustinendæ dignitatis caussa descenderit, propter quod vulgò Mulio vocabatur. Conuictus quoque dicitur ducenta HS. expressisse iuueni, cui latum clauum, aduersus patris voluntatem impetrarat, eóque nomine grauiter increpitus. Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cùm cantante eo aut discederet sæpius, aut præsens obdormisceret, grauissimam contraxit offensam: prohibitúsque non contubernio modò, sed etiam publica salutatione, secessit in paruam ac deuiam ciuitatem, quoad latenti, etiámque extrema metuenti, prouincia cum exercitu oblata est. Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio: esse in fatis, vt eo tẽpore Iudæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Rom. quantũ euentu postea patuit prædictum, Iudæi ad se trahentes, rebellarunt: cæsóque præposito, legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugauerunt. Ad hunc motum comprimenduo cum exercitu ampliore, & non instrenuo duce, cui tamen tutò tanta res committeretur, opus esset, ipse potissimùm delectus est: vt & industriæ expertus, nec metuendus vllo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter legatos maiore filio assumto, vt primùm prouinciam attigit, proximas quoque conuertit in se: correcta statim castrorum disciplina: vno quoque & altero prælio tam constanter inito, vt in oppugnatione castelli lapidis ictum genu, scutoq; sagittas aliquot exceperit. Post Neronem Galbámq;, Othone atq; Vitellio de principatu certantibus, in spem imperij venit, iampridem sibi per hæc ostenta conceptam: In suburbano Flauiorum quercus antiqua, quæ erat Marti sacrata, per tres Vespasiæ partus, singulos repente ramos à frutice dedit, haud dubia signa futuri cuiusque fati. Primùm exilem, & citò arefactum: ideóque puella nata non perannauit. Secundum, præualidum ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet. Tertium verò, instar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt haruspicio insuper confirmatum renuntiasse matri, *nepotem ei Cæsarem genitum*: nec illam quidquam aliud quàm cachinnasse, mirantem, *quòd adhuc se mentis compote, deliraret iam filius suus*. Mox cùm ædilem eum C. Cæsar, succedens propter curam verrendis vijs non adhibitam, luto iussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum: non defuerunt qui interpretarentur, quandoque proculcatam desertámque Remp. ciuili aliqua perturbatione in tutelam eius, ac velut in gremium deuenturam. Prandente eo quondam canis extrarius triclinio manum humanam intulit, mensæque subiecit. Cœnante rursus, bos arator decusso iugo, triclinium irrupit: ac fugatis ministris, quasi repentè defessus, procedit ad ipsos accumbentis pedes, ceruicémque submisit. Arbor quoque cupressus in agro auito sine vlla vi tempestatis radicitus euulsa atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. At in Achaia somniauit, initium sibi suisque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemptus esset: euenitque vt sequenti die progressus in atrium medicus dentem ei ostenderet tantum quod exemptum. Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmauere sortes: vt quidquid cogitaret volueretque animo, quantumlibet magnum, id esse prouenturum pollicerentur. Et vnus ex nobilibus captiuis Iosephus, cùm conijceretur in vincula, constantissimè asseuerauit fore, vt ab eodem breui solueretur, verùm iam Imperatore. Nuntiabantur & ex vrbe præsagia, Neronem diebus vltimis monitum per quietem, vt thensam Iouis Opt. Max. è sacrario in domum Vespasiani, & inde in circum deduceret. Ac non multo pòst, comitia secundi consulatus ineunte Galba, statua diui Iulij ad Orientem sponte conuersa: aciéque Bebriacensi, priùs quàm committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse: victáque altera, superuenisse tertiam à Solis ortu, ac victricem abegisse.

Nec tamen quidquam antè tentauit, promptissimis

simis atque etiam instantibus suis, quàm solicitatus quorundam & ignotorum & absentium fortuito fauore. Mœsiaci exercitus bina è tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni: postquam iter ingressis nuntiatum est, victum eum, ac vim vitæ suæ attulisse: nihilò seciùs Aquileiam vsque perseuerauerunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licentiam, omni rapinarum genere grassati, cùm timerent ne sibi reuersis reddenda ratio, ac subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris, *Neque enim deteriores esse, aut Hispaniensi exercitu qui Galbam, aut prætoriano qui Othonem, aut Germaniciano qui Vitellium fecissent.* Propositis itaque nominibus legatorum consularium, quot vbique tunc erant, cùm cæteros alij alium alia de caussa improbarent: & quidam è legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent: assensêre cũcti, noménque eius vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est, reuocatis ad officium numeris parumper: cæterùm diuulgato facto, Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalen. Iulij. qui principatus dies in posterum obseruatus est. Iudaicus deinde exercitus, V. Idus Iulij apud ipsum iurauit. Plurimum cœptis contulerunt, iactatum exemplar epistolę, verę siue falsę, defuncti Othonis ad Vespasianum, extrema obtestatione vltionem mandantis, & vt Reip. subueniret optantis: simul tumor dissipatus, destinasse Vitellium victorem permutare hiberna legionum, & Germanicas transferre in Orientem ad securiorem molliorémque militiam: præterea ex præsidibus prouinciarum Licinius Mucianus, & è regibus Vologesus Parthus, ille, deposita simultate, quam in id tempus ex æmulatione non obscurè gerebat, Syriacum promisit exercitum: hic, quadraginta millia sagittariorum.

SVSCEPTO igitur ciuili bello, ac ducibus copijsque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, vt claustra Ægypti obtineret. Hîc cùm de firmitate imperij capturus auspicium, ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset: ac propitiato tumultum Deo, tandem se conuertisset, verbenas, coronásque & panificia, vt illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum à quoquam: & iam pridem propter neruorum valetudinem vix ingredi longéque abesse constabat. Ac statim aduenere literæ, fusas apud Cremonam Vitellij copias, ipsum in vrbe interemptum nuntiantes. Auctoritas & quasi maiestas quædam, vt scilicet inopinato & adhuc nouo principi, deerat: hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serápide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset rem vllo modo successuram, ideóque ne experiri quidem auderet: extremò hortantibus amicis, palàm pro concione vtrumq; tentauit, nec euentus defuit. Per idem tempus Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago. TALIS, tantáque cum fama in vrbem reuersus, acto de Iudęis triumpho, consulatus octo veteri addidit. Suscepit & censuram: ac per totum imperij tempus nihil habuit

A antiquius, quàm propè afflictam nutantémque Remp. stabilire primò, deinde & ornare. Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore, ad omnem licentiam audaciámque processerant. Sed & prouinciæ, ciuitatésque liberæ, necnon & regna quædam tumultuosius inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem & exauctorauit plurimos, & coërcuit. Participibus autẽ victoriæ adeò

B nihil extra ordinem indulsit: vt etiam legitima præmia nonnisi serò persoluerit. Ac ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem vnguento, cùm sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissima increpuit, *Maluissem allium oboluisses* literásque reuocauit. Classiario verò, qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vicos commeant, petentes *constitui aliquid sibi calcearij nomine*: quasi parum esset, sine

C responso abegisse, iussit post hæc, excalceatos cursitare: & ex eo ita cursitant. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate adempta, item Thraciam, Ciliciam, & Comagenen ditionis regiæ vsque ad id tempus, in prouinciarum formam redegit. Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit: consularémque rectorem imposuit, pro equite Rom. Deformis vrbs veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas areas occupare, & ædificare, si possessores

D cessarent, cuicumque permisit. Ipse restitutionem Capitolij aggressus, ruderibus purgandis manus primus admouit, ac suo collo quædam extulit: ærearúmque tabularum tria millia, quæ simul conflagrauerant, restituenda suscepit vndique inuestigatis exemplaribus, instrumentum imperij pulcherrimum ac vetustissimum confecit: quo continebantur penè ab exordio vrbis senatusconsulta plebiscita societate & fœdere, ac priuilegio cuicumque concessis.

E Fecit & noua opera, templum Pacis Foro proximum: Diuiq; Claudij in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed à Nerone prope funditus destructum. Item Amphitheatrum vrbe media vt destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines, & exhaustos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia, purgauit: suppleuítque recenso senatu, & equite: submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum ac prouincialiũ allecto. Atque vti notum esset, vtrumq; ordinem

F nõ tam libertate inter se, quã dignitate differre, de iurgio quodã senatoris equitisq; Rom. ita pronũtiauit: *Non oportere male dici senatoribus; remale dici ciuile fásque esse.* Litium series vbique maiorem in modum excreuerant, manentibus antiquis intercapedine iurisdictionis, accedentibus nouis, ex conditione tumultúque temporum. Sorte elegit per quos rapta bello restituerentur: quíque iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerẽtque ad breuissimum nu-

G merum.

Libido atque luxuria, coërcente nullo, inualuerat. Auctor senatui fuit, decernendi vt quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. Néve filiorumfamiliâs fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. CÆTERIS in rebus statim ab initio principatus vsque ad exitum, ciuilis & clemens. Mediocritatem pristinam neque dissimulauit vnquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin &

conantes quosdam originem Flauij generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, cuius monumentum exstat via Salaria, referre, irrisit vltro. Adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupidè appetiit, vt triumphi die fatigatus tarditate & tædio pompæ, non reticuerit: *meritò se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum maioribus suis aut speratum vnquam sibi, tam ineptè senex concupisset.*

At ne TRIBVNITIAM quidem POTESTATEM & PATRIS PATRIÆ appellationem nisi serò recepit. Nam consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello ciuili, omiserat. Amicorum libertatem, caussidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam lenissimè tulit. Licinium Mucianum notæ impudicitiæ, sed meritorum fiducia minus sui reuerentem, numquam nisi clàm, & hactenus retaxare sustinuit, vt apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ, *Ego tamen vir sum.* Saluium Liberalem in defensione diuitis rei, ausum dicere, *Quid ad Cæsarem, si Hipparchus HS. millies habet?* & ipse laudauit. Demetrium Cynicum in itinere obuium sibi post damnationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit *Canem* appellare. Offensarum inimicitiarúmque minimè memor, executorve, Vitellij hostis sui filiam splendidissimè maritauit, dotauitq; etiam & instruxit. Trepidum cum interdicta aula sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quò abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, *abire Morboniam* iusserat. In hunc postea deprecantē haud vltra verba excæduit, & quidem totidem ferè atq; eadem. Nam vt suspicione aliqua vel metu ad perniciem cuiusquam compelleretur, tantum abfuit, vt monentibus amicis cauendum esse Metiū Pomposianum, quòd vulgò crederetur genesim habere imperatoriā, insuper cos. fecerit, spondens quandoque beneficij memorem futurum. Non temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo & ignaro, aut certè inuito atque decepto. Heluidio Prisco, qui reuersum ex Syria, solus priuato nomine *Vespasianum* salutauerat, & in pretura omnibus edictis sine honore ac mentione vlla transmiserat, non antè succēsuit quàm altercationibus insolentissimis pænè in ordinem redactus. Hunc quoque, quamuis relegatum primò, deinde & interfici iussum, magni æstimauit seruare quoquo modo, missis qui percussores reuocarēt: & seruasset, nisi iā periisse falsò nuntiatum esset. Cæterum neque cæde cuiusquam vmquam lætatus, iustis suppliciis illacrymauit etiam & ingemuit.

SOLA est, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim cōtentus omissa sub Galba vectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, & auxisse tributa prouinciis, nōnullis & duplicasse: negotiationes quoque vel priuato pudendas propalam exercuit, coëmēdo quædā tantum, vt pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reisve tā innoxiis quàm nocentibus absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò *pro spongiis* dicebatur *vti*, quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt, idq; exprobratū ei à sene bubulco: qui negata sibi gratuita libertate, quàm imperium

A adeptum suppliciter orabat, proclamauerit, *Vulpem pilum mutare, non mores.* Sunt contrà qui opinentur ad manubias & rapinas necessitate cōpulsum, summa ærarij fisciq; inopia: de qua testificatus sit initio statim principatus professus *quadringenties millies opus esse, vt Resp. stare posset.* Quod & verisimilius videtur, quando & malè partis optimè vsus est. In omne hominum genus liberalissimus, expleuit censum senatorium: consulares ino- B pes quingenis sestertiis annuis sustentauit: plurimas per totum orbem ciuitates terræmotu aut incendio afflictas, restituit in melius.

Ingenia & artes vel maximè fouit: primus è fisco Latinis Græcisq; rhetoribus annua centena constituit. Præstantes poëtas, necnon & artifices coëmit: item colossi refectorem insigni congiario, magnáque mercede donauit: mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicēti, præmium pro commēto C non mediocre obtulit, operam remisit, præfatus *sineret se plebeculam pascere.* Ludis per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoq; acroamata reuocauerat. Apollinari tragœdo quadringēta, Terpno Diodoróq; citharœdis ducena, nonnullis centena: quibus minimū, quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed & conuiuabatur assiduè: ac sæpius rectè, ac dapsile, vt macellarios adiuuaret. Dabat sicut sa- D turnalibus viris apophoreta, ita & Kalend. Martij fœminis, & tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini *Cybiosacte* eum vocare perseuerauerunt, cognomine vnius è regibus suis turpissimarum sordium. Sed & in funere Fauor archimimus personam eius ferens, imitánsque, vt est mos, facta ac dicta viui, interrogatis palàm procuratoribus *quanti funus & pompa constaret:* vt audiit HS. *centies*, exclamauit, *Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerēt.*

E STATVRA fuit quadrata, compactis firmísque membris, vultu veluti nitentis. Vnde quidam vrbanorum non infacetè: siquidem petenti, *vt & in se aliquid diceret: Dicam,* inquit, *cum ventrem exonerare desieris.* Valetudine prosperrima vsus est: quamuis ad tuēdam eam nihil amplius quàm fauces cæteráque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret, inediámque vnius diei per singulos menses interponeret. ORDINEM vitæ fe- F rè hunc tenuit. In principatu maturius semper, ac de nocte euigilabat: deinde perlectis epistolis, officiorúmque omnium breuiariis, amicos admittebat: ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese & amiciebat. Post decisa quæcumq; obuenissent negotia, gestationi, & inde quieti vacabat: accubante aliqua pallacarum, quas in defunctę locum Cænidis plurimas constituerat: a secretò in balneum tricliniúmque transibat. Nec vllo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eáque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere ca- G ptabant. Et super cœnam autem, & semper alias comissimus, multa ioco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ: & sic scurrilis ac sordidæ, vt ne prætextatis quidem verbis abstineret. Et tamen nonnulla eius facetissima exstant, in quibus & hoc: Menstrium Florum, consularem: admonitus ab eo *plaustra* potius quàm *plostra* dicenda, die postero *Flaurum* salutauit. Expugnatus autem à quadam, quasi amore sui deperiret, cum productę pro concubitu sestertia quadraginta donasset: admonente dispensatore quemadmodum summam ra-

[illegible] *Vespasiano*, inquit [illegible] Græcis tempesti[illegible] ex statura, improbi [illegible]

[illegible]

[illegible] ad nod[illegible] ob sub[illegible] enuntiasse [illegible] ere,

[illegible]

[illegible] in aliqua familiar[illegible] Qu[illegible] ndam [illegible] plus [illegible] atum ad se voca[illegible] suffraga[illegible] Interpel[illegible] *Aliam tibi, ut quære fratrem*; [illegible] *me* [illegible] in itine[illegible] defili[illegible] pres[illegible] pactu[illegible] lu[illegible] in ex prima pen[illegible] *At tu*, [illegible] *e lotio est*. [illegible] *et tu es publice non me* [illegible] *colla* [illegible] continuo [illegible] *paratam* [illegible] quidem ac periculo [illegible] Nam [illegible] inter [illegible] Cæterum derepente [illegible] appa[illegible] Augusti perti[illegible] regem, qui [illegible] mo[illegible] bi a[illegible] cessio[illegible]

Consulatu [illegible] natus in Campania [illegible] ac [illegible] mes urbe rep[illegible] ita: [illegible] æstiuare quotann[illegible] [illegible] valetudi[illegible] antiq[illegible] & in eftina vi[illegible] muneribus imperatoris ex[illegible] ut etiam legationes [illegible] detect[illegible] o item [illegible] *Imp*[illegible] *m*, [illegible] *stantem mori oportere*. [illegible] inter manus suble[illegible] st, [illegible] Kal. Iul. [illegible] annum agens [illegible] nonum, superque mense [illegible] ac [illegible]. Conuenit inter omnes, tam [illegible] sua [illegible] genitura semper [illegible] in [illegible] conjurationes ausus sit [illegible] *aut filio* [illegible] *aut nemi-nem*. D[illegible] etiam vidisse quondam per quietem [illegible] media parte vestibuli Palatinæ domus [illegible] examine æquo: [illegible] lance Clau[illegible] N[illegible] stantem [illegible] ipsum ac [illegible]. Nec res fefellit [illegible] totidem annis pari [illegible] temporis [illegible] que imperauerunt.

TITVS FLAVIVS VESPASIANVS AVGVSTVS.

Titus, cognomine paterno, amor ac [illegible] generis humani: tantum illi ad [illegible] omnium voluntatem vel ingenii [illegible] [illegible] quod difficillimum [illegible] imperio, [illegible] priuatus atque etiam sub [illegible] [illegible] odio quidem, nedum vi[illegible] A [illegible] publica caruit) natus est III. Kal. Ianu. insigni anno [illegible] nece, prope S[illegible] sordidis ædi[illegible] cubiculo verò perparuo, & obscuro: [illegible] [illegible] adhuc, & ostenditur. Educatus in aula cum Britannico simul, ac paribus disciplinis, & apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, aiunt, metoposcopum à Narcisso Claudii liberto adhibitum ut Britannicum inspiceret, constantissime affirmasse illum quidem nullo modo,

B cæterum Titum, [illegible] adstabat, utique [illegible]. Erant [illegible] adeo familiares, ut de [illegible] one, [illegible] Britannicus hausta periit, Titus quoque iuxta [illegible] affectus [illegible] redatur, grauiq; morbo adflictatus diu. Quorum omnium mox me[illegible] [illegible] eam in Palatio posuit, & alte[illegible] ex ebo[illegible] equestrem, quæ Circensi pompa ho[illegible] [illegible] dedica[illegible] prosecutusq; est. In pue[illegible] statim corporis animiq; dotes explenduerunt: [illegible] deinceps per ætatis gradus: forma

C egregia, & [illegible] non minus auctoritatis inesset quam gr[illegible] robur, quamquam neque proc[illegible] tant[illegible], & ventre paulò proiectiore: memoria [illegible], docilitas ad omnes fere tum [illegible] artes. [illegible] armorum & equitandi peri[illegible], Latine Græceque, lingua vel in orando vel in fing[illegible] poë[illegible] promptus, & facilis ad extempor[illegible] usque. sed ne musicæ quidem rudis, ut qui cantaret & psalleret iucunde, scien[illegible] [illegible] pluribus comperi, notis quoque excipere

D velocissime [illegible] cum amanuensibus suis per lu[illegible] que [illegible] antem imitari chirographa [illegible] vidisset: ac sæpe profiteri *se maximum falsarium esse potuisse*. Tribunus militum & in Germania & in Britannia [illegible], summa industria, [illegible] modestia & [illegible] apparet ex statuarum & imaginum eius multitudine, ac titulis per [illegible] Post stipendia, foro operam [illegible] dit, honestam magis quam assiduam. Eodemq; tempore Arricidiam Tertullo patre equite Rom.

E sed præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit uxorem: & [illegible] defunctæ locum Marciam Furnillam splendidi generis, cum qua, sublata filia, diuortium fecit. Ex quæsturæ deinde honore [illegible] præpositus, Tarichæam & Gamalam [illegible] Iudææ in potestatem redegit: [illegible] quadam [illegible] minibus [illegible], altero [illegible] cuius [illegible] obcu[illegible] [illegible] Imp. m[illegible] gra[illegible]

F [illegible] uertit homines, quasi [illegible] gratia [illegible] etur. Sed ubi [illegible] bari rur[illegible] [illegible] redit [illegible] adito; Paphiæ Veneris oraculo, du[illegible] de nauigatione consuluit, et [illegible] imp[illegible] spe confirmatus est. Cuius breui [illegible] compos, & ad [illegible] Iudæam relictus nouissima Hierosolymorum oppugnatione XII. propugnatores, totidem sagittarum confecit ictibus: [illegible] piq; eam [illegible] tali [illegible] militum gaudio [illegible] fauore, [illegible] IMPERATOREM cum

G consalutauerint. & subinde decedentem prouincia detinuerint, suppliciter [illegible] & minaciter efflagitantes, *ut remaneret, aut* [illegible] *cum omnes pariter abduceret*. [illegible] nata suspicio est, quasi desciscere [illegible] à patre, Orient[illegible] vindicare [illegible] tasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim bouem Apidem diadema gestauit: de more [illegible] quidem [illegible] priscæ religionis [illegible] non de[illegible] [illegible] interpretarentur [illegible] Italiam, [illegible] gi[illegible] [illegible] oneraria naue appulisset,

Romā inde contendit expeditissimus, inopinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem, *Veni*, inquit, *pater veni.* Neque ex eo destitit participem, atque etiam tutorem imperij agere. Triumphauit cum patre, censuramque gessit vna. Eidem collega & in tribunitia potestate, & in septem consulatibus fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, cùm patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in [illegible] recitaret etiam quæstoris vice, præfecturam quoque prætorij suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab equite Romano administratam. Egit [illegible] aliquanto [illegible] & violentius: si quidem [illegible] suspectissimum [illegible] quemque sibi, submissis qui per theatra & Castra, [illegible] consensu ad pœnam deposcerent, [illegible] oppressit. In his A. Cæcinam [illegible] virum, vocauit ad cœnam, ac [illegible] dum triclinio egressum, confodi imperauit [illegible] etiam chirographum eius [illegible] coniurationis deprehen[illegible]. Quibus [illegible] sicut in posterum [illegible] plurimum contraxit inuidiæ, vt non temere quis, tam aduerso rumore, magisque inuitis omnibus transierit ad principatum.

PRÆTER [illegible] suspecta in eo etiam luxuria erat: quòd ad [illegible] comissationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido, [illegible] tum & spadonum [illegible], propterque insignem reginæ Berenices amorem, cui etiam [illegible] ferebatur. Suspecta & rapacitas: quod constabat in cognitionibus patris [illegible] præmia aucupatum. Denique propalam alium Neronem & opinabantur & prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conuersaque est in [illegible] laudes: neque vllo vitio reperto, & contra virtutibus summis. Conuiuia instituit iucunda magis quàm profusa. Amicos elegit, [illegible] principes, vt & [illegible] Reip. [illegible] acquieuerunt, præcipueque [illegible] Berenicen [illegible] ab vrbe dimisit, inuitus inuitam. Quo[illegible] gratissimi delicatorum, quamquam [illegible] saltationi, vt mox scenam tenuerint, non modò fouere prolixius, sed spectare [illegible] in publico [illegible] supersedit. Nulli ciuium quidquam ademit: [illegible] alieno, vt si quis vnquam: ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine [illegible] munificentia minor. Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta celeriter exstructis, munus edidit apparatissimum, largissimúmque. Dedit & nauale prælium in veteri naumachia: ibidem & gladiatores atque vno die quinque millia omne genus ferarum.

NATVRA autem beneuolentissimus, cùm ex [illegible] Tiberij omnes dehinc Cæsares beneficia [illegible] superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quàm si eadem [illegible] & ipsi dedissent: primus præterita [illegible] vno confirmauit edicto: nec a se peti [illegible] est. In cæteris vero desiderijs [illegible] obstin[illegible] dimittere, neminem sine [illegible]. Quin & admonentibus domesticis, [illegible] *plura polliceretur, quàm præstare posset: Non oportere*, ait, *quemquam à sermone principis [illegible] discedere.* Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam [illegible] laudatam [illegible] edidit: *AMICI DIEM PERDIDI.* Populum [illegible] in primis [illegible] [illegible] omnibus [illegible]

A vt proposito gladiatorio munere, *[illegible] ad spectantium arbitrium editurum* [illegible] sit. Et plane ita fecit. Nam neque [illegible] petentibus, & vt [illegible] vellent, [illegible] hortatus est. Quin & studium armaturæ Thracum præferens, sæpe cum populo & voce, & gestu vt fautor, [illegible] est: verùm maiestate salua, nec [illegible] quid popularitatis [illegible] quam in thermis suis, [illegible] B [illegible]. Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt, vt conflagratio Vesuuij montis, in Campania: et incendium Romæ, per triduum [illegible] que noctes: item pestilentia [illegible]. In his tot aduersis, ac talibus, non modò principis sollicitudinem, [illegible] & parentis affectum [illegible] cum præstitit, nunc consolando, per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ [illegible] consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Vesuuio, quo C rum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Vrbis incendio nihil [illegible] publicè periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus, ac templis destinauit: præposuitque complures ex equestri ordine, quò quæque maturius peragerentur. Medendæ valetudini leniendisque morbis, nullam diuinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum remediorumque genere. Inter aduersa temporum [illegible] delatores mandatoresque D erant ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissime traductos per Amphitheatri arenam partim subijci ac venire imperauit: partim in asperrimas insularum auehi. Vtque etiam similia quandoque ausuros perpetuò coërceret, vetuit inter cetera [illegible] pluribus legibus agi: quærive de cuiusquam defunctorum statu, vltra certos annos. PONTIFICATVM maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac E cuiusquam necis, nec conscius, quamuis [illegible] vlciscendi caussa non deesset: sed *periturum se potius, quam perditurum* adiurans. Duos patricij generis conuictos in affectatione imperij, nihil amplius quam vt desisterent monuit, dicens *principatum fato dari*: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum: & confestim quidem ad alterius matrē, quę procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium saluum nuntiarent. Cęterùm ipsos non solùm familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorū spectaculo circa se ex industria col- F locatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam cognita vtriusque genitura, *imminere ambobus periculum* affirmasse, verùm *quandoque & ab alio*: sicut euenit. Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pęne ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, neque occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit: sed vt à primo imperij die consortem successoremque testari perseuerauit: nonnunquam secretò lacrymis & precibus orans, G *vt tandem mutuo erga se animo vellet esse.* INTER[illegible] præuentus est, maiore hominū damno quam suo. Spectaculis absolutis, in quo [illegible] populo, [illegible] fleuerat, Sabinus petit aliquanto [illegible] quod sacrificanti hostia aufugerat, [illegible] serena tonuerat. Deinde ad primam [illegible] mansionem febrim nactus [illegible] etur, suspexisse dicitur dimotis plagis cœlum, multúmque conquestus, *Eripi sibi*

vitam

*vitam immerenti: neq; enim exstare vllum suum fa-
ctum pœnitendum, excepto dumtaxat vno*: id quale
fuerit, neq; ipse tunc prodidit, neque cuiquam fa-
cile succurrit. Quidam opinantur, consuetudinem
recordatum quam cum fratris vxore habuerit. Sed
nullam habuisse persanctè Domitia iurabat: haud
negatura, si qua omnino fuisset, immo etiam glo-
riatura: quod illi promptissimum erat in omnibus
B probris. Excessit in eadem qua pater, villa: Idib.
Septembris, post biennium, ac menses duos, dies-
que xx. quàm successerat patri, altero & quadra-
gesimo ætatis anno. Quod vt palàm factum est,
non secus atque in domestico luctu mœrentibus
publicè cunctis, senatus priùs quàm edicto con-
uocaretur, ad curiam cucurrit: obseratísque adhuc
foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias e-
git, laudésque congessit, quantas ne viuo quidem
vnquam, atque præsenti.

T. FLAVIVS DO-
MITIANVS.

DOMITIANVS natus est IX. Kalen. Nouem-
bris, patre cos. designato, inituróque mense
insequenti honorem, regione vrbis sexta, ad Ma-
lum Punicum: domo, quam postea in templum
gentis Flauiæ conuertit. Pubertatis ac primæ ado-
lescentiæ tempus, tanta inopia tantáque infamia
D gessisse fertur, vt nullum vas argenteum in vsu ha-
beret. Satísque constat, Clodium Pollionem præ-
torium virum, in quem est poema Neronis, quod
inscribitur *Luscio*, chirographum eius cóseruasse,
& nonnunquam protulisse, noctem sibi pollicen-
tis: nec defuerunt qui affirmarent corruptum Do-
mitianũ, & à Nerua successore mox suo. Bello Vi-
telliano confugit in Capitolium, cum patruo Sa-
bino, ac parte præsentium copiarum: sed irrum-
pentib. aduersariis, & ardente tẽplo, apud æditũum
clã pernoctauit: ac mane Isiaci celatus habitu, in-
E terq; sacrificulos vanæ superstitionis, cùm se trans
Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite vno
contulisset, ita latuit, vt scrutantibus qui vestigia
subsecuti erãt, deprehendi nõ potuerit. Post victo-
riam demum progressus, & CÆSAR consalutatus
honorem preturę vrbanę cum consulari potestate
suscepit titulo tenus: quam iurisdictionem ad col-
legam proximum trãstulit. Ceterùm omnem vim
dominationis tam licenter exercuit, vt iam tum
F qualis futurus esset ostenderet. Ne exsequar sin-
gula, contrectatis multorum vxoribus, Domitiam
Longinam Ælio Lamiæ nuptam, etiam in ma-
trimonium abduxit: atque vno die super viginti
vrbana officia atque peregrina distribuit: mirari
se Vespasiano dictitante, *quòd successorem non &
sibi mitteret*. Expeditionem quoque in Galliam
Germaniásque, neque necessariam, & dissuadenti-
bus paternis amicis, inchoauit: tantùm vt fratri
se & operibus & dignatione adæquaret. Ob hæc
correptus, quo magis ętatis & conditionis admo-
G neretur, habitabat cum patre vnà, sellámq; eius ac
fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur, ac
triumphum vtriusque Iudaicum equo albo co-
mitatus est. In sex consulatibus, nonnisi vnum
ordinarium gessit: eúmque cedente & suffragante
fratre. Simulauit & ipse mirè modestiam: in pri-
misque poëticæ studium, tam insuetum antea si-
bi, quàm postea spretum & abiectum: recitauit-
que etiam publicè. Nec tamen eo secius, cùm Vo-
logesus Parthorum rex auxilia aduersus Alanos,
A ducémque alterum ex Vespasiani liberis depopos-
cisset, omni ope contendit vt ipse potissimùm
mitteretur. Et quia discussa res est, alios Orientis
reges, vt idem postularent, donis ac pollicitatio-
nibus sollicitare tentauit. Patre defuncto, diu cun-
ctatus, an duplum donatiuum militi offerret, nũ-
quam iactare dubitauit, *relictum se participem im-
perij, sed fraudem testamento adhibitam*. Neq; ces-
B sauit ex eo insidias struere fratri clam palámque:
quoad correptum graui valetudine, priùs quàm
planè efflaret animam, pro mortuo deseri iussit:
defunctúmque nullo præterquam consecrationis
honore dignatus, sæpe etiam carpsit obliquis ora-
tionibus & edictis. INTER initia principatus,
quotidie secretum sibi horarium sumere solebat:
nec quidquam ampliùs quàm muscas captare, ac
stylo præacuto configere: vt cuidam interroganti,
esset ne quis intus cum Cæsare, non absurdè respõ-
C sum sit a Vibio Crispo, *ne musca quidem*. Deinde
vxoré suã Domitiã, ex qua in secundo suo consu-
latu filium tulerat, alteróque anno consalutauerat
vt AVGVSTAM, eandem Paridis histrionis amore
deperditam, repudiauit: intráque breue tempus
impatiens dissidij, quasi efflagitante populo, redu-
xit. Circa administrationem imperij aliquandiu
se varium præstitit: mistura quoque æquabili vi-
tiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in
vitia deflexit: quantum coniectare licet, super in-
D genij naturam, inopia rapax, metu sæuus.

SPECTACVLA magnifica assiduè & sumtuosa
edidit: non in Amphitheatro modò, verùm & in
Circo: vbi præter sollennes bigarum quadriga-
rúmque cursus, prælium duplex etiam equestre
ac pedestre commisit: atque in Amphitheatro na-
uale quoque. Nam venationes, gladiatorésve &
noctibus ad lichnuchos: nec virorum modò pu-
gnas, sed & fœminarum. Præterea quæstoriis mu-
neribus, quæ olim omissa reuocauerat, ita semper
E interfuit, vt populo potestatem faceret, bina paria
è suo ludo postulandi, quæ nouissima aulico ap-
paratu induceret. Ac per omne gladiatorum spe-
ctaculum ante pedes eius stabat puerulus cocci-
natus, paruo portentosoque capite, cum quo plu-
rimum fabulabatur, nonnumquam seriò. Auditus
est certè: dum ex eo quærit, *ecquid sciret cur sibi
visum esset, ordinatione proxima AEgypto præficere
Mettium Rufum*. Edidit nauales pugnas pænè iu-
starum classium, effosso & circumstructo iuxta
F Tiberim lacu: atque inter maximos imbres pro-
spectauit. Fecit & ludos sæculares: computata ra-
tione temporum ab anno, non quo Claudius
proximè, sed quo olim, Augustus ediderat. In his,
Circensium die, quò faciliùs centum missus per-
agerentur, singulos à septenis spatiis ad quina
corripuit. Instituit & quinquennale certamen,
Capitolino Ioui triplex, musicum, equestre, gym-
nicum, & aliquanto plurium quàm nunc est, co-
ronarum. Certabant etiam & prosa oratione Gręcè
G Latinéque: ac præter citharœdos chorocitha-
ristę quoque, & psilocitharistæ: in stadio verò cur-
su etiam virgines. Certamini præsedit crepida-
tus, purpureáque amictus toga Germanica, ca-
pite gestans coronam auream cum effigie Iouis,
ac Iunonis, Mineruæque: assidentibus Diali sa-
cerdote & collegio Flauialium pari habitu: nisi
quòd illorum coronis inerat & ipsius imago. Ce-
lebrabat & in Albano quotannis Quinquatria
Mineruæ, cui collegium instituerat: ex quo sor-
te ducti magisterio fungerentur, ederéntque exi-

mias venationes,& scenicos ludos, supérque oratorum ac poëtarum certamina. Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit: atque inter spectacula muneris, largissimum epulum. Septimontiali sacrorum quidem senatui equitiq; panariis, plebei, sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi primus fecit: dieq; proximo omne genus rerum missilia sparsit: & quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorij ordinis pronuntiauit. Plurima & amplissima opera incendio absumta restituit: in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine vlla pristini auctoris memoria. Nouam autem excitauit ædem in Capitolio custodi Ioui, & *forum* quod nunc *Nerue* vocatur. Item Flauię templum gentis,& Stadium, & Odeum,& Naumachiam: è cuius postea lapide maximus Circus, deustis vtrimque lateribus, exstructus est.

EXPEDITIONES partim sponte suscepit, partim necessariò sponte in Cattos, necessariò. vnam in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa. In Dacos duas, primam, Oppio Sabino consulari oppresso: secundam, Cornelio Fusco prefecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. De Cattis Dacisque post varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modò Capitolino Ioui retulit. Bellum ciuile motum a L. Antonio, superioris Germanię præside confecit absens, felicitate mira: cū ipsa dimicationis hora resolutus repentè Rhenus, transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset. De qua victoria præsagiis prius quam nuntiis comperit. Siquidem ipso quo dimicatum erat, die statuam eius Romæ insignis aquila circumplexa, pennis clangores lætissimos edidit: paulloque post occisum Antonium adeò vulgatum est, vt caput eius quoq; apportatum vidisse se plerique contenderent.

MVLTA etiam in communi rerum vsu nouauit. Sportulas publicas sustulit, reuocata cœnarum rectarum consuetudine. Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit. Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem iure concesso. Castra rimares vetuit: spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est. Ad summam quondam vbertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret: vtque in prouinciis vineta succiderentur, relicta, vbi plurimùm, dimidia parte: nec exsequi rem perseuerauit. Quædam ex maximis officiis inter libertinos equitesque Rom. communicauit. Geminari legionum castra prohibuit: nec plus quàm mille nummos à quoquam ad signa deponi: quòd L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res nouas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Addidit & quartum stipendium militi, aureos ternos.

Ius diligenter & industriæ dixit. Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitiosas centumuirorum sententias rescidit. Recuperatores, ne se sęper persuasoriis assertionib. accōmodarent, identidem admonuit. Nummarios iudices cum suo quemqoe consilio notauit. Auctor & tribunis pleb. fuit, ædilem sordidum repetundarum accusandi, iudicesque in eum à senatu petendi. Magistratibus quoque vrbicis, prouinciarúmque

A præsidibus coërcendis, tantum curæ adhibuit, vt neque modestiores vnquam, neque iustiores exstiterint: è quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus. Suscepta morum correctione, licentiam theatralem promiscuè in equite spectandi inhibuit. Scripta famosa, vulgóque edita, quibus primores viri ac fœminæ notabantur, aboleuit non sine auctorum ignominia. Quæstorium virum, quòd gesticulandi saltandique
B studio teneretur, mouit senatu. Probrosis fœminis lecticæ vsum ademit: iúsque capiendi legata hereditatésque. Equitem Rom. ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimissæ adulterij crimen intenderat, erasit iudicum albo. Quosdam ex vtroque ordine lege Scatinia condemnauit. Incesta Vestalium virginum, à patre suo quoque & fratre neglecta, varié ac seuere coërcuit: priora, capitali supplicio posteriora, more veteri. Nam cùm Ocellatis sororibus, item Varonillæ liberum
C mortis permisisset arbitrium, corruptorésque earum relegasset: mox Corneliam virginem maximam, absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam atq; conuictam, defodi imperauit: stupratorésque virgis in comitio ad necem cędit: excepto prætorio viro: cui dubia etiamnum causã, & incertis quæstionibus atque tormētis de semet professo, exiliū indulsit. Ac ne qua religio deûm impunè contaminaretur, monumentum quod libertus eius è lapidibus templo Capitolini Iouis
D destinatis filio construxerat, diruit per milites: ossáque & reliquias, quæ inerant, mari mersit.

INTER initia vsque adeò ab omni cæde abhorrebat, vt absente adhuc patre, recordatus Virgilij versum,

Impia quam cæsis gens est epulata iuuencis:

edicere destinauerit. *Ne boues immolarentur.* Cupiditatis quoque atque auaritiæ vix suspicionem vllam, aut priuatus vnquā, aut princeps aliquan-
E diu dedit; immo è diuerso magnæ sæpe non abstinentiæ modò, sed etiam liberalitatis experimenta. Omnes circa se largissimè prosecutus, nihil priùs aut acriùs monuit, quàm ne quid sordidè faceret. Relictas sibi hereditates ab iis quibus liberi erãt, non recepit. Legatum etiam ex testamento Ruscij Cæpionis: qui cauerat, *vt quotannis ingredientibus Curiam senatoribus, certam summam viritim præstaret heres suus*, irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependisset,
F vniuersos discrimine liberauit: nec repeti, nisi intra annum, eáque conditione permisit, vt accusatori, qui caussam non teneret, exsilium pœna esset. Scribas quæstorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in præteritum donauit. Subsecíua, quæ diuisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, vt vsucapta concessit. Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit: ferebatúrque vox eius: *PRINCEPS QVI DELATO-*
G *RES NON CASTIGAT, IRRITAT.* SED NEQVE in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: & tamen aliquantò celerius ad sæuitiam desciuit quàm ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi, impuberem adhuc, & tum maximè ægrum, quòd arte formáque non absimilis magistro videbatur, occidit: item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras: librariis etiam qui eam descripserant, crucifixis. Patrem familiâs, quod *Thracem myrmilloni parem, munerario imparem*, dixerat, detractū è spectaculis

ſpectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo, *IMPIE LOCVTVS PARMVLARIVS*. Complures ſenatores, in his aliquot conſulares, interemit: ex quibus, Ciuicam Cerealem in ipſo Aſiæ pro conſulatu, Saluidienum Orfitum, Acilium Glabrionem exſilio quaſi molitores nouarum rerum, Cæteros leuiſſima quemque de cauſſa: Ælium Lamiam, ob ſuſpicioſos quidẽ, verum & veteres & innoxios iocos: quod poſt abductam vxorem laudanti vocem ſuam, *Heu taceo* dixerat: quódque Tito hortanti ſe ad alterum matrimonium reſponderat, μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; Saluium Cocceianum, quòd Orbonis Imperatoris patrui ſui diem natalem celebrauerat: Metium Pompoſianum, quòd habere Imperatoriam geneſim vulgò ferebatur: & quòd depictum orbem terræ in membranas, concioneſque regum ac ducum ex Tito Liuio circumferret: quódque ſeruis nomina Magonis & Annibalis indidiſſet. Salluſtium Lucullum Britanniæ legatum, quòd lanceas nouæ formæ appellari *Lucullea*s paſſus eſſet. Iunium Ruſticum, quòd Pæti Thraſeæ & Heluidij Priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos *ſanctiſſimos viros*: cuius criminis occaſione, philoſophos omnes vrbe Italiáque ſubmouit. Occidit & Heluidium filium, quòd quaſi ſcenico exodio ſub perſona Paridis & Oenones diuortium ſuum cum vxore taxaſſet. Flauium Sabinum alterum è patruelibus, quòd eum comitiorum conſularium die deſtinatum, perperam præco non *Conſulem*, ad populum, ſed *Imperatorem* pronuntiaſſet. Verùm aliquanto poſt ciuilis belli victoriam ſæuior, pleroſque partis aduerſæ, dudum etiam latentes conſcios, inueſtigato nouo quæſtionis genere, diſtorſit: immiſſo per obſcœna igne. Nonnullis & manus amputauit. Satiſque conſtat duos ſolos è notioribus venia donatos, tribunum laticlauium, & centurionem: qui ſe, quò faciliùs expertes culpæ oſtenderent, impudicos probauerant: & ob id neque apud ducem, nec apud milites vllius momenti eſſe potuiſſe.

Erat autem non ſolùm magnæ ſed & callidæ inopinatæque ſæuitię. Auctorem ſummarum pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocauit: aſſidere in toro iuxta coëgit, ſecurum hilaremq; dimiſit, partibus etiam de cœna dignatus eſt. Aretinũ Clementem conſularem virum, è familiaribus & emiſſariis ſuis, capitis condemnaturus, in eadẽ, vel etiam in maiore gratia, habuit, quoad nouiſſimè ſimul geſtanti conſpecto delatore eius: *Vis*, inquit, *hunc nequiſſimum ſeruum cras audiamus?* Et qòd contemtiùs abuteretur patientia hominum, numquam triſtiorem ſententiam, ſine pręfatione clementiæ, pronuntiauit: vt non aliud iam certius atrocis exitus ſignum eſſet quàm principij lenitas. Quoſdam maieſtatis reos in curiam induxerat: & cùm prædixiſſet *experturum ſe illa die quàm charus ſenatui eſſet*, facile perfecerat vt etiam more maiorum puniendi condemnarẽtur: deinde atrocitate pœnę conterritus, ad leniendam inuidiam interceſſit, his verbis: neque enim ab re fuerit ipſa cognoſcere; *Permittite Patres Conſcripti à pietate veſtra impetrari (quod ſcio me difficulter impetraturum) vt damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes ſenatui interfuiſſe.*

EXHAVSTVS operum ac munerum impenſis, ſtipendioque quod adiecerat: tentauit quidem, ad releuandos caſtrenſes ſumtus, militum numerum

A dimiouere. Sed cùm obnoxiũ ſe barbaris per hoc animaduerteret: neque eò ſecius in explicandis oneribus omnibus hæreret: nihil pẽſi habuit quin prædaretur omni modo. Bona viuorum & mortuorum vſquequaque, quolibet & accuſatore & crimine corripiebantur: ſatis erat obiici qualecũque factum dictúmq; aduerſum maieſtatem principis. Confiſcabantur alieniſſimæ hæreditates: vel

B exiſtẽte vno qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, cùm viueret, *hæredem ſibi Cæſarem eſſe*. Præter cæteros Iudaicus fiſcus acerbiſſimè actus eſt: ad quem deferebantur qui veluti profeſſi, Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cùm à procuratore frequentiſſimóque conſilio inſpiceretur nonagenarius ſenex an circumſectus eſſet. Ab iuuenta minimè ciuilis, animi confidens etiam, & tum

C verbis tum rebus immodicus. Cænidi patris concubinæ ex Iſtria reuerſæ, oſculúmque, vt aſſueuerat, offerenti, manum præbuit. Generum fratris indignè ferens, albatos & ipſum miniſtros habere, proclamauit: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Principatum verò adeptus, neque in ſenatu iactare dubitauit, *& patri ſe & fratri imperium dediſſe: illos ſibi reddidiſſe.* Neque in reducenda poſt diuortium vxore, edicere *vocatam eam in puluinar ſuum.* Acclamari etiam in Amphitheatro epulari

D die libenter audiit: *Domino & Dominæ feliciter.* Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti conſenſu precantes vt Palfurium Suram reſtitueret, pulſum olim ſenatu, ac tunc de oratoribus coronatum: nullo reſpõſo dignatus, tacere tantummodo iuſſit voce præconis. Pari arrogãtia cùm procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: *Dominus & Deus noſter ſic fieri iubet.* Vnde inſtitutum poſthac, vt ne ſcripto quidem ac ſermone cuiuſquam appellaretur aliter. Statuas ſi-

E bi in Capitolio nonniſi aureas & argenteas poni permiſit, ac ponderis certi. Ianos, arcúſq; cum quadrigis & inſignibus triumphorum per regiones vrbis, tantos ac tot exſtruxit, vt cuidam Græcè inſcriptum ſit arcui, ΑΡΚΕΙ. Conſulatus, XVII. cepit. quod ante eum nemo. Ex quib. ſeptem medios continuauit: omnes autem pæne titulo tenus geſſit: nec quenquam vltra Kalendas Maij: plures ad Idus vſque Ianuarias. Poſt autem duos triumphos Germanici cognomine aſſumto, Septembrẽ men-

F ſem & Octobrẽ, ex appellationibus ſuis, Germanicum Domitianúmq, tranſnominauit: quòd altero ſuſcepiſſet Imperium, altero natus eſſet. PER HÆC terribilis cunctis & inuiſus, tandem oppreſſus eſt amicorum libertorúmq; intimorum conſpiratione, ſimul & vxoris. Annum diémque vltimum vitę iam pridem ſuſpectum habebat, horam etiã, necnõ & genus mortis. Adoleſcentulo Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque ſuper cœnam quõdam fungis abſtinentem palàm irriſerat, vt ignarum ſortis ſuæ, quòd non ferrum potiùs

G timeret. Quare pauidus ſẽper atq; anxius, minimis etiã ſuſpicionib. pręter modum cõmouebatur: vt edicti de excidendis vineis præpoſiti, gratiam facere non alia magis re compulſus credatur, quàm quòd ſparſi libelli cum his verſibus erant,

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Eadem formidine oblatum à ſenatu nouum & excogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentiſſimus, recuſauit: quod decretum erat,

vt quoties gereret consulatum, equites Rom. quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus, præcederent eum, inter lictores apparitorésq;. Tempore quoque suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticuum in quibus spatiari consueuerat, parietes phengite lapide distinxit: è cuius splẽdore per imagines quidquid à tergo fieret, prouideret. nec nisi secretò atque solus plerásq; custodias, receptísq; in manu catenis, audiebat. Vtq; domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem: Epaphroditum à libellis, capitali pœna condemnauit: quòd post destitutionẽ, Nero in adipiscenda morte, manu eius adiutus existimabatur. Denique Flauium Clementem patruelem suum contentissimæ inertiæ, cuius filios etiamnum paruulos successores palàm destinauerat: & abolito priore nomine, alterum *Vespasianum* appellari iusserat, alterum *Domitianum*: repentè ex tenuissima suspicione tantùm non ipso eius consulatu interemit. Quo maximè facto maturauit sibi exitium. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nuntiatáq; sunt: vt exclamauerit, *Feriat iam quem volet.* Tactum de cœlo Capitolium, templúmq; Flauiæ gentis: item domus Palatina & cubiculum ipsius: atque etiam è basi statuæ triumphalis titulus excussus vi porcellæ in monumẽtum proximum decidit. Arbor, quæ priuato adhuc Vespasiano euersa surrexerat, tunc rursus repentè corruit. Prædestina Fortuna, toto imperij spatio annum nouum commendãti, lætam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit: nec sine sanguinis mentione. Mineruã, quam superstitiosè colebat, somniauit excedere sacrario: negantem vltrà se tueri eum posse, quòd exarmata esset à Ioue. Nulla tamen re perinde commotus est quàm responso casuque Ascletarionis mathematici. Hunc delatũ, nec inficiãtem iactasse se quæ prouidisset ex arte, sciscitatus est quis ipsum maneret exitus, & affirmantem *fore vt breui laceraretur à canibus*, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissimè imperauit. Quod cùm fieret, euenit vt repentina tempestate deiecto funere semiustum cadauer discerperent canes: Idq; ei cœnanti à mimo Latino, qui præteriens fortè animaduerterat, inter cæteras diei fabulas referretur. PRIVS quàm periret, cùm oblatos tuberes seruari iussisset in crastinum: adiecit: *Si modò vti licuerit.* Et conuersus ad proximos affirmauit *fore vt sequenti die, Luna se in Aquario cruentaret: factúmque aliquod existeret, de quo loquerentur homines per terrarum orbẽ.* Ac circa mediam noctem ita est exterritus, vt de strato prosiliret. Dehinc mane haruspicem ex Germania missum, qui cõsultus de fulgure mutationem rerum prædixerat, audiit, condemnauitq;. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementiùs scalpit, profluente sanguine, *Vtinam*, inquit, *hactenus.* Tũc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est. His velut transacto iam periculo lætum, festinantémque ad corporis curam, Parthenius cubiculò præpositus conuertit: nuntians esse qui magnum nescio quid afferret, nec differendum. Itaque summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est.

De insidiarum cædisque genere, hæc ferè diuulgata sunt. Cunctantibus conspiratis, quando & quomodo, id est, lauãtémne an cœnantem aggrederentur: Stephanus Domitillæ procurator, & tũc interceptarum pecuniarum reus, consilium operámque obtulit. Ac sinisteriore brachio velut ægro, lanis fascilsque per aliquot dies ad auertendã suspicionem obuoluto, ad ipsam horã dolum interiecit professúsque conspirationis indicium, & ob hoc admissus, legenti traditum à se libellum, & attonito, suffodit inguina. Saucium ac repugnanté adorti Clodianus cornicularius, & Maximus Parthenij libertus, & Saturius decurio cubiculariorum, & quidam è gladiatorio ludo, vulneribus septem cõtrucidauerunt. Puer, qui curæ Lariũ cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc ampliùs narrabat, iussum se à Domitiano ad primum statim vulnus pugionem puluino subditum porrigere, ac ministros vocare: neq; ad caput quidquam, excepto capulo, & præterea omnia clausa reperisse: atque illum interim correpto deductóque ad terram Stephano colluctatum diu, modò ferrum extorquere, modò, quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatum. Occisus est XIIII. Kalend. Octobris, anno ætatis XLV. Imperij XV. Cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funerauit: sed reliquias templo Flauiæ gentis clàm intulit: cineribúsque Iuliæ Titi filiæ quam & ipsa educauerat, commiscuit.

STATVRA fuit procera, vultu modesto, ruborísque pleno, grandibus oculis, verùm acie hebetiore: præterea pulcher ac decens, maximè in iuuenta, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorũ digitos restrictiores habebat, postea caluitie quoq; deformis, & obesitate ventris, & crurum gracilitate: quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Cõmendari se verecundia oris adeò sentiebat, vt apud senatum sic quondam iactauerit, *Vsq; adhuc certè animum meum probastis & vultũ.* Caluitio ita offendebatur, vt in contumeliam suã traheret, si cui alij ioco vel iurgio obiectaretur: quãuis libello, quẽ *De cura capillorum* ad amicũ edidit, hoc etiam illũ simul seq; consolans inseruerit:

ΟΥ'χ ὁράας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε;

eadem me tamen manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec breuius. Laboris impatiens, per vrbem pedibus non temerè ambulauit: in expeditione & agmine, equo rariùs, lectica assiduè vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Cẽtenas varij generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectauêre pleriq;, atq; etiam ex industria ita quarũdam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nõnumquam in pueri procul stãtis, præbentisq; pro scopulo dispensam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuè euaderent. Liberalia studia in initio imperij neglexit, quamquam bibliothecas incendio absumtas impensissimè reparare curasset, exemplaribus vndiq; petitis: missísque Alexandriam, qui describerent emẽdarẽtque. Numquam tamen aut historiæ carminibúsve cognoscendis operã vllam, aut stylo vel necessario dedit. Præter commentarios & acta Tiberij Cæsaris nihil lectitabat. epistolas, orationésq; & edicta alieno formabat ingenio. Sermonis tamen nec inelegantis: dictorum interdum etiam notabilium, *Vellem*, inquit, *tam formosus esse quàm Metius sibi videtur.* Et cuiusdam caput varietate capilli subrutilum, & incanum, *perfusam niuem mulso* dixit.

Conds.

Conditionem principum miserrimam, aiebat: *quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis.* Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiã profestis diebus, matutinisque horis: ac lauabat de die, prandebátque ad satietatem: vt non temerè super cœnam prçter Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret. Conuiuabatur frequenter ac largè, sed pene raptim: certè non vltra Solis occasum nec vt postea comissaretur. Nam ad horam somni nihil aliud quàm secretò solus deambulabat.

Libidinis nimiæ, assiduitatem concubitus velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. Erátque fama, quasi concubinas ipse diuelleret, natarétque inter vulgatissimas meretrices. Fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi, cùm deuinctus Domitiæ nuptiis pertinacissimè recusasset, non multo pòst alij collocatam, vltrò corrupit, & quidem viuo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam, ardentissimè palámque dilexit: vt etiam caussa mortis exstiterit, coactæ conceptum a se abigere. OCCISVM eum, populus indif-
A ferenter, miles grauissimè tulit, statimq; cum *Diuum* appellare conatus: paratus & vlcisci, nisi duces defuissent. quod quidem paullò pòst fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissimè cædis auctoribus. Contrà senatus adeò lætatus est, vt repleta certatim curia non, temperaret quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri, clypeosque & imagines eius coràm detrahi, & ibi-
B dem solo affligi iuberet: nouissimè eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos quã occideretur menses, cornix in Capitolio elocuta est, ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,

Est bene, *non potuit dicere dixit*. Erit Ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam sibi pone ceruicem auream enatam: pro certóque habuisse, beatiorem post se lætioremque por-
C tendi statum Reipublicæ. Sicut sanè breui euenit, abstinentia & moderatione insequentium principum.

C. SVETONII TRANQVILLI DE ILLVSTRIBVS GRAMMATICIS LIBER.

GRAMMATICA olim Romæ ne in vsu quidem, nedum in honore vllo erat: rudi scilicet ac bellicosa etiam tum ciuitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque eius mediocre extitit: siquidem antiquissimi doctorum, qui idem & poetæ & oratores semigræci erant (Liuium & Ennium dico: quos vtraque lingua, domi forísque docuisse adnotum est) nihil amplius quàm Græcè interpretabantur ac si quid Latinè ipsi composuissent, prçlegebant. Nam quod nonnulli tradunt, duos libros *De literis syllabisque*, item *de metris*, ab eodem Ennio editos, iure arguit Lucius Cotta, non poetæ sed posterioris Ennij esse: cuius etiam de augurandi disciplina volumina feruntur.

Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticæ in Vrbem intulit CRATES MALLOTES Aristarchi æqualis; qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennij mortem, quum in regione Palatij prolapsus in cloacæ foramen, crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tempus, plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assiduéq; disseruit: ac nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, vt carmina parum adhuc diuulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent: ac legendo commentandóque, etiam cæteris nota facerent: vt CAIVS OCTAVIVS Lampadio, Neuii Punicum bellum: quod vnico volumine & continenti scriptura expositum, diuisit in septem libros: vt postea QVINTVS VARGONTEIVS an-
D nales Ennij, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: vt LÆLIVS ARCHELAVS, VECTIVS, QVINTVS PHILOCOMVS Lucilij satyras familiaris sui: quas legisse apud Archelaum, Pompeius Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato, prædicantur. Instruxerunt auxerúntque ab omni parte grammatica, LVCIVS ÆLIVS LANVVINVS, gener Quinti Ælij SERVIVS CLODIVS, vterque eques Romanus, multique ac varij & in
E doctrina & in republica vsus.

LVCIVS ÆLIVS cognomine duplici fuit: nam & Præconinus, quòd pater eius præconium fecerat, vocabatur: & Stilo, quòd orationes nobilissimo cuique scribere solebat: tantus optimatum fautor, vt Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. SERVIVS cùm librum soceri nondum editum fraude intercepisset: & ob hoc repudiatus, pudore ac tædio secessisset ab Vrbe, in
F podagræ morbum incidit: cuius impatiens, veneno sibi perunxit pedes, & enecuit, ita, vt parte ea corporis quasi præmortua, vixerit. Post hoc magis ac magis & gratia & cura artis increuit: vt ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quò minus & ipsi aliquid de ea scriberent: vtq; temporibus quibusdam, super viginti celebres scholę fuisse in Vrbe tradantur: pretia Grammaticorum tanta, mercedésque tam magnæ: vt constet, LVTATIVM
G DAPHNIDEM, quem LENÆVS MELISVS per cauillationem nominis, Πανὸς ἄγημα dicit, ducentis millibus nummum Quinto Catulo emptum, ac breui manumissum LVCIVM APPV-

LEIVM ab Eficio Caluino equite Romano prædiuite, quadringenis annuis conductum, multos edocuisse. Nam in prouincias quoque Grammatica penetrauerat, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregrè docuerunt, maximè in Gallia Togata: inter quos OCTAVIVS TEVCER, & SISCENNIVS IACCHVS, & OPPIVS CARES: hic quidem ad vltimam ætatem, & cùm iam non gressu modo deficeretur, sed & visu.

B Appellatio GRAMMATICORVM Græca consuetudine inualuit: sed initio *Literati* vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello quo distinguit literatum ab erudito: *literatos* quidem vulgò appellari ait eos qui aliquid diligenter & acutè scienterq; possint aut dicere aut scribere: cęterùm propriè sic appellandos poëtarum interpretes, qui à Græcis γραμματικοὶ nominentur: eosdem LITERATORES vocitatos. Messalla Coruinus, in quadam epistola *non esse sibi* dicens *rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem, aut literatore Catone*: significat enim haud dubiè Valerium Catonem poëtam simul, grammaticúmque notissimum. Sunt qui *literatum à literatore* distinguant: vt Græci Grammaticum à Grammatista: & illum quidem absolutè, hunc mediocriter doctum existiment. quorum opinionem ORBILIVS etiam exemplis confirmat. Nam apud maiores, ait, cùm familia alicuius venalis produceretur, non temere quem literatum, in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse: quasi non perfectum literis, sed imbutum. Veteres Grammatici & Rhetoricam docebant: ac multorum de vtraq; arte commentarij feruntur, secundum quam consuetudinem posteriores quoq; existimo, quanquam iam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse & ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandâ, vt problemata, periphrasis, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus, ne scilicet sicci omnino atq; aridi pueri Rhetoribus traderētur. quę quidē omnia iam video desidia quorundam & infantia: non enim fastidio putē. Me quidē adolescētulo, repeto quēdā Principē nomine alternis diebus declamare, alternis disputare, nónullis verò manè disserere post meridiē remoto pulpito, declamare solitum. Audiebā etiam memoria patrū, quosdā è Grammaticis statim è ludo transisse in forū, atq; in numerum præstantissimorum patronorum receptos. Clari professores, & de quibus prodi possit aliquid duntaxat à nobis, fere hi fuerunt.

SÆVIVS NICANOR primus ad famam dignationémque docendo peruenit: fecitque præter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, satyram quoque, in qua libertinum se, ac duplici cognomine esse hoc indicat,

Sæuius Nicanor Marci libertus negabit:

Sæuius Posthumius idem sed Marcus docebit.

Sunt qui tradant ob infamiam quandam eum in Sardiniam secessisse, ibique diem obisse.

AVRELIVS OPILIVS Epicurei cuiusdam libertus, philosophiam primò, deinde rhetoricam, nouissimè Grammaticam docuit. Dimissa autem schola, Rutilum Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnæ simúlque consenuit: composuitque variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus nouem vnius corporis. qui quia scriptores ac poëtas sub clientela Musarum iudicaret, non absurdè & scripsisse & fecisse se ait, *ex numero Diuarum & appellatione*. Huius cognomen

A in plerisq; indicibus & titulis per vnam literā scriptum animaduerto: verum ipse id per duas effert in parastichide libelli: qui inscribitur PINAX.

MARCVS ANTONIVS GNIPHO ingenuus, in Gallia natus, sed expositus: à nutritore suo manumissus institutúsque, Alexandriæ quidem, vt aliqui tradunt, in contubernio Dionysij Scytobrachionis: (quod equidem non temerè crediderim: quum temporum ratio vix congruat) fuisse dicitur ingenij magni, memoriæ singularis, nec minus Græcè quam Latinè doctus: præterea comi facilique natura, nec vnquam de mercedibus pactus, eóque plura ex liberalitate discentium consecutus. Docuit primùm in Diui Iulij domo pueri adhuc: deinde in sua priuata. Docuit autem & Rhetoricam, ita vt quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret verò nonnisi nūdinis. Scholam eius claros quoque viros frequentasse aiunt: in his Marcum Ciceronem, etiam cùm prætura

C fungeretur. Scripsit multa, quamuis annum ætatis quinquagesimum non excesserit: etsi Ateius Philologus duo tantùm volumina de Latino sermone reliquisse eum tradit. Nam cætera scripta discipulorum eius esse, non ipsius: in quibus & suum alicubi reperiri nomen.

POMPILIVS ANDRONICVS, natione Syrus, studio Epicureę sectę desidiosior in professione Grãmaticæ habebatur, minúsque idoneus ad tuendam scholam. Itaque cùm se in Vrbe non solùm An-

D tonio Gniphoni sed cæteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit, ibique in otio vixit, & multa composuit: verùm adeò inops atque egens, vt coactus sit præcipuum illud opusculum annalium elenchorum sedecim millibus nummûm cuidam vendere. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandósque curasse nomine auctoris.

ORBILIVS PVPILLVS Beneuentanus, morte parentum, vna atque eadem die, inimicorum do-

E lo, interemptorum destitutus, primò apparituram magistratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit. functúsque militia, studia repetit, quæ iam inde à puero non leuiter attigerat: ac professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romam, consule Cicerone, transiit: docuitq; maiore fama quàm emolumento. Namque iam persenex pauperem se, & habitare sub tegulis, quodam scripto fatetur. Librum etiam, cui est titulus *Perialogos*, edidit, continentem quere-

F las de iniuriis, quas professores negligenter ab ambitione parentum acciperent. Fuit autem naturæ acerbæ, non modò in antisophistas, quos omni sermone lacerauit, sed etiam in discipulos, vt Horatius significat, *plagosum* eum appellans, & Domitius Marsus scribens,

Si quos Orbilius ferula scuticáque cecidit.

Ac ne principum quidem virorum insectatione abstinuit: si quidem ignotus adhuc, quum iudicio

G frequenti, testimonium diceret, interrogatus à Varrone diuersæ partis aduocato, *quidnam ageret, & quo artificio vteretur, Gibberosos se de sole in vmbram transferre* respondit: quòd Muræna gibber erat. Vixit prope ad centesimum ætatis annum, amissa iampridem memoria, vt versus Bibaculi docet,

Orbilius vbinam est, literarum obliuio?

Statua eius Beneuēti ostēditur, in Capitolio, ad sinistrū latus, marmorea, habitu sedētis ac palliati, appositis duob⁹ scrinijs. Reliquit filiū Orbiliū, & ipsum

ipsum Grammaticum professorem.

ATTEIVS PHILOLOGVS libertin⁹, Athenis natus. Hunc Capito Atteius iurisconsultus, inter Grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait. De eodem ASINIVS POLLIO in libro quo Sallustij scripta reprehendit, vt nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit, *In eam rem adiutorium ei fecit maximè quidam Ateius prætextatus nobilis Grammaticus Latinus, declamantium deinde adiutor, atque præceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus.* Ipse ad Lucium Hermam scripsit, *se in Græcis literis magnum processum habere, & in Latinis nonnullis: audisse ANTONIVM GNIPHONEM, eiúsque HERMAM: postea docuisse. Præcepisse autē multis & claris iuuenibus: in quibus APPIO quoque, & PVLCHRO, CLAVDIIS, fratribus, quorū etiam comes in prouincia fuerit.* Philologi appellationem assumsisse videtur: quia, sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vendicauit, multiplici variáque doctrina censebatur. quod sanè ex commentariis eius apparet, quanquam paucissimi extent. de quorum tamen copia, sic altera ad eundem Hermam epistola significat: *HYLEM nostram aliis memento commendare: quam omnis generis coegimus, vti scis, octingentos in libros.* Coluit postea familiarissimè Caium Sallustium, & eo defuncto ASINIVM POLLIONEM: quos historiam componere aggressos, alterum breuiario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet, eligeret, instruxit: alterum præceptis de ratione dicendi. Quo magis miror Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba & figuras solitum esse colligere Sallustio: quum sibi sciat nil aliud suadere, quàm vt noto ciuilique & proprio sermone vtatur: vitétque maximè obscuritatem Sallustij, & audaciam in translationibus.

VALERIVS CATO, vt nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam libertus ex Gallia: ipse libello, cui est titulus INDIGNATIO, ingenuum se natum ait, & pupillum relictum, eóque faciliùs licentia Syllani temporis exutum patrimonio. Docuit multos, & nobiles: visúsque est peridoneus præceptor maximè ad poëticam tendētibus: vt quidē apparere vel his versiculis potest,

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit, ac facit poetas.

Scripsit præter grammaticos libellos, etiam poemata, ex quibus præcipuè probantur Lydia, & Diana. Lydiæ Ticida meminit;

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ Cinna,

Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, & penè inopia; abditus modicò gurgustio postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, vt auctor est Bibaculus:

Si quis fortè mei domum Catonis,
Depictas minio assulas, & illos
Custodis videt hortulos Priapi,
Miratur quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus.
Quem tres cauliculi, & selibra farris,
Racemi duo, tegula sub vna
Ad summam propè nutriant senectam.

Et idem rursus,

Catonis modò, Galle, Tusculanam,
Tota creditor vrbe venditabat.
Mirati sumus vnicum magistrum,
A *Summum grammaticum, optimum poetam,*
Omnes soluere posse quæstiones,
Vnum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

CORNELIVS EPICADVS Lucij Cornelij Syllæ Dictatoris libertus Calatórque sacerdotio augurali, filióque eius Fausto gratissimus fuit: quare numquam non vtrinque se libertum edidit. Librum autem, quem Sylla nouissimum de rebus
B suis imperfectum reliquerat, ipse suppleuit.

LABERIVS Hiera suo hero emptus de catasta, & propter literarum studium manumissus, docuit inter cæteros Brutum & Cassium. Sunt qui tradant tanta cum honestate præditum, vt temporibus Syllanis proscriptorum liberos, gratis & sine mercede vlla in disciplinam receperit.

CVRTIVS NICIA hæsit Cnęo Pompeio & Caio Memmio: sed quum codicillos Memmij ad Pom-
C peij vxorem de stupro pertulisset, proditus ab eâ, Pompeium offendit: domóque ei interdictum est. Fuit & Marci Ciceronis familiaris: in cuius epistola ad Dolabellam hæc de eo legimus: *Omnino mihi literæ magis sunt expetendæ à te, quàm à me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare, nisi fortè scire vis me inter Niciam nostrum & Vidium iudicem esse. Profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciæ: alter Aristarchus hos ὀβελίζει. Ego tanquā criticus antiquus iudi-*
D *caturus sum, vtrum sint τοῦ ποιητοῦ an παρεμβεβλημένοι.* Item ad Atticum *De Nicia quod scribis, si ita me haberem, vt eius humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere: sed mihi solitudo & recessus prouincia est. quod quia facilè ferebat Sicca, eo magis illum desidero. Præterea nosti Niciæ nostri imbecillitatem, mollitiem, consuetudinem victus. Cur ergo illi molestus esse velim, quum mihi ille iucūdus esse non possit? Voluntas tamen eius mihi grata est.* Huius de Lucilio libros etiā satyra cōprobat.

E LENAEVS Pompeij Magni libertus, & penè omnium expeditionum comes, defuncto eo, filiisque eius, schola se sustentauit: docuitque in Carinis ad Telluris ædem: in qua regione Pompeiorum domus fuerat: ac tanto amore erga patroni memoriam extitit: vt SALLVSTIVM historicum, quòd eum *oris improbi animo inuerecundo* scripsisset, acerbissima satyra lacerauit, *lastaurum & lurconem, & nebulonem, popinonémque* appellans: & *vita scriptísque monstrosum*: præterea *priscorum,*
F *Catonisve verborum ineruditissimum furem.* Traditur autem puer adhuc catenis subreptus, refugisse in patriam: perceptísque liberalibus disciplinis, pretium Domino suo retulisse. verùm ob ingenium & doctrinam gratis manumissus.

QVINTVS CÆCILIVS Epirota, Tusculi natus libertus Attici Satrij equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, cùm filiam patroni nuptam Marco Agrippæ doceret, suspectus in ea, & ob hoc remotus, ad Cornelium Gallum se contulit: vixitque vnà familiarissimè: quod ipsi Gallo
G inter grauissima crimina ab Augusto obiicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli, scholam aperuit: sed ita, vt paucis, & tantùm adolescentibus præciperet, prætextato nemini, nisi si cuius parenti hoc officium negare non posset. Primus dicitur Latinè ex tempore disputasse, primúsq; Virgilium & alios poëtas nouos prælegere cœpisse. quod etiā Domitij Marsi versicul⁹ indicat,

Epirota tenellorum nutricula vatum.

VERRIVS FLACCVS, libertinus, docendi genere maximè inclaruit. Namque ad exercitanda discentium ingenia æquales inter se committere solebat, proposita non solùm materia, quam scriberent, sed & præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque nepotibus eius præceptor electus, transiit in Palatium cum tota schola: verùm vt nequem ampliùs posthac discipulum reciperet: docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatij tunc erat: & sestertia centena in annum accepit. Decessit ætatis exactæ sub Tiberio. Statuam habet Præneste, in inferiore fori parte, contra hemicyclum: in quo fastos à se ordinatos, & marmoreo parieti incisos, publicarat.

LVCIVS CRASSITIVS genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasides, mox Pansam se transnominauit. Hic initio circa scenam versatus est, dum Mimographos adiuuat. deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito, adeò inclaruit, vt hæc de eo scriberentur;

Vni Crassitio se credere Smyrna probauit:
Desinite indocti coniugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle:
Intima cui soli nota sui extiterint.

Sed cùm edoceret iam multos, ac nobiles, in his Iulium Antonium triumuiri filium, vt Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola transiit ad Quinti Septimij philosophi sectam.

SCRIBONIVS APHRODISIVS, Orbilij seruus, atq; discipulus, mox à Scribonia Libonis filia quę prior Augusti vxor fuerat, redemptus & manumissus, docuit, quo Verrius tempore. cuius etiam libros de orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorum morúmque eius.

CAIVS IVLIVS HIGINVS, Augusti libertus, natione Hispanus, etsi nunnulli Alexandrinum putant, & à Cæsare puerum Romam aduectum, Alexandria capta. Studiosè & auidè imitatus est Cornelium Alexandrum Grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam, *Polyhistorem* multi, quidam *historiam* vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eo secius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ouidio poëtæ, & Caio Licinio consulari, historico: qui eum admodum pauperem decessisse tradit, & liberalitate sua, quoad vixit, sustentatum. Huius libertus fuit Iulius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus.

CAIVS MELISSVS, Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit: ac Męcenati pro Grammatico muneri datus est. Cui quum se gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam adserente matre, permansit tamen in statu seruitutis: præsentémque conditionem veræ origini anteposuit. quare citò manumissus, Augusto & insinuatus est. Quo delegante, curam ordinandarum bibliothecarum in Octauiæ porticu suscepit. Atque, vt ipse tradit, sexagesimum ætatis annum agens, libellos *Ineptiarum*, qui nunc *Iocorum* inscribuntur, componere instituit: absoluitque centum & quinquaginta, quibus & alios diuersos postea addidit. Fecit & nouum genus Togatarum, inscripsitque Trabeatas.

MARCVS POMPONIVS MARCELLVS sermonis Latini exactor molestissimus, in aduocatione

A quadam (nam interdum & caussas agebat) solœcismum ab aduersario factum vsque adeo arguere perseuerauit: quoad Cassius Seuerus interpellatis iudicibus dilationem petiit: vt litigator suus alium Grammaticum adhiberet: quando non putat is cum aduersario de iure sibi, sed de solœcismo controuersiam futuram. Hic idem cùm ex oratione Tiberium reprehendisset: affirmante Ateio Capitone, & esse illud Latinum, &, si non esset, futurum:

B *Certè iam inde mentitur, inquit, Capito. Tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes.* Pugilem olim fuisse Asinius Gallus hoc in eum Epigrammate ostendit:

Qui caput ad laeuam didicit, glossemata nobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis!

REMMIVS PALAEMON VICENTINVS, mulieris verna, primò, vt ferunt, textrinum, deinde, herilem filium dum comitatur in scholas, literas didicit, postea manumissus, docuit Romæ: ac prin-

C cipem locum inter Grammaticos tenuit: quanquam infamis omnibus vitiis, palámque & Tiberio, & mox Claudio, prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel iuuenum committendam: sed capiebat homines cùm memoria rerum tum facilitate sermonis: necnon etiam poëmata faciebat ex tempore. Scripsit & variis, nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta vt Marcum Varronem *porcum* appellaret: *secũ & natas & morituras literas* iactaret. *nomen suum in Bu-*

D *colicis non temerè positum, sed præsagiente Virgilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palæmonem iudicem.* Gloriabatur etiam latrones quõdam sibi propter nominis celebritatem pariisse. Luxuriæ ita indulsit, vt sæpius in die lauaretur: nec sufficeret sumptibus, quanquam ex schola quadragena annua caperet ac non mulò minùs ex re familiari: cuius diligentissimus erat: cùm & officinas promercalium vestium exerceret: & a-

E gros adeò coleret, vt vitem manu eius institutam satis constet trecenta sexaginta quinque vasa edidisse. Sed maximè flagrabat libidinibus in mulieres, vsque ad infamiam oris: dictóque non infaceto notatum fuerunt cuiusdam, qui quum in turba osculum sibi ingerentem, quanquam refugiẽs, deuitare non posset: *Vis tu,* inquit, *magister quotiens festinantem aliquem vides, abligurrire?*

MARCVS VALERIVS PROBVS Berytius, diu centuriatum petiit, donec tædio ad stu-

F dia se contulit. Legerat in prouincia quosdam veteres libellos apud Grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita, sicut Romæ. Hos quum diligentiùs repetere, atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamuis se contemni, magísq; opprobrio legentibus, quàm glorię & fructui esse animaduerteret, nihilominus in proposito mansit: multáq; exemplaria contracta emendare, ac distinguere, & adnotare curauit, soli huic nec vlli præterea Gram-

G matices parti deditus. Hic non tam discipulos quàm sectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit vt magistri personam sustineret. Vnum vel alterum, vel, quamplurimos, tres aut quatuor, postmeridianis horis admittere solebat, cubánsque, inter longos ac vulgares sermones, legere quædam, idque perrarò. Nimis pauca & exigua de quibusdam minutis, quæstiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem syluam obseruationum sermonis antiqui.

C. SVE-

C. SVETONII TRANQVILLI DE CLARIS RHETORIBVS LIBER.

RHETORICA quoque apud nos, perindè atque grammatica, ferè recepta est, paulò etiam difficilius, quippe quam constet nunnunquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium sit, vetus senatusconsultum, item Censorium edictum subiiciam. *CAIO FANNIO STRABONE, MARCO VALERIO MESSALLA, CONSVLIBVS, Narcus Pomponius prætor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de Philosophis & de Rhetoribus, de ea re ita censuerunt: vt Marcus Pomponius prætor animaduerteret, curarétq; vti ei è Republica fidéque sua videretur, vti Romæ ne essent.* De iisdem interiecto tempore, Cnæus Domitius Ænobarbus, & Lucius Licinius Crassus censores, ita edixerunt, *RENVNTIATVM EST NOBIS ESSE HOMINES, qui nouum genus disciplinæ instituerunt: ad quos iuuentus in ludos conueniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras: ibi homines adulescentulos totos dies desidere. Maiores nostri, quæ liberos suos discere, & quos in ludos ita vellent, instituerunt. Hæc noua quæ præter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent: & iis qui eò venire consueuerunt, videtur faciendum vt ostendamus nostram sententiam nobis nō placere.* Paulatim & ipsa vtilis honestáque apparuit, multique eam præsidij causa, & gloriæ, appetiuerunt. CICERO ad præturam vsque Græcè declamauit. Latinè verò senior quoque, & quidem consulibus Hirtio & Pansa: quos *discipulos, & grandeis prætextatos* vocabat. CNEVM POMPEIVM, quidem historici tradiderunt, sub ipsum ciuile bellum, quò faciliùs Caio Curioni promptissimo iuueni, causam Cæsaris defendenti, contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem. MARCVM ANTONIVM, item AVGVSTVM, ne Mutinensi quidem bello omisisse. NERO CÆSAR & primo imperij anno, publicè quoque bis antea declamauit. plerique autem oratorum, etiam declamationes ediderunt. Quare magno studio hominibus iniecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeóque floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores, processerint. Sed ratio docendi nec vna omnibus, nec singulis eadem semper fuit: quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam & dicta præclarè, per omnes figuras, per casus, & apologos, aliter atque aliter exponere: & narrationes tum breuiter & presse, tum latiùs & vberius explicare consueuerant: interdum Græcorum scripta conuertere, ac viros illustreis laudare, vel vituperare: quædam etiam ad vsum communis vitæ instituta, tum vtilia, & necessaria, tum perniciosa & superuacanea ostendere: sæpe fabulis fidem firmare, aut historiis demere, quod genus θέσεις & ἀνασκευὰς & κατασκευὰς Græci vocant, donec sensim hæc exoleuerunt: & ad controuersiam ventum est. Veteres CONTROVERSIÆ, aut ex historijs trahebantur; sicut sanè nonnullæ vsque adhuc; aut ex veritate, ac re, si qua fortè recens accidisset. Itaque locorum etiam appellationibus adiectis, proponi solebant. Sic certè collectæ, editæque se habent. ex quibus non alienum fuerit vnam & alteram, exempli causa ad verbum referre. *Æstiuo tempore adolescentes vrbani cùm Ostiam venissent, litus ingressi, piscatores trahentes rete adierunt: & pepigerunt, bolum quanti emerent: nummos soluerunt. diu expectauerunt, dum retia extraherentur. aliquando extractis, piscis nullus infuit, sed sporta auri obsuta. Tum emptores bolum suum aiunt, piscatores suum. Venalicij quum Brundusij gregem venalium è naui educerent, formoso, & precioso puero, quod portitores verebantur, bullam & prætextam togam imposuere: facilè fallaciam celarunt. Romam venitur. res cognita est. petitur puer, quòd domini voluntate fuerit liber, in libertatem.* Olim autem eas appellationes Græcis συνθέσεις vocabant: mox controuersias quidam, sed aut fictas, aut iudicialeis. Illustres professores, & quorum memoria aliqua exstet, non temere alij reperientur, quàm de quibus tradam.

LVCIVS PLOTIVS GALLVS. De hoc Cicero ad Marcum Titinnium sic refert. *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latinè docere cœpisse Lucium Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quòd studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate: qui existimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse.* Hunc eundem (nam diutissimè vixit) M. CÆLIVS in oratione, quam pro se de vi habuit, significabat dictasse Atratino accusatori suo, actionem: subtractóque nomine, *ordearium eum rethorem* appellat, deridens vt inflatum, ac leuem, & sordidum.

LVCIVS OTACILIVS PILITVS seruisse dicitur, atque etiam hostiarius, veteri more, in catena fuisse: donec ob ingenium ac studium literarum manumissus, accusanti patrono subscripsit. Deinde Rhetoricam professus, Cnęum Pompeium Magnum docuit, patris eius res gestas nec minùs ipsius, compluribus libris exposuit: primus omnium libertinorum, vt Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.

Ad id tempus EPIDIVS calumnia notatus, ludum docendi aperuit: docuitque inter cæteros Marcum Antonium & Augustum. Quibus quondam Caius Canutius, obiicientibus sibi quòd in Republica administranda potissimùm consularis

Isaurici sectam sequeretur, *Malle* respondit, *Isaurici esse discipulum, quàm Epidij calumniatoris.* Hic Epidius ortum se ab Epidio Nunciono prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni, paulò post cum cornibus extitisse, ac statim non comparuisse, in numeróque deorum habitum.

Sextvs Clodivs, è Sicilia, Latinæ simul Græcæque eloquentiæ professor, malè oculatus, & dicax; par oculorum in amicitia Marci Antonij triumuiri extitisse se aiebat. Eiusdem vxorem Fuluiam, cui altera bucca inflatior erat *acumen stili tentare* dixit, nec eò minùs immo vel magis ob hoc, Antonio gratus. A quo mox consule ingens etiam congiarium accepit: vt ei in Philippicis Cicero obiicit, *Adhibes ioci causa magistrum, suffragio tuo, & compotorum tuorum Rhetorem: cui concessisti, vt in quem vellet diceret, falsum omnino hominem, sed materia facilis, in te & in tuos dicta dicere. At quanta merces rhetori est data, audite Patres Conscripti, & cognoscite Reipublicæ vulnera. duo millia iugerum campi Leontini Sexto Clod. Rhetori adsignasti, & quidem immunia: vt tanta mercede nihil sapere disceres.*

Caivs Albvtivs Silvs Nouariensis, quum ædilitate in patria fungeretur, quum fortè ius diceret, ab iis contra quos pronuntiabat, pedibus è tribunali detractus est. Quod indignè ferens, statim contendit ad portam, & inde Romam: receptúsque in PLANCI oratoris contubernium: cui declamaturo mos erat, priùs A aliquem, qui antè diceret, excitare: suscepit eas partes, atque ita impleuit, vt Planco silentium imponeret, non audenti in comparationem se dimittere. Sed ex eo clarus, propria auditoria instituit, solitus proposita controuersia sedens incipere, & calore demum prouectus consurgere ac perorare. Declamabat autem genere vario: modò splendidè atque adornatè: tum, ne vsquequaque scholasticus existimaretur, circuncisè ac sordidè, & tantummodò triuialibus verbis. Egit & causas, B verùm rariùs, dum amplissimam quanque sectatur, nec alium in vlla locum, quàm perorandi. Postea renuntiauit foro, partim pudore, partim metu. Nam quum in lite quadam centumuirali, aduersario, quem, vt impium erga parentes, incessebat, iusiurandum quasi per figuram sic obtulisset: *Iura per patris matrisque cineres, qui inconditi iacent*: & alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec iudicibus aspernantibus, non sine magna sui inuidia negotium afflixit. Et rursus in C cognitione cædis, Mediolani, apud Lucium Pisonem proconsulem, defendens reum, quum cohibente lictore nimias laudantium voces, ita excanduisset, vt & deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam prouinciæ redigeretur, Marcum insuper Brutum, cuius statua in conspectu erat, inuocaret, *legum ac libertatis auctorem, & vindicem*, pæne pœnas luit. Iam autem senior ob vitium vomicæ Nouariam rediit: conuocatáque plebe, causis propter quas mori destinasset, diu, ac more concionantis, redditis, abstinuit cibo.



HORATII POETÆ VITA PER SVETONIVM TRANQVILLVM CONSCRIPTA,

VT A PETRO NANNIO EDITA EST, LIBRO TERTIO MISCELLANEORVM,

LACERA, ET MVLTIS locis vitiata.

Horativs Flaccus Venusinus, patre, vt ipse tradit, libertino, & exactionum coactore: vt verè creditum est: salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset: *Quotiens ego vidi patrem tuum cubito emungentem?* Bello Philippensi, excitus à Marco Bruto imperatore, tribunus militum meruit: victisque parentibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparauit. Ac primò Mecenati, deinde Augusto insinuatus, non mediocrem locum in amborum amicitia tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexit, satis monstratur illi epigrammate: vbi inquit,

> *Ni te visceribus meis Horati*
> *Plus iam diligo Titum sodalem*
> *Nimio videas strigosiorem.*

Sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio *Horati Flacci, vt mei, memor esto.*

Avgvstvs ei Epistolarum officium obtulit: hoc ad Mæcenatem scripto significat. *Antè D ipse scribēdis epistolis amicorum sufficiebam: nunc occupatissimus, & infirmus, Horatium nostrum à te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiā: & nos in scribēdis epistolis iuuabit.* Ac ne recusanti quidem aut succēsuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Extant epistolæ: ex quibus, argumenti gratia pauca, subieci. *Sume tibi aliquid iuris apud me, tanquam si victor mihi fueris: rectè enim, & non temerè feceris: quoniam* E *id vsus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit.* Et rursus, *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire. nam incidit vt illo coram fieret à me tui mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram spreuisti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν.* Præterea sæpe inter alios iocos *purissimum penem*, & *homuncionem lepidissimum* appellat: vnáque & altera liberalitate locupletauit. Scripta quidem eius vsque adeò probauit, mansuráque perpetuò: vt non modò Sæculare carmen componendum iniunxerit,

rit, sed & Vindelicam victoriam Tiberij Drusique priuignorum: eúmque coëgerit propter hoc tribus carminum libris, ex longo interuallo, quartum addere: post Sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit questus, *Irasci me tibi scito, quòd non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros tibi infame sit, quòd videaris familiaris nobis esse?* expressitque elogium, cuius initium est,

Cum tot sustineas, & tanta negotia solus
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Cæsar.

Idem Horatius habitu corporis breuis fuit, atque obesus: qualis à se ipso & in Satyris describitur, & ab Augusto hac epistola. *Protulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, nec accusem te, quantuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quàm ipse es, sed si tibi statura deest, vndè est. Itaque licebit in sextariolo scribas, quum circuitus voluminis tui sit, ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.* Ad res Venereas intemperantior traditur. Nã speculo cubiculo scorta dicitur habuisse disposita: vt quocunque respexisset, ibi ei imago coitus referretur. Vixit plurimùm in secessu ruris sui Sabini, aut Tiburtini: domúsque eius ostenditur circa Tiburtini luculum. Venerunt in manus & *elegi* sub titulo eius, & *Epistola* prosa oratione, quasi commendans se Mæcenati: sed vtraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistola etiam obscura: quo vitio minimè tenebatur. Natus est sexto Idus Decembres, Lucio Cotta & Lucio Torquato consulibus. Decessit

A quinto calendas Decembres, Caio Marcio Censorino, Caio Asinio Gallo consulibus, post nonum & quinquagesimum annum, hærede Augusto palam nuncupato: quum vrgente vi valetudinis, non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus & conditus est extremis Esquiliis, iuxta Mæcenatis tumulum.



B

CAII PLINII VITA EX SVETONII LIBRO DE VIRIS ILLVSTRIBUS.

PLINIVS Secundus Nouocomensis, equestribus militiis industriè functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas, C summa integritate administrauit. & tamen liberalibus studiis tantã operam dedit, vt non temerè quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia, quæ vnquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit. Item naturalis historiæ triginta septem libros absoluit. Periit clade Campaniæ. Nam quum Misenensi classi præesset, & flagrante Vesebio, ad explorandas propius caussas, liburnicas prætendisset: neque, aduersantibus D ventis, remeare posset: vi pulueris ac fauillæ oppressus est: vel vt quidem existimant, à seruo suo occisus: quem, deficiens æstu, vt necem sibi maturaret, orauerit.






C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI ANNALIVM

LIBER I.



Rbem Romam à principio reges habuere. Libertatem & Consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebãtur: neque Decemuiralis potestas vltra biennium, neque Tribunorum militũ consulare ius diu valuit. Non Cinnæ, non Sullę longa dominatio, & Pompeij Crassique potentia, citò in Cæsarem: Lepidi, atque Antonij arma, in Augustum cessere, qui cuncta discordiis ciuilibus fessa, nomine Principis sub imperiũ accepit. Sed veteris populi. prospera vel aduersa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibúsque Augusti dicendis non defuêre decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberij, Caijque, & Claudij; ac Neronis res florentibus ipsis, ob metum falsæ, postquàm occiderant, recentibus odiis compositæ sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto, & extrema tradere mox Tiberij principatum, & cætera, sine irâ, & studio, quorum caussas procul habeo. Postquam Bruto, & Cassio cæsis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutóque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, nisi Cæsar dux reliquus: posito Triumuiri nomine, Consulē se ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum, vbi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit, insurgere paulatim, munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo aduersante: cùm ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis seruitio promptior, opibus & honoribus extollerentur: ac nouis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa mallent. Neque prouinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatus populique imperio ob certamina potentium, & auaritiam magistratuum: inualido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremò pecuniâ turbabantur. Cæterùm Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium admodum adolescentem Pôtificatu & curuli Ædilitate; M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ, & victoriæ socium, geminatis consulatibus extulit:

A mox defuncto Marcello generum sumsit: Tiberium Neronem, & Claudium Drusum priuignos, imperatoriis nominibus auxit, integra etiam du domo sua. nam genitos Agrippa Caium ac Lucium, in familiam Cæsarum induxerat. nec dum posita puerili prætexta, Principes iuuentutis appellari, destinare consules, specie recusantis flagrantissimè cupiuerat. Vt Agrippa vita concessit, L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus,
B Caium remeantem Armenia, & vulnere inualidum: mors fato propera, vel nouercæ Liuiæ dolus abstulit, Drusoque pridem exstincto. Nero solus è priuignis erat: illuc cuncta vergere. filius, collega imperij, consors Tribuniciæ potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur non obscuris, vt antea matris artibus, sed palàm hortatu. nam senem Augustum deuinxerat adeò, vti nepotem vnicum Agrippam Postumum in insulam
C Planasiam proiiceret. rudem sanè bonarum artium, & robure corporis stolidè ferocem, nullius tamen flagitij compertum. At Hercule Germanicum Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit, adsciríque per adoptionem a Tiberio iussit, quanquam esset in domo Tiberij filius iuuenis, sed quò pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum, nisi aduersus Germanos supererat: abolendæ magis infamiæ ob a-
D missum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperij, aut dignum ob præmium. Domi res tranquillę. eadem magistratuum vocabula. iuniores post Actiacam victoriam, etiã senes plerique inter bella ciuiũ nati. quotusquisque reliquus, qui rempubl. vidisset? Igitur verso, ciuitatis statu, nihil vsquam prisci & integri moris: omnis exuta æqualitate iussa principis aspectare. nulla in præsens formidine, dum Augustus ætate
E validus, seque & domum & pacem sustentauit. Postquam prouecta iam senectus, ægro & corpore fatigabatur, aderátque finis & spes nouæ: pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pauescere, alij cupere, pars multò maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant. trucem Agrippam, & ignominiâ accensum, non ætate, neque rerum experientiâ tantæ moli parem. Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello: sed vetere atque insitâ Claudiæ familiæ



miliæ superbiâ, multáque indicia sæuitiæ, quan- A
quam premantur, erumpere. Hunc & prima ab
infanti eductum in domo regnatrice: congestos
iuueni consulatus, triumphos: ne iis quidem an-
nis, quibus Rhodi specie secessus exulem ege-
rit, aliquid quam iram, & simulationem, & se-
cretas libidines meditatum. accedere matrem
muliebri impotentia? seruiendum feminæ, duo-
busque insuper adolescentibus, qui remp. in-
terim premant, quandoque distrahant. Hæc atque B
talia agitantibus, grauescere valetudo Augusti.
& quidam scelus vxoris suspectabant. Quippe
rumor incesserat, paucos ante menses, Augu-
stum electis conscijs, & comite vno Fabio Maxi-
mo Planasiam vectum, ad visendum Agrippam.
multas illinc vtrimque lacrymas, & signa cari-
tatis, spémque ex eo fore vt iuuenis penatibus a-
ui redderetur. Quod Maximum vxori Martiæ a-
peruisse illam Liuiæ. Gnarum id Cæsari. ne-
que multo pòst, exstincto Maximo (dubium an C
quæsita morte) auditos in funere eius Martiæ ge-
mitus semet incusantis, quòd caussa exitij mari-
to fuisset. Vtcumque se ea res habuit, vixdum in-
gressus Illyricum Tiberius, properis matris lit-
teris accitur. neque satis compertum est, spi-
rantem adhuc Augustum apud vrbem Nolam,
an exanimem repererit. acribus námque custo-
dijs domum, & vias sepserat Liuia: lætique in-
terdum nuntij vulgabantur, donec prouisis quæ D
tempus monebat, simul excessisse Augustum, &
rerum potiri Neronem fama eadem tulit. Pri-
mum facinus noui principatus fuit, Postumi A-
grippæ cædes: quem ignarum inermúmque,
quamuis firmatus animo centurio, ægrè con-
fecit. Nihil de ea re Tiberius apud senatum dis-
seruit, patris iussa simulabat, quibus præscripsis-
set Tribuno custodiæ apposito, ne cunctaretur
Agrippam morte adficere, quandocumque ipse
supremum diem expleuisset. Multa sine dubio
sæuáque Augustus de morib. adolescentis que- E
stus, vt exilium eius Senatus consulto sancire-
tur, perfecerat: ceterùm in nullius vnquam suo-
rum necem durauit. neque mortem nepoti pro
securitate priuigni inlatam, credibile erat. pro-
pius vero, Tiberium ac Liuiam, illum metu,
hanc nouercalibus odiis, suspecti & inuisi iu-
uenis cædem festinauisse. Nuncianti centurio-
ni, vt mos militiæ, factum esse quod imperas-
set: neque imperasse sese, & rationem facti red-
dendam apud senatum, respondit. Quod post- F
quam Sallustius Crispus, particeps secretorum
(is ad tribunum miserat codicillos) comperit: me-
tuens ne reus subderetur, iuxtà periculoso ficta
seu vera promeret, monuit Liuiam, ne arcana
domus, ne consilia amicorum, ministeria mili-
tum vulgarentur: néve Tiberius vim principatus
resolueret, cuncta ad senatum vocando. eam con-
ditionem esse imperandi, vt non aliter ratio con-
stet, quàm si vni reddatur. At Romæ ruere in
seruitium Consules, Patres, Eques, quan- G
to quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinan-
tes, vultúque composito, ne læti excessu prin-
cipis, neu tristiores primordio, lacrymas, gau-
dium, questus adulatione miscebant. Sex. Pom-
peius & Sex. Apuleius Coss. primi in verba
Tiberij Cæsaris iurauere: apudque eos Seius
Strabo, & C. Turranius: ille prætoriarum co-
hortium præfectus, hic annonæ. Mox senatus,
milésque & populus. nam Tiberius cuncta per

Consules incipiebat, tanquam vetere Rep. & ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi Tribuniciæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ. verba edicti fuere pauca, & sensu permodesto. de honoribus parentis consulturum: neque abscedere à corpore: idque vnum ex publicis muneribus vsurpare. Sed defuncto Augusto, signum prætoriis cohortibus, vt Imperator dederat. excubiæ, arma, cætera aulæ. miles in forum, miles in curiam comitabatur. litteras ad exercitus, tanquam adepto principatu misit: nusquam cunctabundus, nisi cùm in senatu loqueretur. Caussa præcipua ex formidine, ne Germanicus in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum fauor, habere imperium, quàm expectare mallet. Dabat & famæ, vt vocatus electúsque potius à Rep. videretur, quàm per vxorium ambitum, & senili adoptione irrepsisse. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem. nam verba, vultus, in crimen detorquens recondebat. Nihil primo senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti. cuius testamentum inlatum per virgines Vestæ, Tiberium & Liuiam hæredes habuit. Liuia in familiam Iuliam, nomenque Augustæ adsumebatur. In spem secundam, nepotes pronepotésque: tertio gradu primores ciuitatis scripserat: plerósque inuisos sibi, sed iactantiâ gloriáque ad posteros. Legata non vltra ciuilem modum, nisi quod populo & plebi CCCCXXXV. prætoriarum cohortium militibus singula numinûm millia, legionariis autē cohortibus ciuium Romanorum, trecenos nummos viritim dedit. Tum consultatum de honoribus. ex quîs maximè insignes visi vt porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, vt legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere, addebat Messalla Valerius, renouandum per annos sacramentum in nomen Tiberij. interrogatúsque, à Tiberio num se mandante eam sententiam promisisset? sponte dixisse, respondit: neq; in iis quæ ad Remp. pertinerent, consilio nisi suo vsurum, vel cum periculo offensionis. ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres, corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. Remisit Cæsar adroganti moderatione: populúmque edicto monuit, ne, vt quondam nimiis studiis funus diui Iulij turbassent: ita Augustum in foro potiusquam in campo Martis sede destinata cremari vellent. Die functis, milites velut præsidio stetêre. multum irridentibus, qui ipsi viderant, quique à parentibus acceperant, diem illum crudi adhuc seruitij, & libertatis improsperè repertitæ, cùm occisus dictator Cæsar, aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem principem longa potentia, prouisis etiam heredum in Remp. opibus, auxilio scilicet militari tuendum, vt sepultura eius quieta foret. Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus: quòd idem dies accepti quondam imperij princeps, & vitæ supremus. quòd Nolæ in domo & cubiculo, in quo pater eius Octauius, vitam finiuisset. numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Coruinum, & C. Marium simul æquauerat. continuata per septem & triginta annos Tribunicia potestas: nomen Imperatoris semel at-

que vicies partum : aliáque honorum multiplicata, aut noua. At apud prudentes vita eius variè extollebatur, arguebaturve. Hi pietate erga parentem, & neceſſitudine Reip. in qua nullus tunc legibus locus, ad arma ciuilia actum, quæ neque parari poſſent, neque haberi per bonas artes. multa Antonio, dum interfectores patris vlciſceretur, multa Lepido conceſſiſſe. Poſtquam hic ſocordiâ ſenuerit, ille per libidines peſſum datus ſit: non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, quàm vt ab vno regeretur. Non regno tamen, neque dictaturâ, ſed Principis nomine conſtitutam Remp. mari Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum imperium, legiones, prouincias, claſſes, cuncta inter ſe connexa : ius apud ciues, modeſtiam apud ſocios : vrbem ipſam magnifico ornatu : pauca admodum vi tractata, quò ceteris quies eſſet. Dicebatur contrà, pietatem erga parentem, & tempora Reipublicæ, obtentui ſumpta. ceterùm cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos paratum ab adoleſcente priuato exercitum, corruptas conſulis legiones, ſimulatam Pompeianarum gratiam partium. mox vbi decreto patrum, faſces, & ius prætoris inuaſerit: cæſis Hirtio & Panſa (ſiue hoſtis illos, ſeu Panſam venenum vulneri affuſum, ſui milites Hirtium, & machinator doli Cæſar abſtulerant.) vtriuſque copias occupauiſſe. extortum inuito ſenatu conſulatum: armáque quæ in Antonium acceperit, contra Remp. verſa, proſcriptionem ciuium, diuiſiones agrorum, ne ipſis quidem qui fecere laudatas. ſane Caſſij, & Brutorum exitus paternis inimicitiis datos (quamquam fas ſit priuata odia publicis vtilitatibus remittere) ſed Pompeium imagine pacis, ſed Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos. pòſt Antonium Tarentino Brundiſinóque fœdere, & nuptiis ſororis illectum ſubdolæ affinitatis pœnas morte exſoluiſſe. Pacem ſine dubio poſt hæc, verùm cruentam. Lollianas, Varianáſque clades, interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Iulos. Nec domeſticis abſtinebatur. abducta Neroni vxor : & conſulti per ludibrium pontifices, an concepto, nec dum edito partu ritè nuberetque. Tedij & Vedij Pollionis luxus: poſtremò Liuia grauis in remp. mater, grauior domui Cæſarum nouerca. nihil deorum honoribus relictum, cùm ſe templis & effigie numinum, per flamines & ſacerdotes coli vellet. ne Tiberium quidem caritate, aut Reip. cura ſucceſſorem adſcitum : ſed quoniam adrogantiam ſæuitiámque eius introſpexerit, comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiuiſſe. Etenim Auguſtus, paucis antè annis, cùm Tiberio Tribuniciam poteſtatem à patribus rurſum poſtularet, quanquam honora oratione, quædã de habitu cultúq; & inſtitutis eius iecerat, quæ velut excuſando exprobraret. Ceterùm ſepultura more perfecta, templum & cæleſtes religiones decernuntur. Verſæ inde ad Tiberium preces. & ille variè diſſerebat, de magnitudine imperij, ſua modeſtia, ſolam diui Auguſti mentem tantæ molis capacem: ſe in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubiectum fortunæ, regendi cuncta onus. proinde in ciuitate tot illuſtribus viris ſubnixa, non ad vnum omnia deferrent. plures faciliùs munia Reip. ſociatis laboribus exſecuturos. Plus in oratione tali dignitatis, quàm fidei erat : Tiberióque etiam in rebus, quas non occuleret, ſeu natura, ſiue ad-

A ſuetudine, ſuſpenſa ſemper & obſcura verba: tunc verò, nitenti vt ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. At patres quibus vnus metus, ſi intelligere viderentur, in queſtus, lacrymas, vota effundi : ad deos, ad effigiem Auguſti, ad genua ipſius manus tendere : cum proferri libellum recitaríque iuſſit. Opes publicæ continebantur. quantum ciuium, ſociorúmque in armis: quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates **B** ac largitiones, quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus: addiderátque conſilium, coërcendi intra terminos imperij. incertum metu, an per inuidiam. Inter quæ ſenatu ad infimas obteſtationes procumbente, dixit fortè Tiberius, ſe, vt non toti Reipubl. parem, ita quæcunque pars ſibi mandaretur, eius tutelam ſuſcepturum. Tum Aſinius Gallus, interrogo, inquit, Cæſar, quam partem Reip. mandari tibi velis? Perculſus improuiſa interrogatione, paulum reticuit, dein **C** collecto animo reſpondit: Nequaquam decorum pudori ſuo, legere aliquid aut euitare ex eo, cui in vniuerſum excuſari mallet. Rurſus Gallus (etenim vultu offenſionem coniectauerat) non idcirco interrogatum ait, vt diuideret quæ ſeparari nequirent : ſed vt ſua confeſſione argueretur, vnum eſſe Reipub. corpus, atque vnius animo regendum. addidit laudem de Auguſto, Tiberiúmque ipſum victoriarum ſuarum, quæque in toga per tot annos egregiè feciſſet, admonuit. Nec i- **D** deò iram eius leniuit pridem inuiſus; tanquam ductâ in matrimonium Vipſaniâ M. Agrippæ filiâ, quæ quondam Tiberij vxor fuerat, pluſquam ciuilia agitaret, Pollioniſque Aſinij patris ferociam retineret. Poſt quæ L. Arruntius haud multum diſcrepans à Galli oratione perinde offendit. quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: ſed diuitem, promptum, artibus egregiis & pari famâ publicè, ſuſpectabat. Quippe Auguſtus ſupremis ſermonibus cùm tractaret, qui- **E** nam adipiſci principem locum ſufffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem poſſent cuperéntque : Ma. Lepidum dixerat capacem, ſed aſpernantem: Gallum Aſinium, auidum & minorem: L. Arruntium, non indignum, & ſi caſus daretur, auſurum. De prioribus conſentitur, pro Arruntio quidam Cn. Piſonem tradidere: omnéſque præter Lepidum, variis mox criminibus ſtruente Tiberio circumuenti ſunt. Etiam Q. Haterius & Mamercus Scaurus, ſuſpicacem ani- **F** mum perſtrinxere. Haterius cùm dixiſſet, Quouſque patieris Cæſar non adeſſe caput Reip. Scaurus quia dixerat, ſpem eſſe ex eo non irritas fore Senatus preces, quòd relationi conſulum iure Tribuniciæ poteſtatis non interceſſiſſet. in Haterium ſtatim inuectus eſt, Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tramiſit. feſſuſque clamore omnium, expoſtulatione ſingulorum, flexit paulatim, non vt fateretur ſuſcipi à ſe im- **G** perium, ſed vt negare & rogari deſineret. Conſtat Haterium, cùm deprecandi causſâ, palatium introiſſet, ambulantiſque Tiberij genua aduolueretur, propè à militibus interfectum, quia Tiberius caſu, an manib. eius impeditus, procideràt. neque tamen periculo talis viri mitigatus eſt, donec Haterius Auguſtam oraret, eiúſque accuratiſſimis precibus protegeretur. Multa patrum & in Auguſtam adulatio. alij parentem, alij matrem patriæ appellandam, pleriqueque vt nomini

Cæſa-

Cæsaris adsciberetur, Iuliæ filius, censebant. ille moderandos fœminarum honores dictitans, eademque se temperantia vsurum in his quæ sibi tribuerentur, ceterum anxius inuidiâ, & muliebre fastigium in diminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est: aramque adoptionis, & alia huiuscemodi prohibuit. At Germanico Cæsari proconsulare imperium petiuit, missique legati qui deferrent, simul mæstitiam eius ob excessum Augusti solarentur, quo minus idem pro Druso postularetur ea caussa, quòd designatus consul Drusus, præsensque erat. Candidatos præturæ duodecim nominauit, numerum ab Augusto traditum: & hortante senatu vt augeret, iureiurando obstrinxit, se non excessurum. Tum primùm è campo comitia ad patres translata sunt. nam ad eam diem, & si potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus ademtum ius questus est, nisi inani rumore: & senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quàm quatuor candidatos commendaret, sine repulsa & ambitu designandos. Inter quæ Tribuni plebeij petiuere, vt proprio sumtu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. sed decreta pecunia ex ærario, vtque per Circum triumphali veste vterentur. curru vehi haud permissum. mox celebratio annua ad Prætorem translata, cui inter ciues & peregrinos iurisdictio euenisset. Hic rerum vrbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit: nullis nouis caussis, nisi quòd mutatus princeps licentiam turbarum, & ex ciuili bello spem præmiorum ostendebat. Castris æstiuis tres simul legiones habebantur, præsidente Iunio Blæso: qui fine Augusti, & initiis Tiberij auditis, ob lustitium aut gaudium, intermiserat solita munia. Eo principio lasciuire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus præbere aures, denique luxum & otium cupere, disciplinam & laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum: dein gregarius miles, procax lingua, & miscere cœtus histrionali studio doctus. Is imperitos animos, & quænam post Augustum militiæ condicio, ambigentes, impellere paulatim nocturnis colloquiis aut flexo in vesperam die, & delapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremò promptis iam & aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat,

Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum seruorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi nouum & nutantem adhuc principem precibus, vel armis adirent? satis per tot annos ignauia peccatum, quòd tricena aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eosdem labores perferre. ac si quis tot casus vita superauerit, trahi adhuc diuersas in terras, vbi per nomen agrorum, vligines paludum, vel inculta montium accipiant. Enimuero militiam ipsam grauem, infructuosam: denis in diem assibus animam & corpus æstimari. hinc vestem, arma, tentoria, hinc sæuitiem centurionum, & vacationes munerum redimi. at hercule verbera, & vulnera, duram hiemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem, sempiter- A *na, nec aliud leuamentum quàm si certis sub legibus militia iniretur, vt singulos denarios mererent, sextusdecimus stipendij annus finem adferret, nec vltrà sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium pecunia solueretur. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acceperint, quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari à se vrbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes è contuberniis hostem aspici.*

Adstrepebat vulgus diuersis incitamentis, hi verB berum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina & nudum corpus exprobrantes. Postremò eò furoris venêre, vt tres legiones miscere in vnam agitauerint. depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, aliò vertunt, atque vnà tres aquilas & signa cohortium locant: simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quò magis conspicua sedes foret. Properantib. Blæsus aduenit. increpabatque ac retinebat singulos, clamitans, *Mea potius cæde imbuite maC nus. leuiore flagitio legatū interficietis, quàm ab imperatore desciscites. aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus pœnitentiam adcelerabo.* Aggerebatur nihilominus cespes, iamque pectori vsque adcreuerat, cùm tandem peruicacia victi inceptum omisêre. Blæsus multa dicendi arte, *Non per seditionem & turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda, aut neque veteres ab imperatorib. priscis, neque ipsos à diuo Augusto tàm noua petiuisse. & parum in tempore, incipientes principis cuD ras onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quæ ne ciuilium quidem bellorum victores expostulauerint: cur contra morem obsequij, contra fas disciplinæ, vim meditentur? decernerent legatos, seque coram mandata darent.* Adclamauere, vt filius Blæsi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sexdecim annis, cetera mandaturos, vbi prima prouenissent. Profecto iuuene, modicum otium: sed superbire miles, quòd filius legati orator publicæ caussæ, satis ostenderet, neE cessitate expressa quæ per modestiam non obtinuissent. Interea manipuli ante cœptam seditionem Nauportum missi, ob itinera & pontes, & alios vsus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla conuellunt: direptisque proximis vicis ipsoque Nauporto quod municipij instar erat, retinentis centuriones irrisu & contumeliis, postremò verberibus insectantur: præcipua in Aufidienum Rufum præfectum castrorum irâ, quem direptum vehiculo sarcinis grauant, aguntque F primo in agmine, per ludibrium rogitantes, an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret? Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris præfectus, antiquam duramque militiam reuocabat, inuictus operis ac laboris, & eò immitior quia tolerauerat. Horum aduentu redintegratur seditio, & vagi circumiecta populabantur. Blæsus paucos maximè prædâ onustos, ad terrorem ceterorum, adfici verberibus, claudi G carcere iubet. nam etiam tum legato à centurionibus, & optimo quoque manipularium parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modò nomina singulorum, modò centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem, legionem, eadam omnibus imminere clamitantes: simul probra in Legatum cumulant, cælum ac deos obtestantur. nihil reliqui faciunt quò minus inuidiam, misericordiam, metum, & iras permouerent. Adcurritur ab vniuersis,

& carcere effracto, soluunt vincula: desertorésque ac rerum capitalium damnatos, sibi iam miscent. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces. & Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blæsi adleuatus circumstantium humeris, apud turbatos, & quid pararet intentos, *Vos quidem*, inquit, *his innocentibus, & miserrimis lucem & spiritum reddidistis, sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos à Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proximâ iugulauit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atq; armat. Responde Blæse, vbi cadauer abieceris? ne hostes quidem sepultura inuident. cùm osculis, cùm lacrymis dolorem meum impleuero: me quoque trucidari iube. dum interfectos nullum ob scelus, sed quia vtilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.* Incendebat hæc fletu, & pectus atque os manibus verberans: mox disiectis quorum per humeros sustinebatur, præceps & singulorum pedibus aduolutus, tantum consternationis inuidiæque conciuit, vt pars militum, gladiatores qui è seruitio Blæsi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alij ad quærendum corpus effunderentur. ac ni properè neque corpus vllum reperiri, & seruos adhibitis cruciatibus abnuere cædem, neque illi fuisse vnquam fratrem peruotuisset, haut multum ab exitio Legati aberant. Tribunos tamen, ac præfectum castrorum extrusere. sarcinæ fugientium direptæ. & centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant: quia fractâ vite in tergo militis, alteram clarâ voce, ac rursus aliam poscebat. ceteros latebræ texêre, vno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promtum ingenium. Quin ipsæ inter se legiones Octaua & Quinta decuma ferrum parabant: dum centurionem cognomento Sirpicum, illa morti deposcit, Quinta decumani tuentur, ni miles Nonanus preces, & aduersum aspernantis, minas interiecisset. Hæc audita, quanquam abstrusum, & tristissima quæque maximè occultantem Tiberium perpulere, vt Drusum filium cum primoribus ciuitatis, duabúsque prætoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. & cohortes delecto milite supra solitum firmatæ, additur magna pars prætoriani equitis, & robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant: simul prætorij præfectus Ælius Seianus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuueni, & ceteris periculorum præmiorúmque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium obuiæ fuere legiones: non lætæ, vt adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluuie deformi, & vultu, quamquam mæstitiam imitarentur, contumaciæ propiores. Postquam vallum introiit portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent. ceteri tribunal ingenti agmine circumueniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens, illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Cæsare trepidare. murmur incertum, atrox clamor, & repentè quies. diuersis animorum motibus, pauebant, terrebantque. Tandem interrupto tumultu litteras patris recitat. in quîs perscriptum erat, præcipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibus cum plurima bella tolerauisset. vbi primum

A à luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum, misisse interim filium, vt sine cunctatione concederet, quæ statim tribui possent cetera Senatui seruanda, quem neque gratiæ, neque seueritatis expertem haberi par esset. Responsum est à concione, mandata Clementi Centurioni quæ præferret. Is orditur de missione à sexdecim annis: de præmiis finitæ militiæ: vt denarius diurnum stipendium foret:

B ne veterani sub vexillo haberentur. Ad ea Drusus cùm arbitrium senatus & patris obtenderet, clamore turbatur. *Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adleuandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at hercule verbera, & necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse, nunquámne ad se nisi filios familiarum venturos? nouum id planè, quod imperator sola militis commoda ad senatum reiiciat. eundem ergo senatum consulendum,*

C *quotiens supplicia aut prœlia indicantur. an præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?* Postremò deserunt tribunal, vt quis prætorianorum militum, amicorúmve Cæsaris occurreret, manus intentantes, caussam discordiæ, & initium armorum. maximè infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate & gloria belli, firmare Drusum credebatur, & illa militiæ flagitia primus aspernari. Nec multò pòst digredientem cum Cæsare, ac prouisu periculi hi-

D berna castra repetentem circumsistunt, rogitantes, quò pergeret? ad imperatorem, an ad patres? vt illic quoque commodis legionum aduersaretur: simul ingruunt, saxa iaciunt. iámque lapidis ictu cruentus, & exitij certus, adcursu multitudinis, quæ cum Druso aduenerat, protectus est. Noctem minacem, & in scelus erupturam fors leniuit. nam Luna clamore pænè cælo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem si-

E deris adsimilans, prosperéque cessura quæ pergerent, si fulgor & claritudo deæ redderetur. Igitur æris sono, tubarum cornuúmque concentu strepere: prout splendidior, obscuriórve, lætari, aut merere. & postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris: vt sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, sibi æternum laborem portendi sua, facinora auersari deos lamentantur. Vtendum inclinatione ea Cæsar, & quę casus obtulerat in sapientiam vertenda

F ratus, circumiri tentatoria iubet. Accitur centurio Clemens. & si alij bonis artibus grati in vulgus: ij vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. *Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennióne, & Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius & Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus & Drusis, imperium populi Rom. capessent? quin potius vt nouissimi in culpam, ita pri-*

G *mi ad pœnitentiam sumus? Tarda sunt quæ in commune expostulantur: priuatam gratiam statim mereare, statim recipias.* Commotis per hæc mentibus, & inter se suspectis, tironem à veterano, legionem à legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequij: omittunt portas, signa vnum in locum principio seditionis congregata, suas in sedes referunt. Drusus orto die, & vocata concione, quamquam rudis dicendi nobilitate ingenita, incusat priora, probat præsentia.

negat

negat se terrore & minis vinci : flexos ad mode-
stiam si videat, si supplices audiat, scripturum
patri, vt placatus legionum preces exciperet. o-
rantibus, rursum idem Blæsus & L. Apronius e-
ques Romanus è cohorte Drusi, Iustúsque Cato-
nius primi ordinis centurio, ad Tiberium mit-
tuntur. Certatum inde sententiis, cùm alij op-
periendos legatos, atque interim comitate per-
mulcendum militem censerent, alij fortioribus
remediis agendum. nihil in vulgo modicum:
terrere, ni paueant : vbi pertimuerint, impunè
contemni. dum superstitio vrgeat, adiiciendos
ex duce metus, sublatis seditionis auctoribus.
Promptum ad asperiora ingenium Druso erat.
vocatos Vibulenum & Percennium interfici iu-
bet. Tradunt plerique intra tabernaculum ducis
obrutos, alij corpora extra vallom abiecta osten-
tui. Tum vt quisque præcipuus turbator coo-
quisiti. & pars extra castra palantes à centurioni-
bus, aut prætoriarum cohortium militibus cæ-
si: quosdam ipsi manipuli documentum fidei tra-
didere. Auxerat militum curas præmatura hiems,
imbribus continuis adeóque sæuis, vt non egredi
tentoria, congregari inter se, vix tutari signa
possent, quæ turbine atque vndâ raptabantur.
durabat & formido cælestis iræ, nec frustra ad-
uersus impios hebescere sidera, ruere tempestates.
non aliud malorum leuamentum, quàm si lin-
querent castra infaosta temeratáque, & soluti
piaculo suis quisque hibernis redderentur. pri-
mùm octaua, dein quintadecuma legio rediere.
Nonanus opperiendas Tiberij epistolas clamita-
uerat. mox desolatus aliorum discessione, im-
minentem necessitatem sponte præuenit. & Dru-
sus non exspectato legatorum regressu quia præ-
sentia satis consederant, in vrbem rediit. Iisdem
fermè diebus, iisdem caussis Germanicæ legiones
turbatę, quanto plures, tanto violentiùs: & magna
spe fore vt Germanicus Cæsar imperium alterius
pati nequiret, darétque se legionibus, vi suâ
cuncta tracturus. Duo apud ripam Rheni exer-
citus erant. cui nomen superiori, sub C. Silio
legato, inferiorem A. Cæcina curabat. Regi-
men summæ rei penes Germanicum, agendo
Galliarum censui tum intentum. Sed quibus
Silius moderabatur, mente ambiguâ, fortunam
seditionis alienæ speculabantur. inferioris exer-
citus miles in rabiem prolapsus est, orto ab vnde-
oicesimanis, quintanísque initio. & tractis primâ
quoque, ac vicesimâ legionibus. nam iisdem
æstiuis in finibus Vbiorum habebantur, per o-
tium aut leuia munia. Igitur audito fine Augu-
sti, vernacula multitudo, nuper acto in vrbe
delectu, lasciuiæ sueta, laborum intolersns, im-
plere cæterorum rudes animos. Venisse tempus,
quo veterani maturam missionem, iuuenes lar-
giora stipendia, cuncti modum miseriarum ex-
poscerent, sæuitiámque centurionum vlcisce-
rentur. Non vnus hæc, vt Panoonicas inter le-
giones, Percennius, nec apud trepidas militum
aures alios validiores exercitus respicientium,
sed multa seditionis ora vocésque. suâ in ma-
nu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri
Remp. in suum cognomentum adsci sci impe-
ratores. Nec legatus obuiam ibat. quippe plu-
rium vecordia constantiam exemerat. repentè
lymphati districtis gladiis, in centuriones inua-
dunt. ea vetustitissima militaribus odiis mate-
ries, & sæuiendi principium prostratos verbe-

A ribus mulcant, sexageni singulos, vt numerum
centurionum adæquarent. Tum conuulsos, la-
niatósque & partim exanimos, ante vallum, aut
in amnem Rhenum proiiciunt. Septimius cùm
perfugisset ad tribunal, pedibúsque Cæcinæ ad-
uolueretur, eò vsque flagitatus est, donec ad exi-
tium dederetur. Cassius Chærea, mox cæde C.
Cæsaris memoriam apud posteros adeptus, tum
adolescens & animi ferox, inter obstantes & ar-
matos ferro viam patefecit. Non tribunus vltrà,
B non castrorum præfectus ius obtiouit. vigilias,
stationes, & si qua alia præsens vsus indixerat, ipsi
partiebantur. Id militares animos altiùs conie-
ctantibus præcipuum indicium magni atque im-
placabilis motus, quòd neqoe disiecti, vel pau-
corum instinctu, sed pariter ardescerent, pari-
ter silerent : tantâ æqualitate & constantiâ, vt
regi crederes. Interea Germanico per Gallias,
vt diximus, census accipienti, excessisse Augu-
stum adfertur. Neptem eius Agrippinam in ma-
C trimonio, pluresque ex ea liberos habebat. Ipse
Druso fratre Tiberij genitus: Augustæ nepos: sed
anxius occultis in se patrui auiæque odiis, quo-
rum caussę acriores, quia iniquę. quippe Drusi
magna apud populumR. memoria credebatúrque
si rerum potitus foret, libertatem redditurus. vn-
de in Germanicum fauor, & spes eadem. Nam iu-
ueni ciuili ingenium, mira comitas, & diuersa à
Tiberij sermone, uultu, adrogantibus & ob-
scuris. Accedebant muliebres offensiones, no-
D uercalibus Liuiæ in Agrippinam stimulis. atque
ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quòd ca-
stitate, & mariti amore, quamuis indomitum a-
nimum in bonum vertebat. Sed Germanicus
qoanto summę spei propior, tantò impensiùs pro
Tiberio niti. Sequanos proximos, & Belgarum
ciuitates in verba eius adigit. Dehinc audito le-
gionum tumultu, raptim profectus, obuias ex-
tra castra habuit, deiectis in terram oculis velut
pœnitentiâ. Postquàm vallum iniit, dissoni que-
E stus audiri cœpere. & quidam prehensâ manu e-
ius, per speciem osculandi, inseruerunt digitos, vt
vacua dentibus ora contingeret: alij curuata senio
membra ostendebant. Adsistentem concionem,
quia permixta videbatur, discedere in manipulos
iubet : sic meliùs audituros responsum : vexilla
præferri, vt id saltem discerneret cohortes. tar-
dè obtéperauêre. Tunc à veneratione Augusti or-
sus, flexit ad victorias triumphósque Tiberij, præ-
F cipuis laudibus celebrans, quæ apud Germanias
illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiæ
inde consensum, Galliarum fidem extollit, nil vs-
quam turbidum aut discors, silétio hæc vel mur-
mure modico audita sunt. Vt seditionem attigit,
*vbi modestia militaris? vbi veteris disciplinæ decus?
quónam tribunos, quò centuriones exegissent?* rogi-
tans: nudant vniuersi corpora, cicatrices ex vul-
neribus, verberum notas exprobrant: mox iodi-
G screris vocibus, pretia vacatioonum, angustias sti-
pendij, duritiam operum, ac propriis nominibus
incusant, vallum, fossas, pabuli, materiæ, ligno-
rum adgestus, & si qua ex alia necessitate, aut ad-
uersus otium castrorum quętuntur. Atrocissi-
mus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena
aut suprà stipendia numerantes, mederetur fessis,
neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam
exercitæ militiæ, neque inopem requiem, o-
rabant. fuêre etiam qui legatam à diuo Augusto
pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum

ominibus:&,si vellet imperium,prompros osten-
tauere. Tum verò quasi scelere contaminaretur,
præceps tribunali desiluit. opposuerunt abeunti
arma,minitantes,ni regrederetur. At ille moritu-
rum potiùs quàm fidem exueret clamitans, fer-
rum à latere diripuit, elatúmque deferebat in pe-
ctus, ni proximi prehensam dextram vi attinuis-
sent, extrema & conglobata inter se pars con-
cionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli
propiùs incedentes, feriret, hortabantur: & mi
les,nomine Calutidius, strictum obtulit gladium,
addito, Accutiorem esse. Sæuum id malique
moris etiam furentibus visum: ac spatium fuit,
quo Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur.
consultatum ibi de remedio. etenim nuntiabatur
parari legatos,qui superiorem exercitum ad caus-
sam eandem traherent: destinatum excidio Vbio-
rum opidum: imbutásque præda manus,in dire-
ptionem Galliarum erupturas. Augebat metum
gnarus Romanæ seditionis, &, si omitteretur ri-
pa,inuasurus hostis.ac si auxilia & socij aduersum
abscedentis legiones armarentur, ciuile bellum
suscipi. periculosa seueritas, flagitiosa largitio.
seu nihil militi, seu omnia concederentur, in an-
cipiti Resp. Igitur volutaris inter se rationibus pla-
citum, vt epistolæ nomine principis scriberen-
tur, missionem dari vicena stipendia meritis, ex
auctorari qui senadena fecissent, ac retineri sub
vexillo,ceterorum immunes,nisi propulsandi ho-
stis.legata quæ petiuerant, exsolui duplicarique.
Sensit miles in tempus conficta, statimq; flagita-
uit. missio per tribunos maturatur, largitio dif-
ferebatur. in hiberna cuiusque non abscessere
quintani vndeuigesimanique, donec iisdem in
æstiuis contracta ex viatico amicorum ipsiúsque
Cæsaris pecunia persolueretur. Primam ac vi-
cesimam legiones Cæcina legatus in ciuitatem
Vbiorum reduxit,turpi agmine, cùm fisci de im-
peratore rapti inter signa intérque aquilas vehe-
rentur. Germanicus superiorem ad exercitum
profectus, secundam & tertiamdecumam & sex-
tamdecumam legiones nihil cunctatas sacramen-
to adigit. Quartadecumani paulum dubitaue-
rant. pecunia & missio, quamuis non flagitanti-
bus oblata est. At in Chaucis cœptauere seditio-
nem, præsidium agitantes vexillarij discordium
legionum, & præsenti duorum militum suppli-
cio paulum repressi sunt. Iusserat id Mennius ca-
strorum præfectus, bono magis exemplo, quàm
concesso iure. deinde intumescente motu profu-
gus repertúsque,postquam in tutæ latebræ,præsi-
dium ab audaciâ mutuatur:Non præfectum ab iis,
sed Germanicum ducem, sed Tiberium impera-
torem violari.simul exterritis qui obstiterant, ra-
ptum vexillum ad ripam vertit, & si quis agmine
decessisset pro desertore fore, clamitans, reduxit
in hiberna turbidos, & nihil ausos. Interea lega-
ti ab senatu regressum, iam apud aram Vbiorum
Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones prima
atque, vicesima veteranique nuper missi sub ve-
xillo hiemabant. Pauidos & conscientiâ vecor-
des intrat metus, venisse patrum iussu, qui irrita
facerent,quæ per seditionem expresserant. vtque
mos vulgo, quamuis falsis reum subdere, Muna-
tium Plancum consulatu functum, principem
legationis, auctorem senatusconsulti incusant:
& nocte concubia vexillum in domo Germani-
ci situm flagitare occipiunt: concursúque ad
ianuam facto, moliuntur fores: extractum cubili

A Cæsarem, tradere vexillum intento mortis metu
subigunt. mox vagi per vias, obuios habuere le-
gatos, auditâ consternatione ad Germanicum re-
dentes. ingerunt contumelias, cædē parant:Plan-
co maximè, quem dignitas fugâ impediuerat. ne-
que aliud periclitanti subsidium,quàm castra pri-
mæ legionis. illic signa & aquilam amplexus, re-
ligione sese tutabatur: ac ni aquilifer Calpurnius
vim extremam arcuisset, rarum etiam inter ho-
stes, legatus populi Romani, Romanis in castris,
B sanguine suo altaria deum commaculauisset. Lu-
ce demum, postquam dux, & miles, & facta no-
scebātur,ingressus castra Germanicus. perduci ad
se Plancum imperat, recipitque in Tribunal.
Tum, fatalem increpans rabiem, neque militum,
sed deûm ira resurgere, cur venerint legati aperit:
ius legationis, atque ipsius Planci grauem & im-
meritum casum, simul quantum dedecoris adie-
rit legio, facundè miseratur, attonitáque magis
quàm quieta concione, legatos præsidio auxilia-
C rium equitum dimittit. Eo in metu arguere Ger-
manicum omnes, quòd non ad superiorem exer-
citum pergeret, vbi obsequia, & contra rebellis
auxilium. Satis supérque missione & pecunia, &
mollibus consultis peccatum: vel si vilis ipsi salus,
cur filium paruulum, cur grauidam coniugem
inter furentes & omnis humani iuris violatores
haberet? illos saltem auo, & Reip. redderet. Diu
conctatus,aspernantem vxorem, cùm se diuo Au-
gusto ortam, neque degenerem ad pericula testa-
D retur, postremò vterum eius, & communem fi-
lium multo cum fletu complexus, vt abiret per-
pulit. Incedebat muliebre & miserabile agmen,
profuga ducis vxor paruulum sinu filium gerens,
lamentantes circum amicorum coniuges, quæ si-
mul trahebantur: nec minus tristes qui manebāt.
Non Florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed
velut in vrbe victâ facies gemitúsque ac planctus,
etiam militum aures oráque aduertere. Progre-
diuntur contuberniis.quis ille flebilis sonus? quod
E tam triste? feminas inlustres, non centurionem
ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ vxo-
ris, aut comitatus soliti, pergere ad Treueros, &
externæ fidei. Pudor inde & miseratio,& patris A-
grippæ, Augusti aui memoria, socer Drusus: ipsa
insigni fecunditate, præclara pudicitia. iam in-
fans in castris genitus, in contubernio legionum
eductus, quem militari vocabulo Caligulam ap-
pellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi
studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil
F æquè flexit, quàm inuidia in Treueros. orant,ob-
sistunt, rediret, maneret: pars Agrippinæ occur-
santes,plurimi ad Germanicum regressi. isque vt
erat recens dolore & ira,apud circumfusos ita cœ-
pit. *Non mihi vxor, aut filius, patre & Rep. cario-
res sunt: sed illum quidem sua maiestas, imperium
Romanum ceteri exercitus defendent. coniugem, &
liberos meos,quos pro gloria vestrâ libens ad exitium
offerrem, nunc procul à furentibus summoueo: vt
quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sangui-
G ne pietur: neve occisus Augusti pronepos, interfecta
Tiberij nurus, nocentiores vos faciat. quid enim per
hos dies inausum, intemeratúmve vobis? Quod no-
men huic cœtui dabo? militésne appellem? qui filium
imperatoris vestri, vallo, & armis circumsedistis.
An ciues? quibus tam proiecta senatus auctoritas,
hostium quoque ius, & sacra legationis, & fas gen-
tium rupistis. Diuus Iulius seditionem exercitus
verbo vno compescuit, Quirites vocando, qui sacra-
mentum*

mentum eius detrectabant. Diuus Augustus vultu & aspectu, Actiacas legiones exterruit. nos vt nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispania Syriave miles aspernaretur, tamen mirum & indignum erat: primáne, & vicesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis è prouinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecuniâ satiatos? hic tantùm interfici centuriones, eiici tribunos, includi legatos? infecta sanguine castra, flumina? méque precariam animam inter infensos trahere? Cur enim primo concionis die, ferrum illud quod pectori meo infigere parabã, dextraxistis? O improuidi amici! melius & amantius ille, qui gladium offerebat. cecidissem certè nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius. legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen & trium legionum vlcisceretur. Neque enim dij sinant, vt Belgarum, quanquam offerentium, decus istud & claritudo sit, subuenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua diue Auguste cælo recepta mens, tua pater Druse imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos iam pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, irásque ciuiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi coniugem ac filium redditis, discedite à contactu ac diuidite turbidos. Id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit. Supplices ad hæc, & vera exprobrari fatentes, orabãt, puniret noxios, ignosceret lapsis, & duceret in hostem: reuocaretur coniunx, rediret legionum alumnus: néve obses Gallis traderetur. Reditum Agrippinæ excusauit ob imminentem partum, & hiemem. venturum filium. cetera ipsi exsequerentur. Discurrunt mutati, & seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ, C. Cetronium: qui iudicium & pœnas de singulis, in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones, districtis gladiis. reus in suggestu per tribunum ostendebatur. si nocentem adclamauerant, præceps datus trucidabatur, & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolueret. nec Cæsar arcebat, quando nullo ipsius iussu, penes eosdem sæuitia facti & inuidia erat. secuti exemplum veterani, haud multò pòst in Rhætiam mittuntur, specie defendendæ prouinciæ ob imminentis Sueuos: ceterùm vt auellerentur castris, trucibus adhuc non minus asperitate remedij, quàm sceleris memoria. Centurionatum inde egit. citatus ab imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenuè in prœliis fecisset, & cui erant donaria militaria, edebat. si tribuni, si legio, industriam innocentiámque adprobauerant, retinebat ordines: vbi auaritiam, aut crudelitatem consensu obiectauissent, soluebatur militiâ. Sic compositis præsentibus, haud minor moles supererat, ob ferociam quintæ, & vndeuicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem, (loco Vetera nomen est) hibernantium. nam primi seditionem cœptauerant, atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum, nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentia conuersi, iras retinebant. Igitur Cæsar arma, classem, socios demittere Rheno, parat, si imperium detrectetur, bello certaturus. At Romæ nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, & legionum Germanicarum motu audito

A trepida ciuitas incusare Tiberium, quòd dum patres, & plebem, inualida & inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adultâ auctoritate comprimi queat. ire ipsum, & opponere maiestatem imperatoriam debuisse, cessuris, vbi principem longâ experientiâ, eundémque seueritatis & munificentiæ summum vidissent. An Augustum fessa ætate, totiês in Germanias commeare potuisse, Tiberium vigentem annis, sedere in

B senatu verba patrum cauillantem? satis prospectum vrbanæ seruituti: militaribus animis adhibenda fomenta, vt ferre pacem velint. Immotum aduersus eos sermones, fixúmque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe & diuersa angebant: validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiæ imminens. quos igitur anteferret? ac ne postpositi, contumeliâ in-

C cenderentur. At per filios pariter adiri, maiestate saluâ, cui maior è longinquo reuerentia. simul adolescentibus excusatum, quædam ad patrem reiicere: resistentísque Germanico, aut Druso, posse à se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium si imperatorem spreuissent? Ceterùm vt iam iámque iturus legit comites, conquisiuit impedimenta, adornauit naues. mox hiemem, aut negotia variè caussatus, primò prudentes, dein vulgum, diutissimè prouincias fe-

D fellit. At Germanicus quanquam contracto exercitu, & paratâ in defectores vltione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, præmittit litteras ad Cæcinam, venire se valida manu, ac ni supplicium in malos præsumant, vsurum promiscuâ cæde. Eas Cæcina aquiliferis signiferísque, &, quod maximè castrorum sincerum erat, occultè recitat: vtque cunctos infamiæ, seipsos morti eximant, hortatur. nam in pace caussas & merita spectari, vbi bel-

E lum ingruat, innocentes ac noxios iuxtà cadere. Illi, tentatis quos idoneos rebantur, postquam maiorem legionum partem in officio vident, de sententiâ legati, statuunt tempus, quo fœdissimum quemque & seditioni promptum ferro inuadant. Tunc signo inter se dato, irrumpunt contubernia, trucidant ignaros: nullo, nisi consciis, noscente quod cædis initium, quis finis. Diuersa omnium, quæ vnquam accidêre, ciuilium armorum facies. non prælio, non aduersis è castris,

F sed iisdem è cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes ingerunt tela. clamor, vulnera, sanguis palàm: caussa in occulto. cetera fors regit: & quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto in quos sæuiretur, pessimi quoque arma rapuerant. neque legatus, aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque vltio & satietas. Mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plu-

G rimis cum lacrymis, sed cladem adpellans, cremari corpora iubet. Truces etiam tum animos cupido inuolat eundi in hostem, piaculum furoris. nec aliter posse placari commilitonum manes, quàm si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Cæsar, iunctóque ponte tramittit duodecim millia è legionibus sex & viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit. Læti neque procul Germani agita-

bant, dum iuſtitio ob amiſſum Auguſtum, pòſt
diſcordiis attinemur. At Romanus agmine prope
ro ſiluam Cæſiam limitémque à Tiberio cœptum
ſcindit. caſtra in limite locat, frontem ac tergum
vallu, latera, concædibus munitus. Inde ſaltus
obſcuros permeat, conſultátque ex duobus itine-
ribus, breue & ſolitum ſequatur: an impeditius &
intentatum, eóque hoſtibus incautum. Delecta
longiore via, cetera adcelerantur. etenim attu-
lerant exploratores feſtam eam Germanis no-
ctem, ac ſolennibus epulis ludicram. Cæcina
cum expeditis cohortibus præire, & obſtantia ſil-
uarum amoliri iubetur: legiones modico inter-
uallo ſequuntur. Iuuit nox ſideribus inluſtris,
ventúmque ad vicos Marſorum, & circumdatæ
ſtationes, ſtratis etiam tum per cubilia, propter-
que menſas, nullu metu, non antepoſitis vigiliis. a-
deò cuncta incuria diſiecta erant, neque belli ti-
mor: ac ne pax quidem niſi languida, & ſoluta
inter temulentos. Cæſar auidas legiones, quò la-
tior pupulatiu foret, quatuor in cuneos dispertit.
quinquaginta millium ſpatium, ferro flammiſ-
que peruaſtat. non ſexus, non ætas miſerationem
attulit. profana ſimul & ſacra, & celeberrimom
illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant,
ſolo æquantur. ſine vulnere milites, qui ſemiſom-
nos, inermos, aut palantis ceciderant. Exciuit
ea cædes Bructeros, Tubantes, Vſipetes: ſaltúſ-
que per quos exercitui regreſſus, inſedêre. quod
gnarum duci: inceſſitque itineri & prœlio. pars
equitum, & auxiliariæ cohortes ducebant: mox
prima legio. & mediis impedimentis, ſiniſtrum
latus vndeuiceſimani, dextrum quintani clauſe-
re. viceſima legio terga firmauit, pòſt ceteri ſo-
ciorum. Sed hoſtes, donec agmen per ſaltus pór-
rigeretur, immoti, dein latera, & frontem mo-
dicè adſultantes, tota vi nouiſſimos incurrere.
turbabantúrque denſis Germanorum cateruis le-
ues cohortes, cùm Cæſar aduectus ad viceſima-
nos, voce magna, hoc illud tempus oblitterandæ
ſeditionis, clamitabat, pergerent, properarent
culpam in decus vertere. Exarſere animis, vnó-
que impetu perruptum hoſtem, redigunt in aper-
ta, cædúntque ſimul primi agminis copiæ euaſere
ſiluas, caſtráque communiuere. Quietum inde i-
ter. fidénſque recentibus, ac priorum oblitus mi-
les, in hibernis locatur. Nunciata ea Tiberium
lætitia curáque adfecere. gaudebat oppreſſam ſe-
ditionem: ſed quòd largiendis pecuniis, & miſ-
ſione feſtinata fauorem militum quæſiuiſſet, bel-
lica quoque Germanici gloria angebatur. Ret-
tulit tamen ad ſenatum de rebus geſtis, multáque
de virtute eius memorauit: magis in ſpeciem ver-
bis adornata, quàm vt penitus ſentire crederetur.
Pauciotibus Druſum, & finem Illyrici motus
laudauit, ſed iotentior, & fida oratione. cunctá-
que quæ Germanicus indulſerat, ſeruauit, etiam
apud Pannonicos exercitus. Eodem anno, Iulia
ſupremum diem obiit, ob impudicitiam olim à
patre Auguſto Pandateria inſula, mox opido
Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clau-
ſa. Fuerat in matrimonio Tiberij, florentibus
Caio & Lucio Cæſaribus, ſpreueratque vt impa-
rem: nec alia tam intima Tiberio cauſſa, cur Rho-
dum abſcederet. imperium adeptus, extorrem,
infamem, & poſt interfectum Poſtumum A-
grippam, omnis ſpei egenam, inopia ac tabe lon-
ga peremit; obſcuram fore necem longinquitate
exilij ratus. Par cauſſa ſæuitiæ in Sempronium

A Gracchum, qui familia nobili, ſollers ingenio, &
prauè facundus, eamdem Iuliam in matrimonio
M. Agrippæ temerauerat. nec is libidini finis. tra-
ditam Tiberio, peruicax adulter contumacia &
odiis in maritum accendebat. literæque quas Iu-
lia patri Auguſto cum inſectatione Tiberij ſcri-
pſit, à Graccho compoſitæ credebantur. Igitur a-
motus Cercinam, Africi maris inſulam, qua-
tuordecim annis exſilium tolerauit. Tunc mili-
tes ad cædem miſſi, inuenere in prominenti lito-
B ris nihil lætum opperientem. quorum aduentu
breue tempus petiuit, vt ſuprema mandata vxori
Alliariæ per litteras d✱ter: ceruicémque percuſſo-
ribus obtulit. conſtantiâ mortis, haud indignus
Sempronio nomine, vitâ, degenerauerat. qui-
dam non Româ eos milites, ſed ab L. Aſprenate
proconſule Africę miſſos tradidere, auctore Tibe-
rio, qui famam cædis poſſe in Aſprenatem verti,
fruſtrà ſperauerat. Idem annus nouas cæremo-
nias accepit, addito ſodalium Auguſtalium ſacer-
C dotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabino-
rum ſacris, ſodales Titios inſtituerat. ſorte ducti
è primoribus ciuitatis vnus & viginti. Tiberius,
Druſúſque & Claudius, & Germanicus adiiciun-
tur. Ludos Auguſtales tunc primùm cœpta tur-
bauit diſcordia, ex certamine hiſtrionum. Indul-
ſerat ei ludicro Auguſtus, dum Mæcenati obtem-
perat effuſo in amorem Bathylli. neque ipſe ab-
horrebat talibus ſtudiis, & ciuile rebatur miſce-
ri voluptatibus vulgi. alia Tiberio morum via.
D ſed populum per tot annos molliter habitum,
noodum audebat ad duriora vertere. Druſo Cæ-
ſare, C. Norbano C o s s. decernitur Germanico
triumphus manente bello, quod quanquam in æ-
ſtatem ſummâ ope parabat, initio veris & repen-
tino in Chattos excurſu, præcepit. nam ſpes inceſ-
ſerat diſſidere hoſtem io Arminium ac Segeſtem,
inſignem vtrumque perfidiâ in nos, aut fide. Ar-
minius, turbator Germaniæ: Segeſtes, parari re-
bellionem ſæpè aliàs, & ſupremo conuiuio poſt
E quod in arma itum, aperuit: ſuaſitque Varo, vt ſe,
& Arminium, & ceteros proceres vinciret: nihil
auſuram plebem principibus amotis, atque ipſi
tempus fore quo crimina, & innoxios diſcerne-
ret. ſed Varus fato, & vi Arminij cecidit. Segeſtes
quamquam conſenſu gentis in bellum tractus,
diſcors manebat, auctis priuatim odiis, quòd Ar-
minius filiam eius alij pactam rapuerat. gener in-
uiſus, inimici ſoceri, quæque apud concordes
vincula caritatis, incitamenta irarum apud in-
F fenſos erant. Igitur Germanicus quatuor legio-
nes, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias
cateruas Germanorum cis Rhenum colentium
Cæcinæ tradit: totidem legiones duplicem ſocio-
rum numerum ipſe ducit: poſitóque caſtello ſu-
per veſtigia paterni præſidij in monte Tauno, ex-
peditum exercitum in Chattos rapit, L. Apro-
nio ad munitiones viarum, & fluminum relicto.
nam, rarum illi cælo, ſiccitate, & amnibus mo-
G dicis inoffenſum iter properauerat: imbréſque
& fluminum auctus regredienti metuebantur.
ſed Chattis adeò improuiſus aduenit, vt quod
imbecillum ætate ac ſexu, ſtatim captum, aut
trucidatum ſit: iuuentus flumen Adram nan-
do tranſierit: Romanóſque pontem cœptantes
arcebant. dein tormentis ſagittiſque pulſi, tenta-
tis fruſtra conditionibus pacis, cùm quidam ad
Germanicum perfugiſſent, reliqui omiſſis pagis
viciſque in ſiluas diſperguntur. Cæſar incenſo

Mattio

Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum: non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quoties astu magis, quàm per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis iuuare Chattos, sed exterruit Cæcina huc illuc ferens arma. & Marsos congredi ausos, prospero prœlio cohibuit. Neque multo pòst legati à Segeste venerunt, auxilium orantes aduersus vim popularium, à quis circumsedebatur, validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. Nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebusque motis potior habebat. Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed iuuenis conscientiâ cunctabatur. quippe anno quo Germaniæ desciuere, sacerdos apud Aram Vbiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit, conuertere agmen: pugnatúmque in obsidentis, & ereptus Segestes magna cum propioquorum & clientium manu. Inerant feminæ nobiles, inter quas vxor Arminij, eademque filia Segestis, mariti magis quàm parentis animo, neque victa in lacrymas, neque voce supplex, compressis intra sinum manibus grauidum vterum intuens. Ferebantur & spolia Varianæ cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem veniebant prædæ data. Simul Segestes ipse ingens visu, & memoria bonæ societatis impauidus. verba eius in hunc modum fuere. *Non hic mihi primus erga populum Rom. fidei & constantiæ dies. ex quo à diuo Augusto ciuitate donatus sum, amicos inimicósque ex vestris vtilitatibus delegi: neque odio patriæ, (quippe proditores, etiam iis quos anteponunt, inuisi sunt) verùm quia Romanis Germanisque idem conducere: & pacem, quàm bellum probabam. ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis vestri Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præsidebat, reum feci. dilatus segnitia ducis, quia parum præsidij in legibus erat, vt me & Arminium, & conscios vinciret, flagitaui. testis illa nox, mihi vtinam potiùs nouissima! quæ secuta sunt deflers magis, quàm defendi possunt. ceterùm & inieci catenas Arminio, & à factione eius iniectas perpessus sum. Atque vbi primùm tui copia, vetera nouis, & quieta turbidis ante habeo, neque ob præmium, sed vt me perfidia exsoluam: simul genti Germanorum idoneus conciliator, si pœnitentiam quàm perniciem maluerit. Pro iuuenta & errore filij veniam precor. filiam necessitate huc adductam fateor: tuum erit consultare, vtrum prauaeat, quòd ex Arminio conceperit, an quòd ex me genita est.* Cæsar, clementi responso, liberis propinquísque eius incolumitatem, ipsi sedem veterem in prouincia pollicetur. Exercitum reduxit, noménque Imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminij vxor, virilis sexus stirpem edidit: educatus Rauennæ puer, quo mox ludibrio conflictatus sit in tempore memorabo. Fama dediti benignéque excepti Segestis vulgata, vt quibusque bellum inuitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium, super insitam violentiam, rapta vxor, subiectus seruitio vxoris vterus, vecordem agebant: volitabátque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens. Neque probris temperabat. *Egregium patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus vnam muliérculam auexerint.* *Sibi*

A *tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione, neque aduersus feminas grauidas, sed palàm aduersus armatos bellum tractare. cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ dijs patriis suspenderit. coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium: hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint. aliis gentibus, ignorantia imperij Romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa: quæ quando exuerint, irritúsque* B *discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pauescerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent, quàm dominos, & colonias nouas, Arminium potiùs gloriæ ac libertatis, quàm Segestem flagitiosæ seruitutis ducem sequerentur.* Conciti per hæc, non modò Cherusci, sed conterminæ gentes: tractúsque in partis Inguiomerus Arminij patruus, veteri apud Romanos auctoritate. vnde maior Cæsari metus. & ne bel- C lum mole vnà ingrueret, Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. Equitem Pedo præfectus, finibus Frisiorum ducit. ipse impositas nauibus quatuor legiones per lacus vexit: simulque pedes, eques, classis, apud prædictum amnem conuenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua vrenteis, expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici fudit, intérque cædem & præ- D dam, reperit vndeuicesimæ legionis aquilam, cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum: quantúmque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum: haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionúmque insepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæsarem inuadit soluendi suprema militibus, ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum & sortem hominum. præmisso Cæci- E nâ, vt occulta saltuum scrutaretur, pontésque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret, incedunt mæstos locos, visúque ac memoriâ deformes. Prima Vari castra, lato ambitu, & dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant: dein semiruto vallo, humili fossa, accisæ iam reliquiæ consedisse intelligebantur. Medio campi albentia ossa, vt fugerant, vt restiterant, disiecta vel aggerata. adiacebant fragmina telorum, equorúmque artus, simul trun- F cis arborum antefixa ora. lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactauerant. & cladis eius superstites pugnam aut vincula elapsi, referebant, hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas, primum vbi vulnus Varo adactum, vbi infelici dextrâ, & suo ictu mortem inuenerit: quo tribunali concionatus Arminius: quot patibula captiuis, quæ scrobes: vtque signis & aquilis per superbiam in- G luserit. Igitur Romanus, qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes vt coniunctos, vt consanguineos, auctâ in hostem irâ, mæsti simul & infensi condebant. Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum. seu cuncta Germanici in deterius trahenti, siue exercitum imagine cæ-

sorum insepultorúmque, tardatum ad prœlia, & formidolosiorem hostium credebat. neque imperatorem auguratu & vetustissimis cærimoniis præditum, attrectare feralia debuisse. Sed Germanicus cedentem in auia Arminium secutus, vbi primùm copia fuit, euehi equites, campúmque quem hostis insederat, eripi iubet. Arminius colligi suos, & propinquare siluis monitos, vertit repentè: mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultauerat. Tunc noua acie turbatus eques, missǽque subsidiariæ cohortes, & fugientium agmine impulsæ, auxerant consternationem: trudebantúrque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Cæsar productas legiones instruxisset. inde hostibus terror, fiducia militi: & manibus æquis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe vt aduexerat, reportat. Pars equitum, litore Oceani, petere Rhenum iussa. Cæcina qui suum militem ducebat, monitus, quanquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quàm maturrimè superare. Angustus is trames, vastas inter paludes, & quondam à L. Domitio aggeratus: cetera limosa, tenacia graui cœno, aut riuis incerta erant: circùm siluæ paulatim accliues. quas tum Arminius impleuit, compendiis viarum, & cito agmine, onustum sarcinis armísque militem cùm anteuenisset. Cæcinæ dubitanti quo nam modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulque propulsaret hostem, castrametari in loco placuit, vt opus, & alij prœlium inciperent. Barbari perfringere stationes: seque inferre munitoribus nisi, lacessunt, circumgrediuntur, occursant. miscetur operantium bellantiúmque clamor, & cuncta pariter Romanis aduersa. locus vligine profundâ, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora grauia loricis, neque librare pila inter vndas poterant. Contrà Cheruscis sueta apud paludes prœlia, procera membra, hastæ ingentes ad vulnera facienda, quamuis procul. nox demum inclinantes tum legiones aduersæ pugnæ exemit: Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumta quiete, quantum aquarum circumsurgentibus iugis oritur, vertere in subiecta. mersaque humo, & obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi, aut imperitandi habebat: secundarum ambiguarúmque rerum sciens, eóque interritus. Igitur futura voluens, non aliud repperit, quàm vt hostem siluis coërceret, donec saucij, quantúmque grauioris agminis, anteirent. nam medio montium & paludum, porrigebatur planicies, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, vndeuicesima in læuum, primani ducendum ad agmen, vicesimanus aduersum secuturos. Nox per diuersa inquies, cùm barbari festis epulis, læto cantu, aut truci sonore subiecta vallum ac resultantis saltus complerent: apud Romanos inualidi ignes, interruptæ voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quàm peruigiles. ducémque terruit dira quies. nam Quinctilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum, cernere & audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, & manum intendentis reppulisse. Cœpta luce, missæ in latera legiones, metu, an contumacia, locum deseruere: capto properè campo, humentia vltrà. Neque tamen Arminius, quanquam libero incursu, statim

A prorupit: sed vt hæsere cœno fossísque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, vtque tali in tempore sibi quisque properus, & lentæ aduersum imperia aures, irrumpere Germanos iubet, clamitans, En Varus, & eodem iterum fato victæ legiones. Simul hæc: & cum delectis scindit agmen, equísque maximè vulnera ingerit. illi sanguine suo, & lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus disiicere obuios, proterere iacentes. plurimus circa aquilas labor, quæ
B neque aduersum ferri ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Cæcina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumueniebatur, ni prima legio sese opposuisset. iuuit hostium auiditas, omissa cæde, prædam sectantium: enisǽque legiones, vesperascente die, in aperta & solida. neque is miseriarum finis. struendum vallum, petendus agger. amissa magna ex parte, per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes, non tentoria manipulis, non fomenta sauciis, infectos
C cœno aut cruore cibos diuidentes, funestas tenebras, & tot hominum millibus vnum iam reliquum diem lamentabantur. Fortè equus abruptis vinculis vagus, & clamore territus, quosdam occurrentium obturbauit. tanta inde consternatio irrupisse Germanos credentium, vt cuncti ruerent ad portas, quarum Decumana maximè petebatur, auersa hosti, & fugientibus tutior. Cæcina, comperto vanam esse formidinem, cùm tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu qui-
D dem obsistere, aut retinere militem quiret, proiectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam simul tribuni & centuriones falsum pauorem docuerunt. Tunc contractos in principia, iussósque dicta cum silentio accipere, temporis, ac necessitatis monet; *Vnam in armis salutem, sed ea consilio temperanda: manendúmque intra vallum, donec expugnandi hostes spe, propiùs succederent: mox vndique erumpendum. illa eruptione ad Rhenum perue-*
E *niri. quòd si fugerent, pluris siluas, profundas magis paludes, sæuitiam hostium superesse. at victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ in castris honesta memorat.* reticuit de aduersis. Equos dehinc, orsus à suis, legatorum tribunorúmque, nulla ambitione, fortissimo cuique bellatori tradit: vt hi, mox pedes, in hostem inuaderent. Haut minus inquies Germanus, spe, cupidine, & diuersis ducum sententiis agebat: Arminio, sinerent egredi,
F egressósque rursum per humida & impedita circumuenirent, suadente: atrociora Inguiomero, & læta barbaris, vt vallum armis ambirent. promptam expugnationem, plures captiuos, incorruptam prædam fore. Igitur orta die, proruunt fossas, iniiciunt crates, summa valli prensant, raro super milite, & quasi ob metum defixo. Postquàm hæsere munimentis, datur cohortibus signum, cornuáque ac tubæ concinuere. exin clamore & impetu tergis Germanorum circumfun-
G duntur, exprobrantes, non hic siluas, nec paludes, sed æquis locis æquos deos. Hosti facile excidium: & paucos & semermos cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum, quantò inopina, tantò maiora offunduntur: cadebántque, vt rebus secundis auidi, ita aduersis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post graue vulnus, pugnam deseruere. vulgus trucidatum est, donec ira & dies permansit. nocte demum reuersæ legiones, quamuis plus vulnerum, eadem ciborum egestas la-

ibus fatigaret, viros, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere. Peruaserat interim circumuenti exercitus fama, & infesto Germanorum agmine Gallias peti. ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solui prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. sed femina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibúsque vt quis inops, aut saucius, vestem & fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes & grates reuersis legionibus habentem. Id Tiberij animum altiùs penetrauit. *non enim simplices eas curas: nec aduersus externos militem quæri. nihil relictum imperatoribus, vbi femina manipulos interuisat, signa adeat, largitionem tentet, tanquam parum ambitiosè filium ducis gregali habitu circumferat, Cæsarémque Caligulam appellari velit. Potiorem iam apud exercitus Agrippinam, quàm legatos, quàm duces: compressam à muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiuerit.* Accendebat hæc onerabátque Seianus, peritiâ morum Tiberij, odia in longum iaciens, quæ reconderet, auctáque promeret. At Germanicus legionum, quas nauibus vexerat, secundam & quartamdecimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quò leuior classis vadoso mari innaret, vel reciprocò sideret. Vitellius primum iter siccâ humo, aut modicè adlabente æstu, quietum habuit. mox impulsu aquilonis, simul sidere æquinoctij, quo maximè tumescit Oceanus, rapi agique agmen. & opplebantur terræ. eadem freto, littori, campis facies. neque discerni poterant incerta ab solidis, breuia a profundis. sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: iumenta, sarcinæ, corpora exanima, interfluunt, occursant. permiscentur inter se manipuli, modò pectore, modò oretenus extantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti. non vox, & mutui hortatus iuuabant, aduersante vndâ. nihil strenuus ab ignauo, sapiens à prudenti, consilia à casu differre: cuncta pari violentiâ inuoluebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus, eòdem agmen subduxit. pernoctauere sine vtensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haut minus miserabiles, quàm quos hostis circumsideret. quippe illis etiam honestæ mortis vsus: his inglorium exitium. lux reddidit terram. penetratúmque ad amnem Visurgim, quò Cæsar classe contenderat. impositæ deinde legiones, vagante famâ submersas. nec fides salutis, antequàm Cæsarem exercitúmque reducem videre. Iam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium eius in ciuitatem Vbiorum perduxerat. data vtrique venia, facilè Segimero, cunctatius filio: quia Quinctilij Vari corpus illusisse dicebatur. Ceterùm ad supplenda exercitus damna certauêre Galliæ, Hispaniæ, Italia: quod cuique promptum, arma, equos, aurum, offerentes. quorum laudato studio Germanicus, armis modò & equis ad bellum sumptis, propriâ pecuniâ militem iuuit. vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura, sibique & prœlio firmabat. Decreta eo anno triumphalia insignia A. Cecinæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas. Nomen patris patriæ Tiberius à populo sæpius

A ingestum, repudiauit: neque in acta sua iurari, quamquam censente senatu, permisit cuncta mortalium incerta, quantóque plus adeptus foret, tantò se magis in lubrico dictans. non tamen ideo faciebat fidem ciuilis animi. nam legem maiestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant, si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique malè gesta Rep. maiestatem populi Romani minuisset.
B facta arguebantur, dicta impunè erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis eius tractauit, commotus Cassij Seueri libidine, qua viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamauerat. Mox Tiberius, consultante Pompeio Macro prætore, an iudicia maiestatis redderentur, exercēdas leges esse respondit. Hunc quoque asperauere carmina, incertis auctoribus vulgata in sæuitiam superbiámque eius, & discordem cum matre animum. Haut pigebit
C referre, in Falanio & Rubrio, modicis equitibus Romanis, prætentata crimina: vt quibus initiis, quanta Tiberij arte, grauissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremò arserit, cunctáque corripuerit, noscatur. Falanio obiiciebat accusator, quòd inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur: Cassium quendam mimum corpore infamem adsciuisset: quódque venditis hortis, statuam Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini daba-
D tur, violatum periurio nomen Augusti. Quæ vbi Tiberio notuere, scripsit consulibus, *Non ideo decretum patri suo cælum, vt in perniciem ciuium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis, quos mater sua memoriam Augusti sacrasset. Nec contra religiones fieri, quòd effigies eius, vt alia numinum simulachra, venditionibus hortorum & domuum accedant. Iusiurandum perinde æstimandum, quàm si Iouem fefellisset. deorum iniurias dijs curæ.* Nec
E multo pòst Granium Marcellum prætorem Bithiniæ, Quæstor ipsius Cæpio Crispinus maiestatis postulauit, subscribente Romano Hispone qui formam vitæ iniit, quam postea celebrem miseriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt. nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sæuitiæ principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud vnum, odium apud omnes adeptus, dedit exem-
F plum quod secuti ex pauperibus diuites, ex contemtis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi inuenêre. Sed Marcellum insimulabat, sinistros de Tiberio sermones habuisse. ineuitabile crimen, cùm ex moribus principis fœdissima quæque deligeret accusator, obiectaretque reo: nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo, statuam Marcelli altius quàm Cæsarum sitam: & alia in statua, amputato capite Augusti effigiem Tiberij inditam. ad quod
G exarsit adeò, vt rupta taciturnitate proclamaret, se quoque in ea causa laturum sententiam palàm & iuratum, quò ceteris eadem necessitas fieret. Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso, Quo, inquit, loco cēsebis Cæsar? si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam. permotus his, quantóque incautiùs efferbuerat, pœnitentia patiens, tulit absolui reum criminibus maiestatis. de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est. Nec patrum cognitionibus satiatus, iudiciis

adsidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret: multáque eo coram, aduersus ambitum & potentium preces constituta. sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quæ Pius Aurelius senator, questus mole publicæ viæ, ductúque aquarum, labefactas ædis suas, auxilium patrum inuocabat. resistentibus ærarij prętoribus, subuenit Cæsar, pretiúmque ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honesta pecuniæ cupiens, quam virtutem diu retinuit, cùm ceterás exueret. Propertio Celeri prętorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto, paternas ei angustias esse. tentantis eadem alios, probare caussam senatui iussit: cupidine seueritatis, in his etiam quæ ritè faceret, acerbus. vnde ceteri silentium & paupertatem confessioni & beneficio præposuere. Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis, plana vrbis stagnauerat. relabentem secuta est ædificiorum & hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, vt libri Sibyllini adirentur. renuit Tiberius, perinde diuina humanáque obtegens. sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni, & L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis, leuari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris, ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens. quod vulgus formidolosum, & pater arguisse dicebatur. cur abstinuerit spectaculo ipse, variè trahebant, alij tædio cœtus, quidam tristitiâ ingenij, & metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim ad ostentandam sæuitiam, mouēdásq; populi offensiones, concessam filio materiem: quamquam id quoque dictum est. At Theatri licētia proximo priore anno cœpta, grauius tum erupit, occisis non modò è plebe, sed militibus & centurione, vulnerato tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in magistratus & dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebantúrque sententiæ, vt prætoribus ius virgarum in histriones esset. intercessit. Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitúsque est Asinij Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulchra libertatis senatui præbebat. valuit tamen intercessio, quia diuus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius. De modo lucaris, & aduersus lasciuiam fautorum, multa decernuntur, ex quîs maximè insignia: Ne domos Pantomimorum senator introiret: ne egredientis in publicum, equites Romani cingerent: aut alibi quàm in theatro spectarentur: & spectantium immodestiam exsilio multandi potestas prætoribus fieret. Templum vt in coloniâ Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum, datúmque in omnes

A prouincias exemplum. Centesimam rerum venalium post bella ciuilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti. simul imparem oneri Remp. nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur. ita proximæ seditionis malè consulta, quibus sexdecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum. Actum deinde in senatu ab Arruntio & Ateio an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augescit.
B Auditæque municipiorum & coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alueo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipsis perniciem adferret. Congruentia his Interamnates disseruere, pessum ituros fœcundissimos Italiæ campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in riuos diductus, superstagnauisset. Nec Reatini silebant, Velinum lacum, quà in Narem effunditur, obstrui recusantes. quippe in adiacentia erupturum. optumè rebus mortalium consu-
C luisse naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, vtque originem ita fines dederit. spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra, & lucos, & aras patriis amnibus dicauerint, quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluuiis orbatum, minore gloria fluere. Seu preces coloniarum, seu difficultas operum, siue superstitio, valuit, vt in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat. Prorogatur Poppæo Sabino prouincia Mœsia, additis Achaia & Macedonia. Id
D quoque morum Tiberij fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut iurisdictionibus habere. Caussæ variæ traduntur alij tædio nouæ curæ, semel placita pro æternis seruauisse: quidam inuidia, ne plures fruerentur, sunt qui existiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium. neque enim eminentis virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat. ex optimis, periculum sibi à pessimis, dedecus publicum metuebat. qua hæsitatione postre-
E mo eò prouectus est, vt mandauerit quibusdam prouincias, quos egredi vrbe non erat passurus. De comitiis consularibus, quæ tum primùm illo principe, ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim. adeò diuersa non modò apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modò subtractis candidatorum nominibus, originem cuiusque & vitam, & stipendia descripsit, vt qui forent intelligeretur. aliquando, ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus, ne ambitu
F comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est. plerumque, eos tantùm apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset. posse & alios profiteri, si gratiæ, aut meritis confiderét. speciosa verbis, re inania aut subdola: quantóque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius seruitium.

C. COR-

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV D. AVGVSTI ANNALIVM

LIBER II.

SISENNA Statilio Tauro, L. Libone coss. mota Orientis regna, prouinciæque Romanæ, initio apud Parthos orto, qui petitum Romà, acceptúmque regem, quamuis gentis Arsacidarum, vt externum aspernabantur. Is fuit Vonones, obses Augusto datus à Phrahate. Nam Phrahates quanquam depulisset exercitus, ducésque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat: partémque prolis, firmandæ amicitiæ miserat. haud perinde nostri metu, quàm fidei popularium diffisus. Post finem Phrahatis & sequentium regum, ob internas cædes, venere in vrbem legati à primoribus Parthis, qui Vononem vetustissimum liberorum eius accirent. Magnificum id sibi credidit Cæsar, auxitque opibus. Et accipere barbari lætantes, vt fermè ad noua imperia. Mox subit pudor, degenerauisse Parthos, petitum alio ex orbe regem, hostium artibus infectum. iam inter prouincias Romanas solium Arsacidarum haberi, darique. Vbi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Cæsaris, tot per annos seruitutem perpessum, Parthis imperitet? Accendebat dedignantes & ipse diuersus à maiorum institutis, raro venatu, segni equorum curà, quoties per vrbes incederet lecticæ gestamine, fastúque erga patrias epulas. irridebantur & Græci comites, ac vilissima vtensilium anulo clausa. sed prompti aditus, obuia comitas, ignotæ Parthis virtutes, noua vitia, & quia ipsorum maioribus aliena, perinde odium prauis & honestis. Igitur Artabanus Arsacidarum è sanguine, apud Dahas adultus excitur: primóque congressu fusus, reparat vires, regnóque potitur. Victo Vononi perfugium Armenia fuit. vacua tunc, intérque Parthorum & Romanas opes infida, ob scelus Antonij: qui Artauasden regem Armeniorum specie amicitiæ inlectum, dein catenis oneratum, postremò interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi séque regnúmque tutatus est. occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus à Cæsare Armeniis Tigranes, deductúsque in regnum à Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnúmque. dein iussu Augusti impositus Artauaides, & non sine clade nostra deiectus. Tum C. Cæsar componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam, & præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit. Ariobarzane morte fortuitâ absumto, stirpem eius haut tolerauere: tentatóque feminæ imperio, cui nomen Erato, eáque breui pulsa, incerti solutíque, & magis sine domino, quàm in libertate, profugum Vononem in regnum accipiunt. Sed vbi minitari Artabanus, & parum subsidij in Armeniis, vel si nostra vi defenderetur, bellum aduersus Parthos sumendum erat: rector Syriæ Creticus Silanus excitum custodiâ circumdat, manente luxu & regio nomine. quod ludibrium vt effugere agitauerit Vonones, in loco reddemus. Ceterùm Tiberio haut ingratum accidit, turbari res Orientis, vt eâ specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, nouísque prouinciis impositum, dolo simul & casibus obiectaret. At ille quanto acriora in eum studia militum, & auersa patrui voluntas, celerandæ victoriæ intentior, tractare præliorum vias, & quę sibi tertium iam annum belligeranti sæua vel prospera euenissent. fundi Germanos acie, & iustis locis, iuuari siluis, paludibus, breui æstate & præmaturâ hieme: suum militem, haut perinde vulneribus, quàm spatiis itinerum, damno armorum adfici: fessas Gallias ministrandis equis: longum impedimentorum agmen: opportunum ad insidias, defensantib. iniquum. at si mare intretur, promptam ipsis possessionem, & hostibus ignotam: simul bellum maturius incipi, legionésque & commeatus pariter vehi: integrum equitem, equósque, per ora & alueos fluminum media in Germania fore. Igitur huc intendit, missis ad census Galliarum, P. Vitellio & Cantio. Silius, & Anteius, & Cæcina fabricandę classi pręponuntur. Mille naues sufficere visæ, properatæq; aliæ breues, angusta puppi proráque & lato vtero, quo facilius fluctus tolerarent: quędam, planę carinis, vt sine noxâ siderēt, plures, appositis vtrimq; gubernaculis, conuerso vt repēte remigio, hinc vel illinc adpellerent: multæ pontibus stratæ, super quas tormenta veherentur, simul aptæ ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citæ remis, augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. Insula Batauorum in quam conuenirent prædicta, ob faciles adpulsus, accipiendísque copiis, & transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus vno alueo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur, seruátque nomen & violentiam cursus, quà Germaniam præuehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiúsque immenso ore eundem in Oceanum effunditur. Sed Cæsar, dum adiguntur naues, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Chattos facere iubet. ipse, audito

castellum Lupiæ flumini adpositum obsideri, sex legiones eò duxit. neque Silio ob subditos imbres aliud actum, quàm vt modicam prædam, & Arpi principis Chattorum coniugem, filiámque raperet. Neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere, ad famam aduentus eius dilapsi. tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud visum. & cuncta inter castellum, Alisonem ac Rhenum, nouis limitibus, aggeribúsque permunita. Iamque classis aduenerat, cum præmisso commeatu, & distributis in legiones ac socios nauibus, fossam, cui Drusianæ nomen ingressus, precatúsque Drusum patrem, vt se eadem ausum libens placatúsque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuuaret: lacus inde & Oceanum vsque ad Amisiam flumen secunda nauigatione peruehitur. classis Amisiæ relicta, læuo amne, erratúmque in eo, quòd non subuexit, transposuit militem dextras in terras iturum. ita plures dies efficiendis pontibus absumti. Et eques quidem ac legiones prima æstuaria, nondum adcrescente vnda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batauique in parte ea, dum insultant aquis, artémque nandi ostentant, turbati, & quidam hausti sunt. Metanti castra Cæsari Angriuariorum defectio à tergo nunciatur. Missus illico Stertinius cum equite & armatura leui, igne & cædibus perfidiam vltus est. flumen Visurgis Romanos Cheruscósque interfluebat. eius in ripa cum cæteris primoribus Arminius adstitit, quæsitóque an Cæsar venisset, postquam adesse responsum est, vt liceret cum fratre conloqui orauit. Erat is in exercitu cognomento Flauius, insignis fide, & amisso per vulnus oculo paucis antè annis, duce Tiberio. tum permissum progressúsque salutatur ab Arminio. qui amotis stipatoribus, vt sagittarij nostra pro ripa dispositi abscederent, postulat, & postquam digressi, vnde ea deformitas oris interrogat fratrem. illo locum, & prælium referente, quodnam præmium recepisset exquirit. Flauius aucta stipendia, torquem, & coronam, aliáque militaria dona memorat, irridente Arminio vilia seruitij pretia. Exin diuersi ordiuntur: hic magnitudinem Romanam, opes Cæsaris, & victis graues pœnas, in deditionem venienti paratam clementiam, neque coniugem & filium eius hostiliter haberi. Ille fas patriæ, libertatem auitam, penetralis Germaniæ deos, matrem precum sociam, ne propinquorum & adfinium, denique gentis suæ desertor & proditor, quàm imperator esse mallet. Paulatim inde ad iurgia prolapsi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur: ni Stertinius adcurrens, plenum iræ, armáque & equum poscentem Flauium attinuisset. cernebatur contrà minitabundus Arminius, prœliúmque denuntians. nam pleraque latino sermone interiaciebat, vt qui Romanus in castris ductor popularium meruisset. Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Cæsar, nisi pontibus præsidiísque impositis, dare in discrimen legiones haut imperatorium ratus, equitem vado tramittit. præfuere Stertinius, & è numero primipilarium Æmilius, distantibus locis inuecti, vt hostem diducerent. quà celerrimus amnis, Catioualda dux Batauorum erupit. cum Cherusci

A fugam simulantes, in planiciem saltibus circumiectam traxere: dein coorti, & vndique effusi trudunt aduersos, instant cedentibus, collectósque in orbem, pars congressi, quidam eminus proturbant. Catioualda, diu sustentatâ hostium sæuitia, hortatus suos, vt ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos irrumpens, cógestis telis & suffosso equo labitur, ac multi nobiliú circa. cæteros vis sua, aut equites cum Stertinio

B Æmilióque subuenientes, periculo exemêre. Cæsar transgressus Visurgim, indicio perfugæ cognoscit, delectum ab Arminio locum pugnæ, conuenisse & alias nationes in siluam Herculi sacram, ausurósque nocturnam castrorum oppugnationem. habita indici fides, & cernebantur ignes, suggressique propius speculatores audiri fremitum equorum, immensique & inconditi agminis murmur attulere. Igitur propinquo summæ rei discrimine, explorandos militum animos

C ratus: quónam id modo incorruptum foret, secum agitabat. Tribunos & centuriones læta sæpius, quàm comperta nuntiare libertorum seruilia ingenia, amicis inesse adulationem: si concio vocetur, illic quoque, quæ pauci incipiant, reliquos adstrepere. penitus noscendas mentes, cùm secreti & incustoditi, inter militaris cibos, spem aut metum proferrent. Nocte cœptâ, egressus augurali, per occulta & vigilibus ignara, comite vno, contectus humeros ferinâ pelle, adit castro-

D rum, adsistit tabernaculis, fruitúrque fama sui: cùm hic nobilitatẽ ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per iocos eundem animum, laudibus ferrent: reddendámque gratiam in acie faterentur: simul perfidos, & ruptores pacis, vltioni & gloriæ mactandos. Inter quæ vnus hostium latinæ linguæ sciens, acto ad vallum equo, voce magna, coniuges, & agros, & stipendij indies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminij

E nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras. veniret dies, daretur pugna: sumturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges: accipere omen, & matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare. Tertia fermè vigilia, adsultatum est castris, sine coniectu teli: postquam crebras pro munimentis cohortes, & nihil remissum sensere. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum, &

F sanguine sacro respersa prætextâ, pulchriorem aliam manibus auiæ Augustæ accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat concionem, & quæ sapientia præuisa aptáque imminẽti pugnæ disserit. *Non campos modò militi Romano ad prælium bonos, sed si ratio adsit, siluas & saltus. nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter trũcos arborum & enata humo virgulta, perinde haberi quàm pila, & gladios, & hærẽtia corpori tegmina: densarent ictus, ora mucronibus quærerent: non loricam Germano, nõ galeam: ne scuta quidem ferro, neruóve firmata, sed viminũ textus, vel te-*

G *nues & fucatas colore tabulas. primã vtcunq; aciem hastatã, cæteris præusta aut breuia tela. iã corpus, vt visu toruũ, & ad breuẽ impetũ validũ, sic nulla vulnerũ patientiâ, sine pudore flagitij, sine cura ducum, abire, fugere: pauidos aduersis, inter secunda, non diuini, non humani iuris memores. Si tædio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari. propiorem iam Albim, quam Rhenum: neq; bellum vltrà, modò se patris, patruiq; vestigia premẽtem, iisdẽ in terris victo-*

rem

rem sisterent. Orationem ducis secutus militum ar-
dor: signúmque pugnæ datum. Nec Arminius aut
ceteri Germanorum proceres omittebant suos
quisque testari. *Hos esse Romanos Varian exerci-
tus fugacissimos, qui ne bellum tollerarent, seditio-
nem induerint: quorum pars onusta vulneribus ter-
gum, pars fluctibus & procellis fractos artus, infensis
rursum hostibus, aduersis diis obiiciant, nulla boni
spe. classem quippe & auia Oceani quæsita, ne quis
venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed vbi
miscuerint manus, inane victis ventorum remorúmve
subsidium: meminissent modò auaritiæ, crudelitatis,
superbia: aliud sibi reliquum, quàm tenere liberta-
tem, aut mori ante seruitium?* Sic accensos & præ-
lium poscentes in campum, cui Idistauiso no-
men, deducunt. is medius inter Visurgim & col-
les, vt ripæ fluminis cedunt, aut prominentia
montium resistunt, inæqualiter sinuatur. ponè
tergum insurgebat silua, editis in altum ramis, &
pura humo inter arborum truncos. campum &
prima siluarum, barbara acies tenuit: soli Che-
rusci iuga insedere, vt prœliantibus Romanis de-
super incurrerent. Noster exercitus sic incessit. au-
xiliares Galli, Germanique in fronte: post quos
pedites sagittarij: dein quatuor legiones, & cum
duabus prætoriis cohortibus, ac delecto equite
Cæsar: exin totidem aliæ legiones, & leuis arma-
tura cum equite sagittario, ceteræque sociorum
cohortes. Intentus paratúsque miles, vt ordo ag-
minis, in aciem adsisteret. visis Cheruscorum ca-
teruis, quæ per ferociam proruperant: validissimos
equitum incurrere latus, Stertinium cum cæteris
turmis circumgredi, tergáque inuadere iubet, ipse
in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum au-
gurium, octo aquilæ petere siluas, & intrare visæ,
Imperatorem aduertere. exclamat, irent, seque-
rentur Romanas aues, propria legionum numina.
simul pedestris acies infertur, & præmissus eques,
postremos ac latera impulit. mirúmque dictu, duo
hostium agmina diuersa fuga, qui siluam tenue-
rant in aperta, qui campis adstiterant, in siluam
ruebant. medij inter hos Cherusci, collibus de-
trudebantur, inter quos insignis Arminius manu,
voce, vulnere, sustentabat pugnam. incubuerátq;
sagittariis, illa rupturus, ni Rętorum Vindelico-
rúmque & Gallicæ cohortes signa obiecissent. ni-
su tamen corporis, & impetu equi peruasit, obli-
tus faciem suo cruore ne nosceretur. quidam a-
gnitum à Chaucis inter auxilia Romana agenti-
bus, emisśúmque tradiderunt. Virtus seu fraus ea-
dem, Inguiomero effugium dedit. ceteri passim
trucidati. & plerosque tranare Visurgim conantes
iniecta tela aut vis fluminis, postremò moles ruē-
tium, & incidentes ripæ, operuere. quidam turpi
fuga in summa arborum nisi, ramisque se occul-
tantes, admotis sagittariis per ludibrium figeban-
tur: alios prorutæ arbores adflixere. Magna ea vi-
ctoria, neque cruenta nobis fuit. Quintâ ab horâ
diei ad noctem cæsi hostes, decem millia passuum
cadaueribus atque armis oppleuere: repertis inter
spolia eorum catenis, quas in Romanos, vt non
dubio euentu, portauerant. Miles in loco prœlij,
Tiberium imperatorem salutauit, struxítque ag-
gerem & in modum trophæorum arma, subscri-
ptis victarum gentium nominibus, imposuit.
Haut perinde Germanos vulnera, luctus, excidia,
quàm ea species dolore & ira adfecit. qui modò
abire sedibus, trans Albim concedere parabant,
pugnam volunt, arma rapiunt: plebes, primores,
A iuuentus, senes, agmen Romanum repentè incur-
sant, turbant. postremo diligunt locum, flumine
& siluis clausum, arta intus planicie, & humida:
siluas quoque profunda palus ambibat, nisi quòd
latus vnum Angriuarij lato aggere extulerant,
quo à Cheruscis dirimerentur, hic pedes adstitit,
equitem propinquis lucis texere, vt ingressis sil-
uam legionibus a tergo foret. Nihil ex iis Cæsari
incognitum: consilia, locos, prompta, occulta no-
B uerat, astúsque hostium in perniciem ipsis verte-
bat. Seio Tuberoni legato tradit equitem cam-
púmque peditum aciem ita instruxit, vt pars æquo
in siluam aditu incederet, pars obiectum aggerem
eniteretur, quod arduum, sibi: cetera legatis per-
misit. quibus plana euenerant, facilè inrupere:
quis impugnandus agger, vt si murum succede-
rent, grauibus superne ictibus conflictabantur.
Sensit dux imparem comminus pugnam, remotis-
C que paulum legionibus, funditores libratorésque
excutere tela, & proturbare hostem iubet. missæ è
tormentis hastę, quantóque conspicui magis pro-
pugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti.
Primus Cæsar cum prætoriis cohortibus, capto
vallo dedit impetum in siluas: conlato illic gradu
certatum hostem à tergo palus, Romanos flumen
aut montes claudebant. vtrisque necessitas in lo-
co, spes in virtute, salus ex victoriâ. Nec minor
Germanis animus, sed genere pugnæ & armorum
superabantur, cùm ingens multitudo artis locis,
D prælongas hastas nō protenderet, non colligeret,
neque adsultibus & velocitate corporum vteretur
coacta stabile ad prœlium: contra miles, cui scu-
tum pectori adpressum, & insidēs capulo manus,
latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viámq;
strage hostium aperiret. imprompto iam Armi-
nio, ob continua pericula, siue illum recens acce-
ptum vulnus tardauerat. Quin & Inguiomerum
tota volitantem acie, fortuna magis quàm virtus
deserebat. & Germanicus quò magis adgnosce-
E retur, detraxerat tegimen capiti, orabátque insi-
sterent cædibus, nihil opus captiuis, solam inter-
necionem gentis finem bello fore. Iámque sero
diei subducit ex acie legionem faciendis castris,
ceteræ ad noctem cruore hostium satiatæ sunt.
equites ambiguè certauere. Laudatis pro concio-
ne victoribus Cęsar congeriem armorum struxit,
superbo cum titulo, DEBELLATIS INTER RHE-
NVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCITVM
F TIBERII CÆSARIS EA MONIMENTA MARTI
ET IOVI ET AVGVSTO SACRAVISSE. de se ni-
hil addidit, metu inuidiæ, an ratus conscientiam
facti satis esse. Mox bellum in Angriuarios Sterti-
nio mandat, ni deditionem properauissent. atque
illi supplices, nihil abnuēdo, veniam omnium ac-
cepêre. Sed æstate iam adulta. legionum aliæ iti-
nere terrestri in hibernacula remissæ. plures Cæ-
sar classi impositas per flumen Amisiam Oceano
inuexit. Ac primò placidum æquor mille nauium
G remis strepere aut velis impelli: mox atro nubium
globo effusa grando: simul variis vndique procel-
lis, incerti fluctus prospectum adimere, regimen
impedire: miléśque pauidus, & casuum maris i-
gnarus, dum turbat nautas, vel intempestiuè iu-
uat, officia prudentium corrumpebat. omne de-
hinc cælum, & mare omne in austrum cessit, qui
tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, im-
menso nubium tractu validus, & rigore vicini se-
ptentrionis horridior, rapuit disiecitque naues in
aperta Oceani, aut insulas saxis abruptis, vel per

occulta vada, infestas, quibus paulum ægréque vitatis postquam mutabat æstus, eodéq; quò ventus ferebat, non adhærere anchoris, non exhaurire irrumpentis vndas poterant, equi, iumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quò leuarentur alueí manantes per latera, & fluctu superurgente. Quanto violentior cetero Oceanus, & truculentia cæli præstat Germania, tantum illa clades nouitate & magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus, aut ita vasto & profundo, vt credatur nouissimum ac sine terris mare. pars nauium haustæ sunt, plures, apud insulas longius sitas eiectæ: miléſque nullo illic hominum cultu, fame absumptis, nisi quos corpora equorum eodem elisa tolerauerant. sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit, quem per omnes illos dies noctésque apud scopulos & prominentis oras, cùm se tanti exitij reum clamitaret, vix cohibuere amici quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu, & secundante vento, claudæ naues, raro remigio, aut intentis vestibus, & quædam à validioribus tractæ, reuertere: quas raptim refectas misit, vt scrutarentur insulas. collecti ea cura plerique. multos Angriuarij nuper in fidem accepti, redemtos ab interioribus reddidere. quidam in Britanniam rapti, & remissi à regulis. Vt quis ex longinquo reuenerat, miracula narrabant, vim turbinum & inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum & beluarum formas: visa, siue ex metu credita. Sed fama classis amissæ, vt Germanos ad spem belli, ita Cęsarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire Chattos imperat: ipse maioribus copiis Marsos irrumpit: quorum dux Malouendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defossam Varianæ legionis aquilam modico præsidio seruari indicat. Missa extemplò manus, quæ hostem à fronte eliceret, alij qui terga circumgressi recluderent humum. & vtrisque adfuit fortuna. eò promptior Cæsar pergit introrsus, populatur, excindit non ausum congredi hostem: aut sicubi restiterat, statim pulsum, nec vnquam magis, vt ex captiuis cognitum est, pauentem. Quippe inuictos & nullis casibus superabiles Romanos prædicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorúmque corporibus litora, eâdem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero irrupissent. Reductus inde in hiberna miles, lætus animi, quòd aduersa maris, expeditione prospera pensauisset. addidit, munificentiam Cæsar, quantum quis damni professus erat exsoluendo. Nec dubium habebatur, labare hostes petendæque pacis consilia sumere, & si proxima æstas adiceretur, posse bellum patrari: sed crebris epistolis Tiberius monebat, *rediret ad decretum triumphum satis iam euentuum, satis casuum: prospera illi magna prœlia: eorum quoq; meminisset, quæ venti & fluctus, nulla ducis culpa, grauia tamen & sæua damna intulissent. se nouies à diuo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suenos, regémque Maroboduum pace obstrictum posse & Cheruscos, ceteráſque rebellium gentes, quando Romanæ vltioni consultum est, internis discordiis relinqui.* Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acriùs modestiam eius adgreditur, alterum consulatum offerendo, cuius munia præsens obiret. simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoste, nonnisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium, & deportare lauream posset. Haut cunctatus est vltrà Germanicus, quanquam fingi ea, séque per inuidiam parto iam decori abstrahi intelligeret. Sub idem tempus, è familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res nouas. Eius negotij initium, ordinem, finem curatiùs disseram: quia tum primùm reperta sunt, quæ per tot annos Remp. excedere. Firmius Catus Senator, ex intima Libonis amicitia, iuuenem improuidum & facilem inanibus, ad Chaldæorum promissa, Magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proauum Pompeium, amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Cæsares, plenam imaginibus domum ostentat: hortatúrque ad luxum & æs alienum, socius libidinum & necessitatum, quò pluribus indiciis inligaret. Vt satis testium, & qui serui eadem noscerent, reperit: aditum ad principem postulat, demonstrato crimine & reo per Flaccum Vescularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio vsus erat. Cæsar indicium haut aspernatus, congressus abnuit. posse enim, eodem Flacco internuntio, sermones commeare. atque interim Libonem ornat prætura, conuictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeò iram condiderat) cunctáque eius dicta factáque cùm prohibere posset, scire malebat. donec Iunius quidam tentatus, vt infernas vmbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit, celebrè inter accusatores Trionis ingenium erat, auidúmque famæ malæ. Statim corripit reum, adit consules, senatus cognitionem poscit. & vocantur patres, addito, consultandum super re magna & atroci. Libo interim veste mutata cum primoribus feminis, circumire domos, orare adfines, vocem aduersum pericula poscere: adnuentibus cunctis, cùm diuersa prætenderent, eâdem formidine. die senatus metu & ægritudine fessus siue, vt tradidere quidam, simulato morbo, lecticâ delatus ad fores curiæ innisúsque fratri, & manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto eius vultu excipitur. mox libellos & auctores recitat Cæsar, ita moderans, ne lenire néve asperare crimina videretur. Accesserant præter Trionem & Catum accusatores, Fonteius Agrippa, & C. Liuius, certabántque cui ius perorandi in reum daretur: donec Liuius, quia nec ipsi inter se concederent, & Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum professus, protulit libellos vecordes adeò, vt consultauerit Libo, an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brundisium vsque pecunia operiret. inerant & alia huiuscemodi, stolida, vana, si mollius acciperes, miseranda. Vni tamen libello, manu Libonis, nominibus Cæsarum aut senatorum, additas atroces vel occultas notas, accusator arguebat. Negante reo, agnoscentes seruos, per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatusconsulto, quæstio in caput domini prohibebatur, callidus & noui iuris reperto Tiberius, mancipari singulos actori publico iubet: (scilicet, vt in Libonem ex seruis, saluo senatusconsulto quæreretur.) Ob quæ posterum diem reus petiuit, domúmque digressus, extremas preces P. Quirinio propinquo suo ad principem mandauit. responsum est, vt senatum rogaret. cingebatur interim milite domus, strepebántque etiam in vestibulo, vt audiri, vt aspici possent: cùm Libo,

ipsis,

ipsis, quis in nouissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus, vocare percussorem, prehensare seruorum dextras, inserere gladium. atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, euertentibus adpositum mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris duos ictus in viscera direxit. Ad gemitum collabentis, accurrêre liberti, & cæde visa miles abstitit. Accusatio tamen apud patres adseueratione eadem peracta, iurauitque Tiberius petiturum se vitam, quamuis nocenti, nisi voluntariam mortem properauisset. Bona inter accusatores diuiduntur. & præturæ extra ordinem datæ, his qui senatorij ordinis erant. Tunc Cotta Messallinus, ne imago Libonis exequias posterorū comitaretur: censuit Cn. Lentulus, ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret. supplicationum dies, Pomponij Flacci sententia constituti. vt dona Ioui, Marti, Concordię, vtque Iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies fest° haberetur, L. P. & Gallus Asinius, & Papius Mutilus, & L. Apronius decreuere: quorum auctoritates, adulationesque retuli, vt sciretur vetus id in Rep. malum. Facta & de Mathematicis Magisque Italia pellendis senatus consulta: quorum e numero L. Pithuanius saxo deiectus est. In P. Martium consules extra portam Exquilinam, cùm classicum canere iussissent, more prisco aduertêre. Proximo senatus die, multa in luxum ciuitatis dicta à Q. Haterio consulari, Octauio Frontone prætura functo: decretúmque ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœdaret. Excessit Fronto, ac postulauit modum argento, supellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid è Rep. crederent, loco sententiæ promere. Contrà Gallus Asinius disseruit: *Auctu imperij adoleuisse etiam priuatas opes, idque non nouum, sed è vetustissimis moribus. aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam, & cuncta ad Remp. referri. qua tenuis, angustas ciuium domos, postquam eò magnificentia venerit, gliscere singulos. neque in familia & argẽto, quæque ad vsum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis. distinctos senatus & equitum census: non quia diuersi natura, sed vt locis ordinibus, dignationibus antistent, taléssque ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur. nisi fortè clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, deliniamentis curarum & periculorum carendum esse.* Facilem adscensum Gallo, sub nominibus honestis, confessio vitiorū & similitudo audiẽtiū dedit. Adiecerat & Tiberius non id tempus cẽsuræ: nec si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem. Inter quæ L. Piso ambitū fori, corrupta iudicia, sæuitiam oratorū, accusationes minitantium increpans, abire se, & cedere vrbe, victurum in aliquo abdito & longinquo rure testabatur. simul curiá relinquebat. Commotus est Tiberius, & quamquam mitibus verbis Pisonẽ permulsisset, propinquos quoque eius impulit, vt abeuntẽ auctoritate vel precibus tenerent. Haut minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit, vocata in ius Vrgulania, quā supra leges amicitia Augustæ extulerat. nec aut Vrgulania obtemperauit, in domum Cæsaris spreto Pisonę vecta aut ille abstitit, quamquam Augusta se violari & imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri ciuile ratus, vt se iturum ad prætoris tribunal, adfuturū Vrgulanię diceret, processit palatio, procul sequi iussis militibus, spectabatur, occur-

A sante populo, compositus ore, & sermonibus variis tempus atque iter ducens: donec propinquis Pisonem frustra coërcentibus, deferri Augusta pecuniam quæ petebatur iuberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius, & Cæsar maiore fama fuit. Cæterùm Vrgulaniæ potentia adeò nimia ciuitati erat, vt testis in caussa quadam quæ apud senatum tractabatur, venire dedignaretur. missus est prætor, qui domi interrogaret: cùm Virgines
B Vestales in foro & iudicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit. Res eo anno prolatas haut referrem, ni pretium foret, Gn. Pisonis & Asinij Galli super eo negotio diuersas sententias noscere. Piso, quanquam absuturum se dixerat Cæsar, ob id magis agendum censebat, vt absente principe, senatus & equites possent sua munia sustinere. decorum Reip. fore. Gallus, quia speciem libertatis Piso præceperat, nihil satis in-
C lustre, aut ex dignitate populi Romani nisi coràm & sub oculis Cæsaris: eóque conuentum Italiæ & adfluentis prouincias, præsentiæ eius seruanda dicebat. Audiente hæc Tiberio ac silente, magnis vtrimque contentionibus acta, sed res dilatæ. Et certamen Gallo aduersus Cæsarem exortum est. nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda: vtque legionum legati, qui ante præturam eâ militia fungebantur, iam tum prætores destinarentur: princeps duodecim
D candidatos, in annos singulos nominaret. Haut dubium erat, eam sententiam altiùs penetrare, & arcana imperij tentari. Tiberius tamen quasi augeretur potestas eius disseruit. *Graue moderationi suæ, tot eligere, tot differre. vix per singulos annos offensiones vitari, quamuis repulsam propinqua spes soletur. quãtum odij fore ab his qui vltra quinquennium proijciantur! vnde prospici posse quæ cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid si
E honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subuerti leges, quæ sua spatia exercendæ candidatorum industriæ, quærendísque aut potiundis honoribus statuerint.* Fauorabili in speciem oratione vim imperij tenuit, censúsque quorundã senatorum iuuit. quò magis mirũ fuit, quòd preces M. Hortali nobilis iuuenis, in paupertate manifestà, superbiùs accepisset. Nepos erat oratoris Hortẽsij, inlectus à diuo Augusto liberalitate decies sestertiũ ducere vxorem, suscipere li-
F beros, ne clarissima familia extingueretur. Igitur quatuor filiis ante limen curiæ adstantibus, loco sententiæ, quũ in palatio senatus haberetur, modò Hortensij inter oratores sitã imaginẽ, modò Augusti intuẽs, ad hunc modũ cœpit. *Patres conscripti, hos quorũ numerũ & pueritiã videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat: simul maiores mei meruerant, vt posteros haberent. nã ego, qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam gentile domus nostra bonum varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam, si tenues res
G mea nec mihi pudori, nec cuiquã oneri forent. iussus ab imperatore, vxorem duxi. En stirps & progenies tot consulũ, tot dictatorũ. nec ad inuidiã ista, sed cõciliãdæ misericordiæ refero. adsequentur florente te Cæsar quos dederis honores, interim Q. Hortensij pronepotes, diui Augusti alũnos, ab inopia defẽde.* Inclinatio senat° incitamẽtũ Tiberio fuit, quò prõptius aduersaretur his fermè verbis vsus. *Si quantũ pauperũ est, venire huc, & liberis suis petere pecunias cœperint: singuli nũquã exsatiabũtur. Resp. deficies nec sa-*

nè ideo à maioribus concessum est, egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat loco sententiæ proferre, vt priuata negotia, res familiares nostras hic augeamus: cũ inuidia senatus & principum siue indulserint largitionem, siue abnuerint. nõ enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiua quidem & improuisa. cùm aliis de rebus conuenerint patres consurgere, & numero atque ætate liberũ suorum vrgere modestiam senatus, eandem vim in me trãsmittere, ac velut perfringere ærarium: quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendũ erit. dedit tibi Hortale diuus Augustus pecuniã, sed non cõpellatus, nec ea lege vt semper daretur. languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus, aut spes, & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignaui, nobis graues. Hæc atque talia, quanquã cum adsensu audita ab his, quibus omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. sensitque Tiberius. & cũ paulùm reticuisset, Hortalo se respondisse ait: ceterùm si patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. egêre alij grates: siluit Hortalus, pauore, an auitæ nobilitatis etiam inter angustias fortunæ retinẽs. neque miseratus est posthac Tiberius, quamuis domus Hortensij pudendam ad inopiam dilaberetur. Eodem anno, mancipij vnius audacia, ni maturè subuentum foret, discordiis armísque ciuilibus Remp. perculisset. Postumi Agrippæ seruus, nomine Clemens, cõperto fine Augusti, pergere in insulam Planasiam, & fraude aut vi raptũ Agrippam ferre ad exercitus Germanicos, non seruili animo concepit. ausa eius impediuit tarditas onerariæ nauis. atque interim patrata cæde, ad maiora & magis præcipitia conuersus, furatur cineres, vectúsque Cosam Ethruriæ promõtorium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbámque promitteret. nam ætate & forma haut dissimili in dominum erat. tũ per idoneos & secreti eius socios, crebrescit viuere Agrippam, occultis primũ sermonibus, vt vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promtas aures, aut rursum apud turbidos, eóque noua cupientes. atque ipse adire municipia obscuro diei, neq; propalàm aspici, neque diutius iisdem locis. sed quia veritas, visu & mora, falsa, festinatione & incertis valescunt, relinquebat famam, aut præueniebat. Vulgabatur interim per Italiam, seruatum munere deûm Agrippam, credebatur Romæ. iámque Hostiam inuectum multitudo ingens, iam in vrbe clandestini cœtus celebrabant, cùm Tiberium anceps cura distrahere, vine militum seruum suũ coërceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. modò nihil spernendum, modò non omnia metuenda, ambiguus pudoris ac metus reputabat. postremò dat negotiũ Sallustio Crispo. ille è clientibus duos (quidã milites fuisse tradunt) delegit, atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem, atque pericula polliceantur. Exsequuntur vt iussum erat. dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum clauso ore in palatiũ traxere. percunctanti Tiberio, *Quomodo Agrippa factus esset?* respondisse fertur, *Quomodo tu Cæsar.* Vt ederet socios, subigi nõ potuit. Nec Tiberius pœnam eius palàm ausus, in secreta palatij parte interfici iussit, corpúsque clàm auferri. & quanquã multi è domo principis, equitésque ac senatores,

A sustentasse opibus, iuuisse consiliis dicerentur, haut quæsitum. Fine anni arcus propter ædem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberij: & ædes Fortis fortunæ Tiberim iuxta in hortis, quos Cæsar dictator populo Rom. legauerat: sacrarium genti Iuliæ: effigiésque diuo Augusto apud Bouillas, dicantur. C. Cœlio, L. Pomponio COSS. Germanicus Cæsar A. D. VII. Kalendas Iunias triumphauit de

B Cheruscis Chattísque & Angriuariis, quæq; aliæ nationes vsque ad Albim coluot. vecta spolia, captiui, simulacra montium, fluminum, præliorũ: bellúmque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. augebat intuentium visus eximia ipsius species, currúsque quinque liberis onustus: sed suberat occulta formido reputantibus, haut prosperum in Druso patre eius fauorem vulgi, auunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuuentam ereptum, breues

C & infaustos populi Romani amores. Ceterùm Tiberius, nomine Germanici, trecenos plebi sestertios viritim dedit, séque collegam consulatui eius destinauit. nec ideo sinceræ caritatis fidem adsecutus, amoliri iuuenem specie honoris statuit, struxitque caussas, aut fortè oblatas arripuit. Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadociã potiebatur inuisus Tiberio, qoòd cum Rhodi agentem, nullo officio coluisset. nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti

D admonitus, quia florente C. Cæsare, missóque ad res Orientis, intuta Tiberij amicitia credebatur. Vt versa Cæsarum sobole, imperium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quæ non dissimulatis filij offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret ille ignarus doli, vel si intelligere crederetur vim metuens, in vrbẽ properat: exceptúsque immiti à principe, & mox accusatus in senatu, non ob crimina quæ fingebantur, sed angore, simul fessus senio, & quia re-

E gibus æqua nedum infima insolita sunt finem vitæ sponte an fato impleuit. Regnum in prouinciã redactum est, fructibúsque eius leuari posse centesimæ vectigal professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus: & prouinciæ Syria atque Iudæa, fessæ oneribus, demi-

F nutionem tributi orabant. Igitur hæc, & de Armenia quæ suprà memoraui, apud patres disseruit, nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi. Nam suam ætatem vergere, Drusi nondum satis adoleuisse. Tunc decreto patrum, permissæ Germanico prouinciæ, quæ mari diuiduntur, maiúsque imperium quoquò adisset, quàm his qui sorte aut missu principis obtinerent. Sed Tiberius demouerat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Ger-

G manico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat, præfecerátque. Cn. Pisonem ingenio violentum, & obsequij ignarum, insitâ ferocia à patre Pisone, qui ciuili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio aduersus Cæsarem iuuit. mox Brutum & Cassium secutus, coocesso redito, petitione honorum abstinuit, donec vltrò ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere. sed præter paternos spiritus, vxoris quoque Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur. vix Tiberiũ

concedere, liberos eius vt multũ infra despectare:
nec dubium habebat, se delectum, qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coërcendas. credidere quidam data & à Tiberio occulta mandata, & Plancinam haut dubiè Augusta monuit, muliebri æmulatione Agrippinam insectandi. diuisa námque & discors aula erat, tacitis in Drusum, aut Germanicum studiis. Tiberius, vt proprium & sui sanguinis Drusum fouebat: Germanico, alienatio patrui, amorem apud ceteros auxerat, & quia claritudine materni generis anteibat, auum M. Antonium, auunculum Augustum ferens, contrà Druso, proauus eques Rom. Pomponius Atticus, dedecere Claudiorum imagines videbatur. & coniunx Germanici Agrippina, fecunditate ac fama Liuiam vxorem Drusi præcellebat. sed fratres egregiè concordes, & proximorum certaminibus inconcussi. Nec multo pòst Drusus in Illyricum missus est, vt suesceret militiæ, studiáque exercitus pararet, simul iuuenem vrbano luxu lasciuientem melius in castris haberi Tiberius, séque tutiorem rebatur, vtroque filio legiones obtinente. Sed Sueui prætendebantur, auxilium aduersus Cheruscos orantes. nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis adsuetudine, & tum æmulatione gloriæ, arma in se verterant. vis nationum, virtus ducum in æquo: sed Maroboduum regis nomen inuisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem fauor habebat. Igitur non modò Cherusci sociiique eorum, vetus Arminij miles, sumsere bellum: sed è regno etiam Marobodui Sueuæ gentes, Semnones ac Langobardi defecere ad eum. quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset: non aliam ob caussam, quàm quia fratris filio iuueni, patruus senex parêre dedignabatur. Dirigũtur acies pari vtrimque spe, nec vt olim apud Germanos vagis incursibus, aut disiectas per cateruas, quippe longa aduersus nos militia, insueuerant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Ac tũc Arminius equo conlustrans cuncta, vt quosque aduectus erat, *Reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc & tela Romanis derepta, in manib. multorum ostentabat contrà fugacem Maroboduum appellans, præliorum expertem, Hercyniæ latebris defensum, ac mox per dona & legationes petiuisse fœdus. proditorem patriæ satellitem Cæsaris, haut minus infensis animis exturbandum quàm Varum Quinctilium interfecerint. meminissent modò tot præliorum, quorum euentu, & ad postremum eiectis Romanis, satis probatum, penes vtros summa belli fuerit.* Neque Maroboduus iactantia sui, aut probris in hostem abstinebat. sed Inguiomerum tenens, *Illo in corpore decus omne Cheruscorum: illius consiliis gesta, quæ prosperè ceciderint testabatur. vecordem Arminium, & rerum nescium, alienam gloriam in se trahere: quoniam tres vacuas legiones & ducem fraudis ignarum perfidiâ deceperit: magna cũ clade Germaniæ, & ignominia sua, cum coniux cũ filius eius seruitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio, illibatã Germanorum gloriã seruauisse. mox conditionibus æquis discessum. neque pœnitere quòd ipsorũ in manu sit integrũ aduersus Romanos bellum: an pacem incruentam malint.* His vocibus instinctos exercitus propriæ quoque caussæ stimulabant. cùm à Cheruscis Langobardísque, pro antiquo decore, aut recenti libertate, & contrà augendæ dominationi

A certaretur. Non aliâs maiore mole cócursum, neque ambiguo magis euentu, fusis vtrimque dextris cornib. Sperabatúrque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit: & transfugis paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, Non iure eum aduersus Cheruscos arma Romana inuocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos
B nullâ ope iuuisset. Missus tamen Drusus, vt retulimus, pacis firmator. Eodem anno duodecim celebres Asiæ vrbes conlapsæ, nocturno motu terræ. quò improuisior grauiórque pestis fuit. neque solitum in tali casu effugiũ subueniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorãt. Aspertima in Sardianos lues, plurimũ in eosdem
C misericordiæ traxit. nam centies sestertiũ pollicitus Cæsar: & quantum ærario aut fisco pendebãt, in quinquẽnium remisit, Magnetes à Sipylo, proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægæatas, Apollonienses, quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, & Hierocæsaream, Myrinam, Cymẽ, Tmolum leuari idẽ in tempus tributis, mittique ex senatu placuit, qui præsentia spectaret, refoueretque. delectus est M. Aletus è prætoriis, ne consulari obtinente Asiam
D æmulatio inter pares, & ex eo impedimentũ oriretur. Magnificam in publicum largitionem, auxit Cæsar haut minus grata liberalitate, quòd bona Aemiliæ Musæ locupletis intestatæ petita in fiscum, Aemilio Lepido, cuius è domo videbatur, & Patulei diuitis equitis Romani hæreditatem (quamquam ipse heres in parte legeretur) tradidit M. Seruilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat: nobilitatem vtriusque pecunia iuuandam præfatus. Neque hæ-
E reditatem cuiusquã adiit, nisi cùm amicitia meruisset. Ignotos & aliis infensos, eóque principem nuncupantes, procul arcebat. Ceterùm vt honestam innocentium paupertatem leuauit, ita prodigos & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium mouit senatu, aut sponte cedere passus est, iisdem temporibus deûm ædes vetustate aut igni abolitas, cœptásque ab Augusto, dedicauit, Libero Liberæque & Ce-
F reri, iuxta circum maximum, quas A. Postumius dictator vouerat: eodemque in loco ædem Floræ, ab Lucio & Marco publicis ædilibus constitutã: & Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius struxerat, qui primus rem Romanam prosperè mari gessit, triumphúmque naualem de Pœnis meruit. Spei ædes à Germanico sacratur: hanc Atilius vouerat eodem bello. Adolescebat interea lex maiestatis. Et Apuleiam Variliam sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus diuum Augustum ac Tiberium, & matrem
G eius inlusisset, Cæsaríque connexa, adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. De adulterio satis caueri lege Iuliâ visum. Maiestatis crimen distingui Cæsar postulauit, damnaríque si qua de Augusto irreligiosè dixisset. In se iacta nolle ad cognitionem vocari. Interrogatus à consule quid de his censeret, quæ de matre eius locuta secus argueretur, reticuit: dein proximo senatus die, illius quoque nomine orauit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimi-

ni forent. liberauitque Apuleiam lege maiestatis adulterij grauiorem pœnam deprecatus, vt exéplo maiorum propinquis suis vltra ducentesimum lapidem remoueretur suasit. Adultero Manlio Italia atque Africâ interdictum est. De prætore in locum Vipsanij Galli, quem mors abstulerat, subrogando, certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romæ erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici fouebant: contrà plerique nitebantur, vt numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex iubebat. Lætabatur Tiberius cùm inter filios eius & leges senatus disceptaret. victa est sine dubio lex: sed neque statim, & paucis suffragiis: quomodo, etiam cùm valerent, leges vincebantur. Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. is natione Numida, in castris Romanis auxiliariis stipendia meritus, mox desertor, vagos primùm & latrociniis suetos ad prędam & raptus congregare, dein more militiæ per vexilla, & turmas componere, postremò non inconditæ turbæ, sed Musulanorum dux haberi valida ea gens, & solitudinibus Africæ propinqua, nullo etiam tum vrbium cultu, cepit arma, Maurósque accolas in bellum traxit. dux & his Mazippa. diuisúsque exercitus: vt Tacfarinas lectos viros, & Romanum in modum armatos castris attineret, disciplinę & imperiis suesceret: Mazippa leui cum copia, incendia & cædes, & terrorem circumferret. compulerántque Cinithios, haut spernendam nationem, in eadem, cùm Furius Camillus proconsul Africæ, legionem & quod sub signis sociorum, in vnum conductos ad hostem duxit. modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares, sed nihil æquè cauebatur, quàm ne bellum metu eluderent. spe victoriæ inducti sunt, vt vincerentur. Igitur legio medio, leues cohortes duæque alæ in cornibus locantur. nec Tacfarinas pugnam detrectauit. fusi Numidæ, multósque post annos Furio nomini partum decus militiæ. nam post illum reciperatorem vrbis, filiúmque eius Camillum, penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atque hic, quem memorauimus, bellorum expers habebatur. eò pronior Tiberius res gestas apud Senatum celebrauit: & decreuere patres triumphalia insignia. quod Camillo ob modestiam vitæ impune fuit. Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterùm consules habuit. sed eum honorem Germanicus iniit apud vrbem Achaiæ Nicopolim, quò venerat per Illyricam oram viso fratre Druso in Dalmatiâ agente, Hadriatici ac mox Ionij maris aduersam nauigationem perpessus. igitur paucos dies insumpsit reficiendæ classi, simul sinus Actiacâ victoria inclitos, & sacratas ab Augusto manubias, castráque Antonij cum recordatione maiorum suorum adiit. namque ei, vt memoraui, auunculus Augustus, auus Antonius erant, magnáque illic imago tristium lætorúmque. Hinc ventum Athenas, fœderíque sociæ & vetustæ vrbis datum, vt vno lictore vteretur. Excepere Græci quæsitissimis honoribus, vetera suorum facta dictáque præferentes, quò plus dignationis adulatio haberet. Petitâ inde Eubœâ, tramisit Lesbum, vbi Agrippina nouissimo partu Iuliam edidit. tum extrema Asiæ, Perinthúmque ac Byzantium Thracias vrbes, mox Propontidis angustias, & os Ponticum intrat, cupidine veteres locos, & fama celebratos

A noscendi. paritérque prouincias internis certaminibus, aut magistratuum iniuriis fessas refouebat. atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem, obuij aquilones depulere. Igitur alio quæque ibi varietate fortunæ, & nostri origine veneranda, relegit Asiam, appellítque Colophona, vt Clarij Apollinis oraculo vteretur. Non femina illic, vt apud Delphos, sed certis è familiis & fermè Mileto accitus sacerdos, B numerum modò consultantium & nomina audit: tum in spe cum degressus, haustâ fontis arcani aquâ, ignarus plerumque litterarum & carminum, edit responsa, versibus compositis super rebus quas quis mente concepit. & ferebatur, Germanico per ambages, vt mos oraculis, maturum exitium cecinisse. At Cn. Piso, quò properantiùs destinata inciperet, ciuitatem Atheniensium turbido incessu exterritam oratione sæuâ increpat: obliquè Germanicum perstringens, quòd contra C decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus exstinctos, sed colluuiem illam nationum comitate nimia coluisset. hos enim esse Mithradatis aduersus Sullam, Antonij aduersus diuum Augustum socios. etiam vetera obiectabat, quæ in Macedones improsperè, violenter in suos fecissent, offensus vrbi propriâ quoque irâ, quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum, precibus suis non concederent. Exin nauigatione celeri per Cycladas, & compendia maris D adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haut nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, vt cùm orta tempestas raperet in abrupta, possétque interitus inimici ad casum referri, miserit triremes quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso, & vix diei moram perpessus, linquit Germanicum, præuenítque & postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, E infimos manipularium iuuando, cùm veteres centuriones, seueros tribunos demoueret, locáque eorum clientibus suis, vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in vrbibus, vagum ac lasciuientem per agros militem sineret, eò vsque corruptionis prouectus est, vt sermone vulgi, parens legionum haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse in Agrippinam, in Germanicum contu- F melias iacere: quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quòd haut inuito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat. Nota hæc Germanico, sed præuerti ad Armenios instantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus, hominum ingeniis, & situ terrarum, quo nostris prouinciis latè prætenta, penitus ad Medos porrigitur, maximisque imperiis interiecti, & sępius discordes sunt aduersus Romanos odio, & in Parthum inuidiâ. Regem illa tempestate G non habebant amoto Vonone, sed fauor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pōtici filium, quòd is prima ab infantia instituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebémque iuxtà deuinxerat. Igitur Germanicus in vrbe Artaxata, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. ceteri venerantes regem, Artaxiam consalutauere, quod illi vocabulum indiderant, ex nomine vrbis. At Cappadoces in formam prouinciæ

uinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere. & quædam ex regiis tributis deminuta, quò mitiùs Romanum imperium speraretur. Comagenis Q. Seruæus præponitur, tum primùm ad ius prætoris translatis. Cunctáque socialia prosperè composita, non idcò lætum Germanicum habebant, ob superbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse, aut per filium in Armeniam ducere, vtrumque neglexerat. Cyrri demum apud hiberna decimæ legionis conuenere, firmato vultu Piso aduersus metum, Germanicus ne minari crederetur. & erat, vt retuli, clementior. sed amici accendẽdis offensionibus callidi, intendere vera, adgerere falsa, ipsúmque & Plancinam, & filios variis modis criminari. postremò paucis familiarũ adhibitis sermo cœptus à Cæsare, qualem ira & dissimulatio gignit. Responsum a Pisone precibus contumacibus, discessêrúntque opertis odiis. post quę rarus in tribunali Cæsaris Piso, & si quãdo adsideret, atrox, ac dissentire manifestus. vox quoque eius audita est in conuiuio, cùm apud Regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæsari & Agrippinæ, leues Pisoni & ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari. abiecitque simul coronam, & multa in luxum addidit, quæ Germanico, quãquam acerba, tollerabantur tamen. Inter quæ ab rege Parthorum Artabano legati venere. miserat amicitiam ac fœdus memoraturos, & cupere renouari dextras, datutúmque honori Germanici, vt ripam Euphratis accederet: petere interim ne Vonones in Syriâ haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus, de societate Romanorum, Parthórúmque magnificè, de aduentu regis & cultu sui, cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim Ciliciæ maritimam vrbem amotus est, datum id non modò precibus Artabani, sed cõtumeliæ Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia & dona; quibus Plancinam deuinxerat. M. Silano, L. Norbano Coss. Germanicus Aegyptum proficiscitur, cognoscendæ antiquitatis. sed cura prouinciæ prætendebatur. leuauitque apertis horreis pretia frugum: multáque in vulgus grata vsurpauit, sine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitauisse apud Siciliam, quamuis flagrante adhuc Pœnorũ bello, accepimus. Tiberius cultu, habitúque eius lenibus verbis perstricto, acerrimè increpuit, quòd contra instituta Augusti, non sponte principis, Alexandriam introisset. nam Augustus, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Aegyptum: ne fame vrgeret Italiam, quisquis eam prouinciam, claustráque terræ ac maris, quamuis leui præsidio aduersum ingentes exercitus insedisset. Sed Germanicus, nondum comperto profectionem eam incusari. Nilo subuehebatur, orsus opido à Canopo. Condídere id Spartani, ob sepultum illic rectorem nauis Canopum: qua tempestate Menelaus Græciam repetens, diuersum ad mare terrámque Lybiam delatus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenæ ortum apud se & antiquissimum pêrhibent, eósque qui posteà pari virtute fuerint, in cognomentum eius adscitos. Mox visit veterum Thebarum magna vestigia. & manebant structis molibus litteræ Aegyptiæ, prio-

A rem opulentiam complexæ: iussúsque è senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat habitasse quondam septingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu regẽ Rhamsen Libya, Aethiopia, Medísque & Persis, & Bactriano, ac Scythiâ potitum, quásque terras Suri Armeniíque & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse. B legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equorúmque & dona templis ebur, atque odores, quásque copias frumenti & omnium vtensilium quæque natio penderet, haut minus magnifica, quàm nunc vi Parthorum, aut potentia Romanâ iubentur. Cæterùm Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, vbi radiis solis ictá est vocalem sonum reddens: disiectásque inter C & vix peruias arenas, instar montium eductæ Pyramides, certamine & opibus regum lacúsque effossâ humo, superfluentis Nili receptaculá: atque alibi angustiæ, & profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperij, quòd nunc rubrum ad mare patescit. Dum ea æstas Germanico plures per prouincias transigitur, haut leue decus Drusus quæsiuit inliciens Germanos ad discordias, vtque fra- D cto iam Maroboduo vsque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis iuuenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, & tunc dubiis rebus eius, vltionem ausus. Is validâ manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptísque primoribus ad societatem, inrumpit regiam, castellúmque iuxtà situm. veteres illic Sueuorum prædæ, & nostris è prouinciis lixæ, ac negotiatores reperti, quos ius commercij, dein cupido augendi pecuniam, postremùm obliuio E patriæ suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit. Maroboduo vndique deserto, non aliud subsidium quàm misericordia Cæsaris fuit. transgressus Danubium, quà Noricam prouinciam præfluit, scripsit Tiberio, non vt profugus aut supplex, sed ex memoriâ prioris fortunæ. nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. responsum à Cæsare, tutam ei honoratámque sedem in Italiâ fore, si mane- F ret: sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide quâ venisset, ceterùm apud senatum disseruit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum, populo Romano perinde metuendos fuisse. Exstat oratio quâ magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium, & quam propinquus Italiæ hostis, suáque in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Rauennæ habitus, si quando insolescerent Sueui, quasi redituturus in regnum ostentabatur. sed non excessit Italia per duodeuiginti annos, G consenuitque multum imminuta claritate, ob nimiam viuendi cupidinem. Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium. pulsus haut multò pòst Hermundurorum opibus, & Vibilio duce, receptúsque, forum Iulium Narbonensis Galliæ coloniam mittitur. Barbari vtrúmque comitati, ne quietas prouincias immixti turbarent, Danubium vltra inter flumina Marum & Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. Simul nuntiato regem Artaxiam Ar-

meniis à Germanico datum, decreuere patres, vt Germanicus atque Drusus ouantes vrbem introirent, structi & arcus circum latera templi Martis Vltoris, cum effigie Cæsarum: lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmauerat, quàm si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporim quoque Thraciæ regem astu adgreditur. omnem eam nationem Rhœmetalces tenuerat. quo defuncto, Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permisit. In ea diuisione arua, & vrbes, & vicina Græcis, Cotyi: quod incultum, ferox, adnexum hostibus Rhescuporidi cessit. Ipsorúmq; regum ingenia, illi mite, & amœnum, huic atrox, auidum, & societatis impatiens erat. Sed primò subdola concordia egere. mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data, & resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem vtriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. enimuero audita mutatione principis, immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello. Nihil æquè Tiberium anxium habebat, quàm ne composita turbarentur. deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, ne armis disceptarent. statimque à Cotye dimissa sunt, quæ parauerat auxilia. Rhescuporis ficta modestiâ postulat, eundem in locum coiretur, posse de controuersiis colloquio transigi. nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus: cùm alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent, acciperéntque. Rescuporis sanciendo, vt dictitabat, fœderi, conuiuium adiicit, tractáque in multam noctem lætitia, per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn, & postquam dolum intellexerat, sacra regni eiusdem familiæ deos, & hospitaleis mésas obtestantem, catenis onerat. Thraciáq; omni potitus, scripsit ad Tiberium, structas sibi insidias, præuentum insidiatorem: simul bellum aduersus Bastarnas, Scytháisque prætendens, nouis peditum & equitum copiis sese firmabat. Molliter rescriptum, si fraus abesset, posse eum innocentię fidere: ceterùm neque se, neque senatum nisi cognita caussa, ius & iniuriam discreturos. proinde tradito Cotye veniret, transferrétque inuidiam criminis. Eas literas Latinius Pandus proprætor Mœsię: cum militibus quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum & iram cóctatus, maluit patrati, quàm incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet, mortémque sponte sumta ementitur. Nec tamen Cæsar placitas semel artes mutauit, sed defuncto Pando, quem sibi infésum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum veterem stipendiis, & artâ cum rege amicitia, eóque accommodatiorem ad fallendum, ob id maximè Mœsiæ præfecit. Flaccus in Thraciam transgressus, per ingentia promissa, quamuis ambiguum & scelera sua reputantem, perpulit, vt præsidia Romana intraret. circumdata hinc regi specie honoris valida manus, tribuníque, & centuriones, monendo, suadendo, & quanto longiùs abscedebatur apertiore custodia, postremò gnarũ necessitatis in vrbem traxere. Accusatus in senatu ab vxore Cotyis damnatur, vt procul regno teneretur. Thracia in Rhœmetalcen filium, quem paternis consiliis aduersatum constabat, inque liberos Cotyis diuiditur. iisque nondum adultis Trebellienus Rufus pręturâ functus datur, qui regnũ interim tractaret, exemplo, quo maiores M. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem, in Ægyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam deuectus, atque

A illic fugam tentans, an ficto crimine, interficitur.
Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoraui, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochósque, & consanguineum sibi regem Scytharum conatus est, specie venandi. omissis maritimis locis, auia saltuum petit, mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolæ ruperant audita regis fuga. neque vado penetrari pote-
B rat. Igitur in ripa fluminis, à Vibio Frontone præfecto equitum vincîtur. mox Remmius Euocatus priori custodiæ regis adpositus, quasi per iram gladio eum transigit. vnde maior fides, conscientia sceleris & metu indicij mortem Vononi inlatam. At Germanicus Aegypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut vrbes iusserat, abolita, vel in contrarium versa cognoscit. hinc graues in Pisonem contumeliæ, nec minus acerba quæ ab illo in Cæsarem tentabantur. Dein Piso abire Suriâ
C statuit, mox aduersa Germanici valetudine detentus, vbi recreatum accepit, votáque pro incolumitate soluebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochiensium plebem, per lictores proturbat. Tum Seleuciam digreditur, opperiens ægritudinem, quæ rursum Germanico acciderat. sæuam vim morbi augebat persuasio veneni à Pisone accepti: & reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquię, carmina & deuotiones, & nomen Germanici,
D plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, ac tabe obliti, aliáque maleficia quîs creditur animas numinibus infernis sacrari. simul missi à Pisone incusabantur, vt valetudinis aduersa rimantes. Ea Germanico haud minus irâ, quàm per metum accepta, si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret. quid deinde miserrimæ coniugi, quid infantibus liberis, euenturum? lenta videri veneficia: festinare & vr-
E gere vt prouinciam, vt legiones solus habeat: sed non vsque eò defectum Germanicum, neque præmia cædis apud interfectorem mansura. componit epistolas, quis amicitiam ei renuntiabat. Addunt plerique iussum prouincia decedere. nec Piso moratus vltra, nauis soluit, moderabatúrque cursui, quò propiùs regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset. Cæsar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, vbi finis aderat, adsistẽtes amicos in hunc modum alloquitur. *Si fato con-*
F *cederem, iustus mihi dolor etiam aduersus deos esset. quòd me parentibus, liberis, patriæ, intra iuuentam præmaturo exitu raperent nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus, vltimas preces pectoribus vestris relinquo, referatis patri ac fratri quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumuentus miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes mea, si quos propinquus sanguis, etiam quos inuidia erga viuentem mouebat, inlacrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum superstitem, muliebri frau-*
G *de cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum inuocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignauo questu: sed quæ voluerit meminisse, quæ mandauerit exsequi. flebunt Germanicum etiam ignoti, vindicabitis vos, si me potius quàm fortunam meam foueatis. Ostendite populo Romano diui Augusti neptem, eandémque coniugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit. fingentibúsque scelesta mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent.* Iurauere amici dextram morientis contingentes, spiritum

spem in vltionem amissuros. Tum ad vxorem versus, per memoriam sui, per communes liberos orauit, exueret ferociam, sæuienti fortunæ submitteret animum, neu regressa in vrbem æmulatione potentiæ, validiores inritaret. Hæc palam, & alia secretò, per quæ ostendere credebatur, metum ex Tiberio. Neque multò pòst extinguitur, ingenti luctu prouinciæ, & circumiacentium populorum. Indoluere exteræ nationes regésque. tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: visuque & auditu iuxtà venerabilis, cùm magnitudinem & grauitatem summæ fortunæ retineret, inuidiam & adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus & pompa, per laudes, & memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam vtrumque corpore decoro, genere insigni, haut multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse. sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus prœliatorem, etiam si temeritas abfuerit, præpeditúsque sit perculsas tot victoriis Germanias seruitio premere. quòd si solus arbiter rerum, si iure & nomine regio fuisset, tanto promtius adsecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus præstitisset. Corpus antequàm cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur. Prætulerítne veneficii signa parum constitit, nam vt quis misericordia in Germanicum, & præsumpta suspicione, aut fauore in Pisonem pronior, diuersi interpretabantur. Consultatum inde inter legatos, quique alii senatorum aderant, quisnam Suriæ præficeretur. & ceteris modicè nisis, inter Vibium Marsum & Cn. Sentium diu quæsitum. dein Marsus seniori, & acriùs tendenti Sentio concessit. Isque infamem veneficiis ea in prouincia, & Plancinæ percaram nomine Martinam in vrbem misit, postulantibus Vitellio ac Veranio, ceterisque qui crimina & accusationem tamquam aduersus receptos iam reos instruebant. At Agrippina, quamquam defessa luctu, & corpore ægro, omnium tamen quæ vltionem morarentur intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici, & liberis, miserantibus cunctis, quòd femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantes gratantésque aspici solita, tunc ferales reliquias sinu ferret, incerta vltionis, anxia sui, & infelici fecunditate fortunæ toties obnoxia. Pisonem interim apud Coum insulam nuntius adsequitur, excessisse Germanicum. Quo intemperanter accepto, cædit victimas, adit templa: neque ipse gaudium moderans, & magis insolescente Plancina, quæ luctum amissæ sororis, tum primùm læto cultu mutauit. Adfluebant centuriones, monebántque prompta illi legionum studia, repeteret prouinciam non iure ablatam, & vacuam. Igitur quid agendum consultanti, M. Piso filius properandum in vrbem censebat: nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones imbecillas aut inania famæ pertimescenda. discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, nō pœnâ: & ademtione prouinciæ, satisfactum inimicis. Quod si regrederetur, obsistente Sentio,

A ciuile bellum incipi, nec duraturos in partibus centuriones milites que, apud quos recens imperatoris sui memoria, & penitus infixus in Cæsares amor præualeret. Contra Domitius Celer ex intima eius amicitia disseruit, *Vtendum euentu: Pisonem, non Sentium, Suriæ præpositum. Huic fasces & ius prætoris, huic legiones datas. si quid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum, quàm qui legati auctoritatem, & propria mandata acceperit? Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo senescant. plerumque innocentes recenti inuidiæ impares. At si teneat exercitum, augeat vires, multa quæ prouideri non possint, fortuitò in melius casura. An festinamus cum Germanici cineribus adpellere, vt te inauditum & indefensum planctus Agrippinæ, ac vulgus imperitum, primo rumore rapiant? Est tibi Augustæ conscientia, est Cæsaris fauor, sed in occulto: & periisse Germanicum nulli iactantius mærent, quàm qui maximè lætantur.* Haut magnâ mole Piso promtus ferocibus in sententiam trahitur, missisq; ad Tiberium epistolis, incusat Germanicum luxus & superbiæ: seque pulsum, vt locus rebus nouis pateficret, curam exercitus, eadem fide qua tenuerit, repetiuisse. Simul Domitium impositum triremi vitare litorum oram, præterque insulas lato mari pergere in Suriam iubet. concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas, traiectisque in continentem nauibus, vexillum tironum in Suriam euntium intercipit. Regulis Cilicum vt se auxiliis iuuarent scribit, haut ignauo ad ministeria belli iuuene Pisone, quamquam suscipiendum bellum abnuisset. Igitur oram Lyciæ ac Pamphyliæ prælegentes, obuiis nauibus, quæ Agrippinam vehebant, vtrimque infensi arma primo expediere. dein mutua formidine, non vltra iurgium processum est. Marsúsque Vibius nuntiauit Pisoni, Romam ad dicendam caussam veniret. Ille eludens respondit, adfuturum vbi prætor, qui de veneficiis quæreret, reo atque accusatoribus diem prædixisset. Interim Domitius Laodiceam vrbem Suriæ adpulsus, cùm hiberna sextæ legionis peteret, quòd eam maximè nouis consiliis idoneam rebatur, à Pacuuio legato præuenitur. Id Sentius Pisoni per litteras aperit, monétque ne castra corruptoribus, ne prouinciam bello temtet. quósque Germanici memores, aut inimicis eius aduersos cognouerat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens, & Rempublicam armis peti: ducitque validam manum, & prœlio paratam. Nec Piso, quamquam cœpta secus cadebant, omisit tutissima è præsentibus. sed castellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celendris, occupat. Nam admixtis desertoribus, & Tirone nuper intercepto, suisque & Plancinæ seruitiis, auxilia Cilicum quæ reguli miserant, in numerum legionis composuerat, Cæsarisque se legatum testabatur *prouinciâ quam is dedisset arceri, non à legionibus (earum quippe accitu venire) sed à Sentio, priuatum odium falsis criminibus tegente. consisterent in acie, non pugnaturis militibus, vbi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum, si iure ageretur, potiorem, si armis, non inualidum, vidissent.* Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo & derupto. nam cetera mari cinguntur. Contrà veterani, ordinibus ac subsidiis instructi, hinc militum in-

de locorum asperitas. sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia ad subitum vsum properata. vt venere in manus, non vltrà dubitatum; quàm dum Romanæ cohortes in æquum eniterentur. vertunt terga Cilices, seque castello claudunt. Interim Piso classem haut procul opperientem oppugnare frustra tentauit: regressúsque, & pro muris modò semet adflictando, modò singulos nomine ciens, præmiis vocans, seditionem cœptabat: adeóque commouerat, vt signifer legionis sextæ signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubásque, & peti aggerem, erigi scalas iussit, ac promptissimum quemque succedere: alios tormentis hastas, saxa, & faces ingerere. Tandem victa pertinacia Piso orauit, vti traditis armis maneret in castello, dum Cæsar cui Syriam permitteret, consulitur. Non receptæ conditiones: nec aliud quàm naues & tutum in vrbem iter concessum est. At Romæ postquàm Germanici valetudo percrebuit, cunctáque vt ex longinquo aucta in deterius adferebantur: dolor, ira, & erumpebant questus. Ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Pisoni permissam prouinciam: hoc egisse secretos Augustæ cum Plancina sermones: vera prorsus de Druso seniores locutos, displicere regnantibus ciuilia filiorum ingenia: neque ob aliud interceptos, quàm quia populum Romanum æquo iure complecti reddita libertate agitauerint. Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, vt ante edictum magistratuum, ante senatusconsultum, sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum in ostentationem. Et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mærebant. Forte negotiatores viuente adhuc Germanico Syria egressi, lætiora de valetudine eius attulere. statim credita, statim vulgata sunt. vt quisque obuius, quamuis leuiter audita, in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt. cursant per vrbem, moliuntur templorum fores. iuuit credulitatem nox, & promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit. Honores vt quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretíque, vt nomen eius Saliari carmine caneretur, sedes curules sacerdotum Augustalium locis, supérque eas querceæ coronæ statuerentur, ludos Circenses eburna effigies præiret, néve quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Iuliæ, crearetur. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac mortem ob Remp. obiisse: sepulchrum Antiochiæ vbi crematus: tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorúmve in quîs coleretur, haut facilè quis numerum inierit, cùm censeretur clypeus auro & magnitudine insignis, inter auctores eloquentiæ, adseruit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum. neque enim eloquentiam fortunâ discerni, & satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur. Equester ordo cuneum Germanici appellauit, qui Iuniorum dicebatur, instituitque vti turmæ Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. pleraque manent, quædam statim omissa sunt, aut vetustas oblitterauit. Ceterum recenti adhuc mæstitia, soror Ger-

A manici Liuia, nupta Druso, duos virilis sexus, simul enixa est. quod rarum lætúmque etiam modicis penatibus, tanto gaudio Principem adfecit, vt non têperauerit, quin iactaret apud patres, nulli antè Romanorum eiusdem fastigij viro geminam stirpem editam. nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit. tanquam auctus liberis

B Drusus, domum Germanici magis vrgeret. Eodem anno grauibus senatus decretis libido feminarum coërcita, cautúmque ne quæstum corpore faceret, cui auus, aut pater aut maritus Eques Rom. fuisset. nam Vistilia prætoria familiâ genita, licentiam stupri apud ædiles vulgauerat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum aduersum impudicas in ipsa professione flagitij credebant. exactû & à Titidio Labeone Vistiliæ marito, cur in vxore delicti manifestâ vltionem legis omisis-

C set? atque illo prætendente sexaginta dies ad consultandum datos nec dum præteriisse, satis visum de Vistilia statuere. eáque in insulam Seriphon abdita est. Actum & de sacris Ægyptiis Iudaicisque pellendis. factúmque patrum consultum vt quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quîs idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis, & si ob grauitatem cœli interiissent, vile damnum: ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem pro-

D fanos ritus exuissent. Post quæ retulit Cæsar capiendam virginem in locum Occiæ, quæ septem & quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris præsederat: egitque grates Fonteio Agrippæ, & Domitio Pollioni, quòd offerendo filias, de officio in Remp. certarent. prælata est Pollionis filia, non ob aliud, quàm quòd mater eius in eodem coniugio manebat. Nam Agrippa dissidio domum imminuerat. & Cæsar quamuis posthabitam, decies sestertij dote solatus est. Sæ-

E uitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium, quod emtor penderet, binósque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Neque tamen ob ea parentis patriæ delatum & antea vocabulum adsumsit, acerbéque increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipsúmque dominum dixerant. vnde angusta & lubrica oratio, sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat. Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum, Adgandestrij prin-

F cipis Chattorum lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminij promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur: responsúmq; esse, non fraude neque occultis, sed palàm & armatum populum Romanum hostes suos vlcisci. qua gloria æquabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderántque. Ceterum Arminius, abscedentibus Romanis & pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium aduersam habuit: petitúsque armis, cùm varia fortuna certaret, dolo pro-

G pinquorum cecidit, liberator haut dubiè Germaniæ, & qui non primordia populi Rom. sicut alij reges ducésque, sed florentissimum imperium lacessierit: prœliis ambiguus, bello non victus. septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ expleuit: caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantùm mirantur: Romanis haut perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER III.

A Nihil intermissa nauigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam aduehitur, litrora Calabriæ contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, & nescia tolerandi. Interim aduentu eius audito, intimus quisque amicorum, & plerique militares, vt quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis è municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad opidum Brundisium, quod B nauigāti celerrimum fidelissimúmque adpulsu erat. Atque vbi primum ex alto visa classis, complentur non modò portus & proxima maris, sed mœnia ac tecta, quáque longissimè prospectari poterat, mærentium turbâ, ac rogitantium inter se, silentióne an voce aliqua egredientem exciperent. neqoe satis constabat quid pro tempore foret: cùm classis paulatim successit, non alacri vt adsolet remigio, sed cūctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis feralem vr-C nam tenens egressa naui, defixit oculos, idem omnium gemitus, neque discerneres, proximos, alienos, virorum, feminarúmve planctus, nisi quòd comitatum Agrippinæ longo mœrore fessum, obuij & recentes in dolore anteibant. Miserat duas prætorias cohortes Cæsar, addito vt magistratus Calabriæ, Apulique, & Campani, suprema erga memoriam filij sui munera fungerentur. Igitur tribunorum, centurionúmque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi D fasces: atque vbi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliáque funerum solennia cremabant, etiam quorum diuersa opida, tamen obuij, & victimas atque aras Diis Manibus statuentes, lacrymis & conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Terracinam progressus est, cum Claudio fratre, liberisque Germanici, qui in vrbe fuerant. Consules, M. Valerius & M. Aurelius (iam enim magistratum occœperant) & senatus, ac E magna pars populi viam compleuere: disiecti, & vt cuique libitum flentes. aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem malè dissimulari. Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati si palàm lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura, reperio vllo insigni officio functam, cùm super Agrippinam, & F Drusum, & Claudium, ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint: seu valetudine præpediebatur, seu victus luctu animus, magnitudinem mali perferre visu non tolerauit. facilius crediderim, Tiberio & Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam: vt par mæror, & matris exemplo, auia quoque & patruus attineri viderentur. Dies quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastum, modò ploratibus inquies: plena vrbis itinera, conlucentes per campum Martis faces. illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, concidisse Remp. nihil spei reliquum clamitabant: promptius apertiúsque, quàm vt meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetrauit, quàm studia hominum accensa in Agrippinam, cùm decus patriæ, solum Augusti sanguinem, vnicum antiquitatis specimen appellarent, versique ad cælum ac deos, integram illi subolem, ac superstitem iniquorum precarentur. Fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentque quæ in Drusum patrem Germanici honora & magnifica Augustus fecisset. ipsum quippe asperrimo hiemis, Ticinum vsque progressum, neque abscedentem à corpore simul vrbem intrauisse: circumfusas lecto Claudiorum Iuliorúmque imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris, cuncta à maioribus reperta, aut quæ posteri inuenerint cumulata. At Germanico ne solitos quidem, & cuicunque nobili debitos honores, contigisse. sanè corpus ob longinquitatē itinerum externis terris quoquo modo crematum: sed tāto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negauisset. non fratrem nisi vnius diei viâ, non patruum saltem porta tenus obuium. vbi illa veterū instituta? præpositam thoro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes & lachrymas, vel doloris imitamenta? Gnarum id Tiberio fuit. vtque premeret vulgi sermones, monuit edicto, *Multos inlustrium Romanorum ob Remp. obiisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum. idque & sibi & cunctis egregium, si modus adiiceretur. non enim eadem decora principibus viris, & imperatori, populóque, modicis domibus, aut ciuitatibus, conuenisse recenti dolore luctum, & ex mærore solatia. sed referendum iam animum ad firmitudinem, vt quondam diuus Iulius amissa vnicâ filiâ, vt diuus Augustus ereptis nepotibus, abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis: quoties populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. Principes mortales. Remp. æternam esse. proin repeterent solennia: & quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.* Tum exuto iustitio, reditum ad munia: & Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis om-

nium animis petendæ è Pisone vltionis: & crebro questu, quòd vagus interim per amœna Asię atque Achaiæ, adroganti & subdola mora, scelerum probationes subuerteret. Nam vulgatum erat missam, vt dixi, à Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam, subita morte Brundisij exstinctam, venenúmque nodo crinium eius occultatũ, nec vlla in corpore signa sumpti exitij reperta. At Piso præmisso in vrbem filio, datisque mandatis, per quæ principem molliret, ad Drusum pergit, quem haut fratris interitu trucem, quàm remoto æmulo æquiorem sibi sperabat. Tiberius quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuuenem, suetâ erga filios, familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus Pisoni, si vera forent quæ iacerentur, præcipuum in dolore suum locum respondit: sed malle falsa & inania, nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse. Hæc palàm, & vitato omni secreto: neque dubitabantur præscripta ei à Tiberio, cùm incallidus alioqui & facilis iuuenta, senilibus tum artibus vteretur. Piso Dalmatico mari tramisso, relictisque apud Anconam nauibus, per Picenum ac mox Flaminiam viam, adsequitur legionem, quæ è Pannonia in vrbem, dein præsidio Africæ ducebatur. eáque res agitata rumoribus, vt in agmine atque itinere crebrò se militibus ostentauisset. ab Narniâ, vitandę suspicionis, an quia pauidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi deuectus auxit vulgi iras, quia nauem cumulo Cæsarum adpulerat, dieque, & ripa frequenti, magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina, & vultu alacres incessere. Fuit inter inritamenta inuidiæ domus foro imminens, festo ornatu, conuiuiúmque & epulæ, & celebritate loci nihil occultum. Postera die, Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulauit. contrà Vitellius, Veranius, ceterique Germanicum comitati tendebant, nullas esse partes Trioni, neque se accusatores, sed rerum indices & testes, mandata Germanici perlaturos. Ille dimissa eius caussa delatione, vt priorem vitam accusaret obtinuit: petitúmque est à principe, cognitionem exciperet. quod ne reus quidem abnuebat, studia populi & patrum metuens: contrà, Tiberium spernendis rumoribus validum, & conscientiæ matris innexum esse: veráque aut in deterius credita, iudice ab vno facilius discerni: odium & inuidiam apud multos valere. Haut fallebat Tiberium moles cognitionis, quáque ipse fama distraheretur. Igitur paucis familiarium adhibitis, minas accusantium, & hinc preces audit, integrámque caussam ad senatum remittit. Atque interim Drusus rediens Illyrico, quamquam patres censuissent ob receptum Maroboduum, & res priore æstate gestas vt ouans iniret, prolato honore vrbem intrauit. Post quæ reo T. Arruntium, Fulcinium, Asinium Gallum, Aeserninum, Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti, iisque diuersa excusantibus, M. Lepidus, & L. Piso, & Liueneius Regulus adfuere, arrecta omni ciuitate, quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo, satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, an promeret: is haut aliàs intentior populus, plus sibi in principem occultæ vocis, aut suspicacis silentij permisit. Die senatus, Cæsar orationem habuit meditato temperamento. *Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse, adiutorém que Germanico datum à se, auctore senatu, rebus a-*

A *pud Orientem administrandis. illic contumacia &*
certaminibus asperasset iuuenem, exitúque eius lætatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis diiudicandum. Nam si legatus officij terminos, obsequium erga imperatorem exuit, eiusdémque morte, & luctu eo lætatus est, odero, seponámque à domo mea, & priuatas inimicitias non Principis vlciscar. Sin facinus in cuiuscunque mortalium nece vindicandum detegitur: vos verò & liberos Germanici, &
B *nos parentes iustis solatiis adficite. simúlque illud reputate, turbidè & seditiosè tractauerit exercitus Piso, quæsita sint per ambitionem studia militum, armis repetita prouincia, an falsa hæc in maius vulgauerint accusatores. quorum ego nimiis studiis iure succenseo. Nam quò pertinuit, nudare corpus & cõtrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista & scrutanda sunt? Defleo equidẽ filiũ meum, sempérque deflebo: sed neq; reũ prohibeo*
C *quominus cuncta proferat, quibus innocentia eius subleuari, aut si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit. vósque oro, ne quia dolori meo caussa connexa est, obiecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis, aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia & cura valet, iuuate periclitantem. Ad eundem laborem, eandem cõstantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges præstiterimus, quòd in curia potiùs quàm in foro, apud senatum quàm apud iudices, de morte e-*
D *ius inquiritur. cetera pari modestia tractentur. nemo Drusi lachrymas, nemo mæstitiam meam spectet, nec si qua in nos aduersa finguntur.* Exin biduum criminibus obiiciendis statuitur, vtque sex dierum spatio interiecto, reus per triduum defenderetur. Tũ Fulcinius vetera & inania orditur, ambitiosè, auaréq; habitam Hispaniam. quod neq; conuictũ noxæ reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. Post quem Seruæus, & Veranius, & Vitellius cõ-
E simili studio, sed multâ eloquentiâ Vitellius, obiecere, odio Germanici, & rerum nouarum studio, Pisonem vulgus militum per licentiam & sociorum iniurias eò vsque corrupisse, vt parens legionũ à deterrimis appellaretur: contrà, in optimum quemque, maximè in comites & amicos Germanici sæuisse: postremò ipsum deuotionibus & veneno peremisse: sacra hinc & immolationes nefãdas ipsius atque Plancinæ: petitam armis Remp. vtq; reus agi posset, acie victũ. Defensio in ceteris
F trepidauit. nam neq; ambitionem militarem, neq; prouinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem aduersum imperatorem infitiari poterat, solũ veneni crimen visus est diluisse. quod ne accusatores quidem satis firmabant, in conuiuio Germanici, cùm super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguẽtes. quippe absurdum videbatur, inter aliena seruitia: & tot adstantium visu, ipso Germanico coram id ausum.
G offerebátque familiam reus, & ministros in tormenta flagitabat. Sed iudices per diuersa implacabiles erant. Cæsar ob bellum prouinciæ inlatum: Senatus nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse. scripsissent expostulãtes: quod haut minus Tiberius quàm Piso abnuêre. Simul populi antè curiam voces audiebantur, non temperaturos manibus, si patrum sententias euasisset: effigiésque Pisonis traxerãt in Gemonias ac diuellebãt ni iussu principis protectę repositęq; forent. Igitur inditus lecticæ, & à tribuno prætoriæ co-

hortis

hortis deductus est: vario rumore, custos salutis, an mortis exactor sequeretur. Eadem Plancinæ inuidia, maior gratia: eóque ambiguum habebatur, quantum Cæsari in eam liceret. atque ipsa donec mediæ Pisoni spes sociam se cuiuscumque fortunæ, & si ita ferret, comitem exitij promittebat. Vt secretis Augustæ precibus veniam obtinuit, paulatim segregari à marito, diuidere defensionem cœpit. quod reus postquam sibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans: hortantibus filiis durat mentem, senatúmque rursum ingreditur: redintegratámque accusationem, infensas patrum voces, aduersa & sæua cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quàm quod Tiberium sine miseratione, sine irâ, obstinatũ clausúmque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. relatus domum, tanquam defensionem in posterũ meditaretur, pauca conscribit, obsignátque & liberto tradit. Tum solita curando corpori exsequitur. dein multam post noctem, egressa cubiculo vxore, operiri fores iussit: & cœptâ luce, perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est. Audire me memini ex seniorib. visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgauerit, sed amicos eius dictitauisse, litteras Tiberij, & mandata in Germanicum continere: ac destinatum promere apud patres, principémque arguere, ni elusus à Seiano per vana promissa foret. nec illum sponte exstinctum, verùm immisso percussore. quorum neutrum adseuerauerim. neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad iuuentam durauerunt. Cæsar flexo in mæstitiam ore, suam inuidiam tali morte quæsitam apud senatum, crebrísque interrogationibus exquirit qualem Piso diem supremum, noctémque exegisset. Atque illo pleraq; sapienter, quædam inconsultius respondente, recitat codicillos à Pisone in hunc fermè modum compositus. *Cōspiratione inimicorum, & inuidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati & innocentia mea nusquā locus est, deos immortales testor, vixisse me Cæsar cū fide aduersum te, neque aliâ in matrem tuam pietate: vósque oro liberis meis consulatis. ex quibus Cn. Piso qualicunque fortuna mea non est admixtus, cùm omne hoc tempus in vrbe egerit. M. Piso repetere Syriam dehortatus est. atque vtinam ego potius filio iuueni, quā ille patri seni cessisset! eò impensius precor, ne mea prauitatis pœnas innoxius luat. Per quinque & quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam diuo Augusto parenti tuo probatus, & tibi amicus, nec quidquam post hac rogaturus, salutem infelicis filij rogo.* De Plancina nihil addidit. Post quæ Tiberius adolescentem crimine ciuilis belli purgauit: patris quippe iussa, nec potuisse filium detrectare: simul nobilitatem domus etiam ipsius, quoquo modo meriti, graue casum miseratus. Pro Plancinâ cũ pudore & flagitio disseruit, matris preces obtendens: in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant. *id ergo fas auia, interfectricem nepotis adspicere, adloqui, eripere senatui? quod pro omnibus ciuibus leges obtineant, vni Germanico non contigisse. Vitellij & Veranij voce defletum Cæsarem: ab imperatore & Augusta defensam Plācinam. proinde venena, & artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiámque auiam ac patruum sanguine miserrimæ domus exsatiaret.* Biduum super hæc imagine cognitionis absumtum, vrgente Tiberio liberos Pisonis matrem

[A] vti tuerentur. Et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quā inuidia augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referēte Cæsare, magistratus eo etiam munere fungebantur) nomen Pisonis radendum fastis censuit: partē bonorum publicandam: pars vt Cn. Pisoni filio concederetur, ísque prænomen mutaret. M. Piso exutâ dignitate, & accepto quinquagies sestertio, in de- [B] cē annos relegaretur, concessa Plācinæ incolumitate ob preces Augustæ. Multa ex ea sententia mitigata sunt à principe: ne nomē Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonij qui bellum patriæ fecisset, Iuli Antonij qui domum Augusti violasset, manerent. & M. Pisonem ignominiæ exemit, concessítque ei paterna bona, satis firmus, vt sæpe memoraui, aduersum pecuniam, & tum pudore absolutæ Plancinæ placabilior: atque idem, cùm Valerius Messallinus signum aureum in æde [C] Martis Vltoris, Cæcina Seuerus aram vltioni statuendum censuissent, prohibuit: ob externas ea victorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda. Addiderat Messallinus, Tiberio, & Augustæ, & Antoniæ, & Agrippinæ Drusóque, ob vindictam Germanici, grates agendas, omiserátque Claudij mentionem. & Messallinum quidem L. Asprenas senatu coram percũctatus est, an prudens præterisset? ac tum demum nomē Claudij adscriptum est. Mihi quanto plura recentium, [D] seù veterum reuoluo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obuersantur. quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat. Paucis post diebus Cæsar auctor senatui fuit, Vitellio atque Veranio, & Seruæo sacerdotia tribuendi: Fulcinio suffragium ad honores pollicitus, monuit, ne facundiam violentiâ præcipitaret. Is finis fuit vlciscendâ Germanici morte, non modò apud illos homi- [E] nes qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. adeò maxima quæque ambigua sunt, dum alij quoquomodo audita pro cōpertis habent: alij vera in contrarium vertunt. & gliscit vtrumque posteritate. At Drusus vrbe egressus repetendis auspiciis, mox ouans introiit. paucósque post dies Vipsania mater eius excessit, vna omnium Agrippæ liberorum miti obitu. Nā ceteros manifestum ferro, vel creditum est, vene- [F] no aut fame exstinctos. Eodem anno Tacfarinas, quem priore æstate pulsum à Camillo memoraui, bellum in Africâ renouat, vagis primùm populationibus & ob pernicitatem inultis: dein vicos exscindere, trahere graues prædas: postremò haut procul Pagyda flumine, cohortem Romanā circumsedit. Præerat castello Decrius impiger manu, exercitus militiâ, & illam obsidionem flagitij ratus. Is cohortatus milites vt copiam pugnæ in aperto facerent, aciem pro castris instruit. Primó- [G] que impetu pulsâ cohorte, promptus inter tela occursat fugiētibus, increpat signiferos, quòd inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret. simul excepta vulnera. & quamquam transfosso oculo, aduersum os in hostem intendit, neque prœlium omisit, donec desertus suis caderet. Quæ postquam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta magis dedecore suorum, quā gloriâ hostis anxius, raro ea tempestate, & è vetere memoria facinore, decumũ quemque ignominiosę cohortis, sorte ductos, fusti necat. Tam-

túmque seueritate profectum, vt vexillum veteranorum non amplius quingenti numero, easdẽ Tacfarinatis copias, præsidium cui Thala nomen adgressas fuderint. quo prœlio Rufus Heluius gregarius miles seruati ciuis decus rettulit, donatúsque est ab Apronio torquibus & hastâ. Cæsar addidit ciuicam coronam, quòd non eam quoque Apronius iure procõsulis tribuisset, questus magis, quàm offensus. Sed Tacfarinas perculsis Numidis & obsidia aspernantibus, spargit bellum, vbi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans. & dum ea ratio barbaro fuit, inritũ fessúmque Romanũ impunè ludificabatur. Postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus prædâ, statiuis castris adhærebat. missu patris Apronius Cęsianus cum equite & cohortibus auxiliariis, quîs velocissimos legionum addiderat, prosperam aduersum Numidas pugnam facit, pellitque in deserta. At Romæ Lepida, cui super Aemiliorum decus, L. Sulla ac Cn. Pompeius proaui erant, defertur simulauisse partum ex P. Quirinio diuite atque orbo, adiiciebantur adulteria, venena, quæsitúmque per Chaldęos in domum Cæsaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinius post dictum repudium adhuc infensus, quamuis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haut facilè quis dispexerit illâ in cognitione mentem Principis: adeò vertit ac miscuit iræ & clementiæ signa, deprecatus primò senatum, ne maiestatis crimina tractarentur. Mox Marcum Seruilium è consularibus, aliósque testes inlexit ad proferenda, quæ velut reticere voluerat. idémque seruos Lepidæ, cùm militari custodia haberentur, transtulit ad consules: neque per tormenta interrogari passus est, de his quæ ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ. quod alij ciuile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret: quidam ad sæuitiam trahebãt. neque enim cessurum, nisi damnandi officio. Lepida ludorum diebus, qui cognitionem interuenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamẽtatione flebili maiores suos ciens, ipsúmque Pompeium, cuius ea monimenta & adstantes imagines visebantur, tantum misericordiæ permouit, vt effusi in lachrymas sæua & detestanda Quirinio clamitarent, cuius senectæ atque orbitati & obscurissimæ domui, destinata quondam vxor L. Cæsari, ac diuo Augusto nurus dederetur. dein tormentis seruorum patefacta sunt flagitia, itúmque in sententiam Rubellij Blandi, à quo aquâ atque igni arcebatur. Huic Drusus adsensit, quanquam alij mitius censuissent. mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum ne bona publicarẽtur. Tum demum aperuit Tiberius, compertum sibi etiam ex P. Quirinij seruis, veneno eum à Lepida petitum. Inlustrium domuum aduersa (etenim haut multum distanti tempore Calpurnij Pisonẽ, Aemilij Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus Iuniæ familiæ redditus. casum eius paucis repetam. Vt valida diuo Augusto in Remp. fortuna, ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas vrbe depulit, adulterósque earum morte aut fugâ puniuit. nam culpam inter viros ac feminas vulgatam, graui nomine læsarum religionum, ac violatæ maiestatis appellando, clementiam maiorum suásque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi,

A plures ad curas vitam produxero. D. Silanus in nepti Augusti adulter, quanquam non vltrà foret sæuitum, quàm vt amicitiâ Cæsaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit: nec nisi Tiberio imperitante deprecari Senatũ ac Principem ausus est, M. Silani fratris potentiâ, qui per insignem nobilitatem & eloquentiam præcellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano, patribus coràm respondit, se quoque lætari quòd frater eius è peregrinatione longinquâ reuertisset. idque

B iure licitum: quia non senatusconsulto, non lege pulsus foret: sibi tamen aduersus eum integras parentis sui offensiones: neque reditu Silani, dissoluta quæ Augustus voluisset. Fuit posthac in vrbe, neque honores adeptus est. Relatum deinde de moderanda Papiâ Poppęa, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario sanxerat. nec ideo coniugia & educationes liberûm frequentabantur, præualida orbitate. ceterùm multitudo periclitantium

C gliscebat, cùm omnis domus delatorum interpretationibus subuerteretur. vtque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, vt de principiis iuris, & quibus modis ad hãc multitudinem infinitam ac varietatem legum peruentum sit; altiùs disseram. Vetustissimi mortaliũ, nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eóque sine pœnâ aut coërcitionibus agebant. neque præmiis opus erat, cùm honesta suopte ingenio peterentur: & vbi nihil cõtra morẽ cuperent,

D nihil p metũ vetabãtur. At postquã exui ęqualitas, & pro modestiâ ac pudore, ambitio & vis incedebat, prouenêre dominationes: multósque apud populos, æternum mansêre. Quidam statim, aut postquam Regum pertæsum, leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis simplices erant. maximéque fama celebrant Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quæsitiores iam & plures Solon perscripsit. Nobis Romulus, vt libitum, im-

E peritauerat: dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertáque quædam à Tullo & Anco: sed præcipuus Seruius Tullius sanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarent. Pulso Tarquinio, aduersum patrũm factiones multa populus parauit tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ: creatíque decemuiri, & accitis quæ vsquam egregia, compositæ duodecim tabulæ, finis æqui iuris. nam secutæ leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamẽ dis-

F sensione ordinum, & apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros, aliáque ob praua per vim latæ sunt. Hinc Gracchi, & Saturnini, turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus, corrupti spe, aut inlusi per intercessionẽ socij. At ne bello quidem Italico, mox ciuili omissum, quin multa & diuersa sciscerentur, donec L. Sulla dictator, abolitis vel conuersis prioribus cùm plura addidisset, otium ei rei haut in longũ parauit, statim turbidis Lepidi rogationibus. ne-

G que multo pòst Tribunis reddita licẽtia, quoquò vellent populum agitandi. Iámque non modo in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones: & corruptissimâ Rep. plurimæ leges. Tum Cn. Pompeius tertiùm consul, corrigendis moribus delectus, & grauior remediis quàm delicta erant. suarúmque legum auctor idem ac subuersor, quæ armis tuebatur armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non

ius,

[illegible] impunè, ac multa honesta, exitio fuere. Sexto demum consulatu Cæsar Augustus potentiæ securus, quæ triumuiratu iusserat, aboleuit: deditque iura, quis pace & principe vteremur. acriora ex eo vincla, inditi custodes, & lege Papia Poppæa præmiis inducti, vt si a priuilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. sed altiùs penetrabant, vrbemque & Italiam, & quod vsquam ciuium, corripuerant: multorúmque excisi status, & terror omnibus intentabatur: ni Tiberius statuendo remedio, quinque consularium, quinque è prætoriis, totidem è cetero senatu sorte duxisset: apud quos exsoluti plerique legis nexus, modicum in præsens leuamentum fuere. Per idem tempus Neronem [illegible] liberis Germanici iam ingressum iuuentam, commendauit patribus, vtque munere capessendi vigintiuiratus solueretur, & quinquennio maturius quàm per leges Quæsturam peteret, non sine irrisu audientium postulauit. prætendebat sibi atque fratri decreta eadem, petente Augusto. sed neque t[illegible] fuisse dubitauerim, qui eiusmodi pre[illegible]culti inluderent. ac tamen initia fastigij Cæ[illegible]bus erant: magísque in oculis vetus mos, & p[illegible] cum vitrico ieuior necessitudo qu[illegible] auo aduersum nepotes. Additur pontificatus, & quo [illegible] primum die forum ingressus est, congiari[illegible] p[illegible] admodum lætæ, quòd Germanici stirpe[illegible] p[illegible] aspiciebat. Auctum dehinc gaudium, [illegible] Neronis & Iuliæ Drusi filiæ. Vtque [illegible] amore, ita aduersis animis a[illegible] Claudij socer Seianus destinatur. pol[illegible] nobilitatem familiæ videbantur, [illegible] iam nimiæ spei Seianum vltro extul[illegible]. Fine anni concessere vitâ insignes viri, L. Volusius, & Sallustius Crispus. Volusio vetus familia[illegible] neque tamen prætaram egressa. ipse consulatum intulit, cen[illegible] etiam potestate legendis equitum d[illegible] functus, opúmque quis domus illa immen[illegible] primus accumulator. Crispum equestri ortum loco, C. Sallustius rerum Romanarum flor[illegible]issimus auctor, sororis nepotem in nomen a[illegible]uit. atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariúmque potentiâ anteiit. diuers[illegible] a veterum instituto, per cultum & mundi[illegible]as: copiáque & affluentia, luxu propior. suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum & inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Mæcenate proximus, mox præcipuus cui secreta imperatorum innitenentur, & interficiendi Postumi Agrippæ conscius, ætate prouectâ speciem magis in amicitia principis quàm vim tenuit. idque & Mæcenati acciderat: fato potentiæ rarò sempiternæ: an satias capit, aut illos cùm omnia tribuerunt, aut hos, cùm iam nihil reliquum est quod cupiant. Sequitur Tiberij quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filij collegio insignis. nam biennio antè, Germanici cum Tiberio idem honor, neque patruo lætus, neque natura tam connexus fuerat. Eius anni principio Tiberius, quasi firmandæ valetudini, in Campaniam concessit: longam & continuam absentiam paulatim meditans, siue vt amoto patre, Drusus munia consulatus solus impleret. Ac fortè parua res magnum ad certamen progressa, præbuit iuueni materiem apiscendi fauoris. Domitius Corbulo præatura

A functus de L. Sulla nobili iuuene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum, loco non decessisset. pro Corbulone ætas, patrius mos, studia seniorum erant: contrà, Mamercus Scaurus & L. Arruntius, aliique Sullæ propinqui nitebantur. certabant orationibus, & memorabantur exempla maiorum, qui iuuentutis irreuerentiam grauibus decretis notauissent. donec Drusus apta temperandis animis disseruit, & satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus

B simul ac vitricus Sullæ, & oratorum ea ætate vberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiam itinera, fraude mancipum & incuria magistratuum interrupta & impervia clamitando, exsecutionem eius negotij libens suscepit. quod haut perinde publicè vsui habitum, quàm exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus & hastâ sæuiebat. Neque multo post missis ad senatum literis Tiberius, motam rursum Africam incursu Tacfarinatis docuit, iu-

C dicióque patrum deligendum proconsulem, gnarum militiæ, corpore validum, & bello suffecturum. quod initium Sex. Pompeius agitandi aduersus M. Lepidum odij nactus, vt socordem, inopem & maioribus suis dedecorum, eoque etiam Asiæ sorte depellendum incusauit. aduerso senatu, qui Lepidum mitem magis quàm ignauum, paternas ei angustias & nobilitatem sine probro actam, honori quàm ignominiæ habendam ducebat. Igitur missus in Asiam. Et de Africa decretum vt Cæsar

D legeret, cui mandanda foret. Inter quæ Seuerus Cæcina censuit, ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur: multum antè repetito, concordem sibi coniugem, & sex partus enixam: seque quæ in publicum statueret domi seruauisse, cohibitâ intra Italiam, quanquam ipse pluris per prouincias quadraginta stipendia expleuisset. *Haut enim frustra placitum olim, ne feminæ in socios aut gentes externas traherentur. inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formi-*

E *dine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus conuertant. non imbecillem tantum, & imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, sæuum, ambitiosum, potestatis auidum. incedere inter milites, habere ad manum centuriones: præsedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. cogitarent ipsi, quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura vxoribus obiectari. his statim adhærescere deterrimum quemque prouincialium: ab*

F *his negotia suscipi, transigi. duorum egressus coli, duo esse prætoria. peruicacibus magis & impotentibus mulierum iussis, quæ Oppiis quondam, aliisque legibus constricta, nunc vinclis exsolutis, domos, fora, iam & exercitus regerent.* Paucorum hæc adsensu audita, plures obturbabant, neque relatum de negotio, neque Cæcinam dignum tantæ rei censorem. mox Valerius Messallinus, cui parens Messalla, ineratque imago paternæ facundiæ, respondit, *Multa duritiæ veterum melius & lætius mutata. neque*

G *enim, vt olim obsideri vrbem bellis, aut prouincias hostiles esse. & pauca feminarum necessitatibus concedi, quæ ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent. cetera promiscua cum marito, nec vllum in eo pacis impedimentum. bella planè accinctis obeunda: sed reuertentibus post laborem, quod honestius quàm v[illegible]rium leuamentum? At quasdam in ambitionem aut auaritiam prolapsas. Quid ipsorum magistratuum, nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in prouinciam mitti.*

conditam multitudinem adhuc disiecit. Florus
incertis latebris victores frustratus, postremò vi-
sis militibus qui effugia insederât, suâ manu ceci-
dit. Itque Treuerici tumultus finis. Apud Aeduos
maior moles exorta, quanto ciuitas opulétior, &
comprimendi procul præsidium Augustodunum
caput gentis, armatis cohortibus, Sacrouir occu-
pauerat, nobilissimam Galliarum subolem, libe-
ralibus studiis ibi operatam, vt eo pignore paren-
tes propinquósque eorum adiungeret. simul ar-
ma occultè fabricata iuuentuti dispertit. Quadra-
ginta millia fuère, quintâ sui parte legionariis ar-
mis, ceteri cum venabulis & cultris, quæque alia
venantibus tela sunt. adduntur è seruitiis gladia-
turæ destinati, quibus more gentico continuum
ferri tegimen (Cruppellarios vocant) inferendis
ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.
augebantur hæ copiæ, vicinarum ciuitatum, vt
nondum apertâ consensione, ita viritim promptis
studiis, & certamine ducum Romanorum, quos
inter ambigebatur, vtroque bellum sibi poscente.
mox Varro inualidus senectâ, vigenti Silio con-
cessit. At Romæ non Treueros modò & Æduos,
sed quatuor & sexaginta Galliarum ciuitates de-
sciuisse, adsumptos in societatem Germanos, du-
bias Hispanias, cuncta (vt mos famæ) in maius
creditâ. optimus quisque Reip. curâ mærebat:
multi odio præsentium, & cupidine mutationis,
suis quoque periculis lætabantur. increpabant-
que Tiberium, quòd in tanto rerum motu, li-
bellis accusatorum insumeret operam. An Iu-
lium Sacrouirum, maiestatis crimine reum, in
senatu fore? exstitisse tandem viros, qui cruen-
tas epistolas armis cohiberent. miseram pacem
vel bello bene mutari. Tanto impensiùs in secu-
ritatem compositus, neque loco, neque vultu mu-
tato: sed, vt solitum; per illos dies egit: altitudine
animi, an compererat modica esse, & vulgaris le-
uiora. Interim Silius cum legionibus duabus in-
cedens, præmissa auxiliari manu, vastat Sequano-
rum pagos, qui finium extremi & Æduis conter-
mini, sociique in armis erant. Mox Augustodu-
num petit propero agmine, certantibus inter se si-
gniferis, frenente etiam gregario milite, ne sue-
tã requiem, ne spatia noctis opperiretur: viderent
modò, aduersos & aspicerētur. id satis ad victoriá.
Duodecimum apud lapidem, Sacrouir, copiæque
patentibus locis apparuere. In fronte statuerat fer-
ratos, in cornib. cohortes, à tergo semermos. Ipse
inter primores equo insigni adire, memorare ve-
teres Gallorum glorias, quæque Romanis aduer-
sa intulissent: quàm decôra victoribus libertas:
quanto intolerantior seruitus iterum victis. Non
diu hæc, nec apud lætos. etenim propinquabat le-
gionum acies, incompositique ac militiæ nescij opi-
dani, neque oculis, neque auribus satis compete-
bant. contrà Silius, & si præsumpta spes hortandi
caussas exemerat, clamitabat tamen, *Pudendum i-*
psis, quòd Germaniarum victores, aduersum Gallos,
tamquam in hostem ducerentur. vna nuper cohors
rebellem Turonium, vna ala Treuerum, pauca hu-
ius ipsius exercitus turmæ profligauere Sequanos,
quanto pecuniâ dites, & voluptatibus opulentos, tã-
to magis imbelles Aeduos, euincite, & fugientibus
consulite. Ingens ad ea clamor. & circumfudit e-
ques frontemque pedites inuasere. nec cunctatum
apud latera. paulum moræ attulere ferrati, restan-
tibus laminis aduersum pila & gladios. sed miles
correptis securibus & dolabris, vt si murum per-

A rumperet, cędere tegmina & corpora. quidam tru-
dibus aut furcis, inertem molem prosternere. ia-
centésque nullo ad resurgendum nisu, quasi exa-
nimes linquebantur. Sacrouir primò Augustodu-
num, dein metu deditionis in villam propinquam
cum fidissimis pergit. Illic suâ manu, reliqui mu-
tuis ictibus occidère. incēsa super villa, omnes cre
mauit. Tum demum Tiberius ortum patratúmq;
B bellum senatui scripsit. neq; dēpsit, aut addidit ve
ro: sed fide ac virtute legatos, se cõsiliis superfuis-
se. simul caussas, cur non ipse, non Drusus profecti
ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem im-
perij extollens: neque decorum principibus, si v-
na alteráve ciuitas turbet, omissâ vrbe, vnde om-
nia in regimen. nũc quia non metu ducatur, iturũ
vt præsentia spectaret, componerétque. Decreuê-
re patres vota pro reditu eius, supplicationésque
& alia decora. Solus Dolabella Cornelius dum an-
C teire ceteros parat, absurdam in adulationem pro-
gressus, censuit vt ouans è Campaniâ vrbem in-
troiret. Igitur secutæ Cæsaris litteræ, quibus se nõ
tam vacuum gloriá prædicabat, vt post ferocissi-
mas gentes perdomitas, tot receptos in iuuentâ,
aut spretos triumphos, iam senior peregrinatio-
nis suburbanæ inane præmium peteret. Sub idem
tempus, vt mors Sulpicij Quirinij publicis exse-
quiis frequentaretur, petiuit à senatu. Nihil ad ve-
terem & patriciam Sulpiciorum familiam Qui-
D rinius pertinuit, ortus apud municipiũ Lanuuiũ:
sed impiger militiæ, & acribus ministeriis consu-
latum sub Diuo Augusto, mox expugnatis per
Ciliciam Homonadensium, castellis insignia triũ-
phi adeptus, datúsque rector C. Cęsari Armeniam
obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem co-
luerat. qood tunc patefecit in senatu: laudatis in se
officiis, & incusato M. Lollio, quem auctorem C.
Cæsari prauitatis & discordiarum arguebat. sed
ceteris haut læta memoria Quirinij erat, ob in-
E tenta, vt memoraui, Lepidæ pericula, sordidám-
que & præpotérem senectam. Fine anni C. Luto-
rium Priscum equitem Romanum, post celebre
carmen, quo Germanici suprema defleuerat, pe-
cuniâ donatum à Cæsare, corripuit delator: obie-
ctans ægro Druso cõposuisse, quòd si extinctus fo
ret, maiore præmio vulgaretur. C. Id Lutorius in
domo P. Petronij, socru eius Vitelliâ coràm, mul-
tisque inlustribus feminis, per vaniloquentiam
legerat. Vt delator exstitit, ceteris ad dicendum te-
F stimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audi-
uisse adseuerauit. sed arguentibus, ad perniciem
plus fidei fuit, sententiáque Haterij Agrippæ con-
sulis designati indictum reo vltimum suppliciũ.
Contrà M. Lepidus in hunc modum exorsus est.
Si P.C. vnum id spectamus, quàm nefariâ voce Lu-
torius Priscus mentem suam & aures hominum pol-
luerit, neque carcer, neque laqueus, ne seruiles qui-
dem cruciatus in eum suffecerint. sin flagitia & faci-
nora sine modo sunt: suppliciis ac remediis, principis
moderatio, maiorúmque & vestra exempla tẽperant,
G *& vana à scelestis, dicta à maleficiis differunt: est lo-*
locus sententiæ, per quam neque huic delictum impu-
ne sit, & nos clementiæ simul ac seueritatis non pæ-
niteat. Sæpe audiui principem nostrum conqueren-
tem, si quis sumptâ morte misericordiam eius præ-
uenisset. vita Lutorij in integro est, qui neque serua-
tus in periculum Reip. neque interfectus in exem-
plum ibit. studia illi vt plena vecordiæ, ita inania &
fluxa sunt. nec quidquam graue ac serium ex eo me-
tuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor, non viro-

rorum animis, sed muliercularum adrepit. cedat tamen vrbe, & bonis amissis aqua & igni arceatur. Quod perinde censeo, ac si lege maiestatis teneretur. Solus Lepido Rubellius Blandus è consularibus adsensit, ceteri sententiam Agrippę secuti. ductúsque in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusauit, cùm extolleret pietatem quamuis modicas principis iniurias acriter vlciscentium, deprecaretur tam præcipitis verborũ pœnas: laudaret Lepidum, nec Agrippam argueret. Igitur factum S.C. ne decreta patrum, ante diem decimum, ad ęrariũ deferrentur: idque vitę spatium dãnatis prorogaretur. sed non senatui libertas ad pœnitẽdum erat, neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur. C. Sulpicius, D. Haterius consules, sequuntur. Inturbidus externis rebus ann', domi suspectâ seueritate aduersũ luxũ, qui immensùm proruperat, ad cũcta quîs pecunia prodigitur. Sed alia sumptuum quamuis grauiora, dissimulatis plerumque pretiis occultabantur, ventris & ganeæ paratus adsiduis sermonibus vulgati, fecerant curam, ne princeps antiquæ parcimoniæ, duriùs aduerteret. Nam incipiente C. Bibulo, ceteri quoque ædiles disseruerant, sperni sumtuariam legem, vetitáq; vtensilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remediis sisti posse. & consulti patres, integrum id negotium ad principem distulerant. Sed Tiberius sæpe apud se pensitato, an coërceri tam profusæ cupidines possent: num coërcitio plus damni in Remp. ferret. quàm indecorũ adtrectare quod non obtineretur, vel retẽtum ignominiam & infamiam virorum inlustrium posceret: postremò literas ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit. *Ceteris forsitan in rebus P.C. magis expediat me coràm interrogari, & dicere quid è Rep. censeam: in hac relatione, subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora, ac metum singulorum qui pudendi luxus arguerantur, ipse etiã viderent eos, ac velut deprehenderem. quòd si mecũ antè viri strenui ædiles consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potiùs prævalida & adulta vitia, quàm hoc adsequi, vt palàm fieret quibus flagitiis impares essemus. sed illi quidẽ officio functi sunt, vt ceteros quoque magistratus sua munia implere velim. mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non ædilis, aut prætoris, aut consulis partes sustineo: maius aliquid & excelsius à principe postulatur: & cùm rectè factorum sibi quisque gratiã trahãt, vnius inuidia ab omnib. peccatur. Quid enim primum prohibere, & priscum ad morem recidere adgrediar? villarum ne infinita spatia, familiarũ numerũ, & nationes? argenti & auri pondus? æris, tabularúmque miracula? promiscuas viris & feminis vestes? atque illa feminarum propria, quîs lapidum caussa pecunia nostra ad externas aut hostiles gentes transferuntur? Nec ignoro in conuiuiis & circulis incusari ista, & modũ posci. sed si quis legem sanciat, pœnas indicat, idẽ illi ciuitatẽ verti, splendidissimo cuiq; exitiũ parari, neminem criminis expertẽ clamitabunt. Atqui ne corporis quidẽ morbos veteres, & diu auctos, nisi per dura & aspera coërceas, corruptus simul & corruptor ager, & flagrãs animus, haud leuioribus remediis restinguendus est, quàm libidinibus ardescit. tot à maioribus reperta leges, tot quas diuus Augustus tulit, illæ obliuione, hæ (quod flagitiosius est) contemtu abolita, securiorem luxum fecère. nam si velis quod nondum vetitum est, timebis, ne vetère: at si prohibita impunè transcenderis, neque*

A *metus vltrà, neque pudor est. cur ergo olim parcimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur: quia vnius vrbis ciues eramus. ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus. externis victoriis aliena, ciuilibus, etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est, de quo ædiles admonẽt! Quã, si cetera respicias, in leuis habendum! At Hercule nemo refert, quòd Italia externæ opis indiget, quòd vita populi Romani per incerta maris & tem*B *pestatum quotidie voluitur. ac nisi prouinciarum copia & dominis, & seruitiis, & agris subuenerint, nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur? Hanc P.C. curam sustinet princeps. hæc omissa, funditus Remp. trahet. reliquis intra animum medendum est. nos, pudor, pauperes, necessitas: diuites, satias in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus, tantam industriam ac seueritatem pollicetur, vt ire obuiam queat, hunc & laudo, & exonerari laborum meorum partem fateor. sin accusare vitia volunt,* C *dein cùm gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt, ac mihi relinquunt: credite P.C. me quoque non esse offensionum auidum. quas cùm graues, & plerumque iniquas pro Rep. suscipiam, inanes & irritas, neq; mihi aut vobis vsui futuras, iure deprecor.* Auditis Cæsaris literis, remissa Aedilibus talis cura, luxúsque mensæ, à fine Actiaci belli, ad ea arma, quîs Ser. Galba rẽ R. adeptus est, per annos centum profusis sumtibus exerciti, paulatim exoleuère. Caussas eius mutationis quærere libet. D Dites olim familię, nobiliũ, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur. nam etiam tum plebem, socios, regna colere, & coli licitum. vt quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen & clientelas inlustrior habebatur. postquã cædibus sæuitum, & magnitudo famę exitio erat; ceteri ad sapientiora conuertère. simul noui homines è municipiis & coloniis, atque etiam prouinciis, in senatum crebrò adsumti. domesticam E parcimoniam intulerunt. & quamquam fortunâ vel industriâ pleriq; pecuniosam ad senectam peruenirent, mansit tamen prior animus. Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victúque. obsequium inde in principem, & æmulandi amor, validior quàm pœna ex legibus & metus. nisi fortè rebus cunctis inest quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa F laudis & artium imitanda posteris tulit. verùm hæc nobis maiores certamina ex honesto maneãt. Tiberius famâ moderationis partâ, quòd ingruẽtis accusatores represserat, mittit litteras ad senatum, quîs potestatem tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigij vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamẽ appellatione aliquâ cetera imperia præmineret. M. deinde Agrippam sociũ eius potestatis, quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, ne G successor in incerto foret. sic cohiberi prauas aliorum spes rebatur: simul modestiæ Neronis, & suæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summę rei admouet: cùm incolumi Germanico, integrum inter duos iudicium tenuisset. Sed principio litterarum veneratus, deos, vt consilia sua Reip. prosperarent, modica de moribus adolescentis, neque in falsum aucta, retulit. esse illi coniugem & tres liberos, eámque ætatem quã ipse quondam à diuo Augusto ad capessendũ hoc munus vocatus sit. Neque nunc properè, sed

per

per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem & bis consulem, noti laboris participem sumi. Præceperant animis orationem patres. quo quæsitior adulatio fuit. nec tamen repertum, nisi vt effigies principum, aras deûm, templa & arcus, aliáque solita censerent. nisi quòd M. Silanus ex contumeliâ consulatus, honorem principibus petiuit: dixitq; pro sententiâ, vt publicis priuatisve monimentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscriberentur, sed eorum qui tribuniciam potestatē gererent. At Q. Haterius, cùm eius diei senatus consulta aureis litteris figenda in curiâ censuisset, deridiculo fuit, senex fœdissimæ adulationis tantum infamiâ vsurus. Inter quæ, prouincia Africâ Iunio Blæso prorogata, Seruius Maluginensis flamen Dialis, vt Asiam sorte haberet postulauit, frustra vulgatum dictitans, *Non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum, quàm Martialium, Quirinaliúmq; Flaminum: porrò si hi duxissent prouincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris cærimoniarum reperiri. Sæpè Pontifices dialia sacra fecisse, si flamen valetudine aut munere publico impediretur. duobus & septuaginta annis post Cornelij Merulæ cædem, neminem suffectum: neque tamen cessauisse religiones. Quòd si per tot annos possit non creari, nullo sacrorum damno, quantò faciliùs abfuturū, ad vnius anni proconsulare imperiū? Priuatis olim simultatibus effectum, vt à pontificibus maximis ire in prouincias prohiberentur: nunc deûm munere, summum Pontificum etiam summū hominum esse, non æmulationi, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxium.* Aduersus quæ cùm augur Lentulus, aliique variè dissererēt, eò decursum est, vt Pontificis Max. sententiam opperirentur. Tiberius, dilatâ notione de iure Flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem cærimonias temperauit: nominatim arguens insolentiam sententiæ, aureásque litteras contra patrium morē. Recitatæ & Drusi epistolæ, quanquā ad modestiam flexæ, pro superbissimis accipiūtur. *Huc recidisse cuncta, vt ne iuuenis quidem tāto honore accepto, adiret vrbis deos, ingrederetur senatū, auspicia saltem gentile apud solum inciperet? Bellū scilicet, aut diuerso terrarum distineri, litora & lacus Campaniæ cum maximè peragrantem. sic imbui rectorem generis humani: id primū è paternis consiliis discere. sanè grauaretur aspectum ciuium senex imperator, fessámque ætatem, & actos labores prætenderet: Druso quod, nisi ex adrogantia, impedimentū?* Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui præbebat, postulata prouinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Græcas per vrbes licentia atque impunitas asyla statuendi. Complebantur templa pessimis seruitiorum. eodem subsidio obærati aduersum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec vllum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum vt cærimonias deûm protegentis. Igitur placitum vt mitterent ciuitates iura, atque legatos. Et quædam quod falsò vsurpauerant sponte omisere. Multæ vetustis superstitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnáque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regū etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipsorúmque numinum religiones introspexit, libero, vt quondam, quid firmaret mutaretve. Pri-

A mi omnium Ephesij adiêre, memorantes, non, vt vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam & oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina: deorúmq; monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopas, Iouis iram vitauisse. Mox liberum patrem B bello victorem, supplicibus Amazonum quæ aram insederant, ignouisse. Auctam hinc concessu Herculis, cùm Lydia potiretur, cærimoniam templo: neq; Persarum ditione, deminutum ius. Pòst Macedonas, deinde nos seruauisse. Proximo Magnetes, L. Scipionis, & L. Sullæ constitutis nitebantur. quorum ille Antiocho, hic Mithradate, pulsis, fidem atque virtutem Magnetum decorauēre, vti Dianæ Leucophrynæ perfugium inuiolabile foret. Aphrodisienses posthac & Stratoni- C censes dictatoris Cęsaris ob vetusta in parteis merita, & recens diui Augusti, decretum attulēre. Laudati quòd Parthorum inruptionem, nihil mutata in populum Romanum constantiâ, pertulissent. Sed Aphrodisiensiū ciuitas, Veneris, Stratonicensium, Iouis & Triuiæ religionem tuebantur. Altiùs Hierocæsarienses expoluēre, Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum. & memorabantur Perpernæ, Isaurici, multáque alia imperatorū nomina, qui non modò tē- D plo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris, quorū vetustissimum Paphiæ Veneri auctor, Aerias, pòst filius eius Amathus Veneri Amathusiæ, & Ioui Salaminio, Teucer, Telamonis patris irâ profugus, posuissent. Auditæ aliarū quoque ciuitatū legationes. Quorū copiâ fessi patres, & quia studiis certabatur, cōsulibus permisere, vt perspecto iure, & si qua iniquitas inuolueretur, rem integrā rursum ad senatum referrent. Consules super eas E ciuitates quas memoraui, apud Pergamum, Aesculapij compertum asylum retulerunt: ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. nam Smyrnæos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicauerint: Tenios eiusdem carmē referre, quo sacrare Neptuni effigiem, ædémque iussi sint. propiora Sardianos, Alexandri victoris id donum, neque minus Milesios Dario rege niti. sed cultus numinum vtrisque, Dianam aut Apollinem venerandi. Petiere & Cretenses F simulacro diui Augusti. Factáque senatusconsulta, quîs multo cum honore, modus tamen præscribebatur, iussique ipsis in templis figere æra, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur. Sub idem tempus Iuliæ Augustæ valetudo atrox, necessitudinem Principi fecit festinati in vrbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiúmque concordiâ, siue occultis odiis. Neque enim multò antè, cùm haut procul theatro Marcelli effigiem diuo Augusto Iulia dicaret, Tiberij nomen, suo postscri- G pserat. idque ille credebatur, vt inferius maiestate principis, graui & dissimulata offensione abdidisse. Sed tum supplicia diis, ludique Magni ab senatu decernuntur, quos Pontifices, & augures, & quindecimuiri, septemuiris simul & sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, vt feciales quoque iis ludis præsiderent. Contradixit Cæsar, distincto sacerdotiorum iure, & repetitis exemplis. neque enim vnquam fecialibus hoc maiestatis fuisse. ideò Augustales adie-

ctos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persoluerentur. Exequi sententias haud institui nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore: quòd præcipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, vtque prauis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit. Ceterùm tempora illa adeò infecta & adulatione sordida fuere, vt non modò primores ciuitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum qui pręturа functi, multique etiam pedarij senatores certatim exsurgerent, fœdáque & nimia censerét. Memoriæ proditur, Tiberium, quoties curia egrederetur, Gręcis verbis in hunc modum eloqui solitum, O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS! scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ seruientium patientiæ tædebat. Paulatim dehinc, ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum proconsulem Asiæ, repetundarum à sociis postulatum, Mamercus Scaurus è Consularibus, Iunius Otho prætor, Brutidius Niger ædilis, simul corripiunt. obiectántque violatum Augusti numen, spretam Tiberij maiestatem. Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam à Scipione Africano, Ser. Galbam à Catone censorio, P. Rutilium à M. Scauro accusatos. videlicet Scipio & Cato talia vlciscebantur: aut ille Scaurus, quem proauum suum, opprobrium maiorum Mamercus, infami opera dehonestabat. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Seiani potētia senator, obscura initia impudentibus ausis prætor polluebat. Brutidium artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio exstimulabat, dum æqualis, dein superiores, postremò suasmet ipse spes anteire parat. quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quæ tarda cum securitate præmatura vel cum exitio properant. Auxere numerum accusatorum Gellius Poplicola, & M. Paconius. Ille quæstor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur, sæuitiæ captarúmque pecuniarum teneri reum. sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa: cùm super tot senatores aduersus, facundissimis totius Asię, eóque ad accusandum delectis responderet solus & orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat. nō temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quòd ipse creberrimè interrogabat: neque refellere, aut eludere dabatur, ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsiuisset. Seruos quoq; Silani, vt tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat, & ne quis necessariorum iuuaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinculum & necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierū interiectu, defensionem sui deseruit, ausis ad Cæsarem codicillis, quibus inuidiam & preces miscuerat. Tiberius quæ in Silanum parabat, quò excusatiùs sub exemplo acciperentur, libellos diui Augusti de Voleso Messalla eiusdem Asiæ proconsule, factúmque in eum senatusconsultum recitari iubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat. ille multum de clementia principis præfatus, aquâ atque igni Silano interdicendum censuit, ipsúmque in insulam Gyarum relegandum. Eadem ceteri, nisi quòd Gn. Lentulus separanda Silani materna bona (quippe alia parēte geniti) reddendáque filio dixit, adnuente Tiberio. At Cornelius Dolabella, dum adulationem

A longius sequitur, increpitis C. Silani moribus, addidit, *ne quis vita probrosus, & opertus infamia prouinciam sortiretur: idque princeps dijudicaret. nam à legibus delicta puniri. quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, prouideri ne peccaretur?* Aduersum quæ disseruit Cæsar: *non quidem sibi ignara quæ de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum. multos, in prouinciis contra quam spes aut metus de illis fuerit egisse. excitari quosdam ad meliora, ma-*
B *gnitudine rerum hebescere alios. neque posse principem sua scientia cuncta complecti: neque expedire vt ambitione aliena traheretur. adeò leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. sic à maioribus institutum vt si antissent delicta, pœna sequerentur. ne verterent sapienter reperta, & semper placita. satis onerum principibus, satis etiam potentiæ: minui iura quoties gliscat potestas nec vtendum imperio, vbi legibus agi possit.* Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto lætioribus animis accepta. At-
C que ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit, insulam Gyarum immitem & sine cultu hominum esse: darent Iuniæ familiæ, & viro quondam ordinis eiusdē, vt Cytheram potius concederet. id sororem quoque Silani Torquatam, priscæ sanctimoniæ virginem expetere. In hanc sententiam facta discessio. Pòst auditi Cyrenenses, & accusante Anchario Prisco, Cæsius Cordus repetūdarum damnatur. L. Ennium equitem Romanum maiestatis postulatum, quod effi-
D giem principis promiscuum ad vsum argenti verrisset, recipi Cęsar inter reos vetuit: palàm aspernante Ateio Capitone, quasi per libertatem. *Non enim debere eripi patribus vim statuēdi, neque tantum maleficium impunè habendum. sanè lentus in suo dolore esset: Reip. iniurias ne largiretur.* Intellexit hęc Tiberius, vt erant magis, quàm vt dicebātur: perstititq; intercedere. Capito insignitior infamia fuit: quòd humani diuinique iuris sciens, e-
E gregium publicum, & bonas domi artes dehonestauisset. Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites Romani vouerant Equestri Fortunæ. nam & si delubra eius deæ multa in vrbe, nullum tamen tali cognomento erat. repertum est ædem esse apud Antium quæ sic nuncuparetur, cunctásque cærimonias Italicis in oppidis, templáque, & numinum effigies, iuris atque imperij Romani esse. ita donum apud
F Antium statuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum aduersus Seruium Maluginensem Flaminem Dialem, prompsit Cæsar: recitauitque decretum pontificum. *Quoties valetudo aduersa Flaminem Dialem incessisset, vt Pontificis maximi arbitrio, plusquam binoctium, abesset: dum ne diebus publici sacrificij, neu sæpius quam bis eundem in annum.* Quæ principe Augusto constituta, satis ostendebant, annuam absentiam & prouinciarum ad-
G ministrationem Dialibus non concedi. memorabatúrque L. Metelli Pontificis maximi exemplum, qui Aulum Posthumium Flaminem attinuisset. Ita sors Asiæ in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, conlata. Iisdem diebus Lepidus à senatu petiuit, vt basilicam Paulli, Aemilia munimenta; propriâ pecunia firmaret ornarétque. erat etiam tum in more publica munificentia. nec Augustus arguerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuuias, aut exundantis opes ornatum ad vrbis, & posterûm glo-

riam

riam conferre. quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modiens, auitum decus recoluit. At Pompeij theatrum igne fortuito haustum, Cæsar exstructurum pollicitus est, eò quòd nemo è familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeij. simul laudibus Seianum extulit, tanquàm labore vigilantiáque eius tanta vis vnum intra damnum stetisset. Et censuere patres effigiem Seiano, quæ apud theatrum Pompeij locaretur. neque multo pòst Cæsar cùm Iunium Blæsum proconsulem Africæ triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille auunculus erat. Ac tamen res Blæsi dignæ decore tali fuere. Nam Tacfarinas quamquam sæpius depulsus, reparatis per intima Africæ auxiliis, huc adrogantiæ venerat, vt legatos ad Tiberium mitteret, sedémque vltrò sibi atque exercitui suo postularet, aut bellum inexplicabile minitaretur. Non aliàs magis suâ populique contumelia Rom. indoluisse Cæsarem ferunt, quàm quod desertor & prædo, hostium more ageret. ne Spartaco quidem, post tot consulatium exercituum clades inultam Italiam vrenti, quamquam Sertorij atque Mithradatis ingentibus bellis labaret Resp. datum vt pacto in fidem acciperetur. nedum pulcherrimo populi Romani fastigio, latro Tacfarinas, pace & concessione agrorum redimeretur. Dat negotium Blæso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo poteretur. Et recepti eâ veniâ plerique. mox aduersum artes Tacfarinatis, haut dissimili modo belligeratum. Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, pluris per globos incursaret, eluderétque, & insidias simul tentaret: tres incessus, totidem agmina parantur. ex quîs Cornelius Scipio legatus præfuit, quâ prædatio in Leptinos & suffugia Garamantum. alio latere, ne Cirtensium pagi impunè traherentur, propriam manum Blæsus filius duxit. Medio, cùm delectis castella & munitiones idoneis locis imponens, dux ipse, arta & infensa hostibus cuncta fecerat: quia quoquò inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere, & sæpe à tergo erat. multique eo modo cæsi aut circumuenti. Tunc tripertitum

A exercitum plures in manus dispergit, præponitque centuriones virtutis expertæ: nec, vt mos fuerat, actâ æstate retrahit copias; aut in hibernaculis veteris prouinciæ componit: sed vt in limine belli, dispositis castellis, per expeditos & solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbat. donec fratre eius capto, regressus est: properantiùs tamen quàm ex vtilitate sociorum relictis per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius
B pro confecto interpretatus, id quoque Blæso tribuit vt Imperator à legionibus salutaretur: prisco erga duces honore, qui bene gestâ Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabatur, eràntque plures simul Imperatores, nec super ceterorum æqualitatem concessit quibusdam & Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæso. Postremum obiêre eo anno viri illustres, Asinius Saloninus, M. Agrippa & Pollione Asinio auis, fratre Druso insignis, Cæsarique progener destina-
C tus. Et capito Ateius, de quo memoraui, principem in ciuitate locum studiis ciuilibus adsecutus, sed auo centurione Sullano, patre prætorio, consulatum ei adceleraueras Augustus, vt Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora simul tulit, sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quòd præturam intra stetit, com-
D mendatio ex iniuria: huic, quòd consulatum adeptus est, odium ex inuidia oriebatur. Et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno supremum diem expleuit, Catone auunculo genita, C. Cassij vxor, M. Bruti soror. Testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit: quia in magnis opibus, cùm fermè cunctos proceres cum honore nominasset, Cæsarem omisit. quod ciuiliter acceptum: neque prohibuit quo minus laudatione pro rostris, ceterísque sollennibus fu-
E nus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlij, Quinctij, aliáque eiusdem nobilitatis nomina: sed præfulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso, quòd effigies eorum non visebantur.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER IIII.

CAsinio, C. Antistio Coss. nonus Tiberiò annus erat compositæ Reip. florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat) cùm repentè turbare fortuna cœpit, sæuire ipse, aut sæuientibus vires præbere. Initium & caussa penes Aelium Seianum, cohortibus prætoriis præfectum: cuius de potentia suprà memoraui. Nunc originem, mores, & quo faci-

nore dominationem raptum ierit, expediam. Genitus Vulsiniis, patre Seio Strabone equite Romano, & primâ iuuentâ C. Cæsarem diui Augusti nepotem sectatus, non sine rumore Apicio diuiti & prodigo stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus deuinxit adeò, vt obscurum aduersùm alios, sibi vni incautum intectúmque efficeret. nun tam sollertia, (quippe iisdem artibus victus est) quàm deûm irâ in rem Romanam, cuius pari exitio viguit, ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in alios criminator, iuxtà adulatio & superbia. palàm compositus pudor, intus summa apiscendi libido: eiúsque caussa, modò largitio & luxus, sæpiùs industria ac vigilantia, haut minus noxiæ, quoties parando regno finguntur. Vim præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per vrbem cohortes vna in castra conducendo, vt simul imperia acciperent, numeróque & robore, & visu inter se, fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur. Prætendebat lasciuire militem diductum: si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subueniri. & seueriùs acturos, si vallum statuatur procul vrbis inlecebris. Vt perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando: simul centuriones ac tribunos ipse delig[illegible] neque senatorio ambitu abstinebat, clientes [illegible] honoribus aut prouinciis ornando, facili Tiberio, atque ita prono, vt socium laborum, non modò in sermonibus, sed apud patres & populum celebraret, colique per theatra & fora effigies eius, intérque principia legionum fineret. Ceterùm plena Cæsarum domus, iuuenis filius, nepotes adulti, morá cupitis adferebant. & quia vi tot simul corripere intutum, dolus interualla scelerum poscebat. placuit tamen occultior via, & à Druso incipere, in quem recenti irâ ferebatur. Nam Drusus impatiens æmuli, & animo commotior, orto fortè iurgio, intenderat Seiano manus, & contra tendentis os verberauerat. Igitur cuncta tentanti promtissimum visum, ad vxorem eius Liuiam conuertere. Quæ soror Germanici, formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc, vt amore incensus, adulterio pellexit. & postquam primi flagitij potitus est, neque femina amissâ pudicitiâ alia abnuerit, ad coniugij spem, consortium regni, & necem mariti impulit. Atque illa cui auunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores & posteros municipali adultero fœdabat: vt pro honestis & præsentibus, flagitiosa & incerta exspectaret. Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liuiæ, specie artis frequens secretis. pellit domo Seianus vxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. Sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diuersa interdum cōsilia adferebat. Interim anni principio, Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit. quæq; fratri eius Neroni decreuerat senatus, repetita. addidit orationem Cæsar multa cum laude filij sui, quòd patriâ beneuolentiâ in fratris liberos foret. Nam Drusus (quanquam arduum sit, eodem loci potentiam & concordiam esse) æquus adolescentibus, aut certè non aduersus habebatur. Eam vetus & sæpe simulatum proficiscendi in prouincias consilium refertur. multitudinem veteranorum prætexebat imperator, & delectibus supplendos exercitus. nam voluntarium militem deesse. ac si

A suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere: quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant, percensuitque cursim numerum legionum, & quas prouincias tutarentur. Quod mihi quoque exsequendum reor, quæ tum Romana copia in armis, qui socij reges, quanto sit angustius imperitatum. Italiam vtroque mari duæ classes, Misenum apud & Rauennam, proximúmque Galliæ litus rostratæ naues præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in opidum Foro-
B iuliense miserat, valido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallósque subsidium, octo legiones erant. Hispaniæ recens perdomitæ, tribus habebātur. Mauros Iuba rex acceperat, donum populi Romani. cetera Africæ, per duas legiones, paríque numero Aegyptus. dehinc initio ab Syria vsque ad flumen Euphratem, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coërcita, accolis Hybero, Albanóque, & aliis regibus, qui
C magnitudine nostra proteguntur aduersùm externa imperia. & Thraciam Rhœmetalces, ac liberi Cotyis: ripámque Danubij, legionum duæ in Pannonia, duæ in Mœsia attinebant. totidem apud Dalmatiam locatis, quæ positu regionis à tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia posceret, haut procul accirentur. quamquam insideret vrbem proprius miles, tres vrbanæ, nouem prætoriæ cohortes, Etruria fermè Vmbriáque delectæ, aut vetere Latio, & coloniis antiquitus Ro-
D manis. At apud idonea prouinciarum sociæ triremes, alæque, & auxilia cohortium. neque multò secus in iis virium: sed persequi incertum fuerit: cùm ex vsu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, & aliquando minuerentur. Congruens crediderim recensere ceteras quoque Reip. partes, quibus modis ad eam diem habitæ sint: quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primùm publica negotia, & priuatorum maxima, apud patres tra-
E ctabantur. dabatúrque primoribus disserere: & in adulationem lapsos, cohibebat ipse, mandabátque honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, inlustres domi artes spectando: vt satis constaret, non alios potiores fuisse. sua consulibus, sua prætoribus species. Minorum quoque magistratuum exercita potestas, legésque, si maiestatis quæstio eximeretur, bono in vsu. At frumenta, & pecuniæ vectigales, cetera pu-
F blicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur. Res suas Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat: semelque adsumti tenebantur, prorsus sine modo, cùm plerique iisdem negotiis, insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex principe. quin infecunditati terrarum, aut asperis maris obuiam iit, quantum impendio, diligentiáque poterat. & ne prouinciæ nouis oneribus turbarentur, vtque
G vetera sine auaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, prouidebat. corporum verbera, ademtiones bonorum aberant. Rari per Italiam Cæsaris agri, modesta seruitia, intra paucos libertos domus: ac si quando cum priuatis disceptaret, forum & ius. quæ cuncta, non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur. nam dum superfuit, mansere: quia Seianus incipiēte adhuc potentia, bonis cōsiliis notescere

vole-

volebat,& vltor metuebatur, non occultus odij, & crebrò querens, *incolumi filio adiutorem imperij alium vocari. & quantum superesse vt collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo, vbi sis ingressus, adesse studia & ministros. exstructa iam sponte præfecti castra, datos in manum milites: cerni effigiem eius in monumentis Cn. Pompeij: communes illi cum familiâ Drusorum fore nepotes. precandam post hæc Modestiam, vt contentus esset.* Neq; rarò, neq; apud paucos talia iaciebat: & secreta quoque eius, corruptâ vxore, prodebantur. Igitur Seianus maturandum ratus, deligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adsimularetur. Id Druso datum per Lygdum Spadonem, vt octo post annos cognitum est. Ceterùm Tiberius per omnes valetudinis eius dies, nullo metu, an vt firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est. consulésque sede vulgari per speciem mæstitiæ sedentes, honoris locique admonuit; & effusum in lacrymas senatum, victo gemitu, simul oratione continuâ erexit. *Non quidem sibi ignarum, posse argui, quòd tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem adspici à plerisque lugentium. neq; illos imbecillitatis damnandos; se tamen fortiora solatia è complexu Reip. petiuisse.* Miseratúsq; Augustæ extremam senectam, rudem adhuc nepotum, & vergentem ætatem suam, vt Germanici liberi, vnica præsentium malorum lenamenta, inducerentur, petiuit. Egressi consules, firmatos adloquio adolescentulos, deductósque ante Cæsarem statuunt. Quibus adprehensis, *Patres conscripti, Hos,* inquit, *orbatos parente, tradidi patruo ipsorum, precatúsque sum, quamquam esset illi propria suboles, ne secus quàm suum sanguinem foueret ac tolleret, sibique & posteris conformaret. erepto Druso, preces ad vos conuerto, diísque & patriâ coràm obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis maioribus genitos suscipite, regite: vestram meamque vicem explete. Hi vobis Nero & Druse parentum loco. ita nati estis, vt bona maláque vestra ad Remp. pertineant.* Magno ea fletu, & mox precationibus faustis audita, ac si modum orationi posuisset; misericordiâ sui gloriáque animos audientium impleuerat. ad vana & toties irrisa reuolutus, de reddenda Rep. vtque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoq; & honesto fidem demsit. Memoriæ Drusi eadem quæ in Germanicum decernuntur: plerisque additis, vt fermè amat posterior adulatio. Funus imaginum pompâ maximè inlustre fuit, cùm origo Iuliæ gentis Aeneas, omnésq; Albanorum reges, & conditor vrbis Romulus, pòst Sabina nobilitas. Attus Clausus, ceteræq; Claudiorum effigies, longo ordine spectarentur. In tradendâ morte Drusi, quæ plurimis maximéque fidis auctoribus memorata sunt, rettuli. sed non omiserim eorundem temporum rumorem validum adeò, vt nondum exolescat. Corrupta ad scelus Liuia, Seianum Lygdi quoq; Spadonis animum stupro vinxisse: quòd is Lygdus ætate atque forma carus domino, intérque primores ministros erat. deinde inter conscios, vbi locus veneficij, tempusq; composita sint, eò audaciæ prouectum, vt verteret, & occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium, vitandam potionem quæ prima ei apud filium epulanti offerretur, ea fraude tum senem, postquam conuiuium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse. atque illo ignaro & iuueni-

A liter hauriente, auctam suspicionem, tamquam metu & pudore, sibimet inrogaret mortem quam patri struxerat. Hæc vulgo iactata, super id quòd nullo auctore certo firmantur, promptè refutaueris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque suâ manu & nullo ad pœnitendum regressu? Quin potiùs ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret. insita denique etiam in extraneos cunctatione & mora, aduersùm vni- B cum, & nullius antè flagitij compertum vteretur. Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Cæsaris, & ceterorum in vtrumque odiô; quamuis fabulosa & immania credebantur: atrociore semper fama, erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus; tormentis Eudemi, ac Lygdi patefactus est. neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, vt Tiberio obiectaret, cùm omnia alia conquirerent, inten- C deréntque. Mihi tradendi arguendique rumoris caussa fuit, vt claro sub exemplo falsas auditiones depellerem, peterémque ab iis quorum in manus cura nostra venerit, ne diuulgata atque incredibilia, auidè accepta, veris neque in miraculum corruptis antehabeant. Ceterùm laudante filium pro rostris Tiberio, senatus populúsque habitum ac voces dolentum, simulatione magis quàm libens induebat, domúmque Germanici reuiuiscere occulti lætabantur. Quod principium D fauoris, & mater Agrippina spem malè regens, perniciem adcelerauere. Nam Seianus vbi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mærore publico esse, ferox scelerum, & quia prima prouenerant, volutare secum, quo nam modo Germanici liberos peruerteret, quorum non dubia successio. neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabili. Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustæ odium, recentem E Liuiæ conscientiam exagitare; vt superbiam fecunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi, apud Cæsarem arguerent. Atque hæc callidis criminatoribus (inter quos delegerat Iulium Posthumum per adulterium Mutiliæ Priscæ inter intimos auiæ, & consiliis suis peridoneum: quia Prisca in animo Augustæ valida) anum suapte natura potentiæ anxiam, insociabilem nurui efficiebat. Agrippinæ quoque proximi inliciebantur, prauis sermonibus tumidos F spiritus perstimulare. At Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius ciuium, preces sociorum tractabat. Factáque auctore eo senatusconsulta, vt ciuitati Cibyraticæ apud Asiam, Aegitensi apud Achaiam motu terræ labefactis, subueniretur remissione tributi in triennium. Et Vibius Serenus proconsul vlterioris Hispaniæ de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum in insulam Amorgum deportatur. Carsius Sacerdos reus, tanquam G frumento hostem Tacfarinatem iuuisset, absoluitur: eiusdémque criminis C. Gracchus. Hunc comitem exsilij admodum infantem, pater Sempronius in Insulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres & liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur. nec tamen effugit magnæ fortunæ pericula. Ac ni Aelius Lamia & L. Apronius, qui Africam obtinuerant

insontem protexissent, claritudine infausti gene-
ris,& paternis aduersis foret abstractus. Is quoque
annus legationes Græcarum ciuitatum habuit,
Samiis Iunonis, Cois Aesculapij delubro, vetustũ
asyli ius vt firmaretur, petentibus. Samij decreto
Amphictyonum nitebantur, quîs præcipuum fuit
rerum omnium iudicium, quâ tempestate Græci
conditis per Asiam vrbibus orâ maris potiebantur.
Neque dispar apud Coos antiquitas. & acce-
debat meritum ex loco. Nam ciues Romanos
templo Aesculapij induxerant, cùm iussu regis
Mithradatis apud cunctas Asiæ insulas & vrbes
trucidarentur. Variis dehinc & sæpiùs irritis præ-
torum questibus, postremò Cæsar de immodestia
histrionum rettulit. Multa ab iis in publicum se-
ditiosè, fœda per domos tentari. Oscum quondam
ludicrum leuissimæ apud vulgum oblectationis,
eò flagitiorum & virium venisse, vt auctoritate
patrum coërcendum sit. Pulsi tum histriones Ita-
liâ. Idem annus alio quoque luctu Cæsarem adfi-
cit, alterum ex geminis Drusi liberis extinguen-
do: neque minus morte amici. Is fuit Lucillius
Longus, omnium illi tristium lætorúmque socius
vnúsque è senatoribus Rhodij secessus comes. Ita
quamquam nouo homini, censorium funus, effi-
giem apud forum Augusti, publicâ pecuniâ pa-
tres decreuere: apud quos etiam tum cuncta tra-
ctabantur. adeò vt procurator Asiæ Lucillius Ca-
pito, accusante prouincia caussam dixerit, magnâ
cum adseueratione principis, non se ius nisi in ser-
uitia & pecunias familiares dedisse. quòd si vim
prætoris vsurpasset, manibúsque militum vsus
foret, spreta in eo mandata sua, audirent socios. Ita
reus, cognito negotio, damnatur. Ob quam vltio-
nem, & quia priore anno in C. Silanum vindica-
tum erat, decreuere Asiæ vrbes templum Tiberio
matrique eius, ac senatui. Et permissum statuere.
Egitque Nero grates eâ caussâ patribus atque auo
lætas inter audientium adfectiones. qui, recenti
memoriâ Germanici, illum adspici, illum audiri
rebantur. aderantque iuueni modestia, ac forma,
principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob
periculum gratiora. Sub idem tempus de flamine
Diali in locum Seruij Maluginensis defuncti le-
gendo, simul rogandâ nouâ lege, disseruit Cæsar.
Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres
simul nominari, ex quis vnus legeretur, vetusto more:
neque adesse, vt olim, eam copiam, omissa confarrean-
di adsuetudine, aut inter paucos retentâ. pluresque
eius rei caussas adferebat: potissimam, penes incuriam
virorum feminarúmque. Accedere ipsius cærimoniæ
difficultates, quæ consultò vitarentur. Et quando exi-
ret è iure patrio, qui id flaminium apisceretur, quæ-
que in manum flaminis conueniret. Ita medendum
senatus decreto, aut lege: sicut Augustus quædam ex
horridâ illâ antiquitate ad præsentem vsum flexisset.
Igitur tractatis religionibus, placitum, instituto
flaminum nihil demutari. Sed lata lex, quâ flami-
nica Dialis sacrorum caussâ in potestate viri, ce-
tera promiscuo feminarum iure ageret. & filius
Maluginensis patri suffectus. Vtque glisceret di-
gnatio sacerdotum, atque ipsis promptior ani-
mus foret ad capessendas cærimonias, decretum
Corneliæ virgini, quæ in locum Scantiæ capieba-
tur, HS. xx. & quoties Augusta theatrum in-
troisset, vt sedes inter Vestalium consideret. Cor-
nelio Cethego, Visellio Varrone Coss. Pontifices
eorúmque exemplo ceteri sacerdotes. cùm pro in-
columitate principis vota susciperent, Neronem

A quoque & Drusum iisdem diis commendauere:
non tam caritate iuuenum, quàm adulatione: quæ
moribus corruptis, perinde anceps si nulla, & vbi
nimia est. Nam Tiberius haut vnquam domui
Germanici mitis, tum verò æquari adolescentes
senectæ suæ impatienter indoluit: accitósque Pon-
tifices percũctatus est, num id precibus Agrippi-
næ aut minis tribuissent. Et illi quidem quam-
quam abnuerent, modicè perstricti, (etenim pars
B magna è propinquis ipsius, aut primores ciuitatis
erant:) ceterùm in senatu, oratione monuit in po-
sterum, ne quis mobiles adolescentium animos,
præmaturis honoribus ad superbiam extolleret.
instabat quippe Seianus, incusabátque diductam
ciuitatem, vt ciuili bello, esse qui se partium A-
grippinæ vocent: ac ni resistatur, fore pluris. neque
aliud gliscentis discordiæ remedium, quàm si v-
nus, alterve maximè prompti subuerteretur. Quâ
caussâ C. Silium & Titium Sabinum adgreditur.
C amicitia Germanici perniciosa vtrique. Silio, &
quòd ingentis exercitus septem per annos mode-
rator, partísque apud Germaniam triumphalibus
Sacrouiriani belli victor, quanto maiore mole
procideret, plus formidinis in alios dispergebatur.
credebant plerique auctam offensionem ipsius in-
temperantia, immodicè iactantis, suum militem
in obsequio durauisse, cùm alij ad seditiones pro-
laberentur: neque mansurum Tiberio imperium,
si iis quoque legionibus cupido nouandi fuisset.
D Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparém-
que tanto merito rebatur. Nam beneficia eò vsque
læta sunt, dum videntur exsolui posse: vbi multùm
anteuenêre, pro gratiâ odium redditur. Erat vxor
Silio Sosia Galla, caritate Agrippinæ inuisa prin-
cipi. Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placi-
tum: immissúsque Varro consul, qui paternas ini-
micitias obtendens, odiis Seiani per dedecus suum
gratificabatur. precante reo breuem moram, dum
accusator consulatu abiret, aduersatus est Cæsar:
E solitum quippe magistratibus, diem priuatis dice-
re. nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis
niteretur, ne quod resp. detrimentum caperet.
Proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta
priscis verbis obtegere. Igitur multa adseueratio-
ne, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Var-
ro consul, aut illud Resp. esset, coguntur patres: si-
lente reo, vel si defensionem cœptaret, non occul-
tante cuius irâ premeretur. Conscientia belli, Sa-
F crouir diu dissimulatus, victoria per auaritiam
fœdata, & vxor Sosia arguebantur. nec dubiè re-
petundarum criminibus hærebant. sed cuncta
quæstione maiestatis exercita: & Silius imminen-
tem damnationem voluntario fine præuertit. Sæ-
uitum tamen in bona, non vt stipendiariis pecu-
niæ redderentur, quorum nemo repetebat: sed li-
beralitas Augusti auulsa, computatis singillatim
quæ fisco petebantur. ea prima Tiberio erga pe-
cuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exilium
G pellitur Asinij Galli sententiâ, qui partem bono-
rum publicandam, pars vt liberis relinqueretur,
censuerat. contra M. Lepidus quartam accusatori-
bus secundùm necessitudinem legis, cetera liberis
concessit. Hunc ego Lepidum, tẽporibus illis gra-
uem & sapientem virum fuisse comperio. Nam
pleraque ab sæuis adulationibus aliorum, in me-
lius flexit: neque tamen temperamenti egebat,
cùm æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium
viguerit. vnde dubitare cogor, fato & sorte nascẽ-
di, vt cetera, ita principum inclinatio in hos, offẽ-
sio

...quam in illos. an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messallinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diuersus, censuit cauendum senatusconsulto, vt quanquam insontes magistratus & culpæ alienæ nescij, prouincialibus vxorum criminibus, perinde quàm suis plecterentur. Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro. Is namque, vt retuli, cessurum se vrbe ob factiones accusatorum in senatu clamitauerat: & spreta potentia Augustæ, trahere in ius Vrgulaniam, domoque principis excire ausus erat. Quæ in præsens Tiberius ciuiliter habuit. Sed in animo reuoluente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat: Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusauit aduersum maiestatem habiti, adiecitque in domo eius venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam. Quod vt atrocius vero tramissum. ceterorum quæ multa cumulabantur, receptus est reus; neque peractus ob mortem opportunam. Relatum & de Cassio Seuero exsule, qui sordidæ originis, maleficæ vitæ: sed orandi validus, per immodicas inimicitias, vt iudicio iurati senatus Cretam amoueretur, effecerat: atq; illic eadem actitando, recentia veteraque odia aduertit: bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio cõsenuit. Per idem tempus Plautius Siluanus prætor, incertis caussis Aproniam coniugem in præceps iecit: tractúsque ad Cæsarem ab L. Apronio socero, turbatâ mente respondit, tamquam ipse somno grauis atque eò ignarus, & vxor sponte mortem sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum, in quo reluctantis & impulsæ vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque iudicibus Vrgulania Siluani auia pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum quasi principis monitu, ob amicitiam Augustæ cum Vrgulania. Reus frustra tentato ferro, venas præbuit exsoluendas. Mox Numantina prior vxor eius accusata iniecisse carminibus & veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur. Is demum annus populum Romanum longo aduersum Numidam Tacfarinatem bello absoluit. Nam priores duces, vbi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant. Iamque tres laureatæ in vrbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui Ptolemæo Iubæ filio iuuenta incurioso, libertos regios, & seruilia imperia bello mutauerant. Erat illi prædarum receptor ac socius populandi, rex Garamantum, non vt cum exercitu incederet: sed missis leuibus copiis, quæ ex longinquo in maius audiebantur: ipsaque è prouincia, vt quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptiùs ruebant, quia Cæsar post res à Blæso gestas; quasi nullis iam in Africa hostibus, reportari Nonam legionem iusserat: nec proconsul eius anni P. Dolabella retinere ausus erat, iussa principis magis quàm incerta belli metuens. Igitur Tacfarinas, disperso rumore, rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari, eóque paulatim Africa decedere, ac posse reliquos circumueniri, si cuncti, quibus libertas seruitio potior, incubuissent: auget vires, positísque castris Thubuscum opidum circumsidet. At Dolabella contracto quod erat militum, terrore nominis Romani, & quia Numidæ peditum

A aciem ferre nequeunt, primo sui incessu soluit obsidium, locorumque opportuna permuniuit, simul principes Musulaniorum defectionem cœptantes securi percutit. Dein quia pluribus aduersum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non graui nec vno incursu consectandum hostem vagum: excito cum popularibus rege Ptolemæo, quatuor agmina parat, quę legatis ac tribuni data: & prædatorias manus, delecti Maurorum

B duxere. Ipse consultor aderat omnibus. Nec multo pòst affertur, Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse: fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. Tum expeditæ cohortes alæque, quam in partem ducerentur ignaræ, citò agmine rapiuntur. Simúlque cœptus dies, & concentu tubarum, ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros: præpedi-

C tis Numidarum equis, aut diuersos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositæ turmæ, cuncta prœlio prouisa: hostibus contra omnium nesciis, non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo, trahi, occidi, capi. Infensus miles memoria laborum, & aduersum eludentes optatæ toties pugnæ, se quisque vltione & sanguine explebât. Differtur per manipulos Tacfarinatem omnes notum tot prœliis consectentur: non nisi duce interfecto, requiem belli

D fore. At ille deletis circùm stipatoribus, vinctoque iam filio, & effusis vndique Romanis; ruendo in tela, captiuitatem haud inultâ morte effugit. Isq; finis armis impositus. Dolabellę petẽti abnuit triũphalia Tiberius, Seiano tribuẽs, ne Blęsi auunculi eius laus obsolesceret. Sed neque Blæsus ideo illustrior, & huic negatus honor gloriã intendit. Quippe minore exercitu, insignes captiuos, cædẽ ducis, bellique confecti famam deportarat. Sequebantur & Garamantũ legati raro in vrbe visi,

E quos Tacfarinate cæso, perculsa gens, & culpæ nescia, ad satisfaciendum populo Rom. miserat. Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos, missúsque è senatoribus qui Scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regémque & socium atque amicum appellaret. Eadem æstate, mota per Italiã seruilis belli semina fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius quondam prætoriæ cohortis miles, primò cœtibus clandestinis, apud Brundi-

F sium, & circumiecta oppida: mox positis propalàm libellis, ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus & ferocia seruitia: cum velut munere Deũm, tres biremes adpulere ad vsus cõmeantiũ illo mari. Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quęstor, cui prouincia vetere ex more Cales euenerat. Is dispositâ classiariorum copiâ, cœptantem cum maximè coniurationem disiecit. Missúsque a Cæsare properè Staius tribunus cum valida manu, ducem ipsum & proximos audaciæ in vrbem traxit, iam trepidam, ob multitudinem

G familiarum, quæ gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenuâ. Iisdem cõsulibus miseriarum ac sæuitiæ exemplum atrox, reus pater, accusator filius, nomẽ vtriq; Q. Vibius Serenus; in senatum inducti sunt, ab exsilio retractus, illuuiéque ac squalore obsitus, & tum catenâ vinctus perorante filio. Præparatus adolescẽns multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias, missosque in Galliam concitores belli, index idem & testis dicebat, adnectebátque Cæcilium Cornutum præ-

Cornutum ministrasse pecuniam. qui tædio curarum, & quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinauit. At contrà reus nihil infracto animo, obuersus in filium, quatere vincula, vocare vltores deos, vt sibi quidem redderent exilium, vbi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. Adseuerabatque innocentem Cornutum, & falsa exterritum. idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se cædem principis & res nouas vno socio cogitasse. Tum accusator Cn. Lentulum & Seium Tuberonem nominat: magno pudore Cæsaris, cum primores ciuitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis, & turbandæ Reip. accerserentur. Sed hi quidem statim exempti. In patrem ex seruis quæsitum: & quæstio aduersa accusatori. qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, robur & saxum, aut parricidarum pœnas minitantium, cessit vrbe. ac retractus Rauennâ, exsequi accusationem adigitur: non occultante Tiberio, vetus odium aduersus exulem Serenum. nam post damnatum Libonem, missis ad Cæsarem litteris exprobrauerat, suum tantum studium sine fructu fuisse. addideratque quædam contumacius, quam tutum apud aures superbas & offensioni promptiores. ea Cæsar octo post annos retulit, medium tempus variè arguens, etiam si tormenta, peruicacia seruorum, contrà euenissent. Dictis dein sententiis, vt Serenus more maiorum puniretur, quo molliret inuidiam, intercessit. Gallus Asinius, cum Gyaro aut Donusa claudendum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquæ vtramque insulam referens, dandósque vitæ vsus, cui vita concederetur. ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus suâ manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vitâ priuauisset. ibatúrque in eam sententiam, ni durius contráque morem suum palàm pro accusatoribus Cæsar irritas leges, Remp. in præcipiti conquestus esset: subuerterent potius iura, quàm custodes eorum amouerent. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum, per præmia eliciebantur. His tam adsiduis tamque mœstis modica lætitia intericitur, quod C. Cominium equitem Romanũ probrosi in se carminis conuictum, Cæsar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum, & quæ fama clementiam sequeretur, tristiora malle. neque enim socordia peccabat: nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbratâ lætitia, facta imperatorum celebrentur. quin ipse compositus aliàs, & velut eluctantium verborum, solutius promptiúsque eloquebatur, quoties subueniret. At P. Suilium quæstorem quondam Germanici, cum Italia arceretur conuictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amouendum in insulam censuit, tanta contentione animi, vt & iurando obstringeret è Rep. id esse. Quod asperè acceptum ad præsens, mox in laudem vertit, regresso Suilio: quem vidit sequens ætas præpotentem, venalem, & Claudii principis amicitia diu prosperè, nunquam bene vsum. Eadem pœna in Catum Firmium senatorem statuitur, tamquam falsis maiestatis criminibus sororem petiuisset. Catus, vt retuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio per-A culerat. eius operæ memor Tiberius, sed alia prætendens, exilium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit. Pleraque eorum quæ retuli, quæque referam, parua forsitan, & leuia memoratu videri non nescius sum. sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuêre. Ingentia illi bella, expugnationes vrbium, fusos captósque reges, aut, si quando ad interna præuerterent, discordias consulum aduersum tri-B bunos, agrarias frumentariásque leges, plebis & optimatium certamina, libero egressu memorabant. Nobis in arto, & inglorius labor. Immota quippe aut modicè lacessita pax, mœstæ vrbis res, & princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen sine vsu fuerit, introspicere illa primo aspectu leuia: ex quis magnarum sæpe rerum motus oriuntur. Nam cunctas nationes & vrbes, populus, aut primores, aut singuli regunt. delecta ex his & constituta Reip. forma, laudari facilius, C quam euenire, vel si euenit, haud diuturna esse potest. Igitur vt olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, senatúsque & optimatium ingenia, qui maximè perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur, sic conuerso statu, neque alia rerum quam si vnus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit. quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus, vtilia ab noxiis discernunt: plures, aliorum euentis D docentur. ceterùm vt profutura, ita minimum oblectationis adferunt. nam situs gentium, varietates prœliorum, clari ducum exitus, retinent ac redintegrant legentium animum: nos sæua iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & easdem exitii caussas coniungimus: obuia rerum similitudine, & satietate. Tum quòd antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanásne acies lætius extuleris: at multorum qui Tiberio re-E gente pœnam vel infamiam subiere, posteri manent. vtque familiæ ipsæ iam extinctæ sint, reperies qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi obiectari putent. etiam gloria ac virtus infensos habet, vt nimis ex propinquo diuersa arguens. Sed ad incepta redeo. Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus postulatur, nouo ac tunc primum audito crimine, quòd editis annalibus, laudatóque M. Bruto, C. Cassium Romanorum vltimum dixisset. Accusabant Sa-F trius Secundus, & Pinarius Natta, Seiani clientes. id perniciabile reo, & Cæsar truci vultu defensionem accipiens: quam Cremutius, relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorsus est. *Verba mea P.C. arguuntur: adeò factorum innocens sum. Sed neque hæc in principem, aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum & Cassium laudauisse dicor. quorum res gestas cum plurimi composuerint: nemo sine honore memorauit. Titus Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompeium* G *tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Augustus appellaret. neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe vt insignes viros nominat. Asinii Pollionis scripta, egregiam eorundem memoriam tradunt. Messalla Coruinus, imperatorem suum Cassium prædicabat: & vterque opibúsque atque honoribus peruiguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem cælo a-*

quauit, quid aliud dictator Cæsar, quàm rescripta oratione, velut apud iudices respondit? Antonij epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. carmina Bibaculi & Catulli, referta contumeliis Cæsarum leguntur. sed ipse diuus Iulius, ipse diuus Augustus, & tulêre ista, & reliquêre: haud facilè dixerim, moderatione magis an sapientia. namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur. Non attingo Græcos, quorum non modò libertas, etiam libido impunita. aut si quis aduertit, dictis dicta vltus est. Sed maximè solutum, & sine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratia exemisset. num cum armatis Cassio & Bruto, ad Philippenses campos obtinentibus, belli ciuilis caussa populum per conciones incendo? an illi quidem septuagesimum ante annum peremti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem aboleuit, sic partem memoriæ apud scriptores retinent? suum cuique decus posteritas rependit. nec deerunt, si damnatio ingruit, qui nō modò Cassij & Bruti, sed etiam mei meminerint. Egressus dein senatu, vitam abstinētia finiuit. libros per ædiles cremandos censuêre patres, sed manserunt occultati, & editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui præsenti potentiâ, credunt exstingui posse etiam sequentis æui memoriam. Nam contrà, punitis ingeniis gliscit auctoritas. neque aliud externi reges, aut qui eâdem sæuitia vsi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperêre. Ceterùm postulandis reis, tam continuus annus fuit, vt feriarum Latinarum diebus, Præfectum vrbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Saluianus in Sex. Marium. quod à Cæsare palàm increpitum, caussa exsilij Saluiano fuit: Obiecta publicè Cyzicenis incuria cærimoniarum diui Augusti, additis violentiæ criminibus aduersùm ciues Romanos. & amisere libertatem, quam bello Mithradatis meruerant circumsessi, nec minùs sua constantiâ, quàm præsidio Luculli pulso rege. At Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curauerat, absoluitur: comperto ficta in eum crimina, per Vibium Serenum. neque tamen id Sereno noxę fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. nam vt quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leues, ignobiles, pœnis adficiebantur. Per idem tempus Hispania vlterior, missis ad senatum legatis orauit, vt exemplo Asię delubrum Tiberio matrique eius exstrueret: qua occasione Cæsar, validus alioqui spernendis honoribus, & respondendum ratus iis quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem cœpit. *Scio P.C. Constantiam meam à plerisque desideratam, quod Asiæ ciuitatibus nuper idem istud petentibus, non sim aduersatus. ergo & prioris silentij defensionem, & quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum diuus Augustus, sibi atque vrbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictáque eius vice legis obseruem, placitum iam exemplū promtius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur. Ceterùm vt semel recepisse, veniam habuerit, ita per omnes prouincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum, & vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur. Ego me P.C. mortalem esse, & hominū officia fungi, satisque habere, si locū principem impleā, & vos testor, & meminisse posteros volo. qui satis superque memoriæ tribuēt, vt maioribus meis dignū, rerum vestrarum prouidum, constantem in periculis, offensionū pro vtilitate publicâ non pauidum, credât. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odiū vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, ciues, & deos ipsos, precor: hos, vt mihi adfinem vsque vitæ, quietam & intelligētem humani diuinique iuris mentem duint; illos, vt quandocumque concessero, cū laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur.* Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. quod alij modestiam: multi quia diffideret, quidam vt degeneris animi interpretabantur. Optumos quippe mortalium, altissima cupere. Sic Herculem & Liberum apud Græcos, Quirinum apud nos, deûm numero additos. Melius Augustum, qui sperauerit. Cetera principibus statim adesse: vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. nam contemtu famæ, contemni virtutes. At Seianus nimiâ fortuna socors & muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimoniū flagitante Liuia, componit ad Cæsarem codicillos. moris quippe tum erat, quamquā pręsentem, scripto adire. eius talis forma fuit. *Beneuolentia patris Augusti, & mox plurimis Tiberij iudicijs ita insueuisse, vt spes votáq; sua non prius ad deos, quàm ad principū aures cōferret. Neq; fulgorem honorum vnquam precatū: excubias ac labores, vt vnū è militibus, pro incolumitate imperatoris malle. Attamē quod pulcherrimū, adeptū, vt coniunctione Cæsaris dignus crederetur. hinc initium spei. Et quoniam audiuerit Augustū, in cōlocāda filia, nonnihil etiam de equitibus Romanis consultauisset: ita si maritus Liuiæ quæreretur, haberet in animo amicum, sola necessitudinis gloriâ vsurum. non enim exuere imposita munia: satis æstimare, firmari domū aduersum iniquas Agrippinæ offensiones. idque liberorum caussâ. nam sibi multum supérque vitæ fore, quod tali cum principe expleuisset.* Ad ea Tiberius laudatâ pietate Seiani, suisq; in eum beneficiis modicè percursis, cùm tēpus tamquam ad integram consultationem petiuisset, adiunxit. *Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diuersam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famā dirigenda. ideò se non illuc decurrere, quod promtū rescriptu: posse ipsam Liuiā statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus isdem tolerandum haberet: esse illi matrem & auiam, propiora consilia. simplicius actu[r]ū de inimicitiis primùm Agrippinæ: quas longè acrius arsuras, si matrimonium Liuiæ, velut in partes, domum Cæsarum distraxisset. sic quoque erumpere æmulationem feminarum, eáque discordiâ nepotes suos conuelli: quid si intendatur certamē, tali cōiugio? Falleris enim Seiane, si te mansurū in eodem ordine putas, & Liuiam quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, eâ mente acturam vt cū equite Romano senescat. Ego vt sinam, credis ne passuros, qui fratrem eius, qui patrē maioresq; nostros, in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere. sed illi magistratus & primores qui te inuito perrumpunt, omnibusq; de rebus consulunt, excessisse iam pridē equestre fastigium longéque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt, pérque inuidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si cùm in omnis curas distraheretur, immensumque attolli prouideret, quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium & quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis Reipub. negotiis permi-*

tos. Sed si dubitatione Augusti mouemur: quanto validius est, quod M. Agrippæ mox mihi conlocauit? Atque ego hæc pro amicitia, non occultaui. Ceterum neque tuis, neque Liuiæ destinatis aduersabor. Ipse quid intra animum voluerauerim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem; omittam ad præsens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istæ, tuúsque in me animus mereantur. idque tempore, vel in senatu vel in concione non reticebo. Rursum Seianus, non tam de matrimonio, sed altius metuens tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem inuidiam deprecatur. Ac ne adsiduos in domum cœtus arcendo, infringeret potentiam, aut receptando, facultatem criminantibus præberet: huc flexit, vt Tiberium ad vitam procul Româ, amœnis locis degendam impelleret. Multa quippe prouidebat, sua in manu aditus, litterarúmque magna ex parte se arbitrum fore, cùm per milites commearent: mox Cæsarem vergente iam senectâ secretóque loci mollitum, munia imperij faciliùs tramissurum: & minui sibi inuidiam, ademptâ salutantum turba: sublatisque inanibus, vera potentia augere. Igitur paulatim negotia vrbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem & solitudinem: quîs abesse tædia & offensiones, ac præcipua rerum maximè agitari. Ac fortè habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenij viro cognitio, cunctantem iam Tiberium perpulit, vt vitandos crederet patrum cœtus vocésque, quæ plerumque veræ & graues coràm ingerebantur, nam postulato Votieno ob contumelias in Cæsarem dictas, testis Æmilius è militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert, & quamquam inter obstrepentes magna adsentatione nititur: audiuit Tiberius probra, quîs per occultum lacerabatur. adcóque perculsus est, vt se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret: precibúsque proximorum, adulatione omnium, ægrè componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis pœnis adfectus est. Cæsar obiectam sibi aduersus reos inclementiam eo peruicacius amplexus, Aquiliam adulterij delatam, cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Getulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exsilio puniuit: Apidiúmque Merulam, quòd in acta diui Augusti non iurauerat, albo senatorio erasit. Auditæ dehinc Lacedæmoniorum & Messeniorum legationes, de iure templi Dianę Limnetidis: quòd suis à maioribus suáque in terra dicatum, Lacedæmonij firmabant annalium memoria, vatúmque carminibus. sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum: ac post C. Cæsaris & M. Antonij sententia, redditum. Côtrà Messenij, veterem inter Herculis posteros diuisionem Peloponesi protulêre, suóque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse: monimẽtáque eius rei sculpta saxis, & ære prisco manere. quod si vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. idem regis Antigoni, idem Imperatoris Mummij iudicium. sic Milesios permisso publicè arbitrio, postremò Atidium Geminum prætorem Achaiæ decreuisse. Ita secundum Messenios datum. Et Segestani ædem Veneris, montem apud Erycum vetustate delapsam, restaurari postulauêre: nota memorantes de origine eius, & læta Tiberio. suscepit curam libens, vt consangui-

A neus. Tunc tractatæ Massiliensium preces, probatúmque P. Rutilij exemplum. namque eum legibus pulsum, ciuem sibi Smyrnæi addiderant. quo iure Vulcatius Moschus exsul in Massilienses receptus, bona sua Reip. eorum, vt patriæ reliquerat. Obiêre eo anno viri nobiles, Cn. Lẽtulus, & L. Domitius. Lentulo super consulatum & triumphalia de Getulis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocẽter paratę & modeste habitę. Domitiũ decorauit pater ciuili bello

B maris potens: donec Antonij partibus, mox Cæsaris misceretur. Auus, Pharsalica acie, pro optimatibus ceciderat. ipse delectus, cui minor Antonia Octauia genita in matrimonium daretur. Pòst, exercitu flumen Albim transcendit, longiùs penetrata Germania, quàm quisquam priorum. easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit & L. Antonius multa claritudine generis, sed improspera. nam patre eius Iulo Antonio ob adulteriũ Iuliæ morte punito, hunc admodũ adolescentulũ

C sororis nepotem sepofuit Augustus in ciuitatem Massiliensem, vbi specie studiorum nomen exsilij tegeretur. habitus tamẽ supremis honor: ossaque tumulo Octauiorum inlata, per decretũ senatus. Iisdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum à quodam agreste, nationis Termestinæ. is prætorem prouinciæ L. Pisonem pace incuriosum ex improuiso in itinere adortus, vno vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, di-

D misso equo, per derupta & auia sequentes frustratus est. neque diu fefellit. nam prehenso ductóque per proximos pagos equo, cuius foret cognitum. & repertus cum tormẽtis edere conscios adigeretur, voce magna, sermone patrio, frustrà se interrogari clamitauit, adsisterẽt socij ac spectarent: nullam vim tantam doloris fore, vt veritatẽ eliceret. idémque cùm postero ad quęstionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus, saxóque caput adflixit, vt statim exanimaretur. Sed Pi-

E so Termestinorum dolo cæsus habetur: qui pecunias è publico interceptas, acrius, quàm vt tolerarẽt barbari, cogebat. Lentulo Getulico, C. Caluisio Coss. decreta triumphi insignia Poppæo Sabino, contusis Thracum gentibus, qui montium editis, inculti, atque eo ferocius agitabant. Caussa motus super hominum ingenium, quòd pati dilectus, & validissimum quemque militiæ nostræ dare aspernabantur: ne regibus quidem parere, nisi ex libidine soliti: aut si mitterent auxilia suos

F ductores præficere, nec nisi aduersum accolas belligerare. Ac tum rumor incesserat fore, vt disiecti aliísque nationibus permixti, diuersas in terras traherentur. Sed antequam arma inciperent, misere legatos, amicitiam, obsequiúmque memoraturos, & mansura hæc, si nullo nouo onere tẽtarentur, sin vt victis seruitium indiceretur, esse sibi ferrum & iuuentutem, & promptum libertati, aut ad mortem animum. Simul castella rupibus indita, conlatósque illuc parentes & coniuges o-

G stentabant, bellúmque impeditum, arduum, cruentum, minitabantur. At Sabinus, donec exercitus in vnum conduceret, datis mitibus responsis, dum Pomponius Labeo è Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutauerant, veniret: addita præsenti copia, ad hostem pergit, compositum iam per angustias saltuum. quidam audentiùs apertis in collibus visebantur. quos dux Romanus acie suggres-

suggressus, haut ægrè pepulit, sanguine barbarorum modico, ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis, validâ manu montem occupat, angustum, & æquali dorso continuum vsque ad proximum castellum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur. simul in ferocissimos qui ante vallum more gentis cum carminibus & tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorũ. ii dum eminus grassabantur, crebra & multa vulnera fecêre: propius incedentes, eruptione subitâ turbati sunt, receptique subsidio Sugambræ cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum & armorum tumultu trucẽ, haut procul instruxerat. Translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuisse memoraui. Iisque permissum vastare, vrere, trahere prædas, dum populatio lucem intra sisteretur, noctemque in castris tutam & vigilem capesserent. Id primò seruatum: mox versi in luxum, & raptis opulenti, omittere stationes, lasciuia epularum, aut somno & vino procumbere. Igitur hostes incuria eorum comperta, duo agmina parant: quorum altero, populatores inuaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed vt clamore, telis, suo quisque periculo intentus, sonorem alterius prœlii non acciperet. tenebræ insuper delectę, augẽdam ad formidinem. Sed qui vallum legionum tentabant, facilè pelluntur. Thracum auxilia repentino incursu territa, cùm pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius cæsi, quanto perfugæ & proditores ferre arma ad suum patriæq; seruitium incusabantur. Postera die Sabinus exercitum æquo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres, prœlium auderent. & postquam castello, aut coniunctis tumulis non digrediebantur: obsidium cœpit per præsidia, quæ opportunè iam muniebat. dein fossam loricámq; contrahens, quatuor millia passuum ambitu amplexus est. tum paulatim, vt aquam pabulúmq; eriperet, contrahere claustra, artáq; circumdare. & struebatur agger, vnde saxa, hastæ, ignes propinquum iam in hostem iacerentur. sed nihil æquè quam sitis fatigabat, cùm ingens multitudo bellatorum, imbellium, vnu reliquo fonte vterentur. Simul equi, armenta (vt mos barbaris) iuxta clausa, egestate pabuli exanimari: adiacêre corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat: pollui cuncta sanie, odore, contactu. Rebúsque turbatis, malum extremum discordia accessit: his deditionem, aliis mortem, & mutuos inter se ictus parantibus. & erant qui non inultum exitium, sed eruptionem suaderent: neque ignobiles, quamuis diuersi sententiis. Verùm è ducibus, Dinis prouectus senecta, & longo vsu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, vnum adflictis id remedium, disserebat. Primúsque se cum coniuge & liberis victori permisit. secuti ætate aut sexu imbecilli, & quibus maior vitæ quàm gloriæ cupido. At iuuentus Tarsam inter & Turesim distrahebatur. vtriq; destinatum cum libertate occidere. sed Tarsa properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum, demisso in pectus ferro. nec defuere qui eodem modo oppeterent. Turesis suâ cum manu noctem opperitur, haut nescio duce nostro. Igitur firmatæ stationes densioribus globis. & ingruebat nox nimbo atrox, hostisq; clamore turbido, modò per vastum silentiũ, incertos obsessores effecerat: cùm Sa-

A binus circumire, hortari, ne ad ambigua sonitus,
aut simulationem quietis, casum insidiantibus a-
perirẽt, sed sua quisque munia seruarent immoti,
telisque non in falsum iactis. Interea barbari ca-
tervatis decurrẽtes, nunc in vallum manualia saxa
præustas sudes, decisa robora iacere: nunc virgul-
tis, & cratibus, & corporibus exanimis, complere
fossas, quidam pontes & scalas antè fabricati in-
ferre propugnaculis, eáque prehensare, detrahere,
B & aduersus resistenteis comminus niti. miles con-
trà deturbare telis, pellere vmbonibus, muralia pi-
la, congestas lapidum moles prouoluere. His par-
tæ victoriæ spes, & si cedant, insignitius flagi-
tium: illis extrema iam salus, & adsistentes
plerisque matres & coniuges, earúmque lamenta
addunt animos, nox aliis in audaciam, aliis
ad formidinem opportuna: incerti ictus; vul-
nera improuisa: suorum atque hostiũ ignoratio:
& montis anfractu repercussæ velut à tergo voces
C adeò cuncta miscuerant, vt quædam munimenta
Romani quasi perrupta omiserint. neque tamen
peruasêre hostes nisi admodum pauci. ceteros, de-
iecto promptissimo quoque aut saucio, adpetente
iam luce trusêre ad summa castelli. vbi tandem
coacta deditio, & proxima sponte incolarum
recepta. reliquis, quo minus vi aut obsidio subi-
gerẽtur, præmatura montis Hæmi & sæua hiems
subuenit. At Romæ commota principis domo, vt
series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Clau-
D dia Pulchra sobrina eius postulatur, accusante
Domitio Afro. Is recens præturâ, modicus digna-
tionis, & quoquo facinore properus clarescere,
crimen impudicitiæ, adulterum Furnium, vene-
ficia in principem & deuotiones obiectabat. A-
grippina semper atrox, tum & periculo propin-
quæ accensa, pergit ad Tiberium, ac fortè sacrifi-
cantem patri reperit. quo initio inuidię, *Nõ eius-*
dem, ait, mactare diuo Augusto victimas, & posteros
E *eius insectari. non in effigies mutas diuinum spiritum*
transfusum, sed imaginem veram cælesti sanguine or-
tam intelligere discrimen, suscipere sordes. frustra
Pulchram præscribi, cui sola exitii caussa sit, quòd A-
grippinam stultè prorsus ad cultum delegerit, oblita
Sosiæ ob eadem adflictæ. Audita hæc raram occulti
pectoris vocẽ elicuere, correptámque Græco ver-
su admonuit: nõ ideo lędi, quia non regnaret? Pul-
chra & Furnius damnantur. Afer primoribus ora-
torum additus, diuulgato ingenio, & secutâ adse-
F ueratione Cęsaris, quâ suo iure disertum eum ap-
pellauit, mox capessendis accusationibus, aut reos
tutãdo, prosperiore eloquẽtię quàm morũ famâ fuit,
nisi quod ætas extrema multũ etiã eloquentię dẽ-
sit, dum fessa mente retinet silẽtii impatientiã. At
Agrippina peruicax iræ, & morbo corporis im-
plicata, cùm viseret eam Cæsar, profusis diu ac per
silẽtium lacrymis, mox inuidiã & preces orditur:
subueniret solitudini, daret maritum, habilem ad-
huc iuuentam sibi, neque aliud probis quàm ex ma-
trimonio solatiũ: esse in ciuitate ..... Germanici con-
iugẽ: ac liberos eius recipere dignarẽtur. Sed Cæsar
G nõ ignarus quantũ ex Rep. peteretur, ne tamen of-
fensionis aut met[9] manifestus foret, sine respõso,
quamquam instantem, reliquit. Id ego à scriptori-
bus annalium non traditum, repperi in cõmenta-
riis Agrippinæ filiæ: quæ Neronis principis ma-
ter, vitam suã & casus suorũ posteris memorauit.
Ceterùm Seianus mœrentem & improuidam al-
tius perculit, immissis qui per speciẽ amicitię mo-
nerent, paratũ ei venenum, vitandas soceri epulas.

Atque illa simulationum nescia, cùm propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos attingere cibos: donec aduertit Tiberius, fortè, an quia audiuerat? idque quo acrius experiretur, poma vt erant adposita laudans, nurui suâ manu tradidit. aucta ex eo suspicio Agrippinæ, & intacta ore, seruis transmisit. nec tamen Tiberij vox coràm secuta, sed obuersus ad matrem non mirum ait, si quid seuerius in eam statuisset, à qua veneficij insimularetur. Inde rumor parari exitium: neque id imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quæri. Sed Cæsar quò famam auerteret, adesse frequens senatui, legatósque Asiæ ambigētes quânam in ciuitate templum statueretur, pluris per dies audiuit. Vndecim vrbes certabant pari ambitione, viribus diuersæ. neque multū inter se distantia memorabant, de vetustate generis, studio in populum Romanum, per bella Persi & Aristonici, aliorúmque regum. Verùm Hipæpeni Trallianíque Laodicenis & Magnetibus simul tramissi, vt parum validi. Ne Ilienses quidem, cùm parentem vrbis Romæ Troiam referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant. paulum addubitatum, quòd Halicarnassij mille & ducentos per annos nullo motu terræ nutauisse sedes suas, viuóque in saxo fundamenta templi adseuerauerāt. Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusto ibi sitâ, satis adeptos creditum. Ephesij, Milesiíque: hi Apollinis, illi Dianæ cærimonia occupauisse ciuitates visi. Ita Sardianos inter Smyrnæósq; deliberatum. Sardiani decretum Etruriæ recitauere, vt consanguinei. nam Tyrrhenum Lydúmq; Atye rege genitos, ob multitudinem diuisisse gētem. Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum nouas vt conderet sedes & ducum è nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia: auctámq; adhuc Lydorum opulentiam, missis in Græciam populis, cui mox à Pelope nomen, simul literas imperatorum, & icta nobiscum fœdera bello Macedonum, vbertatémq; fluminum suorum, temperiem cæli, ac dites circum terras memorabant. At Smyrnæi repetita vetustate, seu Tantalus Ioue ortus, illos, siue Theseus diuinâ & ipse stirpe, siue vna Amazonum condidisset: transcendere ad ea quîs maximè fidebant in populum Romanum officiis, missa nauali copia non modò externa ad bella, sed quæ in Italiâ tolerabantur: seq; primos templum vrbis Romę statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica vrbe, & validis per Asiam regibus. simul L. Sullam testem adferebant, grauissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis, & pænuriam vestis, cùm id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes qui astabant detraxisse corpori tegmina, nostrisque legionibus misisse. Ita rogati sententiam patres, Smyrneos prætulerunt. Censuítque Vibius Marsus, vt M. Lepido: cui ea prouincia obuenerat, super numerum legaretur qui templi curam susciperet. & quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso è prætoriis sorte missus est Inter. quæ diu meditato, prolatóque sæpius consilio, tandem Cæsar in Campaniam specie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Augusto: sed certus procul vrbe degere. Caussam abcessus quamquā secutus plurimos auctorū ad Seiani artes retuli, quia tamē cęde eius patratâ, sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumq; permoueor num

A ad ipsum referri verius, si sæuitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent, in senectute quoque corporis habitum pudori fuisse. quippe illi prægracilis & incurua proceritas, nudus capillo vertex, vlcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta. & Rhodi secreto, vitare cœtus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quā dominationis sociam aspernabatur, neque depellere poterat, cùm dominationem
B ipsam domum eius accepisset. Nam dubitauerat Augustus Germanicum sororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romanæ imponere: sed precibus vxoris euictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberiū adsciuit, idque Augusta exprobrabat, reposcebat. Profectio arto comitatu fuit. vnus senator cōsulatu functus, Cocceius Nerua, cui legum peritia: eques Romanus, pręter Seianum, ex inlustribus Curtius Atticus. ceteri liberalibus studiis prędi ti, fermè Græci, quorum sermonibus leuaretur.
C Ferebant periti cælestium iis motibus siderum excessisse Româ Tiberium, vt reditus illi negaretur. vnde exitij caussa multis fuit, properum finem vitæ coniectantibus, vulgātibúsque, neque enim tā incredibilem caussam prouidebant, vt vndecim per annos libens patria careret. Mox patuit breue confinium artis, & falsi veráque quam obscuris tegerentur. nam in vrbem non regressurum, haut fortè dictum: ceterorum nescij egere, cū propinquo rure, aut litore, & sæpe mœnia vrbis adsidens
D extremam senectam compleuerit. Ac forte illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum, auxit vana rumoris: præbuitque ipsi materiem, cur amicitiæ constantiæque Seiani magis fideret. Vescebantur in villa cui vocabulum Speluncæ, mare Amuclanum inter Fundanósque montes, natiuo in specu eius os lapsis repentè saxis, obruit quosdam ministros. hinc metus in omnes, & fuga corū qui conuiuium celebrabant. Seianus genu vultúq; & manibus super Cæsarem suspensus, opposuit
E sese incidentibus: atque habitu tali repertus est à militibus, qui subsidio venerant. Maior ex eo, & quamquam exitiosa, suaderet, vt non sui anxius, cum fide audiebatur. Adsimulabátq; iudicis partes aduersus Germanici stirpem subditis qui accusatorum nomina sustinerent, maximéque insectaretur Neronem proximū successioni: & quāquam modesta iuuēta, plerumque tamen quid in pręsentiarum cōduceret oblitū: dum à libertis &
F clientibus apiscendæ potentiæ properis extimulatur, vt erectum & fidētem animi ostēderet: velle id populum Romanum: cupere exercitus, neq; ausurum contra Seianum, qui nunc patientiā senis, & segnitiam iuuenis iuxta insultet. Hæc atq; talia audienti, nihil quidem prauæ cogitationis: sed interdum voces procedebant contumaces & incōsultę, quas adpositi custodes exceptas auctásque cùm deferrent, neque Neroni defendere daretur. diuersæ insuper solicitudinum formę oriebātur.
G nam alius occursum eius vitare, quidam salutatione redditâ statim auerti, plerique inceptum sermonem abrumpere: insistentibus contrà irridentibúsq;, qui Seiano fautores aderant. Enimuero Tiberius toruus, aut falsum renidens vultu, seu loqueretur, seu taceret iuuenis: crimen ex silentio, ex voce. ne nox quidem secura, cùm vxor vigilias, somnos, suspiria matri Liuiæ, atque illa Seiano patefaceret, qui fratrem quoque Neronis Drusū traxit in partes, spe obiecta principis loci,

si

[illegible] iam labefactum demouisset. Atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiæ & solita fratribus odia, accendebatur inuidia: quod mater Agrippina promptior Neroni erat. neque tamen Seianus ita Drusum fouebat, vt non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur: gnarus præferocem, & insidiis magis opportunum. Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis, vitaque non degener. Et Q. Haterius familia senatoria, eloquentiæ quoad vixit celebratæ. monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat, vtque aliorum meditatio & labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud & profluens, cum ipso simul extinctum est. M. Licinio. L. Calpurnio Coss. ingentium bellorum cladem æquauit malum improuisum. eius initium simul & finis extitit. Nam cœpto apud Fidenam amphitheatro, Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit: vt qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, sed in sordida mercede id negotium quæsiuisset. Adfluxere auidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis ætas, ob propinquitatem loci effusius. vnde grauior pestis fuit, conferta mole, dein conuulsa, dum ruit intus, aut in exteriora effunditur: immensamque vim mortalium spectaculo intentos, aut qui circum adstabant, præceps trahit, atque operit. Et illi quidem quos principium stragis in mortem adflixerat, vt tali sorte, cruciatum effugere. Miserandi magis, quos abrupta parte corporis, nondum vita deseruerat: qui per diem visu, per noctem vlulatibus & gemitu, coniuges, aut liberos noscebant. Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. etiam quorum diuersa de causa amici aut necessarii aberant, pauere tamen. nequedum comperto quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus. Vt cœpere dimoueri obruta, concursus ad exanimos, complectentium, osculantium. & sæpe certamen, si confusior facies, & par forma aut ætas, errorem adgnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominũ millia, eo casu debilitata vel obtrita sunt. Cautúmque in posterum senatusconsulto, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum milium res, neve amphitheatrum imponeretur, nisi solo firmitatis spectatæ. Atilius in exilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta, & medici passim præbiti. fuitque vrbs per illos dies, quamquam mœsta facie, veterum institutis similis, qui magna post prœlia saucios largitione, & cura sustentabant. Nondum ea clades exoluerat, cum ignis violentia vrbem vltra solitum adfecit, deusto monte Cælio. feralémque annum ferebant, & ominibus aduersis susceptum principi consiliũ absentiæ, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Cæsar obuiam isset, tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actæque ei grates apud senatum, ab illustribus: famáque apud populum, quia sine ambitione, aut proximorum precibus, ignotos etiam & vltro accitos munificentia iuuerat. Adduntur sententiæ, vt mons Cælius in posterum Augustus appellaretur: quando cunctis circum flagrantibus, sola Tiberii effigies sita in domo Iunii senatoris inuiolata mansisset. *Euenis-*

A *se id olim Claudiæ Quintiæ, eiusque statuam vim flammarum bis elapsam maiores apud ædem Matris deûm consecrauisse. sanctos acceptósque numinibus Claudios: & augendam cerimoniam loco: in quo tantum in Principem honorem dii ostenderint.* Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis syluæ frequens, fecundúsque erat: mox Cælium appellitatum à Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ, B cum auxilium appellatum ductauisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit, nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitauisse: vnde Thuscum vicum è vocabulo aduenarum dictum. Sed vt studia procerum, & largitio principis aduersum casus solatium tulerant: ita accusatorum maior in dies & infestior vis sine leuamento grassabatur. corripuerátque Varum Quinctilium diuitem & Cæsa- C ri propinquum, Domitius Afer, Claudiæ Pulchræ matris eius condemnator, nullo mirante, quod diu egens, & parto nuper præmio male vsus, plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis extitisse, miraculo erat: quia claris maioribus, & Varo connexus, suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus, & opperiendum imperatorem cõsuit, quod vnum, vrgentium malorum suffugium in tempus erat. At Cæsar dedicatis per Campa- D niam templis, quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius inrumperet, concursúsque oppidanorum disposito milite prohiberentur: perosus tamen municipia, & colonias, omniáque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam. Solitudinem eius placuisse maximè crediderim, quoniam importuosum circa mare, & vix modicis nauigiis pauca subsidia. neque adpulerit quisquam, nisi gnaro custode. cæ- E li temperies hyeme mitis, obiectu montis, quo sæua ventorum arcentur. æstas in Fauonium obuersa, & aperto circum pelago peramœna, prospectabátque pulcherrimum sinum, antequam Vesuuius mons ardescens faciem loci verteret. Græcos ea tenuisse, Capreásque Teleboïs habitatas, fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus, & molibus insederat: quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus, & F malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum & credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in vrbe suetus, acrius turbabat, non iam occultis aduersum Agrippinam & Neronem insidiis. quis additus miles, nuntios, introitus, aperta, secreta, velut in annales referebat. vltróque struebantur, qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus, vel celeberrimo fori effigiẽ diui Augusti amplecti, populúmque ac senatum auxilio vocare. Eáque spreta ab illis, velut pararent obiiciebantur. G Iunio Silano & Silio Nerua Coss. fœdum anni principium incessit: tracto in carcerem illustri equite Romano Tito Sabino, ob amicitiam Germanici. neque enim omiserat coniugem, liberósque eius percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes vnus, eóque apud bonos laudatus, & grauis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petilius Rufus, M. Opsius prætura functi adgrediuntur, cupidine consulatus: ad quẽ nonnisi per Seianum aditus. neque Seiani voluntas, nisi scelere quærebatur. Compositum, inter ipsos vt Latiaris, qui

modico vsu Sabinum contingebat, struere dolū, ceteri testes adessent: deinde accusationem inciperent. Igitur Latiaris iacere fortuitos primùm sermones, mox laudare constantiam. quòd non, vt ceteri, florentis domus amicus, afflictam deseruisset: simul honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. Et postquam Sabinus, vt sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, iunxit questus: audentiùs iam onerat Seianum, sæuitiam, superbiam, spes eius. ne in Tiberium quidem conuicio abstinet. Iique sermo- B nes, tamquam vetita miscuissent, speciem artæ amicitiæ fecere. Ac iam vltrò Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre. Consultant quos memoraui, quonam modo ea plurium auditu acciperentur. n... loco, in quem coibatur, seruanda solitudinis facies, & si ponè fores adsisterent, metus visus, sonitus, aut fortè ortæ suspicionis erat. Tectum inter & laquearia, tres senatores, haut minus turpi latebra quàm detestanda fraude, sese abstrudunt C foraminibus & rimis aurem admouent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum & in cubiculum ...bit: præteritaque & instantia, quorum affatim copia, ac nouos terrores cumulat. Eadem ille, & diutius, quando mæsta, vbi semel prorupêre, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Cæsarem litteris ordinem fraudis, suúmque ipsi dedecus narrauêre. Non aliàs magis anxia D & pauens ciuitas, egens aduersum proximos. conressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari, etiam muta atque inanima, tectum & parietes circumspectabantur. Sed Cæsar sollennia incipientis anni Kalend. Ianuarias, epistola precatus: vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum, & petitum se arguens, vltionémq; haut obscurè pos...bat. nec mora, quin decerneretur, & trahebatur damnatus, quantum obducta veste & adstrictis faucibus niti poterat, clamitans, *Sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. quò intendisset oculos, quò verba accideret, fuga, vastitas:* E *deseri itinera, fora: & quidam regrediebantur, ostentabántque se rursum, id ipsum pauentes, quòd timuissent. Quem enim diem vacuum pœna, vbi inter sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla & laqueus inducantur? non prudentem Tiberium tantam inuidiam adiisse: quæsitum meditatúmque ne quid impedire credatur, quo minus noui magistratus, quo modo delubra & altaria sic carcerem recludant.* Secutæ insuper litteræ, F grates agentis, quòd hominem infensum Reip. puniuissent. adiecto, trepidam sibi vitam, suspectas ini...icorum insidias, nullo nominatim compellato. neque tamen dubitabatur in Neronem & Agrippinam intendi. Ni mihi destinatum foret, suum quæque in annum referre, auebat animus antire, statímque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modò postquam C. Cæsar rerum potitus est: sed incolumi Tiberio, qui scelerum ministros, vt peruerti ab aliis nolebat: ita plerumque satiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraues adflixit. ve... dum has atque alias sontium pœnas, in tempore tradem... Tum ... Asinius Gallus ... liberorum Agrippinæ ... matertera erat, pet...ndum à principe, vt ... suos senatui faterer ... mouerique sineret. ...ilam atque Tiberius, vt rebatur, ex virtutibus

A suis quàm dissimulationem diligebat. eo ægrius accepit, recludi quæ premeret. sed mitigauit Seianus, non Galli amore, ver... vt cunctationes principis aperirentur, gnarus lentum in meditando, vbi prorupisset, tristibus dictis atroc... facta coniungere. Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus conuictam adulterij damnauerat, proiecerátque in insulam Trimerum, haut procul Apulis litoribus. illic viginti annis exsilium tolerauit, Augustæ ope sustentata: quæ B florentes priuignos cùm per occultum subuertisset, misericordiam erga adflictos palàm ostentabat. Eodem anno Frisij transrhenanus populus pacem exuere: nostrâ magis auaritia, quàm obsequij impatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum, pro angustia rerum; vt in vsus militares, coria boum penderent: non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura. donec Olennius è primipilaribus, regendis Frisiis impositus, terga vrorum delegit, quorum ad formam acciperentur. C Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentiū belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primò boues ipsos, mox agros, postremò corpora coniugum aut liberorum seruitio tradebant. Hinc ira & questus. & postquam nō subueniebatur, remedium ex bello. rapti qui tributo aderant milites, & patibulo adfixi. Olennius infensos fugâ præuenit, receptus castello, cui nomen Fleuum: & haut D spernenda illic ciuium sociorúmque manus litora Oceani præsidebat. Quod vbi L. Apronio inferioris Germaniæ proprætori cognitum, vexilla legionum è superiore prouincia, peditúmque & equitum auxiliarium delectos acciuit: ac simul vtrumque exercitum Rheno deuectum. Frisiis intulit: soluto iam castelli obsidio, & ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima æstuaria aggeribus & pontibus, traducendo grauiori agmini, firmat. atque interim, repertis vadis, alam Caninefatem, & quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet. E qui iam acie compositi pellunt turmas sociales, equitésque legionum subsidio missos. Tum tres leues cohortes, ac rursum duæ: dein tempore interiecto, actus eques immissus. satis validi si simul incubuissent, per interuallum aduentantes, neque constantiam addiderant turbatis, & pauore fugientium auferebatur. Cethego Labeoni legato quintæ legionis, quod reliquum auxiliorum tradit. atq; F ille dubia suorum re, in anceps tractus, missis nuntiis vim legionum implorabat. Prorumpūt quintani ante alios, & acri pugna hoste pulso, recipiūt cohortes alásq; fessas vulneribus. Neque dux Romanus vltum iit, aut corpora humauit: quamquā multi tribunorum præfectorúmq; & insignes centuriones cecidissent. Mox compertum à transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennæ vocant, pugna in posterum extracta, G confectos: & aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarij villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse. Clarum inde inter Germanos Frisiū nomen: dissimulante Tiberio damna, ne cui b... lum permitteret. neque senatus in eo cura, an i... petij extrema dehonestarentur. Pauor interna occupauerat animos, cui remedium adulati... quærebatur. Ita quamquam diuersis super rebus consulerentur, aram clementiæ, aram amicitiæ, effigiésque circum Cæsaris ac Seiani censuêre crebrísque

briſq; precibus efflagitabant, viſendi ſui copiam faceret. Nó illi tamen in vrbé, aut propinqua vrbi digreſſi ſunt. ſatis viſum, omittere inſulá, & in proximo Campaniæ adſpici. eò venire patres, eques, magna pars plebis, anxij erga Seianum: cuius durior congreſſus, atque eo per ambitum, & ſocietate conſiliorum parabatur. Satis conſtabat auctam ei adrogantiam, fœdum illud in propatulo ſeruitium ſpectanti. quippe Romæ, ſueti diſcurſus: & magnitudine vrbis, incertum, quod quiſque ad negotium pergat. Ibi campo aut littore iacentes, A nullo diſcrimine noctem ac diem, iuxta gratiam aut faſtus ianitorum perpetiebantur. donec idque vetitum, & reuenere in vrbem trepidi, quos non ſermone, non viſu dignatus erat. quidam malè alacres, quibus infauſtæ amicitiæ grauis exitus imminebat. Ceterùm Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam, cùm coràm Gn. Domitio, tradidiſſet, in vrbe celebrari nuptias iuſſit. In Domitio ſuper vetuſtatem generis propinquum Cęſaribus ſanguinem delegerat. Nam is auiam Octauiam, & per eam Auguſtú auunculú preferebat.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER V.

RVBELLIO & Fuſio Coss. quorum vtrique Geminus cognomentum erat, Iulia Auguſta mortem obiit, ętate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, & adoptione Liuiorum Iuliorúmque clariſſimæ. primum ei matrimonium & liberi fuère, cum Tiberio Nerone: qui bello Peruſino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumuiros pacta in vrbem rediit. Exin Cæſar cupidine formæ aufert marito, incertum an inuitam, adeò properus, vt ne ſpatio quidem ad enitendum dato penatibus ſuis grauidam induxerit. Nullam poſthac ſubolem edidit, ſed ſanguini Auguſti per coniunctionem Agrippinæ & Germanici adnexa, communes pronepotes habuit: ſanctitate domus priſcum ad morem, comis vltrà quàm antiquis feminis probatum, mater impotens, vxor facilis, & cum artibus mariti, ſimulatione filij bene compoſita, funus eius modicum, teſtamentum diu irritum fuit. laudata eſt pro roſtris à C. Cæſare pronepote, qui mox rerum potitus eſt. At Tiberius quòd ſupremis in matrem officiis defuiſſet, nihil mutatâ amœnitate vitæ, magnitudiné negotiorum per litteras excuſauit: honoréſque memoriæ eius ab ſenatu largè decretos, quaſi per modeſtiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito ne cæleſtis religio decerneretur. ſic ipſam maluiſſe. quin & parte eiuſdem epiſtolæ increpuit amicitias muliebres, Fuſium conſulem obliquè perſtringens. is gratia Auguſtæ floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem, & Tiberium acerbis facetiis inridere ſolitus, quarum apud prępotentes in longum memoria eſt. Ceterùm ex eo prærupta iam & vrgens dominatio. nam incolumi Auguſtâ, erat adhuc perfugium: quia Tiberio inueteratum erga matrem obſequium: neque Seianus audebat auctoritati parentis anteire. tunc velut frenis exſoluti proruperunt. miſſæque in Agrippinam ac Neronem litteræ, quas pridem adlatas & cohibitas ab Auguſtâ credidit vulgus. haut enim multum poſt mortem eius recitatæ ſunt. verba inerant quæſita aſperitate: ſed non arma, non rerum nouarum ſtu B dium, amores iuuenum, & impudicitiam nepoti obiectabat. in nurum ne id quidem confingere auſus, adrogantiam oris & contumacem animum incuſauit, magno ſenatus pauore ac ſilentio: donec pauci, quis nulla ex honeſto ſpes, & publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahuntur, vt referretur poſtulauère, promtiſſimo Cottâ Meſſallino cum atroci ſententia. ſed aliis à primoribus, maximéque à magiſtratibus trepidabatur: quippe Tiberius, & ſi inſenſè inuectus, cetera am C bigua reliquerat. Fuit in ſenatu Iunius Ruſticus, componendis patrum actis delectus à Cæſare, eóque meditationes eius introſpicere creditus: is fatali quodam motu (neque enim antè ſpecimen conſtantiæ dederat) ſeu prauâ ſolertiâ, dum imminentium oblitus incerta pauet, inſerere ſe dubitantibus, ac monere conſules ne relationem inciperent: diſſerebátque, breuibus momêtis ſumma verti poſſe, dandúmq; interſtitium pœnitentiæ ſenis. Simul populus effigies Agrippinę ac Neronis gerens, circumſiſtit curiam, feſtiſque in Cæſarem D ominibus falſas litteras, & principe inuito exitiú domui eius intendi clamitat. ita nihil triſte illo die patratú. ferebantur etiam ſub nominibus conſularium fictæ in Seianum ſententiæ, exercentibus pleriſque per occultum, atque eo procacius libidinem ingeniorum. vnde illi ira violentior, & materies criminandi ſpretum dolorem principis, ab ſenatu deſciuiſſe populum: audiri iam & legi nouas conciones, noua patrú conſulta. quid reliquum, niſi vt caperent ferrum? & quorum imagi E nes pro vexillis ſecuti forent, duces imperatoréſque deligerẽt. Igitur Cęſar repetitis aduerſum nepotem & nurum probris: increpitâq; per edictum plebe, queſtus apud patres, quòd fraude vnius ſenatoris imperatoria maieſtas eluſa publicè foret, integra tamen ſibi cuncta poſtulauit. nec vltra deliberatum, quò minus non quidem extrema decernerent. id enim vetitum, ſed paratos ad vltioné vi principis impediri teſtarentur. ** Quatuor & quadraginta orationes ſuper ea re habitæ, ex quis ob metú paucæ, plures adſuetudine, ** *mihi pude-*

rem aut Seiano inuidiam allaturum censui. ** *versa est fortuna, & ille quidem qui collegam & generum adsciuerat, sibi ignoscit. ceteri quem per dedecora fouere, cum scelere insectantur.* ** *miserius sit ob amicitiā accusari an amicū accusare haut discreuerim, nō crudelitatē, nō clemētiā cuiusquā experiar, sed liber, & mihi ipsi probatus antibo periculū. vos obtestor, ne memoriam nostri per mœrorem quàm læti retineatis: adijcĕdo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt.* Túc singulos vt cuique adsistere, alloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei absumsit. multóque adhuc cœtu, & cunctis intrepidum vultū eius spectantibus, cùm superesse tempus nouissimis crederēt, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Cæsar vllis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cùm in Blæsum multa fœdáq; incusauisset. Relatum inde de P. Vitellio, & Pōponio Secūdo. illū indices arguebāt, claustra ęrarij cui pręfectus erat, & militare pecuniā rebus nouis obtulisse: huic à Cōsidio pręturâ functo obiectabatur Aelij Galli amicitia, qui punito Seiano, in hortos Pōponij quasi fidissimū ad subsidiū perfugisset. neq; aliud periclitātibus auxilij, quàm in fratrū constātia fuit, qui vades exstitere. mox crebris prolationibus spem ac metum iuxtà grauatus Vitellius, petito per speciē studiorū scalpro, leuē ictū venis intulit, vitámq; ægritudine animi finiuit. At Pōponius multâ morū elegantiâ & ingenio inlustri, dum aduersam fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit. Placitum posthac vt in reliquos Seiani liberos aduerteretur: vanescēte quāquam plebis irâ, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeò nescia, vt crebrò interrogaret, quod ob delictū, & quò traheretur? neque facturam vltrà: &, posse se puerili verbere

A moneri. Tradunt tēporis eius auctores, quia triūuirali supplicio adfici virginem inauditum habebatur, à carnifice laqueum iuxta compressam: exin oblisis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abiecta. Per idem tempus Asia atque Achaia exterritæ sunt, acri magis quàm diuturno rumore, Drusum Germanici filium apud Cycladas insulas, mox in continenti visum. & erat iuuenis haut dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis velut agnitus, per dolúmque comitantibus. Alliciebantur B ignari, famâ nominis, & promptis Græcorum animis ad noua & mira. quippe lapsum custodia pergere ad paternos exercitus, Aegyptum aut Syriam inuasurum, fingebant simul, credebántque. iam iuuentutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur, lætus præsentibus & inanium spe, cùm auditum id Poppæo Sabino. Is Macędonię tum intentus, Achaiam quoque curaban. Igitur quo vera seu falsa anteiret, Toronęū Thermæúmque sinum præfestinans, mox Eubœam Aegæi maris insulam & Piræeum Atticæ oræ, dein Corin- C thiense litus, angustiásque Isthmi euadit: marīque alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus, ibi demum cognoscit, sollertius interrogatū, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum. & multis sectatorum dilapsis, ascendisse nauem, tanquam Italiam peteret. scripsitque hæc Tiberio. neque nos originem finémve eius rei vltra comperimus. Exitus anni diu aucta discordia cōsulū erupit. nā Trio facilis capessendis inimicitiis, & foro exercitus, vt segnem Regulum ad opprimendos Seia- D ni ministros oblique perstrinxerat. ille nisi lacesseretur modestię retinēs, non modò retudit collegam, sed vt noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat. Multísque patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansêre infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER VI.

CN. Domitius & Camillus Scribonianus consulatum inierant: cùm Cæsar tramisso quod Capreas & Surrentum interluit freto, Campaniam prælegebat, ambiguus an vrbem intraret: seu quia contra destinauerat, speciem venturi simulans. & sępe in propinqua digressus, aditis iuxta Tiberim hortis, saxa rursum & solitudinem maris repetiit, pudore scelerum & libidinum: quibus adeò indomitis exarserat, vt more regio pubem ingenuam stupris pollueret. nec formam tantum & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum, incitamentum cupidinis habebat. túncque primùm ignota antea vocabula reperta sunt, sellariorum & spintriarum, ex fœditate loci ac multiplici patientiâ. pręposítique serui qui quærerent, pertraherent. dona in promptos, minas aduersum abnuentes, & si re- E tinerent propinquus aut parens, vim, raptus, suáque ipsi libita velut in captos exercebant. At Romæ principio anni, quasi recens cognitis Liuiæ flagitiis, ac non pridem etiam punitis, atroces sententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam eius. & bona Seiani ablata ærario, vt in fiscum cogerērur, tāquam referret Scipiones hæc & Silani & Cassij, iisdem fermè aut paulum immutatis verbis adseueratione multa censebant, cùm repentè Togonius Gallus, dum ignobilitatem F suam magnis nominibus inserit, per derididiculum auditur. Nam principem orabat deligere senatores, ex quîs viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem eius defenderent, crediderat nimirum epistolæ, subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, vt tutus à Capreis vrbem peteret. Tiberius tamen ludibria seriis

permiscere

permiscere solitus, egit gratias beneuolentiæ patrum: *sed quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem? an subinde alios? & honoribus perfunctos: an iuuenes? priuatos, an è magistratibus? quā deinde speciem fore, sumentiū in limine curiæ gladios? neq; sibi vitā tāti, si armis tegēda foret.* Hæc aduersus Togoniū, verbis moderans neq; vltra abolitionē sententiæ suadere. At Iuniū Gallionem, qui censuerat vt prætoriani actis stipendiis, ius apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit, velut coràm rogitās, *quid illi cū militibus? quos neque dicta imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore accipere par esset. reperisse prorsus quod diuus Augustus non prouiderit. an potius discordiam & seditionem a satellite Seiani quæsitam? qua rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret.* hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit. statim curia, deinde Italiâ exactus. & quia incusabatur facilè toleraturus exilium, delecta Lesbo insula, nobili & amœnâ, retrahitur in vrbem, custoditúrque domibus magistratuū. Iisdem litteris Cæsar Sextium Paconianum prætorium perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem, delectúmque à Seiano, cuius ope dolus C. Cæsari pararetur. quod postquam patefactum; prorupere concepta pridem odia, & summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret. Vt vero Latinium Latiarem ingressus est, accusator. Ac reus, iuxtà inuisi, gratissimum spectaculum præbebantur. Latiaris, vt rettuli, præcipuus olim circumueniendi Titij Sabini, & tunc luendæ pœnæ primus fuit. Inter quæ Haterius Agrippa consules anni prioris inuasit, cur mutua accusatione intenta, nunc silerent? metum prorsus & noxiam conscientiæ pro fœdere haberi, at non patribus reticenda quæ audiuissent. Regulus manere tempus vltionis, seque coràm principe exsecuturum. Trio æmulationem inter collegas, & si qua discordes iecissent, melius oblitterari, respondit. Vrgente Agrippâ, Sanquinius Maximus è consularibus orauit senatum, ne curas imperatoris, conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis. Sic Regulo salus, & Trioni dilatio exitij quæsita. Haterius inuisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, & ob segnitiam, quamuis crudelem principem nō metuēs, inlustribus viris perniciem inter ganeam ac stupra meditabatur. Exin Cotta Messalinus sæuissimæ cuiusq; sententiæ auctor, eóque inueteratâ inuidia, vbi primū facultas data, arguitur pleraque, C. Cæsarem quasi incestę virilitatis, & cùm die natali Augusti inter sacerdotes epularetur, nouendialem eam cenā dixisset: querensque de potentia M. Lepidi, ac L. Arruntij, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse, *illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.* neque cuncta à primoribus ciuitatis reuincebatur: iisque instantibus ad imperatorem prouocauit. nec multo pòst litteræ adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito inter se atque Cottam amicitiæ principio: crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prauè detorta, neu conuiualium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulauit. Insigne visum est earum Cæsaris litterarum initium: nam his verbis exorsus est, *Quid scribam vobis P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dij me deaque peius perdant, quàm perire quotidie*

A *sentio, si scio.* Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientię firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malis cōsultis, animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suásque ipse pœnas fateretur. Tum factâ patribus potestate, B statuendi de Cæciliano senatore, qui plurima aduersum Cottam promserat, placitum eandem pœnam inrogari, quam in Aruleium & Sanquinium accusatores L. Arruntij. quo non aliud honorificentius Cottæ euenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntij artibus dignitate vltionis æquabatur. Quintus Seruæus posthac, & Minutius Thermus inducti. Seruæus præturâ functus, & quondam Germanici comes. Minutius equestri loco, mo- C destè habitâ Seiani amicitiâ, vnde illis maior miseratio. contrà Tiberius præcipuos ad scelera increpans, admonuit C. Cestium patrem, dicere senatui quæ sibi scripsisset: suscepitque Cestius accusationem. quod maximè exitiabile tulere illa tempora, cùm primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alij propalàm, multi per occultum: neque discerneres alienos à coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens, aut vetustate ob- D scurum: perinde in foro, in conuiuio, quaque de re locuti incusabantur, vt quis præuenire & reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valetudine & contactu. Sed Minutiūs & Seruæus damnati, indicibus accessere. Tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus è Santonis Gallica ciuitate, Seius Quadratus. originem non repperi. Neque sum ignarus à plerisque scriptoribus, omissa multorum pericula & pœnas, dum copia fatiscunt, aut quæ ipsis nimia & E mœsta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, verētur. Nobis pleraque digna cognitu obuenêre, quāquam ab aliis incelebrata. Nā ea tēpestate qua Seiani amicitiam ceteri falsò exuerant, ausus est eques Romanus M. Terentius ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo; *Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat adnoscere crimen, quàm abnuere: sed vtcunque casura res est, fatebor, & fuisse me Seiano amicum, & vt essem expetisse, & postquàm adeptus eram, lætatum. Videram* F *collegam patris regendis prætoriis cohortibus, mox vrbis & militiæ munia simul obeuntem. illius propinqui & adfines honoribus augebātur: vt quisque Seiano intimus, ita ad Cæsaris amicitiā validus. contrà, quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. nec quemquam exemplo adsumo. cunctos qui nouissimi consilij expertes fuimus, meo vnius discrimine defendam. Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiæ & Iuliæ domus partem, quas adfinitate occupauerat, tuum Cæsar generum, tui consulatus sociū, tua officia in Rep. capessentem colebamus. Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, & quibus* G *de caussis extollas. Tibi summum rerum iudicium dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est. Spectamus porrò quæ coràm habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima iuuandi nocendive potentia, quę Seiano fuisse, nemo negauerit: abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps: nec ideo adsequare. Ne P.C. vltimum Seiani diem, sed sexdecim annos cogitaueritis, etiam Satrium atque Pomponium venerabamur: libertis quoque ac*

sanitoribus eius noscere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta hæc defensio, & promiscua dabitur? imo iustis terminus diuidatur. Insidiæ in Remp. consilia cædis aduersum imperatorem, puniantur: de amicitia & officiis, idem finis & te Cæsar & nos absoluerit. Constantia orationis, & quia repertus erat qui efferret quæ omnes animo agitabant, eò vsque potuere, vt accusatores eius, additis quæ antè deliquerant, exilio aut morte multarentur. Secutæ dehinc Tiberij litteræ in Sex. Vestilium prætorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat. caussa offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quædam in C. Cæsarem vt impudicum, siue ficto habita fides. atque ob id conuictu principis prohibitus, cùm senili manu ferrum tentauisset, obligauit venas: precatúsque per codicillos, immiti rescripto venas resoluit. Aceruatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco, simul ac Sabino Caluisio, maiestatis postulantur, & Vinicianus Pollioni patri adiiciebatur, clari genus, & quidam summis honoribus. contremuerántque patres. nam quotus quisque adfinitatis, aut amicitiæ tot illustrium virorum, expers erat? ni Celsus vrbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium & Caluisium discrimini exemisset. Cæsar Pollionis, ac Viniciani Scaurique caussam vt ipse cum senatu nosceret, distulit, datis quibusdam in Scaurum tristibus notis. Ne feminæ quidem exsortes periculi, quâ occupandæ Reip. argui non poterant, ob lacrymas incusabantur, necatáque est anus Vitia Fusij Gemini mater, quòd filij necem fleuisset. Hæc apud senatum. Nec secus apud principem Vescularius Flaccus, ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, è vetustissimis familiarium Rhodum secuti, & apud Capreas indiuidui. Vescularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino participe, Seianus Curtium Atticum oppresserat. quo lætius acceptum, sua exempla in consultores recidisse. Per idem tempus L. Piso Pontifex, rarum in tantâ claritudine, fato obiit: nullius seruilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingueret, sapienter moderans. patrem ei Censorium fuisse memoraui, ætas ad octogesimũ annum processit. decus triumphale in Thraciâ meruerat. sed præcipua ex eo gloria, quòd præfectus vrbi recens, continuam potestatem, & insolentia parendi grauiorem, mirè temperauit. Namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne vrbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui ius redderet, ac subitis mederetur. feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos. dein consules mandabant: duratque simulachrum quoties ob ferias Latinas præficitur, qui consulare munus vsurpet. Ceterùm Augustus bellis ciuilibus Cilnium Mæcenatem equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit è consularibus qui coërceret seruitia, & quod ciuium audaciâ turbidum nisi vim metuat. primúsque Messalla Coruinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam prouecta ætate, egregiè tolerauit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est. Relatum inde ad patres à Quinctiliano

A tribuno plebei de libro Sibullæ, quem Caninius Gallus quindecimuir recipi inter ceteros eiusdem vatis, & eâ de re senatusconsultum postulauerat. quo per discessionem facto, misit litteras Cæsar modicè tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob iuuentã: Gallo exprobrabat, quod scientiæ cærimoniarúmque vetus, incerto auctore, ante sententiam collegij, non, vt assolet, lecto per ma- B gistros æstimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. Simul commonefecit: quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur sanxisse Augustum, quem intra diem ad prætorem vrbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret. quod à maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis, Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibullæ, vna seu plures fuêre, datóque sacerdotibus negotio, C quantum humanâ ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimuirum is liber subiicitur. Iisdem consulibus, grauitate annonæ iuxta seditionem ventum. multáque & plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quàm solitum aduersum imperatorem. quis commotus, incusauit magistratus patrésque, quòd non publicâ auctoritate populum coërcuissent: addiditque quibus è prouinciis, & quanto maiorem quàm Augustus rei frumentariæ copiam, aduectaret. D Ita castigandæ plebi compositum senatusconsultum, prisca seueritate. neque segnius consules edixere, silentium ipsius non ciuile, vt crediderat, sed in superbiam accipiebatur. Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius equites Romani cecidêre coniurationis crimine. Ex quis Geminius prodigentiâ opum, ac mollitiâ vitæ amicus Seiano, nihil ad serium. Et Iulius Celsus tribunus, in vinculis laxatam catenam, & circumdatam in diuersum tendens, suam ipse ceruicem perfregit. At E Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis, Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. sanè is repertus apud fretũ Siciliæ, retractúsque per centurionem, nullas probabiles caussas longinquæ peregrinationis adferebat. Mansit tamen incolumis, obliuione magis quàm clementia. Ser. Galbâ, L. Sulla Coss. diu quæsito quos neptibus suis maritos destinaret Cæsar, postquam instabat virginum ætas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus F ortus, patre atque auo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio, & comtæ facundiæ. Cassius plebei Romæ generis, verùm antiqui honoratique, & seuerâ patris disciplina eductus, facilitate sæpius quàm industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Iuliam, Germanico genitas coniungit. superque ea re senatui scripsit, leui cum honore iuuenum. dein redditis absentiæ caussis admodum vagis, flexit ad grauiora, & offensiones ob Remp. cœptas: vtque Macro præfectus, tribunorúmque & centu- G rionum pauci, secum introirent, quoties curiam ingrederetur, petiuit. factóque largè, & sine præscriptione generis, aut numeri, senatusconsulto, ne tecta quidem vrbis, adeò publicum consilium numquam adiit, deuiis plerumque itineribus ambiguis partiam & declinans. Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, aduersum legem dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cauetur: omissam olim, quia pri-

uat

uato vsui bonum publicum postponitur. Sanè vetus vrbi fœnebre malum, & seditionum discordiarúmque creberrima caussa: eóque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletium agitaretur, dein rogatione tribunicia, ad semuncias redacta: postremo vetita versura. multisque plebis scitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchus Prætor, cui ea quæstio euenerat, multitudine periclitantium subactus, retulit ad senatum. trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam à principe petiuere: & concedente, annus in posterum, sexque menses dati, quis secundum iussa legis, rationes familiares quisque componerent. hinc inopia rei nummariæ, commoto simul omnium ære alieno: & quia tot damnatis, bonisque eorum diuenditis, signatum argentum fisco vel ærario attinebatur. ad hoc senatus præscripserat, duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam conlocaret. Sed creditores in solidum appellabant. nec decorum appellatis, minuere fidem. Ita primò concursatio, & preces, dein strepere prætoris tribunal. eaque quæ remedio quæsita, venditio & emtio [illegible] contrarium mutari: quia fœneratores omnem [illegible] iam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obæratior ægrius distrahebant, multique fortunis prouoluebantur. euersio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat: donec tulit opem Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine vsuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cauisset. Sic refecta fides. & paulatim priuati quoque creditores reperti. neque emptio agrorum exercita ad formam senatusconsulti, acribus, vt ferme talia, initiis, incurioso fine. Dein redeunt priores metus; postulato maiestatis Considio Proculo, qui nullo pauore diem natalem celebrans, raptus in curiam pariterque damnatus interfectúsque. & sorori eius Sanciæ aquâ atque igni interdictum, accusante Q. Pomponio. Is moribus inquies, hæc & huiuscemodi à se factitari prætendebat, vt parta apud principem gratiâ, periculis Pomponij Secundi fratris mederetur. Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem è primoribus Achæorum Cæsar adflixerat. Pater quoque inlustris eques Romanus, ac frater prætorius, cùm damnatio instaret, se ipsi interfecêre. datum erat crimini quod Theophanem Mitylenæum proauum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset: quódque defuncto Theophani cælestes honores Græca adulatio tribuerat. Post quos Sex. Marius Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiã, & saxo Tarpeio deiicitur. ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertisse, aurariásque eius, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius sepofuit. inritatúsque suppliciis, cunctos qui carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet. Iacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas: inlustres, ignobiles: dispersi, aut aggerati: neque propinquis aut amicis adsistere, inlacrymare, ne visere quidem diutius dabatur. sed circumiecti custodes, & in mærorem cuiusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur. vbi

A fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quisquam, non contingere. interciderat sortis humanæ commercium vi metus: quantúmque sæuitia glisceret, miseratio arcebatur. Sub idem tempus, C. Cæsar discedenti Capreas auo comes, Claudiam M. Silani filiam coniugio accepit: immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce, qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haut
B multum distantibus verbis. Vnde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebuit, Neq; meliorem vmquam seruum, neque deteriorem dominum fuisse. Non omiserim præsagium Tiberij de Ser. Galbâ tum consule: quem acitum, & diuersis sermonibus pertentatum, postremò Græcis verbis in hanc sententiam adlocutus: Et tu Galba quandoque degustabis imperium. seram ac breuem potentiam significans, scientia Chaldæorum artis, cuius apiscendæ, otium apud Rhodum, ma-
C gistrum Trasullum habuit, peritiam eius hoc modo expertus. Quoties super negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti vnius conscientia vtebatur. is literarum ignarus, corpore valido, per auia ac derupta (nam saxis domus imminet) præibat eum cuius artem experiri Tiberius statuisset: & regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Trasullus iisdem rupibus inductus, postquam percúctantem com-
D mouerat, imperium ipsi, & futura sollerter patefaciens: interrogatur, an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum, ac spatia dimensus, hærere primò, dein pauescere: & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus. Postremò exclamat, Ambiguum sibi ac prope vltimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum, & incolumem fore gratatur: quæque di-
E xerat oraculi vice accipiẽs, inter intimos amicorum tenet. Sed mihi hæc, ac talia audienti, in incerto iudicium est, fatóne res mortalium & necessitate immutabili, an fortè voluantur. quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diuersos reperies: ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curæ. Ideo creberrima & tristia in bonos, læta apud deteriores esse. Contrà alij, fatum quidem congruere rebus putant, sed non è
F vagis stellis, verùm apud principia, & nexus naturalium caussarum: ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam vbi elegeris, certum imminentium ordinem. neque mala vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari aduersis videantur, beatos: ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos: si illi grauem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsultè vtantur. Ceterùm plurimis mortalium non eximitur quin primo cuiusque ortu ventura destinentur: sed quædam secus quàm dicta sint cadere, fallaciis i-
G gnara dicentium. ità corrumpi fidem artis, cuius clara documenta, antiqua ætas & nostra tulerit. Quippe à filio eiusdem Trasulli prædictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incœpto longiùs abierim. Iisdem consulibus Asinij Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haut dubiũ, sponte vel necessitate, incertũ habebatur. Cõsultúsq; Cesar an sepeliri sineret, nõ erubuit permittere, vltróq; incusare casus,

qui reum abstulissent antequam coram conuincerentur. scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde exstinguitur, cùm se miserandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. Tradidêre quidã, descriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano tentarentur, extractum custodiâ iuuenem, (nam in palatio attinebatur) ducem populo imponere. mox quia rumor incedebat, fore vt nurui ac nepoti conciliaretur Cæsar: sæuitiam, quàm pœnitentiam maluit. Quin & inuectus in defunctum, probra corporis, exitiabilem in suos, infensum Reip. animum obiecit: recitarique factorum dictorúmque eius descripta per dies iussit. quo non aliud atrocius visum. adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent. & potuisse auum audire, legere, in publicum promere, vix fides: nisi quod Actij centurionis, & Didymi liberti epistolæ, seruorum nomina præferebant, vt quis egredientem cubiculo Drusum pulsauerat, exterruerat. etiam sua verba centurio sæuitiæ plena, tamquam egregium, vocésque deficientis adiecerat, quîs primò alienationem mentis simulans, quasi per dementiam, funesta Tiberio: mox vbi exspes vitæ fuit, meditatas, compositásque diras imprecabatur: vt quemadmodum nurum, filiumq; fratris, & nepotes, domúmque omnem cædibus compleuisset, ita pœnas nomini generíque maiorum, & posteris exsolueret. Obturbabant quidem patres, specie detestandi. sed penetrabat pudor & admiratio, callidum olim & tegendis sceleribus obscurum, huc confidentiæ venisse, vt tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter seruorum ictus, extrema vitæ alimenta frustra orantem. Nondum is dolor exoleuerat, cùm de Agrippina auditum, quam interfecto Seiano spe sustentatam prouixisse reor: & postquam nihil de sæuitia remittebatur, voluntate exstinctam, nisi si negatis alimentis, adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus. Enimuerò Tiberius fœdissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens, & Asinium Gallum adulterum, eiúsque morte ad tædium vitæ compulsam. Sed Agrippina æqui impatiens, dominandi auida, virilibus curis, feminarum vitia exuerat. Eodem die defunctam quo biennio antè Seianus pœnas luisset, memoriáque id prodendum addidit Cæsar: iactauitque quòd non laqueo strangulata, neque in Gemonias proiecta foret. Actæ ob id grates, decretúmque vt quintodecimo Kal. Nouembris vtriusque necis die, per omnis annos, donum Ioui sacraretur. Haut multo pòst Cocceius Nerua continuus principis, omnis diuini humaníque iuris sciens, integro statu, corpore inlæso, moriendi consilium cepit. Quod vt Tiberio cognitum: adsidere, caussas requirere, addere preces, fateri postremò graue conscientiæ, graue famæ suæ, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. auersatus sermonem Nerua, abstinentiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius, quanto propiùs mala Reip. viseret, irâ, & metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse. Ceterùm Agrippinæ pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nupta olim Cn. Pisoni, & palam læta morte Germanici, cùm Piso caderet, precibus Augustæ, nec minus inimicitiis Agrippinæ defensa erat. vt

A odium, & gratia desiere, ius valuit. petitáque criminibus haut ignotis, suâ manu, sera magis quàm immerita supplicia persoluit. Tot luctibus funesta ciuitate, pars mæroris fuit, quòd Iulia Drusi filia, quondam Neronis vxor, denupsit in domum Rubellij Blandi, cuius auum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant. Extremo anni mors Aelij Lamiæ funere censorio celebrata, qui administrandæ Suriæ imagine tandem exsolutus, vrbi præfuerat. genus illi decorum, viuida senectus, & non permissa prouincia dignationem addiderat. Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæsaris litteræ, quis incusabat egregium quemque; & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus: seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere prouincias adigerentur. oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret: decimum iam annum attineri. Obiit eodem anno & M. Lepidus, de cuius moderatione, atque sapientia in prioribus libris satis collocaui. neque nobilitas diutiùs demonstranda est. quippe Aemilium genus fœcundum bonorum ciuium, & qui eâdem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere. Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. post longum seculorum ambitum, auis Phœnix in Aegyptum venit: præbuitque materiem doctissimis indigenarum, & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi. de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda, promere libet. Sacrum Soli id animal, & ore ac distinctu pinnarum à ceteris auibus diuersum, consentiunt qui formam eius definiêre. De numero annorum varia traduntur. maximè vulgatum, quingentorum spatium. sunt qui adseuerent, mille quadringentos sexaginta vnum interici: prioresque alites Sesostride primùm, pòst Amaside dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem cui Heliopolis nomen, aduolauisse, multo ceterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura. inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre, nihilque vsurpauisse ex his quæ vetus memoria firmauit. confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris. neque id temerè, sed sublato murrhæ pondere, tentatóque per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis arã perferre, neque adolere. hæc incerta & fabulosis aucta. Ceterùm aspici aliquando in Aegypto eam volucrem, non ambigitur. At Romæ cæde continua, Pomponius Labeo, quem præfuisse Mœsiæ rettuli, per abruptas venas sanguinem effudit. æmulatáq; est coniunx Paxæa. nam promptas eiusmodi mortes, metus carnificis faciebat: & quia damnati, publicatis bonis, sepulturâ prohibebantur: eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Cæsar missis ad senatum litteris, disseruit, morem fuisse maioribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, cúmque finem gratiæ ponere: id se repetiuisse in Labeone. atque illum, quia malè administratæ prouinciæ, aliorúmque criminum vrgebatur culpam inuidiâ velauisse, frustra conterrita vxo-

re, quam

re, quam etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse. Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate & orandis caussis, vitâ probrosus. nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haut minus validū ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultiùs exercebat: detuleratque argumentum tragœdiæ à Scauro scriptæ, additis versibus qui in Tiberium flecterentur. Verùm ab Seruilio & Cornelio accusatoribus, adulterium Liuiæ, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, vt dignum veteribus Aemiliis damnationem antеiit, hortante Sextia vxore, quę incitamentum mortis, & particeps fuit. Ac tamen accusatores, si facultas incideret, pœnis adficiebantur: vt Seruilius Corneliúsque perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendæ delationis ceperant, in insulas, interdicto igni atque aquâ demoti sunt. & Abudius Ruso functus ædilitate, dum Lentulo Getulico, sub quo legioni præfuerat, periculum facessit, quòd is Seiani filium generum destinasset, vltrò damnatur, atque vrbe exigitur. Getulicus ea tempestate superioris Germaniæ legiones curabat, mirúmque amorem adsecutus erat, effusæ clementiæ, modicus seueritate, & proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus. vnde fama constans, ausum mittere ad Cæsarem litteras; *Adfinitatem sibi cum Seiano haut sponte, sed consilio Tiberij cœptam: perinde se quàm Tiberium falli potuisse. neque errorem eundem illi sine fraude, alios exitio haberi. sibi fidem integram, &, si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quàm indicium mortis accepturum. firmarent velut fœdus, quo princeps ceterarum rerum poteretur, ipse prouinciam retineret.* Hæc mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quòd vnus omnium, Seiani adfinium incolumis, multáque gratia mansit: reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam ætatem, magísque famâ quàm vi, stare res suas. C. Sestio, M. Seruilio Coss. nobiles Parthi in vrbem venere, ignaro rege Artabano. Is metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in suos, mox superbiam in nos, sæuitiam in populares sumsit, fretus bellis, quæ secunda aduersum circumiectas nationes exercuerat, & senectutem Tiberij vt inermem despiciens, auidúsq; Armeniæ, cui defuncto rege Artaxiâ, Arsacem liberorum suorum veterrimum imposuit, addita contumelia, & missis qui gazam à Vonone relictam in Syria Ciliciáque reposcerent, simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, séque inuasurum possessa Cyro, & pòst Alexandro, per vaniloquentiam ac minas iaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus: & proximus huic Abdus, ademtę virilitatis. Non despectum id apud barbaros: vltróque potentiam habet. Ij adscitis & aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phrahatem regis Phrahatis filium Româ poscebant. Nomine tantum & auctore opus, vt sponte Cæsaris, vt genus Arsacis, ripam apud Euphratis cerneretur. Cupitum id Tiberio. ornat Phrahaten, accingítque paternum ad fastigium: destinata retinens, consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis, Artabanus tardari metu, modò cupidine vindictæ inardescere. Et barbaris cūctatio, seruilis: statim exsequi, regium

A videtur. Valuit tamen vtilitas, vt Abdum specie amicitiæ vocatum ad epulas lento veneno inligaret: Sinnacem dissimulatione ac donis, simul per negotia, moraretur. Et Phrahates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueuerat, instituta Parthorū resumit, patriis moribus impar, morbo absumtus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridatem sanguinis eiusdem, æmulum Artabano, reciperandæque Armeniæ Hi-
B berum Mithradatem deligit, conciliátque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat. & cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit. Eo de homine haut sum ignarus, sinistram in vrbe famam, pleraque fœda memorari: ceterùm regendis prouinciis priscâ virtute egit. Vnde regressus, & formidine C. Cæsaris, familiaritate Claudij, turpe in seruitium mutatus: exemplar apud posteros adulatorij dedecoris habetur. cesseruntq; prima postremis, & bona iuuentæ se-
C nectus flagitiosa obliterauit. At ex regulis, prior Mithradates Pharasmanen perpulit, dolo & vi conatus suos iuuare: repertíque corruptores, ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt, simul Hiberi magnis copiis Armeniam irrumpunt, & vrbe Artaxata potiuntur. Quæ postquam Artabano cognita, filium Orodem vltorem parat, dátque Parthorum copias: mittit qui auxilia mercede facerent. Contrà, Pharasmanes adiungere Albanos, accipere Sarmatas, quorum Sceptruchi v-
D trimque donis acceptis, more gentico diuersa induere. Sed Hiberi locorum potentes, Caspiâ via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis aduentabant, facilè arcebantur, cùm alios incessus hostis clausisset, vnum reliquum, mare inter & extremos Albanorum montes, æstas impediret. quia flatibus Etesiarum implentur vada, hibernus Auster reuoluit fluctus, pulsóque introrsus freto, breuia litorum nudantur. Interim Orodem sociorum inopem, auctus auxilio Pha-
E rasmanes vocare ad pugnam, & detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula, ac sæpe in modum obsidij stationibus cingebat. donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent prœlium. atque illis sola in equite vis: Pharasmanes & pedite valebat. nam Hiberi Albaníque saltuosos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis insueuêre. Ferúntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iason post auectam Medeam, genitósque ex ea liberos, inanem
F mox regiam Æetæ, vacuósq; Colchos repetiuit. Multáque de nomine eius, & oraculum Phryxi celebrant. Nec quisquam ariete sacrificauerit, credito vexisse Phryxum: siue id animal, seu nauis insigne fuit. Ceterum directâ vtrimque acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum: contráque, ignobilem Hiberum mercenario milite, disserebat. Pharasmanes, integros semet à Parthico dominatu: quanto maiora peterent, plus
G decoris victores, aut si terga darent, flagitij atque periculi laturos. simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina: hinc viros, inde prædam ostenderet. Enimuerò apud Sarmatas non vna vox ducis. se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas sinerent, impetu & comminus præueniendum. Variæ hinc bellantium species. cùm Parthus sequi vel fugere pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quæreret: Sarmatæ omisso arcu, quo breuius valent, contis gladiísque ruerent. modò equestris prœlij

more,frontis & tergi vices:aliquando, vt conſer-
ta acies, corporibus & pulſu armorum pellerent,
pellerentur.Iamque & Albani Hiberique prenſa-
re,detrudere, ancipitem pugnam hoſtibus facere.
Quos ſuper, eques,& propioribus vulneribus pe-
dites adflictabant. Inter quæ Pharaſmanes Oro-
déſque dum ſtrenuis adſunt,aut dubitantibus ſub-
ueniunt,conſpicui,eóque gnari,clamore,telis , e-
quis concurrunt. inſtantius Pharaſmanes. nam
vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit,præ-
latus equo , & fortiſſimis ſatellitum protegenti-
bus ſaucium.Fama tamen occiſi falsò credita, ex-
terruit Parthos , victoriámque conceſsêre. Mox
Artabanus totâ mole regni vltum iit peritia loco-
rum,ab Hiberis meliùs pugnatum.nec ideo abſce-
debat,ni contractis legionibus Vitellius , & ſub-
dito rumore tamquam Meſopotamiam inuaſurus
metum Romani belli feciſſet. Tum omiſsâ Ar-
menia,verſæque Artabani res:inliciente Vitellio,
deſererēt regem ſæuum in pace , & aduerſis præ-
liorum exitioſum.Igitur Sinnaces, quem ante in-
fenſum memoraui,patrem Abdageſem , alióſque
occultos conſulit , & tunc continuis cladibus
promptiores ad defectionem trahit : adfluentibus
paulatim , qui metu magis quàm beneuolentia
ſubiecti,repertis auctoribus ſuſtulerant animum.
Nec iam aliud Artabano reliquum , quàm ſi qui
externorum, corpori cuſtodes aderant , ſuis quiſ-
que ſedibus extorres : quîs neque boni intel-
lectus,neque mali cura,ſed mercede aluntur, mi-
niſtri ſceleribus. His adſumtis , in longinqua &
contermina Scythiæ fugam maturauit,ſpe auxilij:
quia Hyrcanis Carmaniiſque per adfinitatem in-
nexus erat. Atque interim poſſe Parthos abſen-
tium æquos , præſentibus mobiles , ad pœniten-
tiam mutari. At Vitellius profugo Artabano , &
flexis ad nouum regem popularium animis , hor-
tatus Tiridatē parata capeſſere , robur legionum,
ſociorúmque,ripam ad Euphratis ducit. Sacrifi-
cantibus, cùm hic more Romano Suouetaurilia
daret, ille equum placando amni adornaſſet,nun-
tiauêre accolę Euphratē , nulla imbrium vi,ſpon-
te & immenſum attolli:ſimul albentibus ſpumis
in modum diadematis ſinuare orbes : auſpicium
proſperi tranſgreſſus. quidam callidius interpre-
tabantur,initia conatus ſecunda,neque diuturna:
quia eorum quæ terra cælóve portenderentur,
certior fides,fluminum inſtabilis natura,ſimul o-
ſtenderet omina , raperétque. Sed ponte nauibus
effecto,tramiſsóque exercitu.primus Ornoſpades
multis equitum millibus in caſtra venit : .exſul
quondam,& Tiberio , cùm Dalmaticum bellum
conficeret, haut inglorius auxiliator, eóque ciui-
tate Romana donatus. mox reperita amicitia re-
gis,multo apud eum honore , præfectus campis,
qui Euphrate & Tigre inclutis amnibus circum-
flui,Meſopotamiæ nomen acceperunt.Neq; mul-
to pòſt , Sinnaces auget copias : & columen par-
tium Abdageſes, gazam & paratus regios adiecit.
Vitellius oſtentaſſe Romana arma ſatis ratus,mo-
net Tiridatem primoréſque: hunc , Phrahatis aui
& altoris Cæſaris,quæ vtrobique pulchra,memi-
nerit,illos:obſequium in regem , reuerentiam in
nos,decus quiſque ſuum & fidem retinerēt. Exin
cum legionibus in Syriam remeauit.Quæ duabus
ęſtatibus geſta coniunxi,quò requieſceret animus
à domeſticis malis.Non enim Tiberium , quam-
quam triennio poſt cædem Seiani , quæ cæteros
mollire ſolent,tempus,preces, ſatias,mitigabant,

A quin incerta vel abolita pro grauiſſimis & recen-
tibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio ingruētis
accuſatores haut perpeſſus,ſupremis tabulis mul-
ta & atrocia in Macronem ac præcipuos liberto-
rum Cæſaris compoſuit : ipſi fluxam ſenio men-
tem , & continuo abſceſſu , velut exſilium obie-
ctando.Quæ ab heredibus occultata , recitari Ti-
berius iuſſit : patientiam libertatis alienæ oſten-
B tans,& contēptor ſuæ infamiæ,an ſcelerum Seia-
ni diu neſcius , mox quoque modo dicta vulgari
malebat,veritatiſque,cui adulatio officit,per pro-
bra ſaltem gnarus fieri. Iiſdem diebus Granius
Martianus ſenator à C.Graccho maieſtatis poſtu-
latus , vim vitæ ſuæ attulit. Tatiúſque Gratianus
prætura functus,lege eâdem extremum ad ſuppli-
cium damnatus.Nec diſpares Trebellieni Rufi,&
Sextij Paconiani exitus. Nam Trebellienus ſuâ
manu cecidit:Paconianus in carcere, ob carmina
C illic in principem factitata,ſtrangulatus eſt. Hæc
Tiberius non mari , vt olim , diuiſus , neque per
longinquos nuntios accipiebat , ſed vrbem iuxta:
eodem vt die vel noctis interiectu, litteris conſu-
lum reſcriberet:quaſi aſpiciens vndantem per do-
mos ſanguinem , aut manus carnificum.Fine an-
ni Poppæus Sabinus conceſſit vitâ , modicus ori-
ginis , principum amicitia conſulatum ac trium-
phale decus adeptus. maximiſque prouinciis per
quatuor & viginti annos impoſitus , nullam ob
D eximiam artem,ſed quòd par negotiis , neque ſu-
pra erat.Q. Plautius Sex. Papinius Coſs. ſequun-
tur.Eo anno,neque quòd L.Aruſeius morte adfe-
cti forent , adſuetudine malorum vt atrox aduer-
tebatur:ſed exterruit, quòd Vibulenus Agrippa e-
ques Romanus,cùm peroraſſent accuſatores,in i-
pſa curia depromtum ſinu venenum hauſit: prola-
pſúſque ac moribundus , feſtinatis lictorum ma-
nibus in carcerem raptus eſt , faucéſque iam exa-
nimis laqueo vexatæ. Ne Tigranes quidem Ar-
E menia quondam potitus,ac tunç reus , nomine
regio ſupplicia ciuium effugit.Ac C. Galba con-
ſularis , & duo Blæſij voluntario exitu cecidere:
Galba , triſtibus Cæſaris litteris prouinciam ſor-
tiri prohibitus : Blæſiis ſacerdotia integrâ eorum
domo deſtinata,conuulsâ,diſtulerat:tunc vt vacua
contulit in alios.quod ſignum mortis intellexere,
& exſecuti ſunt.Et AEmylia Lepida, quam iuue-
ni Druſo nuptam retuli , crebris criminibus ma-
ritum inſecuta : quamquam inteſtabilis , tamen
F impunita agebat , dum ſuperfuit pater Lepidus.
pòſt à delatoribus corripitur , ob ſeruum adulte-
rum.nec dubitabatur de flagitio. Ergo omiſſa de-
fenſione,finem vitæ ſibi poſuit. Per idem tempus
Clitarum natio Cappadoci Archelao ſubiecta:
quia noſtrum in modum deferre cenſus , pati tri-
buta adigebatur , in iuga Tauri montis abſceſſit:
locorúmque ingenio ſeſe contra imbelles regis
copias tutabatur : donec M. Trebellius legatus à
Vitellio præſide Syriæ cum quatuor millibus le-
gionariorū,& delectis auxiliis miſſus,duos collis
G quos barbari inſederant(minori Cadra,alteri Da-
uara nomen eſt)operibus circumdedit , & erum-
pere auſos,ferro,ceteros,ſiti , ad deditionem coë-
git. At Tiridates volentibus Parthis Nicephoriū
& Anthemuſiada,ceteráſque vrbes,quę Macedo-
nibus ſitæ, Græca vocabula vſurpant , Halúmque
& Artemitam Parthica opida recepit : certanti-
bus gaudio , qui Artabanum Scythas inter edu-
ctum ob ſæuitiam exſecrari,come Tiridatis inge-
nium Romanas per artes ſperabant.Plurimū adu-
lationis

lationis Seleucenſes induêre,ciuitas potens, ſepta
muris,neque in barbarum corrupta,ſed condito-
ris Seleuci retinens.Trecenti opibus , aut ſapien-
tia delecti , vt ſenatus. ſua populo vis , & quo-
ties concordes agunt, ſpernitur Parthus : vbi diſ-
ſenſere , dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſi-
dium vocant, accitus in partem,aduerſum omnes
valeſcit. Id nuper acciderat Artabano regnante,
qui plebem primoribus tradidit ex ſuo vſu. nam
populi imperium , iuxta libertatem : paucorum
dominatio, regiæ libidini propior eſt. Tum ad-
uentantem Tiridatem extollunt , veterum regum
honoribus , & quos recens ætas largius inuenit.
ſimul probra in Artabanum fundebant , mater-
na origine Arſacidē,cetera degenerem. Tiridates
rem Seleucenſem populo permittit. mox conſul-
tans quonam die ſolennia regni capeſſeret , litte-
ras Phrahatis & Hieronis,qui validiſſimas præfe-
cturas obtinebant , accipit , breuem moram pre-
cantium. Placitúmque opperiri viros præpollen-
tis. Atque interim Cteſiphon ſedes imperij petita.
.ſed vbi diem ex die prolatabant , multis coràm &
adprobantibus,Surena patrio more Tiridatem in-
ſigni regio euinxit. Ac ſi ſtatim interiora, ceteráſ-
que nationes petiuiſſet,oppreſſa cunctantium du-
bitatio , & omnes in vnum cedebant. Adſidendo
caſtellum , in quod pecuniam & pellices Artaba-
nus contulerat,dedit ſpatium exuendi pacta.Nam
Phrahates & Hiero,& ſi qui alij delectum capien-
do diademati diem non concelebrauerant , pars
metu,quidam inuidia in Abdageſen, qui tum au-
la,& nouo rege potiebatur, ad Artabanum vertê-
re.Iſque in Hyrcanis repertus eſt,inluuie obſitus,
& alimenta arcu expediens. ac primò tamquam
dolus pararetur, territus : vbi data fides reddendæ
dominationi veniſſe, adleuatur animum , & quæ
repentina mutatio exquirit. Tum Hiero pueri-
tiam Tiridatis increpat : neque penes Arſacidem
imperium , ſed inane nomen apud imbellem ex-
terna mollitia:vim in Abdageſis domo.Senſit ve-
tus regnandi, falſos in amore , odia non fingere.
nec vltrà moratus, quàm dum Scytharum auxilia
conciret,pergit properus,& præueniens inimico-
rum aſtus , amicorum pœnitentiam. neque exue-
rat pædorem, vt vulgum miſeratione aduerteret.
non fraus,non preces: nihil omiſſum , quo ambi-
guos inliceret,promptì firmarētur.Iámque multa
manu, propinqua Seleuciæ aduentabat : cùm Ti-
ridates ſimul fama atque ipſo Artabano percul-
ſus , diſtrahi conſiliis , iret contra , an bellum
cunctatione tractaret. Quibus prœlium & feſti-
nati caſus placebant,diſiectos & longinquitate i-
tineris feſſos , ne animo quidem ſatis ad obſe-
quium coaluiſſe diſſerunt : proditores nuper ho-
ſtéſque eius , quem rurſum foueant. Verùm Ab-
dageſes regrediendum in Meſopotamiam cenſe-
bat, vt amne obiecto, Armeniis interim Elymæíſ-
que & ceteris à tergo excitis , aucti copiis ſociali-
bus,& quas dux Romanus miſiſſet,fortunam ten-
tarent. Ea ſententia valuit , quia plurima aucto-
ritas penes Abdageſen,& Tiridates ignauus ad pe-
ricula erat. ſed fugæ ſpecie diſceſſum , ac princi-
pio à gente Arabum facto , ceteri domos abeunt,
vel in caſtra Artabani:donec Tiridates cum pau-
cis in Syriam reuectus , pudore proditionis o-
mnes exſoluit. Idem annus graui igne vrbem ad-
ficit, deuſta parte Circi, quæ Auentino contigua,
ipſoque Auentino.quod damnum Cæſar ad glo-
riam vertit, exſolutis domuum & inſularum pre-
A tiis. Millies ſeſtertium ea munificentia conloca-
tum:tanto acceptius in vulgum,quanto modicus
priuatis ædificationibus. Ne publicè quidem niſi
duo opera ſtruxit ,templum Auguſto , & ſcenam
Pompeiani theatri : eáque perfecta cōtemptu am-
bitionis , an per ſenectutem haut dedicauit ſed æ-
ſtimando cuiuſque detrimento quattuor proge-
neri Cæſaris,Cn.Domitius,Caſſius Longinus, M.
Vinicius, Rubellius Blandus delecti , additúſque
B nominatione conſulum P.Petronius.Et pro inge-
nio cuiuſque quęſiti decretique in principem ho-
nore. Quos omiſerit receperítve in incerto fuit.
ob propinquum vitæ finem. Neque enim multo
poſt ſupremi Tiberio Conſules, Cn. Acerronius,
C.Pōtiu s magiſtratum occepere , nimia iam po-
tentia Macronis : qui gratiam C. Cæſaris nun-
quam ſibi neglectam , acrius in dies fouebat. im-
pulerátque poſt mortem Claudiæ , quam nuptam
ei rettuli , vxorem ſuam Enniam immittendo, a-
C more iuuenem inlicere, pactóq; matrimonij vin-
cire, nihil abnuentem dum dominationis apiſce-
retur. Nam & ſi commotus ingenio: ſimulatio-
num tamē falſa,in ſinu aui perdidicerat. Gnarum
hoc principi. eóque dubitauit de trahenda Rep.
primùm inter nepotes,quorū Druſo genitus, ſan-
guine & caritate propior, ſed nondum pubertatē
ingreſſus : Germanici filio robur iuuentæ , vulgi
ſtudia,eáq; apud auum odij cauſſa.Etiam de Clau-
dio agitanti , quòd is compoſita ætate bonarum
D artium cupiens erat, imminuta mēs eius obſtitit.
Sin extra domum ſucceſſor quęreretur,ne memo-
ria Auguſti , ne nomen Cæſarum in ludibria &
contumelias verterent, metuebat. quippe illi non
perinde curæ gratia præſentium , quàm in po-
ſteros ambitio.Mox incertus animi , feſſo corpo-
re, conſilium cui impar erat, fato permiſit : iactis
tamen vocibus , per quas intelligeretur prouidus
futurorum. Namque Macroni non abdita amba-
ge , Occidentem ab eo deſeri, Orientem ſpectari
E exprobrauit. Et C. Cæſari fortè orto ſermone L.
Sullam inridenti , omnia Sullæ vitia , & nullam
eiuſdem virtutem habiturum prædixit. ſimul cre-
bris cum lacrymis minorem ex nepotibus com-
plexus , truci alterius vultu : Occides hunc tu, in-
quit,& te alius.Sed graueſcente valetudine , nihil
è libidinibus omittebat , in patientia firmitudi-
nem ſimulans : ſolitúſque eludere medicorum ar-
tes , atque eos qui poſt tricesimum ætatis annum
ad internoſcenda corpori ſuo vtilia vel noxia , a-
F lieni conſilij indigerent. Interim Romæ futuris
etiam poſt Tiberium cædibus ſemina iacieban-
tur. Lęlius Balbus Acutiam P. Vitellij quondam v-
xorem maieſtatis poſtolauerat:qua damnata, cùm
præmium accuſatori decerneretur , Iunius Otho
tribunus plebei interceſſit. vnde illis odia , mox
Othoni exſilium. Dein multorum amoribus fa-
moſa Albucilla,cui matrimonium cum Satrio Se-
cundo coniurationis indice fuerat , defertur im-
pietatis in principem. conuectebantur vt conſcij
& adulteri eius, Cn.Domitius,Vibius Marſus, L.
G Arruntius. De claritudine Domitij ſuprà memo-
raui. Marſus quoque vetuſtis honoribus , & in-
luſtris ſtudiis erat.Sed teſtium interrogationi,tor-
mentis ſeruorum Macronem præſediſſe , com-
mentarij ad ſenatum miſſi ferebant : nullæque in
eos imperatoris litteræ , ſuſpicionem dabant , in-
ualido ac fortaſſe ignaro , ficta pleraque ob i-
nimicitias Macronis notas in Arruntium. I-
gitur Domitius defenſionem meditans , Mar-

us tamquam inediam destinauisset, produxêre viam. Arruntius cunctationem & moras suadentibus amicis: *Non eadem omnibus decora respondit. sibi satis ætatis. neque aliud pœnitendum, quàm quòd inter ludibria, & pericula anxiam senectam tolerauisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium inuisus: non culpa, sed vt flagitiorum impatiens. Sanè paucos & supremos principis dies posse vitari: quemadmodum euasurum imminentis iuuentam? An cùm Tiberius post tantam rerum experientiam, vt dominationis conuulsus & mutatus sit: C. Cæsarem vix finitâ pueritia, ignarum omnium, aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui vt deterior ad opprimendum Seianum delectus, plura per scelera Remp. conflictauisset, prospectare iam se acrius seruitium, eóque fugere simul acta & instantia.* Hæc vatis in modum dictitans, venas resoluit. Documento sequentia erunt, benè Arruntium morte vsum. Albucilla irrito ictu à semet vulnerata, iussu senatus in carcerem fertur. Stuprorum eius ministri, Grasidius Sacerdos prętorius vt in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium: & eædem pœnæ in Lælium Balbum decernuntur. id quidem à lætantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus aduersum insontes. Iisdem diebus Sex. Papinius consulari familia, repentinum & informem exitum delegit, iacto in præceps corpore. caussa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata, adsentationibus atque luxu perpulisset iuuenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inueniret. Igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum aduolueretur, luctúmque communem, & magis imbecillum tali super casu feminarum animum, aliáque in eundem dolorem mœsta & miseranda diu ferret: vrbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuuentæ exiret. Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat. Idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate, quamuis manifestam defectionem tegebat. mutatisque sæpius locis, tandem apud promontorium Miseni consedit, in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum adpropinquare supremis, tali modo compertum. Erat medicus arte insignis, nomine Charicles,

A non quidem regere valetudines principis solitus, consilij tamen copiam præbere. Is velut propria ad negotia digrediens, & per speciem officij manum complexus, pulsum venarum attigit: neque fefellit. Nam Tiberius incertum an offensus, tantóque magis iram premens, instaurari epulas iubet, discumbítque vltra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum, nec vltra biduum duraturum Macroni firmauit. Inde cuncta conloquiis
B inter præsentes, nuntiis apud legatus & exercitus festinabantur. Decimo septimo Kalend. Aprilis interclusa anima, creditus est mortalitatem expleuisse. Et multo gratantum concursu, ad capienda imperij primordia C. Cæsar egrediebatur. cùm repentè adfertur, redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent. Pauor hinc in omnes: & ceteri passim dispergi, se quisque mæstum aut nescium fingere. Cæsar in silentium fixus, à summa spe,
C nouissima exspectabat. Macro intrepidus, opprimi senem iniectu multæ vestis iubet, discedíque ab limine. Sic Tiberius finiuit, octauo & septuagesimo ætatis anno. Pater ei Nero, & vtrimque origo gentis Claudiæ, quamquam mater in Liuiam, & mox Iuliam familiam, adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites. nam proscriptum patrem exsul secutus, vbi domum Augusti priuignus introiit, multis æmulis conflictatus est, dum Marcellus & Agrippa, mox Caius Luciúsque Cæsares, viguere. Et-
D iam frater eius Drusus prosperiore ciuium amore erat. Sed maximè in lubrico egit acceptâ in matrimonium Iulia, impudicitiam vxoris tolerans aut declinans. Dein Rhodo regressus, vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus fermè & viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diuersa: egregium vita famáque quoad priuatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus
E superfuere. Idem inter bona maláque mixtus, incolumi matre intestabilis sæuitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit, timuítque. Postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantùm ingenio vtebatur.

C. CORNE-

C. CORNELII TACITI
AB EXCESSV DIVI AVGVSTI
Annalium

LIBER XI.

NAM Valerium Asiaticum bis consulem,
fuisse quondam adulterum eius credidit:pa-
sitèrque hortis inhians ,quos ille à Lucullo cœp-
tos insigni magnificentiâ extollebat, Suilium ac-
cusandis vtrisque immittit. Adiungitur Sosibius
Britannici educator , qui per speciem beneuolen-
tię moneret Claudium, auri vim atque opes prin-
cipibus infensas:præcipuum auctorem Asiaticum
interficiēdi Cæsaris,nō extimuisse in cōcione po-
puli Romani , fateri gloriáque facinoris vltrò pe-
tere. clarū ex eo in vrbe, diditâ per prouincias fa-
mâ, parare iter ad Germanicos exercitus, quando
genitus Viennæ, multísque & validis propinqui-
tatibus subnixus,turbare gentiles nationes prom-
tum haberet. At Claudius nihil vltrà scrutatus,ci-
tis cum militibus , tamquam opprimendo bello,
Crispinum pretorij præfectum misit:à quo reper-
tus est apud Baias, vinclísque inditis in vrbem ra-
ptus , neque datâ senatus copiâ , intra cubiculum
auditur,Messallinâ coram. Et Suilio , corruptio-
nem militum,quos pecunia &stupro in omni fla-
gitio obstrictos arguebat , exin adulterium Pop-
pææ , ac postremum mollitiam corporis obiectā-
te. Ad quod victo silentio prorupit reus, &, Inter-
roga,inquit, Suili filios tuos , virum me esse fate-
buutur:ingressusque defensionem,commoto ma-
iorem in modum Claudio,Messallinæ quoque la-
crymas exciuit. quibus abluendis cubiculo egre-
diens,monet Vitellium ne elabi reum sineret.Ipsa
ad perniciem Poppææ festinat,subditis qui terro-
re carceris ad voluntariam mortem propellerent:
adeò ignaro Cæsare , vt paucos post dies epulan-
tem apud se maritum eius Scipionem percuncta-
retur : cur sine vxore discubuisset? atque ille fun-
ctam fato responderet:Sed consultanti super abso
lutione Asiatici,flens Vitellius commemorata ve-
tustate amicitiæ , vtque Antoniam principis ma-
tré pariter obseruauissent , dein percursis Asiatici
in Remp.officiis,recentique aduersus Britanniam
militia,quęque alia conciliandæ misericordię vi-
debantur : liberum ei mortis arbitrium permisit.
& secuta sunt Claudij verba , in eandem clemen-
tiam.Hortantibus dehinc quibusdam inediam &
lenem exitum,remittere beneficium Asiaticus ait:
& vsurpatis quib⁹ insueuerat exercitationib⁹,lau-
to corpore,hilarè epulatus,cùm se honestius calli-
ditate Tiberij , vel impetu C. Cæsaris periturum
dixisset,quàm quod fraude muliebri & impudico
Vitellij ore caderet, venas exsoluit. viso tamen an-
tè rogo, iussóque transferri partem in aliam,ne o-
pacitas arborum vapore ignis minueretur. Tan-
tum illi securitatis nouissimæ fuit. Vocantur post
hæc patres , pergítque Suilius addere reos equites
Romanos illustres , quib⁹ Petra cognomentū. At

A caussa necis ex eo , quod domū suā Mnesteris &
Poppęæ congressibus præbuissent. Verū nocturnę
quietis species alteri obiecta: tāquā vidisset Clau-
dium spicea corona euinctum , spicis retro con-
uersis : eáque imagine grauitatem annonæ dixis-
set. Quidam pampineam coronam albentibus fo-
liis visam, atque ita interpretatum tradidere, ver-
gente autumno mortem principis ostendi. Illud
haud ambigitur, qualicunque insomnio, ipsi fra-
trique perniciem allatam. Sestertium quindecies,
B & insignia præturæ Crispino decreta. Adiecit Vi-
tellius sestertiûm decies Sosibio : quòd Britanni-
cum pręceptis, Claudium consiliis iuuaret. Roga-
tus sententiam & Scipio:cùm idem, inquit, de ad-
missis Poppææ sentiam quod omnes , putare
me idem dicere quod omnes. eleganti tempe-
ramento inter coniugalem amorem , & senatoriā
necessitatem. Continuus inde & sæuus accusandis
reis Suilius, multíque audaciæ eius æmuli. Nam
cuncta legum & magistratuum munia in se tra-
C hens princeps , materiam prædandi patefecerat.
nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit,
quàm aduocatorum perfidia:adeò vt Samius insi-
gnis eques Romanus, quadringentis nummorum
millibus Suilio datis , & cognita præuaricatione,
ferro in domo eius incubuerit. Igitur incipiente
C.Silio consule designato, cuius de potentia & e-
xitio in tempore memorabo , consurgunt patres,
legémque Cinciam flagitant , qua cauetur anti-
quitùs, ne quis ob caussam orandam pecuniam
D donúmve accipiat. Deinde obstrepentibus his
quib⁹ ea cōtumelia parabatur , discors Suilio Si-
lius acriter incubuit, veterum oratorum exempla
referens , *qui famam in posteros , pramia eloquentia
cogitauissent pulcherrima. alioquin & bonarum ar-
tium principem sordidis ministeriis fœdari: nec fi-
dem integram manere, vbi magnitudo quæstuum spe-
ctetur. quòd si in nullius mercedem negotia tuean-
tur , pauciora fore:nunc inimicitias, accusationes , o-
dia, & iniurias foueri , vt quomodo vis morborum*
E *pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam aduocatis
ferat. meminissent C. Asinij, & Messalla , ac recen-
tiorum Arruntij & Esernini. ad summa prouectos in-
corrupta vita & facundia.* Talia dicente cōsule de-
signato, consentiētibus aliis parabatur sententia,
qua lege repetundarum tenerentur : cùm Suilius,
& Cossutianus, & ceteri qui non iudicium(quip-
pe in manifestos) sed pœnam statui videbant, cir-
cumsistunt Cęsarem, antè acta deprecātes. Et post-
quam annuit tacens , incipiunt; *Quem illum
F tanta superbia esse , vt æternitatem famæ spe præsu-
mat? vsu & rebus subsidium præparari , ne quis
inopia aduocatorum potentioribus obnoxius sit. ne-
qu tamen eloquentiam gratuitò contingere : omitti*

curas familiares, vt quis se alienis negotiis intendat.
multos militia, quosdam exercendo agros tolerare
vitam. Nihil à quoquam expeti, nisi cuius fructus
antè prouiderit. Facilè Asinium, & Messallam, inter
Antonium & Augustum bellorum præmiis refertos,
aut ditium familiarum heredes Eserninos & Arrun-
tios, magnum animum induisse: prompta sibi exempla
quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concio-
nari soliti sint. se modicos senatores, quieta Rep. nulla
nisi pacis emolumenta petere. cogitare plebem, quæ
togâ enitesceret: sublatis studiorum pretiis, etiam
studia peritura, vt minus decora. Hæc ita haut fru-
stra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis po-
suit modum, vsque ad dena sestertia, quę egressi
repetundarum tenerentur. Sub idem tempus Mi-
thradates, quem imperitasse Armeniis & ad præ-
sentiam Cęsaris vectũ memoraui, monente Clau-
dio in regnum remeauit, fisus Pharasmanis opi-
bus. Is rex Hyberis, idémque Mithradatis frater,
nuntiabat discordare Parthos: summáque imperij
ambiguâ, minora sine curâ haberi. Nam inter Go-
tarzis pleraque sæua (qui necem fratri Artabano,
coniugíque ac filio eius pręparauerat, vnde metus
eius in ceteros) acciuêre Bardanẽ. Ille vt erat ma-
gnis ausis promtus, biduo tria millia stadiorum
inuadit, ignarúmq; & exterritum Gotarzem pro-
turbat: neque cunctatur, quin proximas pręfectu-
ras corripiat, solis Seleucẽsibus dominationem e-
ius abnuentibus. In quos vt patris sui quoque de-
fectores, ira magis quàm ex vsu præsenti accensus
implicatur obsidione vrbis validæ, & munimen-
tis obiecti amnis muróque & commeatibus fir-
matæ. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorúm-
que opibus auctus, bellum renouat: coactúsque
Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud
campos castra contulit. Tunc distractis Orientis
viribus, & quonam inclinarent incertis: casus Mi-
thradati datus est, occupandi Armeniam, vt mili-
tis Romani ad excidẽda castellorũ ardua, simúlq;
Hybero exercitu cãpos persultante: Nec enim re-
sistere Armenij, fuso qui prœlium ausus erat De-
monacte præfecto. Paululum cunctationis attulit
rex minoris Armenię Cotys, versis illuc quibus-
dam procerum: deinde litteris Cæsaris coërcitus.
& cũcta in Mithradatẽ fluxêre, atrociorem quàm
nouo regno conduceret. At Parthi imperatores
cùm pugnã pararẽt, fœdus repentè faciunt, cogni-
tis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri pate-
fecerat. congressiq; primo cũctanter, deinde com-
plexi dextras, apud altaria deûm pepigere, fraudẽ
inimicorũ vlcisci, atq; ipsi inter se concedere. Po-
tiorq; Bardanes visus retinendo regno. At Gotar-
zes, ne quid ęmulationis exsisteret, penitus in Hyr
caniam abiit: regressóque Bardani deditur Seleu-
cia, septimo post defectionem anno, non sine de-
decore Parthorum, quos vna ciuitas tamdiu elu-
serat. Exin validissimas præfecturas inuasit, & re-
ciperare Armeniam, ni Vibio Marso Syriæ legato
bellum minitante cohibitus foret. Atque interim
Gotarzes pœnitentiâ concessi regni, & reuocante
nobilitate, cui in pace durius seruitium est, con-
trahit copias. & huic contra itum ad amnem Erin-
dem: in cuius transgressu multum certato, peruicit
Bardanes, prosperisque prœliis medias nationes
subegit ad flumen Gindem, quod Dahas Ariósq;
disterminat. Ibi modus rebus secundis positus.
nam Parthi quamquam victores, longinquam mi
litiam aspernabãtur. Igitur exstructis monimẽtis
quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante

A Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, re-
grediturs ingens gloria, atque eò ferocior, & sub-
iectis intolerantior. Qui dolo antè composito, in-
cautum venationique intentum interfecere, pri-
mam intra iuuentam, sed claritudine paucos inter
senum regum, si perinde amorem inter popula-
res, quam metum apud hostes quæsiuisset. Nece
Bardanis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos
quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen
B inclinabant, quidam ad Meherdatẽ prolem Phra-
hatis obsidio nobis datum. Deinde præualuit Go-
tarzes. potitúsque regia, per sæuitiem ac luxum ad
egit Parthos mittere ad principem Romanum oc
cultas preces, quîs permitti Meherdatem patrium
ad fastigium orabant. Iisdem consulibus ludi sæ-
culares octingentesimo post Romam conditum,
quarto & sexagesimo quàm Augustus ediderat,
spectati sunt. Vtriusque principis rationes pręter-
mitto, satis narratas libris quibus res imperato-
C ris Domitiani composui. nam is quoque edidit
ludos sæculares. iisque intentiùs affui sacerdotio
Quindecimuirali præditus, ac tum prætor. quod
non iactantia refero, sed quia collegio quinde-
cimuirûm antiquitùs ea cura, & magistratus po-
tissimùm exsequebantur officia cærimoniarum.
Sedente Claudio Circensibus ludis, cùm pueri no
biles equis ludicrum Troiæ inirent, intérque eos
Britannicus imperatore genitus, & L. Domitius
adoptione mox in imperiũ & cognomentum Ne-
D ronis adscitus, fauor plebis acrior in Domitium,
loco præsagij acceptus est. vulgabatúrque affuisse
infantiæ eius dracones in modum custodum, fa-
bulosa & externis miraculis adsimilata. nam ipse
haut quaquam sui detractor, vnam omnino an-
guem in cubiculo visam narrare solitus est. Verũ
inclinatio populi supererat ex memoria Germa-
nici, cuius illa reliqua suboles virilis: & matri A-
grippinæ miseratio augebatur, ob sæuitiam Mes-
E sallinæ, quæ semper infesta, & tunc commotior,
quo minus strueret crimina & accusatores, nouo
& furori proximo amore distinebatur. Nam in C.
Silium iuuentutis. Romanæ pulcherrimum ita
exarserat, vt Iuniam Sylanam nobilem feminam,
matrimonio eius exturbaret, vacuóque adultero
potiretur. Neque Silius flagitij aut periculi nes-
cius erat: sed certo si abnueret exitio, & nonnul-
lâ fallendi spe, simul magnis præmiis, opperiri
futura, & præsentibus frui pro solatio habebat.
F Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare
domum, egressibus adhærescere, largiri opes,
honores: postremò velut translata iam fortuna,
serui, liberti, paratus principis apud adulterum
visebantur. At Claudius matrimonij sui igna-
rus, & munia censoria vsurpans, theatralem
populi lasciuiã seueris edictis increpuit, quòd in
P. Pomponium consularem, (is carmina scenæ
dabat) inque feminas illustres probra iecerat. Et
lege latâ, sæuitiam creditorum coërcuit, ne in
mortem parentum pecunias filiis familiarum fœ-
nori darent. Fontésque aquarum sub Imbruinis
G collibus deductos, vrbi intulit. Ac nouas lit-
terarum formas addidit, vulgauitque: comper-
to Græcam quoque litteraturam non simul cœ-
ptam, absolutámque. Primi per figuras anima-
lium Ægyptij sensus mentis effingebant: & anti-
quissima monimenta memoriæ humanæ impres-
sa saxis cernuntur: & litterarum semet inuento-
res perhibent. Inde Phœnicas, quia mari præpol-
lebant, intulisse Græciæ, gloriámque adeptos,

tamquam

antiquâ reppererint quæ acceperant. Quippe fama eſt Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis eius auctorem fuiſſe. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, ſexdecim literarum formas: mox alios, ac præcipuum Simonidem ceteras reperiſſe. At in Italia Etruſci ab Corinthio Damarato, Aborigenes Arcade ab Euandro didicerunt. Et formæ litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum. Sed nobis quoque paucæ primùm fuêre: deinde additæ ſunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quæ vſui, imperitante eo, pòſt oblitteratæ, aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo. Retulit deinde ad ſenatum ſuper collegio haruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: ſæpe aduerſis Reip. temporibus accitis, quorum monitu redintegratas cærimonias, & in poſterum rectius habitas. primoréſque Etruriæ ſponte aut patrum Romanorum impulſu retinuiſſe ſcientiam, & in familias propagaſſe: quod nunc ſegnius fieri, publica circa bonas artes ſocordia, & quia externæ ſuperſtitiones valeſcant. & læta quidem in præſens omnia: ſed benignitati deûm gratiam referendam, ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera oblitterarêtur. Factum ex eo ſenatuſconſultum: viderent pontifices, quæ retinenda firmandáque haruſpicum. Eodem anno Cheruſcorum gens regem Româ petiuit, amiſſis per interna bella nobilibus, & vno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud vrbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus è Flauio fratre Arminij. Mater ex Catumero principe Cattorum erat. ipſe forma decorus, & armis equiſque in patrium noſtrúmque morem exercitus. Igitur Cæſar, auctum pecuniâ, additis ſtipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capeſſere. Illum primum Romæ ortum, nec obſidem, ſed ciuem, ire externum ad imperium. Ac primò lætus Germanis aduentus, atque eò magis, quòd nullis diſcordiis imbutus pari in omnes ſtudio ageret: celebrari, coli, modò comitatem & temperantiam nulli inuiſam, ſæpius vinolentiam ac libidines grata barbaris vſurpans. Iámque apud proximos, iam longius clareſcere, cùm potentiam eius ſuſpectantes qui factionibus floruerant, diſcedunt ad conterminos populos, ac teſtificantur, *Adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere. adeò neminem iiſdem in terris ortum, qui principem locum impleat: niſi exploratoris Flauij progenies ſupra cunctos attollatur? Fruſtra Arminium praſcribi: cuius ſi filius hoſtili in ſolo adultus, in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, infectum alimonio, ſeruitio, cultu, omnibus externis. at ſi paterna Italo mẽs eſſet, non aliũ infenſius arma contra patriam ac deos penates, quàm parentes eius exercuiſſe.* His atque talibus magnas copias coëgere. Nec pauciores Italum ſequebantur. *Non enim irrupiſſe ad inuitos, ſed accitum memorabant. quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignũ ſe patruo Arminio, auo Catumero præberet. nec patrem illi rubori eſſe, quòd fidem aduerſus Romanos volentibus Germanis ſumtam, nunquam omiſiſſet. falsò libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui priuatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habeant.* Aſtrepebat huic alacre vulgus, & magno inter Barbaros prœlio victor rex: dehinc ſecunda fortuna ad ſuperbiam prolapſus, pulſúſ-

A que, ac rurſus Langobardorum opibus refectus, per læta, per aduerſa res Cheruſcas afflictabat. Per idem tempus Chauci nullâ diſſenſione domi, & morte Sanquinij alacres, dum Corbulo aduentat, inferiorem Germaniam incurſauêre, duce Gãnaſco, qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, pòſt transfuga, leuibus nauigiis prędabundus, Gallorum maximè oram vaſtabat, non ignarus dites & imbelles eſſe. At Corbulo prouinciam ingreſſus, magnâ cum cura & mox gloriâ, cui prin-

B cipium illa militia fuit, triremes alueo Rheni, ceteras nauium: vt quæque habiles, per æſtuaria & foſſas adegit: lintribúſque hoſtium depreſſis & exturbato Gannaſco, vbi præſentia ſatis compoſita ſunt, legiones operum & laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit: ne quis agmine decederet, nec pugnam niſi iuſſus iniret. ſtationes, vigiliæ, diurna nocturnáque munia, in armis agitabantur. Ferúntque militem, quia vallum non accinctus, atque alium quia pugione

C tantum accinctus foderet, morte punitos. quæ nimia & incertum an falsò aucta, originem tamen è ſeueritate ducis traxêre. intentúmque & magnis delictis inexorabilem ſcias, cui tantum aſperitatis etiam aduerſus leuia credebatur. Ceterùm is terror milites hoſtéſque in diuerſum affecit. nos virtutem auximus: Barbari ferociam infregêre. Et natio Friſiorum poſt rebellionem clade L. Apronij ceptam infenſa, aut malè fida, datis obſidibus cõſedit apud agros à Corbulone deſcriptos. Idem ſe-

D natum, magiſtratus, leges impoſuit. Ac ne iuſſa exuerẽt, præſidium immuniuit: miſſis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, ſimul Gannaſcum dolo aggrederentur. Nec irritæ aut degeneres inſidiæ fuere aduerſus transfugam & violatorem fidei. Sed cæde eius motæ Chaucorum mẽtes, & Corbulo ſemina rebellionis præbebat, vt læta apud pleroſque, ita apud quoſdam ſiniſtrâ famâ. cur hoſtem conciret? aduerſa in Rempublicam caſura: ſin proſperè egiſſet, formidoloſum

E paci, virum inſignem, & ignauo principi prægrauem. Ideo Claudius adeò nouam in Germanias vim prohibuit: vt referri præſidia cis Rhenum iuberet. Iam caſtra in hoſtili ſolo molienti Corbuloni, hę litteræ redduntur. Ille re ſubita, quamquam multa ſimul offunderentur, metus ex imperatore, contemtio ex barbaris, ludibrium apud ſocios, nihil aliud prolocutus, quàm beatos quondam duces Romanos, ſignum receptui dedit. Ne

F tamen miles otium exueret, inter Moſam Rhenúmque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, qua incerta Oceani vetarentur. inſignia tamen triumphi indulſit Cæſar, quamuis bellum negauiſſet. Nec multo pòſt Curtius Rufus eundem honorem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti: vnde tenuis fructus, nec in longum fuit. at legionibus cum damno labor, effodere riuos, quę que in aperto grauia, humum infrà moliri. quîs

G ſubactus miles: & quia plures per prouincias ſimilia tolerabãtur, componit occultas litteras nomine exercituum precantium imperatorem, vt quibus permiſſurus eſſet exercitus, triumphalia antè tribueret. De origine Curtij Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falſa prompſerim, & vera exſequi pudet. Poſtquam adoleuit, ſectator quæſtoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus ſecretus agitat, oblata ei ſpecies mu-

lubris vltra modum humanum,& audita est vox: *Tu es Rufe, qui in hanc prouinciam pro consule venies.* tali omine in spem sublatus, digressúsque in vrbem,& largitione amicorum, simul acri ingenio, quæsturam,& mox nobiles inter candidatos præturam principis suffragio assequitur: cùm hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velauisset, *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Longâ post hæc senectâ, & aduersus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremò Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præsagium impleuit. Interea Romæ, nullis palàm neque cognitis mox caussis, Cn. Nouius insignis eques Romanus, ferro accinctus reperitur in cœtu salutantium principem: nam postquàm tormentis dilaniabatur, de se Nouius, conscios non edidit, incertum an occultans. Iisdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctísque ciuium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin primâ iuuenta consulatum ac dictaturas inirent. Sed quæstores, regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt: quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatique primùm Valerius Potus, & Æmilius Mamercus, LXIII. anno post Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis, duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, stipendiariâ iam Italiâ, & accedentibus prouinciarum vectigalib⁹. Pòst lege Syllæ viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. & quamquam equites iudicia reciperauissent, quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuitò concedebatur, donec sententia Dolabellæ velut venundaretur. A. Vitellio, L. Vipsanio consulibus, cùm de supplendo senatu agitaretur, primorésque Galliæ, quæ Comata appellatur, fœdera & ciuitatem Romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in vrbe honorum expeterent: multus eâ super re variúsque rumor, & studiis diuersis apud principem certabatur, asseuerantium. *Non adeò ægram Italiam, vt senatum suppeditare vrbi suæ nequiret: suffecisse olim indigenas consanguineis populis, nec pœnitere veteris Reip. Quin adhuc memorari exempla, quæ priscis moribus ad virtutem & gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quòd Veneti & Insubres curiam inruperint, nisi cœtus alienigenarum velut captiuitas inferatur? quem vltrà honorem residuis nobilium? aut si quis pauper è Latio senator foret? oppleturos omnia diuites illos, quorum aui proauique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, diuum Iulium apud Alesiam obsiderint. Recentia hæc. quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio & ara Romana manibus eorundem prostratis fruerentur sanè vocabulo ciuitatis: insignia patrum, decora magistratuum, ne vulgarent.* His atque talibus haut permotus princeps, & statim contrà disseruit, & vocato senatu ita exorsus est. *Maiores mei (quorum antiquissimus Clausus origine Sabina, simul in ciuitatem Romanam & in familias patriciorum adscitus est) hortantur, vti paribus consiliis Remp. capessam, transferendo huc quod vsquam* A *egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo: & ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniâque, & omni Italiâ, in senatum accitos. Postremò ipsam ad Alpes promotam, vt non modò singuli viritim, sed terræ gentésque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & aduersus externa floruimus, cum Transpadani in ciuitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terræ legionum, additis prouincialium va-* B *lidissimis, fesso imperio subuentum est. num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros è Gallia Narbonensi transiuisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quòd victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientiâ valuit, vt plerosque populos eodem die hostes, dein ciues habuerit. Aduenæ in nos regnauerunt. Libertinorum filiis magistratus mandari,* C *non vt plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnauimus. scilicet Volsci & Aequi, numquam aduersam nobis aciem struxere? Capti à Gallis sumus. sed & Tuscis obsides dedimus, & Samnitium iugum subiuimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breuiore spatio quam aduersus Gallos confectum. continua inde ac fida pax. Iam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum & opes suas inferant potius, quàm separati habeant. Omnia P. C. quæ nunc ve-* D *tustissima creduntur, noua fuere. plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiæ gentium post Latinos. Inueterascet hoc quoque: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Orationem principis secuto patrum consulto, primi Ædui senatorum in vrbe ius adepti sunt. datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum asciuit Cæsar vetustissimum quemque è senatu, aut E quibus clari parentes fuerant: paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhaustis etiam quas dictator Cæsar lege Cassiâ, & princeps Augustus lege Seniâ sublegêre. Lætáque hæc in R. P. munia, multo gaudio Censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam, quàm ex seueritate prisca rationem adhibuit: monendo, secum quisque de se consultaret, peterétF que ius exeundi ordinis. facilem eius rei veniam, & motos senatu, & excusatos simul propositurum: vt iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti, ignominiam mollirent. Ob ea Vipsanius consul rettulit, patrem senatus appellandum esse Claudium. quippe promiscuum patris patriæ cognomentum: noua in Remp. merita, non vsitatis vocabulis honoranda. Sed ipse cohibuit consulem vt nimium assentantem. condiditque lustrum, quo censa sunt ciuium LXVIIII centena, & XLIIII millia. Isque illi finis inscitiæ G erga domum suam fuit. haud multo pòst, flagitia vxoris noscere ac punire adactus, vt deinde ardesceret in nuptias incestas. Iam Messallina facilitate adulterorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat; cùm abrumpi dissimulationem etiam Silius, siue fatali vecordiâ, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, vrgebat. *Quippe non eò ventum, vt senecta principis opperiretur. insontibus innoxia consilia: flagitiis*

gitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum. adesse conscios paria metuentes: se cælibem, orbum, nuptiis, & adoptando Britannico paratum. mansuram eandem Messallinæ potentiam, additâ securitate, si præuenirent Claudium, vt insidiis incautum, ita iræ properum. Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum. sed ne Silius summa adeptus, sperneret adulteram, scelúsque inter ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimaret: nomen tamen matrimonij concupiuit, ob magnitudinem infamiæ: cuius apud prodigos nouissima voluptas est. Nec vltrà expectato, quàm dum sacrificij gratiâ Claudius Hostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum sollennia celebrat. Haud sum ignarus, fabulosum visum iri, tantum vllis mortalium securitatis fuisse, in ciuitate omnium gnarâ & nihil reticente: nedum consulem designatum, cum vxore principis, prædictâ die, adhibitis qui obsignarent velut suscipiendorum liberorum caussâ, conuenisse: atque illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos, discubitum inter conuiuas, oscula, complexus, noctem denique actam licentiâ coniugali. Sed nihil compositum miraculi caussâ, verum audita scriptáque senioribus tradam. Igitur domus principis inhorruerat; maximéque quos penes potentia, & si res verterent, formido, non iam secretis colloquiis, sed apertè fremere. *Dum histrio cubiculum principis persultauerit, dedecus quidem illatum, sed excidium procul abfuisse. nunc iuuenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis, ac propinquo consulatu, maiorem ad spem accingi. nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset.* subibat sine dubio metus, reputâtes hebetem Claudium & vxori deuinctum, multásque mortes iussu Messallinæ patratas. Rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis præualuissent, posse opprimi damnatam antequam ream. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, vtque clausæ aures etiam confitenti forent. Ac primò Calistus iam mihi circa necem Cæsaris narratus, & Appianæ cædis molitor Narcissus, flagrantissimáque eo in tempore gratiâ Pallas, agitauêre; num Messallinam secretis minis depellerent amore Silij, cuncta alia dissimulantes. deinde metu, ne ad perniciem vltrò traherentur, desistunt, Pallas per ignauiam, Calistus prioris quoque regiæ peritus, & potentiam cautis quàm acrioribus consiliis tutius haberi. Perstitit Narcissus, solum id immutans, ne quo sermone præsciam criminis & accusatoris faceret. Ipse ad occasiones intentus, longâ apud Hostiam Cæsaris morâ, duas pellices, quarum is corpori maximè insueuerat, largitione ac promissis, & vxore deiectâ plus potentiæ ostentando, perpulit delationem subire. Exin Calpurnia (id pellici nomen) vbi datum secretum, Cæsaris genibus prouoluta nupsisse Messallinam Silio exclamat. simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, an comperisset, interrogat: atque illa annuente, cieri Narcissum postulat. Is veniam in præteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulauisset, *nec nunc adulteria obiecturum* ait, *ne domum, seruitia, & ceteros fortunæ paratus reposceret: frueretur immò iis, & redderet vxorem, rumperétque tabulas nuptiales. an discidium* inquit, *tuum nosti? nam matrimonium Silij vidit populus, & senatus & miles: ac ni properè agis, tenet vrbem maritus.* Tum potissimum amicorum vocat, primúmque rei frumentariæ præfectum Turranium pòst

A Lusium Getam prætorianis impositum, percunctatur. Quibus fatentibus, tum certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra, firmaret prætorias cohortes, securitati antequam vindictæ consuleret. Satis constat eo pauore offusum Claudium, vt identidem interrogaret, an ipse imperij potens? an Silius priuatus esset? At Messallina non aliâs solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemię

B per domum celebrabat: vrgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, vt sacrificantes vel insanientes Bacchæ. ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtáque Silius hederâ vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro. Ferût Vectium Valentem lasciuiâ in præaltam arborem connisû, interrogantibus quid adspiceret, respôdisse, tempestatê ab Hostia atrocem. siue ceperat ea species: seu fortè lapsa vox in præsagium vertit. Non rumor interea, sed

C vndique nuntij incedunt, qui gnara Claudio cuncta, & venire promptum vltioni afferrent. Igitur Messallina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus, affuere centuriones, inditáq; sunt vincula, vt quis reperiebatur in publico aut per latebras. Messallina tamen quanquam res aduersæ consilium adimerent, ire obuiam, & aspici à marito, quod sæpe subsidium habuerat, haud segniter intendit: iussitque vt Britannicus & O-

D ctauia in complexum patris pergerent. Et Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam orauit, Pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Atque interim tribus omnino comitantibus (id repentè solitudinis erat) spatium vrbis pedibus emensa: vehiculo quo purgamenta hortorum eripiuntur, Hostiensem viam intrat: nullâ cuiusquam misericordiâ, quia flagitiorum deformitas præualebat. Trepidabatur nihilominus à Cæsare. quippe Getæ prætorii præfecto haud satis fidebat,

E ad honesta seu praua iuxtà leui. Ergo Narcissus, assumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Cæsaris affirmat, quàm si ius militum vno illo die in aliquem libertorum transferret: séque offert suscepturum. Ac ne, dum in vrbem vehitur, ad pœnitentiam à L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit, assumitque. Crebra post hæc fama fuit, inter diuersas principis voces, cùm modò incusaret flagitia vxoris, aliquâdo ad memoriam coniugij,

F & infantiam liberorum reuolueretur. non aliud prolocutum Vitellium, quàm ô facinus, ô scelus. Instabat quidem Narcissus aperire ambages, & veri copiam facere: sed non ideò peruicit, quin suspensa & quò ducerentur inclinatura responderet: exemplóque eius Largus Cæcina vteretur. Et iam erat in aspectu Messallina, clamitabátque audiret Octauiæ & Britannici matrem: cùm obstreperet accusator, Silium & nuptias referens. simul codicillos libidinum indices tradidit, quibus visus Cæsaris auerteret. Nec multò pòst vrbem

G ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoueri eos iussisset. Vibidiam depellere nequiuit, quin multâ cum inuidia flagitaret, ne indefensa coniunx exitio daretur. Ergo auditurum principem, & fore diluendi criminis facultatem respondit. Iret interim virgo & sacra capesseret. Mirum inter hæc silentium Claudij. Vitellius ignaro propior. Omnia liberto obediebant. patefieri domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem iubet. Ac primum in vestibulo, effi-

gicm patris Silij consulto senatus abolitam, demonstrat. Tum quidquid habitum Neronibus & Drusis, in pretium probri cessisse, incensúmque & ad minas prorumpentem, castris infert, paratâ concione militum; apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit. nam & si iustū dolorem, pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus, nomina reorum & pœnas flagitantium: admotúsque Silius tribunali, non defensionem, non moras tentauit, precatus vt mors accelararetur. eadem constantia & inlustres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum custodem à Silio Messallinæ datum, & indicium offerentem Vectium Valentem & confessum, & Pompeium Vrbicum, ac Saufellum Trogum ex conscius trahi ad supplicium iubet. Decius quoque Calpurnianus vigilum præfectus, Sulpicius Rufus ludi procurator, Iuncus Virgilianus senator, eâdem pœnâ affecti. solus Mnester cunctationem attulit, dilaniatâ veste clamitans, *aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, quâ se obnoxium iussis Messallinæ dedisset. Alijs largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam antè pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur.* Commotum his & pronum ad misericordiam Cæsarem perpulêre liberti, ne tot illustribus viris interfectis, histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccauisset, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. is modestâ iuuentâ, sed curpore insigni, accitus vltrò, noctémque intra vnam à Messallinâ proturbatus erat, paribus lasciuiis ad cupidinem & fastidia. Suilio Cesonino, & Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patrui egregium meritum: Cesoninus vitiis protectus est, tamquam in illo fœdissimo cœtu passus muliebria. Interim Messallina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnullâ spe, & aliquando irâ. tanta inter extrema superbia a-

A gebat. Ac ni cædem eius Narcissus properauisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus, & tempestiuis epulis delinitus, vbi vino incaluisset, iri iubet nuntiarique miseræ (hoc enim verbo vsum ferunt,) dicendam ad caussam postera die adesset. Quod vbi auditum, & languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox, & vxorij cubiculi memoria timebantur: prorumpit Narcissus, denuntiátque cen-

B turionibus & tribuno qui aderant, exsequi cædem: ita imperatorem iubere. custos & exactor è libertis, Euodus datus. Isque raptim in hortos progressus, reperit fusam humi, assidente matre Lepida: quæ florenti filiæ haud concors, supremis eius necessitatibus ad miserationem cuncta erat: suadebátque ne percussorem opperiretur. transisse vitam, neque aliud quàm morti decus quærendum. Sed animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat. lacrymæque & questus irriti duce-

C baotur: cùm impetu venientium pulsæ fores, astitítque tribunus per silentium, at libertus increpans multis ac seruilibus probris. Tunc primum fortunam suam introspexit, ferrúmque accepit, quod frustrà iugulo ac pectori per trepidationem admouens, ictu tribuni transfigitur. corpus matri concessum. Nuntiatúmque Claudio epulanti periisse Messallinam, non distincto sua an aliena manu. nec ille quæsiuit, popóscitque poculum, & solita conuiuio celebrauit. Ne secutis quidem

D diebus, odij, gaudij, iræ, tristiæ, vllius denique humani affectus signa dedit; non cùm lætantes accusatores aspiceret, non cùm filios mærentes. Iuuítque obliuionem eius senatus, censendo nomen & effigies priuatis ac publicis locis demouendas. decreta Narcisso quæstoria insignia, leuissimum fastigij eius, cùm secundum Pallantem & Calistum ageret, honesta quidem, sed ex quibus deterrima orientur, flagitiis inultis.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER XII.

CÆDE Messallinæ conuulsa principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret vxorem Claudio cælibis vitæ intoleranti, & coniugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarserant, suam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maximè ambigebatur inter Lolliam Paulinam, M. Lollij consularis filiam, & Iuliam Agrippinam Germanico genitam. huic Pallas, illi Calistus, fautores aderant. at Ælia Petina è familia Tuberonum, Narcisso fouebatur. Ipse modò huc, modò illuc, vt quemque suadentium audierat promptus, discordantes in conci-

E lium vocat, ac promere sententiam, & adiicere rationes iubet. Narcissus vetus matrimonium, familiam communem (nam Antonia ex Petina erat) nihil in penatibus eius nouum disserebat, si sueta coniunx rediret, haudquaquam nouercalibus odiis visura Britannicum & Octauiam, proxima suis pignora. Calistus improbatam longo dissidio, ac si rursus assumeretur, eo ipso superbam: longéque rectius Lolliam induci, quando

F nullos liberos genuisset, vacuam æmulatione; & priuignis parentis loco futuram. At Pallas id maximè in Agrippina laudare, quòd Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria

toria fortuna, stirpem nobilem & familiæ Clau-
diæ, quæ posteros coniungeret, ne femina exper-
ta fecunditatis, integra iuuenta, claritudinem Cæ-
sarum aliam in domum ferret. Præualuere hæc
adiuta Agrippinæ illecebris. Quæ ad eum per spe-
ciem necessitudinis crebrò ventitando pellicit pa-
truum, vt prælata ceteris, & nondum vxor, po-
tentia vxoria iam vteretur. Nam vbi sui matrimo-
nij certa fuit, struere maiora, nuptiásque Domitij,
quem ex Cn. Ænobarbo genuerat, & Octauię Cę-
saris filiæ moliri: quod sine scelere perpetrari non
poterat, quia L. Silano desponderat Octauiam Cę-
sar. iuuenémque & alia clarum, insigni triumpha-
lium, & gladiatorij muneris magnificentia, pro-
tulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videba-
tur in animo principis, cui non iudicium, non o-
dium erat, nisi indita & iussa. Igitur Vitellius no-
mine Censoris, seruiles fallacias obtegens, ingruē-
tiúmque dominationum prouisor, quo gratiam
Agrippinæ pararet, consiliis eius implicari, ferre
crimina in Silanum, cui sanè decora & procax so-
ror Iunia Caluina haud multum antè Vitellij nu-
rus fuerat. hinc initium accusationis, fratrúmque
non incestum, sed incustoditum amorem ad infa-
miam traxit. & præbebat Cæsar aures, accipiendis
aduersum generum suspicionibus caritate filiæ
promtior. At Silanus insidiarum nescius, ac for-
tè eo anno prætor, repentè per edictum Vitellij
ordine senatorio mouetur, quamquam lecto pri-
dem senatu, lustróque condito, simul affinitatem
Claudius diremit. adactúsque Silanus eiurare ma-
gistratum, & reliquus præturæ dies in Eprium
Marcellum collatus est. C. Pompeio, Q. Verannio
Coss. pactum inter Claudium & Agrippinam
matrimonium, iam fama, iam amore illicito fir-
mabatur, nec dum celebrare solennia nuptiarum
audebant, nullo exemplo deductæ in domum pa-
trui, fratris filiæ. Quin & incestum, ac si spernere-
tur, ne in malum publicum erumperet, metueba-
tur. Nec antè omissa cūctatio, quàm Vitellius suis
artibus id perpetrandum sumpsit. Percunctatús-
que Cæsarem, an iussis populi, an auctoritati se-
natus cederet? vbi ille vnum se ciuium, & consen-
sui imparem respondit, opperiri intra palatium
iubet. ipse curiam ingreditur, summámque Reip.
agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit,
orditúrque; *Grauissimos principis labores, quis or-*
bem terræ capessat, egere adminiculis, vt domestica
cura vacuus, in commune consulat. quod porro hone-
stius censoriæ mentis leuamen, quàm assumere coniu-
gem prosperis dubiísque sociam? cui cogitationes inti-
mas, cui paruos liberos tradat, non luxui aut volu-
ptatibus assuefactus, sed qui prima ab iuuenta legi-
bus obtemperauisset. Postquam hæc fauorabili ora-
tione pręmisit, multáque patrum assentatio seque-
batur; capto rursus initio, *Quando maritandum*
principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam
nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. Nec diu
anquirendum, quin Agrippina claritudine generis
anteiret, datum ab ea fecunditatis experimentum,
& congruere artes honestas. Id vero egregium, quòd
prouisu deûm vidua iungeretur principi, sua tantùm
matrimonia experto. audiuisse à parentibus, vidisse
ipsos, arripi coniuges ad libita Cæsarum: procul id à
præsenti modestia. statueretur imò documentum, quo
vxorem imperator, ...acciperet. At enim noua no-
bis in fratrum filias coniugia. sed aliis gentibus sol-
lennia, nec lege vlla prohibita. Et sobrinarum diu i-
gnorata, tempore addito percrebuisse: morem accom-

A *modari prout conducat, & fore hoc quoque in his quæ*
mox vsurpentur. Haud defuere qui certatim, si cū-
ctaretur Cæsar, vi acturos testificantes, erumperēt
curia. Conglobatur promiscua multitudo, popu-
lúmque Romanum eadem rogare clamitat. Nec
Claudius vltrà exspectato, obuium apud forū prę-
bet se gratantibus. Senatumq; ingressus decretum
postulat, quo iustæ inter patruos fratrúmq; filias
B nuptiæ etiam in posterum statuerētur. Neq; tamē
repertus est, nisi vnus talis matrimonij cupitor,
T. Alledius Seuerus eques Romanus, quem pleri-
que Agrippinæ gratia impulsum ferebant. Versa
ex eo ciuitas, & cuncta feminæ obedicbāt, non per
lasciuiam, vt Messallina, rebus Romanis illuden-
ti. Adductum, & quasi virile seruitium. Palam se-
ueritas, ac sæpiùs superbia: nihil domi impudicū,
nisi dominationi expediret: cupido auri immensa
obtentum habebat, quasi subsidium regno para-
C retur. Die nuptiarum Silanus sibi mortem consci-
uit. siue eò vsque spem vitæ produxerat, seu dele-
cto die augēdam ad inuidiam. Caluina soror, eius
Italia pulsa est. Addidit Claudius, sacra ex legib.
Tulli regis, piaculáq; apud lucum Dianę per pon-
tifices danda: irridentibus cūctis, quod pœnæ pro-
curationesq; incesti id temporis exquirerētur. At
Agrippina ne malis tantum facinorib. notesceret,
veniam exsilij pro Annæo Seneca, simul præturā
impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinē
D studiorum eius, vtque Domitij pueritia tali magi
stro adolesceret, & consiliis eiusdem ad spē domi-
nationis vterentur. quia Seneca fidus in Agrippi-
nam memoria beneficij, & infensus Claudio do-
lore iniuriæ credebatur. Placitum dehinc non vl-
trà cunctari: sed designatum consulem Memmiū
Pollionem ingentibus promissis inducunt, sentē-
tiam expromere, qua oraretur Claudius, despon-
dere Octauiam Domitio, quod ætati vtriusque nō
absurdum, & maiora patefacturum erat. Pollio
E haud disparibus verbis, ac nuper Vitellius, cęnset:
despondetúrq; Octauia. ac super priorem necessi-
tudinem, sponsus iam & gener Domitius æquari
Britannico, studiis matris, arte eorum quîs ob ac-
cusatam Messallinam vltio ex filio timebatur.
Per idem tempus legati Parthorum ad expeten-
dum, vt retuli, Meherdatem missi, senatum ingre-
diuntur, mandata in hunc modum incipiunt; *Nō*
se fœderis ignaros, nec defectione à familia Arsacida-
rum venire: sed filium Vononis, nepotem Phrahatis,
F *accersere aduersus dominationem Gotarzis, nobili-*
tati plebiq; iuxtà intolerādam. Iā fratres, iā propin-
quos, iā longius sitos, cædibus exhaustos: adici coniu-
ges grauidas, liberos paruos, dum socors domi, bellis
infaustus, ignauiam sæuitia tegat. Veterem sibi ac pu-
blicè cœptam nobiscum amicitiam, & subueniendum
socius virium æmulis, cedentibúsque per reuerentiam.
Ideò regnum obsides liberos dari, vt si domestici im-
perij tædeat, sit regressus ad principem patrésque,
quorum moribus assuefactus rex melior ascisceretur.
Vbi hæc atque talia disseruere, incipit orationē
G Cæsar de fastigio Romano, Parthorúmque obse-
quiis, séque diuo Augusto adæquabat, petitum ab
eo regem referens, omissa Tiberij memoria, quam
quam is quoque miserat. Addiditque præcepta
(etenim aderat, Meherdates) vt non dominationē
& seruos, sed rectorem & ciues cogitaret, cle-
mentiámque ac iustitiam, quāto ignara barbaris,
tanto toleratiora capesseret. Hinc versus ad lega-
tos, extollit laudibus alumnum vrbis, spectatæ ad
id modestiæ: ac tamen ferenda regum ingenia, ne-

que vſui crebras mutationes. rem Romanam huc ſatiare gloriæ pronectam, vt exteruis quoque gentibus quietem velit datam. Poſt hæc C. Caſſio qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam ad Euphtatis iubet. Ea tempeſtate Caſſius ceteros præmmebat peritia legum. nam militates artes per otium ignotæ, induſtrióſque ac ignauos pax in æquo tenet. Attamen quantum ſine bello dabatur, reuocare priſeum morem, exercitare legiones, curâ, prouiſu, agere perinde ac ſi hoſtis ingrueret. Ita dignum maioribus ſuis, & familia Caſſia tatus, per illas quoque gentes celebrata. Igitur exeitis quorum de ſententia petitus rex, poſitiſque caſtris apud Zeugma, vnde maximè peruius amnis, poſtquam illuſtres Parthi, rexque Arabum Abbarus aduenerat, monet Meherdatem, barbarorum impetus acres, cunctatione langueſcere, aut in perfidiam mutari. itaque vrgeret cœpta. Quod ſpretum fraude Abbari, qui iuuenem ignarum, & ſummam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud opidum Edeſſam. Et vocante Carrhene, promptáſque res oſtentante ſi citi aduenirent, non cominus Meſopotamiam, ſed flexu Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat. Exin niuib. & montibus feſſi, poſtquam campis propinquabant, copiis Carrhenis adiunguntur. Tranſmiſſoque amne Tigri, permeant Adiabenos, quorum rex Iuliates ſocietatem Meherdatis palàm induerat, in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. Sed capta in tranſitu vrbs Ninos vetuſtiſſima ſedes Aſſyriç, & caſtellum inſigne fama, quòd poſtremo inter Darium atque Alexandrum prœlio Perſarum illic opes conciderant. Interea Gutarzes apud montem cui nomen Sambolos, vota diis loci ſuſcipiebat, præcipua religione Herculis: qui tempore ſtato, per quietem monet ſacerdotes, vt, templum iuxta, equos venatui adornatus ſiſtant. equi vbi pharetras telis onuſtas accepere, per ſaltus vagi, nocte demum vacuis pharetris, multo cum anhelitu redeunt. Ruſus deus, quà ſiluas peterrauerit, nocturno viſu demonſtrat: reperiuntúrque fuſæ paſſim feræ. Ceterùm Gotarzes nondum ſatis aucto exercitu, flumine Curma pro munimento vti. Et quamquam per inſectationes & nuntios ad prœlium vocaretur, nectere moras, locos mutare, & miſſis corruptoribus, exuendam ad fidem hoſtes emercari. Ex quis Izates Adiabenus, mox Abbarus, Arabum cum exercitu abſcedunt, leuitate gentili, & quia experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Roma petere Reges quàm habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione ſuſpecta, quod vnum reliquum, rem in caſum dare, prœliúque experiri ſtatuit. Nec detrectauit pugnam Gotarzes, deminutis hoſtibus ferox. Concurſumque magna cæde, & ambiguo euentu: donec Carrhenem profligatis obuerſis, longiùs euectum integer à tergo globus circumueniret. Tum omni ſpe perdita, Meherdates promiſſa Parrhacis paterni clientis ſecutus, dolo eius vincitur, traditúrque victori. Atque ille non propinquum neque Arſacis de gente, ſed alienigenam & Romanum increpans, auribus deciſis viuere iubet, oſtentui clementiæ ſuæ & in nos dehoneſtamento. Dein Gotarzes morbo obiit, acciτúſque in regnum Vonones, Medos tum præſidens. Nulla huic proſpera aut aduerſa quîs memoraretur. breui & inglorio imperio perfun-

A ctus eſt: réſque Parthorum in filium eius Vologeſen tranſlatæ. At Mithradates Boſphoranus amiſſis opibus vagus, poſteaquam Didium ducem Romanum, robúrque exercitus abiiſſe cognouerat, relictos in nouo regno Cotyn iuuenta rudem, & paucas cohortium cum Iulio Aquila equite Romano: ſpretis vtriſque, concire nationes, illicere perfugas, poſtremò exercitu coacto, regem Dandaridarum exturbat, imperióque eius
B potitur. Quæ vbi cognita, & iam iamque Boſphorum inuaſurus habebatur, diffiſi propriis viribus Aquila, & Cotys, quia Zorſines Soracorum rex hoſtilia reſumpſerat, externas & ipſi gratias quæſiuere, miſſis legatis ad Eunonem, qui Adorſorum genti præcellebat. Nec fuit in arduo ſocietas, potentiam Romanam aduerſus rebellem Mithradatem oſtentantibus. Igitur pepigêre, equeſtribus prœliis Eunones certaret, obſidia vrbium Romani capeſſerent. Tum compoſito agmine ince-
C dunt. cuius frontem & terga, Adorſi; media cohortes & Boſphorani, tutabantur, noſtris in armis. Sic pulſus hoſtis, ventúmque Sozam opidum Dandaricæ, quod deſertum à Mithradate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi præſidio viſum. Exin in Soracos pergunt. & tranſgreſſi amnem Pandam circumueniunt vrbem Vſpen, editam loco, & mœnibus ac foſſis munitam, niſi quòd mœnia non ſaxo, ſed cratibus & vimentis, ac media humo aduerſum
D irrumpentes inualida erant: eductæque altiùs turres, facibus atque haſtis turbabant obſeſſos. ac ni prœlium nox diremiſſet, cœpta patratáque expugnatio eundem intra diem foret. Poſtero miſere legatos, veniam liberis corporibus orantes: ſeruitij decem millia offerebant. quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſæuum, tantam multitudinem cuſtodiâ cingere arduum: vt belli potiùs iure caderent. Datúmque militibus,
E qui ſcalis euaſerant, ſignum cędis. Excidio Vſpenſium metus ceteris iniectus, nihil tutum ratis, cùm arma, munimenta, impediri vel eminentes loci, amnéſque & vrbes iuxtà perrumperentur. Igitur Zorſines diu penſitato, Mithradatiſne rebus extremis, an patrio regno conſuleret: poſtquam præualuit gentilis vtilitas, datis obſidibus, apud effigiē Cæſaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum & victorem, tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai conſtitit. Sed in
F regreſſu diſpar fortuna fuit; quia nauium quaſdam, quæ mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumuenêre barbari, præfecto cohortis, & pleriſque centurionum interfectis. Interea Mithradates nullo in armis ſubſidio, conſultat cuius miſericordiam experiretur. Frater Cotys proditor olim, deinde hoſtis metuebatur. Romanorum nemo id auctoritatis aderat, vt promiſſa eius magni penderentur. Ad Eunonem conuertit, propriis odiis infenſum, & recens coniunctâ nobiſcum amicitiâ, validum. Igitur cultu, vultúque quàm maximè ad præſentem fortunam comparato, re-
G giam ingreditor, genibúſque eius prouolutus, *Mithradates*, inquit, *terra marique Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum. Vtere vt voles prole magni Achemenis, quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt.* At Eunones claritudine viri, mutatione rerum, & prece haut degenerę permotus, alleuat ſupplicem, laudátque quòd gentem Adorſorum, quòd ſuam dexteram petendæ veniæ delegerit. Simul legatos litteráſque ad Cæſarem in

hunc

hunc modum mittit. *Po. Romani imperatoribus magnarùmque nationum regibus, primam ex similitudine fortunæ amicitiam: sibi & Claudio, etiam communionem victoriæ esse. Bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigatur. Sic Zorsinis victo nihil ereptum. Pro Mithradate quando grauius mereretur, non potentiam, neque regnum precari, sed ne triumpharetur, néve pœnas capite expenderet.* Atque Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitauit tamen, accipere captiuum pacto salutis, an repetere armis rectius foret. Hinc dolor iniuriarum, & libido vindictæ adigebat. Sed disserebatur contrà: *Suscipi bellum auio itinere, importuoso mari: ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ si pellerentur. quin arriperet oblata, & seruaret exsulem: cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicij fore.* His permotus, scripsit Eunoni, *meritum quidem nouissima exempla Mithradatem, nec sibi vim ad exsequendum deesse: verùm ita maioribus placitum, quantâ peruicaciâ in hostem, tantâ beneficentiâ aduersus supplices vtendum. nam triumphos de populis regnísque integris adquiri.* Traditus post hæc Mithradates, vectúsque Romam per Iunium Cilonem procuratorem Ponti, ferocius quàm pro fortunâ disseruisse apud Cæsarem ferebatur. Elatáque vox eius in vulgum hisce verbis: *Non sum remissus ad te, sed reuersus: vel si non credis, dimitte & quære.* vultu quoque interrito permansit, cùm rostra iuxta, custodib. circumdatus, visui populo præberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilæ prætoria decernuntur. Iisdem consulibus atrox odij Agrippina ac Lolliæ infensa, quòd secum de matrimonio principis certauisset; molitur crimina, & accusatorem, qui obiiceret Chaldæos, magos, interrogatúmque Apollinis Clarij simulacrum super nuptiis imperatoris. Exin Claudius inaudita rea, multa de claritudine eius apud senatum præfatus, sorore L. Volusij genitam, maiorem ei patruum Cottam Messallinum esse, Mennio quondam Regulo nuptam; (nam de C. Cæsaris nuptiis consultò reticebat) addidit perniciosa in Remp. consilia, & materiem sceleri detrahendam. Proin publicatis bonis, cederet Italiâ. Ita quinquagies sestertiûm ex opibus immensis exuli relictum. Et Calpurnia illustris femina peruertitur, quia formam eius laudauerat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone. vnde vis Agrippinæ citra vltima stetit. In Lolliam mittitur tribunus, à quo ad mortem adigeretur. Damnatus & lege repetundarum Cadius Rufus, accusantibus Bithynis. Galliæ Narbonensi ob egregiam in patres reuerentiam datum, vt senatoribus eius prouinciæ, non exquisitâ principis sententiâ, iure quo Sicilia haberetur, res suas inuisere liceret. Ituræique & Iudæi, defunctis regibus Sohemo atque Agrippa, prouinciæ Syriæ additi. Salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari placitum. Et pomœrium vrbis auxit Cæsar more prisco; quo iis qui protulere imperium, etiam terminos vrbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, vsurpauerant, nisi L. Sylla, & diuus Augustus. Regum in eo ambitio, vel gloria variè vulgata. Sed initium condendi, & quod pomœrium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur à foro boario, vbi æreum tauri simulacrum

A aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi opidi cœptus, vt magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interiecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium: forúmque Romanum & Capitolium non à Romulo, sed à T. Tatio additum vrbi credidere. Mox pro fortuna pomœrium auctum. Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile co-
B gnitu, & publicis actis præscriptum. C. Antistio, M. Suilio Coss. adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur. qui obstrictus Agrippinæ vt conciliator nuptiarum, & mox stupro eius illigatus, stimulabat Claudium, *consuleret Reip. Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud diuum Augustum, quamquam nepotibus subnixum, viguisse priuignos: à Tiberio, super propiam stirpem, Germanicum assumptum. Se quoque accingeret iuuene, partem curarum capessituro.* His euictus, bien-
C nio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eundem, quem à liberto acceperat, modum. Adnotabant periti, nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosq; ab Atto Clauso continuos durauisse. Ceterùm actæ Principi grates, quæsitiore in Domitium adulatione. Rogatáq; lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret. Augetur & Agrippina cognomento Augustæ. quibus patratis, nemo adeò expers misericordiæ
D fuit, quem non Britannici fortunæ mæror afficeret. desolatus paulatim etiam seruilib. ministeriis, per intempestiua nouercæ officia, in ludibria vertebat, intelligés falsi. Neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt: siue verum; seu periculis commendatus, retinuit famam sine experimento. Sed Agrippina, quò vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in opidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos coloniámque deduci imperat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac fortè
E acciderat, vt eam gentem Rhenu transgressam auus Agrippa in fidem acciperet. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum, aduentu Cattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas, addito equite alario, monuit, vt anteirent populatores, vel dilapsis improuisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum, diuisíque in duo agmina, qui læuum iter petiuerát,
F recens reuersos, prædáque per luxum vsos & somno graues circúuenêre. Aucta lætitia, quòd quosdam è clade Variana, quadragesimum post annum, seruitio exemerant. At qui dextris & propioribus compendiis ierant, obuio hosti & aciem auso, plus cladis faciunt. Et præda famáque onusti, ad montem Taunum reuertuntur, vbi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine vlciscendi casum pugnę præberent. Illi metu ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quîs æter-
G num discordant, circumgrederentur, legatos in vrbem & obsides misere, decretúsque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ eius apud posteros, in quîs carminum gloria præcellit. Per idem tempus Vannius Sueuis à Druso Cæsare impositus, pellitur regno, prima imperij ætate clarus acceptusq; popularibus: mox diuturnitate in superbiam mutans, & odio accolarum, simul domesticis discordiis circumuentus. Auctores fuere Iubillius Hermundurorum rex, & Vangio ac Sido sorore Vannij geniti. Nec Claudius, quamquam

sæpe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens si pelleretur. scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniam præsidebat, legionem ipsaque è prouincia lecta auxilia, pro ripa componeret, subsidio victis, & terrori aduersus victores, ne fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent. nam vis innumera Ligij, aliæque gentes aduentabant, famâ ditis regni, quod Vannius xxx. per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques è Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium: eóque castellis sese defensare, bellúmque ducere statuerat. Sed Iazyges obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurúsque illic ingruerant. Igitur digressus castellis Vannius, funditur prœlio; quamquam rebus aduersis, laudatus, quòd & pugnam manu capessiit, & corpore aduerso vulnera excepit. Ceterùm ad classem in Danubio opperientem perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partiuere, egregia aduersus nos fide: subiectis suóne an seruitij ingenio, dum adipiscerentur dominationes multa caritate, & maiore odio postquam adepti sunt. At in Britannia P. Ostorium proprætorem turbidæ res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eò violentiùs, quòd nouum ducem exercitu ignoto, & cœpta hieme, iturum obuiam non rebantur. Ille gnarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: & cæsis qui restiterunt, disiectos consectatus, ne rursus conglobarentur, infensaque & infida pax non duci non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis, cinctósque castris Antonam & Sabrinam fluuios cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens, nec prœliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. hisque auctoribus circumiectæ nationes locum pugnæ delegêre, septum agresti aggere & aditu angusto, ne peruius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, & distributis cohortibus, turmas quoque, peditum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem, suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscientia rebellionis & obseptis effugiis, multa & clara facinora fecerê. Qua pugna filius legati M. Ostorius seruati ciuis decus meruit. Ceterùm clade Icenorum compositi qui bellum inter & pacem dubitabant: & ductus in Cangos exercitus. Vastati agri, prædæ passim actæ: non ausis aciem hostibus, vel si occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Iamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat; cùm ortæ apud Brigantes discordiæ retraxêre ducem, destinationis certum, ne noua moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis qui arma cœptabant interfectis, in reliquos datâ veniâ, resedêre. Silurum gens, non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. Id quo promptius veniret, colonia Camalodunum validâ veteranorum manu deducitur in agros captiuos, subsidium aduersus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum.

Itum inde in Siluras, super propriam ferociam, Caractaci viribus confisos. quem multa ambigua, multa prospera extulerant, vt ceteros Britannorum imperatores præmineret. Sed tum astu, locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordouicas, additisque qui pacem nostram metuebant, nouissimum casum experitur: sumpto ad prœlium loco, vt aditus, abscessus, cuncta nobis importuna, & suis in melius essent. Tunc montibus arduis, & si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: & præfluebat amnis vado incerto, cateruáque maiorum pro munimentis constiterant. Adhoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimuerò Caractacus huc illuc volitans, *illum diem, illam aciem testabatur, aut recuperandæ libertatis, aut seruitutis æternæ initium fore. vocabátque nomina maiorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute vacui à securibus & tributis, intemerata coniugum & liberorum corpora retinerent.* Hæc atque talia dicenti, adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, non telis, non vulneribus cessuros. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prœlium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare, præfectíque ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus incendebant. Tum Ostorius, circumspectis quæ impenetrabilia, quæque peruia, ducit infensos, amnemque haud difficulter euadit. Vbi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos, & pleræque cædes oriebantur. Posteaquam factâ testitudine, rudes & informes saxorum compages distractæ, parque cominus acies, decedere Barbari in iuga montium. Sed eò quoque irrupere ferentarius grauisque miles. illi, telis assultantes; hi, conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearúmve tegmina: & si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum; si huc verterent, spatis & hastis auxiliarium sternebantur. clara ea victoria fuit, captáque vxore & filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti. Ipse (vt fermè intuta sunt aduersa) cùm fidem Cartismanduæ reginæ Brigantum petiuisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono pòst anno quàm bellum in Britanniâ cœptum. Vnde fama eius euecta insulas, & proximas prouincias peruagata, per Italiam quoque celebrabatur: auebantque visere, quis ille, tot per annos, opes nostras spreuisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæsar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe vt ad insigne spectaculum populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes, campo qui castra præiacet. Tunc incedentibus regiis clientelis phaleræ torquésque, quæque externis bellis quæsierat, traducta, mox fratres & coniunx & filia: postremò ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu. At non Caractacus aut vultu demisso, aut verbis misericordiam requirens, vbi tribunali astitit, in hunc modum locutus est; *Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum*

sperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc vrbem, quam captus venissem: neque dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem fœdere pacis accipere. Præsens sors mea, vt mihi informis, sic tibi magnifica est. habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, si hæc inuitus amisi? Nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur vt omnes seruitutem accipiant. Si statim deditus traderer: neque mea fortuna, neq; tua gloria inclaruisset: & supplicium mei obliuio sequeretur. At si incolumem seruaueris, æternum exemplar clementiæ ero. Ad ea Cæsar veniam ipsique, & coniugi, & fratribus, tribuit. Atque illi vinclis exsoluti, Agrippinam quoque haud procul alio suggestu conspicuam, iisdem quibus principem laudibus gratibúsque venerati sunt. nouum sanè, & moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis præsidere. Ipsa semet parti à maioribus suis imperij sociam ferebat. Vocati posthac patres, multa & magnifica super captiuitate Caractaci disseruere. Neque minus id clarum, quàm cùm Siphacem P. Scipio, Persem L. Paullus, & si qui alij vinctos reges populo Ro. ostendêre. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus eius, mox ambiguis: siue quòd amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit: siue hostes miseratione tanti regis, acriùs ad vltionem exarsere. Præfectum castrorum, & legionarias cohortes exstruendis apud Siluras præsidiis relictas, circumfundunt. Ac ni citò vicis & castellis proximis subuentum foret, copiæ tum occidione occubuissent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptissimus quisque manipulus cecidere. nec multò post pabulantis nostros, ipsásque missas ad subsidium turmas profligant. Tum Ostorius cohortes expeditas exposuit: nec ideo fugam sistebat, ni legiones prœlium excepissent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugêre hostes tenui damno, quia inclinabat dies. crebra hinc prœlia, & sæpius in modum latrocinij: per saltus, per paludes, vt cuique sors, aut virtus: temerè, prouisò, ob iram, ob prædam: iussu, & aliquando ignaris ducibus. ac præcipua Silurum peruicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Ro. vox: vt quondam Sugambri excisi, & in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus exstinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes, auaritia præfectorum incautiùs populantes, intercepere. Spoliáque & captiuos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cùm tædio curarum fessus Ostorius, concessit vita: lætis hostibus, tamquam ducem haud spernendum, & si non prœlium, ac certè bellum, absumpsisset. At Cæsar, cognita morte legati, ne prouincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. Is properè vectus, non tamen integras res inuenit, aduersa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat. auctáque & apud hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent: atque illo augente audita, vt maior laus compositis, vel si durauissent, venia iustior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, latéque persultabant, donec accursu Didij pellerentur. Sed post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venusius è Iugantum ciuitate, vt suprà memoraui, fidúsque diu, & Romanis armis defensus, cùm Cartismanduam reginam matrimonio teneret, mox orto dissidio, &

A statim bello, etiam aduersus nos hostilia induerat. Sed primo tantùm inter ipsos certabatur, callidísque Cartismandua artibus, fratrem ac propinquos Venusij intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminæ imperio subderentur, valida & lecta armis iuuentus regnum eius inuadunt. quod nobis præuisum, & missæ auxilio cohortes acre prœlium fecere, cuius initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque dispari euentu pugnatum à legione, cui Cesius Nasica præerat. Nam Didius senectute grauis, & multa copia honorum, per ministros agere & arcere hostem satis habebat. Hæc, quamquam à duobus, Ostorio Didióque proprætoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne diuisa haud perinde ad memoriam sui valerent. Nunc ad temporum ordinem redeo. Ti. Claudio quintùm, Ser. Cornelio Orfito Coss. virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reip. habilis videretur. Et Cæsar adula- C tionibus senatus libens cessit, vt vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret: atque interim designatus, proconsulare imperium extra vrbem haberet, ac Princeps iuuentutis appellaretur. Additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebi. & ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætextâ, Nero triumphalium veste transuecti sunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio: illum puerili habitu, ac perinde fortunam v- D triusque præsumeret. Simul qui centurionum tribunorúmque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis caussis, & alij per speciem honoris. etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur, tali occasione. Obuij inter se, Nero Britannicum nomine, ille Domitium, salutauere. Quod vt discordiæ initium, Agrippina multo questu, ad maritum defert: sperni quippe adoptionem, quæque censuerint patres, iusserit populus, intra penates abrogari: ac nisi prauitas tam infensa do- E centium arceatur, eruptura in publicam perniciem. Commotus his quasi criminibus Claudius, optimum quemque educatorem filij exsilio ac morte afficit: datósque à nouerca, custodiæ eius imponit. Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium curâ exsoluerentur Lusius Geta, & Rufus Crispinus, quos Messallinæ memores & liberis eius deuinctos credebat. Igitur distrahi cohortes ambitu F duorum, & si ab vno regerentur, intentiorem fore disciplinam asseuerante vxore, transfertur regimen cohortium ad Burrhum Afranium egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cuius sponte præficeretur. Suum quoq; fastigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus, & sacris antiquitùs concessus, venerationem augebat feminæ: quam imperatore genitam, sororem eius qui rerum potitus sit, & coniugem & matrem fuisse, vnicum ad hunc diem ex- G emplum est. Inter quæ præcipuus propugnator eius Vitellius, validissima gratia, ætate extrema (adeò incertæ sunt potentiũ res) accusatione corripitur, deferente Iunio Lupo senatore. Is crimina maiestatis, & cupidinem imperij obiectabat. Præbuissétque aures Cæsar, nisi Agrippinæ minis magis quã precibus mutatus esset, vt accusatori aqua atq; igne interdiceret. Hactenus Vitellius voluerat. Multa eo anno prodigia euenere. Insessum diris auibus Capitolium: crebris terræmotibus prorutæ domus: ac dum latius metuitur, trepidatione

vulgi, inualidus quisque obtriti. Frugum quoque egestas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantùm questus; sed iura reddentem Claudium circumuasere clamoribus turbidis, pulsúmque in extremam fori partem vi vrgebant, donec militum globo infestos perrupit. Quindecim dierum alimenta vrbi non amplius superfuisse constitit. magnâq; deûm benignitate, & modestiâ hiemis rebus extremis subuentum. At hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabant. nec nunc infecunditate laboratur, sed Africam potiùs & Ægyptum exercemus, nauibúsque & casibus vita populi Romani permissa est. Eodem anno bellum inter Armenios Hiberósque exortū, Parthis quoque ac Romanis grauissimorum inter se motuum caussa fuit. Genti Parthorum Vologeses imperitabat, maternâ origine ex pellice Græca, concessu fratrum regnum adeptus. Hiberos Pharasmanes vetustâ possessione, Armenios frater eius Mithradates obtinebat opibus nostris. Erat Pharasmani filius nomine Rhadamistus, decorâ proceritate, vi corporis insignis, & patrias artes edoctus, claráque inter accolas famâ. Is modicum Hiberiæ regnum senectâ patris detineri ferociùs crebriúsque iactabat, quam vt cupidinem occultaret. Igitur Pharasmanes iuuenē potentiæ prōptæ, & studio populariū accinctū, vergētibus iam annis suis metuens, aliam ad spem trahere, & Armeniam ostentare, pulsis Parthis datam Mithradati à semet memorando: sed vim differendam, & potiorem dolum, quò incautum opprimerent. Ita Rhadamistus simulata aduersus patrem discordia, tamquam nouercæ odiis impar, pergit ad patruum. multáque ab eo comitate in speciem liberûm cultus, primores Armeniorum ad res nouas illicit. Ignaro & ornante insuper Mithradate, reconciliationis specie assumpta, regressus ad patrem, quæ fraude confici potuerint prompta nuntiat, cetera armis exsequenda. Interim Pharasmanes belli caussas confingit. prœlianti sibi aduersus regem Albanorum, & Romanos auxilio vocanti fratrem aduersatum, eâmque iniuriam excidio ipsius vltum iturum. Simul magnas copias filio tradidit. Ille eruptione subitâ territum exutúmque campis Mithradatem, compulit in castellum Gorneas, tutum loco ac præsidio militum, quîs Cælius Pollio præfectus, centurio Casperius præerat. Nihil tam ignarum barbaris, quàm machinamenta & astus oppugnationum. At nobis ea pars militiæ maximè gnara est. Ita Rhadamistus frustra vel cum damno tentatis munitionibus, obsidium incipit. Et cùm vis negligeretur, auaritiam præfecti emercatur, obtestante Casperio, ne socius rex, ne Armenia donum populi Romani, scelere & pecunia venderentur. Postremò quia multitudinem hostium Pollio, iussa patris Rhadamistus obtendebant, pactus inducias abscedit: vt nisi Pharasmanem bello absterruisset. T. Vinidium Quadratum præsidem Syriæ doceret, quo in statu Armeniæ forent. Digressu centurionis velut custode exsolutus præfectus, hortari Mithradatem ad sanciendum fœdus: *coniunctionem fratrum, ac priorem ætate Pharasmanem, & cetera necessitudinum nomina referens, quòd filiam eius in matrimonio haberet, quòd ipse Rhadamisto socer esset. Non abnuere pacem Hiberos, quamquam in tempore validiores: & satis cognitam Armeniorum*

A *perfidiam. nec aliud præsidij quàm castellum commeatu egenum. ne dubitaret armis, quàm incruentas conditiones malle.* Cunctante ad ea Mithradate, & suspectis præfecti consiliis, quòd pellicem regiam polluerat, inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanem peruadit: vtque Hiberi obsidio decedant expostulat. Ille propalàm incerta, & sæpiùs molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum, B oppugnationem quoquo modo accelerare. Augetur flagitij merces, & Pollio occulta corruptione impellit milites, vt pacem flagitarent, séque præsidio abituros minitarentur. Quâ necessitate, Mithradates diem locúmque fœderi accepit, castellóque egreditur. Ac primò Rhadamistus in amplexus eius effusus, simulare obsequium, socerum ac parentem appellare. Adiicit iusiurandum, non ferro, non veneno vim allaturum: simul in lucum propinquum trahit, proui- C sum illic sacrificium imperatum dictitans, vt diis testibus pax firmaretur. Mos est regibus quotiens in societatem coëant, implicare dextras, pollicésque inter se vincire, nodóque præstringere. Mox vbi sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc qui ea vincula admouebat, decidisse simulans, genua Mithradatis inuadit, ipsúmque prosternit: simúlque concursu plurium D iniiciuntur catenæ, ac compedes (quod dedecorū Barbaris) trahebatur. Móxque vulgus duro imperio habitum probra ac verbera intentabat. Et erant è contrà, qui tantam fortunæ commutationem miserarentur. Secutáque cum paruis liberis coniunx, cuncta lamentatione complebat. Diuersis & contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis iussa exquirerentur. Illi cupido regni fratre & filiâ potior, animúsque sceleribus paratus. visui tamen consuluit, ne coram interficerentur. E Et Rhadamistus quasi iurisiurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem & patruum expromit, sed proiectos in humum, & veste multa grauique opertos necat. Filij quoque Mithradatis, quòd cædibus parentum illacrymauerant, trucidati sunt. At Quadratus cognoscens proditum Mithradatem, & regnum ab interfectoribus obtineri, vocat concilium, docet acta, & an vlcisceretur consultat. Paucis decus publicum curæ: plures tuta disserunt. *Omnes scelus exter-* F *num, cum lætitiâ habendum. Semina etiam odiorum iacienda, vt sæpe principes Romani eamdem Armeniam specie largitionis, turbandis Barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rhadamistus malè partis, dum inuisus, infamis. quando id magis ex vsu, quàm si cum gloria adeptus foret.* In hanc sententiam itum. Ne tamen annuisse facinori viderentur, & diuersa Cæsar præciperet, missi ad Pharasmanem nuntij, vt abscederet à finibus Armeniis, filiúmque abstraheret. Erat Cappadociæ procurator Iulius Pelignus, ignaui animi, & derisiculo corpo- G ris iuxtà despiciendus. sed Claudio perquàm familiaris, cùm priuatas olim conuersationes curaret, iners otium oblectaret. Is Pelignos auxiliis prouincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quàm hostes prædatur, abscessu suorum, & incursantibus Barbaris, præsidij egens, ad Rhadamistum venit, donísque eius euictus, vltrò regium insigne sumere cohortatur: sumentiq; adest auctor & satelles.

tellet. Quod vbi turpi fama diuulgatum, ne cęteri
quoque ex Peligno coniectarentur, Heluidius
Priscus legatus cum legione mittitur, rebus tur-
bidis pro tempore vt consuleret. Igitur propere
montem Taurum transgressus, moderatione plu-
ra quam vi composuerat: cùm redire in Syriam
iubetur, ne initium belli aduersus Parthos exsi-
steret. Nam Vologeses casum inuadendæ Ar-
meniæ obuenisse ratus, quam à maioribus suis
possessam, externus rex flagitio obtineret, contra-
hit copias, fratremque Tiridatem deducere in
regnum parat, ne qua pars domus sine imperio a-
geret. Incessu Parthorum, sine acie pulsi Hiberi:
vrbésque Armeniorum Artaxata & Tigranocer-
ta iugum accepere. Dein atrox hiems, seu parum
prouisi commeatus, & orta ex vtroque tabes, per-
cellunt Vologesen omittere præsentia. vacuámq;
rursus Armeniam Rhadamistus inuasit, truculen-
tior quàm antea, tamquam aduersus defectores, &
in tempore rebellaturos. Atque illi quamuis ser-
uitio sueti, patientiam abrumpunt, armísque re-
giam circumueniunt. Nec aliud Rhadamisto sub-
sidium fuit, quam pernicitas equorum, quis seq; &
coniugem abstulit. Sed coniunx grauida, primam
vtcumque fugam ob metum hostilem & mariti
caritatem tolerauit. Pòst festinatione continua, v-
bi quati vterus, & viscera vibrantur, orare vt
morte honesta contumeliis captiuitatis exime-
retur. Ille primò amplecti, alleuare, adhortari, mo-
dò virtutem admirans, modo timore æger, ne
quis relictâ poriretur. Postremò violentia amo-
ris, & facinorum non rudis, distringit acinacem,
vulneratámque ad ripam Araxis trahit, flumini
tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps
Hiberos ad patrium regnum peruadit. Interim
Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuuie,
spirantem ac vitæ manifestam aduertêre pasto-
res, & dignitate formæ haud degenerem reputan-
tes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhi-
bent; cognitóque nomine & casu, in vrbem Ar-
taxata ferunt. vnde publica cura deducta ad Tiri-
datem, comitérque excepta cultu regio habita est.
Fausto Sylla, Saluio Othone Coss. Furius Scribo-
nianus in exsilium agitur, quasi finem principis
per Chaldæos scrutaretur. adnectebatur crimini
Iunia mater eius, vt casus prioris (nam relegata
erat) impatiens. Pater Scriboniani Camillus ar-
ma per Dalmatiam mouerat. Idque ad clemen-
tiam trahebat Cæsar, quòd stirpem hostilem ite-
rum conseruaret. Neque tamen exsuli longa post-
hac vita fuit: morte fortuita, an per venenum ex-
tinctus esset, vt quisque credidit, vulgauere. De
mathematicis Italiâ pellendis factum Senatus-
consultum, atrox & irritum. Laudati dehinc ora-
tione principis, qui ob angustias familiares ordi-
ne senatorio sponte cederent, motique qui rema-
nendo impudentiam paupertati adiicerent. In-
ter quæ refertur ad patres de pœnâ feminarum,
quæ seruis coniungerentur. Statuitúrque vt igna-
ro domino ad id prolapsa, in seruitutem sui con-
sensisset, & qui nati essent, pro libertis haberen-
tur. Pallanti, quem repertorem eius relationis e-
diderat Cæsar, prætoria insignia, & centies quin-
quagesies sestertiûm censuit consul designatus
Barea Soranus: additum à Scipione Cornelio,
grates publicè agendas, quòd regibus Arcadiæ
ortus, veterrimam nobilitatem vsui publico post-
poneret, séque inter ministros Principis haberi
sineret. Asseuerauit Claudius, contentum honore

A Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere.
Et fixum est .... publico Senatusconsultum, quo
libertinus sestertij ter millies possessor, antiquæ
parsimoniæ laudibus cumulabatur. At non frater
eius cognomento Felix pari moderatione agebat,
iam pridem Iudææ impositus, & cuncta male-
facta sibi impunè ratus, tanta potentiâ subnixo.
Sanè præbuerant Iudæi speciem motus ortâ se-
ditione, postquam cognita cæde Caij haud ob-
B temperatum esset. manebat metus, ne quis prin-
cipum eadem imperitaret. Atque interim Felix
intempestiuis remediis delicta accendebat, æ-
mulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars
prouinciæ habebatur: ita diuisis, vt huic Gali-
læorum natio, Felici Samaritæ parerent, discor-
des olim & tum contemptu regentium minus
coërcitis odiis. Igitur raptare inter se, immit-
tere latronum globos, componere insidias, & ali-
quando prœliis congredi, spoliáque & prædas
C ad procuratores referre. Hique primò lætari,
mox gliscente pernicie, cùm arma militum in-
teriecissent, cæsi milites. Arsissetque bello pro-
uincia, ni Quadratus Syriæ rector subuenisset.
Nec diu aduersus Iudæos, qui in necem militum
proruperant, dubitatum, quin capite pœnas lue-
rent: Cumanus & Felix cunctationem afferebant,
quia Claudius caussis rebellionis auditis, ius sta-
tuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed
Quadratus Felicem inter iudices ostentauit, re-
D ceptum in tribunal, quo studia accusantium de-
terrerentur. damnatúsque flagitiorum: quæ duo
deliquerant, Cumanus; & quies prouinciæ red-
dita. Nec multò post agrestium Cilicum natio-
nes, quibus Clitarum cognomentum, sæpe &
aliâs commotæ, tunc Trosobore duce, montes
asperos castris cœpere. Atque inde decursu in li-
tora aut vrbes, vim cultoribus ac opidanis, ac ple-
rumque in mercatores & nauicularios audebant.
Obsessáque ciuitas Anemuriensis, & missi è Sy-
E ria in subsidium equites cum præfecto Curtio
Seuero turbantur: quòd duri circum loci, pedi-
tibúsque ad pugnam idonei, equestre prœlium
haud patiebantur. Dein rex eius oræ Antiochus,
blandimentis aduersus plebem, fraude in ducem,
cùm Barbarorum copias dissociasset, Trosobore
paucísque primoribus interfectis, ceteros cle-
mentiâ composuit. Sub idem tempus, inter la-
cum Fucinum amnémque Lyrin perrupto mon-
te, quo magnificentia operis à pluribus viseretur,
F lacu in ipso nauale prœlium adornatur, vt quon-
dam Augustus structo cis Tiberim stagno, sed
leuibus nauigiis & minore copia ediderat. Clau-
dius triremes quadriremésque & vndeuiginti
hominum millia armauit, cincto ratibus ambitu,
ne vaga effugia forent: attamen spatium ample-
xus, ad vim remigij, gubernantium artes, impetus
nauium, & prœlio solito in ratibus prætoriarum
cohortium manipuli turmæque adstiterant, an-
tepositis propugnaculis, ex quîs catapultæ bali-
stæque tenderentur. Reliqua lacus, classiarij te-
G ctis nauibus obtinebant. Ripas & colles, ac mon-
tium edita in modum theatri, multitudo innu-
mera compleuit, proximis è municipiis, & a-
lij vrbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in
principem. Ipse insigni paludamento, neque pro-
cul Agrippina chlamyde aurata, præsedere. Pu-
gnatum, quamquam inter sontes, fortium vi-
rorum animo: ac post multum vulnerum, occi-
dioni exempti sunt. Sed perfecto spectaculo a-

pertum aquarum iter,& incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media. Eóque,tempore interiecto,altiùs effossi specus, & contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. Quin & conuiuium effluuio lacus appositum magnâ formidine cunctos affecit,quia vis aquarum prorumpens, proxima trahebat,conuulsis vlterioribꝰ,aut fragore & sonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione principis vsa, ministrum operis Narcissum incusat cupidinis, ac prædarum. Nec ille reticet, impotentiam muliebrem nimiásque spes eius arguens. D. Iunio, Q. Haterio Coss. sedecim annos natus Nero Octauiam Cæsaris filiam in matrimonium accepit. Vtque studiis honestis, & eloquentiæ gloria nitesceret, caussâ Iliensium suscepta, Romanum Troiâ demissum,& Iuliç stirpis auctorem Æneam aliáque haud procul fabulis vetera facundè exsecutus, impetrat vt Ilienses omni publico munere soluerentur. Eodem oratore, Bononiensi Coloniæ igni haustæ subuentum, centies sestertij largitione. Redditur Rhodiis libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant. Tributúmque Apamiensibus terræmotu conuulsis, in quinquennium remissum. At Claudius sæuissima quæque promere adigebatur eiusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum opibus illustrem, hortis eius inhians, peruertit, accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri Africam imperio proconsulari regentis, postquam reuenerant, pauca repetundarum crimina, ceterùm magicas superstitiones obiectabat. Nec ille diutiùs falsum accusatorem indigna sorte perpessus, vim vitæ suæ attulit, ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est. quod patres odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ peruicêre. Eodem anno sæpius audita vox Principis, parem vim rerum habendam à procuratoribus suis iudicatarum, ac si ipse statuisset. Ac ne fortuitò prolapsus videretur, Senatus quoque consulto cautum, pleniùs quam antea & vberiùs. Nam diuus Augustus apud equestres qui Ægypto præsiderent lege agi, decretáque eorum proinde haberi iusserat, ac si magistratus Romani constituissent: mox alias per prouincias,& in vrbe pleraque concessa sunt, quæ olim à prætoribus noscebantur. Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cùm Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum Seruiliæ leges senatui iudicia redderent. Mariúsque & Sylla olim de eo vel præcipuè bellarunt. Sed tunc ordinum diuersa studia: & qui vicerant, publicè valebant. C. Oppius & Cornelius Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare. Matios posthac & Vedios, & cetera equitum Romanorum præualida nomina, referre nihil attinuerit; cùm Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, sibique & legibus adæquauerit. Rettulit dein de immunitate Cois tribuenda. Multáque super antiquitate eorum memorauit: Argiuos, vel Cœum Latonæ parentem, vetustissimos insulæ cultores: mox aduentu Æsculapij artem medendi illatam, maximéque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens, & quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse vteretur, eadem familia

A ortum. Precibúsq; eius dandum, vt omni tributo vacui in posterum Coi, sacram & tantùm dei ministram insulam colerēt. neque dubium habetur, multa eorundem in Pop. Rom. merita, sociásque victorias potuisse tradi. Sed Claudius, facilitate solita, quod vni concesserat, nullis extrinsecus adiumentis velauit. At Byzantij, data dicendi copia, cùm magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetiuêre; orsi à fœdere B quod nobiscum icerant, qua tempestate bellauimus aduersus regem Macedonum, cui vt degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum. Missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, & piratico bello adiutum Antonium. memorabántque quæ Syllæ, aut Lucullo, aut Pompeio obtulissent. Mox recentia in Cæsares merita. quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terra marique ducibus, exercitibúsque, simul vehendo commeatu opportuna forent. Namque ar- C tissimo inter Europam Asiámque diuortio, Byzantium in extrema Europa posuere Græci. quibus Pythium Apollinem consulentibus vbi conderent vrbem, redditum oraculum est: quærerent sedem, cæcorū terris aduersam. Ea ambage Chalcedonij monstrabantur, quòd priores illuc aduecti, præuisa locorum vtilitate peiora legissent. Quippe Byzantium fertili solo, fecundóque mari. quia vis piscium in Metapontum erumpens, & obliquis subter vndas saxis exterrita, omisso al- D terius litoris flexu, hos ad portus defertur. Vnde primò quæstuosi & opulenti: pòst magnitudine onerum vrgente, finem aut modum orabant, annitente principe, qui Thracio Bosphoranóque bello recens fessos iuuādósque rettulit. Ita tributa in quinquennium remissa. M. Asinio, M. Acilio Coss. mutationem rerum in deterius portēdi, cognitum est crebris prodigiis. Signa enim ac tentoria militum igne cælesti arsere. Fastigio Capitolij examen apium insedit. Biformes hominum E partus. Et suis fœtus editus, cui accipitrum vngues inessent. Numerabatur inter ostenta, deminutus omnium magistratuum numerus, quęstore, ædili, tribuno, ac prætore, & consule, paucos intra menses defunctis. Sed in præcipuo pauore Agrippina vocem Claudij, quam temulentus iecerat, fatale sibi, vt coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens: agere & celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida muliebribus caussis: F quia Lepida minore Antonia genita, auunculo Augusto, Agrippinæ sobrinâ prior, ac Gnei mariti eius soror, parem sibi claritudinem credebat. nec forma, ætas, opes multum distabant; & vtraq; impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis æmulabantur, quàm si qua ex fortuna prospera acceperant. Enimuerò certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem præualeret. Nam Lepida blandimentis & largitionibus iuuenilem animum deuinciebat, truci contrà ac minaci A- G grippina, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat. Ceterùm obiecta sunt quòd coniugiū principis deuotionibus petiuisset, quodque parum coërcitis per Calabriam seruorum agminibus pacem Italiæ turbaret. Ob hæc mors indicta, multum aduersante Narcisso, qui Agrippinam magis magísque, suspectans, prompsisse inter proximos ferebatur, *certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur. Verùm ita de se meritum Cæsarem, vt vitam vsui eius impenderet. Conuictam Messallinam & Silium. Pares*

iterum

ietrum accusandi caussas esse, si Nero imperitaret. Brit. amico successore, nullum principi meritum, ac nouerca insidiis domum omnem conuelli, maiore flagitio, quàm si impudicitiam prioris coniugis reticuisset. quaquam ne impudicitiam quidem nūc abesse, Pallante adultero: ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere. Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum. robur ætatis quam maturrimum precari: modò ad deos, modò ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret: matris etiam interfectores vlcisceretur. In tantâ mole curarum, Claudius valetudine aduersâ corripitur, refouendísque viribus mollitie cæli & salubritate aquarum, Sinuessam pergit. Tum Agrippina sceleris olim certa, & oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egēs, de genere veneni consultauit: ne repentino & præcipiti facinus proderetur; si lentum & tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filij rediret. Exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret. Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta, nuper veneficij damnata, & diu inter instrumenta regni habita. Eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister è spadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare gustu solitus. Adeóque cuncta mox pernotuere, vt temporum illorum scriptores prodiderint, infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiáne Claudij an vinolentiâ. simul soluta aluus subuenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, & quando vltima timebantur, spretâ præsentium inuidiâ, prouisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tamquam nisus euomentis adiuuaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur: haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum pręmio. Vocabatur interim senatus, votáque pro incolumitate principis consules & sacerdotes nuncupabant, cùm iam exanimis vestib. & fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. Iam primùm Agrippina, velut dolore victa & solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque & Octauiam sorores eius attinuit, & cunctos aditus custodiis clauserat: crebróque vulgabat, ire in melius valetudinē principis, quo miles bona in spe ageret, tempúsq; prosperum ex monitis Chaldęorum aduentaret. Tunc medio diei, tertium ante idus Octob. foribus palatij repentè diductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem, quę more militię excubiis adest. Ibi monente Præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitauisse quosdam ferunt respectantes, rogitantésque vbi Britannicus esset? mox nullo in diuersum auctore, quę offerebātur secuti sunt. Illatúsq; castris Nero, & congruentia tempori præfatus, promisso donatiuo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur. Sententiam militum secuta Patrum consulta, nec dubitatum est apud prouincias. Cælestésque honores Claudio decernuntur, & funeris sollenne perinde ac diuo Augusto celebratur: æmulante Agrippinâ proauiæ Liuiæ magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio priuignus, iniuriâ & inuidiâ animos vulgi turbaret.



C. CORNELII TACITI
AB EXCESSV DIVI AVGVSTI
Annalium
LIBER XIII.

PRIMA nouo principatu mors Iunij Silani proconsulis Asiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ paratur. non quia ingenij violentiâ exitium irritauerit, segnis & dominationibus aliis fastiditus, adeò vt C. Cæsar pecudem auream eum appellare solitus sit: verùm Agrippina fratri eius L. Silano necem molita, vltorem metuebat, crebrâ vulgi fama, anteponendum esse vix dum pueritiam egresso Neroni, & imperium per scelus adepto, virum ętate composita, insontem, nobilem, & quod tunc spectaretur, è Cæsarū posteris. quippe & Silanus D. Augusti abnepos erat. hæc caussa necis: ministri fuere P. Celer eques Romanus, & Ælius libertus rei familiari Principis in Asia impositi. Ab bis proconsuli venenum inter epulas datum est, apertiùs quàm vt fallerent. Nec minus properatò Narcissus Claudij libertus, de cuius iurgiis aduersus Agrippinam rettuli, aspera custodia, & necessitate extrema, ad mortem agitur; inuito principe, cuius abditis adhuc vitiis per auaritiam ac prodigentiam mirè congruebat. Ibaturque in cædes: nisi Afranius Burrhus, & Annæus Seneca obuiam issent. Hi rectores imperatoriæ iuuentæ, & pari in societate potentiæ concordes, diuersa arte ex æquo pollebant. Burrhus militaribus curis, & seueritate morum: Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honesta. iuuantes inuicem, quo faciliùs lubricam principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen vtrique vnum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis, & adoptione exitiosa, semet peruerterat. Sed neque Neroni infra seruos ingenium; & Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus, tæ-

dium sui mouerat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signúmque more militiæ petenti tribuno dedit, OPTIMÆ MATRIS. Decreti & à senatu duo lictores, flaminium Claudiale simul Claudio cēsorium funus, & mox consecratio. Die funeris, laudationem eius princeps exorsus est. Dum antiquitatem generis, consulatus, ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse & ceteri. Liberalium quoque artium commemoratio, & nihil regente eo Reip. triste ab exteris accidisse, pronis animis audita. Postquam ad prouidentiam sapientiámque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio à Seneca composita, multum cultus præferret: vt fuit illi viro ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera & pręsentia contēdere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem, alienæ facundiæ eguisse. Nam dictator Cæsar summis oratoribus æmulus, & Augusto prompta ac profluens, quæ deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio quotiens meditata dissereret, elegantiam requires. Nero puerilibus statim annis, viuidum animum in alia detorsit. Cælare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere. & aliquando carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat. Ceterùm peractis tristitiæ imitamentis, curiam ingressus, & de auctoritate patrum, & consensu militum præfatus, consilia sibi & exempla capessendi egregiè imperij memorauit: nec iuuentam armis ciuilibus, aut domesticis discordiis imbutam: nulla odia, nullas iniurias, nec cupidinem vltionis afferre. Tum formam futuri principatus præscripsit, ea maximè declinans, quorum recens flagrabat inuidia. Non enim se negotiorum omnium iudicem fore, vt clausis vnam intra domum accusatoribus & reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in penatibus suis vænale, aut ambitioni peruium: discretam domum & Remp. Teneret antiqua munia senatus, Consulum tribunalibus Italia & publicæ prouinciæ assisterent. Illi patrum aditum præberent, se mandatis exercitibus consulturum. Nec defuit fides. Multáque arbitrio senatus constituta sunt, Ne quis ad caussam orandam mercede aut donis emeretur; Ne designatis quidem quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset. Quod quidem aduersante Aprippinâ, tamquam acta Claudij subuerterentur, obtinuere patres. qui in palatium ob id vocabantur, vt astaret abditis à tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, aditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum caussam gentis apud Neronem orantibus, escendere suggestum imperatoris, & præsidere simul parabat: nisi ceteris pauore defixis, Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. Ita specie pietatis, obuiam itum dedecori. Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos, & rapi Armeniam allatum est, pulso Rhadamisto, qui sæpe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. Igitur in vrbe sermonum auida, quemadmodum princeps vix septemdecim annos egressus, suscipere eam molem aut propulsare posset: quod subsidium in eo qui à femina regeretur: num prœlia quoque & oppu-

A gnationes vrbium, & cetera belli per magistros administrari possent, anquirebant. Contrà *alij melius euenisse disserunt, quàm si inualidus senectâ & ignauiâ Claudius, militia ad labores vocaretur, seruilibus iussis obtemperaturus. Burrhum tamen & Senecam multarum rerum experientiâ cognitos: & imperatori quantum ad robur deesse? cum octauodecimo ætatis anno Cn. Pompeius, nonodecimo Cæsar Octauianus, ciuilia bella sustinuerint. Pleraque in* B *summâ fortunâ auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri. Daturum planè documentum honestis an secus amicis vteretur, si ducem amotâ inuidiâ egregium, quàm si pecuniosum & gratiâ subnixum per ambitum deligeret.* Hæc atque talia vulgantibus, Nero & iuuentutem proximas per prouincias quæsitam supplendis Orientis legionibus admouere, legionésque ipsas propius Armeniam collocari iubet. Duósque veteres reges Agrippam & Iocchum expedire copias, quîs Partho- C rum fines vltrò intrarent: simul pontes per amnem Euphratem iungi. Et minorem Armeniam Aristobulo, regionem Sophenem Sohemo cum insignibus regiis mandat. Exortúsque in tempore æmulus Vologeso, filius Vardanes. Et abscessere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum. Sed apud Senatum omnia in maius celebrata sunt, sententiis eorum, qui supplicationes & diebus supplicationum vestem principi triumphalem, vtque ouans vrbem iniret, effigiesque D eius pari magnitudine ac Martis Vltoris, eodem in templo censuere: præter suetam adulationem læti, quòd Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuerat. Videbatúrque locus virtutibus patefactus. Copiæ Orientis ita diuiduntur, vt pars auxiliarium cum duabus legionibus apud prouinciam Syriam, & legatum eius Quadratum Vinidium remaneret: par ciuium sociorúmque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant. Socij E reges prout bello conduceret, parêre iussi. Sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui vt famæ inseruiret, quæ in nouis cœptis validissima est, itinere properè confecto, apud Ægeas ciuitatem Ciliciæ obuium Quadratum habuit, illuc progressum, ne si ad accipiendas copias Syriam intrauisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam sapientiámque, etiam specie F inanium validus. Ceterùm vterque Vologesem regem nuntiis monebant, pacem quàm bellum mallet, datísque obsidibus, solitam prioribus reuerentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeses quo bellū ex commodo pararet, an vt æmulationis suspectos per nomen obsidum amoueret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepítque eos centurio Histeius ab Vinidio missus, fortè prior ea de caussa adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est, ire præfectum cohortis Arrium Varum, & reciperare obsides iubet. Hinc ortum inter præfectum G & centurionem iurgium, ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatísque qui eos ducebant, permissum. Atque illi ob recentem gloriam, & inclinatione quadam etiam hostium, Corbulonem prætulere. Vnde discordia inter duces, querente Vinidio prærepta quæ suis consiliis patrauisset: restante contrà Corbulone, non priùs conuersum regem ad offerendos obsides, quàm ipse dux bello delectus, spes eius ad

merum

metum mutaret. Nero quo componeret diuersos, sic euulgari iussit: Ob res à Quadrato & Corbulone prosperè gestas laurum fascibus imperatoriis addi. Quæ in alios consules egressa, coniunxi. Eodem anno Cæsar effigiem Cn. Domitio patri, consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore vsus erat, petiuit à senatu: sibique statuas argento vel auro solidas, aduersus offerentes prohibuit. Et quamquam censuissent patres, vt principium anni inciperet mense Decemb. quo ortus erat Nero, veterem religionem Kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit. Neq; recepti sunt in reos Carinas Celer senator, seruo accusante, aut Iulius Densus eques, cui fauor in Britannicum crimini dabatur. Claudio Nerone, L. Antistio Coss. cùm in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit: magnis patrum laudibus, vt iuuenilis animus leuium quoque rerum gloriâ sublatus, maiores continuaret. Secutáque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messallinæ ordine remotum, reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quàm honesta præciperet, vel iactandi ingenij, voce principis vulgabat. Ceterùm infracta paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum Acte fuit: simul assumptis in conscientiam Othone & Claudio Senecione adolescentulis decoris, quorum Otho familiâ consulari, Senecio liberto Cæsaris patre genitus, ignarâ matre, dein frustra obnitente, penitus irrepserant per luxum & ambigua secreta. ne seuerioribus quidē principis amicis aduersantibus, mulierculâ nullâ cuiusquam iniuriâ cupidines principis explente, quando vxore ab Octaniâ nobili quidem, & probitatis spectatæ, fato quodam, an quia præualent illicita, abhorrebat, metuebatúrque ne in stupra feminarum illustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur. Sed Agrippina libertam æmulam, nurum ancillam, aliáque eundem in modum muliebriter fremere. Neque pœnitentiam filij, aut satietatem opperiri: quantóque fœdiora exprobrabat, acrius accendere. donec vi amoris subactus, exueret obsequium in matrem, Senecæque permitteret. Ex cuius familiaribus Annæus Serenus, simulatione amoris aduersus eandem libertam, primas adolescentis cupidines velauerat, præbuerátque nomen, vt quæ princeps furtim mulierculæ tribuebat, ille palàm largiretur. Tum Agrippina versis artibus, per blandimenta iuuenem aggredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quæ prima ætas, & summa fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempestiuam seueritatem, & suarum opum quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat. vt nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabántque cauere insidias mulieris semper atrocis, tum & falsæ. Fortè illis diebus Cæsar inspecto ornatu, quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem & gemmas, misitque donum matri: nullâ parsimonia, cùm præcipua & cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat, & diuidere filium, quæ cuncta ex ipsa haberet. Nec defuere qui in deterius referrent. Et Nero infensus iis quibus superbia muliebris

A innitebatur, demouet Pallantem cura rerum, quîs à Claudio impositus, velut arbitrum regni agebat. Ferebatúrque digrediente eo, magna prosequentium multitudine, non absurdè dixisse: *Ire Pallantem, vt eiuraret.* Sanè pepigerat Pallas, ne cuius facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes cum Repub. haberet. Præceps post hæc Agrippina. ruere ad terrorem & minas, neque principis auribus abstinere, B quo minus testaretur, *adultum iam esse Britannicum, veram dignámque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus & adoptiuus, per iniurias matris exerceret. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ in primis nuptiæ, suum veneficium. Id solum diis & sibi prouisum, quòd viueret priuignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis, rursus Burrhus & exsul Seneca, truncâ scilicet manu, & professoriâ linguâ, generis humani regimen* C *expostulantes.* Simul intendere manus, aggerere probra: consecratum Claudium, infernos Silanorum manes inuocare, & tot irrita facinora. Turbatus his Nero, & propinquo die, quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat, voluntate secum, modò matris violentiam, modò ipsius indolem, vt quidem experimento nuper cognitam, quo tamen fauorem latè quæsiuisset: Festis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium, euenerat D ea sors Neroni. Igitur ceteris diuersa, nec ruborem illatura, vbi Britannico iussit exsurgeret, progressusque in medium, cantum aliquem inciperet, irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque conuictus, nedum temulentos ignorantis: ille constanter exorsus est carmen, quo euolutum eum sede patria rebúsque summis significabatur. Vnde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox & lasciuia exemerat. Nero intellecta inuidia, odium intendit. Vrgentibúsque E Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque iubere cædem fratris palàm audebat, occulta molitur: pararique venenum iubet, ministro Pollione Iulio prætoriæ cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficij nomine Locusta, multa scelerum fama. Nam vt proximus quisque Britannico, neque fas, neque fidem pensi haberet, olim prouisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque exsoluta aluo parum validum, siue temperamentum F inerat, ne statim sæuiret. Sed Nero lenti sceleris impatiens, minitari tribuno, iubere supplicium veneficæ, quòd dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam præcipitem necem quàm si ferro vrgeretur, cubiculum Cæsaris iuxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum. Mos habebatur, principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria & parciore mensa. G Illic epulante Britannico, quia cibos potúsque eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut vtriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico. Dein postquam feruore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum; quod ita cunctos eius artus peruasit, vt vox pariter & spiritus eius raperentur. Trepidatum a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus al-

tior intellectus, resistunt defixi, & Neronem intuentes. Ille vt erat reclinis, & nescio similis, solitum ita, ait, per comitialem morbum, quo primùm ab infantiâ afflictaretur Britannicus, & redituros paulatim visus sensúsque. At Agrippinæ is pauor, ea consternatio mentis, quamuis vultu premeretur, emicuit; vt perinde ignaram fuisse ac Octauiam sororem Britannici cõstiterit. quippe sibi supremum auxilium ereptum, & parricidij exemplum intelligebat. Octauia quoque quamuis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat. Ita post breue silentium, repetita conuiuij lætitia. Nox eadem necem Britannici & rogum coniunxit, prouiso antè funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est, adeò turbidis imbribus, vt vulgus iram deûm portendi crediderit aduersus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias, & insociabile regnum extimantes. Tradunt plerique eorum temporum scriptores, crebris ante exitium diebus, illusisse pueritiæ Britannici Neronem. vt iam non præmatura, neq; sæua mors videri queat, quamuis inter sacra mensę, ne tempore quidem ad complexum sorori dato, ante oculos inimici properata sit, in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quàm veneno pollutum. Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id à maioribus institutum referens, *subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompâ detinere. Ceterùm & sibi amisso fratris auxilio, reliquas spes in Rep. sitas: & tanto magis fouendum patribus populóque principem, qui vnus superesset è familiâ summum ad fastigium genitâ*. Exin largitione potissimos amicorum auxit. Nec defuerunt, qui arguerent viros grauitatem asseuerantes, quòd domos villásque id temporis quasi prædas diuisissent. Alij necessitatem adhibitam credebãt à principe, sceleris sibi conscio, & veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nullá munificẽtiâ leniri; sed amplecti Octauiam, crebra cũ amicis secreta habere. Super ingenitá auaritiá, vndiq; pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos & centuriones comiter excipere. Nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere: quasi quæreret ducem & partes. Cognitum id Neroni, excubiasque militares, quæ vt coniugi imperatoris olim, tum & vt matri, seruabantur, & Germanos super eundem honorem custodes additos digredi iubet. Ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matrémque transfert in eam quæ Antoniæ fuerat: quotiens ipse illuc ventitaret, septus turbâ centurionum, & post breue osculum digrediens. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quàm fama potentiæ, non suâ vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire, præter paucas feminas, amore an odio, incertum. Ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silij à Messallina depulsam, suprà rettuli, insignis genere, formâ, lasciuiâ, & Agrippinæ diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuuenem à nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina, impudicam & vergentem annis dictitans; non vt Africanum sibi seponeret, sed ne opibus & orbitate Silanæ maritus poteretur. Illa spe vltionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis Iturium & Caluisium, non vetera,

A & sæpiùs iã audita deferẽs, quòd Britannici mortem lugeret, aut Octauiæ iniurias euulgaret: sed destinauisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu à diuo Augusto, ad res nouas extollere; coniugióq; eius etiam pacto, Remp. rursus inuadere. hæc Iturius & Caluisius Atimeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt. Qui lætus oblatis (quippe inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur) Paridem histrionem libertum & ipsum Domitiæ

B impulit, ire properè, crimenque atrociter deferre. Prouecta nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur. Cùm ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere. Sed tunc compositus ad mæstitiam, expositóque indicij ordine, ita audientem exterret, vt non tantùm matrem Plautúmque interficere, sed Burrhum etiam demouere præfectura destinaret, tamquam Agrippinæ gratia prouectum, & vicem reddentem. Fa-

C bius Rusticus auctor est, scriptos esse ad Cæcinam Thuscum codicillos mandata ei prætoriarum cohortium cura, sed ope Senecæ dignationem Burrho retentam. Plinius & Cluuius nihil dubitatum de fide præfecti referunt. sanè Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cuius amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuti, quæ diuersa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus, & interficiendæ matris auidus, non priùs differri potuit, quàm Burrhus ne-

D cem eius promitteret, si facinoris coargueretur. *Sed cuicumque, nedum parenti defensionem tribuendam. nec accusatores adesse, sed vocem vnius ex inimicâ domo afferri. Refutare tenebras, & vigilatam conuiuio noctem, omniáque temeritati & inscitiæ propiora.* Sic lenito principis metu, & luce orta, itur ad Agrippinam vt nosceret obiecta, dissolueretque vel pœnas lueret. Burrhus iis mandatis, Seneca coràm, fugebatur. Aderant & ex libertis, arbitri sermonis. Deinde à Burrho postquam crimi-

E na & auctores exposuit, minaciter actum. Agrippina ferociæ memor, *Non miror*, inquit, *Silanam numquam edito partu, matrum affectus ignotos habere. Neque enim perinde à parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur. Nec si Iturius & Caluisius adesis omnibus fortunis, nouissimã suscipiendæ accusationis operam anui rependunt; ideo aut mihi infamia parricidij, aut Cæsari conscietia subeũda est. nam Domitiæ inimicitiis gratias agerẽ, si beneuolen-*

F *tiâ mecum in Neronem meũ certaret. Nunc per concubinũ Atimetum, & histrionem Paridem quasi scenæ fabulas componit. Baiarum suarũ piscinas extollebat, cùm meis consiliis adoptio, & proconsulare ius, & designatio consulatus, & cetera adipiscendo imperio præpararentur. Aut existat qui cohortes in vrbe tentatas, qui prouinciarum fidẽ labefactatã, denique seruos vel libertos ad scelus corruptos arguat. Viuere ego Britãnico potiẽte rerũ poterã: at si Plaut⁹ aut quis alius Remp. iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mi-*

G *hi accusatores, qui non verba impatiẽtia caritatis aliquãdo incauta, sed ea crimina obiciãt, quibus nisi à filio mater absolui non possim.* Cõmotis qui aderãt, vltróq; spiritus eius mitigãtibus, colloquium filij exposcit. Vbi nihil pro innocẽtiâ quasi diffideret, nec beneficiis quasi exprobraret disseruit, sed vltionem in delatores & præmia amicis obtinuit. Præfectura annonæ Fenio Rufo, cura ludorũ qui à Cæsare parabantur Arruntio Stellę; Ægyptus C. Balbillo permittuntur. Syria P. Anteio destinata, & variis mox artibus clusus; ad postremum in

vrbe

vrbe retentus est. At Silana in exsilium acta. Cal-
uisius quoque & Iturius relegantur. De Atimeto
supplicium sumptum, validiore apud libidines
principis Paride, quàm vt pœna afficeretur.
Plautus ad præsens silentio transmissus est. De-
feruntur dehinc consensisse Pallas, ac Burrhus,
vt Cornelius Sulla claritudine generis, & affi-
nitate Claudij, cui per nuptias Antoniæ, gener
erat, ad imperium vocaretur. Eius accusationis
auctor exstitit Pætus quidam, exercendis apud
ærarium sectionibus famosus; & tum vanita-
tis manifestus. Nec tam grata Pallantis inno-
centia, quàm grauis superbia fuit: quippe nomi-
natis libertis eius, quos conscios haberet, respon-
dit, nihil vnquam se domi, nisi nutu aut manu
significasse, vel si plura demonstranda essent scri-
pto vsum, ne vocem consociaret. Burrhus quam-
uis reus, inter iudices sententiam dixit. Exiliúm-
que accusatori irrogatum, & tabulæ exustæ sunt,
quibus oblitterata ærarij monimenta retrahebat.
Fine anni statio cohortis assidere ludis solita, de-
mouetur, quo maior species libertatis esset: vtque
miles theatrali licentiæ non permixtus, incor-
ruptior ageret, & plebes daret experimentum,
an amotis custodibus, modestiam retineret. Vr-
bem princeps lustrauit è responso haruspicum,
quòd Iouis ac Mineruæ ædes de cælo tactæ erant.
Q. Volusio, P. Scipione Coss. otium fo-
ris, fœda domi lasciuia, qua Nero itinera vrbis,
& lupanaria, & diuerticula, veste seruili in dissi-
mulationem sui compositus pererrabat, comi-
tantibus qui raperent ad venditionem exposita,
& obuiis vulnera inferrent, aduersus ignaros a-
deò, vt ipse quoque acciperet ictus, & ore præfer-
ret. Deinde vbi Cæsarem esse qui grassaretur per-
notuit, augebantúrque iniuriæ aduersus viros
feminásque insignes: & quidam permissa semel
licentia sub nomine Neronis, inulti propriis cum
globis eadem exercebant, & in modum capti-
uitatis nox agebatur. Iulius quidam Montanus
senatorij ordinis, sed qui nondum honorem ca-
pessisset, congressus fortè per tenebras cum Prin-
cipe, quia vim tentantem acriter repulerat, dein-
de agnitum orauerat, quasi exprobrasset, mo-
ri adactus est. Nero autem metuentior in poste-
rum, milites sibi, & plerosque gladiatorum cir
cumdedit, qui rixarum initia modica, & qua-
si priuata sinerent: si à læsis validiùs ageretur:
arma inferrent. Ludicram quoque licentiam,
& fautores histrionum velut in prœlia conuer-
tit, impunitate & præmiis, atque ipse occultus,
& plerumque coràm prospectans: donec dis-
cordi populo, & grauioris motus terrore, non
aliud remedium repertum est, quàm vt histriones
Italiâ pellerentur, miléque theatro rursum assi-
deret. Per idem tempus actum in senatu de frau-
dibus libertorum, efflagitatúmque vt aduersus
malè meritos, reuocandæ libertatis ius patronis
daretur. Nec deerant qui censerent. Sed consules
relationem incipere non ausi ignaro principe,
perscripsere tamen consensum senatus. Ille au-
ctor constitutionis fieret, vt inter paucos & sen-
tentiæ aduersos, quibusdam coalitam libertate
irreuerentiam eò prorupisse frementibus, *vt ne
an æquo cum patronis iure agerent, sententiam eo-
rum consularent, ac verberibus manus vltrò inten-
derent, impulere vel pœnam suam dissuadentes.
Quid enim aliud læso patrono concessum, quàm vt
vicesimum vltra lapidem, in oram Campaniæ liber-*

A *tum releget? Ceteras actiones promiscuas & pares
esse. Tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat.
Nec graue manumissis per idem obsequium retinen-
di libertatem, per quod assecuti sint. At criminum ma-
nifestos, meritò ad seruitutem retrahi: vt metu coër-
ceantur, quos beneficia non mutauissent.* Disserebatur
contrà. *Paucorum culpam ipsis exitiosam esse de-
bere, nihil vniuersorum iure derogandum. quippe latè
fusum id corpus. Hinc plerumq; tribus, decurias, mi-*
B *nisteria magistratibus & sacerdotibus, cohortes et-
iam in vrbe conscriptas. & plurimis equitum, plerisq;
que senatoribus, non aliunde originem trahi. Si separa-
rentur libertini: manifestam fore penuriam ingenuo-
rum. non frustra maiores cùm dignitatem ordinum
diuiderent, libertatem in commum posuisse. Quin &
manumittendi duas species institutas, vt relinqueretur
tur pœnitentiæ aut nouo beneficio locus. Quos vindi-
cta patronus non liberauerit: velut vinculo seruitutis
attineri. Dispiceret quisq; merita, tardéque conce-*
C *deret, quod datum non adimeretur.* Hæc sententia
valuit. Scripsitque Cæsar senatui, priuatim expen-
derent caussam libertorum, quotiens à patronis
arguerentur: in commune nihil derogent. Nec
multo pòst, ereptus amitæ libertus Paris, quasi iu-
re ciuili, non sine infamia principis, cuius iussu
perpetratum ingenuitatis iudicium erat. Manebat
nihilominus quædam imago Reip. Nam inter Vi-
bullium prætorem, & plebei tribunum Antistium
ortum certamen, quòd immodestos fautores hi-
D strionum & à prætore in vincula ductos, tribunus
omitti iussisset. comprobauere patres, incusata
Antistij licentia. Simul prohibiti tribuni ius præ-
torum & consulum præripere, aut vocare ex Italia
cum quibus lege agi posset. Addidit L. Piso desi-
gnatus consul, ne quid intra domum pro potestate
animaduerterent: néve multam ab iis dictam, quę-
stores ęrarij in publicas tabulas ante quatuor mē-
ses referrent: medio temporis contradicere li-
ceret. déque eo consules statuerent. Cohibita ar-
E ctiùs & ædilium potestas, statutúmq; quantum cu-
rules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœ-
næ irrogarent. Eò Heluidius Priscus tribunus ple-
bis, aduersus Obultronium Sabinum ærarij quæ-
storem contentiones proprias exercuit, tamquam
ius hastę aduersus inopes clementer augeret. Dein
princeps curam tabularum publicarum à quęsto-
ribus ad præfectos transtulit. Variè habita, ac sępe
immutata eius rei forma. Nam Augustus permi-
F sit senatui deligere præfectos. dein ambitu suffra-
giorum suspecto, sorte ducebantur ex numero
prætorum qui præessent. Neque id diu mansit,
quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc
Claudius quæstores rursum imposuit, iisque ne
metu offensionum segniùs consulerent, extra or-
dinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis
eum primum magistratum capessentibus. Igitur
Nero prætura perfunctos, & experientia probatos
delegit. Damnatus iisdem consulibus Vipsanius
G Lenas, ob Sardiniam prouinciam auarè habitam.
Absolutus Cestius Proculus repetundarum, ce-
dentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, quòd
præfectus remigum qui Rauennæ haberentur, ve-
lut infimam nationum, Italiam luxuria sæuitiá-
que afflictauisset, veneno damnationem anteuer-
tit. C. Aminius Rebius ex primoribus peritia le-
gum, & pecuniæ magnitudine, cruciatus ægræ se-
nectæ misso per venas sanguine effugit: haud cre-
ditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis;
ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius

giem patris Silij consulto senatus abolitam, demonstrat. Tum quidquid habitum Neronibus & Drusis, in pretium probri cessisse. incensúmque & ad minas prorumpentem, castris infert, paratâ concione militum; apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit. nam & si iustū dolorem, pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus, nomina reorum & pœnas flagitantium: admotúsque Silius tribunali, non defensionem, non moras tentauit, precatus vt mors acceleraretur. eadem constantia & inlustres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum custodem à Silio Messallinæ datum, & indicium offerentem Vectium Valentem & confessum, & Pompeium Vrbicum, ac Saufellum Trogum ex conscijs trahi ad supplicium iubet. Decius quoque Calpurnianus vigilum præfectus, Sulpicius Rufus ludi procurator, Iuncus Virgilianus senator, eâdem pœnâ affecti. solus Mnester cunctationem attulit, dilaniatâ veste clamitans, *aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, quâ se obnoxium iussis Messallinæ dedisset. Alijs largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam antè pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur.* Commotum his & pronum ad misericordiam Cæsarem perpulêre liberti, ne tot illustribus viris interfectis, histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccauisset, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. is modestâ iuuentâ, sed corpore insigni, accitus vltrò, noctémque intra vnam à Messallinâ proturbatus erat, paribus lasciuiis ad cupidinem & fastidia. Suilio Cesonino, & Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patrui egregium meritum: Cesoninus vitiis protectus est, tamquam in illo fœdissimo cœtu passus muliebria. Interim Messallina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnullâ spe, & aliquando irâ. tanta inter extrema superbia a-

A gebat. Ac ni cædem eius Narcissus properauisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus, & tempestiuis epulis delinitus, vbi vino incaluisset, iri iubet nuntiarique miseræ (hoc enim verbo vsum ferunt,) dicendam ad caussam postera die adesset. Quod vbi auditum, & languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox, & vxorij cubiculi memoria timebantur: prorumpit Narcissus, denuntiátque cen-

B turionibus & tribuno qui aderant, exsequi cædem: ita imperatorem iubere. custos & exactor è libertis, Euodus datus. Isque raptim in hortos progressus, reperit fusam humi, assidente matre Lepida: quæ florenti filiæ haud concors, supremis eius necessitatibus ad miserationem euicta erat: suadebátque ne percussorem opperiretur. transisse vitam, neque aliud quàm morti decus quærendum. Sed animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat. lacrymæque & questus irriti duce-

C baotur: cùm impetu venientium pulsæ fores, astitítque tribunus per silentium, at libertus increpans multis ac seruilibus probris. Tunc primum fortunam suam introspexit, ferrúmque accepit, quod frustrà iugulo ac pectori per trepidationem admouens, ictu tribuni transfigitur. corpus matri concessum. Nuntiatúmque Claudio epulanti periisse Messallinam, non distincto sua an aliena manu. nec ille quæsiuit, poposcítque poculum, & solita conuiuio celebrauit. Ne secutis quidem

D diebus, odij, gaudij, iræ, tristiæ, vllius denique humani affectus signa dedit; non cùm lætantes accusatores aspiceret, non cùm filios mærentes. Iuuítque obliuionem eius senatus, censendo nomen & effigies priuatis ac publicis locis demouendas. decreta Narcisso quæstoria insignia, leuissimum fastigij eius, cùm secundum Pallantem & Calistum ageret, honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis.



C. CORNELII TACITI
AB EXCESSV DIVI AVGVSTI
Annalium
LIBER XII.

CÆDE Messallinæ conuulsa principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret vxorem Claudio cælibis vitæ intoleranti, & coniugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarserant, suam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maximè ambigebatur inter Lolliam Paulinam, M. Lollij consularis filiam, & Iuliam Agrippinam Germanico genitam. huic Pallas, illi Calistus, fautores aderant. at Ælia Petina è familia Tuberonum, Narcisso fouebatur. Ipse modò huc, modò illuc, vt quemque suadentium audierat promptus, discordantes in conci-

E lium vocat, ac promere sententiam, & adiicere rationes iubet. Narcissus vetus matrimonium, familiam communem (nam Antonia ex Petina erat) nihil in penatibus eius nouum differebat, si sueta coniunx rediret, haudquaquam nouercalibus odiis visura Britannicum & Octauiam, proxima suis pignora. Calistus improbatam longo dissidio, ac si rursus assumeretur, eo ipso superbam: longéque rectius Lolliam induci, quando

F nullos liberos genuisset, vacuam æmulatione, & priuignis parentis loco futuram. At Pallas id maximè in Agrippina laudare, quòd Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria

toria fortuna, stirpem nobilem & familiæ Clau-
diæ, quæ posteros coniungeret, ne femina exper-
ta fecunditatis, integra iuuenta, claritudinem Cæ-
sarum aliam in domum ferret. Præualuere hæc
adiuta Agrippinæ illecebris. Quæ ad eum per spe-
ciem necessitudinis crebrò ventitando pellicit pa-
truum, vt prælata ceteris, & nondum vxor, po-
tentia vxoria iam vteretur. Nam vbi sui matrimo-
nij certa fuit, struere maiora, nuptiásque Domitij,
quem ex Cn. Ænobarbo genuerat, & Octauię Cę-
saris filiæ moliri: quod sine scelere perpetrari non
poterat, quia L. Silano desponderat Octauiam Cę-
sar. iuuenémque & alia clarum, insigni triumpha-
lium, & gladiatorij muneris magnificentia, pro-
tulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videba-
tur in animo principis, cui non iudicium, non o-
dium erat, nisi indita & iussa. Igitur Vitellius no-
mine Censoris, seruiles fallacias obtegens, ingruē-
tiúmque dominationum prouisor, quo gratiam
Agrippinæ pararet, consiliis eius implicari, ferre
crimina in Silanum, cui sanè decora & procax so-
ror Iunia Caluina haud multum antè Vitellij nu-
rus fuerat. hinc initium accusationis, fratrúmque
non incestum, sed incustoditum amorem ad infa-
miam traxit. & præbebat Cæsar aures, accipiendis
aduersum generum suspicionibus caritate filiæ
promtior. At Silanus insidiarum nescius, ac for-
tè eo anno prætor, repentè per edictum Vitellij
ordine senatorio mouetur, quamquam lecto pri-
dem senatu, lustróque condito, simul affinitatem
Claudius diremit. adactúsque Silanus eiurare ma-
gistratum, & reliquus præturæ dies in Eprium
Marcellum collatus est. C. Pompeio, Q. Verannio
Coss. pactum inter Claudium & Agrippinam
matrimonium, iam fama, iam amore illicito fir-
mabatur, nec dum celebrare solennia nuptiarum
audebant, nullo exemplo deductæ in domum pa-
trui, fratris filiæ. Quin & incestum, ac si spernere-
tur, ne in malum publicum erumperet, metueba-
tur. Nec antè omissa cūctatio, quàm Vitellius suis
artibus id perpetrandum sumpsit. Percunctatúsque Cæsarem, an iussis populi, an auctoritati se-
natus cederet? vbi ille vnum se ciuium, & consen-
sui imparem respondit, opperiri intra palatium
iubet. ipse curiam ingreditur, summámque Reip.
agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit,
orditúrque; *Grauissimos principis labores, quîs or-*
bem terræ capessat, egere adminiculis, vt domestica
cura vacuus, in commune consulat. quod porro hone-
stius censoriæ mentis leuamen, quàm assumere coniu-
gem prosperis dubiisque sociam? cui cogitationes inti-
mas, cui paruos liberos tradat, non luxui aut volu-
ptatibus assuefactus, sed qui prima ab iuuenta legi-
bus obtemperauisset. Postquam hæc fauorabili ora-
tione præmisit, multáque patrum assentatio seque-
batur; capto rursus initio, *Quando maritandum*
principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam
nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. Nec diu
anquirendum, quin Agrippina claritudine generis
anteiret, datum ab ea fecunditatis experimentum,
& congruere artes honestas. Id verò egregium, quòd
prouisu deûm vidua iungeretur principi, sua tantùm
matrimonia experto. audiuisse à parentibus, vidisse
ipsos, arripi coniuges ad libita Cæsarum: procul id à
præsenti modestia. statueretur imò documentum, quo
vxorem imperator, ...acciperet. At enim noua no-
bis in fratrum filias coniugia. sed aliis gentibus sol-
lennia, nec lege vlla prohibita. Et sobrinarum diu i-
gnorata, tempore addito percrebuisse: morem accom-
A *modari prout conducat, & fore hoc quoque in his quæ*
mox vsurpentur. Haud defuere qui certatim, si cū-
ctaretur Cæsar, vi acturos testificantes, erūmperēt
curia. Conglobatur promiscua multitudo, popu-
lúmque Romanum eadem rogare clamitat. Nec
Claudius vltrà exspectato, obuium apud forū pr-
bet se gratantibus. Senatumq; ingressus decretum
postulat, quo iustæ inter patruos fratrúmq; filias
B nuptiæ etiam in posterum statuerētur. Neq; tamē
repertus est, nisi vnus talis matrimonij cupitor,
T. Alledius Seuerus eques Romanus, quem pleri-
que Agrippinæ gratia impulsum ferebant. Versa
ex eo ciuitas, & cuncta feminæ obediebāt, non per
lasciuiam, vt Messallina, rebus Romanis illuden-
ti. Adductum, & quasi virile seruitium. Palam se-
ueritas, ac sæpiùs superbia: nihil domi impudicū,
nisi dominationi expediret: cupido auri immensa
obtentum habebat, quasi subsidium regno para-
C retur. Die nuptiarum Silanus sibi mortem consci-
uit. siue eò vsque spem vitæ produxerat, seu dele-
cto die augēdam ad inuidiam. Caluina soror, eius
Italia pulsa est. Addidit Claudius, sacra ex legib.
Tulli regis, piaculáq; apud lucum Dianę per pon-
tifices danda: irridentibus cunctis, quòd pœnæ pro-
curationesq; incesti id temporis exquirerētur. At
Agrippina ne malis tantum facinorib. notesceret,
veniam exsilij pro Annæo Seneca, simul præturā
impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinē
D studiorum eius, vtque Domitij pueritia tali magi
stro adolesceret, & consiliis eiusdem ad spē domi-
nationis vterentur. quia Seneca fidus in Agrippi-
nam memoria beneficij, & infensus Claudio do-
lore iniuriæ credebatur. Placitum dehinc non vl-
trà cunctari: sed designatum consulem Memmiū
Pollionem ingentibus promissis inducunt, sentē-
tiam expromere, qua oraretur Claudius, despon-
dere Octauiam Domitio. quod ætati vtriusque nō
absurdum, & maiora patefacturum erat. Pollio
E haud disparibus verbis, ac nuper Vitellius, censet:
despondetúrq; Octauia. ac super priorem necessi-
tudinem, sponsus iam & gener Domitius æquari
Britannico, studiis matris, arte eorum quîs ob ac-
cusatam Messallinam vltio ex filio timebatur.
Per idem tempus legati Parthorum ad expeten-
dum, vt rettuli, Meherdatem missi, senatum ingre-
diuntur, mandata in hunc modum incipiunt; *Nō*
se fœderis ignaros, nec defectione à familia Arsacida
rum venire: sed filium Vononis, nepotem Phrahatis,
F *accersere aduersus dominationem Gotarzis, nobili-*
tati plebiq; iuxtà intolerādam. Iā fratres, iā propin-
quos, iā longiùs sitos, cædibus exhaustos: adduci coniu-
ges grauidas, liberos paruos, dum socors domi, bellis
infaustus, ignauiam sæuitia tegat. Veterem sibi ac pu-
blicè cœptam nobiscum amicitiam, & subueniendum
sociis virium æmulis, cedentibúsque per reuerentiam.
Ideò regnum obsides liberos dari, vt si domestici im-
perij tædeat, sit regressus ad principem patrésque,
quorum moribus assuefactus rex melior asciseretur.
Vbi hæc atque talia dissertauere, incipit orationē
G Cæsar de fastigio Romano, Parthorúmque obse-
quiis: séque diuo Augusto adæquabat, petitum ab
eo regem referens, omissa Tiberij memoria, quam
quam is quoque miserat. Addiditque præcepta
(etenim aderat, Meherdates) vt non dominationē
& seruos, sed rectorem & ciues cogitaret, cle-
mentiámque ac iustitiam, quāto ignara barbaris,
tanto toleratiora capesseret. Hinc versus ad lega-
tos, extollit laudibus alumnum vrbis, spectatæ ad
id modestiæ: ac tamen ferenda regum ingenia, ne-

que vsui crebras mutationes. rem Romanam huc
satiare gloriæ prouectam, vt externis quoque
gentibus quietem velit datam. Post hæc C. Cas-
sio qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam
ad Euphratis iubet. Ea tempestate Cassius cete-
ros præminebat peritia legum. nam militares ar-
tes per otium ignotæ, industriósque ac igna-
uos pax in æquo tenet. Attamen quantum sine
bello dabatur, reuocare priscum morem, e-
xercitare legiones, curâ, prouisu, agere perinde
ac si hostis ingrueret. Ita dignum maioribus
suis, & familia Cassia ratus, per illas quoque gen-
tes celebrata. Igitur exciris quorum de sententia
petitus rex, positisque castris apud Zeugma, vnde
maximè peruius amnis; postquam illustres Par-
thi, rexque Arabum Abbarus aduenerat, monet
Meherdatem, barbarorum impetus acres, cuncta-
tione languescere, aut in perfidiam mutari. itaque
vrgeret cœpta. Quod spretum fraude Abbari, qui
iuuenem ignarum, & summam fortunam in luxu
ratum, multos per dies attinuit apud opidum E-
dessam. Et vocante Carrhene, promptásque res o-
stentante si citi aduenissent, non cominus Meso-
potamiam, sed flexu Armeniam petunt, id tempo-
ris importuuam, quia hiems occipiebat. Exin ni-
uib. & montibus fessi, postquam campis propin-
quabant, copiis Carrhenis adiunguntur. Trans-
missóque amne Tigri, permeant Adiabenos, quo-
rum rex Izates societatem Meherdatis palàm
induerat, in Gotarzen per occulta & magis fida
inclinabat. Sed capta in transitu vrbs Ninos ve-
tustissima sedes Assyriæ, & castellum insigne fama,
quòd postremo inter Darium atque Alexandrum
prœlio Persarum illic opes conciderant. Interea
Gotarzes apud montem cui nomen Sambulos,
vota diis loci suscipiebat, præcipua religione
Herculis: qui tempore stato, per quietem monet
sacerdotes, vt, templum iuxta, equos venatui ad-
ornatos sistant. equi vbi pharetras telis onustas
accepere, per saltus vagi, nocte demum vacuis
pharetris, multo cum anhelitu redeunt. Rursus
deus, quà siluas peterrauerit, nocturno visu de-
monstrat: reperiuntúrque fusæ passim feræ. Ce-
terùm Gotarzes nondum satis aucto exercitu,
flumine Corma pro munimento vti. Et quam-
quam per insectationes & nuntios ad prœlium
vocaretur, nectere moras, locos mutare, & mis-
sis corruptoribus, exuendam ad fidem hostes e-
mercari. Ex quis Izates Adiabenus, mox Abba-
rus, Arabum cum exercitu abscedunt, leuitate
gentili, & quia experimentis cognitum est, Barba-
ros malle Roma petere Reges quàm habere. At
Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum
proditione suspecta, quod vnum reliquum, rem
in casum dare, prœlióque experiri statuit. Nec de-
trectauit pugnam Gotarzes, deminutis hostibus
ferox. Concursuumque magna cæde, & ambiguo
euentu: donec Carrhenem profligatis obuersis,
longiùs euectum integer à tergo globus circum-
ueniret. Tum omni spe perdita, Meherdates pro-
missa Parrhacis paterni clientis secutus, dolo eius
vincitur, traditúrque victori. Atque ille non pro-
pinquum neque Arsacis de gente, sed alieni-
genam & Romanum increpans, auribus decisis
viuere iubet, ostentui clementiæ suæ & in nos de-
honestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, ac-
citúsque in regnum Vonones, Medos tum præ-
sidens. Nulla huic prospera aut aduersa quîs me-
moraretur. breui & inglorio imperio perfun-

A ctus est: résque Parthorum in filium eius Volo-
gesen translatæ. At Mithradates Bosphoranus a-
missis opibus vagus, posteaquam Didium ducem
Romanum, robúrque exercitus abiisse cognoue-
rat, relictos in nouo regno Cotyn iuuenta ru-
dem, & paucas cohortium cum Iulio Aquila e-
quite Romano: spretis vtrisque, concire natio-
nes, illicere perfugas, postremò exercitu coacto,
regem Dandaridarum exturbat, imperióque eius
B potitur. Quæ vbi cognita, & iam iamque Bospho-
rum inuasurus habebatur, diffisi propriis viribus
Aquila, & Cotys, quia Zorsines Siracorum rex
hostilia resumpserat, externas & ipsi gratias quæ-
siuere, missis legatis ad Eunonem, qui Adorsorum
genti præcellebat. Nec fuit in arduo societas, po-
tentiam Romanam aduersus rebellem Mithrada-
tem ostentantibus. Igitur pepigêre, equestribus
prœliis Eunones certaret, obsidia vrbium Roma-
ni capesserent. Tum composito agmine ince-
C dunt. cuius frontem & terga, Adorsi; media co-
hortes & Bosphorani, tutabantur, nostris in
armis. Sic pulsus hostis, ventúmque Sozam o-
pidum Dandaricæ, quod desertum à Mithrada-
te, ob ambiguos popularium animos obtineri re-
licto ibi præsidio visum. Exin in Siracos per-
gunt. & transgressi amnem Pandam circumue-
niunt vrbem Vspen, editam loco, & mœnibus ac
fossis munitam, nisi quòd mœnia non saxo, sed
cratibus & vimentis, ac media humo aduersum
D irrumpentes inualida erant: eductæque altiùs tur-
res, facibus atque hastis turbabant obsessos. ac
ni prœlium nox diremisset, cœpta patratáque ex-
pugnatio eundem intra diem foret. Postero mis-
re legatos, veniam liberis corporibus orantes
seruitij decem millia offerebant. quod aspernati
sunt victores, quia trucidare deditos sæuum, tan-
tam multitudinem custodiâ cingere arduum: vt
belli potiùs iure caderent. Datúmque militibus,
E qui scalis euaserant, signum cædis. Excidio Vspen-
sium metus ceteris iniectus, nihil tutum ratis,
cùm arma, munimenta, impediri vel eminentes
loci, amnésque & vrbes iuxtà perrumperentur. I-
gitur Zorsines diu pensitato, Mithradatisne rebus
extremis, an patrio regno consuleret: postquam
præualuit gentilis vtilitas, datis obsidibus, apud
effigiē Cæsaris procubuit, magna gloria exercitus
Romani, quem incruentum & victorem, tridui
itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in
F regressu dispar fortuna fuit; quia nauium quas-
dam, quæ mari remeabant, in litora Taurorum
delatas circumuenêre barbari, præfecto cohortis,
& plerisque centurionum interfectis. Interea Mi-
thradates nullo in armis subsidio, consultat cuius
misericordiam experiretur. Frater Cotys proditor
olim, deinde hostis metuebatur. Romanorum ne-
mo id auctoritatis aderat, vt promissa eius magni
penderentur. Ad Eunonem conuertit, propriis o-
diis infensum, & recens coniunctà nobiscum a-
micitiâ, validum. Igitur cultu, vultúque quàm
maximè ad præsentem fortunam comparato, re-
G giam ingreditur, genibúsque eius prouolutus,
Mithradates, inquit, *terra marique Romanis per
tot annos quæsitus, sponte adsum. Vtere vt voles pro-
le magni Achemenis, quod mihi solum hostes non ab-
stulerunt.* At Eunones claritudine viri, mutatio-
ne rerum, & prece haut degenere permotus, alle-
uat supplicem, laudátque quòd gentem Adorso-
rum, quòd suam dexteram petendæ veniæ dele-
gerit. Simul legatos litterásque ad Cæsarem in
hunc

hunc modum mitrit. *Po. Romani imperatoribus*
magnarûmque nationum regibus, primam ex simili-
tudine fortuna amicitiam : sibi & Claudio, etiam
communionem victoriæ esse. Bellorum egregios fines,
quotiens ignoscendo transigatur. Sic Zorsini victo
nihil ereptum. Pro Mithradate quando grauius
mereretur, non potentiam, neque regnum precari, sed
ne triumpharetur, néve pœnas capite expenderet.
Atque Claudius, quamquam nobilitatibus exter-
nis mitis, dubitauit tamen, accipere captiuum pa-
cto salutis, an repetere armis rectius foret. Hinc
dolor iniuriarum, & libido vindictæ adigebat.
Sed disserebatur contrà: *Suscipi bellum auio itinere,*
importuoso mari: ad hoc reges feroces, vagos populos,
solum frugum egens: tum tadium ex mora, pericula
ex properantia, modicam victoribus laudem, ac mul-
tum infamiæ si pellerentur. quin arriperet oblata, &
seruaret exsulem: cui inopi quanto longiorem vitam,
tanto plus supplicij fore. His permotus, scripsit Eu-
noni, *meritum quidem nouissima exempla Mithra-*
datem, nec sibi vim ad exsequendum deesse: verùm
ita maioribus placitum, quantâ peruicaciâ in ho-
stem, tantâ beneficentiâ aduersus supplices vtendum.
nam triumphos de populis regnisque integris adqui-
ri. Traditus post hæc Mithradates, vectúsque Ro-
mam per Iunium Cilonem procuratorem Ponti,
ferocius quàm pro fortunâ disseruisse apud Cæsa-
rem ferebatur. Elatáque vox eius in vulgum his-
ce verbis: *Non sum remissus ad te, sed reuersus : vel*
si non credis, dimitte & quære. vultu quoque inter-
rito permansit, cùm rostra iuxta, custodib. circum
datus, visui populo præberetur. Consularia insi-
gnia Ciloni, Aquilæ prætoria decernuntur. Iisdem
consulibus atrox odij Agrippina ac Lolliæ infen-
sa, quòd secum de matrimonio principis certauis-
set; molitur crimina, & accusatorem, qui obiice-
ret Chaldæos, magos, interrogatúmque Apolli-
nis Clarij simulacrum super nuptiis imperatoris.
Exin Claudius inaudita rea, multa de claritudine
eius apud senatum præfatus, sorore L. Volusij ge-
nitam, maiorem ei patruum Cottam Messal-
linum esse, Mennio quondam Regulo nuptam;
(nam de C. Cæsaris nuptiis consultò reticebat)
addidit perniciosa in Remp. consilia, & mate-
riem sceleri detrahendam. Proin publicatis bonis,
cederet Italiâ. Ita quinquagies sestertiûm ex opi-
bus immensis exuli relictum. Et Calpurnia illu-
stris femina peruertitur, quia formam eius lauda-
uerat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermo-
ne. vnde vis Agrippinæ citra vltima stetit. In Lol-
liam mittitur tribunus, à quo ad mortem adige-
retur. Damnatus & lege repetundarum Cadius
Rufus, accusantibus Bithynis. Galliæ Narbonen-
si ob egregiam in patres reuerentiam datum, vt
senatoribus eius prouinciæ, non exquisitâ princi-
pis sententiâ, iure quo Sicilia haberetur, res suas
inuisere liceret. Ituræique & Iudæi, defunctis re-
gibus Sohemo atque Agrippa, prouinciæ Syriæ
additi. Salutis augurium quinque & viginti an-
nis omissum repeti, ac deinde continuari placi-
tum. Et pomœrium vrbis auxit Cæsar more pris-
co; quo iis qui protulere imperium, etiam ter-
minos vrbis propagare datur. Nec tamen duces
Romani, quamquam magnis nationibus suba-
ctis, vsurpauerant, nisi L. Sylla, & diuus Augustus.
Regum in eo ambitio, vel gloria variè vulgata.
Sed initium condendi, & quod pomœrium Ro-
mulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igi-
tur à foro boario, vbi æreum tauri simulacrum

A aspicimus, quia id genus animalium aratro sub-
ditur, sulcus designandi opidi cœptus, vt magnam
Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis
interiecti lapides, per ima montis Palatini ad a-
ram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad sacel-
lum Larium: forúmque Romanum & Capitolium
non à Romulo, sed à T. Tatio additum vrbi cre-
didere. Mox pro fortuna pomœrium auctum. Et
quos tum Claudius terminos posuerit, facile co-
B gnitu, & publicis actis præscriptum. C. Antistio,
M. Suilio Coss. adoptio in Domitium auctorita-
te Pallantis festinatur. qui obstrictus Agrippinæ
vt conciliator nuptiarum, & mox stupro eius il-
ligatus, stimulabat Claudium, *consuleret Reip.*
Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud
diuum Augustum, quamquam nepotibus subnixum,
viguisse priuignos: à Tiberio, super propriam stirpem,
Germanicum assumptum. Se quoque accingeret iuue-
ne, partem curarum capessituro. His euictus, bien-
C nio maiorem natu Domitium filio anteponit, ha-
bita apud senatum oratione in eundem, quem à
liberto acceperat, modum. Adnotabant periti, nul-
lam antehac adoptionem inter patricios Clau-
dios reperiri, eosq; ab Atto Clauso continuos du-
rauisse. Ceterùm actæ Principi grates, quæsitiore
in Domitium adulatione. Rogatáq; lex, qua in fa-
miliam Claudiam & nomen Neronis transiret.
Augetur & Agrippina cognomento Augustæ.
quibus patratis, nemo adeò expers misericordiæ
D fuit, quem non Britannici fortunæ mæror affice-
ret. desolatus paulatim etiam seruilib. ministeriis,
per intempestiua nouercæ officia, in ludibria ver-
tebat, intelligēs falsi. Neque enim segnem ei fuis-
se indolem ferunt: siue verum; seu periculis com-
mendatus, retinuit famam sine experimento. Sed
Agrippina, quò vim suam sociis quoque nationi-
bus ostentaret, in opidum Vbiorum, in quo geni-
ta erat, veteranos coloniâmque deduci imperat;
cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac fortè
E acciderat, vt eam gentem Rheno transgressam a-
uus Agrippa in fidem acciperet. Iisdem tempori-
bus in superiore Germaniâ trepidatum, aduentu
Cattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pom-
ponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas,
addito equite alario, monuit, vt anteirent popula-
tores, vel dilapsis improuisi circumfunderentur.
Et secuta consilium ducis industria militum, di-
uisique in duo agmina, qui læuum iter petiuerāt,
F recens reuersos, prædáque per luxum vsos & som-
no graues circūuenēre. Aucta lætitia, quòd quos-
dam è clade Variana, quadragesimum post an-
num, seruitio exemerant. At qui dextris & pro-
pioribus compendiis ierant, obuio hosti & aciem
auso, plus cladis faciunt. Et præda famâque onu-
sti, ad montem Taunum reuertuntur, vbi Pompo-
nius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupi-
dine vlciscendi casum pugnę præberent. Illi metu
ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quîs æter-
G num discordant, circumgrederentur, legatos in
vrbem & obsides misêre, decretúsque Pomponio
triumphalis honos, modica pars famæ eius apud
posteros, in quîs carminum gloria præcellit. Per
idem tempus Vannius Sueuis à Druso Cæsare im-
positus, pellitur regno, prima imperij ætate clarus
acceptusq; popularibus: mox diuturnitate in su-
perbiam mutans, & odio accolarum, simul dome-
sticis discordiis circumuentus. Auctores fuere Iu-
billios Hermundurorum rex, & Vangio ac Sido
sorore Vannij geniti. Nec Claudius, quamquam

A sæpe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens si pelleretur. scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniam præsidebat, legionem ipsaque è prouincia lecta auxilia, pro ripa componeret, subsidio victis, & terrori aduersus victores, ne fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent. nam vis innumera Ligij, aliæque gentes aduentabant, famâ ditis regni, quod Vannius xxx. per annos prædationibus & vectigalibus
B auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques è Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium: eóque castellis sese defensare, bellúmque ducere statuerat. Sed Iazyges obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurúsque illic ingruerant. Igitur digressus castellis Vannius, funditur prœlio; quamquam rebus aduersis, laudatus, quòd & pugnam manu
C capessiit, & corpore aduerso vulnera excepit. Ceterùm ad classem in Danubio opperientem perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partiuere, egregia aduersus nos fide: subiectis suóne an seruitij ingenio, dum adipiscerentur dominationes multa caritate, & maiore odio postquam adepti sunt. At in Britannia P. Ostorium proprætorem turbidæ res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eò violentiùs, quòd
D nouum ducem exercitu ignoto, & cœpta hieme, iturum obuiam non rebantur. Ille gnarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: & cæsis qui restiterunt, disiectos consectatus, ne rursus conglobarentur, infensaque & infida pax non duci non militi requiem permitteret; detrahere arma suspectis, cinctósque castris Antonam & Sabrinam fluuios cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens,
E nec prœliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. hisque auctoribus circumiectæ nationes locum pugnæ delegêre, septum agresti aggere & aditu angusto, ne peruius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, & distributis cohortibus, turmas quoque, peditum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem, suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscien-
F tia rebellionis & obseptis effugiis, multa & clara facinora fecerê. Qua pugna filius legati M. Ostorius seruati ciuis decus meruit. Ceterùm clade Icenorum compositi qui bellum inter & pacem dubitabant: & ductus in Cangos exercitus. Vastati agri, prædæ passim actæ: non ausis aciem hostibus, vel si occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Iamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat; cùm ortæ apud Brigantes discordiæ retraxêre ducem, destinationis certum, ne noua moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes qui-
G dem, paucis qui arma cœptabant interfectis, in reliquos datâ veniâ, resedêre. Silurum gens, non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. Id quo promptius veniret, colonia Camalodunum validâ veteranorum manu deducitur in agros captiuos, subsidium aduersus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum.

A Itum inde in Siluras, super propriam ferociam, Caractaci viribus confisos. quem multa ambigua, multa prospera extulerant, vt ceteros Britannorum imperatores præmineret. Sed tum astu, locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordouicas, additisque qui pacem nostram metuebant, nouissimum casum experitur: sumpto ad prœlium loco, vt aditus, abscessus, cuncta nobis impor-
B tuna, & suis in melius essent. Tunc montibus arduis, & si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: & præfluebat amnis vado incerto, cateruáque maiorum pro munimentis consisterant. Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliísque belli incitamentis. Enimverò Caractacus huc illuc volitans, *illum diem, illam aciem testabatur, aut recuperandæ libertatis, aut seruitutis æternæ initium fore. vocabátque nomi-*
C *na maiorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute vacui à securibus & tributis, intemerata coniugum & liberorum corpora retinerent.* Hæc atque talia dicenti, adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, non telis, non vulneribus cessuros. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prœlium poscere, cuncta virtute ex-
D pugnabilia clamitare, præfectique ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus incendebant. Tum Ostorius, circumspectis quæ impenetrabilia, quæque peruia, ducit infensos, amnemque haud difficulter euadit. Vbi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos, & pleræque cædes oriebantur. Posteaquam facta testitudine, rudes & informes saxorum compages distractæ, parque cominus acies, decedere Barbari in iuga mon-
E tium. Sed eò quoque irrupere ferentarius grauisque miles. illi, telis assultantes; hi, conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearúmve tegmina: & si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum; si huc verterent, spatis & hastis auxiliarium sternebantur. clara ea victoria fuit, captáque vxore & filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti. Ipse (vt fermè
F intuta sunt aduersa) cùm fidem Cartismanduæ reginæ Brigantum petiuisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono pòst anno quàm bellum in Britanniâ cœptum. Vnde fama eius euecta insulas, & proximas prouincias peruagata, per Italiam quoque celebrabatur: auebantque visere, quis ille, tot per annos, opes nostras spreuisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæsar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe vt ad insigne spectaculum populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes, campo qui castra præiacet. Tunc
G incedentibus regiis clientelis phaleræ torquésque, quæque externis bellis quæsierat, traducta, mox fratres & coniunx & filia: postremò ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu. At non Caractacus aut vultu demisso, aut verbis misericordiam requirens, vbi tribunali astitit, in hunc modum locutus est; *Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum pro-*

ſperarum moderatio fuiſſet, amicus potius in hanc vrbem, quam captus veniſſem: neque dedignatus eſſes claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem fœdere pacis accipere. Præſens ſors mea, vt mihi informis, ſic tibi magnifica eſt. habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, ſi hæc inuitus amiſi? Nam ſi vos omnibus imperitare vultis, ſequitur vt omnes ſeruitutem accipiant. Si ſtatim deditus traderer: neque mea fortuna, neq; tua gloria inclaruiſſet: & ſupplicium mei obliuio ſequeretur. At ſi incolumem ſeruaueris, æternum exemplar clementiæ ero. Ad ea Cæſar veniam ipſique, & coniugi, & fratribus, tribuit. Atque illi vinclis exſoluti, Agrippinam quoque haud procul alio ſuggeſtu conſpicuam, iiſdem quibus principem laudibus gratibúſque venerati ſunt. nouum ſanè, & moribus veterum inſolitum, feminam ſignis Romanis præſidere. Ipſa ſemet parti a maioribus ſuis imperij ſociam ferebat. Vocati poſthac patres, multa & magnifica ſuper captiuitate Caractaci diſſeruere. Neque minus id clarum, quàm cùm Siphacem P. Scipio, Perſem L. Paullus, & ſi qui alij vinctos reges populo Ro. oſtendêre. Cenſentur Oſtorio triumphi inſignia, proſperis ad id rebus eius, mox ambiguis: ſiue quòd amoto Caractaco, quaſi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit: ſiue hoſtes miſeratione tanti regis, acriùs ad vltionem exarſere. Præfectum caſtrorum, & legionarias cohortes extruendis apud Siluras præſidiis relictas, circumfundunt. Ac ni citò vicis & caſtellis proximis ſubuentum foret, copiæ tum occidione occubuiſſent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptiſſimus quiſque manipulus cecidere. nec multò poſt pabulantis noſtros, ipſáſque miſſas ad ſubſidium turmas profligant. Tum Oſtorius cohortes expeditas expoſuit: nec ideo fugam ſiſtebat, ni legiones prœlium excepiſſent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugêre hoſtes tenui damno, quia inclinabat dies. crebra hinc prœlia, & ſæpius in modum latrocinij: per ſaltus, per paludes, vt cuique ſors, aut virtus: temerè, prouiſò, ob iram, ob prædam: iuſſu, & aliquando ignaris ducibus. ac præcipua Silurum peruicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Ro. vox: vt quondam Sugambri exciſi, & in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes, auaritia præfectorum incautiùs populantes, intercepere. Spoliáque & captiuos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cùm tædio curarum feſſus Oſtorius, conceſſit vita: lætis hoſtibus, tamquam ducem haud ſpernendum, & ſi non prœlium, ac certè bellum, abſumpſiſſet. At Cæſar, cognita morte legati, ne prouincia ſine rectore foret, A. Didium ſuffecit. Is properè vectus, non tamen integras res inuenit, aduerſa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat. auctáque & apud hoſtes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent: atque illo augente audita, vt maior laus compoſitis, vel ſi durauiſſent, venia iuſtior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, latéque perſultabant, donec accurſu Didij pellerentur. Sed poſt captum Caractacum, præcipuus ſcientia rei militaris Venuſius è Iugantum ciuitate, vt ſuprà memoraui, fidúſque diu, & Romanis armis defenſus, cùm Cartiſmanduam reginam matrimonio teneret, mox orto diſſidio, &

A ſtatim bello, etiam aduerſus nos hoſtilia induerat. Sed primo tantùm inter ipſos certabatur, callidíſque Cartiſmandua artibus, fratrem ac propinquos Venuſij intercepit. Inde accenſi hoſtes, ſtimulante ignominia, ne feminæ imperio ſubderentur, valida & lecta armis iuuentus regnum eius inuadunt. quod nobis præuiſum, & miſſæ auxilio cohortes acre prœlium fecere; cuius initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque diſpari euentu pugnatum à legione, cui Ceſius Natica præerat. Nam Didius ſenectute grauis, & multa copia honorum, per miniſtros agere & arcere hoſtem ſatis habebat. Hæc, quamquam à duobus, Oſtorio Didióque proprætoribus plures per annos geſta, coniunxi, ne diuiſa haud perinde ad memoriam ſui valerent. Nunc ad temporum ordinem redeo. Ti. Claudio quintùm, Ser. Cornelio Orfito Coss. virilis toga Neroni maturata, quo capeſſendæ Reip. habilis videretur. Et Cæſar adula-

C tionibus ſenatus libens ceſſit, vt viceſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret: atque interim deſignatus, proconſulare imperium extra vrbem haberet, ac Princeps iuuentutis appellaretur. Additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebi. & ludicro Circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur, Britannicus in prætextâ, Nero triumphalium veſte tranſuecti ſunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio: illum puerili habitu, ac perinde fortunam v-

D triuſque præſumeret. Simul qui centurionum tribunorúmque ſortem Britannici miſerabantur, remoti fictis cauſſis, & alij per ſpeciem honoris. etiam libertorum ſi quis incorrupta fide, depellitur, tali occaſione. Obuij inter ſe, Nero Britannicum nomine, ille Domitium, ſalutauere. Quod vt diſcordiæ initium, Agrippina multo queſtu, ad maritum defert: ſperni quippe adoptionem, quæque cenſuerint patres, iuſſerit populus, intra penates abrogari: ac niſi prauitas tam infenſa do-

E centium arceatur, erupturam in publicam perniciem. Commotus his quaſi criminibus Claudius, optimum quemque educatorem filij exſilio ac morte afficit: datóſque à nouerca, cuſtodiæ eius imponit. Nondum tamen ſumma moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium curâ exſoluerentur Luſius Geta, & Rufus Criſpinus, quos Meſſallinæ memores & liberis eius deuinctos credebat. Igitur diſtrahi cohortes ambitu

F duorum, & ſi ab vno regerentur, intentiorem fore diſciplinam aſſeuerante vxore, transfertur regimen cohortium ad Burrhum Afranium egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cuius ſponte præficeretur. Suum quoq; faſtigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos ſacerdotibus, & ſacris antiquitùs conceſſus, venerationem augebat feminæ: quam imperatore genitam, ſororem eius qui rerum potitus ſit, & coniugem & matrem fuiſſe, vnicum ad hunc diem ex-

G emplum eſt. Inter quæ præcipuus propugnator eius Vitellius, validiſſima gratia, ætate extrema (adeò incertæ ſunt potentiũ res) accuſatione corripitur, deferente Iunio Lupo ſenatore. Is crimina maieſtatis, & cupidinem imperij obiectabat. Præbuiſſétque aures Cæſar, niſi Agrippinæ minis magis quã precibus mutatus eſſet, vt accuſatori aqua atq; igne interdiceret. Hactenus Vitellius voluerat. Multa eo anno prodigia euenere. Inſeſſum diris auibus Capitolium: crebris terræmotibus prorutæ domus: ac dum latius metuitur, trepidatione

tellex. Quod vbi turpi fama diuulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno coniectarentur, Heluidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore vt consuleret. Igitur propere montem Taurum transgressus, moderatione plura quam vi composuerat: cùm redire in Syriam iubetur, ne initium belli aduersus Parthos exsisteret. Nam Vologeses casum inuadendæ Armeniæ obuenisse ratus, quam à maioribus suis possessam, externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremque Tiridatem deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum, sine acie pulsi Hiberi: vrbesque Armeniorum Artaxata & Tigranocerta iugum accepere. Deīn atrox hiems, seu parum prouisi commeatus, & orta ex vtroque tabes, percellunt Vologesen omittere præsentia. vacuámq; rursus Armeniam Rhadamistus inuasit, truculentior quàm antea, tamquam aduersus defectores, & in tempore rebellaturos. Atque illi quamuis seruitio sueti, patientiam abrumpunt, armísque regiam circumueniunt. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quam pernicitas equorum, quîs seq; & coniugem abstulit. Sed coniunx grauida, primam vtcumque fugam ob metum hostilem & mariti caritatem tolerauit. Pòst festinatione continua, vbi quati vterus, & viscera vibrantur, orare vt morte honesta contumeliis captiuitatis eximeretur. Ille primò amplecti, alleuare, adhortari, modò virtutem admirans, modo timore æger, ne quis relictâ potiretur. Postremò violentia amoris, & facinorum non rudis, distringit acinacem, vulneratámque ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps Hiberos ad patrium regnum peruadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuuie, spirantem ac vitæ manifestam aduertêre pastores, & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent; cognitóque nomine & casu, in vrbem Artaxata ferunt. vnde publica cura deducta ad Tiridatem, comitérque excepta cultu regio habita est. Fausto Sylla, Saluio Othone Coss. Furius Scribonianus in exsilium agitur, quasi finem principis per Chaldæos scrutaretur. adnectebatur crimini Iunia mater eius, vt casus prioris (nam relegata erat) impatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam mouerat. Idque ad clementiam trahebat Cæsar, quòd stirpem hostilem iterum conseruaret. Neque tamen exsuli longa posthac vita fuit: morte fortuita, an per venenum extinctus esset, vt quisque credidit, vulgauere. De mathematicis Italiâ pellendis factum Senatusconsultum, atrox & irritum. Laudati dehinc oratione principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo impudentiam paupertati adiicerent. Inter quæ refertur ad patres de pœnâ feminarum, quæ seruis coniungerentur. Statuitúrque vt ignaro domino ad id prolapsa, in seruitutem sui consensisset, & qui nati essent, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia, & centies quinquagesies sestertiûm censuit consul designatus Barea Soranus: additum à Scipione Cornelio, grates publicè agendas, quòd regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem vsui publico postponeret, séque inter ministros Principis haberi sineret. Asseuerauit Claudius, contentum honore

A Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est.... publico Senatusconsultum, quo libertinus sestertij ter millies possessor, antiquæ parsimoniæ laudibus cumulabatur. At non frater eius cognomento Felix pari moderatione agebat, iam pridem Iudææ impositus, & cuncta malefacta sibi impunè ratus, tantâ potentiâ subnixo. Sanè præbuerant Iudæi speciem motus ortâ seditione, postquam cognita cæde Caij haud ob-
B temperatum esset. manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempestiuis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars prouinciæ habebatur: ita diuisis, vt huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent, discordes olim & tum contemptu regentium minus coërcitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, & aliquando prœliis congredi, spoliáque & prædas
C ad procuratores referre. Hique primò lætari, mox gliscente pernicie, cùm arma militum interiecissent, cæsi milites. Arsissetque bello prouincia, ni Quadratus Syriæ rector subuenisset. Nec diu aduersus Iudæos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Felix cunctationem afferebant, quia Claudius caussis rebellionis auditis, ius statuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter iudices ostentauit, re-
D ceptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur. damnatúsque flagitiorum: quæ duo deliquerant, Cumanus; & quies prouinciæ reddita. Nec multò post agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum, sæpe & aliâs commotæ, tunc Trosobore duce, montes asperos castris cœpere. Atque inde decursu in litora aut vrbes, vim cultoribus ac opidanis, ac plerumque in mercatores & nauicularios audebant. Obsessáque ciuitas Anemuriensis, & missi è Sy-
E ria in subsidium equites cum præfecto Curtio Seuero turbantur: quòd duri circum loci, peditibúsque ad pugnam idonei, equestre prœlium haud patiebantur. Dein rex eius oræ Antiochus, blandimentis aduersus plebem, fraude in ducem, cùm Barbarorum copias dissociasset, Trosobore paucísque primoribus interfectis; ceteros clementiâ composuit. Sub idem tempus, inter lacum Fucinum amnémque Lyrin perrupto monte, quo magnificentia operis à pluribus viseretur,
F lacu in ipso nauale prœlium adornatur, vt quondam Augustus structo cis Tiberim stagno, sed leuibus nauigiis & minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremésque & vndeuiginti hominum millia armauit. cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen spatium amplexus, ad vim remigij, gubernantium artes, impetus nauium, & prœlio solito in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quîs catapultæ balistæque tenderentur. Reliqua lacus, classiarij te-
G ctis nauibus obtinebant. Ripas & colles, ac montium edita in modum theatri, multitudo innumera compleuit, proximis è municipiis, & alij vrbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata, præsedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum, occidioni exempti sunt. Sed perfecto spectaculo a-

pertum aquarum iter,& incuria operis manifesta
fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media.
Eóque,tempore interiecto,altiùs effossi specus, &
contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum
spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem
ad pugnam. Quin & conuiuium effluuio lacus
appositum magnâ formidine cunctos affecit,quia
vis aquarum prorumpens,proxima trahebat,con-
uulsis vlterioribꝰ,aut fragore & sonitu exterritis.
Simul Agrippina trepidatione principis vsa, mi-
nistrum operis Narcissum incusat cupidinis, ac
prædatum.Nec ille reticet, impotentiam mulie-
brem nimiásque spes eius arguens. D. Iunio, Q.
Haterio Coss. sedecim annos natus Nero Octa-
uiam Cæsaris filiam in matrimonium accepit.
Vtque studiis honestis, & eloquentiæ gloria ni-
tesceret, caussâ Iliensium suscepta, Romanum
Troiâ demissum,& Iuliæ stirpis auctorem Æneam
aliáque haud procul fabulis vetera facundè exse-
cutus, impetrat vt Ilienses omni publico munere
soluerentur.Eodem oratore,Bononiensi Coloniæ
igni haustæ subuentum, centies sestertij largitio-
ne. Redditur Rhodiis libertas, adempta sæpe aut
firmata,prout bellis externis meruerant,aut domi
seditione deliquerant. Tributúmque Apamiensi-
bus terræmotu conuulsis, in quinquennium re-
missum. At Claudius sæuissima quæque promere
adigebatur eiusdem Agrippinæ artibus, quæ Sta-
tilium Taurum opibus illustrem, hortis eius in-
hians,peruertit, accusante Tarquitio Prisco. Le-
gatus is Tauri Africam imperio proconsulari re-
gentis, postquam reuenerant, pauca repetunda-
rum crimina,ceterùm magicas superstitiones ob-
iectabat. Nec ille diutiùs falsum accusatorem in-
digna sorte perpessus, vim vitæ suæ attulit, ante
sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exa-
ctus est.quod patres odio delatoris, contra ambi-
tum Agrippinæ peruicêre. Eodem anno sæpius
audita vox Principis, parem vim rerum haben-
dam à procuratoribus suis iudicatarum, ac si ipse
statuisset. Ac ne fortuitò prolapsus videretur, Se-
natus quoque consulto cautum, pleniùs quam
antea & vberiùs. Nam diuus Augustus apud e-
questres qui Ægypto præsiderent lege agi, decre-
táque eorum proinde haberi iusserat, ac si magi-
stratus Romani constituissent: mox alias per pro-
uincias,& in vrbe pleraque concessa sunt,quæ o-
lim à prætoribus noscebantur. Claudius omne
ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis
certatum,cùm Semproniis rogationibus equester
ordo in possessione iudiciorum locaretur,aut rur-
sum Seruiliæ leges senatui iudicia redderent. Ma-
riúsque & Sylla olim de eo vel præcipuè bella-
runt. Sed tunc ordinum diuersa studia: & qui vi-
cerant,publicè valebant.C. Oppius & Cornelius
Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditio-
nes pacis & arbitria belli tractare. Matios post-
hac & Vedius, & cetera equitum Romanorum
prævalida nomina, referre nihil attinuerit; cùm
Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat,
sibíque & legibus adæquauerit. Rettulit dein de
immunitate Cois tribuenda. Multáque super an-
tiquitate eorum memorauit: Argiuos, vel Cœum
Latonæ parentem, vetustissimos insulæ cultores:
mox aduentu Æsculapij artem medendi illatam,
maximéque inter posteros eius celebrem fuisse,
nomina singulorum referens, & quibus quisque
ætatibus viguissent.Quin etiam dixit Xenophon-
tem, cuius scientia ipse vteretur, eadem familia

A ortum.Precibúsq; eius dandum, vt omni tributo
vacui in posterum Coi,sacram & tantùm dei mi-
nistram insulam colerẽt. neque dubium habetur,
multa eorundem in Pop.Rom.merita, sociáque
victorias potuisse tradi. Sed Claudius, facilitate
solita, quod vni concesserat, nullis extrinsecus
adiumentis velauit. At Byzantij, data dicendi co-
pia, cùm magnitudinem onerum apud senatum
deprecarentur, cuncta repetiuère; orsi à fœdere
B quod nobiscum icerant, qua tempestate bellaui-
mus aduersus regem Macedonum,cui vt degeneri,
Pseudophilippi vocabulum impositum. Missas
posthac copias in Antiochum, Persen, Aristoni-
cum, & piratico bello adiutum Antonium. me-
morabántque quæ Syllæ, aut Lucullo, aut Pom-
peio obtulissent. Mox recentia in Cæsares merita.
quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus
terra marique ducibus, exercitibúsque, simul ve-
hendo commeatu opportuna forent. Namque ar-
C tissimo inter Europam Asiámque diuortio, By-
zantium in extrema Europa posuere Græci. qui-
bus Pythium Apollinem consulentibus vbi con-
derent vrbem,redditum oraculum est: quærerent
sedem,cæcorũ terris aduersam. Ea ambage Chal-
cedonij monstrabantur, quòd priores illuc adue-
cti, præuisa locorum vtilitate peiora legissent.
Quippe Byzantium fertili solo,fecundóque mari,
quia vis piscium in Metapontum erumpens, &
obliquis subter vndas saxis exterrita, omisso al-
D terius litoris flexu,hos ad portus defertur. Vnde
primò quæstuosi & opulenti: pòst magnitudine
onerum vrgente,finem aut modum orabant, an-
nitente principe, qui Thracio Bosphoranóque
bello recens fessos iuuádósque rettulit. Ita tributa
in quinquennium remissa. M. Asinio, M. Acilio
Coss. mutationem rerum in deterius portẽdi,co-
gnitum est crebris prodigiis. Signa enim ac ten-
toria militum igne cælesti arsere. Fastigio Capi-
tolij examen apium insedit. Biformes hominum
E partus. Et suis fœtus editus, cui accipitrum vn-
gues inessent. Numerabatur inter ostenta, demi-
nutus omnium magistratuum numerus,quæstore,
ædili,tribuno,ac prætore, & consule, paucos in-
tra menses defunctis. Sed in præcipuo pauore A-
grippina vocem Claudij, quam temulentus iece-
rat, fatale sibi, vt coniugum flagitia ferret, dein
puniret,metuens: agere & celerare statuit,perdita
prius Domitia leuibus & muliebribus caussis:
F quia Lepida minore Antonia genita, auunculo
Augusto,Agrippinæ sobrinâ prior, ac Gnei ma-
riti eius soror, parem sibi claritudinem credebat.
nec forma,ætas, opes multum distabant;& vtraq;
impudica,infamis, violenta,haud minus vitiis æ-
mulabantur, quam si qua ex fortuna prospera ac-
ceperant. Enimuerò certamen acerrimum, amita
potius an mater apud Neronem præualeret. Nam
Lepida blandimentis & largitionibus iuuenilem
animum deuinciebat, truci contrà ac minaci A-
G grippina,quæ filio dare imperium,tolerare impe-
ritantem nequibat. Ceterùm obiecta sunt quòd
coniugiũ principis deuotionibus petiuisset,quod-
que parum coercitis per Calabriam seruorum
agminibus pacem Italiæ turbaret. Ob hæc mors
indicta,multum aduersante Narcisso, qui Agrip-
pinam magis magísque, suspectans, prompsisse
inter proximos ferebatur, *certam sibi perniciem,*
seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur. Verùm
ita de se meritum Cæsarem, vt vitam vsui eius im-
penderet. Conuictam Messallinam & Silium. Pares
iterum

ne etiam accusandi caussas esse, si Nero imperitaret. Brit. amco successore, nullum principis meritum, ac nouercæ insidias domum omnem conuelli, maiore flagitio, quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset, quanquam ne impudicitiam quidem nunc abesse, Pallante adultero. ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere. Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum. robur ætatis quam maturrimum precari: modò ad deos, modò ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret: matris etiam interfectores vl B cisceretur. In tanta mole curarum, Claudius valetudine aduersa corripitur, refouendisque viribus mollitie cæli & salubritate aquarum, Sinuessam pergit. Tum Agrippina sceleris olim certa, & oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultauit: ne repentino & præcipiti facinus proderetur; si lentum & tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filij rediret. Exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret. Deligitur artifex talium, vocabulo C Locusta, nuper veneficij damnata, & diu inter instrumenta regni habita. Eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister è spadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare gustu solitus. Adeóque cuncta mox pernotuere, vt temporum illorum scriptores prodiderint, infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudij an vinolentiâ. simul soluta aluus subuenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, & quando vltima timebantur, spretâ præsentium inuidiâ, prouisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. A Ille tamquam nisus euomentis adiuuaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur: haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. Vocabatur interim senatus, votáque pro incolumitate principis consules & sacerdotes nuncupabant, cùm iam exanimis vestib. & fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. Iam primùm Agrippina, velut dolore victa & solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque & Octauiam sorores eius attinuit, & cunctos aditus custodiis clauserat: crebróque vulgabat, ire in melius valetudinē principis, quo miles bona in spe ageret, tempúsq; prosperum ex monitis Chaldæorum adueniret. Tunc medio diei, tertium ante idus Octob. foribus palatij repentè diductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest. Ibi monente Præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitauisse quosdam ferunt respectantes, rogitantésque vbi Britannicus esset? mox nullo in diuersum auctore, quæ offerebátur secuti sunt. Illatúsq; castris Nero, & congruentia tempori præfatus, promisso donatiuo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur. Sententiam militum secuta Patrum consulta, nec dubitatum est apud prouincias. Cælestésque honores Claudio decernuntur, & funeris sollenne perinde ac diuo D Augusto celebratur: æmulante Agrippinâ proauiæ Liuiæ magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio priuignus, iniuriâ & inuidiâ animos vulgi turbaret.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER XIII.

PRIMA nouo principatu mors Iunij Silani proconsulis Asiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ paratur. non quia ingenij violentiâ exitium irritauerit, segnis & dominationibus aliis fastiditus, adeò vt C. Cæsar pecudem auream eum appellare solitus sit: verùm Agrippina fratri eius L. Silano necem molita, vltorem metuebat, crebrâ vulgi fama, anteponendum esse vix dum pueritiam egresso Neroni, & imperium per scelus adepto, virum ætate compositâ, insontem, nobilem, & quod tunc spectaretur, è Cæsarū posteris. quippe & Silanus D. Augusti abnepos erat. hæc caussa necis: ministri fuere P. Celer eques Romanus, & Ælius libertus rei familiari Principis in Asia impositi. Ab his proconsuli venenum inter epulas datum est, apertiùs quàm vt fallerent. Nec minus properatò Narcissus Claudij libertus, de cuius iurgiis aduersus Agrippinam rettuli, aspera custodia, E & necessitate extrema, ad mortem agitur, inuito principe, cuius abditis adhuc vitiis per auaritiam ac prodigentiam mirè congruebat. Ibatúrque in cædes: nisi Afranius Burrhus, & Annæus Seneca obuiam issent. Hi rectores imperatoriæ iuuentæ, & pari in societate potentiæ concordes, diuersâ arte ex æquo pollebant. Burrhus militaribus curis, & seueritate morum: Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honesta. iuuantes inuicem, quo faciliùs lubricam principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis réti- F nerent. Certamen vtrique vnum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis, & adoptione exitiosa, semet peruerterat. Sed neque Neroni infra seruos ingenium; & Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus, tæ-

dium sui moueat. Propalam tamen omnes in
eam honores cumulabantur, signúmque more
militiæ petenti tribuno dedit, OPTIMÆ MA-
TRIS. Decreti & à senatu duo lictores, flaminium
Claudiale simul Claudio cēsorium funus, & mox
consecratio. Die funeris, laudationem eius prin-
ceps exorsus est. Dum antiquitatem generis, con-
sulatus, ac triumphos maiorum enumerabat, in-
tentus ipse & ceteri. Liberalium quoque artium
commemoratio, & nihil regente eo Reip. triste ab
externis accidisse, pronis animis audita. Post-
quam ad prouidentiam sapientiámque flexit, ne-
mo risui temperare, quamquam oratio à Seneca
composita, multum cultus præferret: vt fuit illi
viro ingenium amœnum, & temporis illius au-
ribus accommodatum. Adnotabant seniores, qui-
bus otiosum est vetera & præsentia contēdere, pri-
mum ex iis qui rerum potiti essent Neronem,
alienæ facundiæ eguisse. Nam dictator Cæsar
summis oratoribus æmulus, & Augusto prom-
pta ac profluens, quæ deceret principem, elo-
quentia fuit. Tiberius artem quoque callebat,
qua verba expenderet, tum validus sensibus aut
consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata
mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio
quotiens meditata dissereret, elegantiam require-
res. Nero puerilibus statim annis, viuidum ani-
mum in alia detorsit. Cælare & pingere, cantus
aut regimen equorum exercere. & aliquando car-
minibus pangendis, inesse sibi elementa doctri-
næ ostendebat. Ceterùm peractis tristitiæ imita-
mentis, curiam ingressus, & de auctoritate pa-
trum, & consensu militum præfatus, consilia sibi
& exempla capessendi egregiè imperij memora-
uit: nec iuuentam armis ciuilibus, aut domesticis
discordiis imbutam: nulla odia, nullas iniurias,
nec cupidinem vltionis afferre. Tum formam fu-
turi principatus præscripsit, ea maximè decli-
nans, quorum recens flagrabat inuidia. Non e-
nim se negotiorum omnium iudicem fore, vt
clausis vnam intra domum accusatoribus & reis,
paucorum potentia grassaretur. Nihil in penati-
bus suis venale, aut ambitioni peruium: discre-
tam domum & Remp. Teneret antiqua munia
senatus, Consulum tribunalibus Italia & publicæ
prouinciæ assisterent. Illi patrum aditum præbe-
rent, se mandatis exercitibus consulturum. Nec
defuit fides. Multáque arbitrio senatus constituta
sunt, Ne quis ad caussam orandam mercede aut
donis emeretur; Ne designatis quidem quæ-
storibus edendi gladiatores necessitas esset. Quod
quidem aduersante Agrippinâ, tamquam acta
Claudij subuerterentur, obtinuere patres. qui in
palatium ob id vocabantur, vt astaret abditis à
tergo foribus velo discreta, quod visum arceret,
aditus non adimeret. Quin & legatis Armenio-
rum caussam gentis apud Neronem orantibus,
escendere suggestum imperatoris, & præsidere si-
mul parabat: nisi ceteris pauore defixis, Seneca
admonuisset, venienti matri occurreret. Ita spe-
cie pietatis, obuiam itum dedecori. Fine anni
turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos, &
rapi Armeniam allatum est, pulso Rhadamisto,
qui sæpe regni eius potitus, dein profugus, tum
quoque bellum deseruerat. Igitur in vrbe sermo-
num auida, quemadmodum princeps vix septem-
decim annos egressus, suscipere eam molem aut
propulsare posset: quod subsidium in eo qui à fe-
mina regeretur: num prœlia quoque & oppu-

A gnationes vrbium, & cetera belli per magistros
administrari possent, anquirebant. Contrà *alij*
melius euenisse disserunt, quàm si inualidus senectâ
& ignauiâ Claudius, militia ad labores vocaretur,
seruilibus iussis obtemperaturus. Burrhum tamen &
Senecam multarum rerum experientiâ cognitos: &
imperatori quantum ad robur deesse? cum octauode-
cimo ætatis anno Cn. Pompeius, nonodecimo Cæsar O-
ctauianus, ciuilia bella sustinuerint. Pleraque in
B *summâ fortunâ auspiciis & consiliis, quàm telis &*
manibus geri. Daturum planè documentum honestis
an secus amicis vteretur, si ducem amotâ inuidiâ
egregium, quàm si pecuniosum & gratiâ subnixum
per ambitum deligeret. Hæc atque talia vulganti-
bus, Nero & iuuentutem proximas per prouin-
cias quæsitam supplendis Orientis legionibus
admouere, legionésque ipsas propius Arme-
niam collocari iubet. Duósque veteres reges A-
grippam & Iocchum expedire copias, quis Partho-
C rum fines vltrò intrarent: simul pontes per am-
nem Euphratem iungi. Et minorem Armeniam
Aristobulo, regionem Sophenem Sohemo cum
insignibus regiis mandat. Exortúsque in tempore
æmulus Vologeso, filius Vardanes. Et absc. sse-
re Armenia Parthi, tamquam differrent bel-
lum. Sed apud Senatum omnia in maius cele-
brata sunt, sententiis eorum, qui supplicationes
& diebus supplicationum vestem principi trium-
phalem, vtque ouans vrbem iniret, effigiésque
D eius pari magnitudine ac Martis Vltoris, eodem
in templo censuere: præter suetam adulationem
læti, quòd Domitium Corbulonem retinendæ
Armeniæ præposuerat. Videbatúrque locus virtu-
tibus patefactus. Copiæ Orientis ita diuiduntur,
vt pars auxiliarium cum duabus legionibus apud
prouinciam Syriam, & legatum eius Quadratum
Vinidium remaneret: par ciuium sociorúmque
numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alis-
E que, quæ apud Cappadociam hiemabant. Socij
reges prout bello conduceret, parêre iussi. Sed stu-
dia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui
vt famæ inseruiret, quæ in nouis cœptis validis-
sima est, itinere properè confecto, apud Ægeas ci-
uitatem Ciliciæ obuium Quadratum habuit, il-
luc progressum, ne si ad accipiendas copias Sy-
riam intrauisset Corbulo, omnium ora in se ver-
teret, corpore ingens, verbis magnificus, & su-
per experientiam sapientiámque, etiam specie
F inanium validus. Ceterùm vterque Vologesem
regem nuntiis monebant, pacem quàm bellum
mallet, datísque obsidibus, solitam prioribus re-
uerentiam in populum Romanum continuaret.
Et Vologeses quo bellũ ex commodo pararet, an
vt æmulationis suspectos per nomen obsidum a-
moueret, tradit nobilissimos ex familia Arsacida-
rum. Accepítque eos centurio Histeius ab Vini-
dio missus, fortè prior ea de caussa adito rege.
Quod postquam Corbuloni cognitum est, ire
præfectum cohortis Arrium Varum, & recipe-
rare obsides iubet. Hinc ortum inter præfectum
G & centurionem iurgium, ne diutius externis spe-
ctaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatísque
qui eos ducebant, permissum. Atque illi ob re-
centem gloriam, & inclinatione quadam etiam
hostium, Corbulonem prætulere. Vnde discordia
inter duces, quærente Vinidio prærepta quæ suis
consiliis patrauisset: testante contrà Corbulone,
non priùs conuersum regem ad offerendos obsi-
des, quàm ipse dux bello delectus, spes eius ad
metum

metum mutaret. Nero quo componeret diuersos, sic euulgari iussit: Ob res à Quadrato & Corbulone prosperè gestas laurum fascibus imperatoriis addi. Quæ in alios consules egressa, coniunxi. Eodem anno Cæsar effigiem Cn. Domitio patri, consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore vsus erat, petiuit à senatu: sibique statuas argento vel auro solidas, aduersus offerentes prohibuit. Et quamquam censuissent patres, vt principium anni inciperet mense Decemb. quo ortus erat Nero, veterem religionem Kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit. Neq; recepti sunt in reos Carinas Celer senator, seruo accusante, aut Iulius Densus eques, cui fauor in Britannicum crimini dabatur. Claudio Nerone, L. Antistio Coss. cùm in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit: magnis patrum laudibus, vt iuuenilis animus leuium quoque rerum gloriâ sublatus, maiores continuaret. Secutáque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messallinæ ordine remotum, reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quàm honesta præciperet, vel iactandi ingenij, voce principis vulgabat. Ceterùm infracta paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum Acte fuit: simul assumptis in conscientiam Othone & Claudio Senecione adolescentulis decoris, quorum Otho familiâ consulari, Senecio liberto Cæsaris patre genitus, ignarâ matre, dein frustra obnitente, penitus irrepserant per luxum & ambigua secreta. ne seuerioribus quidē principis amicis aduersantibus, muliercula nullâ cuiusquam iniuriâ cupidines principis explente, quando vxore ab Octauiâ nobili quidem, & probitatis spectatæ, fato quodam, an quia præualent illicita, abhorrebat, metuebatúrque ne in stupra feminarum illustrium prorumperet, si illâ libidine prohiberetur. Sed Agrippina libertam æmulam, nurum ancillam, aliáque eundem in modum muliebriter fremere. Neque pœnitentiam filij, aut satietatem opperiri: quantóque fœdiora exprobrabat, acriùs accendere. donec vi amoris subactus, exueret obsequium in matrem, Senecæque permitteret. Ex cuius familiaribus Annæus Serenus, simulatione amoris aduersus eandem libertam, primas adolescentis cupidines velauerat, præbuerátque nomen, vt quæ princeps furtim mulierculæ tribuebat, ille palàm largiretur. Tum Agrippina versis artibus, per blandimenta iuuenem aggredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quæ prima ætas, & summa fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempestiuam seueritatem, & suarum opum quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat. vt nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabántque cauere insidias mulieris semper atrocis, tum & falsæ. Fortè illis diebus Cæsar inspecto ornatu, quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem & gemmas, misítque donum matri: nullâ parsimonia, cùm præcipua & cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat, & diuidere filium, quæ cuncta ex ipsa haberet. Nec defuere qui in deterius referrent. Et Nero infensus iis quibus superbia muliebris

A innitebatur, demouet Pallantem cura rerum, quîs à Claudio impositus, velut arbitrum regni agebat. Ferebatúrque digrediente eo, magna prosequentium multitudine, non absurdè dixisse: *Ire Pallantem, vt euraret.* Sanè pepigerat Pallas, ne cuius facti in præteritum interrogaretur, paréisque rationes cum Repub. haberet. Præceps post hæc Agrippina. ruere ad terrorem & minas, neque principis auribus abstinere,
B quo minus testaretur, *adultum iam esse Britannicum, veram dignámque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus & adoptiuus, per iniurias matris exerceret. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ in primis nuptiæ, suum veneficium. Id solum diis & sibi prouisum, quòd viueret priuignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis, rursus Burrhus & exsul Seneca, truncâ scilicet manu, & professoriâ linguâ, generis humani regimen*
C *expostulantes.* Simul intendere manus, aggerere probra: consecratum Claudium, infernos Silanorum manes inuocare, & tot irrita facinora. Turbatus his Nero, & propinquo die, quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat, voluntate secum, modò matris violentiam, modò ipsius indolem, vt quidem experimento nuper cognitam, quo tamen fauorem latè quæsiuisset: Festis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium, euenerat
D ea sors Neroni. Igitur ceteris diuersa, nec ruborem illatura, vbi Britannico iussit exsurgeret, progressúsque in medium, cantum aliquem inciperet, irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque conuictus, nedum temulentos ignorantis: ille constanter exorsus est carmen, quo euolutum eum sede patria rebúsque summis significabatur. Vnde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox & lasciuia exemerat. Nero intellecta inuidia, odium intendit. Vrgentibúsque
E Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque iubere cædem fratris palàm audebat, occulta molitur: paratque venenum iubet, ministro Pollione Iulio prætoriæ cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficij nomine Locusta, multa scelerum fama. Nam vt proximus quisque Britannico, neque fas, neque fidem pensi haberet, olim prouisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque exsoluta aluo parum validum, siue temperamentum
F inerat, ne statim sæuiret. Sed Nero lenti sceleris impatiens, minitari tribuno, iubere supplicium veneficæ, quòd dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam præcipitem necem quàm si ferro vrgeretur, cubiculum Cæsaris iuxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum. Mos habebatur, principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria & parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibos potúsque
G eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut vtriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico. Dein postquam feruore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum; quod ita cunctos eius artus peruasit, vt vox pariter & spiritus eius raperentur. Trepidatum a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus al-

tior intellectus, resistunt defixi, & Neronem intuentes. Ille vt erat reclinis, & nescio similis, solitum ita, ait, per comitialem morbum, quo primùm ab infantiâ afflictaretur Britannicus, & redituros paulatim visus sensúsque. At Agrippinæ is pauor, ea consternatio mentis, quamuis vultu premeretur, emicuit; vt perinde ignaram fuisse ac Octauiam sororem Britannici cōstiterit. quippe sibi supremum auxilium ereptum, & parricidij exemplum intelligebat. Octauia quoque quamuis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat. Ita post breue silentium, repetita conuiuij lætitia. Nox eadem necem Britannici & rogum coniunxit, prouiso antè funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est, adeò turbidis imbribus, vt vulgus iram deûm portendi crediderit aduersus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias, & insociabile regnum extimantes. Tradunt plerique eorum temporum scriptores, crebris ante exitium diebus, illusisse pueritiæ Britannici Neronem. vt iam non præmatura, neq; sæua mors videri queat, quamuis inter sacra mensæ, ne tempore quidem ad complexum sorori dato, ante oculos inimici properata sit, in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quàm veneno pollutum. Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id à maioribus institutum referens, *subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompâ detinere. Ceterùm & sibi amisso fratris auxilio, reliquas spes in Rep. sitas: & tanto magis fouendum patribus populóque principem, qui vnus superesset è familiâ summum ad fastigium genitâ.* Exin largitione potissimos amicorum auxit. Nec defuerunt, qui arguerent viros grauitatem asseuerantes, quòd domos villásque id temporis quasi prædas diuisissent. Alij necessitatem adhibitam credebāt à principe, sceleris sibi conscio, & veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nullâ munificētiâ leniri; sed amplecti Octauiam, crebra cū amicis secreta habere. Super ingenitā auaritiâ, vndiq; pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos & centuriones comiter excipere. Nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere: quasi quæreret ducem & partes. Cognitum id Neroni, excubiasque militares, quæ vt coniugi imperatoris olim, tum & vt matri, seruabantur, & Germanos super eundem honorem custodes additos digredi iubet. Ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matrémque transfert in eam quæ Antoniæ fuerat: quotiens ipse illuc ventitaret, septus turbâ centurionum, & post breue osculum digrediens. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quàm fama potentiæ, non suâ vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire, præter paucas feminas. amore an odio, incertum. Ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silij à Messallina depulsam, suprà rettuli, insignis genere, formâ, lasciuiâ, & Agrippinæ diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuuenem à nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina, impudicam & vergentem annis dictitans; non vt Africanum sibi seponeret, sed ne opibus & orbitate Silanæ maritus potiretur. Illa spe vltionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis Iturium & Caluisium, non vetera, & sæpiùs iā audita deferēs, quòd Britannici mortem lugeret, aut Octauiæ iniurias euulgaret: sed destinauisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu à diuo Augusto, ad res nouas extollere; coniugióq; eius etiam pacto, Remp. rursus inuadere. hæc Iturius & Caluisius Atimeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt. Qui lætus oblatis (quippe inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur) Paridem histrionem libertum & ipsum Domitiæ impulit, ire properè, criménque atrociter deferre. Prouecta nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur. Cùm ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere. Sed tunc compositus ad mæstitiam, expositóque indicij ordine, ita audientem exterret, vt non tantùm matrem Plautúmque interficere, sed Burrhum etiam demouere præfectura destinaret, tamquam Agrippinæ gratia prouectum, & vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est, scriptos esse ad Cæcinam Thuscum codicillos mandata ei prætoriarum cohortium cura, sed ope Senecæ dignationem Burrho retentam. Plinius & Cluuius nihil dubitatum de fide præfecti referunt. sanè Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cuius amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuturi, quæ diuersa prodiderint, sub nominibus ipsorum tradémus. Nero trepidus, & interficiendæ matris auidus, non priùs differri potuit, quàm Burrhus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur. *Sed cuicumque, nedum parenti defensionem tribuendam. nec accusatores adesse, sed vocem vnius ex inimicâ domo afferri. Refutare tenebras, & vigilatam conuiuio noctem, omniáque temeritati & inscitiæ propiora.* Sic lenito principis metu, & luce orta, itur ad Agrippinam vt nosceret obiecta, dissolueretque vel pœnas lueret. Burrhus iis mandatis, Seneca coràm, fungebatur. Aderant & ex libertis, arbitri sermonis. Deinde à Burrho postquam crimina & auctores exposuit, minaciter actum. Agrippina ferociæ memor, *Non miror*, inquit, *Silanam numquam edito partu, matrum affectus ignotos habere. Neque enim perinde à parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur. Nec si Iturius & Caluisius adesis omnibus fortunis, nouissimā suscipiendæ accusationis operam anui rependunt; ideo aut mihi infamia parricidij, aut Cæsari consciētia subeūda est. nam Domitiæ inimicitiis gratias agerē, si beneuolentiâ mecum in Neronem meū certaret. Nunc per cōcubinū Atimetum, & histrionem Paridem quasi scenæ fabulas componit. Baiarum suarū piscinas extollebat, cùm meis consiliis adoptio, & proconsulare ius, & designatio consulatus, & cetera adipiscendo imperio præpararentur. Aut existat qui cohortes in vrbe tentatas, qui prouinciarum fidē labefactatā, denique seruos vel libertos ad scelus corruptos arguat. Viuere ego Britānico potiēte rerū poterā: at si Plautus aut quis alius Remp. iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba impatiētia caritatis aliquādo incauta, sed ea crimina obiciāt, quibus nisi à filio mater absolui non possim.* Cōmotis qui aderāt, vltróq; spiritus eius mitigātibus, colloquium filij exposcit. Vbi nihil pro innocētiâ quasi diffideret, nec beneficiis quasi exprobraret disseruit, sed vltionem in delatores & præmia amicis obtinuit. Præfectura annonæ Fenio Rufo, cura ludorū qui à Cæsare parabantur Arruntio Stellæ; Ægyptus C. Balbillo permittuntur. Syria P. Anteio destinata, & variis mox artibus elusus, ad postremum in

vrbe

vrbe retentus est. At Silana in exsilium acta. Cal- A
uisius quoque & Iturius relegantur. De Atimeto
supplicium sumptum, validiore apud libidines
principis Paride, quàm vt pœna afficeretur.
Plautus ad præsens silentio transmissus est. De-
feruntur deinde consensisse Pallas, ac Burrhus,
vt Cornelius Sulla claritudine generis, & affi-
nitate Claudij, cui per nuptias Antoniæ, gener
erat, ad imperium vocaretur. Eius accusationis
auctor exstitit Pætus quidam, exercendis apud B
ærarium sectionibus famosus; & tum vanita-
tis manifestus. Nec tam grata Pallantis inno-
centia, quàm grauis superbia fuit: quippe nomi-
natis libertis eius, quos conscius haberet, respon-
dit, nihil vnquam se domi, nisi nutu aut manu
significasse, vel si plura demonstranda essent scri-
pto vsum, ne vocem consociaret. Burrhus quam-
uis reus, inter iudices sententiam dixit. Exiliúm-
que accusatori irrogatum, & tabulæ exustæ sunt, C
quibus oblitterata ærarij monimenta retrahebat.
Fine anni statio cohortis assidere ludis solita, de-
mouetur, quo maior species libertatis esset: vtque
miles theatrali licentiæ non permixtus, incor-
ruptior ageret, & plebes daret experimentum,
an amotis custodibus, modestiam retineret. Vr-
bem princeps lustrauit è responso haruspicum,
quòd Iouis ac Mineruæ ædes de cælo tactæ erant.
Q. Volusio, P. Scipione Coss. otium fo-
ris, fœda domi lasciuia, qua Nero itinera vrbis, D
& lupanaria, & diuerticula, veste seruili in dissi-
mulationem sui compositus pererrabat, comi-
tantibus qui raperent ad venditionem exposita,
& obuiis vulnera inferrent, aduersus ignaros a-
deò, vt ipse quoque acciperet ictus, & ore præfer-
ret. Deinde vbi Cæsarem esse qui grassaretur per-
notuit, augebantúrque iniuriæ aduersus viros
feminásque insignes: & quidam permissa semel
licentia sub nomine Neronis, inulti propriis cum
globis eadem exercebant, & in modum capti- E
uitatis nox agebatur. Iulius quidam Montanus
senatorij ordinis, sed qui nondum honorem ca-
pessisset, congressus fortè per tenebras cum Prin-
cipe, quia vim tentantem acriter repulerat, dein-
de agnitum orauerat, quasi exprobrasset, mo-
ri adactus est. Nero autem metuentior in poste-
rum, milites sibi, & plerosque gladiatorum cir
cumdedit, qui rixarum initia modica, & qua-
si priuata sinerent: si à læsis validiùs ageretur:
arma inferrent. Ludicram quoque licentiam, F
& fautores histrionum velut in prœlia conuer-
tit, impunitate & præmiis, atque ipse occultus,
& plerumque coràm prospectans: donec dis-
cordi populo, & grauioris motus terrore, non
aliud remedium repertum est, quàm vt histriones
Italiâ pellerentur, milésque theatro rursum assi-
deret. Per idem tempus actum in senatu de frau-
dibus libertorum, efflagitatúmque vt aduersus
malè meritos, reuocandæ libertatis ius patronis
daretur. Nec deerant qui censerent. Sed consules G
relationem incipere non ausi ignaro principe,
perscripsere tamen consensum senatus. Ille au-
ctor constitutionis fieret, vt inter paucos & sen-
tentiæ aduersos, quibusdam coalitam libertate
irreuerentiam eò prorupisse frementibus, *vt ne
an æquo cum patronis iure agerent, sententiam eo-
rum consultarent, ac verberibus manus vltrò inten-
derent, impulere vel pœnam suam dissuadentes.
Quid enim aliud læso patrono concessum, quàm vt
vicesimum vltra lapidem, in oram Campaniæ liber-
tum releget? Ceteras actiones promiscuas & pares
esse. Tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat.
Nec graue manumissis per idem obsequium retinen-
di libertatem, per quod assecuti sint. At criminum ma-
nifestos meritò ad seruitutem retrahi: vt metu coër-
ceantur, quos beneficia non mutauissent.* Disserebatur
contrà. *Paucorum culpam ipsis exitiosam esse de-
bere. nihil vniuersorum iuri derogandum. quippe latè
fusum id corpus. Hinc plerumq; tribus, decurias, mi-
nisteria magistratibus & sacerdotibus, cohortes e-
tiam in vrbe conscriptas. & plurimis equitum, pleris-
que senatoribus, non aliunde originem trahi. Si sepa-
rentur libertini: manifestam fore penuriam ingenuo-
rum. non frustra maiores cùm dignitatem ordinum
diuiderent, libertatem in commune posuisse. Quin &
manumittendi duas species institutas, vt relinquere-
tur pœnitentiæ aut nouo beneficio locus. Quos vindi-
cta patronus non liberauerit: velut vinculo seruitutis
attineri. Dispiceret quisq; merita, tardéque conce-
deret, quod datum non adimeretur.* Hæc sententia
valuit. Scripsitque Cæsar senatui, priuatim expen-
derent caussam libertorum, quotiens à patronis
arguerentur: in commune nihil derogent. Nec
multo pòst, ereptus amitæ libertus Paris, quasi iu-
re ciuili, non sine infamia principis, cuius iussu
perpetratum ingenuitatis iudicium erat. Manebat
nihilominus quædam imago Reip. Nam inter Vi-
bullium prætorem, & plebei tribunum Antistium
ortum certamen, quòd immodestos fautores hi-
strionum & à prætore in vincula ductos, tribunus
omitti iussisset. comprobauere patres, incusata
Antistij licentia. Simul prohibiti tribuni ius præ-
torum & consulum præripere, aut vocare ex Italia
cum quibus lege agi posset. Addidit L. Piso desi-
gnatus consul, ne quid intra domum pro potestate
animaduerterent: néve multam ab iis dictam, quæ-
stores ærarij in publicas tabulas ante quatuor mē-
ses referrent: medio temporis contradicere li-
ceret. déque eo consules statuerent. Cohibita ar-
tiùs & ædilium potestas, statutúmq; quantum cu-
rules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœ-
næ irrogarent. Eò Heluidius Priscus tribunus ple-
bis, aduersus Obultronium Sabinum ærarij quæ-
storem contentiones proprias exercuit, tamquam
ius hastæ aduersus inopes clementer augeret. Dein
princeps curam tabularum publicarum à quæsto-
ribus ad præfectos transtulit. Variè habita, ac sæpe
immutata eius rei forma. Nam Augustus permi-
sit senatui deligere præfectus. dein ambitu suffra-
giorum suspectu, sorte ducebantur ex numero
prætorum qui præessent. Neque id diu mansit,
quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc
Claudius quæstores rursum imposuit, iisque ne
metu offensionum segniùs consulerent, extra or-
dinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis
eum primum magistratum capessentibus. Igitur
Nero prætura perfunctos, & experientia probatos
delegit. Damnatus iisdem consulibus Vipsanius
Lenas, ob Sardiniam prouinciam auarè habitam.
Absolutus Cestius Proculus repetundarum, ce-
dentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, quòd
præfectus remigum qui Rauennæ haberentur, ve-
lut infimam nationum, Italiam luxuria sæuitiá-
que afflictauisset, veneno damnationem anteuer-
tit. C. Aminius Rebius ex primoribus peritia le-
gum, & pecuniæ magnitudine, cruciatus ægræ se-
nectæ misso per venas sanguine effugit: haud cre-
ditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis,
ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius

egregiâ famâ concessit. cui tres & nonaginta an- A
ni spatium viuendi, præcipuæque opes bonis
artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit.
Nerone secundùm, L. Pisone consulibus, pauca
memoriâ digna euenêre. nisi cui libeat, laudan-
dis fundamentis & trabibus, quîs molem am-
phitheatri apud campum Martis Cæsar adstru-
xerat, volumina implere: cùm ex dignitate po-
puli Romani repertum sit, res illustres annali-
bus, talia diurnis vrbis actis mandare. Ceterùm B
coloniæ Capua atque Nuceria, additis veteranis,
firmatæ sunt: plebeique congiarium quadringeni
nummi viritim dati, & sestertium quadringenties
ærario illatum est, ad retinendam populi fidem.
Vectigal quoque quintæ & vicesimæ venalium
mancipiorum remissum, specie magis quàm vi.
quia cùm venditor pendere iuberetur, in partem
pretij emptoribus accrescebat. Edixit Cæsar, ne
quis magistratus, aut procurator qui prouin-
ciam obtineret, spectaculum gladiatorum, aut C
ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam
antè non minùs tali largitione, quàm corripien-
dis pecuniis, subiectos affligebant; dum quæ li-
bidine deliquerant, ambitu propugnant. Fa-
ctum & S. consultum vltioni iuxtà & securitati,
vt si quis à suis seruis interfectus esset, ij quo-
que qui testamento manumissi sub eodem tecto
mansissent, inter seruos supplicia penderent. Red-
ditur ordini Lusius Varius consularis, auaritiæ
criminibus olim perculsus. Et Pomponia Græ- D
cina insignis femina, Plautio, qui ouans se de Bri-
tannis rettulit, nupta, ac superstitionis externæ
rea, mariti iudicio permissa. Isque prisco insti-
tuto, propinquis coram, de capite famáque con-
iugis cognouit, & insontem nuntiauit. Longa
huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit.
Nam post Iuliam Drusi filiam dolo Messallinæ
interfectam, per quatuordecim annos, non cul-
tu nisi lugubri, non animo nisi mæsto egit. Idque
illi imperitante Claudio impunè, mox ad glo- E
riam vertit. Idem annus plures reos habuit. quo-
rum P. Celerem, accusante Asiâ, quia absoluere
nequibat Cæsar, traxit, senecta donec mortem
obiret. Nam Celer interfecto, vt memoraui, Si-
lano proconsule, magnitudine sceleris cetera
flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Ci-
lices detulerant maculosum fœdúmque, & idem
ius audaciæ in prouincia ratum, quod in vrbe
exercuerat. Sed peruicaci accusatione conflicta-
tus, postremò defensionem omisit, ac lege repe- F
tundarum damnatus est. Pro Eprio Marcello, à
quo Lycij res repetebant, eò vsque ambitus præ-
ualuit, vt quidam accusatorum eius exsilio mul-
tarentur, tamquam insonti periculum fecissent.
Nerone tertiùm consule simul iniit consulatum
Valerius Messalla, cuius proauum oratorem Cor-
uinum, diuo Augusto abauo Neronis, collegam
in eo magistratu fuisse, pauci iam senum memi-
nerant. sed nobili familiæ honor auctus est, obla-
tis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus G
Messalla paupertatem innoxiam sustentaret. Au-
relio quoque Cottæ & Haterio Antonino an-
nuam pecuniam statuit princeps, quamuis per
luxum auitas opes dissipassent. Eius anni princi-
pio, mollibus adhuc initiis prolatatum inter Par-
thos Romanósque de obtinenda Armenia bel-
lum, acriter sumitur: quia nec Vologeses sine-
bat fratrem Tiridatem dari à se regni expertem
esse, aut alienæ id potentiæ donum habere: &

A Corbulo dignum magnitudine populi Romani
rebatur, parta olim à Lucullo Pompeióque reci-
pere. Ad hæc Armenij ambigua fide vtraque ar-
ma inuitabant, situ terrarum, similitudine morum
Parthis propiores, connubiisque permixti, ac li-
bertate ignota illuc magis ad seruitium incli-
nantes. Sed Corbuloni plus molis aduersus igna-
uiam militum, quàm contra perfidiam hostium
erat. Quippè Syria transmotæ legiones, pace lon-
B ga segnes, munia Romanorum ægerrimè tole-
rabant. Satis constitit fuisse in eo exercitu vete-
ranos, qui non stationem, non vigilias inissent:
vallum fossámque quasi noua & mira viserent:
sine galeis, sine loricis, nitidi & quæstuosi, militia
per oppida expleta. Igitur dimissis quibus sene-
cta, aut valetudo aduersa erat, supplementum pe-
tiuit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam
delectus. Adiectáque ex Germania legio cum e-
quitibus alariis, & peditatu cohortium: reten-
C tusque omnis exercitus sub pellibus, quamuis
hieme sæua adeò, vt obducta glacie, nisi effossa
humus, tentoriis locum non præberet. Ambusti
multorum artus vi frigoris, & quidã inter excu-
bias exanimati sunt. Annotatúsque miles, qui
fascem lignorum gestabat, ita prærigiusse ma-
nus, vt oneri adhærentes, truncis brachiis deci-
derent. Ipse cultu leui, capite intecto, in agmi-
ne, in laboribus, frequens adesse: laudem stre-
nuis, solatium inualidis, exemplum omnibus o-
D stendere. Dehinc quia duritiam cæli militiæque
multi abnuebant, deserebántque, remedium se-
ueritate quæsitum est. Nec enim, vt in aliis ex-
ercitibus, primum alterúmque delictum venia
prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim
capite pœnas luebat. Idque vsu salubre, & mi-
sericordia melius apparuit. Quippe pauciores
illa castra deseruere, quàm ea in quibus ignos-
cebatur. Interim Corbulo legionibus intra ca-
stra habitis, donec ver adolesceret, dispositis-
E que per idoneos locos cohortibus auxiliariis;
ne pugnam priores auderent, prædicit. Curam
præsidiorum Pactio Orphito primipili honore
perfuncto mandat. Is quamquam incautos Bar-
baros, & bene gerendæ rei casum offerri scri-
psisset, tenere se munimentis, & maiores co-
pias opperiri iubetur. Sed rupto imperio, post-
quam paucæ è proximis castellis turmæ adue-
nerant, pugnámque imperitiâ poscebant, con-
gressus cum hoste funditur. Et damno eius ex-
F territi qui subsidium ferre debuerant, sua quis-
que in castra trepidâ fugâ rediere. Quod graui-
ter Corbulo accepit: increpitúmque Pactium, &
præfectos, milítesque tendere omnes extra val-
lum iussit. inque ea contumelia detenti, nec ni-
si precibus vniuersi exercitus exsoluti sunt. At
Tiridates super proprias clientelas, ope Volo-
gesi fratris adiutus, non furtim iam, sed palàm
bello infensare Armeniam, quósque fidos nobis
rebatur depopulari, & si copiæ contra duceren-
tur, eludere, huc quoque & illuc volitans, plu-
G ra fama quàm pugna exterrere. Igitur Corbu-
lo, quæsito diu prœlio, frustra habitus, & exem-
plo hostium circumferre bellum coactus, di-
spartit vires, vt legati præfectique diuersos lo-
cos pariter inuaderent. Simul Antiochum re-
gem monet, proximas sibi præfecturas petere.
Nam Pharasmanes interfecto filio Rhadamisto,
quasi proditore sui: quo fidẽ in nos testaretur, ve-
tus aduersus Armenios odiũ promptius exercebat.

Túncque

Tuncque primum illecti Insechi gens ante alias socia Romanis, auia Armeniæ incursauit. Ita consilia Tiridati in contrarium vertebantur. Mittebátque oratores, qui suo Parthorúmque nomine expostularent, *cur datis nuper obsidibus, redintegratáque amicitiâ, quæ nouis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ possessione depelleretur? Ideo nondum ipsum Vologesem commotum, quia caussa, quàm vi agere mallent. Si perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutem fortunámque, sæpius iam clade Romanâ expertam.* Ad ea Corbulo satis comperto, Vologesem defectione Hyrcaniæ attineri, suadet Tiridati, precibus Cæsarem aggredi: posse illi regnum stabile, & res incruentas contingere, si omissâ spe longinquâ & serâ, præsentem potioremque sequeretur. Placitum dehinc, quia commeantibus inuicem nuntiis, nihil in summâ pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum præsidium Tiridates affore sibi dicebat: quantum Corbuloni cuiusque generis militum assisteret, non statuere, dum positis loricis & galeis, in faciem pacis veniretur. Cuicumque mortalium, nedum veteri & prouido duci, barbaræ astutiæ patuissent. Ideo artum inde numerum finiri, & hinc maiorem afferri, vt dolus pararetur. Nam equiti sagittarum vsu exercitu, si detecta corpora obiicerentur, nihil profuturam multitudinem. Dissimulato tamen intellectu, rectiùs de his quæ in publicum consulerentur, totis exercitibus coràm dissertaturos respondit. Locúmque delegit, cuius pars altera colles erant clementer assurgentes, accipiendis peditum ordinibus: pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Diéque pacto, prior Corbulo, socias cohortes & auxilia regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit: cui accita per noctem aliis ex castris, tria millia tertianorum permiscuerat, vnà cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates vergente iam die procul astitit, vnde videri magis quàm audiri posset. Ita sine congressu dux Romanus abscedere militem sua quemque in castra iubet. Rex siue fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, siue vt commeatus nostros, Pontico mari, & Trapezunte opido aduentantes interciperet, properè discedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur præsidiis nostris insessos: & Corbulo, ne irritum bellum traheretur, vtque Armenios ad sua defendenda cogeret, exscindere parat castella. Sibique quod validissimum in ea præfectura cognomento Volandum sumit. minora Cornelio Flacco legato, & Insteio Capitoni castrorum præfecto mandat. Tum circumspectis munimentis, & quæ expugnationi idonea, prouisis; hortatur milites, vt hostem vagum, neque paci aut prœlio paratum, sed perfidiam & ignauiam fugâ confitentem, exuerent sedibus, gloriæque pariter & prædæ consulerent. Tum quadripartito exercitu, hos in testudinem conglobatos, subruendo vallo inducit: alios scalas mœnibus admouere, multos tormentis faces & hastas incutere iubet. Libratoribus funditoribúsque attributus locus, vnde eminus glandes torquerent: ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pari vndique metu. tantus inde ardor certantis exercitus fuit, vt intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subuersi, capta escensu munimenta, omnésque

A puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis. & imbelle vulgus sub corona venundatum: reliqua præda victoribus cessit. Pari fortuna legatus ac præfectus vsi sunt, tribúsque vna die castellis expugnatis, cetera terrore, & alia sponte incolarum, in deditionem veniebant. vnde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ si amnem Araxem, qui mœnia alluit, ponte transgrederentur, sub ictum

B dabantur: procul & latioribus vadis transiere. At Tiridates pudore & metu, ne si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur: si prohiberet, impeditis locis séque & equestres copias alligaret: statuit postremò ostendere aciem, & dato die prœlium incipere, vel simulatione fugæ, locum fraudi parare. Igitur repentè agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viæ pariter & pugnæ composuerat exercitum.

C Latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat: mediis decumanorum delectis: recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur. quibus iusserat, vt instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur. In cornibus pedes sagittarius, & cetera manus equitum ibat, productiore cornuum sinistro per ima collium, vt si hostis intrauisset, fronte simul & sinu exciperetur. Assultare ex diuerso Tiridates, non vsque ad iactum teli, sed tum mini-

D tans, tum specie trepidantis, si laxare ordines & diuersos consectari posset. Vbi nihil temeritate solutum, nec amplius quàm decurio equitum audentiùs progressus, & sagittis confixus, ceteros ad obsequium exemplo firmauerat, propinquis iam tenebris abscessit. Et Corbulo castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obsidionéque circumdaret agitauit, concessisse illuc Tiridatem ratus. Dein postquam exploratores attulere longinquum re-

E gis iter, & Medi an Albani peterentur, incertum, lucem opperitur: præmissáque leuis armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationémque eminus inciperet. Sed opidani portis sponte patefactis, se suáque Romanis permisere. quod salutem ipsis tulit. Artaxatis ignis immissus, deletáque & solo æquata sunt. quia nec teneri sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium, nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio, & capessendo bello diuideretur. Vel si in-

F tegra & incustodita relinquerentur, nulla in eo vtilitas aut gloria quòd capta essent. Adiicitur miraculum velut numine ublatum. Nam cuncta extrà, tectis hactenus, sole illustria fuere: quòd mœnibus cingebatur, ita repentè atrâ nube coopertum, fulguribúsque discretum est, vt quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur. Ob hæc consalutatus imperator Nero, & senatusconsulto supplicationes habitæ: statuæque &

G arcus, & continui consulatus principi: vtque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliáque in eandem formam decernuntur: adeò modum egressa, vt C. Cassius de ceteris honoribus assensus; si pro benignitate fortunæ diis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit: eóque oportere diuidi sacros & negotiosos dies, quîs diuina colerentur, & humana non impedirent. Variis deinde casibus iactatus, & multorum odia meritus reus haud

tamen sine inuidia Senecæ damnatur. Is fuit P. Suilius, imperitante Claudio terribilis ac venalis, & mutatione temporum, non quantum inimici cuperent demissus: quique se nocentem videri, quàm supplicem mallet. Eius opprimendi gratiâ repetitum credebatur senatusconsultum, pœnáque Cinciæ legis, aduersus eos qui pretio caussas orauissent. nec Suilius questu aut exprobratione abstinebat, præter ferociam animi, extremâ senectâ liber, & Senecam increpans, *infensum amicis Claudij, sub quo iustissimum exsilium pertulisset. Simul studiis inertibus, & iuuenum imperitiæ suetum, liuere iis qui viuidam & incorruptam eloquentiam tuendis ciuibus exercerent. Se quæstorem Germanici, illum domus eius adulterum fuisse. An grauius existimandum, sponte litigatoris præmium honestæ operæ assequi, quam corrumpere cubicula principum feminarum? Quâ sapientiâ, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies sestertium parauisset? Romæ testamenta & orbos, velut indagine eius capi. Italiam & prouincias, immenso fenore hauriri. At sibi labore quæsitam & modicam pecuniam esse. Crimen, periculum, omnia potius toleraturum, quàm veterem ac diu partam dignationem subitæ felicitati submitteret.* Nec deerant qui hæc iisdem verbis, aut versa in deterius Senecæ deferrent. Repertique accusatores, direptos socios cum Suilius prouinciam Asiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum detulêre. Mox quia inquisitionem annuam impetrauerant, breuius visum, suburbana crimina incipi, quorum obuij testes erant. Ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli ciuilis detrusum: Iuliam Drusi filiam, Sabinámque Poppæam ad mortem actas: & Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumuentos: iam equitum Romanorum agmina damnata, omnémque Claudij sæuitiam Suilio obiectabant. Ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat, donec eam orationem Cæsar cohibuit, compertum sibi referens ex commentariis patris sui, nullam cuiusquam accusationem ab eo coactam. Tum iussa Messallinæ prætendi, & labare defensio. Cur enim neminem alium electum, qui sæuienti impudicæ vocem præberet? Puniendos rerum atrocium ministros, vbi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent. Igitur ademptâ bonorum parte (nam filio & nepti pars cócedebatur, eximebatúrque etiá quæ testamento matris, aut aui acceperát) in insulas Baleares pellitur: nó in ipso discrimine, nó post dánationé fractus animo. Ferebatúrque copiosâ & molli vitâ, secretú illud tolerauisse. Filium eius Nerulinú aggressis accusatoribus per inuidiam patris, & crimina repetundarum, intercessit princeps, tamquam satis expleta vltione. Per idem tempus Octauius Sagitta plebei tribunus, Pontiæ mulieris nuptæ amore vecors, ingentibus donis adulterium, & mox vt omitteret maritum emercatur: suum matrimonium promittens, ac nuptias eius pactus. Sed vbi mulier vacua fuit, nectere moras, aduersam patris voluntatem caussari, repertáque spe ditioris coniugis, promissa exuere. Octauius contrà modò conqueri, modò minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans: denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio eius permittens. Ac postquam spernebatur, noctem vnam ad solatium poscit, quâ delinitus, modum in posterum adhiberet. Statuitur nox. Et Pontia con-

A sciæ ancillæ custodiam cubiculi mandat. Ille vno
cum liberto, ferrum veste occultum infert. Tum,
vt assolet in amore & ira, iurgia, preces, exprobra-
tio, satisfactio, & pars tenebrarum libidine sepo-
sita. Et questu incensus, nihil metuentem ferro
transuerberat, & accurrentem ancillam vulnere
absterret, cubiculóque prorumpit. Posterâ die ma-
nifesta cædes, haud ambiguus percussor. quippe
mansitasse vnà conuincebatur. Sed libertus suum
B illud facinus profiteri, se patroni iniurias vltum
esse. Commouerátque quosdam magnitudine ex-
empli: donec ancilla ex vulnere refecta, verum a-
peruit. postulatúsque apud consules à patre inter-
fectæ, postquá tribunatu abierat, sententiâ patrú
& lege Corneliâ de sicariis códénatur. Nó min*
insignis eo anno impudicitia, magnorú Reip. ma-
lorú initiú fecit. Erat in ciuitate Sabina Poppæa,
T. Ollio patre genita, sed nomé aui materni sum-
pserat, illustri memoriâ Poppæi Sabini consulari
C & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium
honoribus nondum functum, amicitia Seiani
peruertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter
honestum animum. Quippe mater eius ætatis suæ
feminas pulchritudine supergressa, gloriam pari-
ter & formam dederat. Opes claritudini generis
sufficiebant. Sermo comis, nec absurdum inge-
nium. modestiam præferre, & lasciuiâ vti. rarus in
publicum egressus, idque velatâ parte oris, ne sa-
tiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famæ nun-
D quam pepercit, maritos & adulteros non distin-
gens: neque affectui suo, aut alieno obnoxia. vnde
vtilitas ostenderetur, illuc libidinem transfere-
bat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufi
Crispini equitis Romani, ex quo filium genue-
rat, Otho pellexit iuuentâ ac luxu, & quia fla-
grantissimus in amicitiâ Neronis habebatur. Nec
mora, quin adulterio matrimonium iungeretur.
Otho, siue amore incautus, laudare formá elegá-
tiáq; vxoris apud principé: siue vt accéderet, ac si
E eâdé feminâ potirentur, id quoque vinculú poté-
tiam ei adiiceret. Sæpe auditus est consurgens è
conuiuio Cæsaris, se ire ad illam, sibi concessam
dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota o-
mnium, & gaudia felicium. His atque talibus irri-
tamentis, non longa cunctatio interponitur. Sed
accepto aditu, Poppæa primum per blandimenta
& artes valescere, imparem cupidini se, & formâ
Neronis captam simulans: mox acri iam princi-
pis amore ad superbiam vertens, si vltra vnam al-
F terámque noctem attineretur, nuptá esse se dicti-
tans, nec posse matrimonium amittere, deuin-
ctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæ-
quaret. Illum animo & cultu magnificum: ibi se
summâ fortunâ digna visere. At Neronem pellice
ancilla, & assuetudine Actes deuinctum, nil è
contubernio seruili, nisi abiectum & sordidum
traxisse. Deiicitur familiaritate sueta, pòst con-
gressu & comitatu Otho: & postremò, ne in vrbe
æmulatus ageret, prouinciæ Lusitaniæ præficitur.
Vbi vsque ad ciuilia arma, non ex priore infamia,
G sed integrè sanctéque egit, procax otij, & potesta-
tis temperátior. Hactenus Nero flagitiis & scele-
ribus velamenta quæsiuit. Suspectabat maximè
Cornelium Syllam, socors ingenium eius in con-
trarium trahens, callidúmque & simulatorem in-
terpretando. Quem metum Graptus ex libertis
Cæsaris, vsu & senectâ à Tiberio vsque domum
principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons
Miluius in eo tempore celebris nocturnis illece-

bris

bcis erat: ventitabátque illuc Nero, quo solutiùs vrbem extra lasciuiret. Igitur regredienti per viam Flaminiam compositas insidias, fatóque euitatas, quoniam diuerso itinere Sallustianos in hortos remeauerit, auctorémque eius doli Syllam ementitur: quia fortè redeuntibus ministris, principis, quidam per iuuenilem licentiam quæ tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. Neque seruorum quisquam, neque clientium Syllæ agnitus, Maximéque despecta & nullius ausi capax natura eius, à crimine abhorrebat: perinde tamen quasi cõuictus esset, cedere patriâ, & Massiliẽsium mœnibus coërceri iubetur. Iisdem consulibus auditæ Puteolanorum legationes. quas diuersas senatorius ordo plebésque ad senatum miserant: illi vim multitudinis; hi magistratuum & primi cuiusque auaritiam increpantes. Cúmque seditio ad saxa & minas ignium progressa, necem & arma perliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus. quia seueritatem eius non tolerabant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura transfertur, datâ cohorte prætoriâ. cuius terrore & paucorum supplicio, rediit opidanis concordia. Non referrem vulgatissimum senatusconsultum, quo ciuitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur: nisi Pætus Thrasea contradixisset, prębuissetq; materiem obtrectatoribus arguẽdæ sentẽtiæ, *Cur enim si Remp. egero libertate senatoriâ crederet, tam leuia consectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus & legibus, quibúsque aliis Romana continentur, suaderet dissuaderetve? Licere patribus, quotiens ius dicenda sententia accepissent, qua vellet expromere relationémque in ea postulare. An solum emendatione dignum, ne Syracusis spectacula largius ederentur? Cetera per omnes imperij partes perinde egregia, quàm si non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret? Quæ si summâ dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum?* Thrasea contrà, rationem poscentibus amicis, non præsentium ignarum respondebat, eiusmodi consulta corrigere: sed patrum honori dare, vt manifestum fieret, magnarum rerũ curam non dissimulaturos, qui animum etiam leuissimis aduerterent. Eodẽ anno crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis, dubitauit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimũ donũ generi mortaliũ daret. Sed impetũ eius, multũ prius laudatâ magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionẽ imperij docendo, si fructus quibus Resp. sustineretur, deminuerentur. Quippe sublatis portoriis, sequens vt tributorum abolitio expostularetur. Plerasque vectigalium societates, à consulibus & tribunis plebis constitutas, acri etiam populi Rom. tum libertate. Reliqua mox ita prouisa, vt ratio quæstuum & necessitas erogationũ inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata, nouis acerbitatibus ad inuidiam verterent. Ergo edixit princeps, vt leges cuiusq; publici occultæ ad id tẽpus, proscriberentur: omissas petitiones, non vltra annum resumerent. Romæ prętor, per prouincias qui pro prætore aut consule essent, iura aduersus publicanos extra ordinem redderent. Militibus immunitas seruaretur, nisi in iis quæ væno exercerent. Aliáque admodum æqua: quæ breui seruata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, & quæ alia exactio-

A nibus illicitis nomina publicani inuenerant. Tẽperata apud transmarinas prouincias frumenti subuectio. Et ne cẽsibus negotiatorum naues ascriberentur, tributúmque pro illis penderent, constitutum. Reos ex prouinciâ Africâ, qui proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum, & Pomponium Siluanum, absoluit Cæsar. Camerinum aduersus priuatos & paucos, sæuitiæ magis quàm captarum pecuniarum crimina obiicientes: B Siluanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebátque tempus euocandorum testium, reus illico defendi postulabat. Valuítque pecuniosa orbitate & senecta, quam vltra eorum vitam produxit, quorum ambitu euaserat. Quietæ ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio ducum, qui peruulgatis triumphi insignibus, maius ex eo decus sperabant, si pacem continuauissent. Paullinus Pompeius, L. Vetus, ea tempestate exercitui præerant. Ne tamen segnem mi- C litem attinerent, ille inchoatum ante très & sexaginta annos à Druso aggerem coërcendo Rheno, absoluit: Vetus, Mosellam atque Ararim, facta inter vtrumque fossa connectere parabat, vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subuectæ, per eam fossam, mox fluuio Mosella, in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: sublatísque itinerum difficultatibus, nauigabilia inter se Occidentis Septentrionísque litora fierent. Inuidit operi Ælius Gracilis Bèlgicæ legatus, deterrendo D Veterem, ne legiones alienæ prouinciæ inferret, studiáque Galliarum affectaret. formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti. Ceterùm continuo exercituum otio fama incessit, ereptum ius legatis ducendi in hostem. Eóque Frisij iuuentutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admouêre ripæ, agrósque vacuos, & militum vsui sepositos insedere, auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germa- E ni regnantur. Iámque fixerant domos, semina aruis intulerant, vtque patrium solum exercebant, cùm Dubius Auitus accepta à Paullino prouincia, minitando vim. Romanam, nisi abscederent Frisij veteres in locos, aut nouam sedem à Cæsare impetrarent, perpulit Verritum & Malorigem preces suscipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronẽ opperiuntur, inter ea quæ Barbaris ostentantur, intrauere Pompeij theatrũ, quò magnitudinem populi viserent. Illic per otium F (neque enim ludicris, ignari, oblectabantur) dum cõsessum caueæ, discrimina ordinum, quis eques, vbi senatus percunctantur, aduertêre quosdam cultu externo in sedib. senatorum: & quinam forent rogitantes, postquàm audiuerant, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, exclamant, degrediunturque & inter patres considunt. quod comiter à visentibus exceptum, quasi impetus antiqui, & bona æmulatio- G ne, Nero ciuitate Romana ambos donauit, Frisios decedere agris iussit. Atque illis aspernantibus, auxiliaris eques repentè immissus, necessitatem attulit, captis cæsísve qui peruicaciùs restiterant. Eosdem agros Ansibarij occupauere, validior gens, non modù sua copia, sed adiacentium populorum miseratione: quia pulsi à Chaucis & sedis inopes, tutum exsilium orabant. Aderátque iis clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, no-

mine Boiocalus, vinctum se rebellione Cherusca, iussu Arminij referens, mox Tiberio & Germanico ducibus, stipendia meruisse, quinquaginta annorum obsequio. Id quoque adiungere, *quod gentem sua in ditioni nostra subiiceret. Quotam partem campi iacere. in quam pecora & armenta militu aliquando transmitterētur? Seruarent sanè receptos gregibus inter hominū famā; modò ne vastitatem & solitudinē mallent, quam amicos populos. Chamauorum quondam ea arua, mox Tubantum, & post Vsipiorum fuisse. Sicut cœlū diis, ita terras generi mortaliū datas: quaque vacua, eas publicas esse.* Solem deinde respiciens, & cetera sidera vocās, quasi coram interrogabat, *vellentne contueri inane solum? potius mare superfunderent aduersus terrarum ereptores.* Et commotus his Auitus, *patienda meliorū imperia. Id diis quos implorarent placitum, vt arbitrium penes Romanos maneret, quid darēt, quid adimerent; neque alios iudices, quàm seipsos paterentur.* Hæc in publicum Ansibariis respōdit, ipsi Boiocalo ob memoriam amicitiæ daturum agros. quod ille, vt proditionis pretium, aspernatus addidit: *Deesse nobis terra, in qua viuamus, in qua moriamur, non potest.* atque ita infensis vtrimque animis discessum. Illi Bructeros, Tencteros, vlteriores etiam nationes socias bello vocabant. Auitus scripto ad Curtilium Manciam superioris exercitus legatum vt Rhenum trāsgressus, arma à tergo ostenderet; ipse legiones in agrum Tencterūm induxit, excidium minitans, nisi caussam suam dissociarent. Igitur absistentibus his, pari metu exterriti Bructeri. & ceteris quoque aliena pericula deserentibus, sola Ansibariorum gens retrò ad Vsipios & Tubantes concessit. quorum terris exacti, cùm Cattos, dein Cheruscos petissent, errore longo,

A hospites, egeni, hostes, in alieno, quod iuuentutis erat, cæduntur. Imbellis ætas in prędam diuisa est. Eadem æstate inter Hermunduros Cattósque certatum magno prœlio, dum flumen gignendo sale fœcundum, & conterminum, vi trahunt; super libidinem cuncta armis agendi, religione insitâ, eos maximè locos propinquare cœlo, precésque mortalium à deis nusquam propiùs audiri. Inde indulgentiâ numinum illo in amne, illisque siluis salem prouenire, non vt alias apud gētes eluuie ma-B ris arescente vndâ, sed super ardentem arborum struem fusâ, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum. Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit. quia victores diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrauere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. Et minæ quidem hostiles in ipsos vertebantur, Sed ciuitas Iuhonū socia nobis malo improuiso afflicta est. Nam ignes terrâ editi, villas, arua, vicos, passim corripiebant, ferebantúrque in ipsa C conditæ nuper Coloniæ mœnia. neque extingui poterant; non si imbres caderent, non si fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur: donec inopia remedij, & ira cladis, agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis propiùs suggressi, ictu fustium, aliisque verberibus, vt feras absterrebant: postremò tegmina corpori direpta iniiciunt, quāto magis profana & vsu polluta, tanto magis oppressura ignes. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ super D octingentos & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco deminutam, prodigij loco habitum est, donec in nouos fœtus reuiuisceret.



C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER XIV.

CAio Vipsanio, Fonteio coss. diu meditatum scelus non vltrà Nero distulit, vetustate imperij coalita audacia, & flagrantior in dies amore Poppææ, quæ sibi matrimonium, & dissidium Octauiæ incolumi Agrippinâ haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusare principem, & pupillum vocare, qui iussis alienis obnoxius non modò imperij, sed libertatis etiam indigeret. *Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere, & triumphales auos? An fœcunditatem, & verum animū timeri, ne vxor saltem iniurias populi patrū, irā aduersus superbiā auaritiámque matris aperiat. Quòd si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio. ituram quoquò terrarum. vbi audiret potius cōtumelias imperatoris, quam viseret periculis eius immixta.* Hæc atque talia lacrymis & arte adulteræ penetrantia, prohibebat: cu-E pientibus cunctis infringi matris potentiam, & credente nullo, vsque ad cædē eius duratura filij odia. Tradit Cluuius ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eò vsque prouectam, vt medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incalesceret, offerret se sæpiùs temulento comptam, & incesto paratam. Iámque lasciua oscula, & prænuntias flagitij blanditias, annotantibus proximis, Senecam contra muliebres illecebras subsidium à fœmina petiuisse: immissámque F Acten libertam, quæ simul suo periculo, & infamiâ Neronis anxia, deferret, peruulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinæ, sed Neroni cupitum id memorat, eiusdémque libertę astu disiectū. Sed quæ Cluuius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, & fama huc inclinat, seu conceperit animo tātum immanitatis

nitatis Agrippina, seu credibilior nouæ libidinis meditatio in ea visa est, quæ puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine vsque ad libita Pallantis prouoluta, & exercita ad omne flagitium patrui nuptiis. Igitur Nero vitare secretos eius congressus. Abscedentem in hortos, aut Tusculanum vel Antiatem in agrum, laudare quòd otium lacesseret. Postremò vbicumq; haberetur, prægrauem ratus, interficere constituit: hactenus consultans, veneno, an ferro, vel qua alia vi. Placuitque primò venenum. Sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali iam Britannici exitio. Et ministros tẽtare arduum videbatur, mulieris vsu scelerum aduersus insidias intentæ. atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus. Ferrum & cædes quo nã modo occultaretur, nemo reperiebat; & ne quis illi tanto facinori delectus, iussa sperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, classis apud Misenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinæ inuisus. Ergo nauem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artẽ soluta effunderet ignaram. Nihil tam capax fortuitorum quàm mare, & si naufragio intercepta sit, quem adeò iniquum, vt sceleri assignet, quod venti & fluctus deliquerint? Additurum principem defunctę templum, & aras, & cetera ostentandæ pietatis. Placuit sollertia, tẽpore etiam iuta, quãdo Quinquatruum festos dies apud Baias frequentabat. Illuc matrem elicit, ferẽdas parentũ iracũdias, & placandum animum dictitans, quò rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippinam, facili feminarum credulitate ad gaudia venientem. Dehinc obuius in litora (nam Antio aduentabat) excipit manu & cõplexu, ducitque Baulos: id villę nomẽ est, quę promontorium Misenum inter & Baianum lacum flexo mari alluitur, stabat inter alias nauis ornatior, tamquam id quoq; honori matris daretur. Quippe sueuerat triremi, & classiariorum remigio vehi. Ac tum inuitata ad epulas erat, vt occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit extitisse proditorem, & Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellæ Baias peruectam. Ibi blandimentum subleuauit metum, comiter excepta, superq; ipsum collocata. Nam pluribus sermonibus modò familiaritate iuuenili Nero, & rursus adductus quasi seria consociaret, tracto in longum cõuictu, prosequitur abeũtem, artiùs oculis & pectori hærens, siue explendâ simulatione, seu perituræ matris supremus aspectus, quamuis ferum animum retinebat. Noctem sideribus illustrem, & placido mari quietam, quasi conuincendum ad scelus, dij præbuere. Nec multum erat progressa nauis, duobus è numero familiarium Agrippinam comitãtibus: ex quibus Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adstabar, Aceronia super pedes cubitantis reclinis, pœnitentiam filij, & reciperatam matris gratiam per gaudium memorabat. cùm dato signo, ruere tectum loci multo plumbo graue, pressusque Crepereius, & statim exanimatus. Agrippina & Aceronia eminentibus tecti parietibus, ac fortè validioribus, quàm vt oneri cederent, protectæ sunt: nec dissolutio nauigij sequebatur turbatis omnibus, & quòd plerique ignari etiam cõscios impediebant. Iussum dehinc remigibus, vnum in latus inclinare, atque ita nauem submergere. Sed neq; ipsis promptus in rem subitam consensus, & alij

A contrà nitẽtes dedêre facultatem lenioris in mare
iactus. Verùm Aceronia imprudẽs, dum se Agrippinã
esse, & vt subueniretur matri principis, clamitat,
contis & remis, & quæ fors obtulerat, naualibus telis
conficitur. Agrippina silens, eóq; minus agnita,
vnum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde
occursu lembunculorum Lucrinum in lacum vecta, villæ
suę infertur. Illic reputans, ideò se fallacibus
litteris accitam, & honore
B præcipuo habitam; quodque litus iuxta non ventis
acta, non saxis impulsa nauis, summâ sui parte,
veluti terrestre machinamentum concidisset;
obseruans etiam Aceroniæ necem, simul suum vulnus
aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si
non intelligerẽtur: misit libertum Agerinum qui
nuntiaret filio, benignitate deûm, & fortunâ eius
euasisse grauem casum. orare, vt quamuis periculo
matris exterritus, visendi curam differret. sibi ad
pręsens quiete opus. Atq; interim securitate simu-
C lata, medicamina vulneri, & fomenta corpori adhibet.
Testamẽtum Aceronię requiri, bonáq; obsignari
iubet. id tantum non per simulationem. At
Neroni nũtios patrati facinoris opperienti, affertur
euasisse ictu leui sauciam, & hactenus adito
discrimine ne auctor dubitaretur. Tum pauore
exanimis, & iam iámque affore obtestans vindictæ
properam, siue seruitia armaret, vel militem accẽderet,
siue ad senatum & populũ peruaderet, naufragium
& vulnus, & interfectos amicos obiicien-
D do; quod contrà subsidium sibi? nisi quid Burrhus
& Seneca expergiscerẽtur. quos statim acciuerat,
incertum an & antè ignaros. Igitur lõgum vtriusque
silentium, ne irriti dissuaderent, an eò descensum
credebãt, vt nisi pręueniretur Agrippina,
perẽdum Neroni esset. Pòst Seneca hactenus promptior,
respicere Burrhum, ac si sciscitaretur, an militi
imperanda cædes esset? Ille prætorianos toti Cęsarum
domui obstrictos, & memores Germanici,
nihil aduersus progeniem eius atrox ausuros re-
E spondit: perpetraret Anicetus promissa. Quj nihil
cunctatus, poscit summam sceleris. Ad illam vocem
Nero, illo sibi die dari imperium, auctorémq;
tãti muneris libertum profitetur. Iret properè, duceretque
promptissimos ad iussa. Ipse audito, venisse
missu Agrippinæ nuntium Agerinum, scenam
vltrò criminis parat: gladiúmque dum mandata
perfert, abiicit inter pedes eius. tum quasi deprehenso,
vincla iniici iubet: vt exitium principis
molitam matrem, & pudore deprehensi sceleris
F sponte mortem sumpsisse cõfingeret. Interim vulgato
Agrippinæ periculo, quasi casu euenisset, vt
quisque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium
obiectus, hi proximas scaphas scandere. Alij quantum
corpus sinebat, vadere in mare, quidam manus
protendere. Questibus, votis, clamore diuersa
rogitantium, aut incerta respondentium, omnis
ora compleri: affluere ingens multitudo cum luminibus,
atque vbi incolumem esse pernotuit, vt
ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati
& minitantis agminis disiecti sunt. Anicetus villã
G statione circumdat, refractáq; ianuâ, obuios seruorũ
arripit, donec ad fores cubiculi veniret: cui
pauci adstabant, ceteris terrore irrumpentium exterritis.
Cubiculo modicum lumẽ inerat, & ancillarum
vna: magis ac magis anxiâ Agrippinâ, quòd
nemo à filio, ac ne Agerinus quidem: aliam ferè
litore faciem nunc, solitudinem ac repẽtinos strepitus,
& extremi mali indicia. Abeunte dehinc ancillâ,
Tu quoque me deseris, prolocuta, respicit A-

nicetum trierarcho Herculeo & Oloarito centurione classiario comitatũ. Ac si ad visendũ venisset, refotam nuntiaret: sin facinus patraturus, nihil se de filio credere, non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores, & prior trierarchus fusti caput eius afflixit. Nam in mortem centurioni ferrum distringenti, protendens vterum, *Ventrem feri*, exclamauit: multísque vulneribus confecta est. Hęc consensu traduntur. Aspexerit ne matrem exanimem Nero, & formam corporis eius laudauerit; sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. Cremata est nocte eâdem, conuiuali lecto, & exsequiis vilibus. Neq; dum Nero rerum potiebatur congesta aut clausa humus, mox domesticorum curà, leuem tumulum accepit, viam Miseni propter, & villam Cæsaris dictatoris, quæ subiectos sinus editissima prospectat. Accenso rogo libertus eius, cognomento Mnester, ipse ferro se trãsegit: incertum caritate in patronam, an metu exitij. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contempserátq;. Nam consulenti super Nerone, responderunt Chaldæi, fore vt imperaret, matrémque occideret: atque illa, *Occidat*, inquit, *dum imperet*. Sed à Cæsare perfecto demum scelere, magnitudo eius intellecta est: reliquo noctis, modò per silentium defixus, sæpiùs pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tamquam exitium allaturam. Atque eum, auctore Burrho, prima cẽturionum tribunorúmque adulatio ad spem firmauit, prehẽsantium manum, gratantiúmque, quod discrimen improuisum, & matris facinus euasisset. Amici dehinc adire templa: & cœpto exemplo, proxima Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam testari. Ipse diuersâ simulatione, mæstus, & quasi incolumitati suæ infensus, ac morti parentis illacrymans; quia tamen non vt hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obuersabatúrque maris illius & litorum grauis aspectus (& erant qui crederent, sonitum tubæ collibus circum editis, planctúsque tumulo matris audiri) Neapolim concessit, litterásque ad senatum misit, quarum summa erat, *Repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinæ libertis, & luisse eam pœnam conscientiâ, qua scelus parauisset.* Adiiciebat crimina longiùs repetita, *quod consortium imperij, iuraturásque in feminæ verba pretorias cohortes, idémq; dedecus senatus & populi sperauisset: ac postea quam frustrà oblata sint, infensa militibus patribúsq; & plebi, dissuasisset donatiuum & congiarium, periculáq; viris illustribus instruxisset. Quanto suo labore perpetratum, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret?* Temporum quoque Claudianorum obliquâ insectatione, cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publicâ fortunâ extinctam referens. Namque & naufragium narrabat. Quod fortuitum fuisse, quis adeò hebes inueniretur, vt crederet? aut à muliere naufraga missum cum telo vnum, qui cohortes, & classes imperatoris perfringeret? Ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium questus anteibat, sed aduerso rumore Seneca erat, quòd oratione tali confessionem scripsisset. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia puluinaria, vtque Quinquatrus, quibus apertæ essent insidiæ, ludis annuis celebrarentur. Aureum Mineruæ simulacrum in curiâ, & iuxtà principis imago statueretur. Dies natalis Agrippinæ inter nefastos

A esset. Thrasea Pætus silentio vel breui assensu
priores adulationes transmittere solitus, exiit tum
senatu, ac sibi caussam periculi fecit, ceteris liber-
tatis initium non præbuit. Prodigia quoque cre-
bra & irrita intercessere. Anguem enixa mulier,
& alia in concubitu mariti fulmine exanimata.
iam Sol repentè obscuratus, & tactæ de cælo
quattuordecim vrbis regiones. quæ adeò sine cu-
râ deûm eueniebant, vt multos post annos Ne-
B ro imperium & scelera continuauerit. Ceterùm
quo grauaret inuidiam matris, eáque demota, au-
ctam lenitatem suam testificaretur, feminas illu-
stres Iuniam & Calpurniam, præfecturâ functos
Valerium Capitonem & Licinium Gabolum, se-
dibus patriis reddidit, ab Agrippinâ olim pulsos.
Etiam Lolliæ Paullinæ cineres reportari, sepul-
crumque exstrui permisit: quosque ipse nuper re-
legauerat, Iturium & Caluisium pœna exsoluit.
Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exsi-
C lio Tarentum regressa, labante iam Agrippinâ,
cuius inimicitiis conciderat, vel tum mitigatâ.
Cunctanti in opidis Campaniæ, quonam modo
vrbem ingrederetur, an obsequium senatus, an
studia plebis repperiret anxio, contrà deterrimus
quisque quorum non alia regia fecundior exsti-
tit, inuisum Agrippinæ nomen, & morte eius ac-
censum populi fauorem disserunt. Iret intrepi-
dus, & venerationem sui coram experiretur. Si-
mul progredi exposcunt, & promptiora quàm
D promiserant inueniunt, obuias tribus, festo cultu
senatum: coniugum ac liberorum agmina per
sexum & ætatem disposita: exstructos quâ ince-
deret spectaculorum gradus, quo modo trium-
phi visuntur. Hinc superbus ac publici seruitij
victor, Capitolium adiit, grates exsoluit: seque in
omnes libidines effudit, quas malè coercitas qua-
liscumque matris reuerentia tardauerat. Vetus il-
li copia erat curriculo quadrigarum insistere, nec
E minus fœdum studium citharâ ludicrum in mo-
dum canere, cùm cœnaret: quod regibus & anti-
quis ducibus factitatum memorabat. Idque va-
tum laudibus celebre, & deorum honori datum.
Enimuerò cantus Apollini sacros, talique ornatu
astare, non modò Græcis in vrbibus, sed Roma-
na apud templa, numen præcipuum, & præs-
cium. Nec iam sisti poterat, cùm Senecæ ac Bur-
rho visum, ne vtraque peruinceret, alterum
concedere. Clausumque valle Vaticana spatium,
F in quo equos regeret, haud promiscuo specta-
culo. mox vltrò vocari populus Romanus, lau-
dibúsque extollere, vt est vulgus cupiens volu-
ptatum; & si eodem princeps trahat, lætum. Ce-
terùm euulgatus pudor non satietatem, vt reban-
tur, sed incitamentum attulit. Ratúsque dede-
cus amoliri, si plures fœdasset, nobilium fami-
liarum posteros, egestate venales in scenam de-
duxit: quos fato perfunctos ne nominatim tra-
dam, maioribus eorum tribuendum puto. Nam
& eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta po-
tiùs dedit, quàm ne delinquerent. Notos quo-
G que equites Romanos operas arenæ promittere
subegit, donis ingentibus: nisi quòd merces ab
eo qui iubere potest, vim necessitatis affert. Ne
tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, in-
stituit ludos Iuuenalium vocabulo, in quos passim
nomina data. nõ nobilitas cuiquam, non ætas aut
acti honores impedimento, quo minus Grçci La-
tiníve histrionis artem exercerent, vsq; ad gestus
modósque haud viriles. Quin & feminæ illustres

deformia

deformia meditari. Exstructáque apud nemus, quod nauali stagno circumposuit Augustus, conuenticula & cauponæ, & posita væno irritamenta luxus. dabantúrque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. Inde gliscere flagitia & infamia; nec vlla moribus corruptis olim plus libidinum circumdedit, quàm illa colluuies. Vix artibus honestis pudor retinetur; nedum inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modestia, aut quidquam probi moris reseruaretur. Postremò ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam & præmeditans, assistentibus familiaribus. accesserat cohors militum, centuriones tribunique & mærens Burrhus, ac laudans. Tuncque primùm conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui, & pars ingenio procaces, alij in spe potentiæ. Hi dies ac noctes plausibus personare. Formam principis vocémque deûm vocabulis appellantes, quasi per virtutem clari honoratique agere. Ne tamen ludicræ tantùm imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium affectauit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum insignis ætatis nati, considere simul, & allatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba quoquomodo prolata supplere. quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, nec ore vno fluens. Etiam sapientiæ doctoribus tempus impertiebat post epulas, vtque contraria asseuerantium discordiæ eruerentur. nec deerant, qui voce vultúque tristi inter oblectamenta regia spectati cuperent. Sub idem tempus, leui contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianósque, gladiatorio spectaculo, quod Liuineius Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat. quippe oppidana lascivia inuicem incessentes; probra, deinde saxa, postremò ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Ergo reportati sunt in vrbem multi è Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum aut parentum mortes deflebant. Cuius rei iudicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. Et rursus re ad patres delata, prohibiti publicè in decem annos eiusmodi cœtu Pompeiani, collegiáque quæ contra leges instituerant, dissoluta. Liuineius, & qui alij seditionem conciuerant, exsilio multati sunt. Motus senatu & Pedius Blæsus, accusantibus Cyrenensibus, violatum ab eo thesaurum Æsculapij, delectúmque militarem pretio & ambitione corruptum. Iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, prætoria potestate vsum, & missum disceptatorem à Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam habitos, & Pop.Rom. cum regno relictos, proximus quisque possessor inuaserant, diutináque licentia & iniuria, quasi iure & æquo nitebantur. Igitur abiudicatis agris, orta aduersus iudicem inuidia: & senatus ignota sibi esse mandata Claudij, & consulendum principem respondit. Nero probata Strabonis sententia, se nihilominus subuenire sociis, & vsurpata concedere scripsit. Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitij Afri, & M. Seruilij, qui summis honoribus, & multa eloquentia viguerant. Ille orando caussas, Seruilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, & elegantia vitæ, quam clariorem effecit, vt par ingenio, ita morum diuersus. Ne-

A rone quartùm, Cornelio Cosso Coss. quinquennale ludicrum Romæ institutũ est, ad morem Græci certaminis, varia fama, vt cuncta fermè noua. Quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum à senioribus ferrent, quòd mansuram theatri sedem posuisset. *Nam antea subitariis gradibus, & scena in tempus structa, ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stantem populum spectauisse: si consideret, theatro dies totos ignauia con-*
B *tinuaret. Ne spectaculorum quidem antiquitas seruaretur, quotiens Prætores ederent, nulla cuiquam ciuium necessitate certandi. Ceterùm abolitos paulatim patrios mores, funditus euerti per accitam lasciuiam, vt quod vsquam corrũpi & corrũpere queat, in vrbe visatur, degeneretq; studiis externis iuuẽtus, gymnasia & otia, & turpes amores exercendo, principe & senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant. Proceres Romanos specie orationum & carminum, sce-*
C *na polluantur, quid superesse, nisi vt corpora quoque nudent, & cæstus assumant, eásq; pugnas pro militia & armis meditentur? An iustitiam augury, & decurias equitum, egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos & dulcedinem vocum peritè audissent? Noctes quoq; de decori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed cœtu promiscuo quod perditissimus quisq; per diẽ concupiuerit, per tenebras audeat.* Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina prætendebant. *Maiores quoq; non abhor-*
D *ruisse spectaculorum oblectamentis, pro fortuna quæ tum erat: eóq; à Thuscis accitos histriones, à Thuriis equorum certamina, & possessa Achaia Asiáq; ludos curatius editos. nec quemquã Romæ honesto loco ortum, ad theatrales artes degenerauisse, ducentis iam annis à L. Mummij triumpho, qui primus id genus spectaculi in vrbe præbuerit. Sed & consultum parsimoniæ, quòd perpetua sedes theatro locata sit, potius quàm immenso sũptu, singulos per annos consurgeret ac strueretur. Nec perinde magistrat° rem familiarẽ*
E *exhausturos, aut populo efflagitãdi Græca certamina à magistratibus caussam fore, cùm eo sumptu Resp. fungatur. oratorum ac vatum victorias incitamẽtũ ingeniis allaturas: nec cuiquã iudici graue, aures studiis honestis, & voluptatibus concessis impartire. lætitiæ magis quàm lasciuiæ dari paucas totius quinquennij noctes, quibus, tanta luce ignium, nihil illicitum occultari queat.* Sanè nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. At ne modica quidem studia
F plebis exarsere, quia redditi quamquam scenę Pãtomimi, certaminibus sacris prohibebantur. Eloquentiæ primas nemo tulit, sed victorem esse Cæsarem pronuntiatum. Græci amictus quos per eos dies plerique incesserant, tum exoleuerant. Inter quæ & sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regis portendat. Igitur quasi iam depulso Nerone, quis nam deligeretur, inquirebãt. & omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Iulia fa-
G milia. Ipse placita maiorũ colebat, habitu seuero, casta & secreta domo, quantóq; metu occultior, tãto plus famę adeptus. Auxit rumorẽ pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nã quia discũbẽtis Neronis apud Simbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, ictæ dapes, mensaq; disiecta erat, idq; finib. Tiburtũ acciderat, vnde paterna Plauto origo hunc illũ numine deûm destinari credebãt. fouebãtq; multi, quib. noua & ãcipitia pręcolere auida & plerumq; fallax ambitio est. Ergo permotus iis Nero componit ad Plautum litteras, consuleret

quieti vrbis, séque prauè diffamantibus subtraheret. esse illi per Asiam auitos agros, in quibus tutâ & inturbidâ iuuentâ frueretur. Ita illuc cum coniuge Antistiâ & paucis familiarium concessit. Iisdem diebus nimia luxus cupido, infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Martiæ ad vrbem deductæ nando incesserat: videbatúrque potus sacros & cærimoniam loci corpore toto polluisse secutáque anceps valetudo, iram deûm affirmauit. At Corbulo post deleta Artaxata, vtendum recenti terrore ratus, ad occupanda Tigranocerta; quibus excisis, metum hostium intenderet, vel si pepercisset, clementiæ famam adipisceretur: illuc pergit non infenso exercitu, ne spem veniæ auferret: neque tamen remissâ curâ, gnarus facilem mutatu gentem, vt segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. Barbari pro ingenio quisque, alij preces offerre, quidam deserere vicos, & in auia digredi, ac fuere qui se speluncis, & carissima secum abderent. Igitur dux Romanus diuersis artibus, misericordiâ aduersus supplices, celeritate aduersus profugos, immitis iis qui latebras insederant, ora & exitus specuum sarmentis virgultísque complexos, igni exurit. Atque illum fines suos prætergredientem incursauere Mardi, latrociniis exerciti, contráque irrumpentem montibus defensi. quos Corbulo immissis Hiberis vastauit, hostilemque audaciam externo sanguine vltus est.

Ipse exercitúsque, vt nullis ex prœlio damnis, ita per inopiam & labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famen adacti. Ad hæc pænuria aquæ, feruida æstas, longinqua itinera, solâ ducis patientiâ mitigabantur, eodem plura quàm gregario milite tolerante. Ventum dehinc in locos cultos: demessæque segetes, & ex duobus castellis in quæ confugerant Armenij, alterum impetu captum: qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. Vnde in regionem Taurantium transgressus, improuisum periculum vitauit. Nam haud procul tentorio eius, non ignobilis barbarus cum telo repertus, ordinem insidiarum, séque auctorem & socios per tormenta edidit. Conuictique & puniti sunt, qui specie amicitiæ dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocerta missi, patêre mœnia afferunt, intentos popularis ad iussa. Simul hospitale donum, coronam auream tradebant. Accepitque eum honore, nec quidquam vrbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent. At præsidium regium, quod ferox iuuentus clauserat, non sine certamine expugnatum est. nam & prœlium pro muris ausi erant, & pulsi intra munimenta aggeris, demum irrumpentium armis cessere. quæ faciliùs proueniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. Miserántque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, attineri à se Vologesen pro pignore amicitiæ ostentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphratem transgressi hostium custodiis circumuenirentur, dato præsidio ad litora maris rubri deduxit. Vnde vitatis Parthorum finibus, patrias in sedes remeauere. Quin & Tiridatem per Medos extrema Armeniæ intrantem, præmisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul ac spem belli amittere subegit: quósque nobis ob regem auersos animi cognouerat, cædibus & incendiis perpopulatus, possessionem Armeniæ vsurpa-

A bat. cùm aduenit Tigranes, à Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quòd diu obses apud vrbem fuerat, vsque ad seruilem patientiam demissus. Nec consensu acceptus, durante apud quosdam fauore Arsacidarum. At plerique superbiam Parthorum perosi, datum à Romanis regem malebant. Additum & præsidium, mille legionarij, tres sociorum cohortes, duæque B equitum alæ. & quo faciliùs nouum regnum tueretur, pars Armeniæ vt cuique finitima, pars Nipolique & Aristobolo atque Antiocho parere iussæ sunt. Corbulo in Syriam abscessit, morte Vinidij legati vacuam, ac sibi permissam. Eodem anno ex illustribus Asiæ vrbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo à nobis remedio, propriis opibus reualuit. At in Italiâ vetus opidum Puteoli, ius Coloniæ, & cognomen C tum à Nerone adipiscuntur. Veterani Tarentum & Antium ascripti, non tamen infrequentiæ locorum subuenere, dilapsis pluribus in prouincias, in quibus stipendia expleuerant. Neque coniugiis suscipiendis, neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant. Non enim, vt olim, vniuersæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & suis cuiusque ordinis militibus, vt consensu & caritate Remp. efficerent: sed ignoti inter se, di D uersis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repentè in vnum collecti, numerus magis quàm colonia. Comitia prætorum arbitrio senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, princeps composuit, tris qui supra numerum petebant, legioni præficiendo. Auxítque patrum honorem, statuendo vt qui à priuatis iudicibus ad senatum prouocauissent, eiusdem pecuniæ periculum facerent, cuius ij qui imperatorem ap E pellauere. nam antea vacuum id, solutúmque pœnâ fuerat. Fine anni Vibius Secundus eques Romanus, accusantibus Mauris repetundarum damnatur, atque Italiâ exigitur: ne grauiore pœna afficeretur, Vibij Crispi fratris opibus enixus. Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. grauis clades in Britanniâ accepta. In quâ neque Auitus legatus, vt memoraui, nisi parta retinuerat, & successor Veranius, modicis excursibus Siluras populatus, quin vltrà bellum pro F ferret, morte prohibitus est: magna dum vixit seueritatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus. quippe multa in Neronem adulatione, addidit, subiecturum ei prouinciam fuisse, si biennio proximo vixisset. Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos, scientiâ militiæ, & rumore populi, qui neminem sine æmulo sinit, Corbulonis concertator: receptæque Armeniæ decus æquare do G mitis perduellibus cupiens. Igitur Monam insulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, nauésque fabricatur plano alueo, aduersus breue litus & incertum. Sic pedites. equites vado secuti, aut altiores inter vndas, adnantes equis transmisere. Stabat pro litore diuersa acies, densa armis virísque, intercursantibus feminis: in modum Furiarum, veste ferali, crinibus deiectis, faces præferebant. Druidæque circum, preces diras sublatis ad cælum manibus fundentes, nouitate aspectus perculere milites, vt quasi hærentibus membris, immobile corpus

pus

pus vulneribus præberent. Dein cohortationibus ducis, & se ipsi stimulantes, ne muliebre & fanaticum agmen pauescerent, inferunt signa, sternúntque obuios, & igni suo inuoluunt. Præsidium posthac impositum victis, excisique luci, sæuis superstitionibus sacri. Nam cruore captiuo adolere aras, & hominum fibris consulere deos fas habebant. Hæc agenti Suetonio, repentina defectio prouinciæ nuntiatur. Rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Cæsarem heredem duásque filias scripserat, tali obsequio ratus regnum & domum suam procul iniuria fore. quòd contrà vertit. adeò vt regnum, per centuriones, domus per seruos, velut capta vastarentur. Iam primùm vxor eius Boudicea verberibus affecta, & filiæ stupro violatæ sunt. Præcipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, auitis bonis exuuntur. & propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia & metu grauiorum (quando in formam prouinciæ cesserant) rapiunt arma, commotis ad rebellationem Trinobantibus, & qui alij nondum seruitio fracti, resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam Camalodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captiuos, seruos appellando; fouentibus impotentiam veteranorum militibus, similitudine vitæ, & spe eiusdem licentiæ. Ad hæc templum diuo Claudio constitutum, quasi ara æternæ dominationis aspiciebatur: delectique sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant. Nec arduum videbatur, exscindere coloniam nullis munimentis septam: quod ducibus nostris parum prouisum erat, dum amœnitati prius quàm vsui consulitur. Inter quæ nulla palàm caussa delapsum Camaloduni simulacrum Victoriæ, ac retro conuersum, quasi cederet hostibus. Et feminæ in furore turbatæ, adesse exitium canebant. Externósque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse vlulatibus theatrum, visámque speciem in æstuario Tamesæ subuersæ coloniæ. Iam Oceanum cruento aspectu: dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictas, vt Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebant. Sed quia procul Suetonius aberat, petiuere à Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud amplius quàm ducentos sine iustis armis misit: & inerat modica militum manus, tutela templi freti. Et impedientibus qui occulti rebellionis conscij consilia turbabant, neque fossam aut vallum præduxerunt, neque motis senibus & feminis, iuuentus sola restitit: quasi media pace incauti, multitudine barbarorum circumueniuntur. Et cetera quidem impetu direpta, aut incensa sunt. Templum in quo se miles conglobauerat, biduo obsessum, expugnatúmque. Et victor Britannus Petilio Ceriali legato legionis nonæ in subsidium aduentanti obuius, fudit legionem, & quod peditum interfecit. Cerialis cum equitibus euasit in castra, & munimentis defensus est. Qua clade & odiis prouinciæ, quam auaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam transiit. At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniæ non insigne, sed copia negotiatorum & commeatuum maximè celebre. ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, sa-

A tisque magnis documentis temeritatem Petilij coërcitam, vnius opidi damno seruare vniuersa statuit. Neque fletu & lacrymis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum, & comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis sexus, aut fessa ætas, vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis præsidiisque militarium, quod v-
B berrimum spoliant, & defendentibus intutum, læti præda, & aliorum insignes perebant. Ad septuaginta millia ciuium & sociorum, iis quæ memoraui locis, cecidisse constitit. Neque enim capere aut venundare, aliúdve quod belli commercium, sed cædes, patibula, ignes, cruces, tamquam redditúri supplicium, ac prærepta interim vltione, festinabant. Iam Suetonio quartadecima legio cum vexillariis vicesimariis, & è proximis auxiliares, decem fermè millia armatorum erant:
C cùm omittere cunctationem, & congredi acie parat. deligitque locum artis faucibus, & à tergo silua clausum, satis cognito, nihil hostium nisi in fronte, & apertam planitiem esse sine metu insidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus, leui circum armatura conglobatus, pro cornibus eques astitit. At Britannorum copiæ passim per cateruas & turmas exsultabant, quanta non alias multitudo, & animo adeò fero, vt coniuges quoque testes victoriæ secum traherent, plau-
D strisque imponerent, quæ super extremum ambitum campi posuerant. Boudicca curru filias præ se vehens, vt quamque nationem accesserat: *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur: sed tunc non vt tantis maioribus ortam regnum & opes, verùm vt vnam è vulgo, libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam vlcisci. eò prouectas Romanorum cupidines, vt non corpora, nec senectam quidem, aut virginitatem impollutam relinquant. Adesse tamen*
E *deos iusta vindictæ. cecidisse legionem, quæ prælium ausa sit: ceteros castris occultari, aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem & clamorem tot millium, nedum impetus & manus perlaturos. Si copias armatorum, si caussas belli secum expenderent: vincendum illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum: viuerent viri, & seruirent.* Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat. qui quamquã confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miscebat. *Vt spernerent sonores Barbarorum, & i-*
F *nanes minas. plus illic feminarum quàm iuuentutis aspici. imbelles, inermes, cessuros statim, vbi ferrum virtutémq; vincẽtium, totiens fusi agnouissent. etiam in multis legionibus, paucos esse qui prælia profligarent, gloriaque eorum accessurum, quod modica manus, vniuersi exercitus famã adipiscerentur. Conferti tantùm, & pilis emissis, pòst vmbonibus & gladiis stragem cædémq; continuarẽt, prædæ immemores. parta victoria, cuncta ipsis cessura.* Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles & multa prœliorum experientia, vt
G certus euentus Suetonius, daret pugnę signum. Ac primùm legio gradu immota, & angustias loci pro munimento retinens, postquam propiùs suggressus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem auxiliariũ impetus: & eques protentis hastis, perfringit quod obuiũ & validũ erat. Ceteri terga prębuere, difficili effugio, quia circũiecta vehicula sepserãt abitus. Et miles ne mulierũ quidem neci temperabat. confixáq; telis etiam iu-

menta,corporum cumulum auxerant.Clara & antiquis victoriis par ea die laus parta. quippe sunt qui paulominus quàm octoginta millia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis fermè interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finiuit. Et Pœnius Postumus præfectus castrorum secundæ legionis, cognitis quartadecimanorum vicesimanorúmque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudauerat, abnuerátque contra ritum militiæ iussa ducis,se ipsum gladiu transegit. Contractus deinde omnis exercitus, sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpetranda. Auxítque copias Cęsar,missis è Germania duobus legionariorũ millibus, octo auxiliariorum cohortibus, ac mille equitibus: quorum aduentu, nonani legionario milite suppleti sunt.cohortes alæque nouis hibernaculis locatæ, quódque nationum ambiguum aut aduersum fuerat,igni atque ferro vastatur.Sed nihil æquè quàm fames affligebat serendis frugibus incuriosos, & omni ætate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant,gentésque præferoces tardiùs ad pacem inclinant: quia Iulius Classicianus successor Cato missus, & Suetonio discors, bonum publicum priuatis simultatibus impediebat. disperserátque nouum legatum opperiendum esse, sine hostili ira & superbia victoris clementer deditis consulturum. Simul in vrbem mandabat,nullum prœlio finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio. cuius aduersa, prauitati ipsius,prospera, ad fortunam Reip.referebat. Igitur ad spectandum Britanniæ statum missus est ex libertis Polycletus, magna Neronis spe, posse auctoritate eius, non modò inter legatum procuratorémque concordiam gigni, sed & rebelles Barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus,quo minus ingenti agmine Italiæ Galliæque grauis, postquàm Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet.Sed hostibus irrisui fuit,apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat. mirabantúrque, quòd dux & exercitus tanti belli confector seruitiis obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata. Detentúsque rebus gerundis Suetonius,quòd pòst paucas naues in litore, remigiúmque in iis amiserat, tamquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur. Is non irritato hoste, neq; lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit. Eodem anno Romæ insignia scelera, alterum senatoria, seruili alterum audacia, admissa sunt. Domitius Balbus erat prætorius,simul longa senecta, simul orbitate & pecunia insidiis obnoxius. Eius propinquus Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus,subdidit testamentum, ascitis Vicio Rufino, & Terentio Lentino equitibus Romanis.Illi Antonium Primum, & Asinium Marcellum sociauerant.Antonius audacia promptus, Marcellus Asinio Pollione proauo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quòd paupertatem præcipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas iis quos memoraui,& aliis minus illustribus, obsignat. Quod apud patres conuictum. Et Fabianus Antoniúsque cum Rufino & Terentio lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria maiorum,& preces Cæsaris,pœnæ magis quàm infamiæ exemere. Perculit is dies Pompeium quoque Ælianum iuuenem quæstorium,

A tamquam flagitiorum Fabiani gnarum,eique Italia & Hispania in qua ortus erat, interdictum est. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur,quòd reos, ne apud præfectum vrbis arguerentur, ad prætorem detulisset, interim specie legum, mox præuaricando vltionem elusurus. Additur senatusconsultum:Qui talem operam empticasset,vendidissetve, perinde pœna teneretur, ac si publico iudicio calumniæ condemnatus. Haud multo B pòst, præfectum vrbis Pedanium Secundum seruus ipsius interfecit:seu negata libertate, cui pretium pepigerat:siue amore exoleti infensus,& dominum æmulum non tolerans. Ceterùm cùm vetere ex more familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitauerat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis,quæ tot innoxios protegebat,vsque ad seditionem ventum est:senatúsque, in quo ipso erant studia nimiam seueritatẽ aspernantiũ, pluribus nihil mutandum censentibus. Ex quibus C C. Cassius sententiæ loco in hunc modum disseruit. *Sæpenumero P. C. in hoc ordine interfui, cùm contra instituta & leges maiorum noua senatus decreta postularentur:neque sum aduersatus. non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim prouisum, & quæ conuerterentur in deterius mutari: sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. Simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, vt maneret integrum* D *si quando Respublica consiliis eguisset. quod hodie euenit,consulari viro domi sua interfecto, per insidias seruiles,quas nemo prohibuit,aut prodidit, quamuis nondum concusso senatusconsulto, quod supplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impunitatem. At quem dignitas sua defendet,cùm præfectura vrbis non profuerit? Quem numerus seruorum tuebitur, cùm Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familiâ opem feret, quæ ne in* E *metu quidem pericula nostra aduertit? An, vt quidam fingere non erubescunt, iniurias suas vltus est interfector? quia de paterna pecunia transegerat, aut auitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus vltrò, dominum iure cæsum videri. Libet argumenta conquirere in eo, quod sapientiorib. deliberatũ est. Sed & si nunc primum statuendum haberemus, creditisne seruum interficiendi domini animum sumpsisse, vt non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? Sanè consilium occuluit, te*F*lum inter ignaros parauit. num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret,omnibus nesciis? Multa sceleris indicia præueniunt serui. Si prodant,possumus singuli inter plures,tuti inter anxios:postremò si pereundum sit, non inulti inter nocentes, agere. Suspecta maioribus nostris fuere ingenia seruorum, etiam cùm in agris aut domibus iisdem nascerentur, caritatémque dominorum statim acciperent. Postquam verò nationes in familiis habemus,quibus diuersi ritus,externa sacra, aut nulla sunt, colluuiem istam non nisi metu coerceueris. At quidam insontes peribunt. Num & ex*G*fuso exercitu, cùm decimus quisque fusti feritur, etiam strenui non sortiuntur? Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum,quod contra singulos, vtilitate publica rependitur.* Sententiæ Cassij,vt nemo vnus contraire ausus est,ita dissonæ voces respondebant,numerum,aut ætatem,aut sexum, ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. Pręualuit tamen pars quę supplicium decernebat. Sed obtẽperari nõ poterat,conglobata multitudine,

ne,saxa ac faces minitante. Tum Cæsar populum edicto increpuit:atque omne iter quo damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præsidiis sepsit. Censuerat Cingonius Varro, vt liberti quoque qui sub eodem tecto fuissent, Italiâ deportarentur. Id à principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per sæuitiam intenderetur. Damnatus iisdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo Statilium Taurum proconsulem ipsius meminerant. Census per Gallias à Q. Volusio,& Sex. Africano, Trebellióque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Trebellium dum vterque dedignatur, supra tulêre. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantiâ, famâ, in quantum præumbrante imperatoris fastigio datur, clarus, adeò vt Nero æger valetudine,& adulantibus circùm qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium Rempublicam. Rogantibus dehinc in quo potissimum addiderit, in Memmio Regulo. Vixit tamen post hæc Regulus;quiete defensus,& quia noua generis claritudine,neq; inuidiosis opibus erat. Gymnasium eo anno dedicatum à Nerone; præbitúmque oleũ equiti ac senatui Græca facilitate. P. Mario, L. Asinio consulibus, Antistius prætor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memoraui, probrosa aduersus principem carmina factitauit: vulgauítque celebri conuiuio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exin à Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperat, maiestatis delatus est. Tum primùm reuocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antistio, quàm imperatori gloriam quæsiuit; vt condemnatus à senatu, intercessione tribunicia morti eximeretur. Et cùm Ostorius nihil audiuisse pro testimonio dixisset, aduersis testibus creditum. Censuitque Iunius Marullus consul designatus, adimendam reo præturam, necandumque more maiorum. Ceteris inde assentientibus, Pętus Thrasea multo cum honore Cęsaris,&acerrimè increpito Antistio, *Non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe,& nullâ necessitate obstricto senatu, statuendum disseruit. carnificem & laqueum pridem abolita: & esse pœnas legibus constitutas, quibus sine iudicum sæuitiâ & temporum infamiâ, supplicia decernerentur. Quin in insulâ publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo priuatim miserior, & publicè clementiæ maximum exemplum futurum.* Libertas Thrascæ seruitium aliorum rupit. Et postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere, paucis exceptis: in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque iurgio lacessens, & respondenti reticēs, vt pauida ingenia solent. At consules perficere senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari. Ille inter pudorem & iram cunctatus, postremò rescripsit, *nullâ iniuriâ prouocatum Antistium grauissimas in principem contumelias dixisse. earum vltionem à patribus postulatam. Et pro magnitudine delicti pœnam statui par fuisse. ceterùm se qui seueritatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere. statuerent vt vellent. datam etiam absoluendi licentiam.* His atque talibus recitatis, & offensione manifestâ, nō ideò aut consules mutauere relationem, aut Thrasea decessit sententiâ, ceterive, quæ probauerant deseruere: pars ne principē obiecisse inuidiæ videretur, plures numero tuti, Thrasea sueta firmitudine animi, & ne gloria intercideret. Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, quòd multa & probrosa in patres & sacerdotes composuisset, iis libris quibus nomē Codicillorũ dederat. Adiiciebat Talius Geminus accusator, vēditata ab eo munera principis & adipiscendorum honorum ius. quæ caussa Neroni fuit suscipiendi iudicij. Conuictúmque Veientonem Italia depulit, & libros exuri iussit, conquisitos lectitatósque donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi, obliuionem attulit. Sed grauescentibus in dies publicis malis, subsidia minuebantur. Concessitque vita Burrhus, incertũ valetudine an veneno. Valetudo ex eo coniectabatur, quòd in se tumescentibus paulatim faucibus, & impedito meatu, spiritum finiebat. Plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, illitum palatum eius noxio medicamine asseuerabāt: & Burrhum intellecto scelere, cùm ad visendum eum princeps venisset, aspectum eius auersatum, sciscitantique hactenus respondisse, *Ego me bene habeo.* Ciuitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis, & successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrātissima flagiria & adulteria. quippe Cæsar duos prætoriis cohortibus imposuerat: Fenium Rufum ex vulgi fauore, quia rem frumentariam sine questu tractabat: Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere. Validior Tigellinus in animo principis, ex intimis libidinibus assumptus. Prosperâ populi & militum fama Rufus, quod apud Neronē aduersum experiebatur. Mors Burrhi infregit Senecæ potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto,& Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, *tamquam ingentes & priuatum modum euectas opes adhuc augeret, quódq; studia ciuium in se verteret, hortorũ quoque amœnitate & villarum magnificētiâ quasi principem supergrederetur. Obiiciebant etiam eloquētiæ laudem vni sibi asciscere, & carmina crebrius factitare, postquàm Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis principis palàm iniquũ, detrectare vim eius equos regentis, illudere voces quotiens caneret. Quem ad finem nihil in Rep. clarum fore, quod nō ab illo reperiri credatur? Certè finitam Neronis pueritiam, & robur iuuentæ adesse. exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus, maioribus suis.* At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis quibus aliqua honesti cura, & familiaritatem eius magis aspernante Cæsare, tempus sermoni orat:& accepto, ita incipit. *Quartusdecimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum, octauus vt imperium obtines. Medio temporis tantum honorum atque opũ in me cumulasti, vt nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio eius. Vtar magnis exēplis, nec mea fortuna, sed tua. Atauus tuus Augustus, M. Agrippæ Mitylenense secretũ; C. Mæcenati vrbe in ipsâ, velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorũ socius, alter Romæ pluribus laboribus iactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui quàm studia, vt sic dixerim, in vmbrâ educata? e quibus claritudo venit, quòd iuuentæ tuæ rudimentis affuisse videor: grande huius rei pretium. at tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeò*

vt plerumque intra me ipsum voluam: Egóne equestri & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror? Inter nobiles & longa decora preferentes, nouitas mea enituit: Vbi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit & per hec suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat? Vna defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed vterq; mensuram impleuimus, & tu quantum princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à principe accipere. Cetera inuidiam augent. que quidem, vt omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet: sed mihi incumbit. mihi subueniendum est. quo modo in militiâ aut viâ fessus adminiculum orarem: ita in hoc itinere vite, senex, & leuissimis quoque curis impar, cùm opes meas vltrà sustinere non possim, presidium peto. Iube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum cure seponitur, in animum reuocabo. Superest tibi robur, & tot per annos nixum fastigij regimen, possumus seniores amici, quiete respondere. Hoc quoque in tuam gloriâ cedet, eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent. Ad quæ Nero sic fermè respondit. *Quod meditate orationi tue statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantùm preuisa, sed subita expedire docuisti. Auus meus Augustus Agrippe & Mecenati vsurpare otium post labores concessit; sed in eâ ipsâ etate, cuius auctoritas tueretur, quidquid illud & qualecumque tribuisset. attamen neutrum datis à se premiis exuit. Bello & periculis meruerant. In his enim iuuenta Augusti versata est. Nec mihi tela & manus tua defuissent, in armis agenti. Sed quod presens conditio poscebat, ratione, cōsilio, preceptis pueritiam, dein iuuentam meam fouisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, eterna erunt. Que à me habes, horti, & fenus, & villa, casibus obnoxia sunt, ac licet multa videantur, pleriq; haud quaquam artibus tuis pares, plura tenuerūt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Vnde etiā rubori mihi est, quod precipuus caritate, nondum omnes fortunâ antecellis. Verum & tibi valida etas, rebúsque & fructibus rerum sufficiēs, & nos prima imperij spatia ingredimur: nisi fortè aut te Vitellio ter consuli, aut me Claudio preponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quesiuit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin si quâ in parte lubricum adolescentie nostre declinat, reuocas, ornatúmque robur subsidio impensiùs regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem; sed mea auaritia, mee crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quòd si maximè continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, vnde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere.* His adiicit complexum & oscula, factus natura & consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Seneca (qui finis omnium cum donante sermonum) grates agit: sed instituta prioris potētiæ commutat: prohibet cœtus salutantium: vitat comitātes: rarus per vrbem, quasi valetudine infensa, aut sapientiæ studiis, domi attineretur. Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, Agrippinæ amicitiam in eo criminantibus. Validiórque in dies Tigellinus, & malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus si principem societate scelerum obstringeret, metus eius rimatur. Compertóq; Plautum & Syllam maximè timeri, Plautum in Asiam,

A Syllam in Galliam Narbonensem nuper amotos: nobilitatem eorum, & propinquos huic Orientis, illi Germaniæ exercitus commemorat. *Non se, vt Burrhum, diuersas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare, cui caueri vtcumque ab vrbanis insidiis presentia; longinquos motus quónam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen dictatoriū, nec minus suspectos Asie populos, claritudine aui Drusi, Syllam inopem. vnde precipuam audaciam. &*
B *simulatorē segnitie, dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinē otij, sed veterum Romanorum imitamenta preferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia, sectáq; que turbidos, & negotiorum appetentes faciat.* Nec vltra mora. Sylla sexto die peruectis Massiliam percussoribus, ante metum & rumorē interficitur, cùm epulandi caussâ discumberet. Relatum caput eius illusit Nero, tamquam præmatura canitie deforme. Plauto parari necem, non perinde occultum
C fuit, quia pluribus salus eius curabatur, & spatium itineris ac maris tempúsque interiectum mouerat famam: vulgóq; fingebant, petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus præsidentem, si clari atque insontes interficerētur, præcipuum ad pericula. quin & Asiam fauore iuuenis arma cœpisse, nec milites ad scelus missos, aut numero validos, aut animo promptos, postquam iussa efficere nequiuerint, ad spes nouas trāsisse vnà. Hæc more famæ, credentium otio augebantur. Ceterùm
D libertus Plauti celeritate ventorum præuēnit cēturionem, & mandata L. Antistij soceri attulit: *effugeret segnem mortem, otium, suffugium, & magni nominis miserationem. reperturum bonos, consociaturum audaces. nullum interim subsidium aspernādum si sexaginta milites (tot enim adueniebant) propulisset; dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura: que ad vsque bellum eualescerent. denique aut salutem tali consilio queri, aut nihil grauius audenti quàm ignauo patiendum esse.*
E Sed Plautum ea non mouêre. siue nullam opem prouidebat inermis atque exsul, seu tædio ambiguæ spei, an amore coniugis & liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur, nulla sollicitudine turbatum. Sunt qui alios à socero nuntios venisse ferant, tamquam nihil atrox immineret, doctorésque sapientiæ Cœranum Græci, Musonium Thusci generis, constantiam opperiendæ mortis, pro incerta & trepida vita suasisse. Repertus est certè per medium diei nudus, exercitando
F corpori. Talem eum centurio trucidauit, coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni & manipulo quasi satellitibus ministrum regium præposuerat. Caput interfecti relatum. cuius aspectu, ipsa principis verba referam: *Quin*, inquit, *Nero deposito metu nuptias Poppee ob eiusmodi terrores dilatas maturare parat, Octauiámque coniugem amoliri, quamuis modestè agat, & nomine patris, & studiis populi grauem?* Sed ad senatum litteras mi-
G sit, de cæde Syllæ Plautique haud cōfessus. verùm vtriusque turbidum ingenium esse, & sibi incolumitatem Reip. magna cura haberi. Decretæ eo nomine supplicationes, vtque Sylla & Plautus senatu mouerentur, grauioribus tamē ludibriis quàm malis. Igitur accepto patrum consulto, postquàm cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octauiam, sterilem dictitans. Exin Poppææ coniungitur. Ea diu pellex, & adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octauiæ impulit, seruilem ei amorem obiicere.

... destinatúrq; reus cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. Actæ ob id de ancillis quæstiones, & vi tormentorum victis quibusdam, vt falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominæ tueri. Ex quibus vna instanti Tigellino, castiora esse muliebria Octauiæ respondit, quàm os eius. Mouetur tamen primo ciuilis dissidij specie, domúmque Burrhi, & prædia Plauti, infausta dona accipit. Mox in Campaniam pulsa est, addita militari custodiâ. Inde B crebri questus, nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, & ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula sunt. His, haud quaquam Nero pœnitentiâ flagitij, coniugem reuocauit Octauiam. Exin læti Capitolium scandunt, deósque tandem venerantur. Effigies Poppææ proruunt, Octauiæ imagines gestant humeris, spargunt floribus, foróque ac templis statuunt. Itur etiam in principis laudes, repetitum venerantium. Iamq; & palatium multitudine & clamoribus complebant, cum emissi C militum globi verberibus & intento ferro turbatos disiecêre. Mutatáq; quæ per seditionem verterant, & Poppææ honos repositus est. Quæ semper odio, tum & metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur, prouoluta genibus eius: *Non eo loci res suas agi, vt de matrimonio certet (quanquam id sibi vita potius) sed vitam ipsam in extremum adductam à clientelis & seruitiis Octauiæ, quæ plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausis quæ vix bello euenirent. Arma illa aduersus principem sumpta. ducem tantùm* D *defuisse, qui motis rebus facilè reperiretur. Omitteret modo Campaniam & in vrbem ipsam pergeret, ad cuius nutum absentis tumultus cierentur. Quod alioquin suum delictum? quam cuiusquam offensionem? An quia veram progeniem penatibus Cæsarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Aegyptij sobolem imperatorio fastigio induci? Denique si id rebus conducat, libens quàm coactus acciret dominam, vel consuleret securitati iustâ vltione. Et* E *modicis remediis, primos motus consedisse. at si desperent vxorem Neronis fore Octauiam, illi maritum daturos.* Varius sermo, & ad metum atq; iram accommodatus, terruit simul audientem & accendit. Sed parum valebat suspicio in seruo, & quæstionib. ancillarum elusa erat. Ergo confessionem alicuius quæri placet, cui rerum quoque nouarũ crimen affingeretur. Et visus idoneus maternæ necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, vt memoraui, præfectus, leui post admissum scelus F gratiâ, dein grauiore odio: quia grauiorum facinorũ ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. Igitur accitum eũ Cæsar operæ prioris admonet. Solum incolumitati principis aduersus insidiantem matrem subuenisse: locum haud minoris gratiæ instare, si coniugem infensam depelleret. Nec manu A aut telo opus. Fateretur Octauiæ adulterium. Occulta quidem ad præsens, sed magna ei præmia, & secessus amœnos promittit: vel si negauisset, necem intentat. Illic insita vecordia, & facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quàm iussum erat, fingit, fatetúrque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps. Tum in Sardiniam pellitur, vbi non inops exilium tolerauit, & fato obiit. At Nero præfectum in spem sociandæ classis B corruptum, & incusatæ paulo antè sterilitatis oblitus, abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta, edicto memorat. Insuláq; Pandatariâ Octauiam claudit. Non alia exsul visentium oculos maiore misericordiâ affecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinę à Tiberio, recentior Iuliæ memoria obuersabatur à Claudio pulsæ. Sed illis robur ætatis affuerat. Læta aliqua viderant, & præsentem sæuitiam melioris olim fortunæ recordatione leuabant. Huic primus nuptiarum dies C loco funeris fuit, deductæ in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre, & statim fratre. Tum ancilla dominâ validior. Et Poppæa non nisi in perniciem vxoris nupta. Postremò crimen omni exitio grauius. Ac puella vicesimo ætatis anno, inter centuriones & milites, præsagio malorum iam à vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus, mori iubetur: cùm iam viduam se & tantùm sororem testaretur, communéq; Ger- D manici, & postremò Agrippinę nomen cieret, quo incolumi infelix quidem matrimonium, sed sine exitio pertulisset. Restringitur vinculis, venæque eius per omnes artus exsoluuntur: & quia pressus pauore sanguis tardiùs labebatur, præferuidi balnei vapore enecatur. Additúrque atrocior sæuitia, quòd caput amputatũ latúmq; in vrbem Poppæa vidit. Dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memorauimus, vt quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscet, E præsumptum habeant, quotiens fugas & cædes iussit princeps, totiens grates deis actas, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus, si quod senatusconsultum, adulatione nouum, aut patientia postremum fuit. Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditum est, Doryphorum quasi aduersatum nuptiis Poppææ, Pallantem quòd immensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusauerat Senecam vt C. Pisonis socium, sed validiùs à Seneca eodem crimine perculsus est. Vnde Pisoni timor & orta insidiarum in Neronem magna moles, sed improspera.

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER XV.

INTEREA Rex Parthorum Vologeses, cognitis Corbulonis rebus regémq; alienigenam Tigranem Armeniæ impositum: simul, fratre Tiridate pulso, spretum Arsacidarũ fastigium ire vltum volens, magnitudine rursum Romanâ, & continui fœderis reuerentiâ, diuersas ad curas trahebatur: cunctator ingenio, & defectione Hyrcanorum gentis validæ, multisq; ex eo bellis illigatus. Atq; illum ambiguum nouus insuper nuntius contumeliæ exstimulat: quippe egressus Armeniâ Tigranes, Adiabenos cõterminã nationem latiùs ac diutiùs quàm per latrocinia vastauerat. Idq; primores gentium ægrè tolerabant, *eò contemptionis descensum, vt ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis, tot per annos inter mancipia habiti.* Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, *quod præsidium, aut vnde peteret,* rogitans. *Iam de Armeniâ concessum, proxima trahi, & nisi defendant Parthi, leuius seruitium apud Romanos deditis, quàm captis esse.* Tiridates quoque regni profugus, per silentiũ haud modicè querendo, grauior erat. *Non enim ignauiâ magna imperia contineri: virorũ armorũmq; faciẽdũ certamen. Id in summâ fortunâ æquius, quod validius. Et sua retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regiam laudem esse.* Igitur commotus his Vologeses concilium vocat, & proximum sibi Tiridatem constituit, atque ita orditur. *Hunc ego eodem mecum patre genitum, cùm mihi per ætatem summo nomine concessisset, in possessionem Armeniæ deduxi, qui tertius potentiæ gradus habetur. Nam Medos Pacorus anteceperat. videbárque contra vetera fratrum odia & certamina, familiæ nostræ penates ritè composuisse. prohibent Romani, & pacem ipsis nunquã prosperè lacessitam, nunc quoque in exitium suum abrumpunt. Non ibo infitias, æquitate quàm sanguine, caussa quàm armis retinere parta maioribus malueram. si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Vestra quidem vis & gloria in integro est, addita modestiæ fama. quæ neque summis mortalium spernenda est, & à dijs æstimatur.* Simul diademate caput Tiridatis cinxit, promptam equitum manum, quæ regem ex more sectabatur, Monesi nobili viro tradidit, adiectis Adiabenorum auxiliis. mandauitque Tigranem Armeniâ exturbari, dum ipse positis aduersus Hyrcanos discordiis, vires intimas, molémque belli ciet, prouinciis Romanis minitans. Quæ vbi Corbuloni certis nuntiis audita sunt: legiones duas cum Verulano Seuero, & Vectio Bolano, subsidium Tigrani mittit, occulto præcepto, compositiùs cuncta, quàm festinantiùs agerent. quippe bellum habere, quàm gerere malebat. Scripseratque Cæsari, proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine esse. Atque interim reliquas legiones pro ripâ Euphratis locat: tumultuariam prouincialium manum armat: hostiles ingressus præsidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio est, castella fontibus imposita: quosdam riuos congestu arenæ abdidit. Ea dum à Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine Moneses vt famam sui præiret, non ideo nescium aut incautum Tigranem offendit: qui occupauerat Tigranocerta, vrbem copiâ defensorum & magnitudine mœnium validam. Ad hæc Nicephorius amnis haud spernendâ latitudine partem murorum ambit. & ducta ingens fossa, quà fluuio diffidebatur. Inerantque milites, & prouisi antè commeatus. quorum subuectu pauci auidiùs progressi, & repentinis hostibus circumuenti, ira magis quàm metu ceteros accenderant. Sed Partho ad exequẽdas obsidiones nulla comminus audacia: raris sagittis, neque clausos exterret, & semet frustratur. Adiabeni cùm promouere scalas & machinamenta inciperent, facilè detrusi, mox erumpentibus nostris cæduntur. Corbulo tamen, quamuis secundis rebus suis, moderandum fortunæ ratus, misit ad Vologesem, qui expostularent vim prouinciæ illatam. socium amicúmque regem cohortes Romanas circumsidere; omitteret potiùs obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem delectus, apud oppidum Nisibin septem & triginta millibus passuum Tigranocerta distantem adit regem; & mandata ferociter edidit. Vologesi vetus & penitus infixum erat, arma Romana vitandi: nec præsentia prosperè fluebant. irritum obsidium, tutus manu & copiis Tigranes, fugati qui expugnationem sumpserant, missæ in Armeniam legiones, & aliæ pro Syria paratæ vltrò irrumpere. sibi imbecillum equitem pabuli inopia. nam exorta vis locustarũ ambederat, quidquid herbidum aut frondosum. Igitur metu abstruso mitiora obtendens, missurum ad imperatorem Romanum legatos super petenda Armenia & firmanda pace respondet. Monesen omittere Tigranocerta iubet, ipse retrò concedit. Hæc plures vt formidine regis, & Corbulonis minis patrata & magnifica extollebãt. Alij occulte pepigisse interpretabãtur; vt omisso vtrimq; bello & abeũte Vologese, Tigranes quoq; Armenia abscederet. *Cur enim exercitum Romanum à Tigranocertis deductũ? cur deserta per otiũ, quæ bello defenderat? An melius hibernauisse in extremâ Cappadociâ, raptim erectis tuguriis, quàm in sede regni modò retẽti? Dilata prorsus arma, vt Vologeses cũ alio quàm cũ Corbulone certaret: Corbulo meritæ tot per annos gloriæ, nõ vltrà periculũ faceret.* Nã, vt retuli, pro-

prium

prium ducē tuendæ Armeniæ popoſcerat, & aduētare Ceſennius Pætus audiebatur: iámque aderat, copiis ita diuiſis, vt quarta & duodecima legiones addita quinta quæ recens è Mœſis excita erat, ſimul Pontica, & Galatarum Cappadocúmque auxilia Pæto obedirent: tertia & ſexta & decima legiones, priórque Syriæ miles apud Corbulonem manerent. Cetera ex rerum vſu ſociarent, partirentúrve. Sed neque Corbulo æmuli patiens, & Pætus cui ſatis ad gloriam erat ſi proximus haberetur, deſpiciebat geſta, nihil cædis aut prædæ, vſurpatas nomine tenus vrbium expugnationes dictitans. Se tributa ac leges, & pro vmbra regis, Romanum ius victis impoſiturum. Sub idem tempus legati Vologeſis, quos ad principem miſſos memoraui, reuertêre irriti: bellúmque propalam ſumptum à Parthis. nec Pætus detrectant, ſed duabus legionibus, quarum quartam Funiſulanus Vettonianus eo in tempore, duodecimam Caluiſius Sabinus regebant, Armeniam intrat, triſti omine. Nam in tranſgreſſu Euphratis, quem ponte tranſmittebat, nulla palam cauſſa, turbatus equus qui conſularia inſignia geſtabat, retro euaſit. Hoſtiáque quæ muniebantur hibernaculis aſſiſtens, ſemifacta opera fuga perrupit, ſéque vallo extulit. & pila militum arſere, magis inſigni prodigio, quia Parthus hoſtis miſſilibus telis decertat. Ceterùm Pætus ſpretis ominibus, nec dum ſatis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ prouiſu, rapit exercitum trans montem Taurum, reciperandis, vt ferebat, Tigranocertis, vaſtandiſque regionibus, quas Corbulo integras omiſiſſet. Et capta quædam caſtella, gloriæque & prædæ nonnihil partum, ſi aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura habuiſſet. Longinquis itineribus percurſando quæ obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, & inſtante iam hieme, reduxit exercitum. compoſuítque ad Cæſarem literas, quaſi confecto bello, verbis magnificas, rerum vacuas. Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præſidiis inſedit. & ne ponti iniiciendo impedimentum hoſtiles turmæ afferrent, (iam enim ſubiectis campis, magna ſpecie volitabant) naues magnitudine præſtantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapúltiſque & baliſtis proturbat Barbaros. in quos ſaxa & haſtæ longiùs permeabant, quàm vt contrario ſagittarum iactu adæquarentur. Dein pons continuatus, colléſque aduerſi per ſocias cohortes, poſt legionum caſtris occupantur, tanta celeritate & oſtentatione virium, vt Parthi omiſſo paratu inuadendæ Syriæ, ſpem omnem in Armeniam verterent. Ibi Pætus imminentium neſcius, quintam legionem procul in Ponto habebat. Reliquas promiſcuis militum commeatibus infirmauerat: donec aduentare Vologeſem magno & infenſo agmine auditum. Accitur legio duodecima & vnde famam aucti exercitus ſperat, prodita infrequentia: qua tamen retineri caſtra, & eludi Parthus tractu belli poterat, ſi Pæto aut in ſuis, aut in alienis conſiliis conſtantia fuiſſet. Verùm vbi a viris militaribus aduerſus vrgentes caſus firmatus erat, ruſus ne alienæ ſententiæ indigens videretur, in diuerſa ac deteriora tranſibat. Et tunc relictis hibernis, non foſſam neque vallum ſibi, ſed corpora & arma in hoſtem data clamitans, duxit legiones quaſi prœlio certaturus.

A Deinde amiſſo centurione & paucis militibus quos viſendis hoſtium copiis præmiſerat, trepidus remeauit. Et quia minus acriter Vologeſes inſtiterat, vana ruſus fiducia, tria millia delecti peditis proximo Tauri iugo impoſuit, quò tranſitum regis arcerent. Alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. Coniunx ac filius caſtello, cui Arſamoſata nomen eſt, abditi, data in præſidium cohorte, ac diſperſo mi-B lite, qui in vno habitus, vagum hoſtem promptiùs ſuſtentauiſſet: & ægrè compulſum ferunt, vt inſtantem Corbuloni fateretur. Nec à Corbulone properatum, quò gliſcentibus periculis etiam ſubſidij laus augeretur. Expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum è cohortibus iuſſit. At Vologeſes quamuis obſeſſa à Pæto itinera hinc peditatu, inde equite accepiſſet, ni-C hil mutato conſilio, ſed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtriuit, vno tantùm centurione Tarquitio Creſcente turrim in qua præſidium agitabat, defendere auſo: facta ſæpiùs eruptione, & cæſis qui Barbarorum propius ſuggrediebantur, donec ignium iactu circumueniretur. peditum ſi quis integer, longinqua & auia: vulnerati, caſtra repetiuere: virtutem regis, ſæuitiam & copias gentium, cuncta metu extollentes: facili credulitate eorum qui eadem pauebant. Ne D dux quidem obniti aduerſis, ſed cuncta militiæ munia deſeruerat, miſſis iterum ad Corbulonem precibus, veniret properè, ſigna & aquilas, & nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: ſe fidem interim donec vita ſuppeditet, retenturos. Ille interritus, & parte copiarum apud Syriam relicta, vt munimenta Euphrati impoſita retinerentur, quà proximum & commeatibus non egenum, regionem Comagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petiuit. Comita-E bátur exercitum, præter alia ſueta bello, magna vis camelorum onuſta frumento, vt ſimul hoſtem faméinque depelleret. Primum è perculſis Pactium primipili centurionem obuium habuit, dein pleroſque militum: quos diuerſas fugæ cauſſas obtendentes, redire ad ſigna, & clementiam Pæti experiri monebat. Se niſi victoribus immitem eſſe. Simul ſuas legiones adire, hortari, priorum admonere, nouam gloriam oſtendere. *Non vicos aut oppida Armeniorum, ſed caſtra Romana* F *duáſque in iis legiones pretium laboris peti. Si ſingulis manipularibus præcipua ſeruati ciuis corona, imperatoria manu tribueretur, quod illud & quantum decus, vbi par eorum numerus adſpiceretur, qui attuliſſent ſalutem, & qui accepiſſent?* His atque talibus in commune alacres, (& erant quos pericula fratrum, aut propinquorum propriis ſtimulis incenderent) continuum diu noctúque iter properabant. Eóque intentiùs Vologeſes premere obſeſſos, modò vallum legionum, modò G caſtellum, quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare, propiùs incedens quàm mos Parthis, ſi ea temeritate hoſtem in prœlium eliceret. At illi vix contuberniis extracti, nec aliud quàm munimenta propugnabant: pars iuſſu ducis, & alij propria ignauia, vt Corbulonem opperientes, ac ſi vis ingrueret, prouiſis exemplis Caudinæ ac Numantinæ cladis. Neque eandem vim Samnitibus Italico Populo, aut pœnis Romani imperij æmulis. Validam quoque & laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret,

saluti consuluisse. Qua desperatione exercitus dux subactus, primas tamen litteras ad Vologesen, non supplices, sed in modum querentis composuit, *Quod pro Armeniis semper Romanæ ditionis, aut subiectis regi quem imperator delegisset, hostilia faceret. Pacem ex æquo vtilem. Nec præsentia tantum spectaret. Ipsum aduersus duas legiones, totis regni viribus aduenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuuarent.* Ad ea Vologeses, nihil pro caussa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridatem rescripsit. Illum locum tempúsque consilio destinatum quid de Armenia cernerent. Adiecisse deos dignum Arsacidarum, simul & de legionibus Romanis statuerent. Missi post à Pæto nuntij, & regis colloquium petitum, qui Vasacem præfectum equitatus tetendit. Tum Pætus, Lucullos, Pompeios, & si qui duces obtinendæ donandæve Armeniæ egerant: Vasaces imaginem retinendi donandive penes nos, nam penes Parthos memorat. Et multum inuicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis quæ pepigissent, adhibetur. Placuitque liberari obsidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum, castelláque & commeatus Parthis tradi. Quibus perpetratis copia Vologesi fieret, mittendi ad Neronem legatos. Interim flumini Arsaniæ (etenim is castra præfluebat) pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis. Sed Parthi quasi documentum victoriæ iusserant: namque iis vsui fuit. Nostri per diuersum iere. Addidit rumor, sub iugum missas legiones, & alia ex rebus infaustis: quorum simulacrum ab Armeniis vsurpatum est. Namque & munimenta ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, & circumstetere vias, captiua olim mancipia, aut iumenta agnoscentes, abstrahentésque. Raptæ etiam vestes, retenta arma, pauido milite & concedente, ne qua prœlij caussa exsisteret. Vologeses armis & corporibus cæsorum aggregatis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit. Fama moderationis quærebatur, postquam superbiam expleuerat. Flumen Arsaniam elephanto insidens, & proximus quisque regi vi equorum perrupere, quia rumor incesserat, pontem cessurum oneri, dolo fabricantium. Sed qui ingredi ausi sunt, validum & fidum intellexere. Ceterùm obsessis adeò suppeditauisse rem frumentariam constitit, vt horreis ignem iniicerent: contráque prodiderit Corbulo, Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere abfuisse. Adiecit, iureiurando Pæti cautum apud signa, astantibus iis, quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur literæ Neronis, an paci annueret. Quæ vt augendæ infamiæ composita, sic reliqua non in obscuro habentur: vna die quadraginta millium spatium emensum esse Pætum, desertis passim sauciis; neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quàm si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obuius, non eam speciem insignium & armorum prætulit, vt diuersitatem exprobraret. Mæsti manipuli, ac vicem commilitonum miserantes, ne lacrymis quidem temperauere. Vix præ fletu vsurpata consalutatio. Decesserat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus, sola misericordia valebat, & apud minores magis. Ducum inter se breuis sermo secutus est, hoc conquerentium: irritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri. Ille integra vtrique cuncta respondit conuerterent aquilas, & iuncti inuaderent Armeniam, abscessu Vologesis infirmatam. *Non ea imperatoris habere mandata, Corbulo: periculo legionum commotum, è prouincia egressum: Quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam fortunam orandam, vt pedes confectus spatiis itinerum, alacrem & facilitate camporum prænenientem equitem assequeretur.* Exin Pætus per Cappadociam hibernauit. At Vologesis ad Corbulonem missi nuntij, detraheret castella trans Euphratem, amnémque vt olim medium faceret. Ille, Armeniam quoque diuersis præsidiis vacuam fieri expostulabat. Et postremò concessit rex. Dirutáque quæ vltra Euphratem communierat Corbulo, & Armenij suo arbitrio relicti sunt. At Romæ trophæa de Parthis arcúsq; medio Capitolini montis sistebantur: decreta ab senatu integro adhuc bello, neque tum omissa, dum aspectui consulitur, spreta cõscientia. Quin & dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum, in Tiberim iecit, quo securitatem annonæ sustentaret: cuius pretio, nihil additum est, quamuis ducentas fermè naues portu in ipso, violentia tempestatis, & centum alias Tiberi subuectas, fortuitus ignis absumpsisset. Tris dein consulares, L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paullinum vectigalibus publicis præposuit, cum insectatione priorum principum, qui grauitate sumptuum iustos reditus anteissent, se annuum sexcenties sestertium Reipub. largiri. Percrebuerat ea tempestate prauissimus mos, cùm propinquis comitiis, aut sorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, præturásque & prouincias inter patres sortiti, statim emitterent manu quos adoptauerant. Qui magna cum inuidia senatum adeunt, ius naturæ labores educandi, aduersus fraudem & artes & breuitatem adoptionis enumerant. *Satis pretij esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obuia haberent. Sibi promissa legum diu exspectata, in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret.* Factum ex eo senatusconsultum, ne simulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne vsurpandis quidem hereditatibus prodesset. Exin Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris criminibus vt solent prævalidi prouincialium, & opibus nimiis ad iniurias minorum elati: vna vox eius vsque ad contumeliam senatus penetrauerat, quod dictitasset, in sua potestate situm, an proconsulibus qui Cretam obtinuissent, grates agerentur. Quam occasionem Pætus Thrasea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat, prouincia Creta depellendum, hæc addidit. *Vsu probatum est P.C. leges egregias, exempla honesta, apud bonos, ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem, candidatorum ambitus, Iulias leges, magistratuum auaritia, Calpurnia scita pepererunt. Nã culpa quàm pœna tẽpore prior, emẽdari quàm peccare posterius est. Ergo aduersus nouã prouincialiũ superbiã dignã fide cõstantiáq; Romana capiamus consilium, quo tutela sociorũ nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi, quã in ciuium iudicio esse. Olim quidem non modò*

prætor

prætor aut consul, sed priuati etiam mittebantur, qui prouincias viserent, & quid de cuiusque obsequio videretur, referrent. trepidabántque gentes de æstimatione singulorum. At nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicuius grates, ita propiùs accusatio decernitur. Decernatúrq; & maneat prouincialibus potentiam suam tali modo ostentādi. Sed laus falsa & precibus expressa, perinde cohibeātur, quàm malitia, quàm crudelitas. Plura sæpè peccantur, dū demeremur, quàm dū offēdimus. Quædam imò virtutes odio sunt, seueritas obstinata, inuictus aduersū gratiā animus. Inde initia magistratuū nostrorum meliora fermè, & finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus. quæ si arceantur, æqualius atq; constantius prouinciæ regētur. nam vt metu repetundarum infracta auaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibetur. Magno assensu celebrata sententia. Non tamen senatuscōsultum perfici potuit, abnuentibus consulibus ea de re relatū. Mox auctore principe sanxere, ne quis ad concilium sociorū referret, agendas apud senatum proprætoribus próveconsulibus grates, neu quis ea legione fungeretur. Iisdē consulibus gymnasium ictu fulminis conflagrauit, effigiésq; in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campaniæ opidū Pompeij, magna ex parte proruit. Defunctáq; virgo Vestalis Lælia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est. Memmio Regulo, & Verginio Rufo Coss. natam sibi ex Poppæa filiam Nero vltra mortale gaudiū accepit appellauitq; Augustam, dato & Poppææ eodē cognomento. Locus puerperio colonia Antiū fuit vbi ipse generatus erat. Iam senatus vterū Poppęæ cōmendauerat diis, votáq; publicè susceperat. quæ multiplicata, exsolutáque. Et additæ supplicationes, templúmque Fecunditati, & certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum. Vtq; Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Iouis collocarentur. ludicrum Circense, vt Iuliæ genti apud Bouillas, ita Claudiæ Domitiæque apud Antium ederetur. quæ fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursúsque exortæ adulationes, censentium honorem diuæ, & puluinar, ædémque & sacerdotem. Atque ipse vt lætitiæ, ita mæroris immodicus egit. Adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum, immoto animo prænuntiam imminentis cædis contumeliam excepisse. Secutam dehinc vocem Cæsaris ferunt, qua reconciliatum se Thraseæ apud Senecam iactauerit, ac Senecam Cæsari gratulatum. Vnde gloria egregiis viris, & pericula gliscebant. Inter quæ veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologesis, litterásque in eandem formam attulere. *Se priora & toties iactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dij quamuis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. Nuper clausum Tigranem, pòst Pætum legionésque cùm opprimere posset, incolumes dimisisse. Satis approbatam vim, datum & lenitatis experimentum. Nec recusaturum Tiridatem accipiendo diademati in vrbem venire, nisi sacerdotij religione attineretur. Iturū ad signa & effigies principis, vbi legionibus coràm, regnum auspicaretur.* Talibus Vologesis litteris, quia Pætus diuersa tamquam rebus integris scribebat, interrogatus centurio qui cum legatis aduenerat, quo in statu Armenia esset? omnes inde Romanos excessisse respondit. Tum intellecto

A Barbarorum irrisu, qui peterent quod eripuerant, consuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax inhonesta placeret. Nec dubitatum de bello. Et Corbulo tot per annos militum atque hostium gnatus, gerendæ rei præficitur, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, quia Pæti piguerat. Igitur irriti remittuntur, cum donis tamen, vnde spes fieret, non frustra eadem oraturum Tiridatem, si preces ipse attulisset. B Syriæque executio Cintio, copiæ militares Corbuloni permissæ, & quintadecima legio, ducente Mario Celso, è Pannonia adiecta est. Scribitur tetrarchis ac regibus præfectísque & procuratoribus, & qui prætorum finitimas prouincias regebant, iussis Corbulonis obsequi, in tantum fermè modum aucta potestate, quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum Piraticum gesturo dederat. Regressum Pætum cùm grauiora metueret, facetiis insectari satis habuit Cæ- C sar, his fermè verbis: *Ignoscere se statim, ne tam promptus in pauorem longiore solicitudine agresceret.* At Corbulo quarta & duodecima legionibus, quæ fortissimo quoque amisso, & ceteris exterritis, parum habiles prœlio videbantur, in Syriam translatis, sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem & crebris ac prosperis laboribus exercitum in Armeniam ducit. Addidítque legionem quintam, quæ per Pontum agens, ex- D pers cladis fuerat. Simul quintadecimanos recens adductos, & vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto, quódque alarum cohortiúmque, & auxilia regum in vnum conducta apud Melitenen, quà transmittere Euphratem parabat. Tū lustratū ritè exercitum ad concionem vocat, orditúrque magnifica de auspiciis imperatoriis, rebúsque à se gestis, aduersam inscitiam Pæti declinans: multa auctoritate, quæ viro militari pro facundia erat. Mox iter L. Lucullo quondam pene- E tratum, apertis quæ vetustas obsepserat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologesísque de pace legatos haud aspernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non immitibus. *Non enim adhuc eò ventum, vt certamine extremo opus esset. Multa Romanis secunda, quædam Parthis euenisse, documento aduersus superbiam: proinde & Tiridati conducere, intactum vastationibus regnum dono accipere: & Vologesen melius societate Romana, quàm dānis mutuis, genti Parthorum consulturum. Scire* F *quantum intus discordiarum, quámque indomitas & præferoces nationes regeret. Contrà imperatori suo immotam vbique pacem, & vnum id bellum esse.* Simul consilio terrorem adiicere, & Megistanas Armenios qui primi à nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum exscindit, plana, edita, validos, inualidósque pari metu complet. Non infensum, nedum hostili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eóque consilium eius fidum credebant. Ergo Vologeses neque atrox in summam, & quibusdam præfecturis inducias petit. Tiridates locum diémque colloquio G poscit. Tempus propinquum, locus in quo nuper obcessæ cum Pæto legiones erant, cùm à Barbaris delectus esset, ob memoriam lætioris sibi rei, non est à Corbulone vitatus, vt dissimilitudo fortunę gloriam augeret. Neque infamia Pæti augebatur: quod eo maximè patuit: quia filio eius tribuno ducere manipulos, atque operire reliquias malæ pugnæ imperauit. Die pacta Tiberius Alexander illustris eques Romanus mini-

ster bello datus, & Viuianus Annius gener Corbulonis, nondum senatoria ætate, sed pro legato quinctæ legioni impositus, in castra Tiridatis venere, honori eius, ac ne metueret insidias tali pignore. Viceni dehinc equites assumpti. Et viso Corbulone, rex prior equo desiluit: nec cunctatus Corbulo. Sed pedes vterque dextras miscuere. Exin Romanus laudat iuuenem, omissis præcipitibus tuta & salutaria capessentem. Ille de nobilitate generis multum præfatus, cetera temperantes adiungit. Iturum quippe Romam, laturúmque nouum Cæsari decus, non aduersis Parthorum rebus supplicem Arsaciden. Tum placuit Tiridatem ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere. & colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna vtrimque specie, inde eques compositus per turmas, & insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis, signísque, & simulacris deûm in modum templi. Medio tribunal sedem curulem, & sedes effigiem Neronis, sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, cæsis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subiecit. magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obsidio. At nunc versos casus; iturum Tiridatem ostentui gentibus, quanto minus quàm captiuum? Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulásque & rogitante rege caussas, quotiens nouum aliquid aduerterat: vt initia vigiliarum per centurionem nuntiari, conuiuium buccina dimitti, & structam ante Augurale aram subdita face accendi: cuncta in maius extollens, admiratione prisci moris affecit. postero die spatium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres antè, matrémque viseret: obsidem interea filiam tradit, litterásque supplices ad Neronem. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit non incuriosum fratris: quippe & propriis nuntiis à Corbulone petierat, ne quam imaginem seruitij Tiridates perferret, neu ferrum traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur, foribúsve eorum assisteret: tantúsque ei Romæ, quâtus consulibus, honor esset. Scilicet externæ superbiæ sueto, non erat notitia nostri: apud quos ius imperij valet, inania transmittuntur. Eodem anno Cæsar nationes Alpium maritimarum in ius Latij transtulit. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit, apud Circum. Namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum illustrium senatorúmque plures per arenam fœdati sunt. C. Lecanio, M. Licinio C o s s. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuuenalibus ludis, quos vt parum celebres & tantæ voci angustos spernebat. Non tamen Romæ incipere ausus, Neapolim quasi Græcam vrbem delegit. Inde initium fore, vt transgressus in Achaiam insignésque & antiquitùs sacras coronas adeptus, maiore fama studia ciuium eliceret. Ergo contractum opidanorum vulgus, & quos è proximis coloniis & municipiis eius rei fama exciverat, quíque Cæsarem per honorem, aut varios vsus sectantur, etiam militum ma-

A nipuli theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique vt arbitrabantur, triste; vt ipse, prouidum potiùs & secundis numinibus euenit. Nam egresso qui affuerat populo, vacuum & sine vllius noxa theatrum collapsum est. Ergo per compositos cantus grates diis, atque ipsam recentis casus fortunam celebrans, petiturúsque maris Hadriæ traiectus, apud Beneuentum interim consedit: vbi gladiatorium munus à Vatinio celebre
B edebatur. Vatinius inter fœdissima eius aulæ ostenta fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primò in contumelias assumptus, deinde optimi cuiusque criminatione eò vsque valuit, vt gratiâ pecuniâ, vi nocendi etiam malos præmineret. Eius munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem à sceleribus cessabatur. Iisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia super Iuniæ familiæ claritudinem diuum Augustum atauum ferebat.
C Iussi id accusatores obicere, prodigum largitionibus, neque aliam spem quam in nouis rebus esse. quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet, nomina summæ curæ & meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus intercidit, secutáque Neronis oratio ex more: Quamuis sontem & defensioni meritò diffisum, victurum tamen fuisse si clementiam iudicis exspectasset.
D Nec multo pòst omissâ in præsens Achaia (caussæ in incerto fuere) vrbem reuisit, prouincias Orientis, maximè Ægyptum, secretis imaginationib⁹ agitãs. Dein edicto testificatus nõ lõgã sui absentiam, & cuncta in Rep. perinde immota ac prospera fore, super ea profectione adiit capitolium, illic veneratus deos, cùm Vestæ quoque templum inisset, repẽtè cunctos per artus tremẽs seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit incep-
E tum, cunctas sibi curas amore patriæ leuiores dictitans. *Vidisse ciuium mæstos vultus, audire secretas querimonias, quòd tantum aditurus esset iter, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti aduersum fortuita aspectu principis refoueri. Ergo vt in priuatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent, ita populum Romanum vim plurimam habere: parendúmque retinenti.* Hæc atque talia plebi volenti fuere, voluptatum cupidine, & quæ præcipua cura est, rei frumentariæ angustias si
F abesset metuenti. Senatus & primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur. dehinc, quæ natura magnis timoribus, deterius credebant quod euenerat. Ipse quò fidem acquireret, nihil vsquam perinde lætum sibi, publicis locis struere conuiuia, totáque vrbe quasi domo vti. Et celeberrimę luxu famáque epulæ fuere, quas à Tigellino paratas vt exemplar referam, ne sæpius eadem prodigentia narranda sit. Igitur in stagno Agrippæ fabricatus est ratẽ, cui superpositũ conuiuiũ nauiũ aliarũ tractu moueretur. Naues auro
G & ebore distinctæ Remigésque exoleti, per ætates & scientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diuersis è terris, & animalia maris Oceano ab vsque petiuerat. Crepidinibus stagni lupanaria astabant, illustribus feminis completa. Et contra scorta visebantur, nudis corporibus. Iam gestus motúsque obsceni, & postquam tenebræ incedebant, quantum iuxta nemoris, & circumiecta tecta, consonare cantu & luminibus

minibus clarescere. Ipse per licita atq; illicita fœdatos: nihil flagitij reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies vni ex illo cõtaminatorũ grege, cui nomẽ Pythagoræ fuit, in modum solẽnium coniugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum. Visi auspices, dos, & genialis torus, & faces nuptiales: cuncta denique spectata, quæ etiam in feminâ nox operit. Sequitur clades, forte, an dolo principis incertum: nam vtrumq; auctores prodidere: sed omnibus quę huic vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior atque atrocior. Initium in eâ parte Circi ortum, quę Palatino Cælióq; montibus contigua est. Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul cœptus ignis, & statim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis septæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud morę interiacebat. Impetu peruagatum incendium, plana primum, deinde inedita assurgens, & rursum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, & obnoxiâ vrbę artis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta pauentium feminarũ, fessa ætate, aut rudis pueritię ætas, quiq; sibi quiq; aliis consulebant, dum trahunt inualidos aut opperiuntur, pars morans, pars festinans, cuncta impediebant: & sæpè dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumueniebantur: vel si in proxima euaserant, illis quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. Postremò quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros: quidam amissis omnibus fortunis diurni quoque victus, alij caritate suorum quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio, interiere. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restringuere prohibentium, & quia alij palàm faces iaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur; siue vt raptus licentiùs exercerent, seu iussu. Eo in tempore Nero Antij agens, non antè in vrbem regressus est, quàm domui eius, quâ palatium & Mæcenatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin & palatium & domus & cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo exturbato & profugo, campum Martis ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos patefecit. Et subitaria ædificia exstruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subuectáque vtensilia ab Hostia, & propinquis municipiis, pretiúmque frumenti minutum, vsque ad ternos nummos. Quæ quãquam popularia, in irritum cadebãt, quia peruaserat rumor: ipso tempore flagrantis vrbis inisse eũ domesticam scenã, & cecinisse Troianum excidiũ, præsentia mala vetustis cladibus assimulantẽ. Sexto demùm die apud imas Esquilias finis incendio factus, proruptis per immensum ædificiis, vt cõtinuæ violentiæ campus, & velut vacuum cælum occurreret. Nec dum posito metu redibat leuis rursum grassatus ignis, patulis magis vrbis locis, eóque strages hominum minor. delubra deûm, & porticus amœnitati dicatæ latiùs procidêre. Plusque infamię id incẽdium habuit, quia prædiis Tigellini Æmylianis proruperat. Videbatúrque Nero condendæ vrbis nouæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma diuiditur: quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus deiectæ: septem

A reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta. Domuum, & insularum, & templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissimâ religione, quod Seruius Tullius Lunæ, & Magna ara fanúmque quæ præsenti Herculi Arcas Euander sacrauerat, ædesque Statoris Iouis vota Romulo, Numæque regia, & delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani exusta. iam opes tot B victoriis quæsitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta, quamuis in tantâ resurgentis vrbis pulchritudine, multa seniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere qui annotarent, xiiii. Kalen. Sextiles principium incendij huius ortum, quo & Senones captam vrbem inflammauerant. Alij eò vsque curâ progressi sunt, vt totidem annos mensesque & dies inter vtraque incendia numerent. Ceterùm Nero vsus est patriæ ruinis, C exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem, & luxu vulgata, quam arua & stagna, & in modum solitudinum hinc siluæ, inde aperta spatia, & prospectus: magistris & machinatoribus Seuero & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegauisset, per artem tentare, & viribus principis illudere. Namque ab lacu Auerno nauigabilem fossam vsque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore, aut D per montes aduersos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cetera abrupta, aut arentia. ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis caussæ. Nero tamen, vt erat incredibilium cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus est: manentque vestigia irritæ spei. Ceterùm vrbis quæ domus supererant, non vt post Gallica incendia nulla distinctione, nec passim erectæ: sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum E spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent. Easque porticus Nero sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est. Addidit præmia pro cuiusque ordine, & rei familiaris copiis: finiuitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis, adipiscerentur. Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, vtque naues quæ frumentum Tiberi subuectassent, onustæ rudere F decurrerent. Ædificiáque ipsa certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanoque solidarentur: quòd is lapis igni imperuius est. Iam aqua priuatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicum flueret, custodes: & subsidia reprimendis ignibus, in propatulo quisque haberet: nec communione parietum, sed propriis quæq; muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta, decorem quoque nouæ vrbi attulere. Erant tamen qui crederent, veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ G itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla vmbra defensam, grauiore æstu ardescere. Et hæc quidem humanis consiliis prouidebantur. Mox petita à diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano & Cereri Proserpinæque, ac propitiata Iuno per matronas, primùm in Capitolio, deinde apud proximum mare. Vnde hausta aqua, templum & si-

mulacrum deæ proſperſum eſt, & lectiſternia ac
peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti e-
rant. Sed non ope humanâ, nô largitionibus prin-
cipis, aut deûm placamentis, decedebat infamia,
quin iuſſum incendiû crederetur. Ergo abolendo
rumori Nero ſubdidit reos, & quęſitiſſimis pœnis
affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtia-
nos appellabat. Auctor nominis eius CHRISTVS,
qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pon-
tium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaque
in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpe-
bat, non modò per Iudæam originem eius mali,
ſed per vrbem etiam, quò cuncta vndique atrocia
aut pudenda confluunt, celebrantúrque. Igitur
primò correpti qui fatebantur, deinde indicio
eorum multitudo ingens, haud perinde in cri-
mine incendij, quàm odio humani generis con-
iuncti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt fe-
rarum tergis contecti, laniatu canum interirent,
aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defe-
ciſſet dies in vſum nocturni luminis vrerentur.
Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Cir-
cenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus
plebi, vel circulo inſiſtens. Vnde quamquam
aduerſus ſontes & nouiſſima exempla meritos,
miſeratio oriebatur, tamquam non vtilitate pu-
blicâ, ſed in ſæuitiam vnius abſumerentur. Inter-
ea conferendis pecuniis peruaſtata Italia, pro-
uinciæ euerſæ, ſociique populi, & quæ ciuitatum
liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dij
ceſſere, ſpoliatis in vrbe templis, egeſtóque auro,
quod triumphis, quod votis, omnis populi Ro-
mani ætas proſperè aut in metu ſacrauerat. Enim-
uerò per Aſiam atque Achaiam non dona tan-
tùm, ſed ſimulacra numinum abripiebantur, miſ-
ſis in eas prouincias Acrato, ac Secundo Cari-
nate. Ille libertus cuicunque flagitio promptus:
hic Græcâ doctrinâ ore tenus exercitus, animum
bonis artibus non induerat. Ferebatur Seneca,
quò inuidiam ſacrilegij à ſemet auerteret, longin-
qui ruris ſeceſſum orauiſſe: & poſtquam non
concedebatur, ficta valetudine quaſi æger neruis,
cubiculum non egreſſus. Tradidere quidam, vene-
num ei per libertum ipſius, cui nomē Cleonicus,
paratum, iuſſu Neronis: vitatúmque à Seneca pro-
ditione liberti, ſeu propriâ formidine, dum per-
ſimplici victu, & agreſtibus pomis, ac, ſi ſitis ad-
moneret, profluente aquâ vitam tolerat. Per idem
tempus gladiatores apud opidum Preneſte, ten-
tata eruptione, præſidio militis, qui cuſtos adeſ-
ſet, coërciti ſunt: iam Spartacum & vetera mala
rumorib. ferente populo, vt eſt nouarum rerum
cupiens pauidúſque. Nec multo pòſt clades rei na-
ualis accipitur, non bello, (quippe haud aliàs tam
immota pax) ſed certum ad diem in Campaniam
redire claſſem Nero iuſſerat, non exceptis maris
caſibus. Ergo gubernatores, quamuis ſæuiente pe-
lago, à Formiis mouere, & graui Africo, dum
promontorium Miſeni ſuperare contendunt, Cu-
manis litoribus impacti, triremium pleraſque,
& minora nauigia paſſim amiſerunt. Fine anni
vulgantur prodigia imminentium malorum nun-
tia. Vis fulgurum non aliàs crebrior, & ſidus co-
metes, ſanguine illuſtri ſemper Neroni expia-
tum. Bicipites hominum aliorúmve animalium
partus abiecti in publicum, aut in ſacrificiis qui-
bus grauidas hoſtias immolare mos eſt, reperti.
Et in agro Placentino viam propter natus vitu-
lus, cui caput in crure eſſet. Secutáque haruſpi-
A cum interpretatio: parari rerum humanarum a-
liud caput, ſed non fore validum, neque occul-
tum: quia in vtero repreſſum, aut iter iuxta edi-
tum ſit. Ineunt deinde conſulatum Silius Nerua,
& Atticus Veſtinus, cœptâ ſimul & auctâ coniu-
ratione, in quam certatim nomina dederant, ſe-
natores, eques, miles, feminæ etiam, cùm odio
Neronis, tum fauore in C. Piſonem. Is Calpur-
nio genere ortus, ac multas inſigneſque fami-
B lias paternâ nobilitate complexus, claro apud
vulgum rumore erat, per virtutem aut ſpecies
virtutibus ſimiles. Namque facundiam tuendis
ciuibus exercebat, largitionem aduerſus ami-
cos, & ignotis quoque comi ſermone & con-
greſſu. Aderant etiam fortuita, corpus procê-
rum, decora facies. Sed procul grauitas mo-
rum, aut voluptatum parſimonia. Lenitati ac ma-
gnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat. Id-
C que pluribus probabatur, qui in tantâ vitiorum
dulcedine ſummum imperium non reſtrictum,
nec perſeuerum volunt. Initium coniurationi
non à cupiditate ipſius fuit. nec tamen facilè me-
morauerim, quis primus auctor, cuius inſtin-
ctu concitum ſit, quod tam multi ſumpſerunt.
Promptiſſimos Subrium Flauium tribunum præ-
toriæ cohortis, & Sulpicium Aſprum centurio-
nem extitiſſe conſtantia exitus docuit. Et Luca-
nus Annæus, Plantiúſque Lateranus conſul de-
D ſignatus, viuida odia intulere. Lucanum pro-
priæ cauſſæ accendebant, quòd famam carminum
eius premebat Nero, prohibuerátque oſtentare,
vanus adſimulatione. Lateranum conſulem deſi-
gnatum, nulla iniuria, ſed amor Reip. ſociauit.
At Flauius Sceuinus & Afranius Quinctianus, v-
terque ſenatorij ordinis, contra famam ſui, prin-
cipium tanti facinoris capeſſiuere. Nam Sceuino
diſſoluta luxu mens, & proinde vita ſomno lan-
guida. Quinctianus mollitiâ corporis infamis, &
E à Nerone probroſo carmine diffamatus, contu-
melias vltum ibat. Ergo dum ſcelera principis, &
finem adeſſe imperij, deligendúmque qui feſſis re-
bus ſuccurreret, inter ſe aut inter amicos iaciunt,
aggregauere Tullium Senecionem, Ceruarium
Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Tugu-
rinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem,
Martium Feſtum, equites Romanos: ex quibus
Senecio è præcipuâ familiaritate Neronis ſpe-
ciem amicitiæ etiam tum retinens, eò pluribus
F periculis conflictabatur. Natalis particeps ad o-
mne ſecretum Piſoni erat. Ceteris ſpes ex nouis
rebus petebatur. Adſcitæ ſunt ſuper Subrium &
Sulpicium, de quibus retuli, militares manus,
Granius Siluanus & Statius Proximus, tribuni
cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus &
Venetus Paullus centuriones. Sed ſummum ro-
bur in Fenio Rufo præfecto videbatur, quem vitâ
famáq; laudatum, per ſæuitiam impudicitiámque
Tigellinus in animo principis anteibat, fatigabat-
G que criminationibus, ac ſæpe in metū adduxerat,
quaſi adulterū Agrippinę, & deſiderio eius vltioni
intentum. Igitur vbi coniuratis præfectum quo-
que prætorij in partes deſcendiſſe, crebro ipſius
ſermone facta fides; promptiùs iam de tempore
ac loco cædis agitabant. Et cepiſſe impetum Su-
brius Flauius ferebatur, in ſcenâ canentem Ne-
ronem aggrediendi, aut cùm ardente domo per
noctem huc illuc curſaret incuſtoditus. Hic oc-
caſio ſolitudinis, ibi ipſa frequentia tanti deco-
ris teſtis, pulcherrimum animum exſtimulaue-
rant:

rant:nisi impunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus aduersa. Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum, Epicharis quędam, incertum quónam modo sciscitata (neque illi antè vlla rerum honestarum cura fuerat) accendere, & arguere coniuratos: ac postremò lentitudinis eorum pertæsa, & in Campaniâ agens, primores classiariorum Misenensiũ labefacere, & conscientiâ illigare connixa est tali initio. Erat Chiliarchus in ea classe Volusius Proculus, occidendæ matris Neronis inter ministros non ex magnitudine sceleris prouectus, vt rebatur. Is mulieri olim cognitus, seu recens ortâ amicitiâ, dum merita erga Neronem sua, & quàm in irritum cecidissent, aperit, adiicitque questus & destinationem vindictæ, si facultas oriretur, spem dedit posse impelli & plures conciliare. nec leue auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos & Misenum maris vsu lætabatur. Ergo Epicharis plura: & omnia scelera principis orditur. Neque senatui, quid manere, sed prouisum quo nam modo pœnas euersę Reip. daret: accingeretur modo, nauaret operam, & militum acerrimos duceret in partes, ac digna pretia exspectaret. Nomina tamen coniuratorum reticuit. Vnde Proculi indicium irritum fuit, quamuis ea quæ audierat ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis, & cum indice composita, nullis testibus innixum facile confutauit. Sed ipsa in custodiâ retenta est, suspectante Nerone, haud falsa esse etiam quæ vera non probabantur. Coniuratis tamen metu proditionis permotis, placitum maturare cædem apud Baias, in villâ Pisonis: cuius amœnitate captus Cæsar crebrò ventitabat, balneásque & epulas inibat omissis excubiis, & fortunæ suæ mole. Sed abnuit Piso, inuidiam prætendens, si sacra mensæ, diique hospitales cęde qualiscumque principis cruentarentur. Meliùs apud vrbem in illâ inuisâ & spoliis ciuium exstructa domo, vel in publico patraturos, quod pro Rep. suscepissent. Hæc in commune: ceterùm timore occulto, ne L. Silanus eximia nobilitate, disciplináque C. Cassij, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium inuaderet, promptè daturis operam qui à coniuratione integri essent, quique miserarentur Neronem tamquam per scelus interfectum. Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitauisse Pisonem crediderunt, ne à libertate moueretur, vel delecto imperatore alio, sui muneris Remp. faceret. Etenim expers coniurationis erat, quamuis super eo crimine Nero vetus aduersus insontem odium expleuerit. Tandem statuête Circensium Ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata: quia Cæsar rarus egressu, domoque aut hortis clausus, ad ludicra Circi ventitabat, promptioresque aditus erant lætitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, vt Lateranus quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus, & genibus principis accidens, prosterneret incautum premerétque animi validus, & corpore ingens. Tum iacentem & impeditum, tribuni & centuriones, & ceterorum vt quisque audentiæ habuisset, accurrerent, trucidarentque: primas sibi partes expostulante Sceuino, qui pugionem templo Salutis in Etruria, siue, vt alij tradidere, Fortunæ Ferentano in opido detraxerat, gestabátque velut magno operi sacrum. Interim Piso apud ædem Cereris opperiretur, vnde

A eum præfectus Fenius & ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia Claudij Cæsaris filia, ad eliciendum vulgi fauorem. quòd C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamuis absurdum videretur, aut inanem ad spem Antoniam nomen & periculum commodauisse, aut Pisonem notum amore vxoris, alij matrimonio se obstrinxisse: nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagran-
B tior est. Sed mirum quam inter diuersi generis, ordinis, ætatis, sexus, dites, pauperes, taciturnitate omnia cohibita sint: donec proditio cœpit è domo Sceuini. Qui pridie insidiarum, multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum, testamentum obsignauit: promptum vagina pugionem, de quo suprà retuli, vetustate obtusum increpans, asperari saxo, & mucronem ardescere iussit. Eamque curam liberto Milicho mandauit. Simul affluentiùs solito conuiuium initum. ser-
C uorum charissimi libertate, & alij pecunia donati. Atque ipse mæstus, & magnæ cogitationis manifestus erat, quamuis lætitiam vagis sermonibus simularet. Postremò vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis parare eundem Milichum monet: siue gnarum coniurationis, & hucusque fidum, seu nescium, & tunc primùm arreptis suspicionibus, vt plerique tradidere, de consequentibus. Nam cùm secum seruilis animus præmia perfidiæ reputauit, simulque immensa pecunia &
D potentia obuersabantur, cessit fas, & salus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Etenim vxoris quoque consilium assumpserat, muliebre ac deterius. quippe vltrò metum intentabat, multósque astitisse libertos ac seruos, qui eadem viderint: nihil profuturum vnius silentium. at præmia penes vnum fore, qui indicio præuenisset. Igitur cœpta luce Milichus in hortos Seruilianos pergit: & cùm foribus arceretur, magna & atrocia afferre dictitans, deductúsque ab ianitoribus ad liber-
E tum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, vrgens periculum, graues coniurationes, & cetera quæ audierat, coniectaueratque docet. Telum quoque in necem eius paratum ostendit, acciríque reum iussit. Is raptus per milites, & defensionem orsus, *Ferrum cuius argueretur, olim religione patriâ cultũ, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti subreptum* respondit, *Tabulas testamenti sæpiùs à se, & incustoditâ dierum obseruatione, signatas. Pecunias & libertates seruis & antè dono*
F *datas, sed ideo tunc largiùs, quia tenui iam re familiari, & instantibus creditoribus, testamento diffideret. Enim verò liberales semper epulas struxisse, & vitam amœnam, & duris iudicib. parum probatam. Fomenta vulneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, vt se se pariter indicem & testem faceret.* Adiicit dictis constantiam. incusat vltrò intestabilem, & conscele-
ratum, tanta vocis ac vultus securitate, vt labaret indicium, nisi Milichum vxor admonuisset, Anto-
G nium Natalem multa cum Sceuino, ac secretò collocutum, & esse vtrosq; C. Pisonis intimos. Ergo accitus Natalis: & diuersi interrogantur, quis nam is sermo, qua de re fuisset. Tum exorta suspicio, quia non congruentia responderant, Inditáq; vincla. Et tormentorum aspectum ac minas non tulere. Prior tamen Natalis totius coniurationis magis gnarus, simul arguendi peritior, de Pisone primùm fatetur. Deinde adiicit Annæum Senecam, siue internuntius inter eum Pisonemq; fuit, siue

vt Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecæ,
omnes ad eum opprimendũ artes còquirebat. Tũ
cognito Natalis indicio, Sceuinus quoq; pari im-
becillitate, an cũcta iam patefacta credens, nec vl-
lum silentij emolumentum, edidit ceteros. Ex qui-
bus Lucanus, Quinctianúsque, & Senecio diu ab-
nuêre. Pòst promissa impunitate corrupti, quo
tarditatem excusarent, Lucanus Atillam matrem
suam, Quinctianus Gliciũ Gallum, Senecio Anniũ
Pollionem amicorum præcipuos nominauere. At-
que interim Nero recordatus Volusij Proculi in-
dicio Epicharim attineri, ratúsq; muliebre corpus
impar dolori, tormentis dilacerari iubet. At illam
non verbera, non ignes, non ira eo acriùs torquẽ-
tium ne à femina spernerẽtur, peruicere quin ob-
iecta denegaret. Sic primus quæstionis dies contẽ-
ptus. Postero cùm ad eosdem cruciatus retrahere-
tur, gestamine sellæ (nam dissolutis membris insi-
stere nequibat) vinclo fasciæ quam pectori detra-
xerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto,
indidit ceruicem, & corporis põdere connisa, te-
nuem iam spiritum expressit: clariore exemplo li-
bertina mulier in tanta necessitate alienos ac pro-
pè ignotos protegendo, cùm ingenui & viri & e-
quites Romani senatorésq; intacti tormentis, ca-
rissima suorum quisque pignorum proderent. Nõ
enim omittebant Lucanus quoque & Senecio &
Quinctianus passim conscios edere, magis magis-
que pauido Nerone, quamquam multiplicatis ex-
cubiis semet sepsisset. Quin & vrbem per manipu-
los occupatis mœnibus, infesso etiam mari & am-
ne, velut in custodiam dedit. Volitabátq; per fora,
per domos, rura quoq; & proxima municipiorũ,
pedites equitésque permixti Germanis, quibus fi-
debat princeps quasi externis. Continua hinc &
iũcta agmina trahi, ac foribus hortorum adiacere.
Atque vbi dicendam ad caussam introissent, læta-
tum erga coniuratos, si fortuitus sermo, & subiti
occursus, si conuiuium, si spectaculum simul inis-
sẽt, pro crimine accipi: cùm super Neronis ac Ti-
gellini sæuas percũctationes, Fenius quoque Ru-
fus violẽter vrgeret, nondum ab indicibus nomi-
natus, sed quò fidem inscitiæ pararet, atrox aduer-
sus socios. Idem Subrio Flauio assistenti, annuen-
tiq; an inter ipsam cognitionem distringeret gla-
dium, cædemq; patraret, renuit, infregitque impe-
tum iam manum ad capulum referẽtis. Fuere qui
proditâ coniuratione, dum auditur Milichus, dum
dubitat Sceuinus, hortarẽtur Pisonem pergere in
castra, aut rostra escendere, studiáque militum &
populi tentare: *si conatibus eius conscij aggregaren-
tur, secuturos etiam integros, magnamq; motæ rei fa-
mam, quæ plurimum in nouis consiliis valeret. Nihil
aduersum hoc Neroni prouisum. etiam fortes vi-
ros subitis terreri, ne dum ille scenicus, Tigellino sci-
licet cum pellicibus suis comitante, arma contra
cieret. Multa experiẽdo confieri, quæ segnibus ardua
videantur. Frustrà silentium & fidem in tot conscio-
rum animis & corporibus sperari. Cruciatu aut præ-
mio, cuncta peruia esse. Venturos qui ipsum quoq; vin-
cirent, postremò indignâ nece afficerent. Quanto lau-
dabilius periturum, dum amplectitur Remp. dum au-
xilia libertati inuocat, dũ miles potiùs deesset, & ple-
bes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vi-
ta præriperetur, mortem approbaret?* Immotus iis,
& paululum in publico versatus, pòst domi secre-
tus, animum aduersum suprema firmabat. donec
manus militum aduentret, quos Nero tirones aut
stipendiis recẽtes delegerat. Nã vetus miles time-

A batur, tamquã fauore imbutus. Obiit abruptis bra
chiorũ venis. Testamẽtũ fœdis aduersus Neronem
adulationibus, amori vxoris dedit, quam degene-
rem, & solà corporis formâ commendatam, amici
matrimonio abstulerat. Nomen mulieris Arria
Galla, priori marito, Domitius Silius: hic patiẽtia,
illa impudicitia, Pisonis infamiam propagauere.
Proximam necẽ Plautij Laterani cõsulis designati
Nero adiungit, adeò properè, vt non complecti li-
B beros, nõ illud breue mortis arbitriũ permitteret.
Raptus in locũ seruilibus pœnis sepositum, manu
Statij tribuni trucidatur, plenus constantis silẽtij,
nec tribuno obiiciẽs eandẽ conscientiam. Sequi-
tur cædes Annæi Senecæ lætissima principi, nõ quia
coniurationis manifestum compererat, sed vt fer-
ro grassaretur, quãdo venenũ non processerat. So-
lus quippe Natalis, & hactenus prompsit, missum
se ad ægrotũ Senecam, vt viseret cõquereretúrq;
C cur Pisonem aditu arceret? meliùs fore si amicitiã
familiari congressu exercuissent. Et respõdisse Se-
necã, sermones mutuos & crebra colloquia neu-
tri conducere: ceterùm salutem suã incolumitate
Pisonis inniti. Hæc ferre Granius Siluanus tribu-
nus prætoriæ cohortis, & an dicta Natalis, suáq; re-
sponsa nosceret, percunctari Senecam iubetur. Is,
fortè an prudens, ad eum diẽ ex Campania remea-
uerat, quartúmque apud lapidem suburbano rure
substiterat. Illò propinqua vespera tribunus venit,
D & villam globis militũ sepsit. Tum ipsi cum Pom-
peia Paullina vxore & amicis duobus epulãti mã-
data imperatoris edidit. Seneca, *missum ad se Na-
talem, conquestúmq; nomine Pisonis quòd visendo eo
prohiberetur, séq; rationẽ valetudinis & amorẽ quie-
tis, excusauisse,* respõdit. *Cur salutẽ priuati hominis
incolumitati suæ anteferret, caussam non habuisse. nec
sibi promptũ in adulationes ingenium. Idq; nulli magis
gnarũ quàm Neroni, qui sæpiùs libertatem Senecæ,
quàm seruitiũ expertus esset.* Vbi hæc à tribuno re-
E lata sũt, Poppæa & Tigellino coràm, quod erat sæ-
uiẽti principi intimum consiliorũ, interrogat, an
Seneca voluntariam mortẽ pararet? Tum tribunus
nulla pauoris signa, nihil triste in verbis eius aut
vultu deprehensum confirmauit. Ergo regredi, &
indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus,
non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad
Fenium præfectum, & expositis Cæsaris iussis, an
obtemperaret interrogauisse: monitúmq; ab eo, vt
exsequeretur, fatali omniũ ignauia. Nam & Silua-
F nus inter cõiuratos erat, augebátq; scelera in quo-
rum vltionem consenserat. Voci tamẽ & aspectui
pepercit. Intromisitq; ad Senecam vnum ex cen-
turionibus, qui necessitatem vltimam denuntia-
ret. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac de-
negante centurione, conuersus ad amicos, *quando
meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod v-
nũ iã, attamẽ pulcherrimũ habebat, imaginẽ vitæ suæ
relinquere* testatur. *cuius si memores essent bonarũ ar-
G tiũ, famã tã constantis amicitiæ laturos.* Simul lacry-
mas eorũ, modò sermone, modò intẽtior in modũ
coërcẽtis, ad firmitudinẽ reuocat, rogitãs: *Vbi præ-
cepta sapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio ad-
uersum imminentia? Cui enim ignaram fuisse sæui-
tiam Neronis? Neque aliud superesse post matrem
fratrémque interfectos, quàm vt educatoris præce-
ptorísque necem adiiceret.* Vbi hæc atque talia ve-
lut in commune disseruit, complectitur vxorem.
& paululum aduersus præsentem fortitudinem
mollitus, rogat orátque temperaret dolori, ne
æternum susciperet, sed in contemplatione vi-

tæ per

A tæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contrà, sibi quoque destinatam mortem adseuerat, manúmque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriæ eius non aduersus, simul amore, ne sibi vnicè dilectam ad iniurias relinqueret. *Vitæ*, inquit, *delinimenta monstraueram tibi, tu mortis decus mauis. non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes vtrosque par, claritudinis plus in tuo fine.* Post quæ, B eodem ictu brachia ferro exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus & paruo victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit. Sæuísque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum vxoris infringeret, atque ipse visendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et nouissimo quoque momento suppeditante eloquentia, aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita eius verbis, C inuertere supersedeo. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, serui libertíque obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignaræ. Nam vt est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatæ cum marito mortis petiuisse; deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ euictam. cui addidit paucos postea annos, lauda- D bili in maritum memoria, & ore ac membris in eum pallorem albentibus, vt ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium Annæum diu sibi amicitiæ fide & arte medicinæ probatum, orat prouisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio exstinguerentur, promeret: allatúmque hausit frustrà, frigidis iam artibus & clauso corpore aduersum vim veneni. Postremò stagnum calidæ aquæ in- E troiit, respergens proximos seruorum, addita voce, *Libare se liquorem illum* IOVI LIBERATORI. Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, sine vllo funeris solenni crematur. Ita codicillis præscripserat, cùm etiam tum prædiues & præpotens, supremis suis consuleret. Fama fuit, Subrium Flauium cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinauisse, vt post occisum opera Pisonis Neronem, Piso quoq; interficeretur, traderetúrque imperiū Sene- F cæ, quasi insonti, claritudine virtutū ad sūmū fastigiū delecto, Quin & verba Flauij vulgabātur, *Nō referre dedecori, si citharœdus dimoueretur, & Tragœdus succederet*, quia vt Nero cithara, ita Piso Tragico ornatu canebat. Ceterū militaris quoque cōspiratio non vltrà fefellit, accensis indicibus ad prodēdū Feniū Rufum, quem eundem conscium & inquisitorem non tolerabant. Ergo instanti minitantíque renidens Sceuinus, neminem ait plura scire quàm ipsum. Hortatúrque vltrò redderet tam bono principi vicem. Non vox aduersum ea G Fenio, non silentium, sed verba sua præpediens, & pauoris manifestus. ceterísque ac maximè Ceruario Proculo equite, ad conuincendum eum conisis, iussu imperatoris à Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur, vincitúrque. Mox eorumdem indicio Subrius Flauius tribunus peruertitur, primò dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus & effeminatis tantum facinus consociaturum. Dein postquam vrgebatur, confessionis gloriam amplexus, interrogatúsque à Nerone, quibus caussis ad obliuionem sacramenti processisset: *Oderam te*, inquit. *nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. odisse cœpi postquam parricida matris & vxoris, auriga & histrio & incendiarius extitisti.* Ipsa rettuli verba, quia non vt Senecæ, vulgata erant. Nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos, sed validos. nihil in illa coniuratione grauius auribus Neronis accidisse constitit, qui vt faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret, insolens erat. Pœna Flauij Veiano Nigro tribuno mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam Flauius vt humilem & angustam increpans, circumstantibus militibus: *Ne hoc quidem*, inquit, *ex disciplina.* admonitúsque fortiter protendere ceruicem: *Vtinam*, ait, *tu tam fortiter ferias.* Et ille multùm tremens, cùm vix duobus ictibus caput amputauisset, sæuitiam apud Neronem iactauit, sesquiplaga interfectum à se dicendo. Proximum constantiæ exemplum, Sulpitius Asper centurio præbuit. percunctanti Neroni, cur in cædem suam conspirauisset? breuiter respondens: *Non aliter tot flagitiis eius subueniri potuisse.* Tum iussam pœnam subiit. nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degenerauere. At non Fenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit. Opperiebatur Nero, vt Vestinus quoque consul in crimen traheretur. violentum & infensum ratus: sed coniurati consilia cum Vestino non miscuerant, quidam vetustis in eum simultatibus, plures quia præcipitem & insociabilem credebant. Ceterùm Neronis odium aduersus Vestinum ex intima sodalitate cœperat, dum hic ignauiam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, sæpe asperis facetiis illusus: quæ vbi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Accesserat recens caussa, quòd Vestinus Statiliam Messallinam matrimonio sibi iunxerat, haud nescius inter adulteros eius & Cæsarem esse. Igitur non crimine, non accusatore exsistente, quia speciem indicij induere non poterat, ad vim dominationis conuersus, Gerelanum tribunum cum cohorte militum immittit: iubétque præuenire conatus consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuuentutem, quia Vestinus imminentes foro ædes, decoráque seruitia, & pari ætate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleuerat, conuiuiúmque celebrabat, nihil metuens, an dissimulando metu. cùm ingressi milites vocari eum à tribuno dixere. Ille nihil demoratus exsurgit. & omnia simul properantur, clauditur cubiculo, præsto est medicus, abscinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce, qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi prouecta nocte emissi sunt, postquam pauorem eorum imminens exitium opperientium & imaginatus & irridens Nero, satis supplicij luisse ait pro epulis consularibus. Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is profluente sanguine, vbi frigescere pedes manúsque, & paulatim ab extremis cedere spiritum, feruido adhuc & compote mentis pectore intelligit: recordatus car-

men à se compositum, quo vulneratum militem
per eiusmodi mortis imaginem obiisse tradide-
rat, versus ipsos retrulit. eáque illi suprema vox
fuit. Senecio posthac, & Quinctianus, & Sceui-
nus, non ex priore vitæ mollitia, mox reliqui
coniuratorum periere, nullo facto dictóve me-
morando. Sed completi interim vrbs funeribus,
Capitolium victimis: alius filio, fratte alius, aut
propinquo, aut amico interfectis, agere grates
deis, ornare lauru domum, genua ipsius aduol-
ui, & dextram osculis fatigare. Atque ille gau-
dium id credens, Antonij Natalis & Ceruarij
Proculi festinata indicia impunitate remunera-
tur: Milichus præmiis ditatus, Conseruatoris
sibi nomen Græco eius rei vocabulo assumpsit.
E tribunis Granius Siluanus quamuis absolutus,
sua manu cecidit: Statius Proximus veniam quam
ab imperatore acceperat, vanitate exitus corru-
pit. Exuti dehinc tribunatu Pompeius, Corne-
lius Martialis, Flauius Nepos, Statius Domitius,
quasi principem non quidem odissent, sed ta-
men extimerentur. Nonio Prisco per amicitiam
Senecæ, & Glitio Gallo atque Annio Pollioni
infamatis magis quàm conuictis, data exsilia.
Priscum Antonia Flacilla coniunx comitata est:
Gallum Egnatia Maximilla, magnis primùm &
integris opibus, pòst ademptis. quæ vtraque glo-
riam eis auxere. Pellitur & Rufus Crispinus oc-
casione coniurationis, sed Neroni inuisus, quòd
Poppæam quondam matrimonio tenuerat. Ver-
ginium Rufum claritudo nominis expulit. Nam
Verginius studia iuuenum eloquentia, Musonius
præceptis sapientiæ fouebat. Cluuidieno Quie-
to, Iulio Agrippæ, Blitio Catulino, Petronio Pri-
sco, Iulio Altino, velut in agmē & numerū, Ægæi
maris insulæ permittuntur. At Cadicia vxor Sce-
uini & Cęsonius Maximus Italia prohibētur, reos
fuisse se, tantùm pœna experti. At illa mater An-
næi Lucani, sine absolutione, sine supplicio dis-
simulata. Quibus perpetratis Nero, & concione
militum habita, bina nummûm millia viritim
manipularibus diuisit, addiditque sine pretio fru-
mentum, quo antè ex modo annonæ vtebantur.
Tum quasi gesta bello expositurus vocat sena-
tum, & triumphale decus Petronio Turpiliano
consulari, Cocceio Neruæ prætori designato, Ti-
gellino præfecto prætorij tribuit: Tigellinum &
Neruam ita extollens, vt super triumphales in fo-
A ro imagines, apud palatium quoque effigies eo-
rum sisteret. Dedit etiam consularia insignia.
Nymphidio, de quo quia nunc primùm oblatus
est, pauca reperam. Nam & ipse pars Romana-
rum cladium erit. Igitur matre libertina ortus,
quæ corpus decorum inter seruos libertosque
principū vulgauerat, ex C. Cæsare se genitum fe-
rebat, quoniam forte quâdam habitu procerus
& toruo vultu erat: siue C. Cæsar scortorum quo-
B que cupiens, etiam matri eius illusit. Sed Nero
vocato senatu, oratione inter patres habita, edi-
ctum apud populum, & collata in libros indicia,
confessionesque damnatorum adiunxit. Etenim
crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros
insontes ob inuidiam aut metum exstinxisset. Ce-
terùm cœptam, adultámque & reuictam coniu-
rationem neque tunc dubitauere, quibus verum
noscendi cura erat; & fatentur, qui post interitum
Neronis in vrbem regressi sunt. At in senatu cun-
C ctis vt cuique plurimum mœroris in adulatio-
nem demissis Iunium Gallionem Senecæ fratris
morte pauidum, & pro sua incolumitate suppli-
cem, increpuit Salienus Clemens, hostem & par-
ricidam vocans: donec consensu patrum deterri-
tus est, ne publicis malis abuti ad occasionem pri-
uati odij videretur, neu compositam aut oblitte-
ratam mansuetudinem principis nouam ad sæui-
tiam retraheret. Tum decreta dona & grates deis
D decernuntur, propriúsque honos Soli, cui est ve-
tus ædes apud Circum, in quo facinus parabatur,
qui occulta coniurationis, numine retexisset: vt-
que Circensium Cerealiū ludicrū pluribus equo-
rū cursibus celebraretur, mensisque Aprilis Nero-
nis cognomentū acciperet: tēplū Saluti exstruere-
tur, eo loci ex quo Sceuinus ferrum prompserat.
Ipse eum pugionem apud Capitolium sacrauit,
inscripsitque IOVI VINDICI. In præsens haud a-
nimaduersum, post arma Iulij Vindicis ad auspi-
E cium & præsagium futuræ vltionis trahebatur.
Reperio in commentariis senatus, Cerialem A-
nicium consulem designatum, pro sententia di-
xisse, vt templum diuo Neroni quàm maturrimè
publica pecunia poneretur. Quod quidem ille de-
cernebat, tamquam mortale fastigium egresso, &
venerationem hominum merito: quod ad omina
olim sui exitus verteretur. Nam deûm honor
principi non antè habetur, quàm agere inter ho-
mines desierit.

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

Annalium

LIBER XVI.

ILLVSIT dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius, & promissa Cesellij Bassi: qui origine Pœous, mente turbida, nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit. Vectúsque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in agro suo specum altitudioe immensa, qno magna vis auri cótineretur, non in formam pecuniæ, sed rudi & antiquo pondere. Lateres quippe prægraues iacere, astantibus parte alia columnis. quæ per tantum æui occultà, augendis præsentibus bonis. Ceterùm vt coniectura demonstrat, Didonem Fenissam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidisse, ne nouus populus nimia pecunia lasciuiret, aut reges Numidarum & alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero non auctoris, oon ipsius negotij fide satis spectata, uec missis visoribus per quos nosceret, an vera assererentur, auget vltrò rumorem, mittitque qui velut partam prædam aduehèrent. Dantur triremes & delectum nauigium, iuuandæ festiuationi. nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diuersa fama tulerat. Ac fortè quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur: oratoribúsque præcipua materia in laudem principis adsumpta est. Non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed noua vbertate prouenire terras, & obuias opes deferre deos. quæque alia summa facundia, nec minore adulatione seruilia fingebant, securi de facilitate credentis. Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebantúrque veteres opes, quasi oblatis quas multos per annos prodigeret. Quin & inde iam largiebatur. Et diuitiarum exspectatio, inter caussas paupertatis publicæ erat. Nam Bassus effosso agro suo, latisque circum aruis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseuerat, sequunturque non modò milites, sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus: tandem posita vecordia, oon falsa antea somnia sua, séque tunc primùm elusum admirans, pudorem & metum morte voluntaria effugit. Quidam vinctum ac mox dimissum tradidere, ademptis bonis in locum regiæ gazæ. Interea senatus propinquo iam lustrali certamine, vt dedecus auerteret, offert imperatori victoriam cantus, adiicítque facundiæ coronam, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitans, se æquum aduersus æmulos, & religione iudicum meritam laudem assecuturum, primò carmen in scena recitat: mox flagitante vulgo, vt omnia studia sua publicaret (hæc enim verba dixere) ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne fessus resideret, ne sudorem,

A nisi eâ quam indutui gerebat veste detergeret: vt nulla oris aut narium excrementa viserentur. Postremò flexus genu, cœtum illum manu veneratus, sententias iudicum opperiebatur ficto pauore. Et plebs quidem vrbis, histrionum quoque gestus iuuare solita, personabat certis modis, plausúque composito. Crederes lætari, ac fortasse lætabantur, per iniuriam publici flagitij. Sed qui remotis è municipiis, seuerámque adhuc, & an-
B tiqui moris retinentes Italiam, quique per longinquas prouincias lasciuiæ inexperti, officio legationum aut priuata vtilitate aduenerant, neque aspectum illum tolerare, neque labori inhonesto sufficere: cùm manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros, ac sæpe à militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret. Constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus & ingruentem multitudinem e-
C nituntur, obtritos: & alios dum diem noctémque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. quippe grauior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palàm & pluribus occultis, vt nomina ac vultus, alacritatem, tristitiámque coëuntium scrutarentur. Vnde tenuioribus statim irrogata supplicia, aduersus illustres dissimulatum ad præsens, & mox redditum odium. Ferebántque Vespasianum, tamquam somno conniueret, à Phœbo liberto increpitum, ægréque
D meliorum precibus obtectum: mox imminentem perniciem maiore fato effugisse. Post finem ludicri Poppæa mortem obiit, fortuita mariti iracundia, à quo grauida ictu calcis afflicta est. Neque enim venenum crediderim, quamuis quidam scriptores tradant, odio magis quàm ex fide. Quippe liberorum cupiens, & amori vxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolitu, vt Romanus mos: sed regũ externorũ cõsuetudine, differtum odoribus conditur, tumulóque Iuliorum
E infertur. Ductæ tamen publicæ exsequiæ, laudauítque ipse apud rostra formam eius, & quòd diuinæ infantis parens fuisset, aliáque fortunæ munera pro virtutibus. Mortem Poppææ vt palàm tristem, ita recordantibus lætam ob impudicitiam eius sæuitiámque, noua insuper inuidia Nero compleuit, prohibendo C. Cassium officio exsequiarum. quod primum indicium mali, neque in longum dilatum est. Sed Silanus addi-
F tur. nullo crimine, nisi quòd Cassius opibus vetustis, & grauitate morum; Silanus claritudine generis, & modesta iuuenta præcellebant. Igitur missa ad senatum oratione, remouendos à Rep. vtrosque disseruit. Obiectauítque Cassio quòd inter imagines maiorum, etiam C. Cassij effigiem coluisset, ita inscriptam: DVCI

PARTIVM. Quippe semina belli ciuilis, & defectionem à domo Cæsarum quæsitam. Ac vt memoria tantum infensi nominis ad discordias vteretur, adsumpsisse L. Silanum iuuenem genere nobilem, animo præruptum, quem nouis rebus ostentaret. Ipsum dehinc Silanum increpuit iisdem quibus patruum eius Torquatum: tamquam disponeret iam imperij curas, præficerétque rationibus & libellis & epistolis libertos: inania simul & falsa. Nam Silanus intentior metu, & exitio patrui ad præcauendum exterritus erat. Inducit posthac vocabulo indicum, qui in Lepidam Cassij vxorem, Silani amitam, incestum cum fratris filio, & diros sacrorum ritus confingerent. Trahebantur vt conscij Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius senatores, & Calpurnius Fabatus eques Romanus: qui appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum, quasi minores euasere. Tunc senatusconsulto, Cassio & Silano exsilia decernuntur, de Lepida Cæsar statueret. Deportatúsque in insulam Sardiniam Cassius, & senatus ius exspectabatur. Silanus tamquam Naxum deueheretur, Hostiam amotus, pòst municipio Apuliæ, cui nomen est Barium, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans, à centurione ad cædem misso corripitur. Suadentique venas abrumpere, animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerij. At centurio quamuis inermem, præualidum tamen & iræ quàm timori propiorem cernens, premi à militibus iubet. Nec omisit Silanus obniti, & intendere ictus quantum manibus nudis valebat, donec à centurione vulneribus aduersis tamquam in pugna caderet. Haud minus promptè L. Vetus, socrúsque eius Sextia & Pollutia filia necem subiere inuisi principi, tamquam viuendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum generum Lucij Veteris. Sed initium detegendæ sæuitiæ præbuit interuersis patroni rebus ad accusationem transgrediens Fortunatus libertus, ascito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum à Vetere Asiæ proconsule, exsoluit Nero in præmium accusationis. Quod vbi cognitum reo, séque & libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui viderat. Cruentámque ceruicem eius amplexa, seruabat sanguinem, & vestes respersas, vidua implexa luctu continuo, nec vllis alimentis, nisi quæ mortem arcerent. Tum hortante patre, Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem, néve consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modò muliebri eiulatu, aliquando sexum egressa, voce infensa clamitabat. donec princeps immobilem se precibus & inuidiæ iuxta ostendit. Ergo nuntiat patri abiicere spem, & vti necessitate. Simul affertur parari cognitionem senatus, & trucem sententiam. Nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Cæsarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere. quod aspernatus, ne vitam proximè libertatem actam nouissimo seruitio fœdaret, largitur in seruos quantum aderat pecuniæ: & si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modò lectulos ad suprema retineri iubet. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas pro-

A perique & singulis vestibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur, pater, filiam, auia, neptem, illa vtrosq; intuens, & certatim precantes labenti animæ celerè exitum, vt relinquerent suos superstites & morituros. Seruauitque ordinem fortuna: ac senior prius, tum cui prima ætas, exstinguuntur. Accusati post sepulturam, decretúmque vt more maiorum punirentur. Et Nero intercessit, mortem sine arbitro permittens. ea cædibus pera-
B ctis ludibria adiiciebantur. P. Gallus eques Romanus, quòd Fenio Ruso intimus, & Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est: Liberto & accusatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et mensis qui Aprilem eundémque Neroneum sequebatur, Maius Claudij, Iunius Germanici, vocabulis mutantur: testificante Cornelio Orfito qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum, quia duo iam Torquati ob scelera interfecti, infaustum
C nomen Iunium fecissent. Tot facinoribus fœdum annum etiam dij tempestatibus & morbis insigniuere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit, pertulitque violentiam ad vicina vrbi. In qua omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulabatur, nulla cæli intemperie quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non sexus, non ætas periculo vacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim
D exstingui, inter coniugum & liberorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur. Equitum senatorúmque interitus quamuis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate sæuitiam principis præuenirent. Eodem anno delectus per Galliam Narbonensem Africámque & Asiam habiti sunt, supplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine fessi, sacramento soluebantur. Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus
E est princeps, vt amissa vrbi reponerent, quam pecuniam Lugdunenses antè obtulerant, turbidis casibus. C. Suetonio, L. Telesino Coss. Antistius Sosianus factitatis in Neronem carminibus probrosis, exsilio, vt dixi, multatus, postquam id honoris indicibus, támque promptum ad cædes principem accèpit, inquies animo, & occasionum haud segnis, Pammenem eiusdem loci exsulem, & Chaldæorum arte famosum, eóque multorum amicitiis innixum, similitudine fortunæ
F sibi conciliat. Ventitare ad eum nuntios & consultationes non frustra ratus, simul annuam pecuniam à P. Anteio ministrari cognoscit. Neque nescium habebat, Anteium caritate Agrippinæ inuisum Neroni, opésque eius præcipuas ad eliciendam cupidinem, eámque caussam multis exitio esse. Igitur interceptis Anteij litteris, furatus etiam libellos quibus dies genitalis eius, & euentura secretis Pammenis occultabantur, simul re-
G pertis quæ de ortu vitáque Ostorij Scapulæ composita erant, scribit ad principem, magna se, & quæ incolumitati eius conducerent allaturum, si breuem exsilij veniam impetrauisset: quippe Anteium & Ostorium imminere rebus, & sua Cæsarisque fata scrutari. Exin missæ liburnicæ, aduehiturque properè Sosianus. Ac vulgato eius indicio, inter damnatos magis quàm inter reos Anteius Ostoriúsque habebantur: adeò vt testamentum Anteij nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset. Monitus prius Anteius, ne supre-

mas

mas tabulas moraretur. At ille hausto veneno, tarditatem eius perosus, intercisis venis, mortem approperauit. Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eò missus centurio, qui cædem eius maturaret. Caussa festinandi ex eo oriebatur, quòd Ostorius multâ militari famâ, & ciuicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore, armorúmque scientiâ, metum Neroni fecerat, ne inuaderet, pauidum semper, & repertâ nuper coniuratione magis exterritum. Igitur centurio vbi effugia villæ clausit, iussa imperatoris Ostorio aperit. Is fortitudinem aduersum hostes sæpe spectatam in se vertit. Et quia venæ quanquam interruptæ parum sanguis effundebant, hactenus manu serui vsus vt immotum pugionem extolleret, adpressit dextram eius, iugulóque occurrit. Etiam si bella externa, & obitas pro Rep. mortes tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset, aliorúmque tædium exspectarem, quamuis honestos ciuium exitus, tristes tamen & continuos aspernantium. At nunc patientia seruilis, tantûmque sanguinis domi perditum, fatigant animum & mæstitia restringunt. Neque aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur exegerim, quàm ne oderim tam segniter percuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non vt in cladibus exercituum, aut captiuitate vrbium, semel editam transire licet. Detur hoc illustrium virorum posteritati, vt quomodo exsequiis à promiscua sepultura separantur; ita in traditione supremorum accipiant habeántque propriam memoriam. Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mella, Cerialis Anicius, Rufus Crispinus, ac C. Petronius cecidere. Mella & Crispinus equites Romani, dignitate senatoria. Nam hic quondam præfectus prætorij, & consularibus insignibus donatus, ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto iussæ mortis nuntio semet interfecit. Mella quibus Gallio & Seneca parentib. natus, petitione honorum abstinuerat, per ambitionem præposteram, vt eques Romanus consularibus potentia æquaretur. Simul acquirendæ pecuniæ breuius iter credebat, per procurationes administrandis principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis. quo interfecto, dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem conciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiúmque coniurationis scientia fingitur, assimilitas Lucani litteris. quas inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhiás. At Mella, quæ tum promptissima mortis via, exsoluit venas: scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinú, generúmque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitij quærens ita scripsisset: *se quidem mori nullis supplicij caussis, Rufium tamen Crispinum & Anicium Cerialem vita frui, infensos principi.* quæ composita credebantur, de Crispino quia interfectus erat, de Ceriale vt interficeretur. Neque enim multo pòst vim sibi attulit, minore quàm ceteri miseratione, quia proditam C. Cæsari coniurationem ab eo meminerant. De C. Petronio suprà pauca repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officiis, & oblectamentis vitę transigebatur. Vtque alios industria, ita hunc ignauia ad famam protulerat, habebatúrque non ganeo

A & profligator, vt plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factáque eius quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratiùs in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, & mox consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein reuolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantię arbiter, dum nihil amœnum, & molle
B affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbauisset. Vnde inuidia Tigellini, quasi aduersus æmulum, & scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem principis, cui cetere libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Scæuini Petronio obiectans, corrupto ad indicium seruo, ademptáque defensione, & maiore parte familiæ in vincla rapta. Fortè illis diebus Campaniam petiuerat Cæsar, & Cumas vsque progressus Petronius illic attinebatur. Nec tulit vlterà timoris aut spei moras:
C neque tamen præceps vitam expulit, sed incisas venas, vt libitum obligatas, aperire rursum, & alloqui amicos, non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Audiebátque referentes, nihil de immortalitate animæ, & sapientium placitis, sed leuia carmina & faciles versus. Seruorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. Iniit & vias, somno indulsit, vt quamquam coacta mors, fortuitæ similis esset. Ne codicillis quidem (quod plerique percuntium) Neronem aut Tigel-
D linum, aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarúmque, & nouitate cuiusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni. fregítque annulum, ne mox vsui esset ad facienda pericula. Ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia matrimonio senatoris haud ignota, & ipsi ad omnem libidinem adscita, ac Petronio perquàm familiaris,
E agitur in exsilium, tamquam non siluisset quæ viderat pertuleratque proprio odio. At Numicium Thermum prætura functum Tigellini simultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminosè detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita lueret. Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupiuit, interfecto Thrasea Pæto & Barea Sorano, olim vtrisque infensus, & accedentibus caussis in Thra-
F seam: quòd senatu egressus est, cùm de Agrippina referretur, vt memoraui: quodque Iuuenalium ludicro parum expeditam operam præbuerat: eaque offensio altiùs penetrabat, quia idem Thrasea Patauij, vnde ortus erat, ludis Cesticis à Troiano Antenore institutis, habitu tragico cecinerat. Die quoque quo prætor Antistius, ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit, obtinuitque: & cùm deûm honores Poppææ decernuntur, sponte absens, funeri non interfuit. Quæ oblitterari non sinebat Capito Cossutianus, præter animum ad flagitia præ-
G cipitem, inimicus Thrasæ, quòd auctoritate eius concidisset iuuantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. Quin & illa obiectabat: *principio anni vitare Thraseam sollenne iusiurandum: nuncupationibus votorum non adesse, quamuis Quindecimuirali sacerdotio præditum: nunquam pro salute principis, aut cælesti voce immolauisse: assiduum olim & indefessum, qui vulgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut aduer-*

ſarum oſtenderet, triennio non introiſſe curiam: nuperrimèque cùm ad coërcendos Silanum & Veterē certatim concurreretur, priuatis potiùs clientium negotiis vacauiſſe. ſeceſſionē iam id & partes, & , ſi multi idem audeant, bellum eſſe. Vt quondam C. Cæſarem, inquit, *& M. Catonem, ita nunc te Nero & Thraſeam auida diſcordiarum ciuitas loquitur. Et habet ſectatores vel potiùs ſatellites, qui nondum contumaciam ſententiarum, ſed habitum vultúmque eius ſectantur, rigidi & triſtes, quò tibi laſciuiam exprobrēt. Huic vni incolumitas tua ſine arte, ſine honore. Proſperas principis res ſpernit: etiā ne luctibus & doloribus nō ſatiatur? Eiuſdē animi eſt, Poppæam diuā non credere cuius in acta diui Auguſti & diui Iulij nō iurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani per prouincias, per exercitus, curatiùs leguntur, vt noſcatur quid Thraſea nō fecerit. Aut trāſeamus ad illa inſtituta, ſi potiora ſunt, aut noua, cupientibus auferatur dux & auctor. Iſta ſecta Tuberones & Fauonios veteri quoq; Reip. ingrata nomina genuit. Vt imperium euertant, libertatē præferūt: ſi peruerterint, libertatē ipſam aggredientur. Fruſtrà Caſſium amouiſti, ſi gliſcere & vigere Brutorum æmulos paſſurus es. Deniq; nihil ipſe de Thraſeâ ſcripſeris, diſceptatorē ſenatū nobis relinque.* Extollit irâ promptum Coſſutiani animū Nero: adiicítq; Marcellū Eprium acri eloquētia. At Bareā Soranū iam ſibi Oſtorius Sabinus eques Romanus popoſcerat reū ex proconſulatu Aſiæ, in quâ offenſiones principis auxit, iuſtitiâ atq; induſtriâ: & quia portui Epheſiorum aperiendo curam inſumpſerat: vimq; ciuitatis Pergamenæ, prohibentis Acratum Cęſaris libertum ſtatuas & picturas auehere, inultam omiſerat. Sed crimini dabatur amicitia Plauti, & ambitio conciliādæ prouinciæ ad ſpes nouas. Tēpus damnationi delectum, quo Tiridates accipiēdo Armeniæ regno aduentabat: vt ad externa rumoribus inteſtinū ſcelus obſcuraretur, an vt magnitudinem imperatoriam cæde inſignium virorum quaſi regio facinore oſtentaret. Igitur omni ciuitate ad excipiendum principem, ſpectandúmque regem effuſâ, Thraſea occurſu prohibitus nō demiſit animum: ſed codicillos ad Neronem cōpoſuit, requirens obiecta, & expurgaturum aſſeuerans, ſi notitiam criminum & copiam diluendi habuiſſet. Eos codicillos Nero properanter accepit, ſpe exterritum Thraſeam ſcripſiſſe, per quæ claritudinem principis extolleret, ſuámque famā dehoneſtaret. Quod vbi non euenit, vultúmque & ſpiritus & libertatem inſontis vltrò extimuit, vocari patres iuſſit. Tum Thraſea inter proximos conſultauit, tentarétne defenſionem, an ſperneret. Diuerſa conſilia afferebantur. Quibus intrari curiam placebat, *ſecuros eſſe de conſtantiâ eius dixerunt, nihil dicturum, niſi quo gloriam augeret. Segnes & pauidos ſupremis ſuis ſecretum circumdare. Adſpiceret populus virum morti obuium, audiret ſenatus voces quaſi ex aliquo numine ſupra humanas: poſſe ipſo miraculo etiam Neronem permoueri. ſin crudelitati inſiſteret, diſtingui certè apud poſteros memoriam honeſti exitus ab ignauiâ per ſilentiū pereuntium.* Contrà qui opperiendū domi cenſebant, de ipſo Thraſeâ eadem. *ſed ludibria & contumelias imminere, ſubtraheret aures conuiciis & probris. Non ſolum Coſſucianum aut Eprium ad ſcelus promptos, ſupereſſe qui forſitan manus ictúsq; per immanitatem Auguſti. etiā bonos metu ſequi. Detraheret potiùs ſenatus, quē perornauiſſet, infamiam tāti flagitij; & relinqueret incertum, quid viſo Thraſeâ reo*

A *decreturi patres fuerint. vt Neronē flagitiorū pudor caperet, irritâ ſpe agitari: multóq; magis timendū, ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius ſæuiret. Proinde intemeratus, impollutus, quorum veſtigiis & ſtudiis vitam duxerit, eorum gloriâ peteret finem.* Aderat conſilio Ruſticus Arulenus flagrans iuuenis, & cupidine laudis offerebat ſe interceſſurum ſenatuſconſulto. Nam plebis trib. erat. Cohibuit ſpiritus eius Thraſea, *ne vana & reo non pro-*
B *futura, interceſſori exitioſa inciperet. Sibi actam ætatem, & tot per annos continuum vitæ ordinem, nō deſerendum: illi initium magiſtratuum, & integra quæ ſuperſint. Multum antè ſecum expenderet, quod tali in tempore capeſſendæ Reip. iter ingrederetur.* Ceterùm ipſe an venire in ſenatum deceret, meditationi ſuæ reliquit. At poſtera luce duæ prætoriæ cohortes armatæ, templum genitricis Veneris inſedere. Aditum ſenatus globus togatorum obſe-
C derat, non occultis gladiis. diſperſique per fora ac baſilicas cunei militares. inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiā ſenatores. Et oratio principis per Quæſtorem eius audita eſt. Nemine nominatim compellato, patres arguebat, *quòd publica munia deſererent, eorúmq; exēplo equites Rom. ad ſegnitiam verterentur. Etenim quid mirum è longinquis prouinciis haud veniri, cùm pleriq; adepti conſulatū & ſacerdotia, hortorum potiùs amœnitati inſeruirent?* quod velut telum arripuere accuſato-
D res. Et initiū faciente Coſſutiano, maiore vi Marcellus, *ſummam Remp. agi* clamitabat; *contumaciâ inferiorum, lenitatem imperitātis deminui. Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraſeam deſciſcentem, qui generum eius Heluidium Priſcum in iiſdem furoribus, ſimul Paconiū Agrippinū paterni in principes odij heredem, & Curtium Montanum deteſtāda carmina factitantem, eludere impunè ſinerēt. Requirere ſe in ſenatu conſularem, in votis ſacerdotē, in iureiurando ciuem: niſi contra inſtituta & cærimo-*
E *nias maiorum, proditerem palam & hoſtem Thraſea induiſſet. Deniq; agere ſenatorem, & principis obtrectatores protegere ſolitus, veniret, cenſeret quid corrigi aut mutari vellet, faciliùs perlaturos ſingula increpantem, quàm nunc ſilentium perferrent omnia damnantis. Pacem illi per orbem terræ, an victorias ſine damno exercituum diſplicere? Ne hominē bonis publicis mæſtum, & qui fora, theatra, templa pro ſolitudine haberet, qui minitaretur exſilium ſuum ambitionis prauæ compotem facerent. Non illi conſulta*
F *hæc, non magiſtratus, aut Romanam vrbem videri. Abrumperet vitam ab eâ ciuitate, cuius caritatem olim, nunc & aſpectum exuiſſet.* Cùm per hæc atque talia Marcellus, vt erat toruus & minax, voce, vultu, oculis ardeſceret, nō illa nota & celebritate periculorum ſueta iam ſenatus mæſtitia, ſed nouus & altior pauor, manus & tela militum cernentibus. ſimul ipſius Thraſeæ venerabilis ſpecies obſeruabatur: & erant qui Heluidium quoque miſerarentur, innoxiæ affinitatis pœnas daturū. Quid
G Agrippino obiectum, niſi triſtem patris fortunā? quando & ille perinde innocens Tiberij ſæuitia concidiſſet. Enimuerò Montanum probæ iuuentæ, neque famoſi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. Atq; interim Oſtorius Sabinus Sorani accuſator ingreditur, orditúrque de amicitiâ Rubellij Plauti, quódque proconſulatum Aſiæ Soranus pro claritate ſibi potiùs accommodatum, quàm ex vtilitate communi egiſſet, alendo ſeditiones ciuitatum. Vetera hæc. ſed recēs, diſcrimini patris filiam connectebat, quòd pecuniam

Magis

Magis dilargita esset. Acciderat sanè pietate Seruiliæ (id enim nomen puellæ fuit) quæ caritate erga parentem, simul imprudentiâ ætatis, non tamē aliud cōsultauerat, quam de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox afferret. Igitur accita est in senatū, steteruntque diuersi ante tribunal consulum, grandis æuo parens, cōtrà filia intra vicesimum ætatis annum, nuper marito Annio Pollione in exsilium pulso, viduata desolatáq;: ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur. B Tū interrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum ceruici monile venum dedisset, quo pecuniam faciēdis magicis sacris contraheret? primùm strata humi, longóque fletu & silentio, pòst, altaria & aram cōplexa: *Nullos*, inquit, *impios deos, nullas deuotiones, nec aliud infelicibus precibus inuocaui, quàm ve hūc optimū patrem tu Cesar, & vos patres seruaretis incolumē. Sic gemmas & vestes & dignitatis insignia dedi, quemodo si sanguinem & vitā poposcissent. Viderint isti, antehac mihi ignoti quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio, nisi inter numina fuit. Nescit tamen miserrimus pater. & si crimen est, sola deliqui.* Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamátque, nō illam in prouinciam secum profectam, non Plauto per ætatē nosci potuisse, non criminibus mariti cōnexam, nimiæ tantùm pietatis ream, separarent à se quamcunque sortem subiret. Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, nisi interiecti lictores vtrisque obstitissent. D Mox datus testibus locus: & quātum misericordię sęuitia accusationis permouerat, tātum iræ P. Egnatius testis conciuit. Cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimēdam imaginem honesti exercitus, ceterùm animo perfidiosus, & subdolus, auaritiā ac libidinem occultans. Quæ postquam pecuniâ reclusa sunt, dedit exemplum præcauendi, quomodo fraudibus inuolutos, aut flagitiis cōmaculatos; sic specie bonarum artiū falsos, & amicitiæ fallaces. Idem tamen dies & honestum exemplum tulit Cassij Asclepiodoti, qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebrauerat, labentem non deseruit. Exutúsque omnibus fortunis, & in exsilium actus, æquitate deûm erga bona maláq, documēta. Thraseæ, Soranóque, & Seruiliæ datur mortis arbitrium. Heluidius & Paconius Italiâ depellūtur. Montanus patri concessus est, prædicto ne in Repub. haberetur. Accusatoribus Eprio & Cossutiano quinquagies sestertiûm singulis, Ostorio duodecies & quæstoria insignia tribuuntur. Tum ad Thraseam in hortis agētem quæstor consulis missus, vesperascente iam die. illustrium virorū feminarúmq; cœtus frequentes egerat, maximè intentus Demetrio Cynicæ institutionis doctori: cū quo, vt cōiectare erat intentione vultus, & auditu si qua clariùs proloquebantur, de natura animæ, & dissociatione spiritus corporísque inquirebat: donec aduenit Domitius Cæcilianus ex intimis amicis, & ei quid senatus censuisset, exposuit. Igitur flentes quiritantésque qui aderant, facessere properè Thrasea, neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur. Arriámque tentantem mariti suprema, & exēplum Arriæ matris sequi, monet retinere vitam, filiæque communi subsidium vnicum non adimere. Tum progressus in porticum, illic à quæstore reperitur, lætitiæ propior, quia Heluidium generum suum Italia tantum arceri cognouerat. Accepto dehinc senatusconsulto, Heluidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectísque vtriusque brachij venis, postquam cruorem effudit, humum super spargēs, propiùs vocato quęstore, *Libemus*, inquit, IOVI LIBERATORI. *Specta iuuenis, & omen quidem dij prohibeant, ceterùm in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.* Post lentitudine exitus graues cruciatus afferente, obuersis in Demetrium.

·C· CORNELII TACITI AB EXCESSV NERONIS HISTORIARVM

LIBER I.

E INITIVM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius consules erunt. Nam post cōditam vrbem DCC. & XX. prioris æui annos multi auctores retulerunt; dum res populi Rom. memorabātur, pari eloquentia ac libertate. Postquam bellatū apud Actium, atq; omnem potestatem ad vnū conferri pacis interfuit; magna illa ingenia cessere. Simul veritas pluribus modis infracta. primùm inscitia Reip. vt alienę, mox libidine assentandi, aut rursus odio aduersus dominantes. Ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios. F Sed ambitionem scriptoris facilè auerseris: obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur. quippe adulationi fœdum crimen seruituris, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatē nostram à Vespasiano inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longiùs prouectam nō abnuerim. sed incorruptā fidem professis, nec amore quisquam, & sine odio dicendus est. Quòd si vita suppeditet, principatum diui Neruę, & imperium Traiani, vberiorem securiorémq; materiā senectuti seposui: rara tēporū felicitate, vbi sentire quę velis, & quæ sentias dicere licet. Opus aggredior opimum casibus, atrox prœliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sæuum. Quatuor principes ferro interempti. Tria bella ciuilia, plura externa, ac plerumq; permixta. Prosperæ, in Oriente; aduersæ, in Occidente res. Turbatum Illyricum, Gallię nutātes, perdomita Britānia, & statim amissa. coortæ Sarmatarū ac Sueuorum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiam propè Parthorū arma falsi Neronis ludibrio. Iam verò Italia nouis cladibus, vel post lōgam sæculorū seriē repetitis, afflicta. Haustę aut obrutę vrbes fecūdissimæ Campanię oræ. Vrbs incēdiis vastata, cōsumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio ciuiū manibus incēso. Pollutę cerimonię. magna adulteria. plenum exsiliis mare. infecti cædibus scopuli. atrocius in vrbe sæuitum. Nobilitas, opes, omissi gestique honores

pro crimine, & ob virtutes certissimũ exitiũ. Nec
minus præmia delatorũ inuisa quàm scelera: cùm
alij sacerdotia & cõsulatus vt spolia adepti, procu-
rationes alij & interiorem potẽtiam, agerẽt verte-
rẽt cuncta odio & terrore. Corrupti in dominos
serui, in patronos liberti: & quib. deerat inimicus,
per amicos oppressi. Nõ tamẽ adeò virtutũ sterile
sęculũ, vt non & bona exempla prodiderit. Comi-
tate profugos liberos matres, secutę maritos in ex-
silia cõiuges, propinqui audẽtes, constãtes generi,
contumax etiã aduersus tormẽta seruorum fides.
Supremæ clarorũ virorũ necessitates, ipsa necessi-
tas fortiter tolerata, & laudatis antiquorũ morti-
bus pares exitus. Præter multiplices rerũ humana-
rũ casus, cælo terráq; prodigia, & fulminum mo-
nitus, & futurorum pręsagia, lęta, tristia, ambigua,
manifesta. Nec enim vnquam atrocioribus popu-
li Ro. cladibus, magisve iustis iudiciis approbatũ
est, nõ esse curæ deis securitatem nostrã, esse vltio-
nẽ. Ceterùm antequam destinata componã, repe-
tẽdum videtur, qualis status vrbis, quę mẽs exerci-
tuũ, quis habitus prouinciarũ, quid in toto terra-
rum orbe validũ, quid ægrũ fuerit: vt nõ modò ca-
sus euẽtúsq; rerũ, qui plerũq; fortuiti sunt, sed ra-
tio etiam caussæq; noscantur. Finis Neronis, vt læ-
tus primo gaudentiũ impetu fuerat, ita varios mo-
tus animorum, nõ modò in vrbe apud patres, aut
populũ, aut vrbanum militem, sed omnes legio-
nes ducésq; conciuerat. euulgato imperij arcano,
posse principẽ alibi quàm Romæ fieri. Sed patres
lęti, vsurpata statim libertate, licẽtiùs vt erga prin-
cipem nouum & absentẽ. primores equitum pro-
ximi gaudio patrũ. pars populi integra, & magnis
domibus annexi cliẽtes libertiq; damnatorũ & e-
xulũ, in spẽ erecti. Plebs sordida & circo ac thea-
tris sueta, simul deterrimi seruorũ, aut qui adesis
bonis, per dedecus Neronis alebãtur, mæsti & ru-
morũ auidi. Miles vrbanus lõgo Cęsarũ sacramẽ-
to imbutus, & ad destituẽdum Neronẽ arte magis
& impulsu, quàm suo ingenio traductus, postquã
neq; dari donatiuũ sub nomine Galbę promissum,
neque magnis meritis ac pręmiis eundem in pace
qui in bello locũ, pręuentamq; gratiã intelligit, a-
pud principẽ à legionibus factũ; pronus ad nouas
res, scelere insuper Nymphidij Sabini Pręfecti im
periũ sibi molientis agitatur. Et Nymphidius qui-
dẽ in ipso conatu oppressus. Sed quãuis capite de-
fectionis ablato, manebat plerisq; militũ cõscien-
tia; nec deerãt sermones, senium atq; auaritiã Gal-
bę increpantiũ. Laudata olim & militari famâ ce-
lebrata seueritas eius, angebat coaspernãtes vete-
rẽ disciplinam, atq; ita XIIII. annis à Nerone assue-
factos, vt haud minus vitia principũ amarẽt, quàm
olim virtutes verebantur. Accessit Galbæ vox pro
Rep. honesta, ipsi anceps, legi à se militem, non e-
mi. Nec enim ad hãc formam cetera erãt. Inualidũ
senem T. Vinius & Cornelius Laco, alter deterri-
mus mortaliũ, alter ignauissimus, odio flagitiorũ
oneratũ, cõtemptu inertię destruebãt. Tardũ Gal-
bę iter & cruẽtum, interfectis Cingonio Varrone
cõsule designato, & Petronio Turpiliano consula-
ri. ille vt Nymphidij socius, hic vt dux Neronis, in-
auditi atq; indefensi, tanquã innocentes perierãt.
Introitus in vrbẽ, trucidatis tot millibus inermiũ
militũ, infaustus omine, atque ipsis etiã qui occi-
derãt, formidolosus. Inducta legione Hispana, re-
manente ea quam è classe Nero conscripserat, ple-
na vrbs exercitu insolito. multi adhoc numeri è
Germania ac Britãnia & Illyrico, quos idem Nero
electos præmissósq; ad claustra Caspiarum, & bel-

A lum quod in Albanos parabat, opprimendis Vin-
dicis cœptis reuocauerat: ingẽs nouis rebus mate-
ria, vt nõ in vnum aliquem prono fauore, ita au-
dẽti parata. Fortè congruerat, vt Clodij Macri &
Fõteij Capitonis cædes nũtiarẽtur. Macrum in A-
frica haud dubiè turbantem, Trebonius Garucia-
nus procurator, iussu Galbæ: Capitonẽ in Germa-
nia, cùm similia cœptaret, Cornelius Aquinus &
Fabius Valẽs legati legionum interfecerant, ante-
B quam iuberẽtur. Fuere qui crederent, Capitonẽ, vt
auaritia & libidine fœdũ ac maculosum, ita cogi-
tatione rerũ nouarũ abstinuisse: sed à legatis bel-
lum suadẽtibus, postquam impellere nequiuerint,
crimẽ ac dolum compositum vltrò: & Galbã mo-
bilitate ingenij, an ne altiùs scrutaretur, quoquo
modo acta, quia mutari nõ poterãt, comprobasse.
Ceterùm vtraque cædes sinistrè accepta: & inuiso
semel principe, seu benè seu malè facta premunt.
Iam afferebãt venalia cuncta præpotentes liberti.
C Seruorũ manus subitis auidæ, & tãquam apud se-
nem festinãtes. eadémq; nouę aulę mala, ęquè gra-
uia, non æquè excusata. Ipsa ætas Galbæ, & irrisui
& fastidio erat, assuetis iuuẽtæ Neronis, & impe-
ratores formâ ac decore corporis (vt est mos vul-
gi) comparãtibus. Et hic quidẽ Romæ, tamquam
in tantã multitudine, habitus animorũ fuit. E pro-
uinciis, Hispanię pręerat Cluuius Rufus, vir facũ-
dus, &, pacis artibus, belli inexpertus. Galliæ, su-
per memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono
D Romanæ ciuitatis, & in posteru tributi leuamen-
to. Proximæ tamẽ Germanis exercitibus Galliarũ
ciuitates, non eodem honore habitæ, quędã etiam
finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac
suas iniurias metiebantur. Germanici exercitus,
quod periculosissimum in tãtis viribus, soliciti &
irati superbiâ recẽtis victoriæ, & metu, tãquam a-
lias partes fouissent. Tardè à Nerone desciuerant:
nec statim pro Galba Verginius. an imperare vo-
luisset dubium: delatum ei à milite imperium cõ-
E uenisse. Fonteium Capitonem occisum, etiã qui
queri non poterant, tamen indignabantur. Dux
deerat, abducto Verginio per simulationem ami-
citiæ: quem non remitti, atque etiam reum esse,
tamquam suum crimen accipiebant. Superior ex-
ercitus legatum Hordeonium Flaccum sperne-
bat, senecta ac debilitate pedum inualidum, sine
constantia, sine auctoritate: ne quieto quidem mi-
lite, regimen. adeò furentes infirmitate retinentis
vltrò etiam accendebantur. Inferioris Germaniæ
F legiones diutiùs sine consulari fuere: donec, missu
Galbæ, Vitellius aderat, censoris Vitellij ac ter cõ-
sulis filius. Id satis videbatur. In Britannico exer-
citu nihil irarum. Non sanè aliæ legiones per o-
mnes ciuilium bellorum motus, innocẽtiùs ege-
rũt: seu quia procul, & Oceano diuisæ, seu crebris
expeditionibus, doctę hostem potiùs odisse. Quies
& Illyrico: quamquam excitæ à Nerone legiones,
dum in Italia cunctantur, Verginiũ legationibus
adissent. Sed longis spatiis discreti exercitus, quod
saluberrimum est ad continendam militarem fi-
G dem, nec vitiis nec viribus miscebantur. Oriens
adhuc immotus. Syriam & quattuor legiones ob-
tinebat Licinius Mucianus, vir secũdis aduersisq;
iuxtà famosus. Insignes amicitias iuuenis ambi-
tiosè coluerat. mox attritis opibus, lubrico statu,
suspecta etiam Claudij iracundia, in secretũ Asiæ
repositus, tam propè ab exsule fuit, quàm postea à
principe. Luxuria, industria, comitate, arrogantia,
malis bonisque artibus mixtus. nimię voluptates,
cùm vacaret: quotiẽs expedierat, magnę virtutes.

Palàm

Palàm laudares, secreta malè audiebant. Sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas, variis illecebris potens: & cui expeditius fuerit tradere imperium, quàm obtinere. Bellum Iudaicum Flauius Vespatianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. Nec Vespatiano aduersus Galbam votum, aut animus. Quippe T. filium ad venerationem cultúmque eius miserat, vt suo loco memorabimus. Occulta lege fati, & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberísq; eius imperium, post fortunam credidimus. Ægyptum copiásque quibus coërceretur, iam inde à diuo Augusto, equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, superstitione, ac lasciuia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander eiusdem nationis. Africa, ac legiones in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicumque principe, post experimentum domini minoris. Duæ Mauretaniæ, Rhętia, Noricum, Thracia, & quę alię procuratoribus cohibentur, vt cuiq; exercitui vicinæ, ita in fauorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes prouincię: atque ipsa in primis Italia, cuicumq; seruitio expositę, in pretium belli cessuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cùm Ser. Galba iterũ, Titus Vinius cõsules, inchoauere annum sibi vltimum, Reip. propè supremum. Paucis post Kalen. Ianuarias diebus, Pompeij Propinqui procuratoris, è Belgica litteræ afferuntur, superioris Germaniæ legiones, rupta sacramenti reuerentia, imperatorem alium flagitare, & senatui ac Pop. Ro. arbitrium eligendi permittere, quo seditio mollius acciperetur. Maturauit ea res consilium Galbę, iampridè de adoptione secum & cum proximis agitantis. Nõ sanè crebrior tota ciuitate sermo per illos menses fuerat. primùm licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa iam ętate Galbę. Paucis iudicium, aut Reip. amor: multi occulta spe. prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinij odium. qui in dies quanto potentior, eodem actu inuisior erat. Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipsa Galbæ facilitas intẽdebat: cùm apud infirmum & credulum minore metu, & maiore præmio peccaretur. Potẽtia principatus diuisa in T. Vinium consulem, & Cornelium Laconem prætorij præfectum. Nec minor gratia Icelo Galbæ liberto, quem annulis donatũ equestri nomine Martianum vocitabant. Hi discordes, & rebus minoribus sibi quisq; tendentes, circa consilium eligẽdi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro Othone, Laco atq; Icelus consensu non tam vnum aliquem fouebant, quàm alium. Neque erat Galbæ ignota Othonis ac T. Vinij amicitia, ex rumoribus nihil silentio transmittentium: quia Vinio vidua filia, cęlebs Otho, gener ac socer destinabantur. Credo & Reip. curam subisse, frustra à Nerone translatæ, si apud Othonem relinqueretur. namq; Otho pueritiam incuriosè, adolescentiam petulanter egerat, gratus Neroni æmulatione luxus. Eoque iam Poppæam Sabinã principale scortũ, vt apud consciũ libidinũ deposuerat, donec Octauiã vxorẽ amoliretur. Mox suspectum in eadem Poppęa in prouinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho, comiter administrata prouincia, primus in partes transgressus, nec segnis, & donec bellum fuit, in-

A ter præsentes splẽdidissimus, spem adoptionis statim conceptam, acrius in dies rapiebat: fauentibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis vt similem. Sed Galba, post nuntios Germanicæ seditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quónam exercituum vis erumperet, ne vrbano quidem militi confisus, quod remedium vnicum rebatur, comitia imperij transigit. Adhibitóq; super Vinium, ac Laconem, Mario

B Celso consule designato, ac Ducennio Gemino præfecto vrbis, pauca præfatus de sua senectute, Pisonem Licinianum accersiri iubet: seu propria dilectione, siue, vt quidam tradiderunt. Lacone instãte. cui apud Rubellium Plautũ exercita cum Pisone amicitia: sed callidè vt ignotum fouebat, & prospera de Pisone fama cõsilio eius fidem addiderat. Piso M. Crasso & Scribonia genitus, nobilis vtrimque, vultu habitúque moris antiqui, & ęstimatione recta seuerus, deterius interpretanti-

C bus tristior habebatur. Ea pars morũ eius, quo suspectior solicitis, adoptanti placebat. Igitur Galba apprehensa Pisonis manu, in hunc modũ locutus fertur. *Si te priuatus, lege curiata apud Pontifices, vt moris est, adoptarem: & mihi egregiũ erat tũc, Pompey & M. Crassi subolem in penates meos adsciscere: & tibi insigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ decora, nobilitati tuæ adiecisse. Nunc me deorum hominúmq; consensu ad imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor*

D *patriæ impulit, vt principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram. exemplo diui Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremò Tiberium Neronem priuignum, in proximo sibi fastigio collocauit. Sed Augustus in domo successorẽ quæsiuit: ego, in Rep. Non quia propinquos aut socios belli non habeam: sed neq; ipse imperium ambitione accepi, & iudicij mei documentum sint, non mea tantùm necessitudines, quas tibi postposui, sed & tuæ. Est tibi*

E *frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea ætas tua, quæ cupiditates adolescẽtiæ iã effugerit: ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum aduersam tulisti. Secunda res acrioribus stimulis animos explorant: quia miseriæ tolerãtur, felicitate corrũpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadẽ constantia retinebis: sed alij per obsequium imminuẽt. Irrumpet adulatio, blanditiæ pessimũ veri affectus venenũ, sua cui-*

F *q; vtilitas. Etiã ego ac tu simplicissimè inter nos hodie loquimur: ceteri, libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris: assentatio erga principẽ quemcumq; sine affectu peragitur. Si immensum imperij corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus erã, à quo Resp. inciperet. Nunc eò necessitatis iampridem ventũ est, vt nec mea senectus cõferre plus Populo Ro. possit, quàm bonum successorem: nec tua plus iuuenta, quàm bonũ principẽ. Sub Tiberio, & Caio, & Claudio, vnius familiæ quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et finita Iuliorum Claudiorúmq; domo,*

G *optimum quemq; adoptio inueniet. Nam generari, & nasci à principibus, fortuitum, nec vltra æstimatur: adoptandi iudicium integrum: & si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem longa Cæsarum serie tumentem, non Vindex cum inermi prouincia, aut ego cum vna legione: sed sua immanitas, sua luxuria ceruicibus publicis depulere. Neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello, & ab æstimantibus asciti, cum inuidia quam-*

nis, egregij erimus. Ne tamen territus fueris, si duæ legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescũt. Ne ipse quidem ad securas res accessi: & audita adoptione, desinam videri senex, quod nunc mihi vnum obiicitur. Nero à pessimo quoq; semper desiderabitur: mihi ac tibi prouidendum est, ne etiam à bonis desideretur. Monere diutius, neq; temporis huius, & impletum est omne consilium, si te bene elegi. Vtilissimúsq; idem ac breuissimus bonarum malarúmque rerum delectus est, cogitare quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris. Neq; enim hic, vt in ceteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & ceteri serui: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam seruitutem pati possunt, nec totam libertatem. Et Galba quidem, hæc ac talia, tamquam principem faceret: ceteri, tamquam cum facto loquebantur. Pisonem ferunt statim intuentibus, & mox coniectis in eum omnium oculis, nullum turbati, aut exsultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem imperatorémque reuerens, de se moderatus, nihil in vultu habitúque mutatum: quasi imperare posset magis, quàm vellet. Consultatum inde, pro rostris, an in senatu, an in castris adoptio nuncuparetur. Iri in castra placuit. honorificum id militibus fore, quorum fauorem vt largitione & ambitu malè acquiri, ita per bonas artes haud spernendum. Circumsteterat interim palatium publica exspectatio magni secreti impatiens, & malè coërcitam famam supprimentes augebant. Quartum Idus Ianuarias, fœdum imbribus diem, tonitrua & fulgura & cælestes minæ vltra solitum turbauerant. Obseruatum id antiquitus comitiis dirimendis, non terruit Galbam quo minus in castra pergeret: contemptorem talium vt fortuitorum, seu quæ fato manent, quamuis significata, non vitantur. Apud frequentem militum concionem, imperatoria breuitate, adoptari à se Pisonem, more diui Augusti, & exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat: ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, vltrò asseuerat, quartam & duo & vicesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non vltra verba ac voces errasse, & breui in officio fore. Nec vllum orationi aut lenocinium addit, aut pretium. Tribuni tamen centurionésque, & proximi militum, grata auditu respondent. per ceteros mæstitia ac silentium, tamquam vsurpatam etiam in pace donatiui necessitatem, bello perdidissent. Constat potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate. Nocuit antiquus rigor & nimia seueritas, cui iam pares non sumus. Inde apud senatum non comptior Galbæ, non longior quàm apud milites sermo: Pisonis comis oratio. Et patrum fauor aderat, multi voluntate effusius, qui noluerant mediè, ac plurimi obuio obsequio priuatas spes agitantes, sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo (quod medium inter adoptionem & cædem fuit) dictum à Pisone in publico, factúmve. Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuntiis, & facili ciuitate ad accipienda credendáque omnia noua, cùm tristia sunt: censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum secreto, num & Piso proficisceretur, maiore prætextu: illi auctoritatem senatus, hic dignationem Cæsaris laturus. Placebat & Laconem prætorij præfectum simul mitti. Is consilio intercessit. Legati quoque (nam senatus electionem Galbæ permiserat) fœda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, vt quemque metus vel spes impulerat. Proxima pecuniæ cura. Et cuncta scrutantibus iustissimum visum est, inde repeti, vbi inopiæ caussa erat. Bis & vicies mille sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quẽq; eorũ relicta. At illis vix decumæ super portiones erãt: iisdẽ erga aliena sumptibus quibus sua prodegerant, cùm rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri, aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni x x x. equites Romani præpositi, nouum officij genus, & ambitu ac numero onerosum: vbique hasta, & sector, & inquieta vrbs auctionibus. Attamẽ grande gaudium, quòd tam pauperes forent quibus donasset Nero, quàm quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, è prætorio Antonius Taurus, & Antonius Naso: ex vrbanis cohortibus, Æmylius Pacensis: è vigiliis, Iulius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium: tamquam per artem & formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis. interea Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul extimulabant: luxuria etiam principi onerosa, inopia vix priuato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem inuidia. Fingebat & metum, quo magis concupisceret. *Prægrauem se Neroni fuisse. nec Lusitaniam rursus aut alterius exsilij honorem exspectandum: suspectum semper inuisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem principem: magis nociturum apud iuuenem, ingenio trucem, & longo exsilio efferatum. Occidi Othonem posse. proin agendum audendúmque dum Galba auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. Opportunos magnis conatibus transitus rerum: nec cunctatione opus, vbi perniciosior sit quies, quàm temeritas. Mortem omnibus ex natura æqualem, obliuione apud posteros, vel gloria distingui. Ac si nocentem innocentémque idem exitus maneat, acrioris viri esse, meritò perire.* Non erat Othonis mollis & corpori similis animus. Et intimi libertorum seruorúmque corruptiùs, quàm in priuata domo habiti, aulam Neronis. & luxus, adulteria, matrimonia ceterásque regnorum libidines, auido talium, si auderet, vt sua ostentantes; quiescenti, vt aliena exprobrabant: vrgentibus etiam mathematicis, dum nouos motus, & clarum Othoni annum obseruatione siderum affirmant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur. Multos secreta Poppææ mathematicos, pessimum principalis matrimonij instrumentum, habuerant: è quibus Ptolemæus Othoni in Hispania comes, cùm superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex euentu fides, coniectura iam & rumore, senium Galbæ, & iuuentam Othonis computantium, persuaserat fore, vt in imperium ascisceretur. Sed Otho tamquam peritia, & monitu fatorum prædicta accipiebat, cupidine ingenij humani libentiùs obscura credi. Nec deerat Ptolemæus, iam & sceleris instinctor, ad quod facillimè ab eiusmodi voto transitur. Sed celeris cogitatio incertum an repens, studia militum iampridem spe successionis, aut paratu facinoris affectauerat. In itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus, contubernales

bernales appellando, alios agnoſcere, quoſdam A
requirere,& pecunia aut gratia iuuare: inferendo
ſæpiùs querelas, & ambiguos de Galba ſermo-
nes, quæque alia turbamenta vulgi. Labores iti-
nerum, inopia commeatuum, duritia imperij, a-
trociùs accipiebantur: cùm Campaniæ lacus &
Achaiæ vrbes claſſibus adire ſoliti, Pirenæum &
Alpes,& immenſa viarum ſpatia, ægrè ſub armis
eniterentur. Flagrantibus iam militum animis,
velut faces addiderat Meuius Pudens, è proximis B
Tigellini. is mobiliſſimum quemque ingenio,
aut pecuniæ indigum, & in nouas cupiditates
præcipitem alliciendo, eò paulatim progreſſus
eſt,vt per ſpeciem conuiuij, quotiens Galba apud
Othonem epularetur,cohorti excubias agenti,vi-
ritim centenos nummos diuideret. quam velut
publicam largitionem, Otho, ſecretioribus apud
ſingulos præmiis,intendebat.adeò animoſus cor-
ruptor, vt Cocceio Proculo ſpeculatori de parte
finium cum vicino ambigenti, vniuerſum vicini C
agrum ſua pecunia emptum dono dederit: per
ſocordiam præfecti, quem nota pariter & occul-
ta fallebant.Sed tum e libertis Onomaſtū futuro
ſceleri præfecit, à quo Barbium Proculum Teſſe-
rarium ſpeculatorum, & Veturium Optionem
eorundem perductos, poſtquam vario ſermone
callidos,audacéſque cognouit, pretio & promiſ-
ſis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium
animos. Suſcepere duo manipulares imperium
Populi Ro. transferendum, & tranſtulerunt. In D
conſcientiam facinoris pauci aſciti, ſuſpenſos
ceterorum animos, diuerſis artibus ſtimulant:
primores militum, per beneficia Nymphidij vt
ſuſpectos: vulgus & ceteros, ira & deſperatione
dilati totiens donatiui. erant quos memoria Ne-
ronis, ac deſiderium prioris licentiæ accenderet.
in commune omnes metu mutandæ militiæ ex-
terrebantur. Infecit ea tabes legionum quoque
& auxiliorum motas iam mentes, poſtquam vul-
gatum erat labare Germanici exercitus fidem. A- E
deóque parata apud malos ſeditio,etiā apud inte-
gros diſſimulatio fuit, vt poſtero Iduum die, re-
deuntem à cœna Othonem rapturi fuerint, niſi
incerta noctis,& tota vrbe ſparſa militum caſtra,
nec facilem inter temulentos conſenſum timuiſ-
ſent: non reip. cura, quam fœdare principis ſui
ſanguine ſobrij parabant, ſed ne per tenebras, vt
quiſque Pannonici vel Germanici exercitus mi-
litibus oblatus eſſet, ignorantibus pleriſque pro
Othone deſtinaretur. Multa erumpentis ſeditio- F
nis indicia per conſcios oppreſſa; quædam apud
Galbæ aures præfectus Laco eluſit,ignarus milita-
rium animorum,conſiliíq;quamuis egregij,quod
non ipſe afferret, inimicus, & aduerſus peritos
peruicax.XVIII. Kalend. Febr. ſacrificanti pro æde
Apollinis Galbæ,haruſpex Vmbricius triſtia exta,
& inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem præ-
dicit:audiente Othone(nam proximus adſtiterat)
Idq; vt lætum è contrario, & ſuis cogitationibus
proſperum interpretante. Nec multo poſt liber-
tus Onomaſtus nuntiat, exſpectari eum ab archi- G
tecto & redemptoribus. quæ ſignificatio coëun-
tiū iā militū, & paratæ coniurationis cōuenerat.
Otho,cauſſam digreſſus requirentibus, cū emi ſi-
bi prædia vetuſtate ſuſpecta, eóque priùs explo-
rāda finxiſſet, innixus liberto,per Tiberianam do-
mum in Velabrum, inde ad Miliarium aureum,
ſub ædem Saturni pergit. Ibi tres & viginti ſpecu-
latores conſalutatum imperatorem, ac paucitate
ſalutantium trepidum, & ſellæ feſtinanter impo-
ſitum, ſtrictis mucronibus rapiunt. Totidem fer-
mè milites in itinere aggregantur, alij conſcien-
tia, plerique miraculo: pars clamore & gladiis,
pars ſilentio,animum ex euentu ſumpturi.Statio-
nem in caſtris agebat Iulius Martialis tribunus.
Is magnitudine ſubiti ſceleris, an corrupta latiùs
caſtra,ac ſi contra tenderet,exitium metuens,pre-
buit pleriſque ſuſpicionem conſcientiæ. Antepo-
ſuere ceteri quoq; tribuni centurionéſq;preſentia
dubiis & honeſtis. Iſque habitus animorum fuit,
vt peſſimum facinus auderent pauci, plures vel-
lent,omnes paterentur. Ignarus interim Galba &
ſacris intentus, fatigabat alieni iam imperij deos:
cùm affertur rumor rapi in caſtra,incertum quem
ſenatorem, mox Othonem eſſe qui raperetur. Si-
mul ex tota vrbe,vt quiſq; obuius fuerat, alij for-
midinem augentes,quidam minora vero, ne tum
quidem obliti adulationis. Igitur conſultantibus
placuit pertentari animum cohortis,quæ in pala-
tio ſtationem agebat,nec per ipſum Galbam, cu-
ius integra auctoritas maioribus remediis ſerua-
batur:Piſo pro gradib.domus vocatos,in hūc mo-
dū allocutus eſt. *Sextus dies agitur,cōmilitones, ex
quo ignarus futuri, & ſiue optandū hoc nomē ſiue ti-
mēdū erat, Cæſar aſcitus ſum: quo domus noſtra aut
Reſp.fato, in veſtrâ manu poſitum eſt. non quia, meo
nomine, triſtiorē caſum paueam, vt q̄ui aduerſa ex-
pertus cū maximè ducā ne ſecūda quidē min⁹ diſcri-
minis habere:patris & ſenatus & ipſius imperij vicē
doleo,ſi nobis aut perire hodie neceſſe eſt, aut, quod
aquè apud bonos miſerū eſt,occidere. Solatiū proxi-
mi motus habebamus, incruentam vrbem & res ſine
diſcordiâ tranſlatas. Promiſſum adoptione videba-
tur, vt ne poſt Galbam quidem bello locus eſſet. Ni-
hil arrogabo mihi nobilitatis aut modeſtiæ. neque e-
nim relatu virtutum, in comparatione Othonis, opus
eſt. Vitia,quibus ſolis gloriatur, euertêre imperium,
etiam cùm amicum imperatoris ageret. Habitúne &
inceſſu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperiū?
Falluntur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis impo-
nit. Perdere iſte ſciet,donare neſciet. Stupra nunc, &
comiſſationes,& feminarum cœtus, voluit animo.hæc
principatus præmiá putat, quorum libido ac volu-
ptas,penes ipſum ſit; rubor ac dedecus,penes omnes.
Nemo enim vnquam imperium flagitio quæſitum bo-
nis artibus exercuit. Galbam conſenſus generis hu-
mani; me Galba,conſentientibus vobis, Cæſarem di-
xit. Si Reſp. & ſenatus, & populus, vana nomina
ſunt:veſtrâ, commilitones, intereſt, ne imperatorem
peſſ mi faciant. Legionū ſeditio aduerſum duces ſuos
audita eſt aliquando:veſtra fides famáque illæſa ad
hunc diem manſit. & Nero quoque vos deſtituit, nō
vos Neronem. Minus xxx. transfugæ & deſertores,
quos centurionem aut tribunum ſibi eligentes nemo
ferret,imperium aſſignabunt? Admittitis exemplū?
& quieſcendo commune crimen facitis? Tranſcendet
hæc licentia in prouincias: & ad nos ſcelerū exitus,
bellorū ad vos pertinebūt. Nec eſt plus quod pro cæ-
de principis,quā quod innocentibus datur. ſed proin-
de à nobis donatiuum ob fidem,quàm ab aliis pro fa-
cinore accipietis.* Dilapſis ſpeculatoribus, cetera
cohors non aſpernata concionantem, vt turbidis
rebus euenit,forte magis, & nonnullo adhuc cō-
ſilio,parat ſigna, quod poſtea creditum eſt, inſi-
diis & ſimulatione. Miſſus & Celſus Marius ad e-
lectos Illyrici exercitus,Vipſanij in porticu tēdē-
tes. Præceptum Amulio Sereno & Domitio Sabi-
no primipilarib⁹,vt Germanicos milites è Liber-

A tatis atrio accerserent. Legioni classicæ diffidebat, infestæ ob cædem commilitonum, quos primo statim introitu trucidauerat Galba. Pergunt etiam in castra prætorianorum tribuni Cerius Seuerus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc & nondum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium & Cerium milites adorti minis, Longinum manibus coërcent, exarmántque: quia non B ordine militiæ, sed è Galbæ amicis, fidus principi suo, & desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata prætorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi, Celsum infestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutauere, inualidis adhuc corporibus, & placatis animis, quòd eos à Nerone Alexandriam præmissos, atque inde rursus longa nauigatione ægros, impensiore cura Galba refouebat. Vniuersa iam plebs palatium implebat, mixtis seruitiis, & dissono clamore, cæ-C dem Othonis & coniuratorum exsilium poscentium, vt si in circo ac theatro ludicrum aliquod postularent. Neque illis iudicium aut veritas: quippe eodem die diuersa pari certamine postulaturis: sed tradito more, quemcumque principem adulandi, licentia acclamationum & studiis inanibus. Interim Galbā duæ sentētiæ distinebant. Titus Vinius *manendum intra domum, opponenda seruitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos censebat: daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum consensui spatium. scelera impetu, bona consilia mo-* D *ra valescere. Denique eundi vltrò si ratio sit, eandem mox facultatem: regressus, si pœniteat, in aliena potestate.* Festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret inualida adhuc coniuratio paucorum. *Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros illatus, cunctatione nunc & segnitia terentium tempus, imitari Principem discat. Non exspectandum, vt compositis castris, forum inuadat, & prospectante Galba Capitolium adeat: dum egre-* E *gius imperator, cum fortibus amicis, ianua, ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. Et præclarum in seruis auxilium, si consensus tantæ multitudinis, & quæ plurimum valet, prima indignatio languescat. Proinde intuta, quæ indecora: vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Id Othoni inuidiosius, & ipsis honestum.* Repugnantem huic sententiæ Vinium, Laco minaciter inuasit, stimulante Icelo, priuati odij pertinacia, in publicum exitium. Nec diutiùs Galba cunctatus spe-F ciosiora suadentibus accessit. Præmissus tamen in castra Piso, vt iuuenis magno nomine, recenti fauore, & infensus T. Vinio, seu quia erat, seu quia irati ita volebant. Et faciliùs de odio creditur. Vix dum egresso Pisone, occisum in castris Othonem, vagus primùm & incertus rumor, mox vt in magnis mendaciis, interfuisse se quidam, & vidisse affirmabant, credula fama, inter gaudentes, & incuriosos. Multi arbitrabantur compositum auctúmque rumorem, mixtis iam Othonianis, qui G ad euocandum Galbam, læta falso vulgauerint. Tum verò non populus tantum & imperita plebs in plausus & immodica studia, sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis palatij foribus ruere intus, ac se Galbæ ostentare, præreptam sibi vltionem querentes. Ignauissimus quisque, (& vt res docuit) in periculo non ausurus, nimij verbis, linguæ feroces: nemo scire, & omnes affirmare. donec inopia veri, & consensu errantium victus, sumpto thorace Galba, irruenti turbæ neque ætate neque corpore sistens, sella leuaretur. Obuius in palatio Iulius Atticus speculator cruentum gladium ostentans, occisum a se Othonem exclamauit: Et Galba, *Commilito*, inquit, *quis iussit?* insigni animo ad coërcendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, aduersus blandientes incorruptus. Haud dubiæ iam in castris omnium mentes, tantúsque ardor, vt non contenti agmine & corporibus, in suggestu, in quo paullo antè aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caueri insuper præpositos iubebat. Strepere cuncta clamoribus, & tumultu, & exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed vt quemque affluentium militum aspexerant, prehensare manibus, complecti armis, collocare iuxta, præire sacramentum, modò imperatorem militibus, modò imperatori milites commendare. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, iacere oscula, & omnia seruiliter pro dominatione. Postquam vniuersa classiariorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus, & quos adhuc singulos exstimulauerat, accēdendos in commune ratus, pro vallo castrōrum ita cœpit. *Quis ad vos processerim commilitones dicere non possum: quia nec priuatum me vocare sustineo: princeps à vobis nominatus: nec principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur imperatorem populi Rom. in castris, an hostem habeatis. Auditisne, vt pœna mea, & supplicium vestrum simul postulentur? adeò manifestum est, neque perire nos, neque saluos esse, nisi vnà, posse. Et cuius lenitatis est Galba iam fortasse promisit: vt qui nullo exposcente, tot millia innocentissimorum militum trucidauerit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum, & hanc solam Galbæ victoriam, cùm in oculis vrbis decimari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis vrbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit, nisi occisi Obultronij Sabini, & Cornelij Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fonteij Capitonis in Germania, Clodij Macri in Africa, Cingonij in via, Turpiliani in vrbe, Nymphidij in castris? Quæ vsquam prouincia, quæ castra sunt, nisi cruenta & maculata? aut, vt ipse prædicat, emendata, & correcta? Nam quæ alij scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, seueritatem pro sæuitia, parsimoniam pro auaritia, supplicia, & contumelias vestras, disciplinam appellat. Septem à Neronis fine menses sunt, & iā plus rapuit Icelus, quàm quod Polycleti, & Vatinij, & Elij, parauerunt. Minore auaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset: nunc & subiectos nos habuit tamquam suos, & viles vt alienos. Vna illa domus sufficit donatiuo, quod vobis numquam datur, & cotidie exprobratur. Ac ne qua saltē in successore Galba spes esset, accersit ab exsilio, quem tristitia & auaritia sui simillimum iudicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate, etiam deos infaustā adoptionem auersantes. Idem senatus, idē populi Rom. animus est. Vestra virtus exspectatur, apud quos ōne honestis cōsiliis robur, & sine quib. quamuis egregia inualida sunt. Nō ad bellum vos, nec ad periculum voco: omniū militum arma nobiscum sunt. Nec vna cohors togata defendit nūc Galbam, sed detinet. Cùm vos aspexerit, cùm signū meum acceperit, hoc solū erit certamē, quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationis locus est in* *eo con-*

eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum.
Aperiri deinde armamentarium iussit. rapta statim
arma, sine more & ordine militiæ, vt prætoria-
nus, aut legionarius insignibus suis distingueré-
tur. Miscentur auxiliaribus galeis scutisque.
Nullo tribuno inter centurionesue adhortante,
sibi quisque dux & instigator: & præcipuum pes-
simorum incitamentum, quod boni mærebant.
Iam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditio-
nis, & vocibus in vrbem vsq; resonantibus, egres-
sum interim Galbam & foro appropinquantem
assecutus erat. iam Marius Celsus haud læta retu-
lerat. cum alij palatium redire, alij Capitolium
petere, plerique rostra occupanda censerent, plu-
res tantum sententiis aliorum contradicerent: vt-
que euenit in consiliis infelicibus, optima vide-
rentur quorum tempus effugerat. Agitasse Laco,
ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, siue
vt pœna eius animos militum mulceret, seu con-
scium Othonis credebat, ad postremum vel odio.
Hæsitationem attulit tempus ac locus, quia ini-
tio cædis orto, difficilis modus: & turbauere con-
silium trepidi nuntij, ac proximorum diffugia,
languentibus omnium studiis, qui primò alacres
fidem atque animum ostentauerant. Agebatur
huc illuc Galba, vario turbæ fluctuantis impulsu,
completis vndique basilicis ac templis, lugubri
prospectu. neque populi aut plebis vlla vox, sed
attoniti vultus, & conuersæ ad omnia aures. non
tumultus, non quies, quale magni metus, &
magnæ iræ silentium est. Othoni tamen armari
plebem nuntiabatur. Ire præcipites, & occupare
pericula iubet. Igitur milites Romani, quasi Vo-
logesem, aut Pacorum, auito Arsacidarum solio
depulsuri, ac non imperatorem suum inermem
& senem trucidare pergerent, disiecta plebe, pro-
culcato senatu, truces armis, rapidis equis fo-
rum irrumpunt. nec illos Capitolij aspectus, &
imminentium templorum religio, & priores &
futuri principes terruere quo minus facerent sce-
lus, cuius vltor est quisquis successit. Viso co-
minus armatorum agmine, vexillarius comi-
tantis Galbam cohortis (Atilium Vergilionem
fuisse tradunt) dereptam Galbæ imaginem solo
afflixit. Eo signo manifesta in Othonem om-
nium militum studia, desertum fuga populi fo-
rum, districta aduersus dubitantes tela. Iuxta Cur-
tium lacum, trepidatione ferentium Galba prö-
iectus e sella, ac prouolutus est. Extremam e-
ius vocem, vt cuique odium aut admiratio fuit,
variè prodidere. Alij suppliciter interrogasse,
quid mali meruisset? paucos dies exsoluendo do-
natiuo deprecatum. Plures obtulisse vltro per-
cussoribus iugulum, agerent ac ferirent, si ita è
Rep. videretur. non interfuit occidentium quid
diceret. De percussore non satis constat. quidam
Terentium Euocatum, alij Lecanium, crebrior
fama tradidit Camurium xv. legionis militem,
impresso gladio, iugulum eius hausisse. Ceteri
crura brachiaque (nam pectus tegebatur) fœdè
laniauere. pleraque vulnera, feritate & sæuitia
trunco iam corpori adiecta. Titum inde Vinium
inuasere, de quo & ipso ambigitur, consumpserit-
ne vocem eius instans metus, an proclamauerit, non
esse ab Othone mandatum vt occideretur. Quod
seu finxit formidine, seu conscientia coniura-
tionis confessus est: huc potius eius vita famá-
que inclinant, vt conscius sceleris fuerit, cuius
caussa erat. ante ædem diui Iulij iacuit, primo i-
A ctu in poplitem, mox ab Iulio Caro legionario
milite in vtrumque latus transuerberatus. Insi-
gnem illa die virum Sempronium Densum ætas no-
stra vidit. Centurio is prætoriæ cohortis à Gal-
ba custodiæ Pisonis additus, stricto pugione oc-
currens armatis, & scelus exprobrans, ac mo-
dò manu, modò voce, vertendo in se percusso-
res, quamquam vulnerato Pisoni effugium de-
dit. Piso in ædem Vestæ peruasit, exceptúsque
B misericordia publici serui, & contubernio eius
abditus, non religione, nec cærimoniis, sed la-
tebrâ imminens exitium differebat. cùm aduene-
re, missu Othonis, nominatim in cædem eius ar-
dentes, Sulpicius Florus e Britannicis cohorti-
bus, nuper à Galba ciuitate donatus, & Statius
Murcus speculator. à quibus protractus Piso, in
foribus templi trucidatur. Nullam cædem Otho
maiore lætitia excepisse, nullum caput tam insa-
tiabilibus oculis perlustrasse dicitur: seu tum pri-
C mùm leuata omni solicitudine mens, vagari
gaudio cœperat, seu recordatio maiestatis in Gal-
ba, amicitiæ in T. Vinio, quamuis immitem ani-
mum imagine tristi confuderat. Pisonis, vt inimi-
ci & æmuli, cæde lætari, ius fasque credebat. Præ-
fixa contis capita gestabantur, inter signa cohor-
tium iuxta Aquilam legionis, certatim ostentan-
tibus cruentas manus qui occiderant, qui inter-
fuerant, qui verè, qui falsò, vt pulchrum &
memorabile facinus iactabant. Plures quàm cxx.
D libellos præmia exposcentium, ob aliquam nota-
bilem illa die operam, Vitellius postea inuenit:
omnésque conquiri & interfici iussit, non honore
Galbæ, sed tradito principibus more, munimen-
tum ad præsens, in posterum, vltionem. Alium
crederes senatum, alium populum. Ruere cun-
cti in castra, anteire proximos, certare cum præ-
currentibus, increpare Galbam, laudare militum
iudicium, exosculari Othonis manum: quantó-
que magis falsa erant quæ fiebant, tanto plu-
E ra facere. Nec aspernabatur singulos Otho, aui-
dum & minacem militum animum, voce vul-
tuque temperans. Marium Celsum consulem de-
signatum, & Galbæ vsque in extremas res ami-
cum fidumque, ad supplicium expostulabant, in-
dustriæ eius innocentiæque quasi malis artibus
infensi. Cædis & prædarum initium, & optimo
cuique perniciem quæri apparebat, sed Othoni
nondum auctoritas inerat ad prohibendum sce-
lus, iubere iam poterat. Ita simulatione iræ,
F vinciri iussum, & maiores pœnas daturum affir-
mans, præsenti exitio subtraxit. Omnia deinde
arbitrio militum acta. Prætorij præfectos sibi ipsi
legere: Plotium Firmum è manipularibus quon-
dam, tum vigilibus præpositum, & incolumi ad-
huc Galba partes Othonis secutum. Adiungitur
Licinius Proculus, intima familiaritate Otho-
nis, suspectus consilia eius fouisse. Vrbi Flauium
Sabinum præficere, iudicium Neronis secuti,
sub quo eamdem curam obtinuerat, plerisque
Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Fla-
G gitatum, vt vacationes præstari centurionibus so-
litæ remitterentur. Namque gregarius miles,
vt tributum annuum pendebat. Pars manipu-
lis, pars per commeatus, aut in ipsis castris vaga,
dum mercedem centurioni exsolueret, neque
modum oneris quisquam, neque genus quæstus
pensi habebat. Per latrocinia & raptus, aut ser-
uilibus ministeriis, militare otium redimebant.
Tum locupletissimus quisque miles, labore ac

sæuitia fatigari, donec vacationem emeret. Vbi
sumptibus exhaustus, secordia insuper elangue-
rat, inops pro locuplete, & iners pro strenuo,
in manipulum redibat. ac rursus alius atque a-
lius, eadem egestate ac licentia corrupti; ad se-
ditionem & discordias, & ad extremum, bella
ciuilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione,
centurionū animos auerteret, ex fisco suo vaca-
tiones annuas exsoluturum promisit: rem haud
dubie vtilem, & à bonis postea principibus, per-
petuitate disciplinæ, firmatam. Laco præfectus,
tamquam in insulam seponeretur, ab Euocato,
quem ad cædem eius Otho præmiserat, confossus.
In Martianum Icelum, vt in libertum, palam a-
nimaduersum. Exacto per scelera die, nouissi-
mum malorum fuit lætitia. Vocat senatum præ-
tor vrbanus, certant adulationibus ceteri magi-
stratus. Accurrunt patres, decernitur Othoni tri-
bunicia potestas, & nomen Augusti, & omnes
principum honores, annitentibus cunctis abo-
lere conuicia ac probra, quæ promiscuè iacta hæ-
sisse animo eius nemo sensit. Omisisset offensas,
an distulisset, breuitate imperij in incerto fuit.
Otho, cruento adhuc foro, per strages iacentium,
in Capitolium atque inde in Palatium vectus,
concedi corpora sepulturæ, cremarique permisit.
Pisonem Verania vxor ac frater Scribonianus,
T. Vinium Crispina filia composuere, quæsitis re-
demptisque capitibus, quæ venalia interfecto-
res seruauerant. Piso vnum & tricesimum æta-
tis annum explebat, fama meliore quàm fortuna.
Fratres eius Magnum Claudius, Crassum Ne-
ro interfecerant. Ipse diu exsul, quatriduo Cæsar
properata adoptione, ad hoc tantum maiori fra-
tri prælatus est, vt prior occideretur. T. Vinius
XLVII. annos variis moribus egit. Pater illi è
prætoria familia, maternus auus è proscriptis.
Prima militia infamis, Legatum Caluisium Sabi-
num habuerat: cuius vxor, mala cupidine visen-
di situm castrorum, per noctem militari habitu
ingressa, cùm vigilias & cetera militiæ munia ea-
dem lasciuia tentasset, in ipsis principiis stuprum
ausa, & criminis huius reus T. Vinius arguebatur.
Igitur iussu C. Cæsaris oneratus catenis, mox mu-
tatione temporum dimissus, cursu honorum in-
offenso, legioni post præturam præpositus, pro-
batusque, seruili deinceps probro respersus est,
tamquam scyphum aureum in conuiuio Clau-
dij furatus. Et Claudius postera die soli omnium
Vinio fictilibus ministrari iussit. Sed Vinius,
proconsulatu, Galliam Narbonensem seuere in-
tegreque rexit. Mox Galbæ amicitia in abru-
ptum tractus, audax, callidus, promptus, &
prout animum intendisset, prauus aut industrius,
eadem vi. Testamentum T. Vinij magnitudi-
ne opum irritum: Pisonis supremam volunta-
tem paupertas firmauit. Galbæ corpus diu ne-
glectum, & licentia tenebrarum plurimis ludi-
briis vexatum, dispensator Argius, è prioribus
seruis, humili sepultura in priuatis eius hortis
contexit. Caput per lixas calonesque suffixum,
laceratumque ante Patrobij tumulum (libertus is Ne-
ronis punitus à Galba fuerat) postera demum die
repertum, & cremato iam corpori admixtum
est. Hunc exitum habuit Ser. Galba tribus & se-
ptuaginta annis, quinque principes prospera for-
tuna emensus, & alieno imperio felicior, quàm
suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. i-
psi medium ingenium, magis extra vitia quàm

A cum virtutibus. Famæ nec incuriosus, nec ven-
ditator. Pecuniæ alienæ non appetens, suæ par-
cus, publicæ auarus. Amicorum libertorumque,
vbi in bonos incidisset, sine reprehensione pa-
tiens: si mali forent, vsque ad culpam ignarus.
Sed claritas natalium, & metus temporum ob-
tentui, vt quod segnitia erat, sapientia vocaretur.
Dum vigebat ætas, militari laude apud Germa-
nias floruit: proconsul Africam moderatè, iam
B senior, citeriorem Hispaniam pari iustitia con-
tinuit, maior priuato visus, dum priuatus fuit,
& omnium consensu capax imperij, nisi impe-
rasset. Trepidam vrbem, ac simul atrocitatem re-
centis sceleris, simul veteres Othonis mores pa-
uentem, nouus insuper de Vitellio nuntius exter-
ruit, ante cædem Galbæ suppressus, vt tantum su-
perioris Germaniæ exercitum desciuisse crede-
retur. Tum duos omnium mortalium impudici-
tia, ignauia, luxuria deterrimos, velut ad perden-
C dum imperium fataliter electos, non senatus mo-
do & eques, quis aliqua pars & cura Reip. sed
vulgus quoque palam mærere. Nec iam recentia
sæuæ pacis exempla, sed repetita bellorum ciui-
lium memoria, captam totiens suis exercitibus
vrbem, vastitatem Italiæ, direptiones prouincia-
rum, Pharsaliam, Philippos, & Perusiam ac
Mutinam, nota publicarum cladium nomina,
loquebantur. *Prope euersum orbem, etiam cum*
de principatu inter bonos certaretur, sed mansisse
D *C. Iulio, mansisse Cæsare Augusto victore, imperium,*
mansuram fuisse, sub Pompeio Brutoque, Remp.
Nunc pro Othone, an pro Vitellio, in templa ituros?
Vtrasque impias preces; vtraque detestanda vota,
inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem
fore qui vicisset. Erant qui Vespasianum & arma
Orientis augurarentur. Sed vt potior vtroque Ve-
spasianus, ita bellum aliud, atque alias clades
horrebant. Et ambigua de Vespasiano fama: solus-
que omnium ante se principum, in melius muta-
E tus est. Nunc initia caussasque motus Vitelliani
expediam. Cæso cum omnibus copiis Iulio Vin-
dice, ferox præda gloriaque exercitus, vt cui sine
labore ac periculo, ditissimi belli victoria euenis-
set, expeditionem & aciem, præmia quam stipen-
dia malebat: diuque infructuosam & asperam mi-
litiam tolerauerat, ingenio loci cælique, & se-
ueritate disciplinæ, quam in pace inexorabilem
discordiæ ciuium resoluunt: paratis vtrimque
corruptoribus, & perfidia impunita. Viri, arma, e-
F qui, ad vsum & ad decus supererant. Sed ante bel-
lum, centurias tantum suas turmasque nouerant:
exercitus finibus prouinciarum discernebantur.
Tum aduersus Vindicem contractæ legiones, se-
que & Gallias expertæ, quærere rursus arma, no-
uasque discordias: nec socios vt olim, sed hostes
& victos vocabant. Nec deerat pars Galliarum
quæ Rhenum accolit, easdem partes secuta, ac
tum acerrima instigatrix aduersus Galbianos. hoc
enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur
Sequanis Æduisque, ac deinde, prout opulentia
G ciuitatibus erat, infensi; expugnationes vrbium,
populationes agrorum, raptus penatium hau-
serunt animo, super auaritiam & arrogantiam
præcipua validiorum vitia, contumacia Gallo-
rum irritati, qui remissam sibi à Galba quartam
tributorum partem, & publice donatos in igno-
miniam exercitus iactabant. Accessit callidè vul-
gatum, temere creditum, decumari legiones,
& promptissimum quemque centurionum di-
mitti.

mitti, vndique atroces nuntij, sinistra ex vrbe fama, infensa Lugdunensis colonia, & pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendúmque materies in ipsis castris, odio, metu, &, vbi vires suas respexerant, securitate. Sub ipsas superioris anni Kal. Decemb. Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat: redditi plerisque ordines, remissa ignominia, alleuatæ notæ: plura ambitione, quædam iudicio: in quibus sordem & auaritiam Fonteij Capitonis, adimendis assignandisve militiæ ordinibus, integrè mutauerat. Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur. Et Vitellius apud seueros humilis. Ita comitatem bonitatemque fauentes vocabant, quòd sine modo, sine iudicio, donaret sua, largiretur aliena. Simul auiditate imperandi, ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Multi in vtroq; exercitu sicut modesti quietique, ita mali & strenui. Sed profusa cupidine, & insigni temeritate, legati legionum, Alienus Cæcina, & Fabius Valens: è quibus Valens infensus Galbæ, tamquam detectam à se Verginij cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingratè tulisset instigare Vitellium, ardorem militum ostentans. *Ipsum celebri vbique famâ: nullam in Flacco Hordeonio moram, affore Britanniam, secutura Germanorum auxilia, malè fidas prouincias, precarium seni imperium, & breui transiturum: panderet modo sinum, & venienti fortunæ occurreret. Meritò dubitasse Verginium equestri familiâ, ignoto patre: imparem si recepisset imperium, tutum si recusasset. Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Cæsaris, & imponere iampridem imperatoris dignationem, & auferre priuati securitatem.* Quatiebatur his segne ingenium, vt concupisceret magis, quàm vt speraret. At in superiore Germania, Cæcina decora iuuenta, corpore ingens, animi immodicus, cito sermone, erecto incessu, studia militum inlexerat. Huuc iuuenem Galba, quæstorem in Bætica, impigrè in partes suas transgressum, legioni præposuit. Mox compertum publicam pecuniam auertisse, vt peculatorem flagitari iussit. Cæcina ægrè passus, miscere cuncta, & priuata vulnera, Reip. malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiæ, quòd & bello aduersus Vindicem vniuersus affuerat, nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam, atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniæ præuentus erat. Et Treueri ac Lingones, quasque alias ciuitates atrocibus edictis, aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur. Vnde seditiosa colloquia: & inter paganos corruptior miles, & in Verginium fauor cuicumque alij profuturus. Miserat ciuitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus, dextras hospitij insigne. Legati eorum in squalorem mæstitiámque compositi, per principia, per contubernia, modò suas iniurias, modò ciuitatum vicinarum præmia, & vbi pronis militum auribus accipiebantur, ipsius exercitus pericula & contumelias conquerentes, accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cùm Hordeonius Flaccus abire legatos, vtque occultior digressus esset, nocte castris excedere iubet. Inde atrox rumor, affirmantibus plerisque interfectos, ac ni sibi consulerent, fore vt acerrimi militum & præsentia conquesti, per tenebras & inscitiam ceterorum occiderentur. Obstringuntur inter se tacito

A fœdere legiones. Asciscitur auxiliorum miles, primò suspectus, tamquam circumdatis cohortibus alisque, impetus in legiones pararetur: mox eadem acriùs volens, faciliore inter malos consensu ad bellum, quàm in pace ad concordiam. Inferioris tamen Germaniæ legiones solenni Kalen. Ianuariarum sacramento pro Galba adactæ, multa cunctatione, & raris primorum ordinum vocibus: ceteri silentio, proximi cuiusque au-

B daciam exspectantes, insita mortalibus natura properè sequi, quæ piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diuersitas animorum: primani quintanique turbidi, adeò vt quidam saxa in Galbæ imagines iecerint: quintadecima ac sextadecima legiones; nihil vltra fremitum & minas ausæ, initium erumpendi circumspectabant. At in superiori exercitu, quarta ac duodeuicesima legiones iisdem hibernis tendentes, ipso Kalend. Ianuariarum die dirumpunt imagines Gal-

C bæ: quarta legio promptius, duodeuicesima cunctanter, mox consensu. Ac ne reuerentiam imperij exuere viderentur, in S. P. Q. R. oblitterata iam nomina, sacramenta aduocabant. nullo legatorum tribunorúmve pro Galba nitente, quibusdam, vt in tumultu, notabiliùs turbantibus. Non tamen quisquam in modum concionis, aut suggestu locutus. neque enim erat adhuc cui imputaretur. Spectator flagitij Hordeonius Flaccus consularis legatus aderat, non compes-

D cere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed segnis, pauidus, & socordia innocens. Quattuor centuriones duodeuicesimæ legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cùm protegerent Galbæ imagines, impetu militum abrepti, vinctique. Nec cuiquam vltrà fides, aut memoria prioris sacramenti. sed, quod in seditionibus accidit, vnde plures erant, omnes fuere. Nocte quæ Kal. Ianuarias secuta est, in

E coloniam Agrippinensem Aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nuntiat, quartam & duodeuicesimam legiones, proiectis Galbæ imaginibus, in Senatus & Pop. Rom. verba iurasse. Id sacramentum inane visum. occupari nutantem fortunam, & offerri principem placuit. Missi à Vitellio ad legiones legatósque, qui desciuisse à Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum aduersus desciscentes, aut si concordia & pax placeat, faciendum imperatorem: &

F minore discrimine sumi principem, quàm quæri. Proxima legionis primæ hiberna erant, & promptissimus è legatis Fabius Valens. Is die postero coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis, auxiliariorúmque ingressus, Imperatorem Vitellium consalutauit. Secutæ ingenti certamine eiusdem prouinciæ legiones: & superior exercitus, speciosis senatus populique Romani nominibus relictis, III. Non. Ianuarias Vitellio accessit. scires illum priore biduo non penes

G Remp. fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treueri, Lingones æquabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, vt quisque corpore, opibus, ingenio validus. Nec principes modò coloniarum aut castrorum, quibus præsentia ex affluenti, & parta victoria magnæ spes: sed manipuli quoque & gregarius miles, viatica sua, & balteos, phalerásque, insignia armorum, argento decora, loco pecuniæ tradebant: instinctu, & impetu, & auaritia. Igitur laudata militum alacri-

tare Vitellius, ministeria principatus per libertos A agi solita, in equites Romanos disponit. Vacationes centurionibus ex fisco numerat. Sæuitiam militum plerosque ad pœnam exposcentium sæpiùs approbat, partim simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus procurator Belgicæ statim interfectus. Iulium Burdonem Germanicę classis præfectum astu subtraxit. Exarserat in eum iracundia exercitus, tamquam crimen, ac mox insidias, Fonteio Capitoni struxisset. gra- B ta erat memoria Capitonis, & apud sæuientes occidere palàm, ignoscere non nisi fallendo licebat. Ita in custodia habitus: & post victoriam demum, stratis iam militum odiis, dimissus est. Interim vt piaculum obiicitur cẽturio Crispinus, qui se sanguine Capitonis cruentauerat: eóque & postulantibus manifestior, & punienti vilior fuit. Iulius deinde Ciuilis periculo exemptus, præpotens inter Batauos, ne supplicio eius ferox C gens alienaretur. Et erant in ciuitate Lingonum VIII. Batauorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, tum discordia temporum à legione digressæ: prout inclinassent, grande momentum, sociæ aut aduersæ. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium, centuriones, de quibus suprà retulimus, occidi iussit, damnatos fidei crimine, grauissimo inter desciscentes. Accessere partibus Valerius Asiaticus, Belgicæ prouinciæ legatus, quem mox Vitellius generum asciuit: & D Iunius Blæsus Lugdunensis Galliæ rector, cum Italica legione, & ala Taurina, Lugduni tendentibus. Nec in Rhæticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur. Ne in Britannia quidem dubitatum. Præerat Trebellius Maximus, per auaritiam ac sordes contemptus exercitui inuisúsque. Accendebat odium eius Roscius Cælius legatus vicesimæ legionis olim discors, sed occasione ciuilium armorum atrociùs proruperant. Trebellius seditionem & confusum ordinem dis- E ciplinæ Cælio: spoliatas & inopes legiones Cælius Trebellio obiectabat, cùm interim fœdis legatorum certaminibus, modestia exercitus corrupta, eoque discordiæ ventum, vt auxiliarium quoque militum conuitiis proturbatus, & aggregantibus se Cælio cohortibus alisque, desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. quies prouinciæ, quamquam remoto consulari, mansit. Rexere legati legionum, pares iure, Cælius audendo potentior. Adiuncto Britannico exercitu, F ingens viribus opibúsque Vitellius, duos duces, duo itinera bello destinauit. Fabius Valens allicere, vel si abnuerent, vastare Gallias, & Cotianis Alpibus Italiam irrumpere: Cæcina propiore transitu, Peninis iugis degredi iussus. Valenti inferioris exercitus electi cum Aquila quintę legionis, & cohortibus alisque ad XL. millia armatorũ data. XXX. millia Cæcina è superiore Germania ducebat, quorum robur legio vna, prima & vice- G sima fuit. addita vtrique Germanorum auxilia, è quibus Vitellius suas quoq; copias suppleuit, tota mole belli secuturus. Mira inter exercitum imperatorémque diuersitas. Instare miles, arma poscere, dum Galliæ trepident, dum Hispaniæ cunctentur. non obstare hiemem, neque ignauę pacis moras. inuadendam Italiam, occupandam vrbem. nihil in discordiis ciuilibus festinatione tutius, vbi facto magis quàm consulto opus esset. Torpebat Vitellius, & fortunam Principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumebat, medio diei temulen-

A tus, & sagina grauis; cum tamen ardor & vis militum vltro ducis munia implebat, vt si adesset imperator, & strenuis vel ignauis spem metúmque adderet. Instructi intentique signum profectionis exposcunt: nomine Germanici, Vitellio statim addito. Cæsarem se appellari, etiam victor prohibuit. Lætum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die, aquila leni meatu, prout ag- B men incederet, velut dux viæ præuolauit: longúmque per spatium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, vt haud dubium magnæ & prosperæ rei omen acciperetur. Et Treueros quidem vt socios securi adiere. Diuoduri (Mediomatricorum id opidum est) quamquam omni comitate exceptos, subitus pauor exterruit, raptis repentè armis, ad cædem innoxiæ ciuitatis, non ob prædam, aut spoliandi cupidinem, C sed furore & rabie, & caussis incertis, eóque difficilioribus remediis. donec precibus ducis mitigati, ab excidio ciuitatis temperauere. Cæsa tamen ad quattuor millia hominum. Isque terror Gallias inuasit, vt venienti mox agmini vniuersæ ciuitates, cum magistratibus & precibus, occurrerent, stratis per vias pueris feminisque, quæque alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace tendebantur. Nuntium de cæde Galbæ & imperio Othonis, Fabius Valens in ciuitate D Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium, aut formidinem permotus, bellum voluebat. Gallis cunctatio exempta, & in Othonem ac Vitellium ódium par, ex Vitellio & metus. Proxima Lingonum ciuitas erat, fida partibus, benignè excepti, modestia certauere. Sed breuis lętitia *fuit*, cohortium intemperie, quas à legione quartadecima, vt suprà memorauimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adiunxerat. Iurgia primum, mox rixa inter Batauos & legionarios. Dum his E aut illis studia militum adgregãtur, propè in prœlium exarsere; ni Valens animaduersione paucorum, oblitos iam Batauos imperij admonuisset. Frustra aduersus Æduos quæsita belli caussa. Iussi pecuniam atque arma deferre, gratuitos insuper commeatus prębuere. quod Ædui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica & ala Taurina abductæ. Cohortem duodeuicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens, legatus Italicæ legionis, quam- F quam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. Secretis eum criminationib. infamauerat Fabius ignarum, & quò incautior deciperetur, palàm laudatum. Veterem inter Lugdunenses Viennensésque discordiam, proximum bellum accẽderat. multę inuicem clades, crebriùs infestiúsque, quàm vt tantùm propter Neronem Galbámque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum verterat. Multus contrà in Viennenses honor. vnde æmula- G tio, & inuidia, & vno amne discretis connexum odium. Igitur Lugdunenses exstimulare singulos militum, & in euersionem Viennensium impellere, obsessam ab illis coloniam suã, adiutos vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in præsidium Galbæ referendo. Et vbi caussas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ ostendebãt. Nec iam secreta exhortatio, sed publicæ preces: *Irent vltores, exscinderent sedem Gallici belli. cuncta illic externa & hostilia, se coloniam Romanam & partem exercitus, & prosperarum aduersarúmq; rerum*

rum

*rum socios. si fortuna contrà daret, iratis ne relin-
querentur.* His & pluribus in eundem modum,
perpulerant, vt nec legati quidem ac duces par-
tium restingui posse iracundiam exercitus arbi-
trarentur: cùm haud ignari discriminis sui Vien-
nenses, velamenta & infulas præferentes, vbi ag-
men incesserat, arma, genua, vestigia prehen-
sando, flexere militum animos. Addidit Valens
trecenos singulis militibus sestertios. Tum vetu-
stas dignitásque coloniæ valuit. Et verba Fabij
salutem incolumitatémque Viennensium com-
mendantis, æquis auribus accepta. Publicè ta-
men armis mulctati, priuatis & promiscuis co-
piis iuuere militem. Sed fama constans fuit, ipsum
Valentem magna pecunia emptum. Is diu sordi-
dus, repentè diues, mutationem fortunæ malè te-
gebat, accensis egestate longa cupidinibus, im-
moderatus, & inopi iuuenta, senex prodigus. Len-
to deinde agmine, per fines Allobrogum & Vo-
contiorum ductus exercitus: ipsa itinerum spa-
tia, & statiuorum mutationes venditante duce,
fœdis pactionibus aduersus possessores agrorum,
& magistratus ciuitatum, adeò minaciter, vt Lu-
co (municipium id Vocontiorum est) faces admo-
uerit, donec pecunia mitigaretur. quotiens pe-
cuniæ materia deesset, stupris & adulteriis exo-
rabatur. Sic ad Alpes peruentum. Plus prædæ ac
sanguinis Cæcina hausit. Irritauerant turbidum
ingenium Heluetij Gallica gens, olim armis vi-
risque, mox memoria nominis clara, de cæde Gal-
bæ ignari, & Vitellij imperium abnuentes. Ini-
tium bello fuit auaritia ac festinatio vnetuice-
simæ legionis. Rapuerant pecuniam missam in
stipendium castelli, quod olim Heluetij, suis mi-
litibus ac stipendiis tuebantur. ægrè id passi Hel-
uetij, interceptis epistolis, quæ nomine Germa-
nici exercitus ad Pannonicas legiones fereban-
tur, centurionem & quosdam militum in custo-
dia retinebant. Cæcina belli auidus, proximam
quamque culpam antequam pœniteret, vltum
ibat. Mota properè castra. Vastati agri. Direptus,
longa pace in modum municipij exstructus, lo-
cos, amœno salubrium aquarum vsu frequens.
Missi ad Rhætica auxilia nuntij, vt versos in le-
gionem Heluetios à tergo aggrederentur. Illi an-
tè discrimen feroces, in periculo pauidi, quam-
quam primo tumultu Claudium Seuerum du-
cem legerant, non arma noscere, non ordines se-
qui, non in vnum consulere. exitiosum aduersus
veteranos prœlium, intuta obsidio, dilapsis vetu-
state mœnibus. hinc Cæcina cum valido exer-
citu, inde Rhæticæ alæ cohortésque & ipsorum
Rhætororum iuuentus sueta armis, & more mi-
litiæ exercita. vndique populatio & cædes. Ipsi in
medio vagi abiectis armis, magna pars saucij aut
palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac sta-
tim immissa cohorte Thracum depulsi, & conse-
ctantibus Germanis Rhætisque, per siluas atque
in ipsis latebris trucidati, Multa hominum millia
cæsa, multa sub corona venumdata. Cumque di-
reptis omnibus, Auenticum gentis caput iusto
agmine peteretur; missi qui dederent ciuitatem,
& deditio accepta. In Iulium Alpinum è princi-
pibus, vt concitorem belli, Cæcina animad-
uertit: ceteros veniæ vel sæuitiæ Vitellij reliquit.
Haud facilè dictu est, legati Heluetiorum minus
placabilem imperatorem, an militem inuene-
rint. Ciuitatis excidium poscunt, tela ac manus
in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem

A minis ac verbis temperabat: cùm Claudius Cos-
sus, vnus ex legatis, notæ facundiæ, sed dicendi
artem apta trepidatione occultans, atque eo va-
lidior, militis animum mitigauit: vt est mos vul-
go, mutabili subitis, & tam prono in misericor-
diam, quàm immodicum sæuitia fuerat. effusis
lacrymis, & meliora constantiùs postulando, im-
punitatem salutémque ciuitati impetrauere. Cæ-
cina paucos in Heluetiis moratus dies, dum sen-
B tentiæ Vitellij certior fieret, simul transitum Al-
pium parans, lætum ex Italia nuntium accipit,
alam Syllanam circa Padum agentem, sacramen-
to Vitellij accessisse. Proconsulem Vitellium Syl-
lani in Africa habuerant: mox à Nerone, vt in Æ-
gyptum præmitterentur, exciti, & ob bellum
Vindicis remorati, ac tum in Italia manentes,
instinctu decurionum qui Othonis ignari, Vitel-
lio obstricti, robur aduentantium legionum &
famam Germanici exercitus attollebant, trans-
C iere in partes: & vt donum aliquod nouo prin-
cipi, firmissima Transpadanæ regionis munici-
pia, Mediolanum, ac Nouariam, & Eporediam,
ac Vercellas, adiunxere. Id Cæcinæ per ipsos
compertum. Et quia præsidio alæ vnius latissi-
ma pars Italiæ defendi nequibat, præmissis Gal-
lorum, Lusitanorum, Britannorúmque cohorti-
bus, & Germanorum vexillis, in Alpe Graia ipse
paululum cunctatus, num Rhæticis iugis in No-
ricum flecteret, aduersus Petronium vrbis pro-
D curatorem, qui concitis auxiliis, & interruptis
fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur.
Sed metu ne amitteret præmissas iam cohortes
alásque, simul reputans plus gloriæ retenta Ita-
lia, & vbicumque certatum foret, Noricos
in cetera victoriæ præmia cessuros, Penino sub-
signanum militem itinere, & graue legionum
agmen, hibernis adhuc Alpibus traduxit. Otho
interim, contra spem omnium, non delitiis, ne-
que desidia torpescere. dilatæ voluptates, dissi-
E mulata luxuria, & cuncta ad decorem imperij
composita. Eóque plus formidinis afferebant fal-
sæ virtutes, & vitia reditura. Marium Celsum
consulem designatum, per speciem vinculorum,
sæuitiæ militum subtractum, acciri in Capito-
lium iubet. Clementiæ titulus, è viro claro &
partibus inuiso, petebatur. Celsus constanter ser-
uatæ erga Galbam fidei crimen confessus, exem-
plum vltrò imputauit. Nec Otho quasi ignosce-
ret, sed ne hostis metum reconciliationis adhi-
F beret, statim intrà intimos amicos habuit, &
mox bello inter duces delegit. Mansitque Cel-
so velut fataliter etiam pro Othone fides, inte-
gra & infelix. Læta primoribus ciuitatis, cele-
brata in vulgus Celsi salus, ne militibus quidem
ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus
cui irascebantur. Par inde exsultatio, disparibus
caussis consecuta, impetrato Tigellini exitio.
Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœ-
da pueritia, impudica senecta, præfecturam vi-
gilum & prætorij, & alia præmia virtutum, quia
G velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox,
deinde auaritiam, & virilia scelera exercuit: cor-
rupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro
ausus, ac postremò eiusdem desertor ac proditor.
Vnde non alium pertinaciùs ad pœnam flagita-
uere, diuerso affectu, quibus odium Neronis ine-
rat, & quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinij
potentia defensus, prætexenis seruatam ab eo fi-
liam. & haud dubiè seruauerat, non clementia

(quippe tot interfectis) sed effugio in futurum. quia pessimus quisque, diffidentia præsentium mutationem pauens, aduersus publicum odium, priuatam gratiam præparat: vnde nulla innocentiæ cura, sed vitæ impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinij inuidia, concurrere è tota vrbe in palatium ac fora, & vbi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum, & oscula, & deformes moras, sectis nouacula faucibus, infamem vitam fœdauit etiam exitu sero & inhonesto. Per idem tempus expostulata ad supplicium Galuia Crispinilla, variis frustrationib', & aduersa dissimulantis principis fama, periculo exempta est: magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem populi Rom. haud obscure molita, totius postea ciuitatis gratiam obtinuit consulari matrimonio innixa, & apud Galbam, Othonem, Vitellium illæsa: mox potens pecunia, & orbitate, quæ bonis malísque temporibus iuxta valent. Crebræ interim, & muliebribus blandimentis infectæ, ab Othone ad Vitellium epistolæ, offerebant pecuniam & gratiam, & quemcumque quietis locum prodigæ vitæ legisset. Paria Vitellius ostendebat, primo molliùs, stulta vtrimque & indecora simulatione: mox quasi rixantes stupra & flagitia inuicem obiectauere. neuter falsò. Otho, reuocatis quos Galba miserat legatis, rursus ad vtrumque Germanicum exercitum, & ad legionem Italicam, eásque quæ Lugduni agebant copias, specie senatus misit. Legati apud Vitellium remansere, promptius quàm vt retenti viderentur. Prætoriani, quos per simulationem officij legatis Otho adiunxerat, remissi, antequam legionibus miscerentur. Addit epistolas Fabius Valens, nomine Germanici exercitus, ad prætorias & vrbanas cohortes, de viribus partium magnificas, & concordiam offerentes. Increpabant vltro, quòd tanto ante traditum Vitellio imperium, ad Othonem vertissent. Ita promissis simul, ac minis tentabantur: vt bello impares, in pace nihil amissuri. Neque ideo prætorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in Germaniam, à Vitellio in vrbem missi. Vtrísque frustra fuit. Vitellianis impunè, per tantam hominum multitudinem, mutua ignorantia fallentibus: Othoniani, nouitate vultus, omnibus inuicem gnaris, prodebantur. Vitellius literas ad Titianum fratrem Othonis composuit, exitium ipsi filióque eius minitans, ni incolumes sibi mater ac liberi seruarentur. Et stetit domus vtraque. sub Othone, incertum an metu: Vitellius victor, clementiæ gloriam tulit. Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius, iurasse in eum Dalmatiæ, ac Pannoniæ, & Mœsiæ, legiones. Idem ex Hispania allatum: laudatúsque per edictum Cluuius Rufus. & statim cognitum est, conuersam ad Vitellium Hispaniam. Nec Aquitania quidem, quamquam à Iulio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit. Nusquam fides aut amor, metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido prouinciam Narbonensem ac Vitellium vertit, facili transitu ad proximos & validiores. Longinquæ prouinciæ, & quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium studio, sed erat grande momentum in nomine vrbis ac prætextu senatus. Et occupauerat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriæ legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus, omnésque versæ in Orientem prouinciæ, nomine eius tenebantur. Idem Africæ obsequium, initio à Carthagine orto. Neque exspectata Vipsanij Aproniani proconsulis auctoritate, Crescens Neronis libertus (nam & hi malis temporibus partem se Reip. faciunt) epulum plebi, ob lætitiam recentis imperij, obtulerat: & populus pleraque sine modo festinauit. Carthaginem ceteræ ciuitates secutæ. Sic distractis exercitibus ac prouinciis, Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat. Otho, vt in multa pace, munia imperij obibat: quædam ex dignitate Reip.; pleraque, contra decus, ex præsenti vsu propetando. Consul cum Titiano fratre in Kalen. Martias ipse, proximos menses Verginio destinat, vt aliquod exercitui Germanico delinimentum. Iungitur Verginio Poppæus Vopiscus, prætextu veteris amicitiæ, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Ceteri consulatus ex destinatione Neronis, aut Galbæ, mansere. Cælio ac Flauio Sabinis, in Iulias: Arrio Antonino & Mario Celso, in Septembres, quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho, pontificatus auguratúsque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit: & recens ab exsilio reuersos nobiles adolescentulos, auitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso, Seuino Promptino senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant. Placuit ignoscentibus, verso nomine, quod auaritia fuerat, videri maiestatem: cuius tum odio, etiam bonæ leges peribant. Eadem largitione, ciuitatum quoque ac prouinciarum animos aggressus, Hispalensibus & Emeritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus vniuersis ciuitatem Romanam, prouinciæ Bæticæ Maurorum ciuitates dono dedit. Noua iura Cappadociæ, noua Africæ, ostentui magis quàm mansura. Inter quæ necessitate præsentium rerum & instantibus curis excusata, ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppææ per senatusconsultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitauisse, spe vulgum alliciendi. Et fuere qui imagines Neronis proponerent: atque etiam Othoni, quibusdam diebus populus & miles, tamquam nobilitatem ac decus astruerent, NERONI OTHONI acclamauit. Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu, vel agnoscendi pudore. Conuersis ad ciuile bellum animis, externa sine cura habebantur. Eò audentiùs Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme cæsis duabus cohortibus, magna spe ad Mœsiam irruperant. nouem millia equitum, ex ferocia & successu, prædæ magis quam pugnæ intenta. Igitur vagos & incuriosos, tertia legio adiunctis auxiliis, repentè inuasit. Apud Romanos omnia prœlio apta. Sarmatæ dispersi, aut cupidine prædæ graues onere sarcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. Namque mirum dictu vt sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum: vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obstiterit. Sed

tum

tum humido die, & soluto gelu, neque conti, neque gladij, quos praelongos vtraque manu regunt, vsui, lapsantibus equis, & cataphractarum pondere. id principibus & nobilissimo cuique tegimen, ferreis laminis, aut praeduro corio consertum: vt aduersus ictus impenetrabile, ita impetu hostium prouolutis inhabile ad resurgendum) simul altitudine & mollitia niuis, hauriebantur. Romanus miles facili lorica, & missili pilo, aut lanceis assultans, vbi res posceret, leui gladio inermem Sarmatam, (neque enim defendi scuto mos est) comminus fodiebat. donec pauci, qui praelio superfuerant, paludibus abderentur. Ibi saeuitia hiemis aut vulnerum absumpti. Postquam id Romae compertum, M. Aponius Moesiam obtinens, triumphali statua, Fuluius Aurelius, & Iulianus Titius ac Numisius Lupus, legati legionum, consularibus ornamentis donantur: laeto Othone, & gloriam in se trahente, tamquam & ipse felix bello & suis ducibus suisque exercitibus Remp. auxisset. Paruo interim initio, vnde nihil timebatur, orta seditio, prope vrbi excidio fuit. Septimamdecimam cohortem, e colonia Hostiensi, in vrbem acciri Otho iusserat. Armandae eius cura, Vario Crispino tribuno e praetorianis, data. Is quo magis vacuus, quietis castris, iussa exsequeretur: vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari aperto armamentario iubet. Tempus in suspicionem, caussa in crimen: affectatio quietis, in tumultum eualuit. Et visa inter temulentos arma, cupidinem sui mouere. Fremit miles, & tribunos centurionesque proditionis arguit, tamquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur. Pars ignari & vino graues, pessimus quisque in occasionem praedarum, vulgus, vt mos est, cuiusque motus noui cupidum. & obsequia meliorum nox abstulerat. Resistentem seditioni tribunum, & seuerissimos centurionum obtruncant. rapta arma, nudati gladij, insidentes equis vrbem ac palatium petunt. Erat Othoni celebre conuiuium, primoribus feminis virisque, qui trepidi, fortuitusne militum furor, an dolus imperatoris, manere ac deprehendi, an fugere & dispergi, periculosius foret: modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri. Vtque euenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine senatus quam suo territus, & praefectos praetorij ad mitigandas militum iras statim miserat, & abire propere omnes e conuiuio iussit. Tum vero passim magistratus, proiectis insignibus, vitata comitum & seruorum frequentia, senes feminaeque per tenebras, diuersa vrbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, & vt cuique humillimus cliens, incertas latebras petiuere. Militum impetus ne foribus quidem palatij coercitus, quo minus conuiuium irrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes: vulnerato Iulio Martiale tribuno, & Vitellio Saturnino praefecto legionis, dum ruentibus obsistunt. Vndique arma & minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum vniuersum: lymphatis caeco pauore animis, & quia neminem vnum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus: donec Otho, contra decus imperij thoro insistens, precibus & lacrymis aegre cohibuit. Redieruntque in castra inuiti, neque innocentes. Postera die, velut capta vrbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs; de-

A iecti in terram militum vultus, ac plus tristitiae quam poenitentiae. Manipulatim allocuti sunt Licinius Proculus, & Plotius Firmus, praefecti: ex suo quisque ingenio, mitius aut horridius. Finis sermonis in eo, vt quina millia nummum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus. Atque illum tribuni centurionesque circumsistunt, abiectis militiae insignibus, otium & salutem flagitantes. Sensit inuidiam miles, & B compositus in obsequium, auctores seditionis ad supplicium vltro postulabat. Otho quamquam turbidis rebus, & diuersis militum animis, cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, vulgus & plures, seditionib. & ambitioso imperio laeti: per turbas & raptus facilius ad ciuile bellum impellerentur: simul reputans non posse principatum scelere quaesitum, subita modestia, & prisca grauitate retineri, sed discrimine vrbis & periculo senatus anxius, postremo ita disseruit. *Ne- C que, vt affectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones: neque vt animum ad virtutem cohortarer (vtraque enim egregie supersunt) sed veni postulaturus a vobis temperamentū vestrae fortitudinis, & erga me modum caritatis. Tumultus proximi initium, non cupiditate vel odio (quae multos exercitus in discordiam egere) ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum, nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitauit. Nā saepe honestas rerū caussas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. D Imus ad bellum. num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari, ratio rerū aut occasionum velocitas patitur? Tam nescire quaedam milites, quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, vt multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Si vbi iubeantur, quaerere singulis liceat: pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An & illic nocte intempesta rapientur arma? Vnus alterue perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse E crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet? Imperatoris sui tentorium irrumpet? Vos quidē istud pro me. sed in discursu ac tenebris, & rerū omnium confusione patefieri occasio etiam aduersus me potest. Si Vitellio & satellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecētur? quid aliud quam seditionem & discordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno, obsequatur: hinc confusi pedites equitesque in exitium rua- F mus. Parēdo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando, res militares continentur. Et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma & animus sit: mihi consilium, & virtutis vestrae regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum poena erit. Ceteri abolete memoriam foedissimae noctis. Nec illas aduersus senatum voces vllus vnquam exercitus audiat. Caput imperij, & decora omnium prouinciarum, ad poenam vocare, non hercle illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, G Germani audeant. Vllane Italiae alumni, & Romana vere iuuentus, ad sanguinem & caedem deposceret ordinem, cuius splendore & gloria sordes & obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus? Nationes aliquas occupauit Vitellius, imaginem quādā exercitus habet. Senatus nobiscum est. Sic fit, vt hinc Resp. inde hostes Reip. constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc vrbem, domibus & tectis & congestu lapidum, stare creditis? Muta ista & inanima intercidere ac reparari promiscue possunt: aeternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra*

Italiæ columina, ac senatus firmatur. Hunc auspicato à parente & conditore vrbis nostræ institutum, & à regibus vsque ad principes continuum, & immortalem, sicut à maioribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam vt ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur. Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos, & seueritatis modus (neque enim in plures quàm in duos animaduerti iusserat) grata accepta, compositique ad præsens, qui coërceri non poterant. Non tamen B quies vrbi redierat. strepitus telorum, & facies belli erat, militibus, vt nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos, occulto habitu, & maligna cura in omnes, quos nobilitas, aut opes, aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoque milites venisse in vrbem ad studia partium noscenda, plerique credebant. Vnde plena omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine: sed plurimum trepidatio- C nis in publico, vt quemque nuntium fama attulisset, animum vultúmque conuersi, ne diffidere dubiis, ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto verò in curiam senatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas. Et priuato Othoni nuper, atque eadem dicenti, nota adulatio. Igitur versare sententias, & huc atque illuc torquere, hostem & parricidam Vitellium vocantes. Prouidentissimus quisque, vulgaribus conuiciis: quidam, vera pro- D bra iacere, in clamore tamen, & vbi plurimæ voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes. Prodigia insuper terrebant, diuersis auctoribus vulgata. In vestibulo Capitolij omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat: erupisse cella Iunonis, maiorem humana speciem, statuam diui Iulij, in insula Tiberini amnis, sereno & immoto die, ab Occidente in Orientem conuersam: prolocutum in Etruria bouem: insolitos animalium partus: & plura alia, rudibus sæcu- E lis, etiam in pace obseruata, quæ nunc tantùm in metu audiuntur. Sed præcipuus, & cum præsenti exitio, etiam futuri pauor, subita inundatione Tiberis: qui immenso auctu, prorupto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modò iacentia & plana vrbis loca, sed secura huiusmodi casuum impleuit. Rapti è publico plerique, plures in tabernis & cubilibus intercepti. Fames in vulgus, inopia quæstus, & penuria ali- F mentorum: corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. Vtque primum vacuus à periculo animus fuit, id ipsum quod paranti expeditionem Othoni, campus Martius & via Flaminia iter belli esset obstructum, à fortuitis vel naturalibus caussis, in prodigium & omen imminentium cladium vertebatur. Otho, lustrata vrbe, & expensis belli consiliis, quando Peninæ Cottiæque Alpes, & ceteri Galliarum aditus Vitellianis exer- G citibus claudebantur, Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida & partibus fida: quòd reliquos cæsorum ad pontem Miluium, & sæuitia Galbæ in custodiam habitos, in numeros legionis composuerat, facta & ceteris spe honoratioris in posterum militiæ. Addidit classi vrbanas cohortes, & plerosque è prætorianis, vires & robur exercitus, atque ipsis ducibus consilium & custodes. Summa expeditionis Antonio Nouello, Suedio Clementi primipilaribus, Æmylio Pacensi, cui ademptum à Galba Tri- A bunatum reddiderat, permissa. Curam nauium Oscus libertus retinebat, ad obseruandam honestiorum fidem immutatus. Peditum equitúmque copiis Suetonius Paullinus, Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati. Sed plurima fides Licinio Proculo prætorij præfecto. Is vrbanæ militiæ impiger, bellorum insolens, auctoritatem Paullini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, vt cuique erat, criminando, quod B facillimum factu est, prauus & callidus, bonos & modestos anteibat. Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia, neque obscura: nullum ob crimen, sed vetusto nomine, & propinquitate Galbæ monstratus. Multos è magistratibus, magnam consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie, secum expedire iubet. In quis & L. Vitel- C lium, eodem quo ceteros cultu, nec vt imperatoris fratrem, nec vt hostis. Igitur motæ vrbis curæ; nullus ordo metu aut periculo vacuus. Primores senatus ætate inualidi, & longa pace desides; segnis & oblita bellorum nobilitas: ignarus militiæ eques: quanto magis occultare ac abdere pauorem nitebantur, manifestiùs pauidi. Nec deerant è contrario, qui ambitione stolida, conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conuiuiorum & irritamenta li- D bidinum, vt instrumenta belli mercarentur. Sapientibus quietis & Reip. cura: leuissimus quisque, & futuri improuidus, spe vana tumens. Multis afflicta fides in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tutissimi. Sed vulgus & magnitudine nimia communium curarum expers populus, sentire paulatim belli mala, conuersa in militum vsum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis: quæ motu Vindicis, haud perinde plebem attinerant, secura tum vrbe, & prouinciali bello, E quod inter legiones Galliásque velut externum fuit. Nam, ex quo diuus Augustus res Cæsarum composuit, procul & in vnius solicitudinem aut decus, populus Romanus bellauerat. Sub Tiberio & Caio, tantùm pacis aduersa pertimuere. Scriboniani contra Claudium incepta, simul audita & coërcita. Nero nuntiis magis & rumoribus, quàm armis depulsus. Tum legiones classésque, & quod raro alias, prætorianus vrbanúsque miles, in aciem deducti. Oriens Occidénsque & F quidquid vtrimque virium est, à tergo: si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere, qui proficiscenti Othoni moras religionémque nondum conditorum ancilium afferrent. Aspernatus omnem cunctationem, vt Neroni quoque exitiosam: & Cæcina, iam Alpes transgressus, exstimulabat. Pridie Idus Mar. commendata patribus Republica, reliquias Neronianarum sectionum nondum in fiscum conuectas, reuo- G cans ab exsilio concessit, iustissimum donum, & in speciem magnificum, sed festinata exactione, vsu sterile. Mox vocata concione, maiestatem vrbis, & consensum populi ac senatus pro se attollens, aduersum Vitellianas partes modestè disseruit, inscitiam potiùs legionum, quàm audaciam increpans, nulla Vitellij mentione, siue ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibimetuens, contumeliis in Vitellium abstinuit: quando, vt in consiliis militiæ Suetonio Paullino & Mario Celso, ita in rebus vrbanis Galerij Trachali ingenio Othonem vti

credebatur. & erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori vsu celebre, & ad implendas populi aures, latum & sonans. Clamor vocésque vulgi, ex more adulandi, nimiæ & falsæ. quasi dictatorem Cæsarem, aot imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votísque certa- A bant. nec metu aut amore, sed ex libidine seruitij, vt in familiis, priuata cuique stimulatio, & vile iam decus publicum. Profectus Otho, quietem vrbis curásque imperij, Saluio Titiano fratri permisit.

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV NERONIS HISTORIARVM

LIBER II.

STRVEBAT iam fortuna, in diuersa parte terrarum, initia caussásque imperio: quod varia sorte, lætum Reip. aut atrox, ipsis principibus prosperum, aut exitio fuit. Titus Vespasianus è Iudæa, incolumi adhuc Galba, missus à patre; caussam profectionis, officium erga principem, & maturam petendis honoribus iuuentam ferebat. Sed vulgus fingendi auidum, disperserat, accitum in adoptionem. materia sermonibus, senium & orbitas principis, & intemperantia ciuitatis, donec vnus eligatur, multos destinandi. Augebat famam, ipsius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam maiestate, prosperæ Vespasiani res, præsaga responsa, & inclinatis ad credendum animis, loco omnium etiam fortuna. Vbi Corinthi, Achaiæ vrbe, certos ountios accepit de interitu Galbæ, & aderant qui arma Vitellij bellúmque affirmarent: anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta vtrimque perlustrat. Si pergeret in vrbem; nullam officij gratiam, in alterius honorem suscepti: ac se Vitellio siue Othooi, obsidem fore. Sin rediret; offensam haud dubiam victoris: sed incerta adhuc victoria, & concedente in partes patre, filium excusatum. Sin Vespasianus Rempub. susciperet, obliuiscendum offensarum, de bello agitantibus. His ac talibus inter spem metúmque iactatum, spes vicit. Fuere qui accensum desiderio Berenices reginæ, vertisse iter crederent. Neque abhorrebat à Berenice iuuenilis animus. sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. lætam voluptatibus adolescentiam egit, suo quàm patris imperio modestior. Igitur oram Achaiæ, & Asiæ, ac læua maris prætereuectus, Rhodum & Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit, adeundi visendique templum Paphiæ Veneris, inclytum per indigenas aduenásque. Haud fuerit longum initia religionis, templi situm, formam deæ, oeque enim alibi sic habetur, paucis disserere. Conditorem templi regem Aëriam vetus memoria, quidam ipsius deæ oomen id perhibent. Fama recentior tradit, à Cinara sacratum templum, deámque ipsam conceptam mari, huc appulsam. Sed scientiam artémque haruspicum accitam, & Cilicem Thamyram intulisse. Atque ita pactum, vt familiæ vtriusque posteri cærimoniis præsiderent. Mox ne hooore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant scientia hospites cessere.

B Tantum Cinarades sacerdos consulitur. Hostiæ, vt quisque vouit: sed mares deliguntur. Certissima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum. precibus & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus quamquam in aperto madescunt. Simulacrum deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exsurgens. Et ratio in obscuro. Titus spectata opulentia donisque regum, quæque alia lætum antiquitatibus C Græcorum genus incertæ vetustati affingit, de nauigatione primùm consuluit. Postquam pandi viam, & mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat, cæsis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdotis id oomen erat) vbi læta & coogruentia exta, magnísque consultis annuere deam videt, pauca in præsens & solita respondens, petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem peruectus, suspensis prouinciarum & exercituum mentibus, ingens re- D rum fiducia, accessit. Profligauerat bellum Iudaicum Vespasianus, oppugnariooe Hierosolymorum reliqua, duro magis & arduo opere ob ingenium montis & peruicaciam superstitionis, quàm quòd satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, vt suprà memorauimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitæ bello: quatuor Mucianus obtinebat in pace. Sed æmulatio & proximi exercitus gloria repulerat segnitiam. Quantúmque illis roboris discrimi- E na & labor, tantum his vigoris addiderat integra quies, & inexpertus belli labor. auxilia vtrique cohortium alarúmque, & classes regésque, ac nomen dispari fama celebre. Vespasianus acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu diúque coosilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habitúque vix à gregario milite discrepans; prorsus, si auaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum è contrario magnificentia & opes, & cun- F cta priuatum modum supergressa extollebant. aptior sermone, dispositu, prouisúque, ciuilium rerum peritus. egregium principatus temperamentum, si demptis vtriusque vitiis, solæ virtutes miscerentur. Ceterùm hic Syriæ, ille Iudeæ præpositus, vicinis prouinciarum administrationibus inuidia discordes, exitu demum Neronis, positis odiis in medium consuluere, primùm per amicos; dein præcipua concordiæ fides Titus, praua certamina communi vtilitate aboleuerat: natura atque arte compositus al-

liciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurionesque, & vulgus militum, industria, licentia, per virtutes, per voluptates, vt cuique ingenium, adsciscebantur. Antequam Titus aduentaret, sacramentum Othonis acceperat vterque exercitus, præcipitibus, vt assolet, nuntiis, & tarda mole ciuilis belli, quod longa concordia quietus Oriens, tunc primùm parabat. Namque olim validissima inter se ciuium arma, in Italia, Galliáve, viribus Occidentis cœpta. Et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est ciuile bellum, haud prosperi exitus fuerant. Auditique sæpius in Syria Iudæáque Cæsares quàm inspecti. Nulla seditio legionum, tantum aduersus Parthos minæ, vario euentu. Et proximo ciuili bello, turbatis aliis, inconcussa ibi pax: dein fides erga Galbam. Mox vt Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire, vulgatum est, ne penes ceteros imperij præmia, penes ipsos tantùm seruitij necessitas esset, fremere miles, & vires suas circumspicere. Septem legiones statim, & cum ingentibus auxiliis Syria Iudæáque: inde continua Ægyptus, duæque legiones: hinc Cappadocia Pontúsque, & quicquid castrorum Armeniis prætenditur. Asia, & cæteræ prouinciæ, nec virorum inopes, & pecuniæ opulentæ. quantum insularum mari cingitur, & parando interim bello secundum tutúmque ipsum mare. Non fallebat duces impetus militum. Sed bellantibus aliis placuit exspectari bellum, cùm in victores victósque numquam solida fides coalesceret. Nec referre Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere. discordiam his, ignauiam, luxuriem. & suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Igitur arma in occasionem distulere, Vespasianus Mucianúsque nuper, ceteri olim mixtis consiliis, optimos quisque amore Reip. Multos dulcedo prædarum stimulabat, alios ambiguæ domi res. Ita boni malique, caussis diuersis, studio pari, bellum omnes cupiebant. Sub idem tempus Achaia atque Asia falsò exterritæ, velut Nero aduentaret: vario super exitu eius rumore, eóque pluribus viuere eum fingentibus, credentibúsque. Ceterorum casus conatúsque in contextu operis dicemus. Tunc seruus è Ponto, siue, vt alij tradidere, libertinus ex Italia, citharæ & cantus peritus (vnde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides) adiunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur: ac vi tempestatum Citlinom insulam detrusus, & militum quosdam ex Oriente commeantium adsciuit, & abnuentes interfici iussit, & spoliatis negotiatoribus, mancipiorum valentissimum quemque armauit. Centurionémque Sisennam dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem, variis artibus aggressus est: donec Sisenna clam relicta insula, trepidus & vim metuens aufugeret. inde latè terror, multis ad celebritatem nominis erectis, rerum nouarum cupidine, & odio præsentium. Gliscentem in dies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphyliam prouincias, Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat. Datæ è Classe Misenensi duæ triremes ad prosequendum, cum qoibus Cithnum insulam tenuit. Nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in mæstitiam compositus,

A & fidem suorum quondam militum inuocans, vt eum in Syria, aut Ægypto sisterent orabat. Trierarchi nutantes, seu dolo, alloquendos sibi milites, & paratis omnium animis reuersuros firmauerunt. Sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata. cuius cohortatione expugnata nauis, & interfectus quisquis ille erat. Corpus insigne oculis comáque & toruitate vultus, in Asiam, atque inde Romam peruectum est. In ciuitate discordi, &
B ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, paruæ quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quàm inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitauerat, ad cognitionem senatus vocabat. Nam recens Galbæ principatu censuerant patres, vt accusatorum caussæ noscerentur. Id senatusconsultum variè iactatum, & prout potens vel inops
C reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur. Ad hæc terrore & propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui peruertere: traxerátque magnam senatus partem, vt indefensum & inauditum dedi ad exitium postularent. Contrà apud alios nihil æquè reo proderat, quàm nimia potentia accusatoris: dari tempus, edi crimina, quamuis inuisum ac nocentem, more tamen audiendum censebant. Et valuere primò, dilatáque in paucos dies cognitio. mox damna-
D tus est Faustus, nequaquam eo assensu ciuitatis, quem pessimis moribus meruerat. quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum præmio exercuisse meminerant. Nec pœna criminis, sed vltor displicebat. Læta interim Othoni principia belli, motis ad imperium eius è Dalmatia Pannoniáque exercitibus. Fuere quattuor legiones, è quibus bina millia præmissa. Ipsæ modicis interuallis sequebantur: septima à Galba conscripta: veteranæ, vndecima ac tertiadecima, &
E præcipui fama Quartadecumani, rebellione Britanniæ compressa. Addiderat gloriam Nero, eligendo vt potissimos. Vnde longa illis erga Neronem fides, & erecta in Othonem studia. Sed quo plus virium ac roboris, è fiducia tarditas inerat. agmen legionum, alæ cohortésque præueniebant. Ex ipsa vrbe haud spernenda manus, quinque prætoriæ cohortes, & equitum vexilla cum legione prima, ac deforme insuper auxilium, duo millia gladiatorum, sed per ciuilia ar-
F ma etiam seueris ducibus vsurpatum. His copiis rector additus Annios Gallus, cùm Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas præmissus: quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso iam Alpes Cæcina, quem sisti intra Gallias posse sperauerat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris prætoriis cohortibus, veterani è prætorio, classicorum ingens numerus. Nec illi segne aut corruptum luxu iter. sed lorica ferrea vsus est, & ante signa pedester, horridus, incomptus, fa-
G mæque dissimilis. Blandiebatur cœptis fortuna, possessa per mare & naues maiore Italiæ parte, penitus vsque ad initium maritimarum Alpium. quibus tentandis, aggrediendæque prouinciæ Narbonensi, Suedium Clementem, Antonium Nouellum, Æmilium Pacensem duces dederat. Sed Pacensis per licentiam militum vinctus; Antonio Nouello nulla auctoritas, Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, vt aduersus

modestiam

modestiam disciplinæ corruptus, ita prœliorum A
auidus. Non Italia adiri, nec loca sedésque patriæ
videbantur:tamquam externa litora, & vrbes ho-
stium, vrere, vastare, rapere: eo atrociùs, quòd ni-
hil vsquam prouisum aduersum metus. pleni agri,
apertæ domus. occursantes domini iuxta coniu-
ges & liberos, securitate pacis, & belli malo cir-
cumueniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat
procurator Marius Maturus. Is concita gente (nec
deest iuuentus) arcere prouinciæ finibus Otho- B
nianos intendit. Sed primo impetu cæsi disiectí-
que montani, vt quibus temerè collectis, non ca-
stra, non ducem noscitantibus, neque in victo-
ria decus esset, neque in fuga flagitium. Irritatus
eo prœlio Othonis miles, vertit iras in muni-
cipium Albium Intemelium. quippe in acie ni-
hil prædæ, inopes agrestes, & vilia arma: nec capi
poterant, pernix genus, & gnari locorum. sed
calamitatibus insontium expleta auaritia. Auxit
inuidiam præclaro exemplo femina Ligus, quæ C
filio abdito, cùm simul pecuniam occultari mili-
tes credidissent, eóque per cruciatus interroga-
rent vbi filium occuleret, vterum ostendens, la-
têre respondit. Nec vllis deinde terroribus, aut
morte, constantiam vocis egregiæ mutauit. Im-
minere prouinciæ Narbonensi, in verba Vitellij
adactæ, classem Othonis, Fabio Valenti trepidi
nuntij attulere. Aderant legati coloniarum, au-
xilium orantes. Duas Tungrorum cohortes, qua-
tuor equitum turmas, vniuersam Treuerorum D
alam, cum Iulio Classico præfecto misit. è qui-
bus pars in colonia Foroiuliensi retenta, ne om-
nibus copiis in terrestre iter versis, vacuo mari
classis acceleraret. Duodecim equitum turmæ, &
lecti è cohortibus, aduersus hostem iere: quibus
adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium,
& quingenti Pannonij nondum sub signis. Nec
mora prœlio: sed acie ita instructa, vt pars classi-
corum mixtis paganis in colles mari propinquos
exsurgeret, quantum inter colles ac litus æqui E
loci prætorianus miles expleret, in ipso mari vt
annexa classis & pugnæ parata, conuersa, & mina-
ci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor
peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis
iugis, cohortes densis ordinib. post equitem lo-
cant. Treuerorum turmæ obtulere se hosti incau-
tè, cùm exciperet contrà veteranus miles, si-
mul à latere saxis vrgeret apta ad iaciendum et-
iam paganorum manus; qui sparsi inter milites, F
strenui ignauíque in victoria idem audebant. Ad-
ditus perculsis terror, inuecta in terga pugnan-
tium classe. Ita vndique clausi. deletæque omnes
copiæ forent, ni victorem exercitum attinuis-
set obscurum noctis, obtentui fugientibus. Nec
Vitelliani, quamquam victi, quieuere: accitis au-
xiliis, securum hostem, ac successu rerum socor-
diùs agentem inuadunt. cæsi vigiles, perrupta ca-
stra, trepidatum apud naues, donec sidente paula-
tim metu, occupato iuxtà colle defensi, mox ir- G
rupere. Atrox ibi cædes, & Tungrarum cohor-
tium præfecti, sustentata diu acie, telis obruuntur.
Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit,
quorum improuidè secutos, conuersi equites cir-
cumuenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc
classis, inde eques subitam formidinem inferrent,
Vitelliani retrò Antipolim Narbonensis Galliæ
municipium, Othoniani Albingaunum interioris
Liguriæ reuertêre. Corsicam ac Sardiniam, ce-
terásque proximi maris insulas victricis classis in
partibus Othonis tenuit. Sed Corsicam propè af-
flixit Decimi Pacarij procuratoris temeritas, tan-
ta mole belli nihil in summa profutura, ipsi exi-
tiosa. Namque Othonis odio iuuare Vitellium
Corsorum viribus statuit, inani auxilio etiam si
prouenisset. Vocatis principibus insulæ, cõsilium
aperit. Et contradicere ausos Claudium Phirri-
cum trierarchum Liburnicarum ibi nauium,
Quinctium Certum equitem Romanum, inter-
fici iubet. quorum morte exterriti qui aderant, si-
mul ignara & alieni metus socia imperitorum
turba, in verba Vitellij iurauere. Sed vbi dele-
ctum agere Pacarius, & inconditos homines fati-
gare militiæ muneribus occepit, laborem insoli-
tum perosi, infirmitatem suam reputabant. Insu-
lam esse quam incolerent, & longè Germaniam
virésque legionum: direptos vastatósque classe, et-
iam quos cohortes alæque protegerent. Et auer-
si repentè animi, nec tamen aperta vi; aptum tem-
pus insidiis legere. Digressis qui Pacarium fre-
quentabant, nudus & auxilij inops, balineis inter-
ficitur. Trucidati & comites. Capita, vt hostium,
ipsi interfectores ad Othonem tulere. Neque eos
aut Otho præmio affecit, aut puniuit Vitellius,
in multa colluuie rerum maioribus flagitiis per-
mixtos. Aperuerat iam Italiam, bellúmque trans-
miserat, vt suprà memorauimus, ala Syllana, nul-
lo apud quemquam Othonis fauore, nec quia Vi-
tellium mallent, sed longa pax ad omne serui-
tium fregerat, faciles occupantibus, & melioribus
incuriosos. Florentissimum Italiæ latus, quantum
inter Padum Alpésque camporum & vrbium, ar-
mis Vitellij (namque & præmissæ à Cęcina cohor-
tes aduenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum
cohors apud Cremonam. Intercepti centum e-
quites, ac mille classici inter Placentiam Tici-
númque: quo successu Vitellianus miles, non iam
flumine aut ripis arcebatur. Irritabat quin etiam
Batauos Transrhenanósque Padus ipse: quem re-
pente contra Placentiam transgressi, raptis qui-
busdam exploratoribus, ita ceteros terruere, vt
adesse omnem Cæcinæ exercitum trepidi ac falsi
nuntiarent. Certum erat Spurinnæ (is enim Pla-
centiam obtinebat) nec dum venisse Cæcinam,
& si propinquaret, coërcere intra munimenta mi-
litem, nec tris prætorias cohortes, & mille ve-
xillarios cum paucis equitibus, veterano exerci-
tui obiicere. Sed indomitus miles, & belli igna-
rus, correptis signis vexillísque ruere, & retinen-
ti duci tela intentare, spretis centurionibus tribu-
nísque prouidentiam ducis laudantibus. quin pro
Othone, & accitum Cæcinam clamitabant. Fit
temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coa-
ctus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis in-
esset consiliis, si seditio mitesceret. Postquam in
conspectu Padus, & nox appetebat, vallari castra
placuit. Is labor vrbano militi insolitus contu-
dit animos. Tum vetustissimus quisque castiga-
re credulitatem suam, metum ac discrimen o-
stendere, si cum exercitu Cæcina, patentibus cam-
pis, tam paucas cohortes circumfudisset. Iamque
totis castris modesti sermones, & inserentibus se
centurionibus tribunísque, laudari prouidentiam
ducis: quòd coloniam virium & opum vali-
dam, robur ac sedem bello legisset. Ipse postre-
mò Spurinna non tam culpam exprobrans, quàm
ratione ostendens, relictis exploratoribus, cete-
ros Placentiam reduxit, minus turbidos, & im-
peria accipientes. Solidati muri, propugnacula

addita, auctæ turres, prouisa paratáque non ar-
ma modò, sed obsequium & parendi amor, quod
solum illis partib. defuit, cùm virtutis haud pœni-
teret. At Cæcina, velut relicta, post Alpes sæuitia
ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit.
Ornatum ipsius, municipia & coloniæ in super-
biam trahebant, quòd versicolore sagulo, bra-
chas tegmen barbarum indutus, togatos alloque-
retur. Vxorem quoque eius Saloninam, quam-
quam in nullius iniuriam, insigni equo ostróque
veheretur, tamquam læsi grauabantur. Insita mor-
talibus natura, recentem aliorum felicitatem æ-
gris oculis introspicere, modúmque fortunæ à
nullis magis exigere, quàm quos in æquo vide-
re. Cæcina Padum transgressus, tentata Othonia-
norum fide per colloquium & promissa, iisdem
petitus, postquam pax & cócordia speciosis & ir-
ritis nominibus iactata sunt, consilia curásque in
oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit:
gnarus, vt initia belli prouenissent, famã in cetera
fore. Sed primus dies, impetu magis quàm vetera-
ni exercitus artibus, transactus. Aperti incautique
muros subiere, cibo vinoque prægraues. In eo
certamine, pulcherrimum amphitheatri opus, si-
tum extra muros, conflagrauit: siue ab oppugna-
toribus incensum, dum faces & glandes ac mis-
silem ignem in obsessos iaculantur; siue ab obses-
sis, dum regerunt. Municipale vulgus pronum
ad suspiciones, fraude illata ignis alimenta credi-
dit, è quibusdã vicinis coloniis, inuidia & æmu-
latione, quòd nulla in Italia moles tam capax fo-
ret. quocumque casu acciderat, dum atrociora
metuebantur, in leui habitum: reddita securitate,
tamquam nihil grauius pati potuissent, mære-
bant. Cæterùm, multo suorum cruore, pulsus Cæ-
cina. Et nox parandis operibus assumpta. Vitellia-
ni pluteos cratésque & vineas suffodiendis mu-
ris, protegendísque oppugnatoribus; Othoniani
sudes & immensas lapidum ac plumbi ærísque
moles, perfringendis operibus, obruendísque ho-
stibus expediunt. Vtrimque pudor, vtrimque glo-
ria, & diuersæ exhortationes, hinc legionum &
Germanici exercitus robur, inde vrbanæ mili-
tiæ, & prætoriarum cohortium decus attollen-
tium. Illi, vt segnem ac desidem, & circo ac thea-
tris corruptum militem; hi, peregrinum & exter-
num increpabant. simul Othonem, ac Vitellium,
celebrantes culpantésve, vberioribus inter se pro-
bris, quàm laudibus stimulabantur. Vix dum or-
to die, plena propugnatoribus mœnia, fulgentes
armis virísque campi, densum legionum agmen,
sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagit-
tis aut saxis incessere, neglecta aut æuo fluxa co-
minus aggredi. Ingerunt desuper Othoniani pi-
la, librato magis & certo ictu, aduersus temerè
subeuntes cohortes Germanorum, cantu tru-
ci, & more patrio, nudis corporibus, super
humeros scuta quatientium. Legionarius pluteis
& cratibus tectus subruit muros, instruit agge-
rem, molitur portas. Contrà prætoriani disposi-
tos ad id ipsum molares, ingenti pondere ac fra-
gore, prouoluunt. pars subeuntium obruti: pars
confixi, & exsangues aut laceri, cùm augeret stra-
gem trepidatio, eóque acrius è mœnibus vul-
nerarentur, rediere, infracta partium fama. Et
Cæcina, fama & pudore cœptæ temerè oppugna-
tionis, ne irrisus ac vanus iisdem castris assideret,
traiecto rursus Pado, Cremonam petere inten-
dit. Tradidere sese abeunti Turullius Cerialis,

A cum compluribus classicis, & Iulius Briganticus,
cum paucis equitum. hic præfectus alæ, in Bata-
uis genitus; ille primipilaris, & Cæcinæ haud a-
lienus, quòd ordines in Germania duxerat. Spu-
rinna, comperto itinere hostium; defensam Pla-
centiam, quæque acta, & quid Cæcina pararet,
Annium Gallum per litteras docet. Gallus legio-
nem primam in auxilium Placentiæ ducebat, dif-
B fisus paucitati cohortium, ne longius obsidium,
& vim Germanici exercitus parum tolerarent.
Vbi pulsum Cæcinam pergere Cremonam acce-
pit, ægrè coërcitam legionem, & pugnandi ardo-
re vsque ad seditionem progressam, Bedriaci sistit.
Inter Veronam Cremonámq; situs est vicus, dua-
bus iam Romanis cladibus notus, infaustúsq;. Iis-
dem diebus, à Martio Macro, haud procul Cre-
mona, prosperè pugnatum. Namque promptus
animi Martius, transuectos nauibus gladiatores,
in aduersam Padi ripam, repentè effudit. Turbata
C ibi Vitellianorum auxilia, & ceteris Cremonam
fugientibus, cæsi qui restiterant. Sed repressus
vincentium impetus, ne nouis subsidiis firmati
hostes, fortunam prœlij mutarent. Suspectum id
Othonianis fuit, omnia quæcumque facta, prauè
æstimantibus. Certatim, vt quisque animo igna-
uus, procax ore, Annium Gallum, & Suetonium
Paullinum, & Marium Celsum (nam eos Otho
quoque præfecerat) variis criminibus incesserant.
Acerrima seditionum ac discordiæ incitamenta,
D interfectores Galbæ, scelere & metu vecordes,
miscere cuncta, modò palàm turbidis vocibus,
modò occultis ad Othonem litteris, qui humil-
limo cuique credulus, bonos metuens, trepidabat,
rebus prosperis incertus, & inter aduersa melior.
Igitur Titianum fratrem accitum, bello præpo-
suit. Interea Paullini & Celsi ductu, res egre-
giæ gestæ. Angebant Cæcinam, ne quidquam
omnia cœpta, & senescens exercitus sui fama.
pulsus Placentia, cæsis nuper auxiliis, etiam per
E concursum exploratorum, crebra magis quàm
digna memoratu prœlia, inferior: propinquante
Fabio Valente, ne omne belli decus illuc con-
cederet, reciperare gloriam, auidiùs quàm con-
sultiùs, properabat. Ad duodecimum à Cremona,
locus Castorum vocatur, ferocissimos auxilia-
rium imminentibus viæ lucis occultos compo-
nit. equites procedere longiùs iussi, & irritato
prœlio sponte refugi, festinationem sequentium
elicere, donec insidiæ coorirentur. Proditum id
F Othonianis ducibus. & curam peditum Paulli-
nus, equitum Celsus, sumpsere. Tertiædecimæ le-
gionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes, &
quingenti equites in sinistro locantur. Aggerem
viæ tres prætoriæ cohortes, artis ordinibus obti-
nuere. Dextra fronte prima legio incessit, cum
duabus auxiliaribus cohortibus, & quingentis e-
quitibus. Super hos è prætorio auxiliísque mil-
le equites, cumulus prosperis, aut subsidium labo-
rantibus, ducebantur. Antequam miscerentur a-
cies, terga vertentibus vitellianis, Celsus doli
G prudens, repressit suos. vitelliani temerè exsur-
gentes, cedente sensim Celso, longiùs secuti, vl-
trò in insidias præcipitantur. nam a lateribus co-
hortes legionum, aduersa fronte, & subito discur-
su terga cinxerant equites. Signum pugnæ non
statim à Suetonio Paullino pediti datum. Cuncta-
tor natura, & cui cauta potiùs consilia cum ra-
tione, quàm prospera ex casu placerent. com-
pleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iube-
bat,

bat satis citò incipi victoriam ratus, vbi prouisum foret ne vincerentur. Ea cunctatione, spatium Vitellianis datum, in vineas nexu traducum impeditas, refugiendi. Et modica silua adhærebat, vnde rursus ausi, promptissimos prætorianorum equitum interfecere. vulneratur rex Epiphanes, impigrè pro Othone pugnam ciens. Tum Othonianus pedes erupit: protrita hostium acie, versi in fugam etiam qui subueniebant. Nam Cæcina non simul cohortes, sed singulas acciuerat: quæ res in prœlio trepidationem auxit, cùm dispersos, nec vsquam validos pauor fugientium abriperet. Orta & in castris seditio, quod non vniuersi ducerentur. Vinctus præfectus castrorum Iulius Gratus, tamquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret: cùm fratrem eius Iulium Frontonem tribunum, Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterùm ea vbique formido fuit, apud fugientes, occursantes, in acie, pro vallo, vt deleri cum vniuerso exercitu Cæcinam potuisse, ni Suetonius Paullinus receptui cecinisset, vtrisq; in partibus percrebuerit. Timuisse se Paullinus ferebat, tantum insuper laboris atque itineris: ne Vitellianus miles recens è castris fessos aggrederetur, & perculsis nullum retro subsidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus aduerso rumore fuit. Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit, quàm ad modestiam composuit: nec solùm apud Cæcinam, qui culpam in militem conferebat, seditioni magis quàm prœlio paratum, sed Fabij quoque Valentis copiæ (iam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu, & recuperandi decoris cupidine, reuerentiùs & æqualiùs duci parebant. Grauis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque enim rerum à Cæcina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batauorum, quas bello Neronis à quartadecima legione digressas, cùm Britanniam peterent, audito Vitellij motu in ciuitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, superbè agebant: vt cuiusque legionis tentoria accessissent, coërcitos à se quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam iactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum duci, corrupta iurgiis aut rixis disciplina. Ad postremum Valens è petulantia, etiam perfidiam suspectabat. Igitur nuntio allato, pulsam Treuerorum alam Tungrósque à classe Othonis, & Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi, & militari astu, cohortes turbidas, ac si vnà forent, præualidas, dispergendi, partem Batauorum ire in subsidium iubet. Quod vbi auditum, vulgatúmque, mærere socij, fremere legiones, *orbari se fortissimorum virorum auxilio. veteres illos & tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. si prouincia, vrbe & salute imperij potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriæ sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos, vt corpori, validissimos artus.* Hæc ferociter iactando postquam, immissis lictoribus, Valens coërcere seditionem cœptabat, ipsum inuadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur. Spolia Galliarum, & Viennensium aurum, & pretia laborum suorum occultare clamitantes, direptis sarcinis, tabernacula ducis, ipsamque humum pilis & lanceis rimabantur. nam Valens, seruili veste, apud

A decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus præfectus castrorum, deflagrante paulatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti: & id ipsum quòd nemo regeret pauentes, silentio, patientia, postremò precibus ac lacrymis veniam quærebant. Vt verò deformis & flens, & præter spem incolumis B Valens processit, gaudium, miseratio, fauor: versi in lætitiam (vt est vulgus vtroque immodicum) laudantes gratantésque circumdatum aquilis signísque, in tribunal ferunt. Ille, vtili moderatione, non supplicium cuiusquam poposcit: ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusauit: gnarus ciuilibus bellis, plus militibus quàm ducibus, licere. Munientibus castra apud Ticinum, de aduersa Cæcinæ pugna allatum, & propè renouata seditio, tamquam fraude & cun- C ctationibus Valentis prœlio defuissent. Nolle requiem, non exspectare ducem, anteire signa, vrgere signiferos. rapido agmine Cæcinæ iunguntur. Improspera Valentis fama apud exercitum Cæcinæ erat: expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem & aduentantium robur per adulatioñe attollẽtes, ne vt victi & ignaui despectarẽtur. Et quamquam plus virium, propè duplicatus legionum auxiliorúmque numerus erat Valenti, D studia tamen militum in Cæcinam inclinabant, super benignitatem animi qua promptior habebatur, etiam vigore ætatis, proceritate corporis, & quodam inani fauore. Hinc æmulatio ducibus. Cæcina, vt fœdum & maculosum: ille, vt vanum ac tumidum, irridebant. Sed condito odio, eandẽ vtilitatem fouere, crebris epistolis, sine respectu veniæ, probra Othoni obiectantes: cùm duces partium Othonis, quamuis vberrima conuiciorum in Vitellium materia, abstinerent. E Sanè ante vtriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam, meruere, minus Vitellij ignauæ voluptates, quam Othonis flagrantissimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ: contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius, ventre & gula sibi ipsi hostis: Otho, luxu, sæuitia, audacia, Reip. exitiosior ducebatur. Coniunctis Cæcinæ ac Valentis copiis, nulla vltrà penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. F Otho consultauit, trahi bellum, an fortunam experiri placeret. Tum Suetonius Paullinus, dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere; festinationem hostibus, moram ipsis vtilem disseruit. *Exercitum Vitellij vniuersum aduenisse: nec multum virium à tergo, quoniam Galliæ tumeãt, & deserere Rheni ripam, irrupturis tam infestis na-* G *tionibus, non conducat. Britannicum militem hoste & mari distineri: Hispanias, armis non ita redundare: prouinciam Narbonensem, incursu classis, & aduerso prœlio contremuisse: clausam Alpibus, & nullo maris subsidio, Trãspadanam Italiam, atq; ipso transitu exercitus vastatam: non frumentum vsquam exercitui, nec exercitũ sine copiis retineri posse. Iam Germanos, quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in æstatẽ bello fluxis corporibus, mutationem soli cælique haud toleraturos. Multa bella impetu valida, per tædia & moras euanuisse. Contrà, ipsis omnia opulenta, & fida: Pannoniam, Mœsiam, Dal-*

matiam, Orientem, cum integris exercitibus: Italiam, & caput rerum vrbem, senatumque & populum, numquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur: publicas priuatásque opes, & immensam pecuniam, inter ciuiles discordias ferro validiorem: corpora militum aut Italiæ sueta, aut æstibus. Obiacere flumen Padum tutas viris murísque vrbes, è quibus nullam hosti cessuram, Placentiæ defensione exploratum. proinde duceret bellum. Paucis diebus quartamdecimam legionem, magna ipsam fama, cum Mœsiacis copiis affore. Tum rursus deliberaturum, & si prœlium placuisset, auctis viribus certaturos. Accedebat sententiæ Paullini Marius Celsus. Idem placere Annio Gallo, paucos ante dies lapsu equi afflicto, missi qui consilium eius sciscitarentur, rettulerant. Otho pronus ad decertandum. Frater eius Titianus, & præfectus prætorij Proculus, imperitia properantes, fortunam & deos & numen Othonis adesse consiliis, affore conatibus testabantur. neu quis obuiam ire sententiæ auderet, in adulationem concesserant. Postquam pugnari placitum, interesse pugnæ imperatorem, an seponi melius foret, dubitauere. Paullino & Celso iam non aduersantibus: ne Principem obiectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilij auctores perpulere, vt Brixellum concederet, ac dubiis prœliorum exemptus, summæ rerum & imperij se ipsum reseruaret. Is primus dies Othonianas partes afflixit. Namque & cum ipso prætoriarum cohortium, & speculatorum, equitúmque, valida manus discessit, & remanentium fractus animus: quando suspecti duces: & Otho, cui vni apud militem fides, dum & ipse non nisi militibus credit, imperia ducum in incerto relinquerat. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris vt in ciuili bello transfugiis, & exploratores cura diuersa sciscitandi, sua non occultabant. Quieti intentique Cæcina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sapientiæ est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes, aduersus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naues pari inter se spatio, validis vtrimque trabibus connexæ, aduersum in flumen dirigebantur, iactis insuper anchoris, quæ firmitatem pontis continerent. Sed anchorarum funes non extenti fluitabant, vt augescente flumine, inoffensus ordo nauium attolleretur. Claudebat pontem imposita turris, & in extremam nauem educta: vnde tormentis ac machinis hostes propulsarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant, saxáque & faces iaculabantur. Et erat insula amne medio, in quam gladiatores nauibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac fortè plures transgressos, completis Liburnicis, per promptissimos gladiatorum Macer aggreditur. Sed neque ea constantia gladiatoribus ad prœlia quæ militibus, nec perinde nutantes è nauibus, quàm stabili gradu è ripa, vulnera dirigebant. Et cùm variis trepidantium inclinationibus, immixti remiges propugnatorésque turbarentur, desilire in vada vltrò Germani, retentare puppes, scandere foros, aut cominus mergere. quæ cuncta in oculis vtriusque exercitus, quanto lætiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani caussam auctorémque cladis detestabantur. Et prœlium quidem, abruptis quæ superfuerant nauibus, fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur. Iámque vulneratum eminus lancea, stri-

A ctis gladiis inuaserat, cùm intercursu tribunorum
centurionúmque protegitur. Nec multò pòst, Vestricius Spurinna, iussu Othonis, relicto Placentiæ modico præsidio, cum cohortibus subuenit.
Dein Flauium Sabinum consulem designatum
Otho rectorem copiis misit, quibus Macer præfuerat, læto milite ad mutationem ducum, & ducibus ob crebras seditiones, tam infestam militiam aspernantibus. Inuenio apud quosdam au-
B ctores, pauore belli, seu fastidio vtriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in
dies fama noscebantur, dubitasse exercitus, num
posito certamine, vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent legere imperatorem. Atque eò duces Othonianos spatium ac moras suasisse, præcipuè Paullinum: quòd vetustissimus consularium, & militia clarus, gloriam noménque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego vt concesserim apud paucos, tacito voto, quie-
C tem pro discordia, bonum & innocentem principem, pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum:
ita neque Paullinum, qua prudentia fuit, sperasse, corruptissimo sæculo, tantam vulgi moderationem reor, vt qui pacem belli amore turbauerant, bellum pacis caritate deponerent: neque
aut exercitus linguis moribúsque dissonos, in
hunc consensum potuisse coalescere: aut legatos
ac duces, magna ex parte luxus, egestatis, scelerum
sibi conscios, nisi pollutum obstrictúmque me-
D ritis suis principem passuros. Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperij magnitudine adoleuit, erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facilè habebatur. sed vbi
subacto orbe, & æmulis vrbibus regibúsve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebémque certamina exarsere.
Modò turbulenti tribuni, modò consules præualidi, & in vrbe ac foro tentamenta ciuilium
bellorum. Mox è plebe infima, C. Marius, & no-
E bilium sæuissimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos
Cn. Pompeius occultior, non melior. Et numquam postea, nisi de principatu quæsitum. Non
discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis ciuium legiones, nedum Othonis ac Vitellij exercitus sponte posituri bellum fuerint. Eadem illos deûm ira, eadem hominum rabies, eædem
scelerum caussæ in discordiam egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignauia
F principum factum est. Sed me veterum nouorúmque morum reputatio longius tulit. Nunc
ad rerum ordinem venio. Profecto Brixellum
Othone, honor imperij penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum præfectum.
Celsus & Paullinus, cùm prudentia eorum nemo vteretur, inani nomine ducum, alienæ culpæ prætendebantur. Tribuni centurionesque
ambigui, quod spretis melioribus, deterrimi valebant. Miles alacer, qui tamen iussa ducum in-
G terpretari quàm exsequi mallet. Promoueri ad
quartum à Bedriaco castra placuit, adeò imperitè, vt quamquam verno tempore anni, & tot circum amnibus, penuria aquæ fatigarentur. Ibi de
prœlio dubitatum, Othone per litteras flagitante, vt maturarent: militibus, vt imperator pugnæ adesset poscentibus: plerique copias trans
Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde
diiudicari potest, quid optimum factu fuerit,
quàm pessimum fuisse quod factum est. Non vt ad

pugnam,

A pugnam, sed ad bellandum profecti. Confluentes Padi & Adduæ fluminum x v i. inde millium spatio distantes petebant. Celso & Paullino abnuentibus, militem itinere fessum, sarcinis grauem, obiicere hosti, non admissuro quo minus expeditus & vix quatuor millia passuum progressus, aut incompositos in agmine aut dispersos, & vallum molientes aggrederetur. Titianus & Proculus, vbi consiliis vincerentur, ad ius imperij transibant. Aderat sanè citus equo Numida,
B cum atrocibus mandatis, quibus Otho, increpita ducum segnitia, rem in discrimen mitti iubebat: æger mora. & spei impatiens. Eadem die, ad Cæcinam operi pontis intentum, duo prætoriarum cohortium tribuni, colloquium eius postulantes, venerunt. Audire conditiones, ac reddere parabat, cum præcipites exploratores adesse hostem nuntiauere. Interruptus tribunorum sermo, eóque incertum fuit insidias, an proditio-
C nem, vel aliquod honestum consilium cœptauerint. Cæcina dimissis tribunis, reuectus in castra, datum iussu Fabij Valentis pugnæ signum, & militem in armis inuenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere, & mirum dictu, a paucioribus Othonianis, quo minus in vallum impingerentur, Italicæ legionis virtute territi sunt. ea strictis mucronibus, redire pulsos & pugnam resumere coëgit. Disposita Vitellianarum legionum acies, sine trepidatione, &
D enim (quamquam vicino hoste) aspectus armorum densis arbustis prohibebatur: apud Othonianos pauidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula & lixæ, & præruptis vtrimque fossis, via quieto quoque agmini angusta. Circumsistere alij signa sua, quærere alij: incertus vndique clamor, accurrentium, vocitantium: & vt cuique audacia vel formido, in primam postremámve aciem prorumpebant, vel reuehebantur. Attoni-
E tas subito terrore mentes, falsum gaudium in languorem vertit, repertis qui desciuisse à Vitellio exercitum ementirentur. Is rumor ab exploratoribus Vitellij dispersus, an ipsa Othonis parte, seu dolo, seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnæ ardore, Othoniani vltrò salutauere. & hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quæ caussa salutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore & numero præstantior.
F Othoniani quamquam dispersi, pauciores, fessi, prœlium tamen acriter sumpsere. Et per locos arboribus, ac vineis impeditos, non vna pugnæ facies. comminus, eminúsque, cateruis & cuneis, concurrebant: in aggere viæ, collato gradu, corporibus & vmbonibus niti omisso pilorum iactu: gladiis & securibus galeas loricásque perrumpere, noscentes inter se, ceteris conspicui in euentum totius belli certabant. Fortè in-
G ter Padum viámque, patenti campo, duæ legiones congressæ sunt: pro Vitellio Vna & vicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis: è parte Othonis, Prima Adiutrix, non antè in aciem deducta, sed ferox, & noui decoris auida. Primani, stratis Vna & vicesimanorum principiis, aquilam abstulere. quo dolore accensa legio, & impulit rursus Primanos, interfecto Orphidio Benigno legato, & plurima signa vexillàque ex hostibus rapuit. A parte alia, propulsa, Quintanorum impetu tertia decima legio: circumuenti plurium accursu quartadeci-

mani. Et ducibus Othonis iam pridem profugis. Cæcina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium Varus Alphenus cum Batauis, fusa gladiatorum manu, quam nauibus transuectam, oppositæ cohortes in ipso flumine trucidauerant. ita victores latus hostium inuecti. Et media acie perrupta, fugere passim Othoniani Bedriacum petentes. Immensum id spatium. obstructæ strage corporum viæ. quo plus cædis fuit. neque enim ciuilibus prœliis, capti in prædam vertuntur. Suetonius Paullinus, & Licinius Proculus, diuersis itineribus, castra vitauere. Vedium Aquilam tertiædecimæ legionis legatum, iræ militum inconsultus pauor obtulit. Multo adhuc die vallum ingressus, clamore seditiosorum & fugacium circumstrepitur. Non probris, non manibus abstinent, desertorem proditorémque increpant, nullo proprio crimine eius, sed, more vulgi, suum quisque flagitium aliis obiectantes. Titianum & Celsum nox iuuit, dispositis iam excubiis, compressisque militibus, quos Annius Gallus precibus, consilio, auctoritate flexerat, ne super cladem aduersæ pugnæ, suismet ipsi cædibus sæuirent. siue finis bello venisset, seu resumere arma mallent, vnicum victis in consensu leuamentum. Ceteris fractus animus. Prætorianus miles, non virtute se, sed proditione victum fremebat. Ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila. Superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit: venire Mœsicas legiones: magnam exercitus partem Bedriaci remansisse. hos certè nondum victos, & si ita ferret, honestiùs in acie perituros. His cogitationibus truces aut pauidi, extrema desperatione ad iram sæpius, quàm in formidinem, stimulabantur. At Vitellianus exercitus, ad quintum à Bedriaco lapidem consedit, non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum. Simul voluntaria deditio sperabatur. Sed expeditis & tantum ad prœlium egressis, munimentum fuere arma & victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, & qui ferociores fuerant ad pœnitentiam inclinantibus, missa legatio. nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. Legati paulisper retenti. ea res hæsitationem attulit, ignaris adhuc an impetrassent. Mox remissa legatione patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrymas effusi, sortem ciuilium armorum, misera lætitia detestantes. Iisdem tentoriis; alij fratrum, alij propinquorum vulnera fouebant. Spes & præmia in ambiguo, certa, funera & luctus. Nec quisquam adeò mali expers, vt non aliquam mortem mæreret. Requisitum Orphidij legati corpus, honore solito crematur. Paucos necessarij ipsorum sepeliere. Ceterum vulgus, super humum relictum. Opperiebatur Otho nuntium pugnæ, nequaquam trepidus, & consilij certus. Mæsta primùm fama, dein profugi è prœlio perditas res patefaciunt. Non exspectauit militum ardor vocem imperatoris. bonum habere animum iubebant. superesse, adhuc nouas vires, & ipsos extrema passuros, ausurósque. neque erat adulatio. Ire in aciem, excitare partium fortunam, furore quodam & instinctu flagrabant, qui procul astiterant, tendere manus, & proximi prehensare genua, promptissimo Plotio Firmo. Is prætorij præfectus, identidem orabat, ne

fidissimum exercitum, ne optimè meritos milites desereret: maiore animo tolerari aduersa quam relinqui. fortes & strenuos, etiam contra fortunam, insistere spei, timidos & ignauos ad desperationem formidine properare. Quas inter voces, vt flexerat vultum, aut indurauerat Otho, clamor & gemitus. Nec prætoriani tantùm, proprius Othonis miles, sed præmissi è Mœsia, eandem obstinationẽ aduentãtis exercitus, legiones Aquileiam ingressas, nuntiabant. vt nemo dubitet potuisse renouari bellum atrox, lugubre, incertum victis, & victoribus. Ipse auersus à consiliis belli, *Hunc*, inquit, *animũ, hanc virtutem vestram vltrà periculis obiicere, nimis grãde vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostẽditis, si viuere placeret, tanto pulchrior mors erit. Experti inuicem sumus, ego ac fortuna. nec tempus computaueritis. difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu vsurum. Ciuile bellum à Vitellio cœpit, & vt de principatu certaremus armis, initium illic fuit. ne plusquam semel certemus, penes me exemplum erit. Hinc Othonem posteritas æstimet. Fruetur Vitellius fratre, coniuge, liberis. mihi non vltione, neque solatiis opus est. Alij diutius imperiũ tenuerint: nemo tã fortiter reliquerit. An ego tatũ Romanæ pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, & Remp. eripi patiar? Eat hic mecum animus, tanquam perituri pro me fueritis. Sed este superstites, nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignauiæ est. præcipuum destinationis meæ documentum habete, quòd de nemine queror. Nam incusare deos vel homines, eius est, qui viuere velit.* Talia locutus, vt cuique ætas aut dignitas, comiter appellatos, irent properè, neu remanendo iram victoris asperarent, iuuenes auctoritate, senes precibus mouebat: placidus ore, intrepidus verbis, intempestiuas suorum lacrymas coërcens. Dari naues ac vehicula abeuntibus iubet. libellos epistolásq;, studio erga se, aut Vitellium contumeliis, insignes, abolet. Pecunias distribuit parcè, nec vt periturus. Mox Saluiũ Cocceianum fratris filium, prima iuuenta trepidum, & mœrentem, vltrò solatus est, laudando pietatem eius, castigando formidinem. *An Vitellium tam immitis animi fore, vt pro incolumi tota domo, ne hãc quidem sibi gratiam redderet? Mereri se festinato exitu clementiam victoris. Non enim vltima desperatione, sed poscente prælium exercitu remisisse Reip. nouissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quæsitum. post Iulios, Claudios, Seruios, se primum, in familiam nouam imperium intulisse. proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse, aut obliuisceretur vnquam, aut nimium meminisset.* Post quæ, dimotis omnibus, paulum requieuit. atque illum supremas iam curas animo voluntatem repens tumultus auertit, nuntiata consternatione ac licentia militum. namq; abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. increpitis seditionis auctoribus regressus, vacauit abeuntium alloquiis, donec omnes inuiolati digrederentur. Vesperascente die, sitim haustu gelidæ aquæ sedauit. Tum allatis pugionibus duobus, cùm vtrumque pertentasset, alterum capiti subdidit. Et explorato, iam profectos amicos, noctem quietam, vtque affirmatur, non insomnem egit. Luce prima, in ferrum pectore incubuit. Ad gemitum morientis, ingressi liberti, seruiq; & Plotius Firmus prætorij præfectus vnũ vuln⁹ inuenere. Fun⁹ maturatũ. ambitiosis id precib⁹ petierat, ne amputaretur caput, ludibrio futurũ. Tulere corp⁹ prętorię cohortes, cũ laudibus & lacrymis, vulnus manúsq; eius exosculantes. Quidam militum, iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed æmulatione decoris, & caritate principis. Ac postea, promiscuę Bedriaci, Placentiæ, aliisque in castris, celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum exstructum est, modicum, & mansurum. Hunc vitæ finem habuit septimo & tricesimo ętatis anno. Origo illi è municipio Ferẽtino, Pater consularis, auus prætorius maternum genus impar, nec tamen indecorum. pueritia ac iuuenta, qualem monstrauimus. duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonæ famæ quantum malæ. Vt conquirere fabulosa, & fictis oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis crediderim: ita vulgatis traditísque demere fidem, non ausim. Die quo Bedriaci certabatur, auem inusitata specie, apud Regium Lepidum celebri luco consedisse, incolæ memorant, nec deinde cœtu hominum, aut circumuolitantium alitum, territam pulsámve, donec Otho se ipse interficeret: tum ablatam ex oculis: & tempora reputantibus, initium finémque miraculi, cum Othonis exitu competisse. In funere eius, nouata luctu ac dolore militum seditio. nec erat, qui coërceret. Ad Verginium versi, modò vt reciperet imperium, nunc vt legatione apud Cæcinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant. Verginius per auersam domus portam furtim digressus, irrumpentes frustratus est. Earum, quæ Brixelli egerant, cohortium, preces, Rubrius Gallus tulit. Et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem, per Flauium Sabinum, iis copiis quibus præfuerat. Posito vbique bello, magna pars senatus extremum discrimen adiit, profecta cum Othone ab vrbe, dein Mutinæ relicta. Illuc de aduerso prœlio allatum. Sed milites, vt falsum rumorem aspernantes, quòd infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitúmque trahere in deterius: conuiciis postremò ac probris caussam & initium cædis quærebant. cùm alius insuper metus senatoribus instaret, ne præualidis iam Vitellij partibus, cunctanter excepisse victoriam crederentur. Ita trepidi & vtrimque anxij coëunt. nemo priuatim expedito consilio, inter multos, societate culpæ tutior. Onerabat pauentium curas ordo Mutinensis, arma & pecuniam offerendo, appellabátque Patres Conscriptos, intempestiuo honore. Notabile iurgium inde fuit, quo Licinius Cæcina Macellum Eprium, vt ambigua disserentem, inuasit. Nec ceteri sententias aperiebant. Sed inuisum memoria delationum, expositúmque ad inuidiam Marcelli nomen, irritauerat Cæcinam, vt nouus adhuc, & in senatum nuper adscitus, magnis inimicitiis claresceret. Moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi. Simul, medio temporis, plures nuntij sperabãtur. Bononiæ, diuisis per itinera qui recentissimum quemque percunctarentur. interrogatus Othonis libertus caussam digressus, habere se suprema eius mandata respondit. Ipsum viuentem quidem relictum, sed sola posteritatis cura, & abruptis vitæ blandimentis. Hinc admiratio, & plura interrogandi pudor. Atque omnium animi in Vitellium inclinauere. Intererat consiliis frater eius L. Vitellius,

tellius, seque iam adulantibus offerebat, cùm A repentè Cœnus libertus Neronis, atroci mendacio vniuersos perculit, affirmans superuentu XIV. legionis, iunctis a Brixello viribus, cæsos victores, versam partium fortunam. Caussa fingendi fuit, vt diplomata Othonis quæ negligebantur, lætiore nuntio reualescerent. Et Cœnus quidem rapidus in vrbem vectus, paucos post dies, iussu Vitellij pœnas luit. Senatorum periculũ auctum, credentibus Othonianis militibus vera esse quæ B afferebantur. Intendebat formidinem, quòd publici consilij facie, discessum Mutina, desertæque partes forent. Nec vltrà in commune congressi, sibi quisque consuluere: donec missæ à Fabio Valente epistolæ, demerent metum. Et mors Othonis, quo laudabilior, eò velociùs audita. At Romæ nihil trepidationis: Cereales ludi ex more spectabantur. vt cessisse vita Othonem, & à Flauio Sabino præfecto vrbis, quod erat in vrbe militum sacramento Vitellij adactum, certi aucto- C res in theatrum attulerunt, Vitellio plausere: populus, cum lauru ac floribus, Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis, iuxta lacum Curtij, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In senatu, cuncta longis aliorum principatib. composita, statim decernuntur. Additæ erga Germanicos exercitus laudes, gratesque. & missa legatio, quæ gaudio fungeretur. Recitatæ Fabij Valentis episto- D læ ad consules scriptæ, haud immoderatæ. Gratior Cæcinæ modestia fuit, quòd non scripsisset. Ceterùm Italia grauiùs atque atrociùs, quàm bello afflictabatur. Dispersi per municipia & colonias Vitelliani, spoliare, rapere, vi & stupris polluere, in omne fas nefasque auidi, aut venales, non sacro, non profano abstinebant. Et fuere qui inimicos suos specie militum interficerent. Ipsique milites regionum gnari, refertos agros, dites dominos, in prædam, aut si repugna- E tum foret, ad excidium destinabant: obnoxiis ducibus, & prohibere non ausis. Minus auaritiæ in Cæcina, plus ambitionis: Valens, ob lucra & quæstus infamis, eoque alienæ etiam culpæ dissimulator. Iam pridem attritis Italiæ rebus, tantum peditum equitumque, vis, damnáque, & iniuriæ, ægrè tolerabantur. Interim Vitellius victoriæ suæ nescius, vt ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis F per Gallias delectibus, vt remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripæ Hordeonio Flacco permissa. Ipse è Britannico delectu octo millia sibi adiunxit. Et paucorum dierum iter progressus, prosperas apud Bedriacum res, ac morte Othonis concidisse bellum accepit. Vocata concione, virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu, vt libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescuit. Dein, mobilitate in- G genij, quod palàm abnuerat, inter secreta conuiuij largitur: honorauitque Asiaticum anulis, fœdum mancipium, & malis artibus ambitiosum. Iisdem diebus, accessisse partibus vtramque Mauretaniam, interfecto procuratore Albino, nuntij venere. Lucceius Albinus, à Nerone Mauretaniæ Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tingitanæ prouinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat. XVIII. cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia & raptus apta bello manus. cæso Galba, in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hispaniæ angusto freto diremptæ imminebat. Inde Cluuio Rufo metus, & decimam legionem propinquare litori, vt transmissurus iussit. Præmissi centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. Neque arduum fuit, magna per prouincias Germanici exercitus fama. Spargebatur insuper, spreto procuratoris vocabulo, Albinum insigne regis, & Iubæ nomen vsurpare. Ita mutatis animis, Asinius Pollio alæ præfectus, è fidissimis Albino, & Festus ac Scipio cohortium præfecti opprimuntur. Ipse Albinus, dum è Tingitana prouincia Cæsariensem Mauretaniam petit, appulsus litori, trucidatur. Vxor eius, cùm se percussoribus obtulisset, simul interfecta est: nihil eorum quæ fierent Vitellio anquirente. Breui auditu, quamuis magna transibat, impar curis grauioribus. Exercitum itinere terrestri pergere iubet. Ipse Arare flumine deuchitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus. donec Iunius Blæsus, Lugdunensis Galliæ rector, genere illustri, largus animo, & par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamuis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Præstò fuere Lugduni, victricium victarúmque partium duces. Valentem & Cæcinam pro concione laudatos, curuli suæ circumposuit. Mox vniuersum exercitum occurrere infanti filio iubet. Perlatúmque, & paludamento opertum, sinu retinens, Germanicum appellauit, cinxitque cunctis fortunæ Principalis insignibus. Nimius honos inter secunda, rebus aduersis in solatium cessit. Tum interfecti centuriones promptissimi Othonianorum: vnde præcipua in Vitellium alienatio, per Illyricos exercitus. Simul ceteræ legiones contactu, & aduersus Germanicos milites inuidia, bellum meditabantur. Suetonium Paullinum, ac Licinium Proculum, tristi mora squalidos tenuit: donec auditi, necessariis magis defensionibus, quàm honestis vterentur. Proditionem vltrò imputabant: spatium longi ante prœlium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi suæ assignantes. Et Vitellius credidit de perfidia, & fidem absoluit. Saluius Titianus, Othonis frater, nullum discrimen adiit, pietate & ignauia excusatus. Mario Celso consulatus seruatur. Sed creditum fama obiectúmque mox in senatu Cæcilio Simplici, quòd eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi voluisset. Restitit Vitellius, deditque postea consulatum Simplici, innoxium & inemptum. Trachalum aduersus criminantes, Galeria vxor Vitellij protexit. Inter magnorum virorum discrimina (pudendum dictu) Maricus quidam, è plebe Boiorum, inserere sese fortunæ, & prouocare arma Romana, simulatione numinum ausus est. Iamque assertor Galliarum, & deus (nomen id sibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: cùm grauissima ciuitas, electa iuuentute, adiectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. Captus in eo prœlio Maricus, ac mox feris obiectus, quia non laniabatur, stolidum vulgus inuiolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est. Nec vltrà in defectores, aut bona cuiusquam sæuitum. Ratæ fuere eorum,

qui acie Othoniana ceciderant testamenta, aut lex intestatis. Prorsus, si luxuriæ temperaret, auaritiam non timeres. Epularum fœda & inexplebilis libido. Ex vrbe atque Italia, irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab vtroque mari itineribus. exhausti conuiuiorum apparatibus principes ciuitatum. vastabantur ipsæ ciuitates. degenerabat à labore ac virtute miles. assuetudine voluptatum, & contemptu ducis. Præmisit in vrbem edictum, quo vocabulum Augusti B differret, Cæsaris non reciperet, cùm de potestate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici. Cautum seuerè, ne equites Ro. ludo & arena pollucrentur. Priores id principes, pecunia, & sæpiùs vi, perpulerant. Ac pleraque municipia, & coloniæ, æmulabantur corruptissimum quemque adolescentium, pretio illicere. Sed Vitellius, aduentu fratris, & irrepentibus dominationis magistris, superbior & atrocior, occidi Dolabellam iussit, quem in coloniam Aquinatem C sepositum ab Othone rettulimus. Dolabella, audita morte Othonis, vrbem introierat. Id ei Plautius Varus, prætura functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flauium Sabinum præfectum vrbis obiecit, tamquam rupta custodia, ducem se victis partibus ostentasset. Addidit tentatam cohortem, quæ Hostiæ ageret. nec vllis tantorum criminum probationibus, in pœnitentiam versus, seram veniam post scelus quærebat. Cunctantem super tanta re Flauium Sabinum, Triaria, D L. Vitellij vxor, vltra feminam ferox, terruit è periculo Principis famam clementiæ affectare. Sabinus suopte ingenio mitis, vbi formido incessisset, facilis mutatu, & in alieno discrimine sibi pauens, ne alleuasse videretur, impulit ruentem. Igitur Vitellius, metu & odio, quòd Petroniam vxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistolas, vitata Flaminiæ viæ celebritate, diuertere Interamnam, atque ibi interfici iussit. Longum E interfectori visum: in itinere ac taberna, proiectum humi iugulauit: magna cum inuidia noui principatus, cuius hoc primum specimen noscebatur. Et Triariæ licentiam, modestum è proximo exemplum onerabat, Galeria imperatoris vxor, non immitis tristibus: & pari probitate, mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam, ad primas filij sui epistolas, ferebatur, non Germanicum à se, sed Vitellium genitum. Nec vllis postea fortunæ illecebris, aut F ambitu ciuitatis in gaudium euicta, domus suæ tantùm aduersa sensit. Digressum à Lugduno Vitellium, M. Cluuius Rufus assequitur, omissa Hispania: lætitiam & gratulationem vultu ferens, animo anxius, & petitum se criminationibus gnarus. Hilarius Cæsaris libertus detulerat, tamquam audito Vitellij & Othonis principatu, propriam ipse potentiam, & possessionem Hispaniarum tentasset: eòque diplomatibus nullum principem præscripsisset. Interpretabatur, quædam ex orationibus eius, contumeliosa in Vi- G tellium, & pro se ipso popularia. Auctoritas Cluuij præualuit, vt puniri vltrò libertum suum Vitellius iuberet. Cluuius comitatu principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, exemplo L. Arruntij. Eum Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluuium nulla formidine, retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos. Profugerat Britannia, ob iracundiam militum. Missus est in locum eius, Vectius Bolanus è præsentibus. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. Sparsæ per Italiam, & victoribus permixtæ, hostilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant. quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantùm pulsis, vires legionis non affuisse. Remitti eos in Britanniam, vnde à Nerone exciti erant, placuit, atque interim Batauorum cohortes vnà tendere, ob veterem aduersus quartadecimanos discordiam. Nec diu in tantis armatorum odiis, quies fuit. Augustæ Taurinorum, dum opificem quendam Batauus vt fraudatorem insectatur, legionarius vt hospitem tuetur, sui cuique commilitones aggregati, à conuiciis ad cædem transiere. & prœlium atrox arsisset, ni duæ prætoriæ cohortes, caussam quartadecimanorum secutæ, his fiduciam, & metum Batauis fecissent. quos Vitellius agmini suo iungi, vt fidos; legionem, Graiis Alpibus traductam, eo flexu itineris ire iubet, quo Viennam vitarent. Namque & Viennenses timebantur. Nocte qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus, pars Taurinæ coloniæ ambusta: quod damnum, vt pleraque belli mala, maioribus aliarum vrbium cladibus oblitteratum. Quartadecimani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant. consensu meliorum compressi; & legio in Britanniam transuecta. Proximus Vitellio è prætoriis cohortibus metus erat. Separati primum, deinde, addito honestæ missionis lenimento, arma ad tribunos suos deferebant: donec motum à Vespasiano bellum crebresceret. Tum, resumpta militia, robur Flauianarum partium fuere. Prima classicorum legio, in Hispaniam missa, vt pace & otio mitesceret. vndecima ac septima, suis hibernis redditæ. Tertiadecimani, struere amphitheatra iussi. Nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ, spectaculum gladiatorum edere parabant: nunquam ita ad curas intento Vitellio, vt voluptatum obliuisceretur. Et quidem partes modestè distraxerat. Apud victores orta seditio, ludicro initio, nisi numerus cæsorum inuidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique, ex moribus imperatorum seueritatem æmulantur, vel tempestiuis conuiuiis gaudent. perinde miles intentus, aut licenter agit. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, peruigilijs ac Bacchanalibus, quàm disciplinæ & castris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero è Gallis auxiliaribus, per lasciuiam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo, & iis qui ad spectandum conuenerant in studia diductis; erupere legionarij in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit, alius tumultus. Puluis procul, & arma aspiciebantur. Conclamatum repentè, XIV. legionem, verso itinere, ad prœlium venire. sed erant agminis coactores. Agniti, dempsere solicitudinem. Interim Verginij seruus fortè obuius, vt percussor Vitellij insimulatur. & ruebat ad conuiuium miles, mortem Verginij exposcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspiciones pauidus, de innocentia eius dubitauit. ægrè tamen cohibiti, qui exitium viri consularis, & quondam ducis sui flagitabant. Nec quemquam sæpiùs, quam Verginium, omnis

omnis seditio infestauit. Manebat admiratio viri, & fama: sed oderant, vt fastidiri. Postero die, Vitellius, senatus legatione quam ibi opperiri iusserat, audita, transgressus in castra, vltrò pietatem militum collaudauit: frementibus auxiliis, tantum impunitatis atque arrogantiæ legionariis accessisse. Cohortes Batauorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissæ, principium interno simul externóque bello parantibus fatis. Reddita ciuitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, & prima statim defectione, inter inania belli assumptus. Ceterùm, vt largitionibus affectæ tamen imperij opes sufficerent, amputari legionum auxiliorúmque numeros iubet, vetitis supplementis. Et promiscuæ missiones offerebantur. Exitiabile id Reip. ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculáque ac labor crebriùs redibant: & vires luxu corrumpebantur: contra veterem disciplinam, & instituta maiorum, apud quos virtute quàm pecunia res Romana meliùs stetit. Inde Vitellius Cremonam flexit, & spectato munere Cæcinæ, insistere Bedriacensibus campis, ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis, concupiuit. Fœdum atque atrox spectaculum. intra XL. pugnæ diem, lacera corpora; trunci artus, putres virorum equorúmque formæ, infecta tabo humus, protritis arboribus atque frugibus, dira vastitas. nec minus inhumana pars viæ, quam Cremonenses lauro rosisque constrauerant, exstructis altaribus, cæsisque victimis, regium in morem. quæ læta in præsens, mox perniciem ipsis fecere. Aderant Valens & Cæcina; monstrabántque pugnæ locos: hinc irrupisse legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfusas auxiliorum manus. Iam tribuni præfectique, sua quisque facta extollentes, falsa, vera, aut maiora vero miscebant. Vulgus quoque militum, clamore & gaudio, deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirarique. Et erant quos varia sors rerum, lacrymæque & misericordia subiret. At non Vitellius flexit oculos, nec tot millia insepultorum ciuium exhorruit. Lætus vltrò, & tam propinquæ sortis ignarus, instaurabat sacrum diis loci. Exin Bononiæ, à Fabio Valente, gladiatorum spectaculum editur, aduecto ex vrbe cultu. Quantóque magis propinquabat, tanto corruptius iter, immixtis histrionibus & spadonum gregibus, & cetero Neronianæ aulæ ingenio. Namque & Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu, & saginæ mancipatus emptúsque. Vt Valenti & Cæcinæ vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus, dissimulatus Martij Macri tamquàm Othonianarum partium ducis: & Valerium Marinum, destinatum à Galba consulem, distulit, nulla offensa, sed mitem, & iniuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi, vt aduersus Neronem ausus, & Virginij exstimulator. Sed alias protulit caussas. actæque insuper Vitellio gratiæ, consuetudine seruitij. Non vltra paucos dies, quamquàm acribus initiis cœptum, mendacium valuit. Exstiterat quidam, Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Histria occultatum, quòd illic clientelæ & agri veterum Crassorum, ac nominis fauor manebat. Igitur deterrimo

A quoque in argumentum fabulæ assumpto, vulgus credulum, & quidam militum errore veri, seu turbarum studio, certatim aggregabantur: cùm pertractus ad Vitellium, interrogatúsque quisnam mortalium esset, postquam nulla dictis fides, & à domino noscebatur, conditione fugitiuus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in seruilem modum. Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ socordiæque Vitellio adoleuerit,

B postquam speculatores è Syria Iudæáque, adactum in verba eius Orientem nuntiauere. Nam & si vagis adhuc & incertis auctoribus, erat tamen in ore famáque Vespasianus, ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur. Tum ipse exercitúsque vt nullo æmulo, sæuitiâ, libidine, raptu, in externos mores proruperant. At Vespasianus bellum armáque, & procul vel iuxta sitas vires circumspectabat. Miles ipsi adeò paratus, vt præeuntem sacramentum & fausta Vitellio omnia

C precantem, per silentium audierint. Muciani animus, nec Vespasiano alienus, & in Titum pronior. præfectus Ægypti Alexander, consilia sociauerat. Tertiam legionem, quòd è Syria in Mœsiam transisset, suam numerabat. ceteræ Illyrici legiones, secuturæ sperabantur. Namque omnes exercitus flammauerat arrogantia venientium à Vitellio militum, quòd truces corpore, horridi sermone, ceteros vt impares irridebant. Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio, &

D Vespasianus modò in spem erectus, aliquando aduersa reputabat. *Quis ille dies foret, quo LX. ætatis annos, & duos filios iuuenes bello permitteret? Esse priuatis cogitationibus progressum: & prout velint, plus minúsve sumi ex fortuna. Imperium cupientibus, nihil medium inter summa aut præcipitia.* Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: *Suas legiones, ciuili bello inexpertas: Vitellij, victrices; & apud victos, plus querimoniarum, quàm virium. Fluxam per discordias militũ*

E *fidem, & periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasq; si vnus alterq; præsenti facinore paratum ex diuerso præmium petat? Sic Scribonianum sub Claudio interfectum; sic percussorẽ eius Volaginium, è gregario ad summa militiæ prouectum. Facilius vniuersos impelli, quàm singulos vitari.* His pauoribus nutantem, & alij legati amiciq; firmabãt, & Mucianus post multos secretósque sermones, iam & coràm ita locutus. *Omnes qui magnarũ rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod in-*

F *choatur, Reip. vtile, ipsis gloriosum, aut promptũ effectu, aut certè non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adiciatne consilio periculũ suum: & si fortuna cœptis affuerit, cui summũ decus acquiratur. Ego te Vespasiane ad imperium voco, tã salutare Reip. quàm tibi magnificum. Iuxta deos, in tua manu positum est. Nec speciẽ adulantis expaueris, à contumelia quàm à laude propius fuerit, post Vitelliũ eligi. Nõ aduersus diui Augusti acerrimã mentẽ, nec aduersus cautissimã Tiberij senectutem, nec con-*

G *tra Caij quidem, aut Claudij, vel Neronis, fundatã longo imperio domũ exsurgimus. cessisti etiam Galbæ imaginibus. Torpere vltra, & polluendã perdendámque Remp. relinquere, sopor & ignauia videretur, etiam si tibi quàm inhonesta, tã tuta seruitus esset. Abiit iam & transuectũ est tempus, quo posses videri cõcupisse. Confugiendũ est ad imperiũ. An excidit trucidatus Corbulo? splẽdidior origine quàm nos sumus, fateor: sed & Nero, nobilitate natalium, Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem, quisquis ti-*

merit. Et posse ab exercitu principem fieri, sibi ipse Vitellius documento est, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbæ odio prouectus. Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem & magnum principem fecit. Cùm interim spargit legiones, exarmat cohortes, noua quotidie bello semina ministrat, si quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis & comessationibus, & principis imitatione, deteritur. Tibi e Iudæa & Syria & Aegypto nouem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ: sed firmatus vsu miles, & belli domitor externi. Classium, alarum, cohortium robora, & fidissimi reges, & tua ante omnes experientia. Nobis nihil vltra arrogabo, quàm ne post Valentem ac Cæcinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreueris, quia æmulum nõ experiris: me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo iuuenes, capax iam imperij alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterùm inter nos non idem prosperarum aduersarúmque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen, ac pericula ex æquo partiemur. immò vt melius est, tu hos exercitus rege, mihi bellum, & præliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina, victi, quàm victores agunt. hos ira, odium, vltionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium, & contumaciam hebescunt. Aperiet & recludet, contecta & tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. Nec mihi maior in tua vigilantia, parsimonia, sapiẽtia, fiducia est, quàm in Vitellij torpore, inscitia, sæuitia. Sed & meliorem in bello caussam, quàm in pace habemus. Nam qui deliberant, desciuerunt. Post Muciani orationem ceteri audentiùs circumsistere, hortari, responsa vatum, & siderum motus referre. Nec erat intactus tali superstitione, vt qui mox rerum dominus, Seleucum quendam mathematicum, rectorem & præscium palàm habuerit. Recursabant animo vetera omina. Cupressus arbor in agris eius, conspicua altitudine, repentè prociderat, ac postera die, eodem vestigio resurgens, procera & latior virebat. grande id, prosperúmque, consensu haruspicum: & summa claritudo iuueni admodum Vespasiano promissa. Sed primò triumphalia, & consularia, & Iudaicæ victoriæ decus, implesse fidem ominis videbantur. Vt hæc adeptus est, portendi sibi imperium credebat. Et Iudæam inter Syriámque Carmelus, ita vocant móntem, deúmque. nec simulacrum deo, aut templum, (sic tradidere maiores) aram tantùm & reuerentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cùm spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos, inspectis identidem extis, Quidquid est, inquit, Vespasiane quod paras, seu domum exstruere, seu prolatare agros, siue ampliare seruitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum. Has ambages & statim exceperat fama, & tunc aperiebat. nec quidquam magis in ore vulgi: crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur. Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream. Illa Syriæ, hæc Iudææ caput est. Initium ferendi ad Vespasianum imperij Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Iul. sacramento eius legiones adegit. Isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamuis Iudaicus exercitus v. Non. Iul. apud ipsum iu-

A rasset, eo ardore, vt ne Titus quidem filius exspectaretur. Syria remeans, & consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius. cuncta impetu militum acta: non parata concione, non coniunctis legionibus, dum quæritur tempus locúsque, quódque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obuersantur. Egressum cubiculo Vespasianum, pauci milites solito adsistentes ordine, vt legatum salutaturi,
B Imperatorem salutauere. Tum ceteri accurrere, Cæsarem, & Augustum, & omnia principatus vocabula cumulare. Mens à metu ad fortunam transierat. In ipso nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum fuit. vt primùm tantæ multitudinis offusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus, læta omnia, & affluentia excepit. Namque id ipsum opperiens Mucianus, alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, vbi illis con-
C sultare mos est, concurrẽtes, & in adulationem effusos alloquitur: satis decorus etiam Græca facundia, omniúmque quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Nihil æquè prouinciam exercitúmque accendit, quàm quod asseuerabat Mucianus, statuisse Vitellium, vt Germanicas legiones in Syriam, ad militiam opulentam quietámque transferret. Contrà, Syriacis legionibus Germanica hiberna, cælo ac laboribus dura mutarentur. Quippe & prouinciales, sueto militum contu-
D bernio gaudebant, plerique necessitudinibus & propinquitatibus mixti: & militibus, vetustate stipendiorum, nota & familiaria castra, in modum penatium diligebantur. Ante Idus Iul. Syria omnis in eodem sacramento fuit. Accessere cum regno Sohemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens, & inseruientium regum ditissimus. Mox, per occultos suorum nuntios, excitus ab vrbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri nauigatione properauerat. Nec
E minore animo, regina Berenice partes iuuabat, florens ætate formáque, & seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Quidquid prouinciarum alluitur mari, Asia atque Achaia tenus, quantúmque introrsus Pontum & Armenios patescit, iurauere. Sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. Consilium de summa rerum, Beryti habitum. Illuc Mucianus, cum legatis tribunísque, & splendidissimo quoque centurionum ac militum, ve-
F nit. Et è Iudaico exercitu, lecta decora. Tantum simul peditum equitúmque, & æmulantium inter se regum paratus, speciem fortunæ Principalis effecerant. Prima belli cura, agere delectus, reuocare veteranos. destinantur validæ ciuitates, exercendis armorum officinis. apud Antiochenses, aurum argentúmque signatur. eáque cuncta per idoneos ministros, suis quæque locis, festinabantur. Ipse Vespasianus, adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo, incitare sæpiùs quàm coërcere; vitia magis amicorum, quàm virtutes dissimulans.
G Multos, præfecturis & procurationibus; plerosque, senatorij ordinis honore percoluit, egregios viros, & mox summa adeptos. quibusdã, fortuna pro virtutibus fuit. Donatiuum militi, neque Mucianus prima concione, nisi modicè ostenderat. ne Vespasianus quidem plus ciuili bello obtulit, quàm alij in pace, egregiè firmus aduersus militarem largitionem, eóque exercitu meliore. Missi ad Parthum Armeniúmque legati. prouisúmque,

ne versis ad ciuile bellum legionibus, terga nu-
darentur. Titum instare, Iudææ, Vespasianum ob-
tinere claustra Ægypti placuit. Sufficere videban-
tur aduersus Vitellium, pars copiarum, & dux
Mucianus, & Vespasiani nomen, ac nihil arduum
fatis. Ad omnes exercitus legatósque scriptæ epi-
stolæ, præceptúmque vt prætorianos Vitellio in-
fensos, reciperandæ militiæ præmio inuitarent.
Mucianus cum expedita manu, socium magis im-
perij quàm ministrum agens, non lento itinere,
ne cunctari videretur, neque tamen properans,
gliscere famam ipso spatio sinebat: gnarus modi-
cas vires sibi, & maiora credi de absentibus. Sed
legio sexta, & tredecim vexillariorum millia, in-
genti agmine sequebantur. Classem è Ponto, By-
zantium adigi iusserat: ambiguus consilij, num
omissa Mœsia, Dyrrhachium pedite atque equite
peteret: simul longis nauibus versum in Italiam
mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiá-
que, quas inermes exponi Vitellio, ni præsidiis fir-
marentur: atque ipsum Vitellium in incerto fore,
quam partem Italiæ protegeret, si simul Brundi-
sium Tarentúmque, & Lucaniæ Calabriæque
litora, infestis classibus peterentur. Igitur na-
uium, militum, armorum, paratu strepere pro-
uinciæ: Sed nihil æquè fatigabat, quàm pecunia-
rum conquisitio: eos esse belli ciuilis neruos di-
ctitans Mucianus, non ius aut verum in cogni-
tionibus, sed solam magnitudinem opum specta-
bat. passim delationes; & locupletissimus quisque
in prædam correpti. quæ grauia atque intoleran-
da, sed necessitate armorum excusata, etiam in pa-
ce mansere. ipso Vespasiano, inter initia imperij,
ad obtinendas iniquitates haud perinde obsti-
nato: donec, indulgentia fortunæ, & prauis ma-
gistris, didicit, ausúsque est. Propriis quoque opi-
bus Mucianus bellum iuuit, largitus priuatim:
quod auidiùs de Rep. sumeret. Ceteri conferen-
darum pecuniarum exemplum secuti: rarissimus
quisque, eandem in reciperando licentiam ha-
buerunt. Accelerata interim Vespasiani cœpta,
Illyrici exercitus studio transgressi in partes. Ter-
tia legio exemplum ceteris Mœsiæ legionibus
præbuit. Octaua erat ac septima Claudiana, im-
butæ fauore Othonis, quamuis prœlio non inter-
fuissent: Aquileiam iam progressæ, proturbatis
qui de Othone nuntiabant, laceratísque vexillis
nomen Vitellij præferentibus, rapta postremò pe-
cunia, & inter se diuisa, hostiliter egerãt. Vnde me-
tus, ex metu consiliũ, posse imputari Vespasiano,
quæ apud Vitellium excusanda erant. Ita tres Mœ-
sicæ legiones per epistolas alliciebant. Panno-
nicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In
eo motu Aponius Saturninus Mœsiæ rector, pes-
simum facinus audet, misso centurione ad in-
terficiendum Tertium Iulianum, septimæ le-
gionis legatum, ob simultates, quibus caussam
partium prætendebat. Iulianus, comperto discri-
mine, & gnaris locorum adscitis, per auia Mœ-
siæ vltra montem Hemum profugit, nec deinde
ciuili bello interfuit, per varias moras susceptum
ad Vespasianum iter trahens, & ex nuntiis cun-
ctabundus, aut properans. At in Pannonia XIII.
legio ac VII. Galbiana, dolorem iramque Be-
driacensis pugnæ retinentes, haud cunctanter Ve-
spasiano accessere, vi præcipua Primi Antonij. Is
legibus nocens, & tempore Neronis falsi damna-
tus, inter alia belli mala, senatorium ordinem
reciperauerat. Præpositus à Galba septimæ le-

A gioni, scriptitasse Othoni credebatur, ducem se
partibus offerens. à quo neglectus, in nullo Otho-
niani belli vsu fuit. labantibus Vitellij rebus Ve-
spasianum secutus, grande momentum addidit,
strenuus manu, sermone promptus, serendæ in a-
lios inuidiæ artifex, discordiis & seditionibus po-
tens, raptor: largitor, pace pessimus, bello non
spernendus. Iuncti inde Mœsici ac Pannonici ex-
ercitus, Dalmaticum militem traxere, quamquam
B consularibus legatis nihil turbantibus. Titus
Ampius Flauianus Pannoniam, Poppeus Sil-
uanus Dalmatiam tenebant, diuites senes. Sed
procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens æ-
tate, claris natalibus. prima iuuenta quietis cu-
pidine, senatorium ordinem exuerat. idem pro
Galba dux coloniæ suæ, eáque opera procura-
tionem adeptus, susceptis Vespasiani partibus, a-
cerrimam bello facem prætulit. non tam præ-
miis periculorum, quàm ipsis periculis lætus:
C pro certis & olim partis, noua, ambigua, anci-
pitia malebat. Igitur mouere & quatere quidquid
vsquam ægrum foret, aggrediuntur. Scriptæ in
Britanniam ad quartadecimanos, in Hispaniam
ad primanos epistolæ: quòd vtraque legio pro O-
thone, aduersa Vitellio fuerat. Sparguntur per
Gallias litteræ, momentóque temporis flagrabat
ingens bellum, Illyricis exercitibus palàm de-
sciscentibus: ceteris fortunam secuturis. Dum hæc
per prouincias, à Vespasiano ducibúsque partium,
D geruntur; Vitellius contemptior in dies segniór-
que, ad omnis municipiorum villarúmque amœ-
nitates resistens, graui vrbem agmine petebat. Se-
xaginta millia armatorum sequebantur, licen-
tia corrupta. Calonum numerus amplior, pro-
cacissimis etiam inter seruos lixarum ingeniis.
tot legatorum amicorúmque comitatus inha-
bilis ad parendum, etiam si summa modestia re-
geretur. Onerabant multitudinem, obuij ex vr-
be senatores equitésque: quidam metu, multi per
E adulationem, ceteri ac paulatim omnes, ne aliis
proficiscentibus, ipsi remanerent. Aggregabantur
è plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti,
scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitia-
rum dehonestamentis mirè gaudebat. Nec colo-
niæ modò aut municipia, congestu copiarum: sed
ipsi cultores, aruáque, maturis iam frugibus, vt
hostile solum vastabantur. Multæ & atroces inter
se militum cædes, post seditionem Ticini cœptam,
F manente legionum auxiliorúmque discordia, vbi
aduersus paganos certandum foret, consensu. Sed
plurima strages, ad septimum ab vrbe lapidem.
Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos,
vt gladiatoriam saginam, diuidebat. Et effusa ple-
bes, totis se castris miscuerat. Incuriosos milites,
vernacula vrbanitate quidam spoliauere, abscis-
sis furtim balteis, an accincti forent rogitantes.
Non tulit ludibrium insolens contumeliæ ani-
mus. Inermem populum gladiis inuasere. Cæsus
G inter alios pater militis, cùm filium comitaretur,
deinde agnitus, & vulgata cæde temperatum ab
innoxiis. In vrbe tamen trepidatum, præcurren-
tibus passim militibus. Forum maximè petebant,
cupidine visendi locum in quo Galba iacuisset.
Nec minus sæuum spectaculum erant ipsi, tergis
ferarum & ingentibus telis horrentes, cùm tur-
bam populi per inscitiam parum vitarent, aut vbi
lubrico viæ vel occursu alicuius procidissent, ad
iurgium, mox ad manus & ferrum transirent.
Quin & tribuni præfectiq; cum terrore & arma-

torum cateruis volitabant. Ipse Vitellius, à ponte Miluio, insigni equo, paludatus accinctúsque, senatum & populum ante se agens, quo minus vt captam vrbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta & composito agmine incessit. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidémque circà è legionibus aliis vexilla, mox XII. alarum signa, & post peditum ordines, eques: dein quatuor & XXX. cohortes, vt nomina gentium, aut species armorum forent, discretæ. Ante aquilam præfecti castrorum tribunique, & primi centurionum, candida veste: ceteri, iuxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Et militum phaleræ, torquésque splendebant. decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus, Augustæ nomine honorauit. Postera die, tamquam apud alterius ciuitatis senatum populúmque, magnificam orationem de semetipso prompsit, industriam temperantiámque suam laudibus attollens: consciis flagitiorum ipsis qui aderant, omníque Italia, per quam somno & luxu pudendus incesserat. Vulgus tamen, vacuum curis, & sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore & vocibus adstrepebat: abnuentique nomen Augusti, expressere vt assumeret, tam frustra quam recusauerat. Apud ciuitatem cuncta interpretantem, funesti ominis loco acceptum est, quod maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de cærimoniis publicis XV. Kal. Aug. edixisset, antiquitùs infausto die Cremerensi Aliensique cladibus. adeò omnis humani diuinique iuris expers, pari libertorum amicorúmque socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia consulum cum candidatis ciuiliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro vt spectator, in circo vt fautor affectauit. quæ grata sanè & popularia, si à virtutibus proficiscerentur, memoria vitæ prioris, indecora & vilia accipiebantur. Ventitabat in senatum, etiam cùm paruis de rebus patres consulerentur. Ac fortè Priscus Heluidius, prætor designatus, contra studium eius censuerat. Commotus primò Vitellius, non tamen vltrà quàm Tribunos plebis in auxilium spretæ potestatis aduocauit. Mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil noui accidisse respondit, quòd duo senatores in Rep. dissentirent, solitum se etiam Thraseæ contradicere. Irrisere plerique impudentiam æmulationis. aliis id ipsum placebat, quòd neminem ex præpotentibus, sed Thraseam ad exemplar veræ gloriæ legisset. Præposuerat prætorianis P. Sabinum à præfectura cohortis, Iulium Priscum tum centurionem. Priscus, Valentis, Sabinus, Cæcinæ gratia pollebant. Inter discordes, Vitellio nihil auctoritatis. munia imperij Cæcina ac Valens obibant, olim anxij odiis, quæ bello & castris malè dissimulata, prauitas amicorum, & fecunda gignendis inimicitiis ciuitas auxerat, dum ambitu, comitatu, & immensis salutantium agminibus contendunt, comparantúrque, variis in hunc aut illum Vitellij inclinationibus. Nec vnquam satis fida potentia, vbi nimia est. Simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestiuis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebántque. Nec eo segniùs inuaserant domos, hortos, opésque imperij: cùm flebilis & egens nobilium turba, quos ipsos liberósque pa-

A triæ Galba reddiderat, nulla principis misericordia iuuarentur. Gratum primoribus ciuitatis, etiam plebes approbauit, quod reuersis ab exsilio iura libertorum concessisset: quamquam id omnimodo seruilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus. Et quidam in domum Cæsaris transgressi, atque ipsis dominis potentiores. Sed miles, plenis castris, & redundante multitudine, in porticibus aut delubris, & vrbe tota vagus, non principia

B noscere, non seruare vigilias, neque labore firmari: per illecebras vrbis, & inhonesta dictu, corpus otio, animum libidinibus imminuebat. Postremò ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit: vnde crebræ in vulgus mortes: Et adiacentia Tiberi Germanorum Gallorúmque obnoxia morbis corpora, fluminis auiditas, & æstus impatientia labefecit. Insuper confusus, prauitate vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim prætoriæ, quatuor vrbanæ cohortes scri-

C bebantur, quis singula millia inessent. Plus in eo delectu Valens audebat, tamquam ipsum Cæcinam periculo exemisset. sanè aduentu eius partes conualuerant, & sinistrum lenti itineris rumorem prospero prœlio verterat: omnisque inferioris Germaniæ miles Valentem assectabatur. vnde primum creditur Cæcinæ fides fluitasse. Ceterùm non ita ducibus indulsit Vitellius, vt non plus militi liceret. Sibi quisque militiam sumpsere. quamuis indignus, si ita maluerat, vrbanæ mi-

D litiæ adscribebatur. rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus, permissum. nec deerant qui vellent, fessi morbis, & intemperiem cæli incusantes. Robora tamen legionibus alisque subtracta, conuulsum castrorum decus, XX. millibus è toto exercitu permixtis, magis quam electis. Concionante Vitellio, postulantur ad supplicium Asiaticus, & Flauius, & Rufinus duces Galliarum, quòd pro Vindice bellassent. Nec coerce-

E bat eiusmodi voces Vitellius, super insitam animo ignauiam, conscius sibi instare donatiuum & deesse pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti principum, conferre pro numero mancipiorum, vt tributum iussi. Ipse sola perdendi cura, stabula aurigis exstruere. Circum, gladiatorum ferarúmque spectaculis, opplere: tamquam in summa abundantia, pecuniæ illudere. Quin & natalem Vitellij diem, Cæcina ac Valens, editis tota vrbe vicatim gladiatoribus, celebrauere: ingenti

F paratu, & ante illum diem insolito. Lætum fœdissimo cuique, apud bonos inuidiæ fuit, quòd exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset. Cæsæ publicè victimæ crematæque: faces, Augustales subdidere: quod sacerdotium, vt Romulus Tatio regi, ita Cæsar Tiberius Iuliæ genti sacrauit. Nondum quartus à victoria mensis, & libertus Vitellij Asiaticus, Polycletos, Patrobios, & vetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illa aula, probitate aut industria certabit: vnum ad

G potentiam iter, prodigis epulis, & sumptu ganeáque satiare inexplebiles Vitellij libidines. Ipse abundè ratus, si præsentibus frueretur, nec in longius consultans, nonies millies sestertium paucissimis mensibus interuertisse creditur. Magna & misera ciuitas, eodem anno Othonem Vitelliúmque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia & pudenda sorte agebat: donec successere Mucianus & Marcellus. & magis alij homines, quàm alij mores. Prima Vitellio tertiæ legio-

nis

nis defectio nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino epistolis, antequam is quoque Vespasiani partibus aggregaretur. Sed neque Aponius cuncta, vt trepidans re subita, perscripserat, & amici adulantes, mollius interpretabantur. Vnius legionis eam seditionem: ceteris exercitibus constare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, prætorianos nuper exauctoratos insectatus, à quibus falsos rumores dispergi. nec vllum ciuilis belli metum asseuerabat, suppresso Vespasiani nomine, & vagis per vrbem militibus, qui sermones populi coërcerent. Id præcipuum alimentum famæ erat. Auxilia tamen è Germania Britanniáque & Hispaniis exciuit: segniter, & necessitatem dissimulans. Perinde legati prouinciæque cunctabantur. Hordeonius Flaccus, suspectis iam Batauis, anxius proprio bello. Vectius Bolanus, nunquam satis quieta Britannia. & vterque ambigui. neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi consulari. Trium legionum legati, pares iure, & prosperis Vitellij rebus, certaturi ad obsequium, aduersam eius fortunam, ex æquo detrectabant. In Africa legio cohortésque delectæ à Clodio Macro, mox à Galba dimissæ, rursus iussu Vitellij militiam cœpere, simul cetera iuuentus dabat impigrè nomina. quippe integrum illic ac fauorabilem proconsulatum Vitellius, famosum inuisúmque Vespasianus egerat: perinde socij de imperio vtriusque coniectabant. sed experimentum contra fuit. Ac primò Valerius Festus legatus, studia prouincialium cum fide iuuit. mox nutabat, palàm epistolis edictísque Vitellium occultis nuntiis Vespasianum fouens, & hæc illáve defensurus, prout inualuissent. Deprehensi cum litteris edictísque Vespasiani, per Rhætiam & Gallias militum & centurionum quidam, ad Vitellium missi necantur. plures fefellere, fide amicorum, aut suomet astu occultati. Ita Vitellij paratus noscebantur: Vespasiani consiliorum pleraque ignota. primùm socordia Vitellij, deinde Pannonicæ Alpes præsidiis insessæ, nuntios retinebant. Mare quoque Etesiæ flabant. harum flatu in Orientem nauigantibus secundum, inde aduersum erat. Tandem irruptione hostium, atrocibus vndique nuntiis exterritus, Cæcinam & Valentem expediri ad bellum iubet. Præmissus Cæcina: Valentem è graui corporis morbo tum primùm assurgentem, infirmitas tardabat. Longè alia proficiscentis ex vrbe Germanici exercitus species.

A Non vigor corporibus, non ardor animis. lentum & rarum agmen, & fluxa arma, segnes equi. impatiens solis, pulueris, tempestatum: quantúmque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Cæcinæ ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia soluti in luxum: seu perfidiam meditanti, infringere exercitus virtutem, inter artes erat. Credidere plerique Flauij Sabini consiliis con-
B cussam Cæcinæ mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo, rata apud Vespasianum fore pacta transitionis. simul odiorum inuidiæque erga Fabium Valentem admonebatur, vt impar apud Vitellium, gratiam viresque apud nouum principem pararet. Cæcina, complexu Vitellij multo cum honore digressus, partem equitum ad occupandam Cremonam præmisit. Mox vexillarij quartædecimæ, & sextædecimæ legionum, dein quinta, & duoetuicesima secutæ: postremo agmine
C vnaetuicesima Rapax, & prima Italica incessêre, cum vexillariis trium Britannicarum legionum, & electis auxiliis. Profecto Cæcinâ, scripsit Fabius valens exercitui, quem ipse ductauerat, vt in itinere opperiretur: sic sibi cum Cæcina conuenisse. qui præsens, eóque validior, immutatum id consilium finxit, vt ingruenti bello, tota mole occurreretur. Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere iussæ. Ipse Rauennam diuertit, prætexto classem alloquendi. Mox Patauij
D secretum componendæ proditionis quæsitum. namque Lucilius Bassus post præfecturam alæ, Rauennati simul ac Misenensi classibus à vitellio præpositus, quòd non statim præfecturam prætorij adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia vlciscebatur. Nec sciri potest, traxeritne Cæcinam, an (quod euenit inter malos, vt & similes sint) eadem illos prauitas impulerit. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flauiâ domo, monumenta huiusce belli composuerunt,
E curam pacis & amorem Reip. corruptas in adulationem caussas tradidere. Nobis, super insitam leuitatem, & prodito Galba mox vilem fidem, æmulatione etiam inuidiáque, ne ab aliis apud vitellium anteirentur, peruertisse ipsum vitellium videntur. Cæcina legiones assecutus, centurionum militúmque animos obstinatos pro vitellio, variis artibus subruebat. Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidē classe, ob memoriā recētis pro Othone militię.

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV NERONIS HISTORIARVM

LIBER III.

MELIORE fato fidéque Flauianarum par- A tium duces consilia belli tractabant. Petouionem in hiberna Tertiædecimæ legionis conuenerant. Illic agitauere, placerétne obstrui Pannoniæ Alpes, donec à tergo vires vniuersæ consurgerent, an ire cominus, & certare pro Italia constantius foret. Quibus opperiri auxilia, & trahere bellum videbatur, *Germanicarum legionum vim famâmque extollebant, & aduenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipsis nec nume-* B *rum parem pulsarum nuper legionum, & quamquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. Sed insessis interim Alpibus, venturum cum copiis Orientis Mucianum. Superesse Vespasiano mare, classes, studia prouinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita salubri mora, nouas vires afore, & præsentibus nihil periturum.* Ad ea Antonius Primus (is acerrimus belli concitator) *festinationem ipsis vtilem, Vitellio exitiosam* disseruit. *plus socordiæ, quàm fiduciæ, accessisse victoribus. Ne-* C *que enim in procinctu & castris habitos: per omnia Italiæ municipia desides, tantùm hospitibus metuendos: quantò ferociùs antè se egerint, tanto cupidiùs insolitas voluptates hausisse. Circo quoque, ac theatris, & amœnitate vrbis emollitos, aut valetudinibus fessos. Sed addito spatio, rediturum & his robur meditatione belli. Nec procul Germaniam, vnde vires: Britanniam freto dirimi, iuxta Gallias, Hispanásque vtrimque viros, equos, tributa, ipsámque Ita-* D *liam & opes vrbis. Ac si inferre arma vltro velint: duas classes, vacuúmque Illyricum mare. Quid tum claustra montium profutura? quid tractum in æstatem aliam bellum? vnde interim pecuniam, & commeatus? Quin potiùs eo ipso vterentur, quòd Pannonicæ legiones decepta magis, quàm victa, resurgere in vltionem properent: Mœsici exercitus, integras vires attulerint. Si numerus militum potiùs, quàm legionum puteretur: plus hinc roboris, nihil libidinum, & profusse disciplina ipsum pudorem. Equites verò, ne tum* E *quidem victos: sed, quamquam rebus aduersis, disiectam Vitellij aciem. Duæ tunc Pannonicæ ac Mœsicæ alæ perrupere hostem. Nunc XVI. alarum coniuncta signa, pulsu sonitúque, & nube ipsa operient ac superfundent oblitos præliorum equites, equósque. Nisi quis retinet, idem suasor auctórque consilij ero. Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete, mihi expeditæ cohortes sufficient. Iam, reserata Italia impulsas Vitellij res audietis: iuuabit sequi, & vestigiis vincentis insistere.* Hæc atque talia, flagrans oculis, F truci voce, quò latiùs audiretur, (etenim se centuriones & quidam militum consilio miscuerant) ita effudit, vt cautos quoque ac prouidos permoueret: vulgus, & ceteri, vnum virum ducémque, spreta aliorum segnitia, laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim concione commouerat, quia recitatis Vespasiani epistolis, non, vt plerique, incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxisset. Apertè descendisse in caussam videbatur: eóque gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ socius. Proxima Cornelij Fusci procuratoris auctoritas. Is quoque inclementer in Vitellium inuehi solitus, nihil spei sibi inter aduersa reliquerat. Titus Ampius Flauianus, natura ac senecta cunctator, suspiciones militum irritabat, tamquam affinitatis cum Vitellio meminisset. Idémque, quod cœptante legionum motu profugus, dein sponte remeauerat. perfidiæ locum quæsisse credebatur. Nam Flauianum, omissa Pannonia ingressum Italiam, & discrimini exemptum, rerum nouarum cupido legati nomen resumere, & misceri ciuilibus armis impulerat, suadente Cornelio Fusco: non quia industria Flauiani egebat, sed vt consulare nomen surgentibus tum maximè partibus, honesta specie prætenderetur. Ceterum vt transmittere in Italiam, impunè, & vsui foret. scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Mœsico celeraret. Ac ne inermes prouinciæ, barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, in commilitium asciti. plebem quoque, & vim equitum, quæ sola valent, offerebant. remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, aut maiore ex diuerso mercede, ius fásque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges Sueuorum, quibus vetus obsequium erga Romanos, & gens fidei commissæ patientior. opposita in latus auxilia, infesta Rhætia, cui Portius Septimius procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum ala Auriana & VIII. cohortibus, ac Noricorum iuuentute, ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Rhætos Noricósque interfluit, missus. nec his, aut illis prœlium tentantibus fortuna partium alibi transacta. Antonio vexillarios è cohortibus, & partem equitum ad inuadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus, strenuus bello, quam gloriam ei dux Corbulo, & prosperæ in Armenia res addiderant. Idem, secretis apud Neronem sermonibus, ferebatur Corbulonis virtutes criminatus. Vnde infami gratia, primum pilum adepto, læta ad præsens malè parta, mox in perniciem vertêre. Sed Primus ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, & Opitergij & Altini lætis animis accipiuntur. Relictum Altini præsidium aduersus classem Rauennatem, nondum defectione eiús audita. Inde Patauium & Ateste partibus adiunxere. Illic cognitum, tris Vitellianas cohortes, & alam cui Scribonianæ nomen, ad Forum Alieni, ponte iuncto, consedisse. Placuit occasio inuadendi incuriosos. nam id quoque nuntiabatur. luce prima, inermos plerósque oppressere. Prædictum, vt paucis interfectis, ceteros pauore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere, qui se statim dederent. plures, abrupto ponte, instanti hosti viam abstulerunt. Vulgata

gata victoria, post principia belli secundum Flauianos, duæ legiones, septima Galbiana, tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila legato, Patauium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumpti. & Minucius Iustus, præfectus castrorum legionis septimæ, quia adductius quàm ciuili bello imperitabat, subtractus militum iræ, ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res, interpretatione gloriæ, in maius accipitur, postquam Galbæ imagines, discordia temporum subuersas, in omnib. municipiis recoli iussit Antonius. decorum pro caussa ratus, si placere Galbę principatus, & partes reuirescere crederentur. Quæsitum inde quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua præualebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio, in rem famámque videbatur. Possessa ipso transitu Vicetia, quod per se parum (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus illic Cæcinam genitum, & patriam hostium duci ereptam. In Veronensibus pretium fuit e xemplo, opibúsque, partes iuuere. Et interiectus exercitus, Rhætiam, Iuliásque Alpes, ne peruium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. quæ ignara Vespasiano, aut vetita. quippe Aquileiæ sisti bellum, exspectaríque Mucianum iubebat. Adiiciebátque imperio consilium, quando Ægyptus, claustra annonæ, vectigalia opulentissimarum prouinciarum obtinerentur, posse Vitellij exercitum egestate stipendij frumentique ad deditionem subigi. Eadem Mucianus crebris epistolis monebat, incruētam & sine luctu victoriam, & alia huiuscemodi prætexendo; sed gloriæ auidus, atque omnē belli decus sibi retinens. Ceterùm ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res afferebantur. Igitur, repentino incursu, Antonius stationes hostium irrupit, tentatísque leui prœlio animis, ex æquo discessum. Mox Cæcina, inter Hostiliam vicum Veronensium, & paludes Tartari fluminis, castra permuniit, tutus loco, cùm terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur. quòd si affuisset fides, aut opprimi vniuersis Vitellianorum viribus duæ legiones nondum coniuncto Mœsico exercitu potuere: aut retro actæ, deserta Italia turpem fugam consciuissent. Sed Cæcina, per varias moras, prima hostibus prodidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus, cum legione septima Claudiana aduênit. Legioni tribunus Vipsanius Messalla præerat, claris maioribus, egregius ipse, & qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Cæcina, temeritatem victa arma tractantium incusans. Simul virtus Germanici exercitus, laudib. attollebatur, Vitellij modica, & vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia. Nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem, aut terreret. Flauianarum partium duces, omissa prioris fortunæ defensione, pro Vespasiano magnificè, pro caussa fidenter, de exitu securi, in Vitellium vt inimici, præsumpsere: facta tribunis & centurionibus retinendi quæ Vitellius indulsisset spe, atque ipsum Cæcinam non obscurè ad transitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epistolæ addidere fiduciam, quòd submissè Cæcina velut offendere Vespasianum timens,

A ipsorum duces contemptim, tamquam insultantes Vitellio scripsissent. Aduentu deinde duarum legionum, è quibus tertiam Dillius Aponianus, octauam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires, & militari vallo Veronam circumdare placuit. Fortè Galbianæ legioni, in aduersa fronte valli opus cesserat, & visi procul sociorum equites, vanam formidinem vt hostes fecere. Rapiuntur arma. & vt proditionis ira militum in T.
B Ampium Flauianum incubuit, nullo criminis argumento. Sed iam pridem inuisus, turbine quodam ad exitium poscebatur. propinquum Vitellij, proditorem Othonis, interceptorem donatiui clamitabant. Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacerâ veste, pectus atque ora singultu quatiens. Id ipsum apud infensos incitamentum erat, tamquam nimius pauor conscientiam argueret. Obturbabatur militum vocibus Aponianus,
C cùm loqui cœptaret. fremitu & clamore ceteros aspernantur, vni Antonio apertæ militum aures. Nam & facundia aderat mulcendíque vulgum artes, & auctoritas. Vbi crudescere seditio, & à conuiciis & probris, ad tela & manus transibant, iniici catenas Flauiano iubet. Sensit ludibrium miles, disiectísque qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius stricto ferro, aut militum se manibus, aut suis moriturum obtestans: vt quemque notum, & aliquo
D militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. Mox conuersus ad signa & bellorum deos, hostium potiùs exercitibus illum furorem, illam discordiam inicerent, orabat, donec fatisceret seditio, &, extremo iam die, sua quisque in tentoria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flauianus, obuiis Vespasiani literis, discrimini exemptus est. Legiones, veluti tabe infectæ, Aponium Saturninum Mœsici exercitus legatum, eò atrociùs aggrediuntur, quòd
E non, vt prius, labore & opere fessæ, sed medio diei exarserant, vulgatis epistolis, quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. vt olim virtutis modestiæque, tunc procacitatis & petulantiæ certamen erat, ne minus violenter Aponium, quàm Flauianum, ad supplicium deposcerent. Quippe Mœsicæ legiones, adiutam à se Pannonicorum vltionem, referentes, & Pannonici, velut absoluerentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus diuertebatur Saturninus, pergunt. Nec tam Primus, & A-
F poniánus, & Messalla (quamquam omni modo nisi) eripuere Saturninum, quàm obscuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium fortè balnearum fornacibus abditus. Mox, omissis lictoribus, Patauium concessit. Digressu consularium, vni Antonio vis ac potestas in vtrumque exercitum fuit, cedentibus collegis, & obuersis militum studiis. Nec deerant qui crederēt, vtramque seditionem fraude Antonij cœptam, vt solus
G bello frueretur. Ne in Vitellij quidem partibus quietæ mentes. exitiosiore discordia, non suspicionibus vulgi, sed perfidia ducum turbabantur. Lucilius Bassus, classis Rauennatis præfectus, ambiguos militum animos, quòd magna pars Dalmatæ Pannoniíque erant, quæ prouinciæ Vespasiano tenebantur, partibus eius aggregauerat. Nox proditioni electa, vt ceteris ignaris, soli in principia defectores coirent. Bassus, pudore seu metu quisnam exitus foret, intra domum opperieba-

tur. Trierarchi, magno tumultu, Vitellij imagines inuadunt, & paucis resistentium obtruncatis, ceterum vulgus rerum nouarum studio, in Vespasianum inclinabat. Tum progressus Lucilius auctorem se palàm præbet. classis Cornelium Fuscum præfectum sibi destinat, qui properè adcucurrit. Bassus, honorata custodia Liburnicis nauibus Hadriam peruectus, à præfecto alæ Mennio Rufino, præsidium illic agitante, vincitur. Sed exsoluta statim vincula, interuentu Hormi Cæsaris liberti. is quoque inter duces habebatur.

At Cæcina, defectione classis vulgata, primores centurionum, & paucos militum, ceteris per militiæ munera dispersis, secreta castrorum affectans, in principia vocat. Ibi Vespasiani virtutem, viresque partium extollit: transfugisse classem, artem commeatuum, aduersas Gallias Hispaniásque. nihil in vrbe fidum, atque omnia de Vitellio in deterius. Mox, incipientibus qui conscij aderant, ceteros re noua attonitos, in verba Vespasiani adigit. Simul Vitellij imagines direptæ, & missi qui Antonio nuntiarent. Sed vbi totis castris in famam proditio, recurrens in principia miles, præscriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellij effigies aspexit: vastum primò silentium, mox cuncta simul erumpunt. *Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, vt sine prælio, sine vulnere, vinctas manus, & capta traderent arma! Quas enim ex diuerso legiones? Nempe victas. & abesse vnicum Othoniani exercitus robur, primanos, quartadecimanósque, quos tamen ijsdem campis illis fuderint strauerintque, vt tot armatorum millia velut grex venalium exsuli Antonio donum darentur. Octo nimirum legiones vnius classis accessionem fore. Id Basso, id Cæcinæ visum, postquam domos, hortos, opes, principi abstulerint, etiam militibus principem auferre, licet integros incruentósque, Flauianis quoque partibus viles. quid dicturos reposcentibus aut prospera, aut aduersa?* Hæc singuli, hæc vniuersi, vt quemque dolor impulerat, vociferantes, initio à quinta legione orto, repositis Vitellij imaginibus, vincla Cæcinæ iniiciunt: Fabium Fabulum, quintæ legionis legatum, & Cassium Longum præfectum castrorum, duces deligunt. Fortè oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros & insontes trucidant. Relictis castris, abrupto ponte, Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, vt legionibus primæ Italicæ & Vnietvicesimæ Rapaci iungerentur; quas Cæcina ad obtinendam Cremonam, cum parte equitum præmiserat. Vbi hæc comperta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus aggredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium, & iunctis legionibus fiducia rediret. namque Fabium valentem profectum ab vrbe, accelerantúmque, cognita Cæcinæ proditione, coniectabat. Et fidus Vitellio Fabius, nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorum vis, per Rhætiam timebatur: & Britannia, Galliáque & Hispania auxilia Vitellius acciuerat, immensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens, festinato prœlio victoriam præcepisset. Vniuerso cum exercitu, secundis à Verona castris, Bedriacum venit. Postero die, legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missæ, vt specie parandarum copiarum, ciuili præda miles imbueretur. Ipse cum quatuor millibus equitum, ad octauum à Bedriaco progressus, quo licentius popularen-

A tur. exploratores (vt mos est) longiùs curabant.
Quinta fermè hora diei erat, cùm citus eques, ad-
uentare hostes, prægredi paucos, motum fremi-
túmque latè audiri, nuntiauit. Dum Antonius,
quidnam agendum, consultat, auiditate nauandæ
operæ Arrius Varus cum promptissimis equitum
prorupit, impulitque Vitellianos modica cæde.
nam plurium accursu, versa fortuna, & acerrimus
quisque sequentium, fugæ vltimus erat. nec spon-
B te Antonij properatum, & fore quæ acciderant,
rebatur. Hortatus suos, vt magno animo capesse-
rent pugnam, diductis in latera turmis, vacuum
in medio relinquit iter, quo Varum equitésque e-
ius reciperet. Iussæ armari legiones, datum per a-
gros signū, vt qua cuique proximum, omissa præ-
da, prælio occurrerent. Pauidus interim Varus,
turbæ suorum miscetur, intulitque formidinem.
Pulsi cum saucijs integri, suomet ipsi metu, &
angustijs viarum conflictabantur. Nullum in illa
C trepidatione Antonius constantis ducis, aut for-
tissimi militis, officium omisit. occursat pauenti-
bus, retinet cedentes. vbi plurimus labor, vnde a-
liqua spes, consilio, manu, voce insignis hosti,
conspicuus suis, eò postremò ardoris prouectus
est, vt vexillarium fugientem hasta transuerbera-
rit. mox raptum vexillum in hostem vertit. quo
pudore, haud plures quàm centum equites resti-
tere. Iuuit locus, artiore illic via, & fracto inter-
fluentis riui ponte, qui incerto alueo, & præcipi-
D tibus ripis, fugam impediebat. Ea necessitas, seu
fortuna, lapsas iam partes restituit. Firmati inter
se, densis ordinibus, excipiunt Vitellianos teme-
rè effusos. atque illi consternantur. Antonius in-
stare perculsis, sternere obuios. Simul ceteri, vt
cuique ingenium, spoliare, capere, arma, equos-
que abripere: & exciti prospero clamore, qui mo-
dò per agros fuga palabantur, victoriæ se misce-
bant. Ad quartum à Cremona lapidem, fulsere
legionum signa, Rapacis atque Italicæ, læto inter
E initia equitum suorum prœlio, illuc vsque pro-
uecta. Sed vbi fortuna contrà fuit, non laxare or-
dines, non recipere turbatos, non obuiam ire, vl-
tróque aggredi hostem, tantum per spatium cur-
su & pugnando fessum. fortè victi, haud perinde
rebus prosperis ducem desiderauerant, atque in
aduersis deesse intelligebant. Nutantem aciem,
victor equitatus incursat. Et Vipsanius Messalla
tribunus, cum Mœsicis auxiliaribus assequitur,
F quos militibus legionariis, quamquam raptim
ductos, æquabat. Ita mixtus pedes equésque,
rupere legionum agmen. Et propinqua Cremo-
nensium mœnia, quanto plus spei ad effugium,
minorem ad resistendum animum dabant. Nec
Antonius vltrà institit, memor laboris ac vulne-
rum, quibus tam anceps prœlij fortuna, quam-
uis prospero fine equites equosque afflictauerat.
G Inumbrante vespera vniuersum Flauiani exerci-
tus robur aduenit. vtque cumulos super, & re-
centia cæde vestigia incessere, quasi debellatum
foret, pergere Cremonam, & victos in deditio-
nem accipere, aut expugnare deposcunt. Hæc
in medio, pulchra dictu. Illa sibi quisque, *Posse
coloniam plano sitam impetu capi. Idem audaciæ per
tenebras irrumpentibus, & maiorem rapiendi licen-
tiam. Quòd si lucem opperiantur, iam pacem, iam
preces, & pro labore ac vulneribus, clementiam &
gloriam inania laturos. sed opes Cremonensium, in
sinu præfectorum legatorúmque fore. Expugnatæ vr-
bis prædam, ad militem; deditæ, ad duces per-
tinere.*

tinere. Spernuntut centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiunt arma, rapturi impetium ni ducantur. Tum Antonius inferens se manipulis, vbi aspectu & auctoritate silentium fecerat, *Non se decus neque pretium eripere tam benè meritis,* affirmabat: *sed diuisa inter exercitum ducésque munia. militibus cupidinem pugnandi conuenire, duces prouidendo, consultando, cunctatione sapiùs, quàm temeritate prodesse. Vt pro virili portione, armis ac manu victoriam iuuerit; ratione & consilio, propriis ducis artibus, profuturum. Neque enim ambigua esse qua occurrant, noctem, & ignota situm vrbis, intus hostes, & cuncta insidiis opportuna. non si pateant porta, nisi explorato, nisi die, intrandum. An oppugnationem inchoaturos, adempto omni prospectu, quis aquus locus, quanta altitudo mœnium? tormentisne, & telis, an operibus, & vineis aggredienda vrbs foret?* Mox conuersus ad singulos, *num secures, dolabrásque, & cetera expugnandis vrbibus, secum attulissent?* rogitabat. Et cùm abnuerent, *gladiisne,* inquit, *& pilis, perfringere ac subruere muros, vlla manus possunt? Si aggerem struere, si pluteos cratibúsve protegi necesse fuerit, vt vulgus improuidum irriti stabimus, altitudinem turrium, & aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis vnius, aduectis tormentis machinisque, vim victoriámque nobiscum ferimus.* Simul lixas calonésque cum recentissimis equitum, Bedriacum mittit, copias ceteráque vsui, allaturos. Id verò ægrè tolerante milite, prope seditionem ventum, cùm progressi equites sub ipsa mœnia, vagos ex Cremonensibus corripiunt. quorum indicio noscitur, sex Vitellianas legiones, omnémque exercitum qui Hostiliæ egerat, eo ipso die triginta millia passuum emensum, comperta suorum clade, in prœlium accingi, ac iam affore. Is terror obstructas mentes, consiliis ducis, aperuit. Sistere tertiam legionem, in ipso viæ Postumiæ aggere iubet, cui iuncta à leuo septima Galbiana, patenti campo stetit: dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) præmunita; dextro, octaua per apertum limitem, mox tertiadecima, densis arbustis intersepta. Hic aquilarum signorúmque ordo. Milites mixti per tenebras, vt fors tulerat. prætorianum vexillum, proximum tertianis cohortes auxiliorum, in cornibus. latera ac terga, equite circumdata. Sido atque Italicus Sueui, cum delectis popularium, primori in acie versabantur. At Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonæ, & reciperatis cibo somnóque viribus, confectum algore atque inedia hostem, postera die profligare ac proruere, ratio fuit: indigus rectoris, inops cōsilii, tertia fermè noctis hora, paratis iam dispositísque Flauianis impingitur. Ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras, asseuerare non ausim: quamquam alij tradiderint, quartam Macedonicā, dextro suorum cornu; quintam, & quintamdecimam, cum vexillis nonæ, secundæque, & vicesimæ, Britannicarum legionum, mediam aciem; sextadecimanos, duoetvicesimanósque, & primanos, læuum cornu complesse. Rapaces atque Italici, omnibus se manipulis miscuerant. Equites, auxiliáque, sibi ipsi locum legêre. Prœlium tota nocte varium, anceps, atrox; his, rursus illis, exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem prouisu iuuabant. Eadémque, vtrâque acie, arma. crebris interrogationibus, notum pugnæ signum: permixta vexilla, vt quisque

A globus, capta ex hostibus, huc vel illuc raptabat. Vrgebatur maximè septima legio, nuper à Galba conscripta. Occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quædam signa. Ipsam Aquilam, Atilius Verus primipili centurio, multa cum hostium strage, & ad extremum moriens, seruauerat. Sustinuit labentem aciem Antonius, accitis prætorianis. qui vbi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. Namque Vitelliani,
B tormenta in aggerem viæ contulerant, vt tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primò & arbustis sine hostium noxa illisa. Magnitudine eximia quintædecimę legionis balista, ingentibus saxis hostilem aciem proruebat: latéque cladem intulisset, ni duo milites præclarum facinus ausi, arreptis è strage scutis, ignorati vincla ac libramenta tormentorum abscidissent. Statim confossi sunt, eóque intercidêre nomina. de facto haud ambigitur. Neutrò inclinauerat fortuna, donec
C adulta nocte, luna surgens ostenderet acies, falleretque. Sed Flauianis æquior à tergo. hinc maiores equorum virorúmque vmbræ, & falso, vt in corpora, ictu, tela hostium citrà cadebant. Vitelliani, aduerso lumine collucentes, velut ex occulto iaculantibus, incauti offerebantur. Igitur Antonius, vbi noscere suos, noscique poterat, alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes spe promissísque accendens, cur rari sumpsissent arma Pannonicas legiones interrogabat?
D Illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiæ, vbi reciperare gloriam possent. Tum ad Mœsicos conuersus, principes auctorésque belli ciebat. Frustra minis & verbis prouocatos Vitellianos, si manus eorum oculósque non tolerent. Hæc vt quosque accesserat. Plura ad Tertianos, veterum recentiúmque admonens: vt sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent. Mox infensus prætorianis: *Vos,* inquit, *nisi vinceritis pagani, quis alius imperator, qua castra alia excipient?
E Illic signa armáque vestra sunt, & mors victis. Nam ignominiam consumpsistis.* Vndique clamor. & orientem solem (ita in Syria mos est) Tertiani salutauere. vagus inde, an consilio ducis, subditus rumor, aduenisse Mucianum, exercitus inuicem salutasse. gradum inferunt. quasi recentibus auxiliis aucti, rariore iam vitellianorum acie, vt quos, nullo rectore, suus quemque impetus vel pauor contraheret, diduceretve. Postquam pulsos sensit
F Antonius, denso agmine obturbat. laxati ordines abrumpuntur. nec restitui quiuere, impedientibus vehiculis, tormentísque. Per limitem viæ sparguntur, consectandi festinatione, victores. Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nomináque, auctore vipsanio Messalla, tradam. Iulius Mansuetus, ex Hispania, Rapaci legioni additus, impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter septimanos à Galba conscriptus, oblatum fortè patrem & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus, agno-
G scensque, & exanguem amplexus, voce flebili precabatur piatos patris manes, néve se vt parricidam auersarentur. publicum id facinus: & vnum militem quotam ciuilium armorum partem? Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga patentem officio fungi. Aduertêre proximi, deinde plures. hinc per omnem aciem miraculum, & questus, & sæuissimi belli exsecratio. Nec eo segniùs propinquos, affines, fratres

trucidatos spoliant. Factum esse scelus loquuntur, faciúntque. Vt Cremonam venere, nouum immensúmque opus occurrit. Othoniano bello, Germanicus miles mœnibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumiecerat. eaque munimenta rursus auxerat. Quorum aspectu hæsere victores, incertis ducibus quid iuberent. Incipere oppugnationem, fesso per diem noctémque exercitu, arduum; & nullo iuxtà subsidio, anceps. Sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, & victoria ad irritum reuoluebatur. Munire castra; id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos & opus molientes subita eruptione turbarent. Quæ super cuncta, terrebat ipsorum miles, periculi quam moræ patientior. Quippe ingrata quæ tuta, & ex temeritate spes; omnisque cædes, & vulnera, & sanguis, auiditate prædæ pensabantur. Huc inclinauit Antonius, cingíque vallum corona iussit. Primò sagittis saxísque eminus certabant, maiore Flauianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. Mox vallum portásque legionibus attribuit, vt discretus labor fortes ignauósque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. Proxima Bedriacensi viæ, tertiani septimanique sumpsere; dexteriora valli, octaua ac septima Claudiana; tertiadecimanos, ad Brixianam portam impetus tulit. Paulum inde moræ, dum è proximis agris ligones, dolabras, & alij falces, scalásque conuectant. Tum, elatis super capita scutis, densa testitudine succedunt. Romanæ vtrimque artes. pondera saxorum Vitelliani prouoluunt, disiectam fluitantémque testudinem lanceis contisque scrutantur. donec soluta compage scutorum. exangues aut laceros prosternerent multa cum strage. Incessetat cunctatio, ni duces fesso militi, & velut irritas exhortationes abnuenti, Cremonam monstrassent. Hormine id ingenium, vt Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facilè discreuerim: nisi quòd neque Antonius, neque Hormus, à fama vitáque sua, quamuis pessimo flagitio, degenerauere. Non iam sanguis, neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum, quaterentque portas, innixi humeris, & super iteratam testudinem scandentes, prehensarent hostium tela bracháque. integri cum saucis, semineces cum exspirantibus voluuntur, varia pereuntium forma, & omni imagine mortium. Acerrimum septimæ, tertiæque legionum, certamen, Et dux Antonius, cum delectis auxiliaribus, eodem incubuerat. Obstinatos inter se, cùm sustinere Vitelliani nequirent, & superiecta tela testudine laberentur, ipsam postremò balistam in subeuntes propulere: quæ vt ad præsens disiecit obruitque quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit. Simul iuncta turris, ictibus saxorum cessit. qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiísque portam perfregit. Primum irrupisse C. volusium tertiæ legionis militem, inter omnes auctores constat. Is in vallum egressus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce capta castra conclamauit. Ceteri, trepidis iam Vitellianis, séque è vallo præcipitantibus, perrupere. completur cæde, quantum inter castra murósque, vacui fuit. Ac rursus noua laborum facies, ardua vrbis mœnia, saxeæ turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens ob-

A strictúsque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiæ stato in eosdem dies mercatu congregata. quod defensoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob prædam erat. Rapi ignes Antonius, inferríque amœnissimis extra vrbem ædificiis iubet: si damno rerum suarum, Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. propinqua muris tecta, & altitudinem mœnium egressa, fortissimo quoque militum complet.
B Illi trabibus, tegulisque, & facibus, propugnatores deturbant. Iam legiones in testudinem glomerabantur, & alij tela saxáque incutiebant, cùm languescere paulatim Vitellianorum animi, & vt quisque ordine anteibat, cedere fortunæ: ne Cremona quoque excisa, nulla vltrà venia, omnísque ira victoris non in vulgus inops, sed in tribunos centurionésque, vbi pretium cædis erat, reuerteretur. Gregarius miles, futuri socors, & ignobilitate
C tutior perstabat. vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cùm bellum posuissent. Primores castrorum, nomen atque imagines Vitellij amoliuntur. Catenas Cæcinæ (nam etiam tum vinctus erat) exsoluunt, orantque, vt caussæ suæ deprecator assistat. Aspernantem tumentémque, lacrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortissimi viri, proditoris opem inuocantes, mox velamenta & infulas pro muris ostentant. Cùm Antonius inhiberi te-
D la iussisset, signa aquilásque extulere. Mæstum inermium agmen, deiectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victores, & primò ingerebant probra, intentabant ictus. Mox vt præberi ora contumeliis, & posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio, illos esse, qui nuper Bedriaci victoriæ temperassent. Sed vbi Cæcina, prætexta lictoribúsque insignis, dimota turba, consul incessit, exarsere victores. superbiam, sæuitiámque (adeò inuisa scelera sunt) etiam
E perfidiam, obiectabant. Obstitit Antonius, datísque defensoribus ad Vespasianum dimisit. Plebes interim Cremonensium, inter armatos conflictabatur. nec procul cæde aberant, cùm precibus ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad concionem Antonius alloquitur, magnificè victores, victos clementer. de Cremona in neutrum. Exercitus, præter insitam prædandi cupidinem, vetere odio ad excidium Cremonensium incubuit. Iuuisse partes Vitellianas. Othonis quo-
F que bello, credebantur. Mox tertiadecimanos ad extruẽdum amphitheatrum relictos, vt sunt procacia vrbanæ plebis ingenia, petulantib. iurgiis illuserant. Auxit inuidiam editum illic à Cæcina gladiatorum spectaculum, eadémque rursus belli sedes, & præbiti in acie Vitellianis cibi: cęsæ quædam feminæ, studio partium ad prœlium progressæ. Tempus quoque mercatus, ditem alioquin coloniam, maiorum opum specie complebat. Ceteri duces in obscuro, Antonium fortuna famáque omnium oculis exposuerat. Is balineas, abluendo
G cruori, properè petit. Excepta vox est, cùm teporem incusaret, statim futurum vt incalescerent. Vernile dictum omnem inuidiam in eum vertit, tanquam signum incendendæ Cremonæ dedisset, quæ iam flagrabat. Quadraginta armatorum millia irrupere, calonũ lixarũq; amplior numerus, & in libidinem ac sæuitiam corruptior. Non dignitas, non ętas protegebat, quo minus stupra cædibus, cędes stupris miscerentur. Grandæuos senes

exacta

exacta ætate feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Vbi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibúsque rapientium diuulsus, ipsos postremò direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam, vel grauia auro templorum dona, sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. Quidam obuia aspernati, verberibus tormentísque dominorum, abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus: quas, vbi prædam egesserant, in vacuas domos, & inania templa, per lasciuiam iaculabantur. Vtque exercitu vario linguis, moribus, cui ciues, socij, externi interessent, diuersæ cupidines, & aliud cuique fas, nec quidquam illicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. cùm omnia sacra profanáque in igne considerent, solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu numine, defensum. Hic exitus Cremonam habuit, anno CCLXXXVI. à primordio sui. Condita erat Ti. Sempronio & P. Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum aduersus Gallos trans Padum agentes, & si qua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, vbere agri, annexu connubiísque gentium adoleuit floruitque, bellis externis intacta, ciuilibus infelix. Antonius pudore flagitij, crebrescente inuidia, edixit, nequis Cremonenses captiuos detineret. Irritámque prædam militibus effecerat consensus Italiæ, emptionem talium mancipiorum aspernantis. Occidi cœpere. quod vbi enotuit, à propinquis affinibúsque occultè redemptabantur. mox rediit Cremonam reliquus populus. reposita fora, templáque, magnificentia municipum: & Vespasianus hortabatur. Ceterùm assidere sepultæ vrbis ruinis, noxia tabo humus, haud diu permisit. Ad tertium lapidem progressi, vagos pauentésque Vitellianos, sua quemque apud signa componunt. Et victæ legiones, ne manente adhuc ciuili bello ambiguè agerent, per Illyricum dispersæ. In Britanniam inde, & Hispanias, nuntios famámque: in Galliam, Iulium Calenum tribunum; in Germaniam, Alpinum Montanum præfectum cohortis, quòd hic Treuir, Calenus Æduus, vterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium, præsidiis occupati: suspecta Germania, tamquam in auxilium Vitellij accingeretur. At Vitellius, profecto Cæcina, cùm Fabium Valentem paucis pòst diebus ad bellum impulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, non alloquio exercitióque militem firmare, non in ore vulgi agere, sed vmbraculis hortorum abditus, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpéntque: præterita, instantia, futura, pari obliuione dimiserat. Atque illum, in nemore Aricino desidem & marcentem, proditio Lucilij Bassi, ac defectio classis Rauennatis perculit. Nec multo pòst de Cæcina affertur mixtus gaudio dolor, & desciuisse, & ab exercitu vinctum. plus apud socordem animum lætitia, quàm cura valuit. Multa cum exsultatione in vrbem reuectus, frequenti concione, pietatem militum laudibus cumulat. P. Sabinum prætorij præfectum, ob amicitiam Cæcinæ vinciri iubet, substituto in locum eius Alpheno Varo. Mox senatum, composita in magnificentiam oratione, allocutus, exquisitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Cæcinam sententiæ, à L. Vitellio factum. Dein ceteri, com-

A posita indignatione, quòd consul Rempublicam,
dux imperatorem, tantis opibus, tot honoribus
cumulatus, amicum prodidisset, velut pro Vi-
tellio conquerentes, suum dolorem proferebant.
nulla, in oratione cuiusquam, erga Flauianos
duces obtrectatio. errorem imprudentiámque
exercituum culpantes, Vespasiani nomen su-
spensi & vitabundi circumibant. Nec defuit, qui
vnum consulatus diem (is enim in locum Cæ-
B cinæ supererat) magno cum irrisu accipientis,
tribuentisque, eblandiretur. Pridie Kal. Nouem-
bris, Rossius Regulus iniit, eiurauítque. Annota-
bant periti, nunquam antea non abrogato magis-
tratu, neque lege latà, alium suffectum. Nam cō-
sul vno die & antè fuerat Caninius Rebilus, C.
Cæsare dictatore, cùm belli ciuilis præmia festi-
narentur. Nota per eos dies Iunij Blæsi mors, &
famosa fuit: de qua sic accepimus. Graui corpo-
ris morbo æger Vitellius, Seruilianis hortis, tur-
C rim vicino sitam collucere per noctem crebris
luminibus animaduertit. Sciscitanti caussam a-
pud Cæcinam Tuscum epulari multos, præci-
puum honore Iunium Blæsum nuntiatur. Ce-
tera in maius de apparatu, & solutis in lasciuiam
animis. Nec defuere, qui ipsum Tuscum & alios,
sed criminosiùs Blæsum incusarent, quòd ægro
principe lætos dies ageret. vbi asperatum Vitel-
lium, & posse Blæsum peruerti, satis patuit iis
qui principum offensas acriter speculantur; datæ
D L. Vitellio delationis partes. Ille infensus Blæso,
æmulatione praua, quòd eum omni dedecore
maculosum, egregia fama anteibat, cubiculum
imperatoris reserat: filium eius sinu complexus,
& genibus accidens, caussam cōfusionis quęrēti:
Nō se proprio metu, nec sui anxiū, sed pro fratre, pro
liberis fratris, preces lacrymásq; attulisse. Frustra
Vespasianum timeri, quem tot Germanicæ legiones,
tot prouinciæ virtute ac fide, tantum denique terra-
rum ac maris immēsis spatiis arceat. In vrbe ac sinu
E *cauendum hostem, Iunios Antoniósque auos iactan-*
tem, qui se stirpe imperatoriâ, comem ac magnificum
militibus ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum
Vitellius amicorum inimicorúmque negligens, fouet
æmulum, principis labores è conuiuio prospectantem.
Reddendam pro intempestiua lætitia mæstam & fu-
nebrem noctem, qua sciat & sentiat viuere Vitel-
lium & imperare, & si quid fato accidat, filium ha-
bere. Trepidanti inter scelus metúmque ne dilata
F Blæsi mors maturam perniciem, palàm iussa atro-
cem inuidiam ferret. placuit veneno grassari. Ad-
didit facinori fidem, nobili gaudio, Blæsum visen-
do. quin & audita est sæuissima Vitellij vox, qua
(ipsa enim verba referam) se pauisse oculos spe-
ctata inimici morte, iactauit. Blæso super clarita-
tem natalium & elegantiam morum, fidei obsti-
natio fuit. Integris quoque rebus, à Cæcina & pri-
G moribus partium iam Vitellium aspernantibus,
ambitus, abnuere perseuerauit, sanctus, inturbi-
dus, nullius repentini honoris, adeò non princi-
patus appetens, vt parum effugeret, ne dignus cre-
deretur. Fabius interim valens, multo ac molli
concubinarū spadonúmq; agmine, segniùs quàm
ad bellum incedens, proditam à Lucilio Basso Ra-
uennatē classem, pernicibus nuntiis accepit. Et si
cœptum iter properasset, nutantem Cęcinam prę-
uenire, aut, ante discrimē, pugnæ, assequi legiones
potuisset. Nec deerant qui monerent, vt cum fidis-
simis per occultos tramites, vitata Rauēna, Hosti-
liā Cremonáve pergeret. Aliis placebat, accitis ex

vrbe prætoriis cohortibus, valida manu perrumpere. Ipse, inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumpsit. Mox vtrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec prouidit. Missis ad Vitellium litteris, auxilium postulat. Venêre tres cohortes, cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus, neque ad penetrandum. Sed Valens, ne in tanto discrimine quidem, infamia caruit, quo minus illicitas rapere voluptates, adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus crederetur. Aderant vis, & pecunia, & ruentis fortunæ nouissima libido. Aduentu demum peditum equitúmque prauitas consilij patuit, quia nec vadere per hostes tam parua manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem attulerant. Pudor tamen, & præsentis ducis reuerentia morabatur, haud diuturna vincula apud auidos periculorum, & dedecoris securos. Eo metu, & paucis, quos aduersa non mutauerant, comitantibus, cohortes Ariminum præmittit. Alam tueri terga iubet. Ipse flexit in Vmbriam, atque inde in Etruriam: vbi cognito pugnæ Cremonensis euentu, non ignauum, &, si prouenisset, atrox consilium iniit, vt arreptis nauibus, in quamcumque partem Narbonensis prouinciæ egressus, Gallias, & exercitus, & Germaniæ gentes, nouúmque bellum cieret. Digresso Valente, trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuscus admoto exercitu, & missis per proxima litorum Liburnicis, terra marique circumuenit. Occupantur plana Vmbriæ, & quà Picenus ager Hadria alluitur. omnisque Italia, inter Vespasianum ac Vitellium, Apennini iugis diuidebatur. Fabius Valens, è sinu Pisano, segnitia maris, aut aduersante vento, Portum Herculis Monœci depellitur, haud procul inde agebat Marius Maturus, Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum, cunctis circa hostilibus, nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur monendo terruit, simul ceterorum fides metu infracta. Nam circumiectas ciuitates, procurator Valerius Paullinus, strenuus militiæ, & Vespasiano ante fortunam amicus, in verba eius adegerat. Concitisque omnibus, qui exauctorati à Vitellio bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam, claustráque maris præsidio tuebatur: eo grauior auctor, quòd Paullino patria Forum Iulij, & honos apud prætorianos, quorum quondam tribunus fuerat. Ipsique pagani, fauore municipali, & futuræ potentiæ spe iuuare partes annitebantur. quæ vbi paratu firma, & aucta rumore, apud varios Vitellianorum animos increbuere: Fabius Valens cum quatuor speculatoribus, & tribus amicis, totidem centurionibus ad naues regreditur: Maturo, ceterisque remanere, & in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Ceterùm vt mare tutius Valenti, quàm litora, aut vrbes: ita futuri ambiguus, & magis quid vitaret quàm cui fideret certus, aduersa tempestate Stœchadas Massiliensium insulas affertur. Ibi eum missæ à Paullino Liburnicæ, oppressere. Capto Valente, cuncta ad victoris opes conuersa, initio per Hispaniam à prima Adiutrice legione orto, quæ memoria Othonis infensa Vitellio, decimam quoque ac sextam traxit. Nec Galliæ cunctabantur. Et Britanniam, inclytus erga Vespa-

A sianum fauor, quòd illic secundæ legioni à Claudio præpositus, & bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum: in quibus plerique centuriones ac milites à Vitellio prouecti, expertum iam principem anxij mutabant. Ea discordia, & crebris belli ciuilis rumoribus, Britanni sustulere animos, auctore Venusio: qui super insitam ferociam, & Romani nominis odium, propriis in Cartismanduam reginam stimulis accendebatur.

B Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate: & auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Caractaco, instruxisse triumphum Claudij Cæsaris videbatur. Inde opes, & rerum secundarum luxus. spreto Venusio (is fuit maritus) armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnúmque accepit. concussa statim flagitio domus. Pro marito, studia ciuitatis: pro adultero, libido reginæ, & sæuitia. Igitur Venusius, accitis auxiliis, simul ipsorum

C Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita à Romanis præsidia. & cohortes alæque nostræ, variis prœliis, exemere tamen periculo reginam. Regnum Venusio, bellum nobis relictum. Turbata per eosdem dies Germania, & socordia ducum, & seditione legionum. Externa vi, & perfidia sociali, propè afflicta Romana res. Id bellum, cum causis & euentibus (etenim longiùs prouectum est)

D mox memorabimus. Mota & Dacorum gens, numquam fida, tunc sine metu, abducto è Mœsia exercitu. sed prima rerum, quieti speculabantur: vbi flagrare Italiam bello, cuncta inuicem hostilia, accepere: expugnatis cohortium alarúmque hibernis, vtraque Danubij ripa potiebantur. Iámque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriæ gnarus, ac ne externa moles vtrimque ingrueret, si Dacus Germanúsque di-

E uersi irrupissent. Affuit, vt sæpe aliàs, fortuna populi Ro. quæ Mucianum viresque Orientis illuc tulit: & quod Cremonæ interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (proconsul eam prouinciam annuo imperio tenuerat) Mœsiæ præpositus est: additis copiis è Vitelliano exercitu, quem spargi per prouincias, & externo bello illigari, pars consilij, pacisque erat. Nec ceteræ nationes silebant. Subita per Pontum arma, Barbarum

F mancipium, regiæ quondam classis præfectus, mouerat. Is fuit Anicetus Polemonis libertus, præpotens olim, & postquam regnum in formam prouinciæ verterat, mutationis impatiens. Igitur Vitellij nomine, adscitis gentibus, quæ Pontum accolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendæ manus ductor, Trapezuntem, vetustam Asiæ ciuitatem, à Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam subitus irrupit. Cæsa ibi cohors, regium auxilium olim. mox donati ciuitate Romana, signa armáque

G in nostrum modum, desidiam licentiámque Græcorum retinebant. Classi quoque faces intulit, vacuo mari eludens, quia lectissimas Liburnicarum, omnémque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin & barbari contemptius vagabantur, fabricatis repentè nauibus, quas cameras vocant, artis lateribus, lata aluo, sine vinculo æris aut ferri connexa, & tumido mari, prout fluctus attollitur, summa nauium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter vndas voluuntur, pari vtrimque prora, & mutabili

tabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiscretum & innoxium est. Aduertit ea res Vespasiani animum, vt vexillarios è legionibus, ducémque Virdium Geminum, spectatæ militiæ, deligeret. Ille incompositum & prædæ cupidine vagum hostem adortus, cogit in naues: effectísque raptim Liburnicis, assequitur Anicetum in ostio fluminis Cohibi, tutum sub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia donísque ad societatem perpulerat. Ac primo rex, minis armísque supplicem tueri. Postquam merces proditionis, aut bellum ostendebatur, fluxa, vt est Barbaris, fide, pactus Aniceti exitium, perfugas tradidit, bellóque seruili finis impositus. Lætum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluentibus, Cremonensis prœlij nuntius in Ægypto assequitur. Eò propantius Alexandriam pergit, vt fracto Vitellij exercitu, vrbem quoque externæ opis indigam fame vrgeret. Namque & Africam, eodem latere sitam, terra marique inuadere parabat, clausis annonæ subsidiis, inopiam, ac discordiam hosti facturus. Dum hac totius orbis mutatione, fortuna imperij transit; Primus Antonius nequaquam pari innocentia, post Cremonam agebat: satisfactum bello ratus, & cetera ex facili: seu felicitas, in tali ingenio, auaritiam, superbiam, ceteráque occulta mala patefecit. vt captam Italiam persultare, vt suas legiones colere, omnibus dictis factísque viam sibi ad potentiam struere. vtque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines, legionibus offerebat. eo suffragio turbidissimus quisque delecti. nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur. quæ seditiosa, & corrumpendæ disciplinæ, mox in prædam vertebat, nihil aduentantem Mucianum veritus, quod exitiosius erat quàm Vespasianum spreuisse. Ceterùm propinqua hieme, & humentibus Pado campis, expeditum agmen incedere. Signa aquilæque victricium legionum, milites vulneribus aut ætate graues, plerique etiam integri, Veronæ relicti. suffic re cohortes alæque, & è legionibus lecti, profligato iam bello videbantur. Vndecima legio sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus, anxia quòd defuisset. Sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Ducebat Poppæus Siluanus consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum legionis legatum. Is Siluanum socordem bello, & dies rerum verbis terentem, specie obsequij regebat, ad omniaque quæ agenda forent, quieta cum industria aderat. Ad has copias, è classicis Rauennatibus legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti. Classem, Dalmatæ suppleuere. Exercitus ducésque ad Fanum Fortunæ iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quòd motas ex vrbe prætorias cohortes audierant, & teneri præsidiis Apenninum rebantur, & ipsos in regione bello attrita, inopia & seditiosæ militum voces terrebant, Clauarium (donatiui nomen est) flagitantium. nec pecuniam, aut frumentum prouiderant: & festinatio atque auiditas præpediebant, dum quæ accipi poterant, rapiuntur. celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus aduersus fas nefásque irreuerentiam fuisse, vt gregarius eques occisum à se proxima acie fratrem professus, præmium à ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cædem, ius hominum: aut vlcisci, ratio belli permittebat. Distulerant tanquam maiora meritum, quam quæ statim exsoluerentur. nec quidquam vltra traditur. Ceterùm, & prioribus ciuium bellis, pars scelus inciderat. Nam prœlio, quo apud Ianiculum aduersùm Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore, seipsum interfecit, vt Sisenna memorat. tanto acrior apud maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia fuit. Sed hæc aliaque ex veteri memoria repetita, quotiens res locúsque exempla recti: aut solatia mali poscent, haud absurdè memorabimus. Antonio ducibúsque partium, præmitti equites, omnémque Vmbriam explorari placuit, si qua Apennini iuga clementiùs adirentur: acciri aquilas signáque, & quidquid Veronæ militum foret: Padúmque & mare, commeatibus compleri. Erant inter duces, qui necterent moras. quippe nimius iam Antonius, & certiora ex Muciano sperabantur. Namque Mucianus tam celeri victoria anxius, & ni præsens vrbe poteretur, expertem se belli gloriæque ratus, ad Primum & Varum media scriptitabat, instandum cœptis, aut rursus cunctandi vtilitates edisserens: atque ita compositus, vt ex euentu rerum aduersa abnueret, vel prospera agnosceret. Plotium Griphum, nuper à Vespasiano in senatorium ordinem additum, ac legioni præpositum, ceterósque sibi fidos, apertiùs monuit. Iique omnes, de festinatione Primi ac Vari sinistrè, & Muciano volentia rescripsere. Quibus epistolis Vespasiano missis, effecerat, vt non pro spe Antonij, consilia factáque eius æstimarentur. Ægrè ad pati Antonius, & culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus euiluissent pericula sua, nec sermonibus temperabat, immodicus lingua, & obsequij insolens. litteras ad Vespasianum composuit, iactantiùs quàm ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: *Se Pannonicas legiones in arma egisse, suis stimulis excitos Mœsiæ duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Rhætorúmque auxilia. quod discordes dispersásque Vitellij legiones, equestri procella, mox peditum vi, per diem noctémque fudisset, id pulcherrimum, & sui operis. casum Cremonæ, bello imputandum. maiore damno, plurium vrbium excidiis, veteres ciuium discordias reipublicæ stetisse. non se nuntiis neque epistolis, sed manu & armis imperatori suo militare. neque officere gloriæ eorum, qui Asiam interim composuerint: illis Mœsiæ pacem, sibi salutem securitatémque Italiæ cordi fuisse. suis exhortationibus, Gallias Hispaniásque validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conuersas. sed cecidisse in irritum labores, si præmia periculorum soli assequantur, qui periculis non affuerunt.* Nec fefellêre ea Mucianum. Inde graues simultates, quas Antonius simpliciùs, Mucianus callidè, eóque implacabiliùs nutriebat. At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione, remedia potiùs malorum quàm mala differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viréque: cùm è contrario læta omnia fingeret, falsis ingrauescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium. prohibiti per ciuitatē sermones, eóque plures: ac si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgauerant. Nec duces hostium, augendæ famæ deerant, captos Vitellij exploratores, circumductósq; vt robora victoris exercitus noscerēt, remittendo quos omnes Vitellius secretò percunctatus, interfici iussit. Notabili cōstātia, cēturio Iulius Agrestis,

post multos sermones quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, vt ad vires hostium spectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentauit, sed mandata imperatoris suúmque animum professus: vt cuncta viseret, postulat. Missi qui locum prœlij, Cremonæ vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeauit, abnuentíque vera esse quæ referret, atque vltrò corruptum arguenti, *quandoquidem*, inquit, *magno documento opus est, nec alius iam tibi aut vita, aut mortis meæ vsus, dabo cui credas*. atque ita digressus, voluntaria morte dicta firmauit. Quidam iussu Vitellij interfectum, de fide constantiáque eadem tradidere. Vitellius vt è somno excitus, Iulium Priscum, & Alphenum Varum, cum XIIII. prætoriis cohortibus, & omnibus equitum alis obsidere Apenninum iubet. Secuta è classicis legio. tot millia armatorum, lecta equis virísque, si alius dux foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceteræ cohortes, ad tuendam vrbem L. Vitellio fratri datæ. Ipse nihil è solito luxu remittens, & diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat: fœdera sociis, Latium externis dilargiri: his tributa dimittere, alios immunitatibus iuuare, denique nulla in posterum cura, lacerare imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat, stultissimus quisque pecuniis mercabatur. Apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, salua republica poterant. Tandem, flagitante exercitu, qui Meuaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus animi, & infidis consiliis obnoxius. Concionanti (prodigiosum dictu) tantum fœdarum volucrum superuolitauit, vt nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disiecto sacrificij apparatu, longè, nec vbi feriri hostias mos est, confossus. Sed præcipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, improuidus consilij. quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendóve bello modus, alios rogitans, & ad omnes nuntios, vultu quoque & incessu trepidus, dein temulentus. Postremò tædio castrorum, & audita defectione Misenensis classis, Romam reuertit, recentissimum quodque vulnus pauens, summi discriminis incuriosus. Nam cùm transgredi Apenninum integro exercitus sui robore, & fessos hieme atque inopia hostes aggredi, in aperto foret: dum dispergit vires, acerrimum militem, & vsque in extrema obstinatum, trucidandum, capiendúmque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus, & si consulerentur, vera dicturis. Arcuere eos intimi amicorum Vitellij, ita formatis principis auribus, vt aspera quæ vtilia, nec quidquam nisi iocundum & læsurum acciperet. Sed classem Misenensem (tantum ciuilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Fauentinus centurio, per ignominiam à Galba dimissus, ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistolis pretium proditionis ostentans. præerat classi Claudius Apollinaris, neque fidei constans, neque strenuus in perfidia. & Apinius Tiro prætura functus, ac tum fortè Minturnis agens, ducem se defectoribus obtulit. à quibus municipia coloniæque impulsæ,

A præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio: contrà Capua Vitellio fida, municipalem æmulationem bellis ciuilibus miscebant. Vitellius, Claudium Iulianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit. data in auxilium vrbana cohors, & gladiatores, quibus Iulianus præerat. vt collata vtrimque castra, haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso, Tarracinam occupauere, mœnibus sitúque magis, quàm ipsorum B ingenio tutam. Quæ vbi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum præfectis prætorij relicta, L. Vitellium fratrem, cum sex cohortibus & quingentis equitibus, ingruenti per Campaniam bello opposuit. Ipse æger animi, studiis militum & clamoribus populi arma poscentis refouebatur: dum vulgus ignauum, & nihil vltra verba ausurum, falsa specie, exercitum & legiones appellat. Hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet, C dantes nomina sacramento adigit. Superfluente multitudine, curam delectus in consules partitur. Seruorum numerum, & pondus argenti senatoribus indicit. equites Romani obtulere operam pecuniásque, etiam libertinis idem munus vltrò flagitantibus. Ea simulatio, officia metu profecta, verterat in fauorem. Et plerique haud perinde Vitellium, quàm casum locúmque principatus miserabantur, nec deerat ipse vultu, voce, lacrymis misericordiam elicere, largus promissis, &, D quæ natura trepidantium est, immodicus. Quin & Cæsarem se dici voluit, aspernatus antea. sed tunc, superstitione nominis, & quia in metu consilia prudentium, & vulgi rumor iuxta audiuntur. Ceterùm vt omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, spatio languescunt, dilabi paulatim senatores, equitésque, primò cunctanter & vbi ipse non adesset, mox contemptim & sine discrimine, donec Vitellius pudore irriti cona- E tus, quæ non dabantur remisit. Vt terrorem Italiæ possessa Meuania, ac velut renatum ex integro bellum intulerat: ita haud dubium erga Flauianas partes studium, tam pauidus Vitellij discessus addidit. erectus Samnis, Pelignúsque, & Marsi, æmulatione, quòd Campania præuenisset, vt in nouo obsequio ad cuncta belli munia acres erant. Sed fœda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus: & vix quieto agmine niues eluctantibus, patuit quantum discriminis F adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertisset. quæ Flauianis ducibus non minus sæpè quàm ratio affuit. Obuium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu, & notitia locorum custodias Vitelli elapsum. Propinqua affinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiæ, eóque inter duces assumptus est. Flauio quoque Sabino, ac Domitiano patuisse effugiú, multi tradidere. Et missi ab Antonio nuntij, per varias fal- G lendi artes penetrabant, locum ac præsidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori & audaciæ valetudinem caussabatur. Domitiano aderat animus: sed custodes à Vitellio additi, quamquam se socios fugæ promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius, respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat. Duces partium, vt Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt: donec aquilæ, signaque legionum assequerentur. Et locus ipse castrorum placebat. latè prospectans, tuto

copia-

copiarum aggestu, florentissimis ponè tergum municipiis. Simul colloquia cum Vitellianis decem millium spatio distantibus, & proditio sperabatur. Ægrè id pati miles, & victoriam malle quàm pacem. ne suas quidem legiones opperiebantur, vt prædæ quàm periculorum socias. Vocatos ad concionem Antonius docuit, *esse adhuc Vitellio vires, ambiguas si deliberarent, acres si desperassent. Initia bellorum ciuilium fortunæ permittenda, victoriam consiliis & ratione perfici. Iam Misenensem classem & pulcherrimam Campaniæ oram desciuisse, nec plus è toto terrarum orbe reliquū Vitellio, quàm quòd inter Tarracinam Narniámque iaceat. Satis gloriæ prælio Cremonensi partum, & exitio Cremonæ, nimium inuidiæ. ne concupiscerent Romā capere potius, quàm seruare. Maiora illis præmia, & multò maximum decus, si incolumitatem senatui populóque Rom. sine sanguine quæsissent.* His & talibus mitigati animi. Nec multo pòst legiones venêre. Et terrore famáque aucti exercitus, vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmásque tradere donum victori, & sibi in posterum gratiam certabant. Per eos cognitum est, Interamnam proximis campis præsidio quadringentorum equitum teneri. Missus extemplò Varus, cum expedita manu, paucos repugnantium interfecit. plures, abiectis armis, veniam petiuere. quidam in castra refugi, cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiásque hostium, quo amissi præsidij dedecus lenirent. Nec vlla apud Vitellianos flagitij pœna: & præmiis defectorum, versâ fides. ac reliquum perfidiæ certamen; crebra transfugia tribunorum centurionúmque. Nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priscus & Alphenus, desertis castris ad vitellium regressi, pudore proditionis cunctos exsoluerent. Iisdem diebus, Fabius valens, Vrbini, in custodia interficitur. Caput eius Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam vlterà spem fouerent. nam peruasisse in Germanias valentem, & veteres illic nouósque exercitus ciere credebant. Visa cæde, in desperationem versi. & Flauianus exercitus, immane quantum animo exitium Valentis, vt finem belli accepit. Natus erat Valens Anagniæ, equestri familia, procax moribus, neque absurdus ingenio famam vrbanitatis per lasciuiam petere. ludicro Iuuenalium sub Nerone, velut ex necessitate, mox sponte mimos actitauit, scitè magis quàm probè. Legatus legionis, & fouit Verginium, & infamauit. Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiuerat, interfecit. Galbæ proditor, vitellio fidus, & aliorum perfidia illustratus. Abrupta vndique spe, vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine dedecore. sed sub signis vexillísque in subiectos Narniæ campos descendêre. Flauianus exercitus, vt ad prœlium intentus ornatúsque, densis circa viam ordinibus, adstiterat. Accepti in medium Vitelliani. & circumdatos, Primus Antonius clementer alloquitur. pars Narniæ, pars Interamnæ subsistere iussi. relictæ simul è victricibus legiones, neque quiescentibus graues, & aduersus contumaciam validæ. Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem, & pecuniam, & secreta Campaniæ, offerre Vitellio, si positis armis, seque ac liberos suos vespasiano permisisset. In eundem modum & Mutianus composuit epistolas: quibus

A plerumque fidere vitellius, ac de numero seruorum, electione litorum loqui. Tanta torpedo inuaserat animum, vt si Principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse obliuisceretur. At primores ciuitatis, Flauium Sabinum præfectum vrbis, secretis sermonibus incitabant, victoriæ famæq; partem capesseret. *Esse illi proprium militem cohortium vrbanarū. nec defuturas vigilum cohortes, seruitia ipsorum, fortunā partium, & omnia prona victoribus. ne Antonio Varóque de gloria concederet.*
B *Paucas Vitellio cohortes, & mæstis vndique nuntiis trepidas. populi, mobilem animum: & si se ducem præbuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. Ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem, adeò ruentibus debilitatum. gratiam patrati belli penes eum, qui vrbem occupasset. Id Sabino conuenire, vt imperium fratri reseruaret: id Vespasiano, vt ceteri post Sabinum haberentur.* Haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat, inualidus senecta.
C Erant qui occultis suspicionibus incesserent, tamquā inuidia & æmulatione fortunam fratris moraretur. Namque Flauius Sabinus ætate prior, priuatis vtriusq; rebus, auctoritate pecuniâq; Vespasianum anteibat. Et credebatur affectam eius fidem præiuuisse, domo agrísq; pignori acceptis. vnde, quamquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio, mitem virum abhorrere à sanguine & cædibus: eóque crebris cum vitellio sermonibus de pace, ponendísque per conditionem armis
D agitare. Sæpe domi congressi. postremò in æde Apollinis, vt fama fuit, pepigere. verba vocésque duos testes habebant, Cluuium Rufum & Silium Italicum. Vultus procul visentibus notabantur; Vitellij proiectus & degener, Sabinus nō insultās, & miseranti propior. Quòd si tam facilè suorum mentes flexisset vitellius, quàm ipse cesserat; incruentam vrbem vespasiani exercitus intrasset. Ceterùm vt quisq; vitellio fidus, ita pacem & cō-
E ditiones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes, & fidem in libidine victoris. *Nec tantam Vespasiano superbiam, vt priuatum Vitellium pateretur. ne victos quidem laturos. Ita periculum ex misericordia. Ipsum sanè senem, & prosperis aduersisq; satiatum. Sed quod nomen, quem statum filio eius Germanico fore? Nunc pecuniam, & familiam, & beatos Campaniæ sinus promitti. Sed vbi imperium Vespasianus inuaserit, non ipsi, non amicis eius, non deniq; exercitibus securitatem, nisi exstincto æmula-*
F *tu redituram. Fabium illis Valentem, captiuum & casibus dubiis reseruatum, prægrauem fuisse: nedum Primus ac Fuscus, & specimen partium Mucianus, vllam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeāt. Non à Cæsare Pompeiū, non ab Augusto Antonium incolumes relictos. Nisi fortè Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellij cliens, cùm Vitellius collega Claudio foret. Quin vt censuram patris, vt tres consulatus, vt tot egregiæ domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. perstare militem, superesse studia populi. Denique nihil*
G *atrocius euenturum, quàm in quod sponte ruant. moriendū victis, moriendum deditis. id solum referre, nouissimū spiritū per ludibrium contumelias effundāt an per virtutem.* Surdæ ad fortia consilia vitellio aures: Obruebatur animus miseratione curáque, ne pertinacibus armis, minùs placabilem victorē relinqueret coniugi ac liberis. Erat illi & fessa ætate parens, quæ tamen paucis antè diebus opportuna morte excidium domus præuenit. nihil prin-

cipatu filij assecuta, nisi luctũ & bonã famam. xv. Kal. Ianu. audita defectione legionis cohortiúmq;, quæ se Natniæ dediderant, pullo amictu palatio degreditur, mœsta circum familia. Simul ferebatur, lecticula paruulus filius, velut in funebrem pompain. voces populi blandæ & intempestiuæ. miles minaci silentio. Nec quisquam adeò rerum humanatum immemor, quem non commoueret illa facies, Romanum principem, & generis humani paulo antè dominum, relicta fortunæ suæ sede, per populũ, per vrbem, exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. Repentina vis dictatorem Cæsarem oppresserat, occultæ Caium insidiæ. nox & ignotum rus, fugam Neronis absconderãt. Piso & Galba, tamquam in acie ceciderе: in sua concione vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca & præsenti mæstitiæ congruentia locutus: *Cedere se pacis & Resp. caussa: retinerent tantùm memoriam sui, fratrémque & coniugem, & innoxiam liberorum ætatem miserarentur.* Simul filium protendens, modò singulis, modò vniuersis commendans, postremò fletu præpediente, assistenti consuli (Cæcilius Simplex erat) exsolutum à latere pugionem, velut ius necis vitæque ciuium, reddebat. Aspernante consule, reclamantibus qui in concione adstiterant, vt in æde Concordiæ posituтus insignia imperij, domúmque fratris petiturus, discessit. Maior hic clamor obsistentium penatibus priuatis, in palatium vocantium. interclusum aliud iter, idque solum quod in sacram viam pergeret, patebat. Tum consilij inops, in palatium rediit. Præuenerat rumor, eiurari ab eo imperium. Scripserátque Flauius Sabinus cohortium tribunis, vt militem cohiberent. Igitur tamquam omnis Resp. in vespasiani sinum cessisset, primores senatus, & plerique equestris ordinis, omnísq; miles vrbanus, & vigiles, domũ Flauij Sabini cõpleuere. Illuc de studiis vulgi, & minis Germanicarum cohortium affertur. Longiùs iam progressus erat, quàm vt regredi posset: & suo quisque metu, ne disiectos, eóque minus validos, vitelliani consectarentur, cunctantẽ in arma impellebant. Sed quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani, descendentibus qui Sabinum comitabantur armatis, occurrũt promptissimi vitellianorum. Modicum ibi prœlium, improuiso tumultu, sed prosperum vitellianis fuit. Sabinus, re trepida, quod tutissimum è præsentibus, arcem Capitolij insedit, mixto milite, & quibusdam senatorum equitúmque: quorum nomina tradere haud promptum est, quoniã victore vespasiano, multi id meritum erga partes simulauere. Subierunt obsidium etiam feminæ: inter quas maximè insignis, verulana Gracilia, neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. vitellianus miles, custodia socordi clausos circumdedit, eóque, concubia nocte, suos liberos Sabinus, & Domitianum fratris filium, in Capitoliũ acciuit. At Sabinus, misso per neglecta ad Flauianos duces nũtio, qui circumsideri ipsos, & ni subueniretur, artas res nuntiaret, noctem adeò quietam egit, vt digredi sine noxa potuerit. Quippe miles vitellij aduersus pericula ferox, laboribus & vigiliis parum intentus erat. Et hibernus imber repentè fusus, oculos auresq; impediebat. Luce prima Sabinus, antequam inuicem hostilia cœptarent, Cornelium Martialem è primipilaribus, ad vitellium misit, cum mandatis & questu, quòd pacta turbarẽtur. *Simulationem prorsus & imaginem deponẽdi imperij fuisse, ad decipiẽdos tot illustres viros. Cur enim è rostris, fratris domum imminentem foro, & irritandis hominum oculis, quàm Auentinum & penates vxoris petisset? Ita priuato, & omnem principatus speciem vitanti, conuenisse. Contrà, Vitelliũ in palatiũ, in ipsam imperij arcẽ regressum. Inde armatũ agmẽ emissum, stratam innocentium cædibus celeberrimã vrbis partem. ne Capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se, & vnum è senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium prœliis legionum, captiuitatib. vrbium, deditionibus cohortium iudicatur. Iam Hispaniis, Germaniisque, & Britãnia, desciscentibus, fratrẽ Vespasiani mãsisse in fide, donec vltrò ad cõditiones vocaretur. Pacem & concordiã victis vtilia: victoribus tantùm pulchra esse. Si conuentionis pœniteat; non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem. quantum occisis vno sene, & vno iuuene profici? Iret obuiam legionibus, & de summa rerum illic certaret. cetera secundum euentum prœlij cessura.* Trepidus ad hæc vitellius, pauca purgandi sui caussa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimio ardori imparem esse modestiam suam. Et monuit Martialem, vt per secretam ædium partem occultè abiret, ne à militibus internuntius inuisæ pacis interficeretur. Ipse neque iubendi, neque vetandi potens, non iam imperator, sed tantùm belli caussa erat. Vix dum regresso in Capitolium Martiale, furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor: cito agmine, forum & imminentia foro templa prætervecti, erigunt aciem per aduersum collem, vsque ad primas Capitolinæ arcis fores. Erant antiquitùs porticus in latere cliui, dextræ subeuntibus. In quarom tectũ egressi, saxis tegulisque Vitellianos obruebant. neque illis manus nisi gladiis armatæ, & arcessere tormenta, aut missilia tela, longũ videbatur. Faces in prominentem porticum iecere, & sequebantur ignem. ambustásque Capitolij fores penetrassent, ni Sabinus reuulsas vndique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. Tum diuersos Capitolij aditus inuadunt, iuxta lucum asyli, & quà Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Improuisa vtraque vis. propior atque acrior per asylum ingruebat. Nec sisti poterant, scandentes per coniuncta ædificia: quę, vt in multa pace, in altum edita, solum Capitolij æquabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obsessi, quæ crebrior fama est, quò nitentes ac progressos depellerent. Inde lapsus ignis in porticus, appositas ædibus. mox sustinentes fastigium Aquilæ, vetere ligno, traxerunt flammam, aluerúntque. Sic Capitolium, clausis foribus, indefensum & indireptum, conflagrauit. Id facinus post conditam vrbem luctuosissimum fœdissimúmque pop. Rom. accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis. Sedem Iouis optimi maximi, auspicatò à maioribus pignus imperij conditam, quam non Porsena dedita vrbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore principum exscindi? Arserat & antè Capitolium ciuili bello, sed fraude priuata. Nũc palàm obsessum, palàm incensum. quibus armorum caussis, quo tantæ cladis pretio pro patria bellauimus? Vouerat Tarquinius Priscus rex, bello Sabino, iecerátque fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quàm quò modicæ adhuc Pop. Rom. res sufficerent. Mox Seruius Tullius

sociorum

[illegible] de Tarquinio [illegible] [illegible] Horatius [illegible] magnificentia [illegible] postea Pop. [illegible] quam augerent. Iisdem [illegible] Cos. flagrauerat. Curam victor Sulla [illegible] dedicauit, hoc solum felicitati [illegible] Lutatij Catuli nomen, inter [illegible] opera, vsque ad Vitellium mansit. [illegible] cremabatur. Sed plus pauoris obsessis, quam obsessoribus intulit. Quippe Vitelliani [illegible] neque constantia, inter dubia [illegible]. Ex diuerso, trepidus miles, dux segnis, [illegible] animi, non lingua, non auribus [illegible] neque alienis consiliis regi, neque [illegible] huc illuc clamoribus hostium [illegible] iusserat vetare, quæ vetuerat iu[illegible] perditis rebus accidit, omnes [illegible] exsequi, postremò abiectis at[illegible] circumspectabant. [illegible] Vitelliani, & cuncta sanguine, ferro, [illegible]. Pauci militarium virorum, [illegible] insignes, Cornelius Martialis, [illegible] Calpurnius Niger, Didius Scæua [illegible] Flauium Sabinum [illegible] neque fugam cœptantem, circumsistunt, & Quinctium Atticum consulem [illegible] & suamet vanitate monstratum, [illegible] populum pro Vespasiano magni[illegible] aduersus Vitellium iecerat. Cæteri [illegible] casus elapsi, quidam seruili habitu, [illegible] contecti, & inter sarcinas ab[illegible] excepto Vitellianorum signo, [illegible] audaciam pro latebra haberent. [illegible] prima irruptione apud æditnum [illegible] solertia liberti, lineo amictu turbæ sa[illegible] ignoratusque, apud Cor[illegible] paternum clientem, iuxta Ve[illegible]. Ac potiente rerum patre, disi[illegible] contubernio, modicum sacellum Io[illegible] [illegible] aramque posuit, ca[illegible] in marmore expressit. Mox imperium [illegible] CVSTODI templum ingens, [illegible] sinu dei sacrauit. Sabinus & Atticus onerati [illegible], & ad Vitellium ducti, neque [illegible] vultuque excipiuntur [illegible] cædis, & præmia nauatæ operæ, petente [illegible] prouincijs [illegible], sordida pars plebis [illegible] Sabini exposcit, minas adulationesque [illegible]. Stantem pro gradibus palatij Vitellium [illegible] & preces parantem, peruicere [illegible]. [illegible] confossum conlaceratumque, & [illegible] truncum corpus Sabini, in Gemonias [illegible]. Hic exitus viri [illegible] & xxx. stipendia [illegible] clarus. Innocentia [illegible] argueres: sermonis nimius [illegible] annis, quibus Mœsiam [illegible] vrbis obtinuit, [illegible] vitæ, alij segnem, multi [illegible] & ciuium sanguinis parcum credidere [illegible] consisteret, ante principatum Vespasiani, decus domus penes Sabinum [illegible] lætam fuisse Muciano accepimus [illegible] consultum, di[illegible]

A pta æmulari ne inter duos, quorum alter [illegible] imperaturus, alter consortem imperij [illegible]. Sed Vitellius consulis supplicium poscenti [illegible] placatus, & velut vicem redden[illegible], quod interrogantibus quis Capitolium incendisset, [illegible] Atticum [illegible]. Eaque confessione, [illegible] tempori [illegible] inuidiam [illegible] agnouisse, & a parte Vitelliani amolitus [illegible]. Iisdem diebus L. Vitellius,

B positis apud Feroniam castris, excidio Terracinæ imminebat: clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non [illegible] egredi mœnium, neque periculum in aperto audebant. Præerat, vt suprà memorauimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lasciuia socordiaque gladiatorum magis, quàm ducum [illegible]. Non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi, & amœna litorum personantes, [illegible] ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter

C conuiuia loquebantur. Paucos ante dies, discesserat Apinius Tiro: donisque ac pecunijs acerbè per municipia conquirendis, plus inuidiæ quàm virium partibus addebat. Interim ad Vitellium seruus Vergilij Capitonis perfugit, pollicitusque si præsidium acciperet, vacuam arcem furtim traditurum, multa nocte cohortes expeditas summis montium iugis, super caput hostium sistit: inde miles ad cædem magis, quàm ad pugnam decurrit. Sternunt inermes, aut arma capientes,

D & quosdam somno excitos, cùm tenebris, pauore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. Pauci gladiatorum resistentes, neque inulti cecidere. Ceteri ad naues ruebant, vbi cuncta pari formidine implicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicæ inter primum tumultum euasere, in quis præfectus classis Apollinaris: reliquæ in litore captæ, aut nimio ruentium onere pressas

E mare hausit. Iulianus ad L. Vitellium perductus, & verberibus fœdatus, in ore eius iugulatur. Fuere, qui vxorem L. Vitellij Triariam incesserint, tamquam gladio militari cincta, inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbè sæuèque egisset. Ipse lauream prosperè gestæ rei ad fratrem misit: percunctatus [illegible] perdomandæ Campaniæ [illegible]. Quod salutare, non modò partibus Vitellij [illegible] fuit. nam si recens victoria [illegible] tam peruicaciam [illegible] Romam

F [illegible] haud parua mole certatum, nec sine exitio [illegible] quippe L. Vitellio, quamuis infami, inerat industria: [illegible] virtutibus, vt boni, sed quo modo pessimus quisque vitijs valebat. Dum hæc in partibus Vitellij geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus, festos Saturni dies, Ocriculi per otium agitabat. Caussa tam prauæ moræ, vt Mucianum opperirentur. Nec defuere qui Antonium [illegible] arguerent, tamquam [illegible] cum [illegible], post [illegible] Vitellij [illegible] consulatum & [illegible] do[illegible]

G [illegible] proditionis officia. Alij [illegible], & in gratiam Muciani [illegible] Quidam, [illegible] ducum consilium fuisse, [illegible] potius [illegible] bellum quàm inferre: quando validissimæ cohortes à Vitellio desciuerant, & abscisis omnibus præsidiis, cessurus [illegible] videbatur. Sed cuncta festinatio [illegible] Sabini corrupta: [illegible] munitissimam Capitolij arcem [illegible]

quidem [illegible] is expugnabilem, adue[illegible] ius [illegible] cohortes tenui nequiisset. Haud facile quis [illegible] culpam, quæ omnium fuit. nam [illegible] ambiguis epistolis, vi[illegible] res mora- [illegible] Antonius, præpostero obsequio, vel dum [illegible] eriatem meruit, ceterique du- [illegible] dum peractum bellum putant, finem eius [illegible]. Ne Petilius quidem Cerialis, cum [illegible] equitibus præmissus, vt transuersis itineri- [illegible] per agrum Sabinum Salaria via vrbem in- [illegible] satis maturauerat: donec obsessi Capito- [illegible] fama cunctos simul exciret. Antonius per [illegible] laminiam ad Saxa rubra, multo iam noctis, se- [illegible] rum auxilium venit. Illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, [illegible] re vrbem, mæsta omnia accepit: plebem quoque & seruitia pro Vitellio armari, nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre prœlium aduersum fuerat. namque in- cautum & tanquam ad victos ruentem, Vitel- liani interiectus equiti pedes excepere. pugnatum haud procul vrbe, inter ædificia hortosque, & anfractus viarum, quæ gnara Vitellianis, incom- perta hostibus, metum fecerant. neque omnis e- ques concors, adiunctis quibusdam, qui nuper apud [illegible] dediti, fortunam partium specu- labantur. capitur præfectus alæ Tullius Flaui- nus. ceteri fœda fuga consternantur. non vltra Fidenas secutis victoribus. Eo successu studia po- puli aucta. Vulgus vrbanum arma cepit. Paucis scuta militaria, plures, raptis quod cuique ob- uium telis, signum pugnæ exposcunt. Agit gra- tes Vitellius, & ad tuendam vrbem prorumpere iubet. Mox vocato senatu, deliguntur legati ad exercitus, vt prætextu Reipub. concordiam pa- cemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum dis- crimen adiere, aspernante milite conditiones pa- cis. Vulneratur prætor Arulenus Rusticus. au- xit inuidiam, super violatum legati prætorisque nomen, propria dignatio viri. Palantur comites. occiditur proximus lictor, dimouere turbam au- sus, & ni dato à duce præsidio defensi forent, sa- crum etiam inter exteras gentes legatorum ius, ante ipsa patriæ mœnia, ciuilis rabies vsque in e- xitium temerasset. Æquioribus animis accepti sunt qui ad Antonium venerant, non quia mode- stiores miles, sed duci plus auctoritatis. Miscue- rat se legatis Musonius Rufus equestris ordi- nis, studium philosophiæ, & placita Stoicorum æmulatus. Cœptabatque permixtus manipulis, bona pacis, ac belli discrimina differens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus tædio. nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque, & aliis mi- nitantibus, omisisset intempestiuam sapien- tiam. Obuiæ fuere [illegible] virgines vestales, cum epi- stolis Vitellij ad Antonium scriptis. Eximi su- premo certamini vnum diem postulabant. si mo- ram interiecissent, facilius omnes conuentu[illegible] [illegible] cum honore [illegible], vt ho[illegible] [illegible] Sabini cæde, & incendio Capitolij [illegible] tempta belli commer[illegible] enauit tamen Ant[illegible] [illegible] vocatas ad concion[illegible] legiones [illegible] gare, v[illegible] [illegible] tris iuxta pontem Miluium positi [illegible] postera di[illegible] [illegible] ingrederentur. [illegible] [illegible] ne aspe[illegible] [illegible] prœli[illegible] [illegible] populo, n[illegible] senat[illegible] [illegible] pla[illegible] ac [illegible] delubra deorum [illegible]. Sed [illegible] tion[illegible] vt [illegible] [illegible] tur [illegible].

A colles vexilla, quamquam imbellis populus se- queretur, ipse enim Tullius [illegible] exercitus [illegible] tripartito agmine pars vt astiterat, Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit, tertium agmen per Salariam [illegible] Collinæ portæ propinquabat. ple- bes, inuectis equitibus fusa. Miles Vitellia- nus & ipse præsidijs occurrit. Prœlia ante vrbem multa, & varia sed Flauianis consilio ducum præstantibus, sæpius prospera. Ij tantum B fatigati sunt, qui in partem sinistram vrbis ad Sallustianos hortos, per angusta & lubrica [illegible] rum flexerant. Superstantes mac[illegible] rum Vitelliani, ad serum vsque diem, [illegible] lisque subeuntes arcebant. donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumuenirentur. Concurrere & in campo Martio infestæ acies. Pro Flauianis fortuna, & parta toties vi- ctoria: Vitellianos desperatio sola ruebant. & quamquam pulsi, rursus in vrbe congregaba- C tur. Aderat pugnantibus spectator populus, [illegible]tque in ludicro certamine, hos modo, rursus il- los clamore & plausu fouebat: quoties pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut si q[illegible] in domum perfugerant, erui iugularique expo- stulantes, parte maiore prædæ potiebantur. Nam milite ad sanguinem & cædes obuerso, spolia in vulgus cedebant. Sæua ac deformis vrbe tota facies. alibi prœlia & vulnera, alibi balneæ popi- næque. Simul cruor & strues corporum. iux- D ta scorta, & scortis similes: quantum in luxu- rioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captiuitate scelerum: prorsus, vt eandem ciui- tatem, & furere crederes, & lasciuire. Conflixerant antè armati exercitus in vrbe, bis L. Sul- la, semel Cinna, victoribus, nec tunc minus crudelitatis. nunc inhumana securitas; & ne mi- nimo quidem temporis, voluptates intermissæ, velut festis diebus id quoque gaudium accede- ret, exsultabant, fruebantur, nulla parti im cu- E ramalis publicis læti. Plurimum molis in op- pugnatione castrorum fuit, quæ acerrimus quis- que vt nouissimam spem retinebant. Eo inten- tius victores, præcipuo veterum cohortium stu- dio, cuncta validissimarum vrbium excidiis re- perta, simul admouent, testudinem, tormen- ta, aggeres, facésque: quidquid tot prœliis la- boris ac periculi hausissent, opere illo consum- mari clamitantes. Vrbem senatui ac pop. Rom. templa diis reddita; proprium esse militis de- F cus, in castris: illam patriam, illos penates. ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani, quamquam numero, fatóque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore fœdare, suprema victis solatia complectebantur. Multi semianimes, su- per turres & propugnacula mœnium, exspira- uere. Conuulsis portis, reliquus globus obtu- lit se victoribus: & cecidere omnes contrariis vul- G neribus, versi in hostem. Ea cura etiam morien- tibus decori exitus fuit. Vitellius capta vrbe, per auersam palatij partem, Auentinum in domum vxoris sellula defertur: vt si diem latebra vi- tauisset, Tarracinam ad cohortes fratrémque per- fugeret. Dein mobilitate ingenij, & quæ natura pauoris est, cum omnia metuenti, præsentia maximè displicerent, in palatium regreditur, vastum desertumque, [illegible]lapsis etiam infimis ser- [illegible] occursum [illegible] declinantibus. Ter- [illegible] [illegible] [illegible] clausa in- horrescit.

[illegible] vacuis. fessúsque misero errore, & pudenda latebra semet occultans, ab Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur. Vinctæ ponè tergum manus: laniata veste, fœdum spectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrymante. deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obuius è Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum appetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputauit, ac statim confossus est. Vitellium infestis mucronibus coactum, modò erigere os & offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra, & Galbæ occisi locum contueri: postremò ad Gemonias, vbi corpus Flauij Sabini iacuerat, propulere. Vox vna non degeneris animi excepta, cùm tribuno insultanti, se tamen imperatorem eius fuisse respondit. Ac deinde ingestis vulneribus, concidit. Et vulgus eadem prauitate insectabatur interfectum, qua fouerat viuentem. Patria illi L[illegible]. septimum & quinquagesimum annum explebat: consulatum, sacerdo- A tia, nomen locúmque inter primores, nulla sua industria. Sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipsum non nouerant. Studia exercitus, raro cuiquam bonis artibus quæsita, erudè affuere, quam huic per ignauiam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas: quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias dum magnitudine munerum, non constantia morum continere putat, meruit magis quàm habuit. B Reip. haud dubiè intererat, Vitellium vinci. Sed imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cùm à Galba desciuissent. Præcipiti [illegible] occasum die, ob pauorem magistratuum senatorúmque qui dilapsi [illegible] vrbe, aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum, & Cæsarem consalutatum, miles frequens, vtque erat in armis, in paternos penates deduxit. C

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV NERONIS HISTORIARVM

LIBER IV.

INTERFECTO Vitellio, bellum magis desierat, quàm pax cœperat. Armati per vrbem victores, implacabili odio, victos consectabantur, plenæ cædibus viæ, cruenta fora templáque, passim trucidatis, vt quemque fors obtulerat. Ac mox, augescente licentia, scrutari, ac protrahere abditos. [illegible] quem procerum habitu & iuuenta, conspexerant, obtruncare, nullo militum, aut populi [illegible] crimine. quæ sæuitia, recentibus odiis, sanguine explebatur, dein verterat in auaritiam. Ni[illegible]squam secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes. Initium id perfringendarum domuum: vel si resisteretur, caussa cædis. nec deerat egentissimus quisque ex plebe. & pessimi seruitiorum prodere vltrò dites dominos. alij ab amicis monstrabantur. Vbique lamenta, conclamationes, & fortuna captæ vrbis, adeò vt Othoniani Vitellianique militis inuidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo ci[illegible] bello acres, temperandæ victoriæ impares. Quippe in turbas & discordias pessimo cuique plurima vis, pax & quies, bonis artibus indigent. Nomen sedémque Cæsaris, Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris & [illegible] filium principis agebat. Præf[illegible] penes Arrium Varum. Summa p[illegible] Antonio. is pecuniam familiámque è p[illegible] domo, quasi Cremonensem præd[illegible] modestia vel ignobilitate, vt in bello [illegible] præmiorum expertes. Ciuitas pau[illegible] pirio parata, occupatam Tarracinam [illegible] Vitellium cum cohortibus, extinguique [illegible] belli, postulabat. Præmissi Ariciam equi[illegible] men legionum, intra Bouillas stetit. Nec [illegible] [illegible]tus est Vitellius [illegible] seque & cohortes ar[illegible] [illegible]oris p[illegible] D minus ira, quàm metu abiecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per vrbem incessit. Nemo supplici vultu, sed tristes & truces, & aduersum plausus ac lasciuiam insultantis vulgi immobiles. paucos erumpere ausos, circumiecti pressere. ceteri in custodiam conditi. Nihil quisquam locutus indignum, & quanquam inter aduersa, salua virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius, E quàm a[illegible] abstractus. Iisdem diebus Lucilius Bassus, [illegible] expedito equite, ad componendam Campaniam mittitur, [illegible]iscordibus municipiorum animis, magis in[illegible] [illegible]et, quàm contumacia aduersus Principem. Vi[illegible] [illegible] milite, quies, & minoribus coloniis [illegible]unitas. Capuæ, legio tertia hiemandi [illegible] locatur: & domus illustres afflictæ, [illegible] contra, Tarracinenses nulli [illegible] fuit. Tanto pro[illegible] [illegible]tius est iniuriæ quàm [illegible] exsoluere: quia gratia oneri, F vltio in quæstu habetur. Solatio fuit seruus Verginij Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo affixus, in [illegible] annulis, quos acceptos à Vitellio gestabat. At Romæ senatus cuncta principibus solita, Vespasiano decernit, lætus & spei [illegible]. quippe, sumpta per Gallias Hispaniásque ciuilia arma, motis ad bellum Germaniis, mox Illyrico: postquam Ægyptum, Iudæam, Syriámque [illegible] prouincias exercitúsque lustrauerant, [illegible] expiato terrarum G orbe, cepisse finem videbantur. Addidere [illegible] tatem Vespasiani litteræ, tanquam [illegible] bello scriptæ ea [illegible] forma. [illegible] princeps [illegible], ciuilia de se, & Rep. [illegible] n[illegible] natu [illegible] equitum de[illegible] Ipsi consulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & consulare imperium decern[illegible], Mu[illegible] & M[illegible]

[illegible] epistolas [illegible] [illegible] riam scri[illegible] A bus præbuere. [illegible] publice loqueretur, potuisse eadem, pau[illegible] post dies loco sententiæ dici. ipsa quoque [illegible]tio in Vitellium, seua & sine libertate. id verò erga Remp. [illegible] principem contumeliosum, quòd in manu sua [illegible] imperium, donatúmque Vespasiano iactabat. Cæterùm inuidia, in occulto: adulatio in aperto, erât. Multo cum honore verborum, Muciano triumphalia de bello ciuili data. B Sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco, & Arrio Varo, prætoria insignia. Mox deo [illegible] re. restitui placuit Capitolium. Eaque omnia Valerius Asiaticus, consul designatus, censuit. Ceteri, vu[illegible] manu [illegible]; pauci quibus cons[illegible] dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus assentiebantur. vbi ad Helu[illegible]um Priscum prætorem designatum ventum, [illegible] nplit sen[illegible], vt honorificam in bonum C principem. Falsa aberant, & studiis senatus attollebatur. Isque præcipuus illi dies, magnæ offensæ initium & magnæ gloriæ fuit. Res posce re videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri sæpius memorandi, vt vitam, studiaque eius & quali fortuna sit vsus, paucis repetam. H[illegible] [illegible]us, regione Italiæ Tarracinæ municipio, Cluuio patre qui ordinem primipili duxerat, in[illegible]nium illustre altioribus studiis iuuenis admodum dedit. non vt plerique, vt nomine magnifico segne otium velaret, sed quò firmior aduersus fortuita, Rempub. capesseret. doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia: potentiam, nobilitatem, ceteráque extra animum, neque bonis neque malis annumerant. Quæstorius adhuc, à Pæto Thrasea gener delectus, è moribus soceri nihil æquè ac libertatem hausit, ciuis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æqua[illegible]lis, opum contemptor, recti peruicax, constans aduersus metus. Erant quibus appetentior famæ videretur: quando etiam sapientibus, cupido gloriæ, nouissima exuitur. Ruina soceri, in exsilium pulsus, vt Galbæ principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseæ accusare aggreditur. Ea vltio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat. Nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen, & egregiis orationibus vtrinque testatum. Mox dubia voluntate Galbæ, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus [illegible]anis, vt sunt hominum ingenia, sermonibus, moderationem laudantium, aut constantiam requirentium. Ceterum eo senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad [illegible] legatos. Hinc inter Heluidium, & Eprium, acre iurgium. Priscus eligi nominatim à magistratibus iuratis, M[illegible]cellus vrnam postulabat, quæ consulis designati s[illegible] erat. S[illegible] [illegible]ell[illegible] studium proprius rubo[illegible] citabat, ne a[illegible] [illegible]ctis posthabitus cr[illegible]tur. Paulatímque [illegible]cationem, ad con[illegible] infestas [illegible] prouecti sunt, quærente Heluidio, *quid ita Marcellus iudicium ma[illegible] [illegible]atuum pauesceret esse [illegible] pe[illegible]am, [illegible] [illegible] [illegible], quæ multis anteire [illegible] [illegible] [illegible]r. Sorte & vrna, mores [illegible] [illegible] [illegible]x[illegible] æstimationem senatus [illegible] [illegible] [illegible] famámque penetraren[illegible] ad [illegible] Reip. pertinere ad [illegible]* A *siani honorem, occurrere illi quos [illegible] aurus habeat, qui honestis sermonibus au[illegible] imperatoris imbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam [illegible] Thraseæ, Sorano, Sentio: quorum accusatores, etsi [illegible] non oporteat, ostentari non debere. hoc senatus iudicio, velut admoneri principem, quos probet, quos reformidet. nullum maius boni imperij instrumentum, quàm bonos amicos. Esse satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit. Frueretur præmiis & impunitate, Vespasianum melioribus* B *relinqueret.* Marcellus, non suam sententiam impu[illegible], sed consulem designatum censuisse dicebat. [illegible] dum vetera exempla, quæ sortem legationibus [illegible] fuissent, ne ambitioni aut inimicitiis locu[illegible] for[illegible] *Nihil euenisse cur antiquitus instituta exolescerent, aut principis honor in cuiusquam contumeliam [illegible]teretur. sufficere omnes obsequio: id magis vitandum, ne pernicacia quorundam irritaretur animus, nouo principatu suspensus, & vultus quoque ac sermones omnium* C *circumspectans. Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam ciuitatis formam patres auique instituerint: vlteriora mirari, præsentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam, quàm iudicio senatus afflictum. Sæuitiam Neronis, per huiusmodi imagines illusisse, nec minus sibi anxiam talem amicitiam, quàm aliis exsilium. Denique, constantia, fortitudine, Catonib. & Brutis æquaretur Heluidius: se vnum esse ex illo senatu, qui simul seruierit. suadere etiam Prisco, ne supra* D *principem scanderet, ne Vespasianum senem triumphalem, iuuenum liberorum patrem præceptis coerceret. Quo modo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamuis egregiis modum libertatis placere.* Hæc magnis vtrimque contentionibus iactata, diuersis studiis accipiebantur. Vicit pars quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum annitentibus retinere morem. Et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu inuidiæ si ipsi eligerentur. Secutum aliud certamen. Prætores ærarij, nam E tum à prætoribus tractabatur ærarium, publicam paupertatem questi, modum impensis postulauerant. Eam curam consul designatus, ob magnitudinem oneris, & remedij difficultatem, principi reseruabat. Heluidius, arbitrio senatus agendum censuit. Cùm perrogaret sententias co[illegible], Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit ne quid super tanta re, principe absente, statueretur. censuerat Heluidius, vt Capitolium publicè resti- F tueretur, adiuuaret Vespasianus. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde obliuio[ne] [trans]misit. Fuere, qui & meminissent. Tum inu[illegible] Musonius Rufus in Publium Celerem, à q[illegible] Bareæ[illegible]n Soranum falso testimonio circumuentum arguebat. Ea cognitione renouari odia accusationum videbantur. sed vilis & nocens reus, protegi non poterat. Quippe Sorani sancta memoria. C[illegible] [illegible] professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptórque amici, & cuius se magistrum ferebat. Proximus dies, caussæ destinatur. N[illegible] Musonius aut Publius, quàm Priscus & M[illegible] [illegible] [illegible]siqu[illegible] motis ad vltionem animis [illegible] [illegible]r. Tali rerum statu, cùm discordia in[illegible] patr[illegible] apud vi[illegible]os, nulla in victoribus [illegible]ritas, nulli [illegible], non princeps in ciuitate [illegible] Mu[illegible]an[illegible] [illegible] ingressus cuncta simul in[illegible] xit. fracta [illegible] Antonij Variique Arrij potent[illegible] male [illegible] in [illegible]os Muciani iracundia, q[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]tas cum[illegible] offensi[illegible] [illegible] [illegible]e [illegible]tq. [illegible]abiri, col[illegible]

deerat ipse, stipatus armatis, domos hortósq; permutans, apparatu, incessu, excubiis, vim Principis complecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit cædes Calpurnij Galeriani. Is fuit filius C. Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne, & decôra ipsi iuuenta, rumore vulgi celebrabantur. Erántq; in ciuitate adhuc turbidâ, & nouis sermonibus lætâ, qui principatus inanem ei famam circumdarent. Iussu Muciani, custodiâ militari cinctus, ne in ipsâ vrbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab vrbe lapidem, viâ Appiâ, fusu per venas sanguine extinguitur. Iulius Priscus, prætoriarum sub vitellio cohortium præfectus, se ipsum interfecit, pudore magis quàm necessitate, Alphenus varus, ignauiæ infamiæque suæ superfuit Asiaticus (is enim libertus) malam potentiam, seruili supplicio, expiauit. Iisdem diebus, crebrescentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mæsta ciuitas excipiebat. cæsos exercitus, capta legionum hiberna, desciuisse Gallias, non vt mala loquebantur. Id bellum quibus caussis, ortum, quanto externarum sociarúmque gentium motu flagrauerit, altiùs expediam. Bataui donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simúlque insulam inter vada sitam occupauere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: nec opibus Romanis, societate validiorum attriti, viros tantùm armáque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto, nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equósque retinens, integris turmis, Rhenum perrumpere. Iulius Paullus, & Claudius Ciuilis, regia stirpe, multò ceteros anteibant. Paullum Fonteius Capito, falso rebellionis crimine ioterfecit. Iniectæ Ciuili catenæ, missúsque ad Neronem, & à Galba absolutus, sub vitellio rursus discrimen adiit, flagitante supplicium eius exercitu. Inde caussæ irarum, spésque ex malis nostris. Sed Ciuilis, vltra quàm barbaris solitum, ingenio sollers, & Sertorium se aut Hannibalem ferens, simili oris dehonestamento, ne vt hosti obuiam iretur, si à populo Romano palam desciuisset, vespasiani amicitiam, studiúmque partium prætendit. missis sanè ad eum Primi Antonij litteris, quibus auertere accita à vitellio auxilia, & tumultus Germanici specie, retentare legiones iubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus præsens monuerat, inclinato in vespasianum animo, & Reip. cura, cui excidium aduentabat, si redintegratum bellum, & tot armatorum millia Italiam irrupissent. Igitur Ciuilis desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex euentu iudicaturus, nouare res hoc modo cœpit. Iussu vitellij, Batauorum iuuentus ad delectum vocabatur: quem suapte natura grauem, onerabant ministri auaritia ac luxu, senes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent. rursus impubes, sed forma conspicui (& est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc inuidia, & compositi seditionis auctores, perpulere vt delectum abnuerent. Ciuilis primores gentis, & promptissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, vbi nocte ac lætitia incaluisse videt, à laude gloriáque gentis orsus, iniurias & raptus, & cetera seruitij mala e-

A numerat. *Neque enim societatem vt olim, sed tamquam mancipia haberi. Quando legatum, graui quidem comitatu, & superbo cum imperio, venire? tradi se præfectis centurionibúsque, quos vbi spoliis & sanguine expleuerint, mutari, exquirique nouos sinus, & varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut supremum diuidantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quàm prædam & senes. attollerent tantùm oculos, & inania legionum no-*
B *mina ne pauescerent. esse sibi robur peditum equitúmque, consanguineos Germanos: Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriæ rationem non reddi.* Magno cum assensu auditus, barbaro ritu, & patriis exsecrationibus, vniuersos adigit. Missi ad Canninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute, par Batauis: numero superantur. Mox occultis nuntiis, pellexit Britannica au-
C xilia, Batauorum cohortes, missas in Germaniam, vt suprà rettulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Caninefatibus, stolidæ audaciæ Brinio, claritate natalium insigni. pater eius multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium impunè spreuerat. Igitur ipso rebellis familiæ nomine placuit, impositúsque scuto, more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux deligitur. Statímque accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, O-
D ceano irrumpit. Nec præuiderant impetum hostium milites: nec si præuidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur & direpta castra, dein vagos & pacis modo effusos lixas, negotiatorésque Romanos, inuadunt. Simul excidiis castellorum imminebant. quæ à præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexilláque, & quod militum, in superiorem insulæ partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus, quàm robur. Quippe viri-
E bus cohortium abductis, Vitellius è proximis Neruiorum Germanorúmque pagis, segnem numerum armis onerauerat. Ciuilis dolo grassandum ratus, incusauit vltrò præfectos, quòd castella deseruissent: se cum cohorte qui præerat, Caninefatem tumultum compressurum. illi sua quisque hiberna repeterent. Subesse fraudem consilio, & dispersas cohortes faciliùs opprimi, nec Brinionem ducem eius belli, sed Ciuilem esse pa-
F tuit: erumpentibus paulatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultauerant. vbi insidiæ parum cessere, ad vim transgressus, Caninefates, Frisios, Batauos propriis cuneis componit. directa ex diuerso acies, haud procul à flumine Rheno, & obuersis in hostem nauibus, quas incensis castellis illuc appulerant. nec diu certato, Tungrorum cohors signa ad Ciuilem transtulit: perculsique milites improuisa proditio-
G ne, à sociis hostibúsque cædebantur. Eadem etiam nauibus perfidia. Pars remigum è Batauis, tamquam imperitia, officia nautarum propugnatorúmque impediebant. mox contrà tendere, & puppes hostili ripæ obiicere. ad postremum gubernatores centurionésque, nisi eadem volentis, trucidant. donec vniuersa quatuor & viginti nauium classis, transfugeret, aut caperetur. Clara ea victoria in præsens, in posterum vsui: armáque & naues, quibus indigebant, adepti, magna per Germanias Galliásque fama, libertatis auctores ce-

lebrabantur. Germaniæ statim misere legatos, auxilia offerentes. Galliarum societatem, Cioilis arte donisque affectabat, captos cohortium præfectos suas in ciuitates remittendo: cohortibus abire an manere mallent data potestate. manentibus, honorata militia: digredientibus, spolia Romanorum offerebantur. Simul, secretis sermonibus, admonebat malorum, quæ tot annis perpessi: *Miseram seruitutem falso pacem vocarent. Batauos quãquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse. prima acie, fusum victúmque Romanum: quid si Galliæ iugum exuant? quantum in Italia reliquum? prouinciarum sanguine, prouincias vinci. ne Vindicis aciem cogitarent: Batauo equite, protritos Aeduos Aruernósque. fuisse inter Verginij auxilia, Belgas. veréque reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito si quid militaris disciplinæ in castris Romanorum viguerit. esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Seruirent Syria, Asiáque, & suetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia viuere, ante tributa genitos. Nuper certe, cæso Quinctilio Varo, pulsam è Germania seruitutem. Nec Vitellium principem, sed Cæsarem Augustum bello prouocatum. Libertatem natura, etiam mutis animalibus, datam. Virtutem proprium hominis bonum. Deos fortioribus adesse. Proinde arriperent vacui, occupatos: integri, fessos. dum alij Vespasianum, alij Vitellium foueant, patere locum aduersus vtrumque.* Sic in Gallias Germaniásque intentus, si destinata prouenissent, validissimarum ditissimatúmque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordonius, primos Ciuilis conatus, per dissimulationem aluit. Vbi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batauorum insula Romanorum nomen, trepidi nuntij afferebant: Mumium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis præerat) egredi aduersus hostem iubet. Lupercus legionarios è præsentibus, Vbios è proximis, Treuerorum equites, haud longè agentes, raptim transmisit: addita Batauorum ala, quæ iam pridem corrupta, fidem simulabat, vt proditis in ipsa acie Romanis, maiore pretio fugeret. Ciuilis captarum cohortium signis circumdatus, vt suo militi recens gloria ante oculos, & hostes memoria cladis terrerentur: matrem suam, sororesque, simul omnium coniuges paruósque liberos, consistere à tergo iubet: hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem. Vt virorum cantu, feminarum vlulatu, sonuit acies; nequaquam par à legionibus, cohortibúsque redditur clamor. Nudauerat sinistrum cornu Batauorum ala transfugiens, statimque in nos versa. sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinésque retinebat. Vbiorum Treuerorúmque auxilia, fœda fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus, in castra, quibus Veterum nomen est. Præfectus alæ Batauorum, Claudius Labeo, opidano certamine æmulus Ciuili, ne interfectus inuidiam apud populares, vel si retineretur, semina discordiæ præberet, in Frisios auchitur. Iisdem diebus Batauorum & Caninefatium cohortes, cùm iussu Vitellij in vrbem pergerent, missus a Ciuile nuntius assequitur. Intumuere statim superbia ferociáque, & pretium itineris, donatiuum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sanè à Vitellio, postulabant, non vt assequerentur, sed caussam seditioni. Et Flac-

A cus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quàm vt acriùs exposcerent, quæ sciebant negaturum. Spreto Flacco, inferiorem Germaniam petiuere, vt Ciuili iungerentur. Hordeonius, adhibitis tribunis centurionibúsque, consultauit, num obsequium abnuentes vi coërceret. Mox insita ignauia, & trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus, & subito delectu suppletæ legiones angebant, statuit continere intra castra militem.

B Deinpœnitentia, & arguentibus ipsis qui suaserant, tamquam secuturus, scripsit Herennio Gallo, legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, vt arceret transitu Batauos: se cum exercitu, tergis eorum hæsurum. Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis vtrimque copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, aliísque litteris Gallum monuit, ne terreret abeuntes. Vnde suspicio, sponte legatorum excitari bellum: quin

C cuncta quæ acciderant, aut metuebantur, non inertia militis, neque hostium vi, sed fraude ducum euenire. Bataui, cùm castris Bonnensibus propinquarent, præmisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent: *nullum sibi bellum aduersus Romanos, pro quibus toties bellassent. Longa atque irrita militia fessis, patriæ atque otij cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inuenturos.* Cunctantem legatum milites perpu-

D lerant, fortunam prœlij experiretur. Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, simul paganorum lixarúmque ignaua, sed procax ante periculum manus, omnibus portis erumpunt, vt Batauos numero impares circumfundant. Illi veteres militiæ, in cuneis congregantur, densi vndique, & frontem tergáque ac latus tuti. Sic tenuem aciem nostrorum perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, & vallum portásque trepidi petebant. Ibi

E plurimum cladis. cumulatæ corporibus fossæ. nec cæde tantùm & vulneribus, sed ruina, & suis plerique telis interiere. Victores, colonia Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi, Bonnense prœlium excusabant: tamquam petita pace, postquam negabatur, sibimetipsi consuluissent. Ciuilis aduentu veteranarum cohortium, iusti iam exercitus ductor, sed consilij ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos qui aderant,

F in verba Vespasiani adigit. Mittitque legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulsæ, in Vetera castra concesserant, vt idem sacramentum acciperent. Redditur responsum, neque proditoris, neque hostium se consiliis vti. Esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem & arma vsque ad supremum spiritum retenturos. proinde perfuga Batauus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas exspectaret. Quæ vbi relata Ciuili, incensus ira, vniuersam Bata-

G uorum gentem in arma rapit. Iunguntur Bructeri Tencterique, & excita nuntiis Germania, ad prædam famámque. Aduersus has belli concurrentis minas, legati legionum, Mumius Lupercus, & Numisius Rufus, vallum murósque firmabant. subuersa longæ pacis opera, haud procul castris in modum municipij exstructa, ne hostibus vsui forent. Sed parum prouisum, vt copiæ in castra conueherentur, rapi permisere. Ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quæ aduersus necessitates in longum suffecissent. Ciuilis me-

lis medium agmen cum robore Batauorum obtinens, vtramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, assultante per campos equite. Simul naues in aduersum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptæ filuis lucisque ferarum imagines, vt cuique genti inire prœlium mos est, mixta belli ciuilis externique facie obstupefecerant obsessos. & spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm, vix quinque millia armatorum Romanorum tuebantur. Sed lixarum multitudo, turbata pace illuc congregata, & bello ministra, aderat. Pars castrorum, in collem leniter assurgens, pars æquo adibatur. quippe illis hibernis, obsideri premique Germanias Augustus crediderat: neque vnquam id malorum, vt oppugnatum vltrò legiones nostras venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus. Vis & arma satis placebant. Bataui, Transrhenanique, quo discreta virtus manifestiùs spectaretur, sibi quæq; gens consistunt, eminus lacessentes. Post vbi pleraque telorum turribus pinnisque mœnium irrita hærebant, & desuper saxis vulnerabantur; clamore atque impetu, inuasere vallum, appositis plerique scalis, alij per testudinem suorum. scandebántque iam quidam, cùm gladiis & armorum incussu præcipitati, sudibus & pilis obruuntur, præferoces initio, & rebus secundis nimij. Sed tum prædæ cupidine, aduersa quoque tolerabant. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi. nec vlla ipsis solertia, perfugæ captiuique docebant struere materias in modum pontis, mox subiectis rotis propellere: vt alij superstantes, tamquam ex aggere prœliarentur: pars intus, occulti muros subruerent. Sed excussa balistis saxa, strauere informe opus. & crates vineásque parantibus, adactæ tormentis ardentes hastæ. vltróque ipsi oppugnatores ignibus petebantur: donec desperata vi, verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta, & multum imbellis turbæ. Simul ex inopia proditio, & fluxa seruitiorum fides, ac fortuita belli sperabantur. Flaccus interim, cognito castrorum obsidio, & missis per Gallias qui auxilia concirent, lectos è legionibus Dillio Voculæ duodeuicesimæ legionis legato tradit, vt quàm maximis per ripam itineribus celeraret. Ipse pauidus torpere, inuisus militibus. neque enim ambiguè fremebant, *emissas à Magontiaco Batauorum cohortes, dissimulatos Ciuilis conatus, adsciri in societatem Germanos. non Primi Antonij, neque Muciani ope Vespasianum magis adoleuisse. aperta odia, armáque palàm depelli: fraudem & dolum, obscura, eóque ineuitabilia. Ciuilem stare contrà, struere aciem, Hordeonium, è cubiculo & lectulo, iubere quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus, vnius senis valetudine regi. Quin potius interfecto traditore fortunam virtutémque suam malo omine exsoluerent.* His inter se vocibus instinctos, flammauere insuper allatæ à Vespasiano litteræ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitauit: vinctósque qui attulerant, ad Vitellium misit. Sic mitigatis animis, Bonnam, hiberna primæ legionis ventum. Infensior illic miles, culpâ cladis in Hordeonium vertebat: *eius iussu directam aduersus Batauos aciem, tamquam à Magontiaco legiones sequerentur: eiusdem proditione cæsos, nullis superuenientibus auxiliis. Ignota hæc ceteris*

A *exercitibus, neque imperatori suo nūtiari: cū accursu tot prouinciarum, exstingui repens perfidia potuerit.* Hordeonius exemplaria omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniámque & Hispanias auxilia orabat, exercitui recitauit: instituítque pessimum facinus, vt epistolæ Aquiliferis legionum traderentur, à quis antè militi quàm ducibus legebantur. Tum è seditiosis vnum vinciri iubet, magis vsurpandi iuris, quàm quia vnius culpa fo-
B ret. Motúsque Bonna exercitus, in coloniam Agrippinensem; affluentibus auxiliis Gallorum, qui primò rem Romanam enixè iuuabant. Mox valescentibus Germanis, pleræque ciuitates aduersum nos armatæ, spe libertatis; &, si exuissent seruitium, cupidine imperitandi. Gliscebat iracundia legionum, nec terrorem vnius militis vincula indiderant. quin idem ille arguebat vltrò conscientiam ducis: tamquam nuntius inter Ciuilem Flaccúmque, falso crimine, testis veri op-
C primeretur. Conscendit tribunal Vocula, mira constantia, prehensúmque militem ac vociferantem duci ad supplicium iussit. Et dum mali pauent, optimus quisque iussis paruere. Exin, consensu, ducem Voculam poscentibus, Flaccus summam rerum ei permisit. Sed discordes animos multa efferabant, inopia stipendij frumentique, & simul delectum tributáque Galliæ aspernantes: Rhenus, incognita illi cælo siccitate, vix nauium patiens: arti commeatus: dispositæ per o-
D mnem ripam stationes, quæ Germanos vado arcerent: eademque de caussa minus frugum, & plures qui consumerent. Apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque, & vetera imperij munimenta, desererent. quod in pace, fors, seu natura: tunc fatum & ira dei, vocabatur. Ingressis Nouesium, tertiadecima legio coniungitur. Additus Voculæ in partem curarum, Herennius Gallus, legatus: nec ausi ad hostem pergere, loco, Geldu-
E ba nomen est, castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandóque, & ceteris belli meditamentis militem firmabant. vtque præda ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui societatem Ciuilis acceperant, ductus à Vocula exercitus. Pars cum Herennio Gallo permansit. Fortè nauem, haud procul castris, frumento grauem, cùm per vada hæsisset, Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Gallus, misit-
F que subsidio cohortem. Auctus & Germanorum numerus, paulatímque aggregantibus se auxiliis, acie certatum. Germani, multa cum strage nostrorum, nauem abripiunt. victi (quod tum in morem verterat) non suam ignauiam, sed perfidiam legati culpabant. Protractum è tentorio, scissa veste, verberato corpore, quo pretio, quibus consciis, prodidisset exercitum, dicere iubent. Re-
G dit in Hordeonium inuidia. Illum auctorem sceleris, hunc ministrum vocant: donec exitium minitantibus exterritus, proditionem & ipse Hordeonio obiecit. vinctúsque, aduentu demum Voculæ, exsoluitur. Is postera die, auctores seditionis morte affecit. Tanta illi exercitui diuersitas inerat, licentiæ, patientiæque. Haud dubiè gregarius miles, Vitellio fidus: splendidissimus quisque, in Vespasianum proni. inde scelerum ac suppliciorum vices, & mixtus obsequio furor vt contineri non possent, qui puniri poterant. At Ciuilem immensis auctibus vniuersa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum

firmata. Ille, vt cuique proximum, vastari Vbios Treuerósque, & alia manu Mosam amnem transire iubet, vt Menapios & Morinos & extrema Galliarum quaterent. Actæ vtrobique prædæ. Infestius in Vbiis, quòd gens Germanicæ originis, eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur. Cæsæ cohortes eorum, in vico Marcoduro, incuriosiùs agentes, quia procul ripa aberant. Nec quieuere Vbij, quominus prædas è Germania peterent. primò impunè: dein circumuenti sunt, per omne id bellum meliore vsi fide quàm fortuna. Contusis Vbiis, grauior & successu rerum ferociór Ciuilis, obsidium legionum vrgebat: intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilij penetraret. Machinas moléinque operum, Batauis delegat: Transrhenanos prœlium poscentis, ad scindendum vallum ire, detrusósque redintegrare certamen iuber: superante multitudine, & facili damno. nec finem labori nox attulit. Congestis circum lignis, accensisque, simul epulantes, vt quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela, per tenebras vana. Romani conspicuam Barbarorum aciem, & si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Ciuili: & restincto igne, misceri cuncta tenebris & armis iubet. Tum verò strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi, neque declinandi prouidentia. vnde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, & ignauorum sæpe telis fortissimi cadere. Apud Germanos, inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus, ferratas sudes, grauia saxa, non fortè iaciebat. vbi sonus molientium, aut appositæ scalæ, hostem in manus dederant: propellere vmbone, pilo sequi. multos in mœnia egressos, pugionibus fodere. Sic exhausta nocte, nouam aciem dies aperuit. Eduxerant Bataui turrim, duplici tabulato, quam prætoriæ portæ (is æquissimus locus) propinquantem, promoti contrà validi asseres, & incussæ trabes perfregere, multa superstantium pernicie. Pugnatúmque in perculsos, subita & prospera eruptione. Simul à legionariis peritia & arte præstantibus, plura struebantur. Præcipuum pauorem intulit suspensum & nutans machinamentum, quo repentè demisso prætet suorum ora, singuli pluresve hostium sublime rapti, verso pondere intra castra effundebantur. Ciuilis omissa oppugnandi spe, rursus per otium assidebat, nuntiis & promissis fidem legionum conuellens. Hæc in Germania ante Cremonense prœlium gesta, cuius euentum litteræ Primi Antonij docuere, addito Cæcinæ edicto. Et præfectus cohortis è victis, Alpinus Montanus, fortunam partium præsens fatebatur. Diuersi hinc motus animorum. Auxilia è Gallia, quîs nec amor, nec odium in partes, militia sine affectu, hortantibus præfectis, statim à Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente Hordeonio Flacco, instantibus tribunis, dixit sacramentum, non vultu neque animo satis affirmans: & cùm cetera iurisiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes, aut leni murmure, & plerumque silentio transmittebant. Lectæ deinde pro concione epistolæ Antonij ad Ciuilem, suspiciones militum irritauere, tanquam ad socium partium scriptæ, & de Germanico exercitu hostiliter. Mox allatis

A Geldubam in castra nuntiis, eadem dicta, factáque: & missus cum mandatis Montanus ad Ciuilem, vt absisteret bello, neve externa armis falsis velaret. Si Vespasianum iuuare aggressus foret, satisfactum cœptis. Ad ea Ciuilis primò, callidè: pòst, vbi videt Montanum præferocem ingenio, paratúmque in res nouas, orsus à questu, periculísque, quæ per quinque & viginti annos in castris Romanis exhausisset, *Egregium*, inquit, *pretium laboris cepi, necem fratris, & vincula mea,* B *& sæuissimas huius exercitus voces. quibus ad supplicium petitus, iure gentium pœnas reposco. vos autem Treueri, ceteræque seruientium animæ, quod pretium effusi totiens sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, & dominorum ingenia? En ego præfectus vnius cohortis, & Canninefates Bataui que, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel septa ferro faméque premimus. denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus.* Sic accensum, C sed molliora referre iussum, dimittit. Ille vt irritus legationis rediit, cetera dissimulans, quæ mox erupere. Ciuilis parte copiarum retenta, veteranas cohortes, & quod è Germanis maximè promptum, aduersus Voculam exercitúmque eius mittit: Iulio Maximo, & Claudio Victore sororis suæ filio, ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alæ, Asciburgij sita. adeóque improuisi castra inuolauere, vt non alloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id solum, vt in tumultu, D monuit, subsignano milite media firmare. auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit, exceptúsque compositis hostium ordinibus, terga in suos vertit. Cædes inde, non prœlium. Et Neruiorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudauere. Sic ad legiones peruentum. quæ, amissis signis, intra vallum sternebantur; cùm repentè, nouo auxilio, fortuna pugnæ mutatur. Vasconum lectæ à Galba cohortes, ac tum accitæ, E dum castris propinquant, audito prœliantium clamore, intentos hostes à tergo inuadunt, latiorémque quàm pro numero terrorem faciunt: aliis à Nouesio, aliis à Magontiaco vniuersas copias aduenisse credentibus. Is error Romanis addit animos, & dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque è Batauis, quantum peditum erat, funduntur: eques euasit, cum signis captiuísque, quos prima acie corripuerant. Cæsorum eo die, in partibus nostris, maior F numerus & imbellior; è Germanis, ipsa robora. Dux vterque, pari culpa meritus aduersa, prosperis defuere. Nam Ciuilis, si maioribus copiis instruxisset aciem, circumiri à tam paucis cohortibus nequisset, castráque perrupta excidisset. Vocula, nec aduentum hostium explorauit, eóque simul egressus victúsque. dein victoriæ parum confisus, tritis frustra diebus, castra in hostem mouit. quem si statim impellere, cursúmque rerum sequi G maturasset; soluere obsidium legionum eodem impetu potuisset. Tentauerat interim Ciuilis obsessorum animos, tanquam perditæ apud Romanos res, & suis victoria prouenisset. Circumferebantur signa vexilláque. ostentati etiam captiui. ex quibus vnus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illic à Germanis. vnde maior indici fides. Simul vastatione incendiísque flagrantium villarum, venire victorem exercitum intelligebatur. In conspectu castrorum constitui signa, fossamque & vallum circum-

circumdari vocula iubet, vt depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poscentium. & minari assueuerant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique prœlium sumpsere. nam Ciuilis aderat, non minus vitiis hostium, quàm virtute suorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, & seditiosissimus quisque ignauus: quidam recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hostem, seque & proximos hortati. Et redintegrata acie, manus ad obsessos tendere, ne tempori deessent. Illi cuncta è muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac fortè Ciuilis lapsu equi prostratus, credita per vtrumque exercitum fama, vulneratum aut interfectum, immane quantum suis pauoris, & hostibus alacritatis indidit. Sed Vocula, omissis fugientium tergis, vallum turrésque castrorum augebat, tamquam rursus obsidium immineret, corrupta totiens victoria, non falsò suspectus bellum malle. Nihil æquè exercitus nostros, quàm egestas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Nouesium missa, vt inde terrestri itinere frumentum aducherent. Nam flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Ciuile. qui vbi rursus missos Nouesium frumentatores, datásque in præsidium cohortes, velut multa pace, ingredi accepit; ratum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus inuadit: præmissis, qui pontes & viarum angusta insiderent. pugnatum longo agmine, & incerto Marte, donec prœlium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus vt fuerant castris, quæ relictorum illic militum præsidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regressu discriminis adeundum foret, frumentatoribus onustis pauculisque. Addit exercitui suo Vocula mille delectos, è quinta & quartadecima legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem, & ducibus infensum. Plures quàm iussum erat profecti, palàm in agmine fremebant, non se vltra famem, insidias legatorum toleraturos. At qui remanserant, desertos se abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc seditio, aliis reuocantibus Voculam; aliis redire in castra abnuentibus. Interim Ciuilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam, atque inde Nouesium concessit. Ciuilis capit Geldubam. Mox haud procul Nouesio, equestri prœlio prosperè certauit. Sed miles, secundis aduersisque, perinde in exitium ducum accendebatur. Et aduentu quintanorum quintadecimanorúmque auctæ legiones donatiuum exposcunt, comperto pecuniam à Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius, nomine Vespasiani dedit. Idque præcipuum fuit seditionis alimentum. Effusi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem in Hordeonium iram renouant. nec vllo legatorum, tribunorúmve obsistere auso, (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum è cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, nisi seruili habitu, per tenebras, ignoratus euasisset. Vbi sedato impetu, metus rediit: centuriones cum epistolis ad ciuitates Galliarum misere, auxilia ac stipendia oraturos. Ipsi, vt est vulgus sine rectore præceps, pauidum, socors, aduentante Ciuile, raptis temerè armis, ac statim omissis, in fugam vertuntur. Res aduersæ, discordiam

A pepererе; iis qui è superiore exercitu erant, caussam suam dissociantibus. Vitellij tamen imagines, in castris, & per proximas Belgarum ciuitates, repositæ, cùm iam Vitellius occidisset. Dein mutati in pœnitentiam primani, quartanique, & duodeuicesimani, Voculam sequuntur: apud quem resumpto Vespasiani sacramento, ad liberandum Magontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Cattis, Vsipiis, Mattiacis exercitus, satietate prædæ, nec incruenti. B In via dispersos & nescios miles noster inuaserat. Quin & loricam vallúmque per fines suos Treueri struxere, magnísque inuicem cladibus cum Germanis certabant. donec egregia erga populum Romanum merita, mox rebelles fœdarent. Interea Vespasianus iterùm, ac Titus, consulatum absentes ineunt, mæsta & multiplici metu suspensa ciuitate. quæ super instantia mala, falsos pauores induerat, desciuisse Africam, res nouas moliente L. Pisone. C Is præerat prouinciæ, nequaquam turbidus ingenio. Sed quia naues sæuitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui vna ex rep. annonæ cura, clausum litus, retineri commeatus dum timet, credebat: augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant: nec victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles, nulla vmquam ciuilis victoria satiauit. D Kal. Ianuariis, in senatu, quem Iulius Frontinus prætor vrbanus vocauerat, legatis exercitibúsque, ac regibus laudes gratésque decretæ. Et Tertio Iuliano prætura, tanquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, vt in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equestris data. Et mox, eiurante Frontino, Cæsar Domitianus præturam cepit. Eius nomen epistolis edictisque proponebatur. Vis penes Mucianum erat: nisi quòd pleraque E Domitianus, instigantibus amicis, aut propria libidine, audebat. Sed præcipuus Muciano metus è primo Antonio, Varóque Arrio: quos recentes, clarósque rerum fama, ac militum studiis, etiam populus fouebat, quia in neminem vltra aciem sæuierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis maioribus, & fraterna imagine fulgentem, ad capessendam remp. hortatus: haud defutura consciorum manu, ni F Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeò metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalàm opprimi Antonius nequibat: multis in senatu laudibus cumulatum, secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluuij Rufi vacuam. simul amicis eius, tribunatus præfecturásque largitur. Dein, postquam inanem animum spe & cupidine impleuerat, G vires abolet: dimissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. Pars exercitus, in Germanias ducebatur. Sic egesto, quidquid turbidum, redit vrbi sua forma, legésque, & munia magistratuum. Quo die senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris fratrisque ac iuuenta sua, pauca & modica disseruit, decorus habitu: & ignotis adhuc moribus, crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Cæsare, de restituendis Galbæ honoribus, censuit Curtius Montanus, vt Pisonis quoque memoria celebra-

retur. Patres vtrumque iussere. de Pisone irritum A fuit. Tum forte ducti, per quos redderentur bello rapta, quique æra legum vetustate delapsa noscerent, figerentque, & Fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumque publicis impensis facerent. Redditur Tertio Iuliano prætura, postquàm cognitus est ad Vespasianum confugisse. Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum & P. Celerem placuit, damnatusque Publius, & Sorani ma- B nibus satisfactum. Insignis publica seueritate dies, ne priuatim quidem laude caruit. Iustum iudicium explesse Musonius videbatur. Diuersa fama Demetrio Cynicam sectam professo, quòd manifestum reum ambitiosiùs quàm honestiùs defendisset. Ipsi Publio neque animus in periculis, neque oratio suppeditauit. Signo vltionis in accusatores dato, petit à Cæsare Iunius Mauricus, vt commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque C accusandum poposcisset. Consulendum tali super re principem, respondit. Senatus, inchoantibus primoribus, iusiurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri vt sententiam rogabantur, *Deos testes* aduocabant, *nihil ope sua factum quo cuiusquam salus læderetur, neque se præmium aut honorem ex calamitate ciuium cepisse.* trepidis, & verba iurisiurandi per varias artes mutantibus, quîs flagitij conscientia inerat. Probabant religionem patres, periurium ar- D guebant. Eáque velut censura, in Sariolenum Voculam, & Nonium Actianum, & Cestium Seuerum acerrimè incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum & recens crimen vrgebat, quòd apud Vitellium molitus eadem foret. nec destitit senatus manus intentare Voculæ, donec curiâ excederet. Ad Pactium Africanum transgressi, eum quoque proturbant: tamquam Neroni Scribonianos fratres concordia opibúsque insignes, ad exitium E monstrauisset. Africanus neque fateri audebat, neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cuius interrogationibus fatigabatur, vltrò conuersus, miscendo quæ defendere nequibat, societate culpæ inuidiam declinauit. Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipsanius Messalla adeptus est, nondum senatoria ætate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Regulum, subuersa Crassorum & Orphiti domus, in summum odium extulerat. Spon- F te ex S. C. accusationem subiisse iuuenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur. Et Sulpicia Prætextata Crassi vxor, quatuórque liberi, si cognosceret senatus, vltores aderant. Igitur Messalla non caussam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens, flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eò vsque progressus, vt post cædem Galbæ, datam interfectori Pisonis pecuniam à Regulo, adpetitúmque morsu Pisonis caput obiectaret. *Hæc certè*, inquit, *Nero non coëgit, nec dignitatem, aut salutem illa sæuitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones: qui perdere alios, quàm periclitari ipsi maluerunt. Te securum reliquerat exsul pater, & diuisa inter creditores bona, nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. libidine sanguinis, & hiatu præmiorum ignotum adhuc ingenium, & nullis defensioni- G bus expertum, cæde nobili imbuisti. cùm ex funere reipublicæ, raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus, & sacerdotio fulgens, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres: cùm segnitiam Neronis incusares, quòd per singulas domos, séque & delatores fatigaret: posse vniuersum senatum vna voce subuerti. Retinete patres conscripti, & reseruate hominem tam expediti consilij, vt omnis ætas instructa sit: & quomodo senes nostri, Marcellum, Crispum, iuuenes, Regulum imitentur. Inuenit etiam æmulos infelix nequitia. quid si floreat vigeátque? Et quem adhuc quæstorium offendere non audemus, prætorium & consularem visuri sumus? An Neronem, extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio superstites fuerunt: cùm interim intestabilior, & sæuior exortus est. Non timemus Vespasianum: ea principis ætas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla, quàm mores. Elanguimus patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone, delatores & ministros, more maiorum puniendos flagitabat. Optimus est, post malum principem, dies primus.* Tanto cum assensu senatus auditus est Montanus, vt spem caperet Heluidius, posse etiam Marcellum prosterni. Igitur à laude Cluuij Rufi orsus, qui perinde diues & eloquentia clarus, nulli vnquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemplóque Eprium vrgebat, ardentibus patrum animis. quod vbi sensit Marcellus, velut excedens curia: *Imus*, inquit, *Prisce, & relinquimus tibi senatum tuum: regna præsente Cæsare.* Sequebatur Vibius Crispus: ambo infensi, vultu diuerso. Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens: donec accursu amicorum, retraherentur. Cùm glisceret certamen, hinc multi boníque, inde pauci & validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies. Proximo senatu, inchoante Cæsare de abolendo dolore iráque, & priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixè pro accusatoribus. Simul eos qui cœptam, dein omissam actionem repeterent, monuit sermone molli, & tamquam rogaret. Patres cœptatam libertatem, postquam obuiam itum, omisere. Mucianus ne sperni senatus iudicium, & cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur; Octauium Sagittam, & Antistium Sosianum senatorij ordinis, egressos exsilium, in easdem insulas redegit. Octauius, Pontiam Postumiam stupro cognitam, & nuptias suas abnuentem, impotens amoris interfecerat: Sosianus, prauitate morum multis exitiosus. Ambo graui senatus consulto damnati pulsique, quamuis concesso aliis reditu, in eadem pœna retenti sunt. Nec ideò lenita erga Mucianum inuidia. Quippe Sosianus ac Sagitta, viles, etiam si reuerterentur: accusatorum ingenia, & opes, & exercita malis artibus potentia, timebantur. Reconciliauit paulisper studia patrum, habita in senatu cognitio, secundùm veterem morem. Manlius Patruitus ordinis senatorij, pulsatum se in colonia Seniensi, cœtu multitudinis, & iussu magistratuum querebatur. nec finem iniuriæ hîc stetisse: planctum, & lamenta, & supremorum imaginem præsenti sibi circumdata: cum contumeliis & probris, quæ in senatum vniuersum iacerentur. Vocati qui arguebantur. Et cognita caussa, in conuictos vindicatum. Addi-

tûmque

tûmque S. C. quo Seniensium plebes modestiæ admoneretur. Iisdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur, lege repetundarum, & exilio ob sæuitiam. Inter quæ, militaris seditio propè exarsit. Prætorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati: & lectus in eamdem spem è legionibus miles, promissa stipendia flagitabat. Ne Vitelliani quidem, sine multa cæde, pelli poterant. Ingressus castra Mucianus, quò rectiùs stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armísque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. Tum Vitelliani, quos apud Bouillas in deditionem acceptos memorauimus, ceteríque per vrbem, & vrbi vicina conquisiti, producuntur propè intecto corpore: Eos Mucianus diduci, & Germanicum Britannicúmque militem, ac si qui aliorum exercituum, separatim assistere iubet. Illos primus statim aspectus obstupefecerat. cùm ex diuerso, velut aciem telis & armis trucem: semet, clausos nudósque & illuuie deformes, aspicerent. Vt verò hinc illuc distrahi cœpere, metus per omnes, & præcipua Germanici militis formido, tamquam ea separatione ad cædem destinarentur. prensare commanipularium pectora, ceruicibus innecti, suprema oscula petere, ne desererentur soli, neu in pari caussà disparem fortunam paterentur: modò Mucianum, modò absentem principem, postremùm cælum ac deos obtestati. donec Mucianus, cunctos eiusdem sacramenti, eiusdem imperatoris milites appellans, falso timori obuiam iret. Namque & victor exercitus, clamore, lacrymas eorum iuuabat. Isque finis illa die. Paucis pòst diebus, alloquentem Domitianum firmati iam excepere. Spernunt oblatos agros, militiam & stipendia orant. Preces erant, sed quibus contradici non posset. Igitur in prætorium accepti. Dein quibus ætas & iusta stipendia, dimissi cum honore, alij ob culpam: sed carptim, ac singuli. quo tutissimo remedio, consensus multitudinis extenuatur. Ceterùm veráne pauperie, an vti videretur, actum in senatu, vt sexcenties sestertium à priuatis mutuum acciperetur. Præpositúsque ei curæ Poppæus Siluanus: nec multo pòst necessitas abiit, siue omissa simulatio. Abrogati inde, legem ferente Domitiano, consulatus quos Vitellius dederat. Funúsque censorium Flauio Sabino ductum: magna documenta instabilis fortunæ, summáque etiam miscentis. Sub idem tempus L. Piso proconsul interficitur. ea de cæde quàm verissimè expediam, si pauca suprà petiero, ab initio caussísque talium facinorum non absurda. Legio in Africa auxiliáque, tutandis imperij finibus, sub diuo Augusto Tiberióque principibus, Proconsuli parebant. Mox C. Cæsar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam Proconsuli legionem, misso in eam rem legato tradidit, æquatus inter duos beneficiorum numerus, & mixtis vtriusque mandatis, discordia quæsita auctáque. Prauo certamine, legatorum ius adoleuit, diuturnitate officij, vel quia minoribus maior æmulandi cura. Proconsulum splendidissimus quisque, securitati magis quàm potentiæ consulebant. Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus, sumptuosæ adolescentiæ, neque modica cupiens, sed affinitate Vitellij anxius. Is, crebris sermonibus, tentaueritne Pisonem

A ad res nouas, an tentanti restiterit, incertum. quoniam secreto eorum nemo affuit, & occiso Pisone plerique ad gratiam interfectoris, inclinauere. Nec ambigitur, prouinciam & militem, alienato ergà Vespasianum animo fuisse, & quidàm è Vitellianis vrbe profugi, ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius, & in pace suspecta tutius bellum. Inter quæ Claudius Sagitta, præfectus alæ Petrinæ, prospera nauigatione præuenit Papirium

B centurionem, à Muciano missum: asseuerauitque mandata interficiendi Pisonis, centurioni data. Cecidisse Galerianum, consobrinum eius generúmque. Vnam in audacia spem salutis. Sed duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu petita nauibus Gallia, ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet. Nihil ad ea moto Pisone, centurio à Muciano missus, vt portum Carthaginis attigit, magna voce, læta Pisoni omnia, tamquam principi continuare: obuios & subitæ rei mira-

C culo attonitos, vt eadem adstreperent, hortari. vulgus credulum, ruere in forum, præsentiam Pisonis exposcere. Gaudio clamoribúsque cuncta miscebant, indiligentia veri, & adulandi libidine. Piso indicio Sagittæ, vel insita modestia, non in publicum egressus est, neque se studiis vulgi permisit. Centurionémque percunctatus, postquam quæsitum sibi crimen cædemque comperit: animaduerti in eum iussit, haud per-

D inde spe vitæ, quàm ira in percussorem, quòd idem ex interfectoribus Clodij Macri, cruentas legati sanguine manus, ad cædem proconsulis tetulisset. Anxio deinde edicto Carthaginensibus increpitis, ne solita quidem munia vsurpabat, clausus intra domum, ne qua motus noui caussa vel fortè oriretur. Sed vbi Festo consternatio vulgi, centurionis supplicium, veráque & falsa, more famæ, in maius innotuere, equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim

E vecti, obscuro adhuc cœptæ lucis, domum proconsulis irrumpunt, districtis gladiis, & magna pars Pisonis ignari: quòd Pœnos auxiliares, Maurósque in eam cædem delegerat. haud procul cubiculo, obuium fortè seruum, quisnam, & vbi esset Piso? interrogauere. Seruus egregio mendacio, se Pisonem esse respondit: ac statim obtruncatur. nec multo pòst, Piso interficitur. Namque aderat, qui nosceret, Bebius Massa è procuratoribus Africæ: iam tunc

F optimo cuique exitiosus, & in caussas malorum quæ mox tulimus, sæpiùs rediturus. Festus Adrumeto, vbi speculabundus substiterat, ad legionem tendit, præfectúmque castrorum Cetronium Pisanum vinciri iussit, proprias ob simultates: sed Pisonis satellitem vocabat, militésque & centuriones quosdam punit, alios præmiis affecit: neutrum ex merito, sed vt oppressisse bellum crederetur. Mox Ophen-

G sium Leptitanorúmque discordias componit, quæ raptu frugum & pecorum inter agrestes, modicis principiis, iam per arma atque acies exercebantur. Nam populus Ophensis multitudine inferior, Garamantas exciuerat, gentem indomitam, & inter accolas latrociniis fecundam. Vnde arta Leptitanis res, latéque vastatis agris, intra mœnia trepidabant. donec interuentu cohortium alarúmque, fusi Garamantes, & recepta omnis præda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium vlterioribus vendiderant. At Vespasiano

post Cremonensem pugnam, & prosperos vndique nuntios, cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis pari audacia fortunàque hibernum mare aggressi nuntiauere. Aderant legati regis Vologesi, quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. magnificum lætúmque tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiæ Vologeso actæ, mandatúmque vt legatos ad senatum mitteret, & pacem esse sciret. Vespasianus in Italiam résque vrbis intentus, aduersam de Domitiano famam accipit: tamquam terminos ætatis, & concessa filio egrederetur. Igitur validissimam exercitus partem Tito tradit, ad reliqua Iudaici belli perpetranda. Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur, ne criminantium nuntiis temerè accenderetur: integrúmque se ac placabilem filio præstaret. *Non legiones, non classes, perinde firma imperij munimenta, quàm numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus, imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem, indiscretum. sed maxime principibus: quorum prosperis & alij fruantur, aduersa ad iunctissimos pertineant. ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni pater exemplum præbuisset.* Vespasianus haud æquè Domitiano mitigatus, quam Titi pietate gaudens, bono esse animo iubet, bellóque & armis rempublicam attollere: sibi pacem domúmque curæ fore. Tum celerrimas nauium frumento onustas, sæuo adhuc mari committit. Quippe tanto discrimine vrbs nutabat, vt decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cùm à Vespasiano commeatus subuenere. Curam restituendi Capitolij in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famáque inter proceres. Ab eo contracti haruspices, monuere, vt reliquiæ prioris delubri in paludes auherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur. nolle deos mutari veterem formam. Vndecimo Kal. Iulias, serena luce, spatium omne quod templo dicabatur, euinctum vittis coronísque, ingressi milites, quibus fausta nomina felicibus ramis. dein virgines Vestales, cum pueris puellísque patrimis, matrimísque, aqua riuis & fontibus amnibúsque hausta, perluere. Tum Heluidius Priscus prætor, præeunte Plauto Eliano pontifice, lustrata suouetaurilibus area, & super cespitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præsidésque imperij deos precatus vti cœpta prosperarent, sedésque suas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent: vittas quîs ligatus lapis innexíque funes erant, contigit. Simul ceteri magistratus, & sacerdotes, & senatus, & eques, & magna pars populi, studio lætitiáque connixi, saxum ingens traxere: passímque iniectæ fundamentis argenti aurique stipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, sed vt gignuntur. Prædixere haruspices, ne temeraretur opus saxo auróve in aliud destinato. Altitudo ædibus adiecta. Id solum religio annuere. & prioris templi magnificentiæ defuisse creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat. Audita interim per Gallias Germaniásque mors Vitellij, duplicauerat bellum. Nam Ciuilis omissa dissimulatione, in populum Romanum ruere. Vitellianæ legiones vel externum ser-

A uitium, quàm imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem vbique exercituum nostrorũ fortunã rati: vulgato rumore, à Sarmatis Dacísque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri: paria de Britannia fingebantur. Sed nihil æquè, quàm incendium Capitolij, vt finem imperij adesse crederent, impulerat. Captam olim à Gallis vrbem, sed integra Iouis sede, mansisse imperium. Fatali nunc

B igne, signum cælestis iræ datum. & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druidæ canebant. Incesseráatque fama, primores Galliarum ab Othone aduersus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, ne deessent libertati, si populum Romanum continua bellorum ciuilium series & interna mala fregissent. Ante Flacci Hordeonij cædem, nihil prorupit, quo coniuratio intelligeretur. Interfecto

C Hordeonio, commeauere nuntij inter Ciuilem Classicúmque præfectum alæ Treuirorum. Classicus, nobilitate opibúsque, ante alios. Regium illi genus, & pace bellóque clara origo. Ipse, e maioribus suis, hostis populi Rom. quam socius iactabat. Miscuere sese Iulius Tutor, & Iulius Sabinus: hic Treuir, hic Lingon. Tutor, ripæ Rheni à Vitellio præfectus: Sabinus, super insitam vanitatem, falsæ stirpis gloria incendebatur, proauiam suam diuo Iulio per Gallias bellanti, corpore at-

D que adulterio placuisse. Hi secretis sermonibus, animos ceterorum scrutari: vbi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi, in domum priuatam conueniunt. nam publicè, ciuitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam Vbiorum, Tungrorúmque. Sed plurima vis penes Treueros, ac Lingonas. Nec tulere moras consultandi. certatim proclamant, *furere discordiis populum Rom. cæsas legiones, vastatam Italiam, capi cùm maxime vrbem,*

E *omnes exercitus suis quemque bellis distineri: si Alpes præsidiis firmentur: coalita libertate, disceptaturas Gallias, quem virium suarum terminum velint.* Hæc dicta pariter, probatáque. de reliquiis Vitelliani exercitus dubitauere. Plerique interficiendos censebant, turbidos, infidos, sanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi: ne sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur. Alliciendos potiùs in societatem. legatis tantùm legionum interfectis, ceterum vulgus conscientia scelerum, & spe impunitatis facilè accessurum. Ea primi

F concilij forma. missíque per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere qui Voculæ nuntiarent. Sed vires ad coërcendum deerant, infrequentibus infidísque legionibus. Inter ambiguos milites, & occultos hostes, optimum è præsentibus ratus, mutua dissimulatione, & iisdem quibus petebatur artibus grassari, in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Clau-

G dius Labeo, quem captum & extra conuentum amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit. pollicitúsque, si præsidium daretur, iturum in Batauos, & potiorem ciuitatis partem ad societatem Romanam retracturum: accepta peditum equitúmque modica manu, nihil apud Batauos ausus, quosdam Neruiorum Bethasiorúmque in arma traxit. Et furtim magis, quàm bello, Caninefates Marsacósque incursabat. Vocula Gallorum fraude illectus, ad ho-

stem

stem contendit. Nec procul Veteribus aberat: Classicus ac Tutor per speciem explorandi prægressi, cum ducibus Germanorum pacta firmauere. Tùmque primùm discreti à legionibus, proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula, *Non adeò turbatam ciuilibus armis rem Romanam, vt Treueris etiam Lingonibúsque despectui sit. Superesse fidas prouincias, victores exercitus, fortunam imperij, & vltores deos. Sic olim, Sacrouirum & Aeduos: nuper, Vindicem Galliásque singulis prælijs concidisse. Eadem rursus numina, eadem fata, ruptores fœderum exspectarent. Meliùs diuo Iulio, diuóque Augusto notos eorum animos. Galbam, & infracta tributa, hostiles spiritus induisse. Nunc hostes, quia molle seruitium: cùm spoliati exutique fuerint, amicos fore.* Hæc ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutorémque videt: verso itinere, Nouesium concedit. Galli, duûm millium spatio distantibus campis, consedêre. Illuc commeantium centurionum militúmque emebantur animi: vt (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent, pignúsq; tanti sceleris, nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam suadebant, audendum ratus, vocata concione, in hunc modum disseruit. *Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior. Nam mihi exitium parari, libens audio: mortémque in tot malis hostium vt finem miseriarum exspecto. Vestri me pudet miseretque, aduersus quos nō prœlium & acies parantur: id enim fas armorum, & ius hostium. bellum cum populo Romano vestris se manib. gesturum, Classicus sperat: imperiúmq; & sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos, si fortuna in præsens virtúsq; deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanæ legiones perire prȩoptauerint, ne loco pellerentur, socij sæpe nostri: exscindi vrbes suas, séq; cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt. neque aliud pretium exitus, quàm fides famáque. Tolerant cùm maximè inopiam obsidiúmque apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis dimouentur. Nobis, super arma & viros, & egregia castrorum munimenta, frumentum & commeatus quamuis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donatiuo suffecit: quod siue à Vespasiano, siue à Vitellio datum interpretari mauultis, ab imperatore certè Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pauetis aciem, indignum id quidem. Sed est vallum muríque, & trahendi artes, donec è proximis prouinciis auxilia exercitúsque concurrant. Sanè ego displiceam. Sunt alij legati, tribuni, centurio denique, aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus, Ciuilem & Classicum Italiam inuasuros. An si ad mœnia vrbis Germani Gallíq; duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitij imagine. Tutori Treuero agentur excubiæ? Signum belli Batauus dabit? Germanorum cateruas supplebitis? quis deinde sceleris exitus? cum Romanæ legiones contrà direxerint: transfugæ è transfugis, & proditores è proditoribus, inter recens & vetus sacramentum inuisi deis errabitis? Te Iupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos, tot triumphis coluimus: te Quirine Romanæ parens vrbis, precor venerórque, vt si vobis nō fuit cordi, me duce hæc castra incorrupta & intemerata seruari: certè pollui fœdaríque à Tutore & Classico, ne sinatis. Militibus Romanis, aut innocentiam detis, aut maturam, & sine noxa pœnitentiam.* Variè excepta oratio inter spem metúmque ac pudorem. Di-

A gressum Voculam, & de supremis agitantem, liberti seruique prohibuere fœdissimam mortem spontè præuenire. Et Classicus, misso Æmilio Longino desertore primæ legionis, cædem eius maturauit. Herennium & Numisium legatos, vinciri satis visum. Dein sumptis Romani imperij insignibus, in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba vltrà suppeditauere, quàm vt sacramentum recitaret. Iurauere
B qui aderant, pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculæ, altis ordinibus, ceteros, vt quisque flagitium nauauerat, præmiis attollit. Diuisæ inde inter Tutorem & Classicum curæ. Tutor, valida manu circumdatos Agrippinenses, quantúmque militum apud superiorem Rheni ripam: in eadem verba adigit, occisis Magontiaci tribunis, pulso castrorum præfecto, qui detrectauerant. Classicus corruptissimum quemque è deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes si præ-
C sentia sequerentur. aliter nihil spei. Famem, ferrúmque, & extrema passuros. Adiecere qui missi erant, exemplum suum. Obsessos hinc fides, inde egestas, inter decus ac flagitium distrahebant. Cunctantibus solita insolitáque alimenta deerant. absumptis iumentis equisque, & ceteris animalibus, quæ profana fœdáque in vsum necessitas vertit, virgulta postremò & stirpes & internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque documentum fuere: donec egregiam
D laudem, fine turpi macularent, missis ad Ciuilem legatis vitam orantes. Neque antè preces admissæ, quàm in verba Galliarum iurarent. Tum pactus prædam castrorum, dat custodes, qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent, atque ipsos leues abeuntes prosequerentur. Ad quintum ferè lapidem coorti Germani, incautum agmen aggrediuntur. Pugnacissimus quisque, in vestigio: multi, palantes occubuere. Ceteri retrò in castra profugiunt, querente sanè Ciuile & incre-
E pante Germanos, tamquam fidem per scelus abrumperent. Simulata ea fuerint, an retinere sæuientes nequiuerit, parùm affirmatur. Direptis castris, faces iniiciunt. Cunctósque qui prœlio superfuerant, incendium hausit. Ciuilis, barbaro voto, post cœpta aduersus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, deposuit. Et ferebatur, paruulo filio, quosdam captiuorum, sagittis iaculísque puerilibus figendos, obtulisse. Ceterùm neque se,
F neque quemquam Batauum, in verba Galliarum adegit: fisus Germanorum opibus &, si certandum aduersus Gallos de possessione rerum foret, inclytus fama, & potior. Mumius Lupercus legatus legionis, inter dona missus Velledæ. Ea virgo nationis Bructeræ, latè imperitabat: vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur deas. Tuncque Velledæ auctoritas adoleuit. nam prosperas Germanis res, & excidium legionum prædixerat. Sed Lupercus, in itinere
G interfectus. Pauci centurionum tribunorúmque in Gallia geniti, reseruantur, pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum, hiberna, subuersa crematáque iis tantum relictis, quæ Magontiaci, ac Vindonissæ sita sunt. Legio XIII. cum auxiliis simul deditis, à Nouesio in coloniam Treuerorum transgredi iubetur, præfinita die intra quam castris excederet. Medium omne tempus, per varias curas egere, ignauissimus

quisque, cæsorum apud Vetera exemplo, pauentes; melior pars, rubore & infamia, quale illud iter, quis dux viæ, & omnia in arbitrio eorum, quos vitæ necísque dominos fecissent. Alii, nulla dedecoris cura, pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare. Quidam expedire arma, telísque tamquam in aciem accingi. Hæc meditantibus, aduenit proficiscendi hora, exspectatione tristior. Quippe intra vallum, deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus, & dies. Reuulsæ imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis, silens agmen, & velut longæ exsequiæ. Dux Claudius Sanctus effosso oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam, desertis Bonnensibus castris, altera se legio miscuerat. Et vulgata captarum legionum fama, cuncti qui paulo antè Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectísque, & vndique effusi, insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi. spretísque Sancti promissis, aut minis, Magontiacum abeunt: ac fortè obuio interfectore Voculæ Longino, coniectis in eum telis, initium exsoluendæ in posterum culpæ fecere. Legiones nihil mutato itinere, ante mœnia Treuerorum considunt. Ciuilis & Classicus rebus secundis sublati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitauere. Sæuitia ingenij, & cupidine prædæ, ad excidium ciuitatis trahebantur. obstabat ratio belli, & nouum imperium inchoantibus vtilis clementiæ fama. Ciuilem etiam beneficij memoria flexit, quòd filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum, honoratè custodierant. Sed Transrhenanis gentibus inuisa ciuitas, opulentia auctúque. Neque alium finem belli rebantur, quàm si promiscua ea sedes omnibus Germanis foret: aut disiecta, vbios quoque dispersisset. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud concilium Agrippinensium edi iubent. quæ ferocissimus è legatis, in hunc modum protulit. *Redisse vos in corpus noménque Germaniæ, communibus deis, sed præcipuo deorum Marti grates agimus: vobísque gratulamur, quòd tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hũc diem, flumina ac terras, & cælum quodammodo ipsum, clauserant Romani: vt colloquia congressúsq; nostros arcerent, vel quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac propè nudi, sub custode & pretio coiremus. Sed vt amicitia societásque nostra in æternum rata sint: postulamus à vobis, muros coloniæ, munimenta seruitij, detrahatis. etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliuiscũtur. Romanos omnes, in finibus vestris, trucidetis. haud facilè libertas, & domini miscentur. Bona interfectorum, in medium cedant: ne quis occulere quidquam, aut segregare caussam suam possit. Liceat nobis vobísque vtramque ripam colere, vt olim maiorib. nostris. quomodo lucem diémq; omnibus hominib: ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultúmque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus aduersus subiectos quàm armis valent. sincerus & integer, & seruitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis.* Agrippinenses, sumpto consultandi spatio, quando neque subire conditiones metus futuri, neq; palàm aspernari conditio præsens sinebat, in hunc modum respondent. *Quæ prima libertatis facultas data est, aui-*

A *dius quàm cautiùs sumpsimus, vt vobis ceterísque Germanis consanguineis nostris iungeremur. Muros ciuitatis, congregantib. se cùm maximè Romanorum exercitibus, augere nobis, quàm diruere tutius est. Si qui ex Italia aut prouinciis alienigenæ in finib. nostris fuerant, eos bellum absumpsit: vel in suas quisq; sedes refugêre. Deductis olim, & nobiscum per connubium sociatis, quique mox prouenêre, hæc patria est. Nec vos adeò iniquos existimamus vt interfici à nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis.*
B *Vectigal & onera commerciorum, resoluimus. Sint transitus incustoditi, sed diurni & inermes: donec noua & recentia iura, in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrũ habebimus Ciuilem & Velledam, apud quos pacta sancietur.* Sic lenitis Tencteris, legati ad Ciuilem & Velledam missi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetrauere. Sed coram adire, alloquiq; Velledam negatum. Arcebãtur aspectu, quò venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre,
C delectus è propinquis, consulta responsáque, vt internuntius numinis, portabat. Ciuilis societate Agrippinensium auctus, proximas ciuitates affectare, aut aduersantibus bellum inferre statuit. Occupatísq; Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes composita: quominus vltrà pergeret, Claudius Labeo Bethasiorum Tungrorúmq; & Neruiorum tumultuaria manu restitit. fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Pugnabatúrq; in angustiis ambiguè, donec Germani transnatantes,
D terga Labeonis inuasere. Simul Ciuilis, ausus, an ex composito, intulit se agmini Tungrorũ, & clara voce, *Non ideò*, inquit, *bellum sumpsimus, vt Bataui & Treueri gentibus imperent. Procul hæc à nobis arrogantia. accipite societatem. transgredior ad vos, seu me ducem, seu militem mauultis.* Mouebatur vulgus, condebántque gladios: cùm Campanus, ac Iuuenalis, ex primoribus Tungrorum, vniuersam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumueniretur, profugit. Ciuilis Bethasios quoque ac Neruios in fidem acceptos, copiis suis adiunxit:
E ingens rerum, perculsis ciuitatum animis, vel sponte inclinantibus. Interea Iulius Sabinus, proiectis fœderis Romani monumentis, Cæsarem se salutari iubet: magnámque & inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam ciuitatem & nobis fidam. Nec Sequani detrectauere certamen. Fortuna melioribus affuit. Fusi Lingones. Sabinus festinatum temerè prœlium, pari formidine deseruit. Vtque famam exitij sui faceret, villam in quam perfugerat, cremauit.
F Illic voluntaria morte interiisse creditus. Sed quibus artibus latebrisque, vitam per nouem mox annos traduxerit, simul amicorum eius constantiam, & insigne Epponinæ vxoris exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie, belli impetus stetit. Resipiscere paulatim ciuitates, fasque & fœdera respicere, principibus Remis: qui per Gallias edixere, vt missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret. At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum
G angebant, ne, quamquam egregij duces (iam enim Gallum Annium, & Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. Nec relinquenda vrbs, sine rectore. Et Domitiani indomitæ libidines timebantur: suspectis, vti diximus, Primo Antonio, Varóque Arrio. Varus prætorianis præpositus, vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulsum loco, ne sine solatio ageret, annonæ præfecit. Vtque Domitiani animum,

mum, Varo hand alienum, deliniret: Arretinum A Clementem, domui Vespasiani per affinitatem innexum, & gratissimum Domitiano, prætorianis præposuit, patrem eius sub Caio Cæsare egregiè functum ea cura dictitans. Lætum militibus idem nomen. atque ipsum quamquam senatorij ordinis ad vtraque munia sufficere. Assumuntur è ciuitate clarissimus quisque, & alij per ambitionem. Simul Domitianus Mucianúsque accingebantur, dispari animo. ille, spe ac iuuenta pro- B perus, hic, moras nectens, quîs flagrantem retineret, ne ferocia ætatis, & prauis impulsoribus si exercitum inuasisset, paci bellóque malè consuleret. Legiones victrices sextam & octauam Vitellianarum vnaetvicesima, è recens conscriptis secunda, Peninis Coctianísque Alpibus, pars monte Grato, traducuntur. XIIII. legio è Britannia, sexta ac decima ex Hispania accitæ. Igitur venientis exercitus fama, & suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum ciuitates, in Remos C conuenère. Treuerorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione, cuncta magnis imperiis obiectari solita, contumeliásque & inuidiam in pop. Romanum effudit: turbidus miscendis seditionibus, & plerisque gratus vecordi facundia. At Iulius Auspex è primoribus Remorum, vim Romanam, pacísque bona dissertans, & sumi bellum etiam ab ignauis, strenuissimi cuiusque periculo geri, iámque super caput legiones: sapien- D tissimum quemque reuerentia fidéque, iuniores periculo ac metu continuit. Et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat obstetisse Treueris Lingonibúsque apud Gallias, quòd Vindicis motu cum Verginio steterant. Deterruit plerosque prouinciarum æmulatio. quod bello caput? vnde ius auspiciúmque peteretur? quam, si cuncta prouenissent, sedem imperio legerent? Nondum victoria, iam E discordia erat: aliis fœdera, quibusdam opes virésque, aut vetustatem originis, per iurgia iactantibus. Tædio futurorum, præsentia placuere. Scribuntur ad Treueros epistolæ, nomine Galliarum, vt abstinerent armis, impetrabili venia, & paratis deprecatoribus, si pœniteret. Restitit idem Valentinus, obstruxitque ciuitatis suæ aures, haud perinde instruendo bello intentus, quam frequens concionibus. Igitur non F Treueri neque Lingones, ceteræve rebellium ciuitates, pro magnitudine suscepti discriminis agere. Ne duces quidem, in vnum consulere. Sed Ciuilis, auia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere, aut exturbare nititur. Classicus, segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quid m maturauit superiorem Germaniæ ripam, & ardua Alpium præsidiis claudere. Atque interim v- G naetvicesima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupêre. Accessit ala Singularium, excita olim à Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Præerat Iulius Briganticus, sorore Ciuilis genitus, vt fermè acerrima proximorum odia sunt, inuisus auunculo infensúsque. Tutor, Treuerorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmauit, corruptis spe, aut metu subactis legionariis. qui primò cohortem præmissam à Sextilio Felice, interficiunt. mox vbi duces exer-

A citúsque Romani propinquabant, honesto transfugio rediere: secutis Tribocis, Vangionibúsque & Caracatibus. Tutor, Treueris comitantibus, vitato Magontiaco Bingium concessit; fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat. sed incursu cohortium quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fusúsque. Ea clade, perculsi Treueri, & plebes omissis armis, per agros palatur. quidam principum, vt primi posuisse bel-
B lum viderentur, in ciuitates quæ societatem Romanam non exuerant, perfugerunt. Legiones à Nouesio Bonnáque in Treueros, vt suprà memorauimus, traductæ, se ipsas in verba Vespasiani adigunt. Hæc Valentino absente gesta: qui vbi aduentabat, furens, cunctáque rursus in turbas & exitium conuersurus: legiones in Mediomatricos, sociam ciuitatem, abscessere. Valentinus ac Tutor, in arma Treueros retrahunt: occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniæ
C cresceret vinculum sceleris. Hic belli status erat, cùm Petilius Cerialis Magontiacum venit. eius aduentu, erectæ spes. Ipse pugnæ auidus, & contemnendis quàm cauendis hostibus melior, ferocia verborum militem incendebat: vbi primùm congredi licuisset, nullam prœlio moram facturus. Delectus per Galliam habitos, in ciuitates remittit, ac nuntiare iubet sufficere imperio legiones. socij ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanæ manus exce-
D pissent. Auxit ea res Gallorum obsequium. nam recepta iuuentute, faciliùs tributa tolerauere, proniores ad officia quòd spernebantur. At Ciuilis & Classicus, vbi pulsum Tutorem, cæsos Treueros, cuncta hostibus prospera accepere: trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne summæ rei periculum faceret. Eo rapidiùs Cerialis, missis in Mediomatricos, qui breuiore itinere legiones in hostem verterent, con-
E tracto quod erat militum Magontiaci, quantúmque secum transuexerat, ternis castris Rigodulum venit. quem locum, magna Treuerorum manu, Valentinus insederat, montibus & Mosella amne septum. & addiderat fossas, obicésque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem, quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste, quem temerè collectum, hand ita loco
F iuuari, vt non plus suis in virtute foret. Paulum moræ in ascensu, dum missilia hostium præuehuntur. Vt ventum ad manus, deturbati, ruinæ modo, præcipitantur. Et pars equitum, æquioribus iugis circumuecta, nobilissimos Belgarum, in quîs ducem Valentinum, cepit. Cerialis, postero die, coloniam Treuerorum ingressus est, auido milite eruendæ ciuitatis: *Hanc esse Classici,*
G *hanc Tutoris patriam. horum scelere clausas cæsásque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse, quam è gremio Italiæ raptam, quia vnius noctis moram victoribus attulerit? Stare in confinio Germaniæ integram sedem, spoliis exercituum & ducum cædibus ouantem. Redigeretur præda in fiscum. Ipsis sufficere ignes, & rebellis coloniæ ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur.* Cerialis metu infamiæ, si licentia sæuitiáque imbuere militem crederetur, pressit iras. & paruere, posito ciuili bello ad externa modestiores. Conuertit inde animos, accitarum è Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. Stabant conscientia flagitij

mæſtæ,fixis in terram oculis. Nulla inter coëun-
tes exercitus conſalutatio. neque ſolantibus hor-
tantibúſve reſponſa dabant, abditi per tentoria,
& lucem ipſam vitantes. nec perinde periculum
aut metus, quàm pudor ac dedecus obſtupefece-
rat:attonitis etiam victoribus, qui vocem preci-
que adhibere non auſi, lacrymis ac ſilentio ve-
niam poſcebant.donec Cerialis mulceret animos,
fato acta dictitans,quæ militum ducúmq; diſcor-
dia,vel fraude hoſtium eueniſſent. Primum illum
ſtipendiorum & ſacramenti diem haberent: prio-
rum facinorum neque imperatorem, neque ſe
meminiſſe. Tunc recepti in eadem caſtra, & e-
dictum per manipulos, ne quis in certamine iur-
gióve ſeditionem aut cladem commilitoni ob-
iectaret. Mox Treueros ac Lingonas, ad con-
cionem vocatos, ita alloquitur. *Neque ego vn-*
quam facundiam exercui; & populi Romani virtu-
tem armis affirmaui. Sed quia apud vos verba plu-
rimùm valent, bonáque ac mala non ſua natura, ſed
vocib. ſeditioſorum æſtimantur: ſtatui pauca diſſere-
re, quæ profligato bello, vtilius ſit vobis audiſſe, quàm
nobis dixiſſe. Terram veſtram cæterorúmque Gallo-
rum, ingreſſi ſunt duces imperatoréſque Romani,
nulla cupidine, ſed maioribus veſtris inuocantibus,
quos diſcordia vſque ad exitium fatigabant. & ac-
citi auxilio Germani, ſociis pariter atque hoſtibus
ſeruitutem impoſuerant. Quot prœliis aduerſus
Cimbros Teutonóſque, quantis exercituum noſtro-
rum laboribus, quóve euentu Germanica bella tra-
ctauerimus, ſatis clarum. Nec ideo Rhenum inſedi-
mus, vt Italiam tueremur: ſed ne quis alius Arioui-
ſtus, regno Galliarum potiretur. An vos cariores Ci-
uili Batauiſque & Tranſrhenanis gentibus creditis,
quàm maioribus eorum patres auique veſtri fuerũt?
Eadem ſemper cauſſa Germanis tranſcendendi in
Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ ſedis a-
mor: vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fecun-
diſſimum hoc ſolum, vóſque ipſos poſſiderent. Cete-
rùm libertas, & ſpecioſa nomina prætexuntur. nec
quiſquam alienum ſeruitium, & dominationem ſibi
concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet.
Regna belláque per Gallias ſemper fuere, donec in
noſtrum ius concederetis. Nos, quanquam totiens
laceſſiti, iure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo
pacem tueremur. Nam neque quies gentium, ſine ar-
mis; neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia, ſine
tributis haberi queunt. Cetera in communi ſita ſunt.
Ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis: ipſi has
aliáſque prouincias regitis. Nihil ſeparatum, clau-
ſúmve. Et laudatorum principum vſus ex æquo,
quamuis procul agentibus: ſæui proximis ingruunt.
quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & ce-
tera naturæ mala; ita luxum, vel auaritiam domi-
nantium tolerate. Vitia erunt, donec homines. ſed ne-
que hæc continua, & meliorum interuentu penſantur.
niſi fortè Tutore & Claſſico regnantibus, modera-
tius imperium ſperatis: aut minoribus quàm nunc
tributis, parabuntur exercitus, quibus Germani Bri-
tannique arceantur. Nam pulſis (quod dij prohi-
beant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium in-
ter ſe gentium exſiſtent? Octingentorum annorum for-
tuna diſciplináque, compages hæc coaluit: quæ con-
uelli, ſine exitio conuellentium, non poteſt. Sed vobis
maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes, præ-
cipuæ bellorum cauſſæ. Proinde pacem & vrbem,
quam victi victoréſque eodem iure obtinemus, ama-
te, colite. Moneant vos vtriuſque fortunæ documen-
ta, ne contumaciam cum pernicie, quàm obſequium

A *cum ſecuritate malitis.* Tali oratione grauiora me-
tuentes compoſuit, erexitque. Tenebantur victo-
re exercitu Treueri, cùm Ciuilis & Claſſicus mi-
ſere epiſtolas ad Cerialem, quarum hæc ſenten-
tia fuit. *Veſpaſianum, quamquam nuntios occulta-*
rent, exceſſiſſe vita. Vrbem atque Italiam, interno
bello conſumptam. Muciani ac Domitiani, vana &
ſine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum
velit, ipſos finibus ciuitatum ſuarum contentos: ſi præ-
lium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis
B Ciuili & Claſſico nihil. eum qui attulerat ipſas e-
piſtolas, ad Domitianum miſit. Hoſtes diuiſis co-
piis aduenêre vndique. Plerique culpabant Ceria-
lem paſſum iungi, quos diſcretos intercipere li-
cuiſſet. Romanus exercitus caſtra foſſa vallóque
circumdedit: quîs temerè antea intutis conſede-
rat. Apud Germanos, diuerſis ſententiis certaba-
tur. Ciuilis opperiendas Tranſrhenanorum gen-
tes, *quarum terrore fracta Po. Rom. vires obtererentur.*
tur. Gallos quid aliud quàm prædam victoribus? &
C *tamen quod roboris ſit, Belgas, ſecum palam, aut vo-*
to ſtare. Tutor cunctatione creſcere rem Roma-
nam affirmabat, coëuntibus vndique exercitibus:
Tranſuectam è Britannia legionem: accitas ex Hi-
ſpania: aduentare ex Italia: nec ſubitum militem, ſed
veterem, expertúmque belli. Nam Germanos, qui ab
ipſis ſperentur, non iuberi, non regi, ſed cuncta ex li-
bidine agere. Pecuniámque ac dona, quîs ſoli cor-
rumpantur, maiora apud Ro. & neminem adeò in
arma promptum, vt non idem pretium quietis quàm
D *periculi malit. quòd ſi ſtatim congrediantur, nullas*
eſſe Ceriali, niſi ex reliquiis Germanici exercitus, le-
giones, fœderibus Galliarum obſtrictas. Idque ipſum,
quòd inconditam nuper Valentini manum contra
ſpem ſuam fuderint, alimentum illis ducique temeri-
tatis. Auſuros rurſus, venturóſque in manus, non im-
periti adoleſcentuli verba & conciones, quàm fer-
rum & arma meditantis, ſed Ciuilis & Claſſici: quos
vbi aſpexerint, redituram in animos formidinem, fu-
gam, famémque, ac totiens captis precariam vitam.
E *neque Treueros, aut Lingonas beneuolentia contine-*
ri: reſumpturos arma, vbi metus abſceſſerit. Diremit
conſiliorum diuerſitatem, approbata Tutoris ſen-
tentia Claſſicus, ſtatímque exſequuntur. Media a-
cies Vbiis Lingonibúſque data, dextro cornu co-
hortes Batauorum, ſiniſtro Bructeri Tencterique.
pars montibus, alij viam inter Moſellámque flu-
men, tam improuiſi aſſiluere, vt in cubiculo ac
lectulo Cerialis (neque enim noctem in caſtris e-
F gerat) pugnari ſimul, vincíque ſuos audierit, in-
crepans pauorem nuntiantium, donec vniuerſa
clades in oculis fuit. Perrupta legionum caſtra, fu-
ſi equites: medius Moſellę pons, qui vlteriora Co-
loniæ annectit, ab hoſtibus inſeſſus. Cerialis tur-
bidis rebus intrepidus, & fugientes manu retra-
hens, intecto corpore promptus inter tela, felici
temeritate, & fortiſſimi cuiuſque accurſu, recipe-
ratum pontem lecta manu firmauit. Mox in ca-
ſtra reuerſus, palantes captarum apud Noueſium
G Bonnámque legionum manipulos, & rarum a-
pud ſigna militem, ac propè circumuentas aqui-
las videt. Incenſus ira, *non Flaccum*, inquit, *non Vo-*
culam deſeritis. Nulla hîc proditio. neque aliud ex-
cuſandum habeo, quàm quod vos Gallici fœderis o-
blitos prædixerim, memoriam Romani ſacramenti te-
merè credidi. Annumerabor Numiſiis & Heren-
niis, vt omnes legati veſtri, aut militum manibus, aut
hoſtium ceciderint. Ite, nuntiate Veſpaſiano, vel,
quod propius eſt, Ciuili & Claſſico, relictum à vobis
in acie

in acie ducem. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur. Vera erant. & à tribunis præfectisque eadem ingerebantur. Consistunt per cohortes, & manipulos. neq; enim poterat patescere acies effuso hoste, & impedientibus tentoriis sarcinisque, cùm intra vallum pugnaretur. Tutor, & Classicus, & Ciuilis, suis quisque locis pugnā ciebant: Gallos pro libertate, Batauos pro gloria, Germanos ad prædam instigantes. Et cuncta pro hostibus erant. donec legio vnaetvicesima, patentiore quàm ceteræ spatio conglobata, sustinuit ruentes; mox impulit. Nec sine ope diuina, mutatis repentè animis, terga victores vertere. Ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quæ primo impetu disiectæ, summis rursus iugis congregabantur, ac speciem noui auxilij fecerant. Sed obstitit vincentibus prauum inter ipsos certamen, hoste omisso spolia consectandi. Cerialis, vt incuria propè rem afflixit, ita constantia restituit. Secutúsque fortunam, castra hostium eodem die capit exsciuditque. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenses; offerebántque vxorem ac sororem Ciuilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidauerant. Vnde metus & iustæ preces inuocantium, antequàm hostes reparatis viribus, ad spem, vel ad vltionem accingerentur. Namque & Ciuilis illuc intenderat, non inualidus, flagrantissima cohortium suarum integra: quæ ex Chaucis Frisiísque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuntius auertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium: qui largis epulis vinóque sopitos Germanos, clausis foribus, igne iniecto, cremauêre. Simul Cerialis propero agmine subuenit. Circumsteterat Ciuilem & alius metus, ne quartadecima legio adiuncta Britannica classe, afflictaret Batauos, quà Oceano ambiuntur. Sed legionem, terrestri itinere, Fabius Priscus legatus in Neruios Tungrosque duxit. Eæque ciuitates in deditionem acceptæ. Classem vltrò Caninefates aggressi sunt. maiórque pars nauium depressa, aut capta. Et Neruiorum multitudinem spontè commotam, vt pro Romanis bellum capesseret, iidem Caninefates fudere. Classicus quoque aduersus equites Nouesium à Ceriale præmissos, secundum prœlium fecit. quæ modica, sed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerabant. Iisdem diebus, Mucianus Vitellij filium interfici iubet: mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum adsciri inter comites à Domitiano passus est: fauore militum anxius, & superbia viri, æqualium quoque, adeò superiorum, intolerantis. Profectus ad Vespasianum Antonius, vt non pro spe sua excipitur, ita neque auerso imperatoris animo. Trahebatur in diuersa. hinc, meritis Antonij, cuius ductu confectum haud dubiè bellum erat: inde, Muciani epistolis, simul ceteri, vt infestum tumidúmque insectabantur, adiunctis prioris vitæ criminibus. neque ipse deerat arrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quæ meruisset. Alios vt imbelles, Cæcinam vt captiuum ac dediticium increpat. Vnde paulatim leuior viliórque haberi, manente tamen in speciem amicitia. Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstiuis flatibus dies, & certa maris, opperiebatur, multa miracula euenêre, quîs cælestis fauor

A & quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit. precabatúrque principem, vt genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore, vt pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat.
B Vespasianus primò irridere, aspernari: atque illis instantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci. postremò æstimari à medicis iubet, an talis cæcitas ac debilitas, ope humana superabiles forent. Medici variè disserere. Huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia: illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi deis, & diuino ministerio principem e-
C lectum. denique patrati remedij gloriam, penes Cæsarem; irriti, ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patêre ratus, nec quidquam vltrà incredibile, læto ipse vultu, erecta quæ astabat multitudine, iussa exsequitur. Statim conuersa ad vsum manus, ac cæco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, vt super rebus imperij consu-
D leret. Arceri templo cunctos iubet. atque ingressus, intentúsque numini, respexit pone tergum è primoribus Ægyptiorum nomine Basiliden: quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur sacerdotes, num illo die Basilides templum inisset? percunctatur obuios, num in vrbe visus sit? denique missis equitibus explorat, illo temporis momento, octoginta millibus passuum abfuisse. Tunc diuinam speciem, & vim
E responsi ex nomine Basilidis, interpretatus est. Origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Ægyptiorum antistites, sic memorant. Ptolemæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmauit, cùm Alexandriæ recens conditæ mœnia, templáque & religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio & maiore quàm humana specie iuuenem, qui moneret, vt fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret: lætum id
F regno, magnámque & inclytam sedem fore quæ excepisset. simul visum eumdem iuuenem in cælum igne plurimo attolli. Ptolemæus omine & miraculo excitus, sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem è gente Eumolpidarum, quem vt antistitem cærimoniarum Eleusi exciuerat, quænam illa superstitio,
G quod numen interrogat. Timotheus, quæsitis qui in Pontum meassent, cognoscit vrbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Iouis Ditis. Namque & muliebrem effigiem assistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemæus, vt sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, vbi securitas rediit, voluptatum quàm religionum appetens, negligere paulatim, aliásque ad curas animum vertere; donec eadem species terribilior iam & instantior, exitium ipsi regnóque denuntiaret, ni iussa patrarentur. Tum legatos & dona Scydrothemidi regi (is

tunc Sinopensibus imperitabat) expediri iubet,
præcipitque nauigaturis, vt Pythium Apollinem
adeant. Illis mare secũdum. Sors oraculi haud am-
bigua, Irent, simulacrúmq; patris sui reueherent,
sororis relinquerent. Vt Sinopen venêre, munera,
preces, mandata regis sui Scydrothemidi alle-
gant. Qui diuersus animi, modò numen pauesce-
re, modò minis aduersantis populi terreri, sæpe
donis promissisque legatorum flectebatur. Atque
interim triennio exacto, Ptolemæus non studium
non preces omittere. Dignitatem legatorũ, nume-
rum nauium, auri pondus, augebat. Tum minax
facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo vl-
trà moraretur. Cunctantem varia pernicies, mor-
bique & manifesta cælestium ira, grauiórque in
dies fatigabat. Aduocata concione, iussa numi-
nis, suos Ptolemæique visus, ingruentia mala ex-
ponit. Vulgus aduersari regem, inuidere Ægy-
pto, sibi metuere, templúmque circumsidere. Ma-
ior hinc fama tradidit, deum ipsum appulsas li-
tori nauis sponte conscendisse. Mirum inde di-
ctu, tertio die tantum maris emensi, Alexandriam
appelluntur. Templum pro magnitudine vrbis
exstructum, loco cui nomen Rhacotis. fuerat il-
lic sacellum, Serapidi atque Isidi antiquitùs sa-
cratum. Hæc de origine & aduectu dei, cele-
berrima. Nec sum ignarus, esse quosdam qui Se-
leucia vrbe Syriæ accitum, regnante Ptolemæo,
quem tertia ætas tulit: alij auctorem eumdem
Ptolemæum: sedem ex qua transierit, Memphim
perhibent, inclytam olim, & veteris Ægypti co-
lumen. Deum ipsum multi Æsculapium, quòd
medeatur ægris corporibus: quidam, Osirim, an-
tiquissimum illis gentibus numen; plerique Io-
uem, vt rerum omnium potentem; plurimi Ditem
patrem, insignibus quæ in ipso manifesta, aut

A per ambages coniectant. At Domitianus Mu-
cianúsque antequàm Alpibus propinquarent, pro-
speros rerum in Treueris gestarum nuntios ac-
cepere. Præcipua victoriæ fides, dux hostium Va-
lentinus, nequaquam abiecto animo, quos spiri-
tus gessisset, vultu ferebat. Auditus ideò tan-
tùm, vt nosceretur ingenium eius, damnatúsque,
inter ipsum supplicium, exprobranti cuidam pa-
triam eius captam, Accipere se solatium mor-
tis respondit. Sed Mucianus quod diu occultaue-
B rat, vt recens exprompsit. *Quoniam benig ita te
deûm fracta vires hostium forent: parum decorè Do-
mitianum, confecto propè bello, aliena gloria inter-
uenturum. Si status imperij, aut salus Galliarum in
discrimen verteretur, debuisse Cæsarem in acie sta-
re. Cannefates Batauósque minorib. ducibus dele-
gandos. Ipse Lugduni vim fortunámque principa-
tus è proximo ostentaret, nec paruis periculis immix-
tus, & maioribus non defuturus.* Intelligebantur
artes. sed pars obsequij in eo, ne deprehenderen-
C tur. Ita Lugdunum ventum. Vnde creditur Do-
mitianus, occultis ad Cerialem nuntiis, fidem
eius tentauisse, an præsenti sibi exercitum impe-
riúmque traditurus foret. qua cogitatione bel-
lum aduersus patrem agitauerit, an opes viré-
que aduersus fratrem, in incerto fuit. Nam Ce-
rialis, salubri temperamento elusit, vt vana pue-
riliter cupientem. Domitianus sperni à seniori-
bus iuuentam suam cernens, modica quoque &
vsurpata antea munia imperij omittebat. sim-
D plicitatis ac modestiæ imagine, in altitudinem
conditus: studiúmque litterarum & amorem
carminum simulans, quò velaret animum, &
fratris æmulationi subduceretur, cuius dispa-
rem mitioremque naturam contrà interpreta-
batur.

C. CORNELII TACITI AB EXCESSV NERONIS HISTORIARVM

LIBER V.

EIVSDEM anni principio, Cæsar Titus per-
domandæ Iudææ delectus à patre, & priuatis
vtriusque rebus militia clarus, maiore tum vi
famáque agebat, certantibus prouinciarum &
exercituum studiis. atque ipse, vt super for-
tunam crederetur, decorum se promptúmque
in armis ostendebat, comitate & alloquiis of-
ficia prouocans: ac plerumque in opere, in ag-
mine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis
honore. Tres eum in Iudæa legiones, quinta &
decima, & quintadecima, vetus Vespasiani miles
excepere. Tradidit & Syria duodecimam, & ad-
ductos Alexandria duoetvicesimanos tertianós-
que. Comitabantur viginti sociæ cohortes, octo
equitum alæ: simul Agrippa, Sohemúsque reges,
& auxilia regis Antiochi, validáque & solito in-
ter accolas odio infensa Iudæis Arabum manus.
Multi, quos vrbe atque Italia sua quemque spes
acciuerat, occupandi Principem adhuc vacuum.
His cum copiis fines hostium ingressus, compo-
sito agmine, cuncta explorans, paratúsque de-

E cernere, haud procul Hierosolymis castra facit.
Sed quia famosæ vrbis supremum diem tradituri
sumus, congruens videtur primordia eius aperi-
re. Iudæos Creta insula profugos, nouissima Libyæ
insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi
Iouis pulsus cesserit regnis. Argumẽtum è nomi-
ne petitur. Inclytum in Creta, Idam montem; ac-
colas, Idæos, aucto in Barbarum cognomento,
Iudæos vocitari. quidam regnante Iside, exun-
dantem per Ægyptum multitudinem, ducibus
F Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exone-
ratam. Plerique Æthiopum prolem, quos re-
ge Cepheo, metus atque odium mutare sedes per-
pulerit. Sunt qui tradant, Assyrios conuenas, in-
digum agrorum populum, parte Ægypti poti-
tos, ac mox proprias vrbes, Hebræásque terras, &
propiora Syriæ coluisse. Clara alij Iudæorum i-
nitia: Solymos carminibus Homeri celebratam
gentem, conditæ vrbi Hierosolymam nomen è
suo fecisse. Plurimi auctores consentiunt, orta
per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem

Boc-

Bocchorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum vt inuisum deis, alias in terras auehere iussum. Sic conquisitum collectúmque vulgus, postquam vastis locis relictum sit: ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen vnum exsulum monuisse, ne quam deorum hominúmve opem exspectarent, ab vtrisque deserti, sed sibimet vt duci cælesti crederent, primò cuius auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè, quàm inopia aquæ fatigabat. Iámque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cùm grex asinorum agrestium, è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, coniectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id leuamen, & continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus, obtinuere terras in quibus vrbs & templum dicata sunt. Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, nouos ritus, contrariósque ceteris mortalibus, indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessà apud illos, quæ nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitímque depulerant, penetrali sacrauere: cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptij Apin colunt. Sue abstinent, memoria cladis, quòd ipsos scabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem, crebris adhuc ieiuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die, otium placuisse ferunt: quia is finem laborum tulerit. dein blandiente inertia, septimum quoque annum ignauiæ datum. Alij honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus: seu quòd è septem sideribus, quìs mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque cælestium, vim suam & cursum septimos per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. cetera instituta sinistra, fœda, prauitate valuere. Nam pessimus quisque, spretis religionibus patriis, tributa & stipes illuc congerebant. Vnde auctæ Iudæorum res: & quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed aduersus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent. inter se nihil illicitum. Circumcidere genitalia instituêre, vt diuersitate noscantur. Transgressi in morem eorum, idem vsurpant. nec quidquam prius imbuuntur, quàm contemnere deos, exuere patriam: parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis, nefas: animásque prœlio aut suppliciis peremptorum, æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere, quàm cremare, è more Aegyptio: eadémque cura, & de infernis persuasio. cælestium contrà. Aegyptij pleraque animalia effigiésque compositas venerantur. Iudæi mente sola, vnúmque numen intelligunt. Profanos qui deûm imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra vrbibus suis, ne-

A dum templis sunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Sed quia sacerdotes eorum tibia tympanísque concinebant, hedera vinciebantur, vitísque aurea templo reperta: Liberum patrem coli, domitorem Orientis quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. quippe Liber festos lætósque ritus posuit: Iudæorum mos absurdus sordidúsque. Terra finésque, quà ad Orientem vergunt, Arabia
B terminantur: à Meridie, Aegyptus obiacet: ab Occasu, Phœnices & mare: Septentrionem à latere Syriæ longè prospectant. Corpora hominum salubria, & ferentia laborum. rari imbres, vber solum. Exuberant fruges nostrum ad morem. prætérque eas, Balsamum & Palmæ. palmetis proceritas, & decor. Balsamum, modica arbor. vt quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pauent venæ: fragmine lapidis, aut testa aperiuntur. humor in vsu medentium est. Præcipuum
C montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidúmque niuibus. Idem amnem Iordanem alit, funditque. Nec Iordanes pelago accipitur. Sed vnum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Incertæ vndæ, superiacta, vt solido feruntur: periti imperitique nandi, perinde
D attolluntur. Certo anni, bitumen egerit: cuius legendi vsum, vt ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, & sparso aceto concretus, innatat. hunc manu captum, quibus ea cura, in summa nauis trahunt. Inde nullo iuuante influit, onerátque, donec abscindas. nec abscindere ære ferróve possis: fugit cruorem vestémque infectam sanguine, quo feminæ per menses exsoluuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, vndantes bitumine moles pelli,
E manúque trahi ad litus: mox vbi vapore terræ, vi solis inaruerint, securibus cuneisque vt trabes aut saxa discindi. Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnísque vrbibus habitatos, fulminum iactu arsisse: & manere vestigia, terrámque ipsam specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita: aut manu sata, siue herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem
F vanescunt. Ego sicut inclitas quondam vrbes igne cælesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eóque fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cælóque iuxtà graui. Et Belus amnis Iudaico mari illabitur: circa cuius os conlectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur. modicum id litus, sed egerentibus inexhaustum. Magna pars Iudææ vicis dispergitur. habent & opida. Hierosolyma genti caput. Illic immensæ opulentiæ
G templum, & primis munimentis vrbs, dein regia: templum intimis clausum. ad fores, tantùm Iudæo aditus: limine, præter sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes Medósque & Persas Oriens fuit, despectissima pars seruientium postquam Macedones præpotuere, rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est. nam ea tempestate, Arsaces desciuerat. Tum Iudæi, Macedonibus inualidis, Parthis nondum adultis

(& Romani procul aberant) sibi ipsi reges imposuere, qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas ciuium, vrbium euersiones, fratrum, coniugum, parentum neces, aliáque solita regibus ausi, superstitionem fouebant: quia honor sacerdotij, firmamentum potentiæ assumebatur. Romanorum primus Cn. Pompeius Iudæos domuit: templúmque iure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus deûm effigie vacuam sedem, & inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox bello ciuili inter nos, postquàm in ditionem M. Antonij prouinciæ cesserant: rex Parthorum Pacorus Iudæa potitus, interfectúsque à P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti. Iudæos C. Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil exspectato Cæsare, Simon quidam regium nomen inuaserat. Is à Quinctilio Varo obtinente Syriam punitus. & gentem coërcitam, liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies. dein, iussi à C. Cæsare effigiem eius in templo locare, arma potiùs sumpsere, quem motum Cæsaris mors diremit. Claudius defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Iudæam prouinciam equitibus Romanis aut libertis permisit. è quibus Antonius Felix, per omnem sæuitiam ac libidinem, ius regium seruili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatræ & Antonij nepte in matrimonium accepta: vt eiusdem Antonij, Felix progener, Claudius nepos esset. durauit tamen patientia Iudæis, vsque ad Gessium Florum procuratorem. Sub eo bellum ortum. & comprimere coeptantem Cestium Gallum Syriæ legatum, varia prœlia ac sæpius aduersa excepere. Qui vbi fato, aut tædio occidit: missu Neronis, Vespasianus fortunâ famáque & egregiis ministris, intra duas æstates, cuncta camporum, omnésque præter Hierosolyma vrbes, victore exercitu tenebat. Proximus annus ciuili bello intentus, quantum ad Iudæos per otium transiit. pace per Italiam parta, & externæ curæ rediere. Augebat iras, quòd soli Iudæi non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus noui euentus casúsve vtilius videbatur. Igitur castris, vti diximus, ante mœnia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentauit. Iudæi sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longiùs ausuri, & si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambiguè certauit. Mox cessere hostes, & sequentibus diebus crebra pro portis prœlia serebant: donec assiduis damnis, intra mœnia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi. neque enim dignum videbatur, famem hostium opperiri. poscebántque pericula, pars virtute, multi ferocia, & cupidine præmiorum. Ipsi Tito Roma, & opes, voluptatésque ante oculos: ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed vrbem arduam situ, opera moléque firmauerant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati: vt latera oppugnantium, ad ictus patescerent. Extrema rupis, abrupta. & turres, vbi mons iuuisset, in sexaginta pedes: inter deuexa, in centenos vicenósque attollebantur. mira specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia, regiæ circumiecta. conspicuóque fastigio turris, Antonia in honorem M. Antonij ab Herode appellata. Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios. ipsæ porticus, quîs templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, cauati sub terra montes: & piscinæ cisternæque seruandis imbribus. præuiderant conditores ex diuersitate morum, crebra bella. inde cuncta, quamuis aduersus longum obsidium: & à Pompeio expugnatis, metus atque vsus pleraque monstrauere. Atque per auaritiam Claudianorum temporum, empto iure muniendi, struxere muros in pace, tamquam ad bellum. magna colluuie, & ceterarum vrbium clade aucti. Nam peruicacissimus quisque illuc perfugerat, eóque seditiosiùs agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema & latissima mœnium, Simon: mediam vrbem, Ioannes, quem & Bargioram vocabant: templum, Eleazarus firmauerat. Multitudine & armis Ioannes, ac Simon: Eleazarus, loco pollebat. Sed prœlia, dolus, incendia inter ipsos, & magna vis frumenti ambusta. Mox Ioannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manúmque eius obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones ciuitas discessit, donec propinquantibus Rom. bellum externum concordiam pareret. Euenerant prodigia, quæ neque hostiis, neque votis piare fas habet gens, superstitioni obnoxia, religionibus aduersa. Visæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere templum. Expassæ repentè delubri fores, & audita maior humanâ vox, Excedere deos. simul ingens motus excedentium. Quæ pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valesceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur. quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne aduersis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum omnis ætatis, virile ac muliebre sexus, sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent. & plures, quàm pro numero, audebant. Obstinatio viris feminísque par: ac si transferre sedes cogerentur, maior vitæ metus quàm mortis. Hanc aduersus vrbem gentémque Cæsar Titus, quando impetus & subita belli locus abnueret, aggeribus vineísque certare statuit. Diuiduntur legionibus munia, & quies prœliorum fuit: donec cuncta expugnandis vrbibus reperta apud veteres, aut nouis ingeniis, struerentur. At Ciuilis, post malam in Treueris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera castra consedit: tutus loco: & vt memoria prosperarum illic rerum, augescerent Barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis, aduentu secundæ & XVI. & XIIII. legionum. Cohortésque & alæ iampridem accitæ, post victoriam properauerant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, suopte ingenio humentium. Addiderat Ciuilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu reuolutus amnis, adiacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola, & nobis aduersa. quippe miles

Romanus

Romanus armis grauis,& nandi pauidus:Germanos fluminibus suctos, leuitas armorum, & proceritas corporum attollit. Igitur lacessentibus Batauis, ferocissimo cuique nostrorum cœptum certamen. deinde orta trepidatio, cùm præaltis paludibus arma equíque haurirentur. Germani, notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte, latera ac terga circumuenientes. neque vt in pedestri acie, cominus certabatur, sed tamquam nauali pugna, vagi inter vndas, aut si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quàm pro tumultu cædes: quia non ausi egredi paludem Germani, in castra rediere. Eius prœlij euentus, vtrumque ducem, diuersis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Ciuilis, instare fortunæ:Cerialis, abolere ignominiam. Germani, prosperis feroces: Romanos, pudor excitauerat. nox apud Barbaros cantu aut clamore, nostris per iram & minas acta. Posterâ luce, Cerialis equite & auxiliariis cohortibus frontem explet:in secundâ acie, legiones locatæ:dux sibi delectos retinuerat, ad improuisa. Ciuilis haud porrecto agmine, sed cuneis astitit. Batauí Cugernique in dextro; læua ac propiora fluminis, Transrhenani tenuere. Exhortatio ducũ, non more concionis apud vniuersos, sed vt quosque suorum aduehebantur. Cerialis *veterem Rom. nominis gloriam, antiquas recenséſque victorias: vt perfidum, ignauum, victum hostem, in æternum exscinderent. vltione magis, quàm prælio opus esse. Pauciores nuper cum plurib. certasse: attamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. Superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant.* Proprios inde stimulos legionibus admouebat, domitores Britanniæ quartadecimanos appellans. principem Galbam, sextæ legionis auctoritate factum:illa primùm acie, Secundanos noua signa, nouámque aquilam dicaturos. Hinc præuectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, vt suam ripam, sua castra sanguine hostium reciperarent. Alacrior omnium clamor, quîs vel è longa pace prœlij cupido, vel fessis bello pacis amor, præmiáque & quies in posterum sperabantur. Nec Ciuilis silentium struxit aciem, locum pugnæ testem virtutis ciens: *Stare Germanos Batauósque super vestigia gloriæ, cineres ossáque legionum calcantes. quocumque oculos Romanus intenderet, captiuitatem, cladémque & dira omnia obuersari. Ne terrerentur vario Treuerici prœlij euentu: suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis, prædâ manus impediunt. sed cuncta mox prospera, & hosti contraria euenisse. Quæ prouideri astu ducis oportuerit, prouidisse: campos madentes, & ipsis gnaros, paludes hostibus noxias: Rhenum & Germaniæ deos in aspectu, quorum numine capesserent pugnam, coniugum, parentum, patriæ memores. illum diem aut gloriosissimum inter maiores, aut ignominiosum apud posteros fore.* Vbi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis, glandibúsque & ceteris missilibus prœlium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, & Germanis vt elicerent lacessentibus. Absumptis quæ iaciuntur, & ardescente pugna, procursum ab hoste infestiùs. immensis corporibus, & prælongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant: simul è mole, quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus transnatauit. turbata

A ibi res. & pellebatur sociarum cohortium acies,
cùm legiones pugnam excipiunt, suppressáque
hostium ferocia, prœlium exæquatur. Inter quæ,
perfuga Batauus adiit Cerialem, terga hostium
promittens, si extremo paludis eques mitteretur:
solidum illa, & Cugernos quibus custodia obuenisset,
parum intentos. Duæ alæ cum perfuga
missæ, incauto hosti circumfunduntur. quod vbi
clamore cognitum, legiones à fronte incubuere,
B pulsíque Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum
eo die foret, si Romana classis sequi maturasset.
Ne eques quidem institit, repentè fusis
imbribus, & propinqua nocte. Postera die, quartadecima
legio in superiorem prouinciam Gallo
Annio missa. Cerialis exercitum, decima ex
Hispania legio suppleuit. Ciuili Chaucorum auxilia
venere. non tamen ausus opidum Batauorum
armis tueri, raptis quæ ferri poterant,
ceteris iniecto igni in insulam concessit: gnarus
C deesse naues efficiendo ponti, neque exercitum
Rom. aliter transmissurum. quin & diruit molem
à Druso Germanico factam, Rhenúmque prono
alueo in Galliam ruentem, disiectis quæ morabantur,
effudit. Sic velut abacto amne, tenuis
alueus, insulam inter, Germanósque, continentium
terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenũ
Tutor quoque & Classicus, & centũ tredecim
Treuerorũ senatores: in quîs fuit Alpinus Montanus,
quem à Primo Antonio missum in Gallias
D superiùs memorauimus. Comitabatur eum
frater D. Alpinus. Simul ceteri miseratione ac donis
auxilia concibant, inter gentes periculorum
auidas. Tantúmque belli superfuit, vt præsidia
cohortium, alarum, legionum, modicis
vicis quadripartita Ciuilis inuaserit: decimam
legionem, Arenaci: secundam, Batauoduri: &
Grinnes Vadámque cohortium alarúmque castra:
ita diuisis copiis, vt ipse & Verax sorore
eius genitus, Classicúsque ac Tutor suam quis-
E que manum traherent: nec omnia patrandi fiducia,
sed multa ausis aliqua in parte fortunam
affore. Simul Cerialem, neque satis cautum:
& pluribus nuntiis huc illuc cursantem, posse
medio intercipi. Quibus obuenerant castra decumanorum,
oppugnationem legionis arduam
rati, egressum militem & cædendis materiis operatum
turbauere, occiso præfecto castrorum
& quinque primoribus centurionum, paucísque
militibus. Ceteri se munimentis defendêre.
F Et interim Germanorum manus, Batauoduri,
irrumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum
prœlium nox diremit. Plus discriminis
apud Grinnes Vadámque. Vadam Ciuilis, Grinnes
Classicus, oppugnabant. nec sisti poterant, interfecto
fortissimo quoque: in quîs Briganticus
præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis, &
Ciuili auunculo infensum diximus. Sed vbi Cerialis
cum delecta equitum manu subuenit, versa
fortuna. præcipites Germani in amnem aguntur.
G Ciuilis dum fugientes retentat agnitus, petitúsq;
telis, relicto equo, transnatauit. Idem Germanis
effugium. Tutorem Classicúmque appulsæ lintres
vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnæ affuit,
vt iussum erat. Sed obstitit formido, & remiges
per alia militiæ munia dispersi. Sanè Cerialis
parum temporis ad exsequenda imperia dabat: subitus
consiliis, sed euentu clarus. Aderat fortuna,
etiam vbi artes defuissent. hinc ipsi exercituíque,
minor cura disciplinæ. Et paucos post dies quam-

quam periculum captiuitatis euasisset, infamiam non vitauit. Profectus Nouesium Bonnámque ad visenda castra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, nauibus remeabat, disiecto agmine, incuriosis vigiliis. Animaduersum id Germanis, & insidias composuere. electa nox atra nubibus, & prono amne rapti, nullo prohibente vallum ineunt. Prima cædes astu adiuta: incisis tabernaculorum funibus, suismet coriis coopertos trucidabant. Aliud agmen, turbare classem, iniicere vincla, trahere puppes. Vtque ad fallendum silentio, ita cœpta cæde, quò plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste, & strictis mucronibus. dux semisomnis ac propè intectus, errore hostium seruatur. Namque prætoriam nauem, vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, vt plerique credidere, ob stuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris Vbiæ. vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere, ne quietem eius turbarent. ita intermisso signo, & vocibus, se quoque in somnum lapsos. Multa luce reuecti hostes, captiuis nauibus, prætoriam triremem, flumine Luppia, donum Velledæ traxere. Ciuilem cupido incessit, naualem aciem ostentandi. Complet quod biremium, quæque simplici ordine agebantur. Adiecta ingens lintrium vis. tricenis quadragenísque, armamenta Liburnicis solita, & simul captæ lintres, sagulis versicoloribus haud indecorè pro velis iuuabantur. Spatium velut æquoris electum, quò Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit. Caussa instruendæ classis, super insitam genti vanitatem, vt eo terrore commeatus Gallia aduentantes interciperent. Cerialis miraculo magis, quàm metu, direxit classem: numero imparem, vsu remigum, gubernatorum arte, nauium magnitudine potiorem. His flumen secundum: illi vento agebantur. Sic præuecti, tentato telorum iactu, dirimuntur. Ciuilis nihil vltra ausus, trans Rhenum concessit. Cerialis insulam Batauorum hostiliter populatus, agros villásque Ciuilis intactos, nota arte ducum sinebat: cùm interim flexu autumni, & crebris pluuialibus imbribus superfusus amnis, palustrem humilémque insulam in faciem stagni oppleuit. nec classis, aut commeatus aderant: castráque in planu sita, vi fluminis differebantur. Potuisse tunc

A opprimi legiones, & voluisse Germanos, sed dolo à se flexos, imputauit Ciuilis. Neque abhorret vero, quando paucis pòst diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis, per occultos nuntios, Batauis pacem, Ciuili veniam ostentans, Velledam propinquósque monebat, fortunam belli tot cladibus aduersam, opportuno erga populum Ro. merito mutare. *Cæsos Treueros, receptos Vbios, ereptam Batauis patriam: neque aliud Ciuilis ami-* B *citia peractum, quàm vulnera, fugas, luctus. exsulem eum & extorrem, recipientibus oneri: & satis peccauisse, quòd totiens Rhenum transcenderint. si quid vltra moliantur, inde iniuriam & culpam, hinc vltionem & deos fore.* Miscebantur minis promissa. Et concussa Transrhenanorum fide, inter Batauos quoque sermones orti, *Non prorogandam vltrà ruinam: nec posse ab vna natione totius orbis seruitium depelli. quid perfectum cæde & incendiis legionum, nisi vt plures validioresque accirentur? Si Ve-* C *spasiano bellum nauauerint, Vespasianum rerum potiri. sin populum Romanum armis prouocent; quotam partem generis humani Batauos esse? respicerent Rhætos Noricósque, & ceterorum onera sociorum: sibi non tributa, sed virtutem & vires indici. proximum id libertati: & si dominorum electio sit; honestius principes Romanorum, quàm Germanorum feminas tolerari.* Hæc vulgus. Proceres, *atrociore Ciuilis rabie semet in arma trusos: illum domesticis malis, excidium gentis opposuisse. tunc infensos Batauis deos,* D *cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum vni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant & noxij capitis pœna pœnitentiam fateantur.* Non fefellit Ciuilem ea inclinatio, & præuenire statuit: super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, scinditur Nabaliæ fluminis pons. In cuius abrupta progressi duces, & Ciuilis ita cœpit. *Si apud Vitellij legatum defenderer: neque facto meo venia, neque di-* E *ctis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, à me aucta erant. Erga Vespasianum, vetus mihi obseruantia: & cum priuatus esset, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cuius epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanicæ legiones & Gallica iuuentus Alpes transcenderet. Quæ Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus præsens mouebat, arma in Germania moui, quæ Mucianus in Syria, Aponius in Mœsia, Flauianus in Pannonia.*



C. CORNELII TACITI DE SITV, MORIBVS, ET POPVLIS GERMANIÆ, LIBELLVS.



Ermania omnis à Gallis Rhętiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacísque, mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus & insularum immēsa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus quos bellum aperuit. Rhenus Rhęticarum Alpiū inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. Danubius molli & clemēter edito montis Abnobæ iugo effusus, plures populos adit, donec in Pōticum mare sex meatibus erumpit. septimū enim os paludibus hauritur. Ipsos Germanos indigenas crediderim, miniméque aliarum gentium aduentibus & hospitiis mixtos: quia nec terra olim, sed classibus aduehebantur qui mutare sedes quærebant: & immensus vltrà, vtque sic dixerim, aduersus Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur. Quis porrò pręter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia, Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristē cultu aspectúque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditorésque. Manno tris filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medij Herminones, ceteri Istæuones vocentur. Quidam autem licentia vetustatis plureis deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gābriuios, Sueuos, Vandalios affirmāt: eáque vera & antiqua nomina. Ceterùm Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum: quoniam qui primi Rhenū transgressi Gallos expulerint, ac nūc Tungri, tunc Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis

A eualuisse paulatim, vt omnes primùm à victore ob metum, mox à seipsis inuento nomine Germani vocarentur. Fuisse apud eos & Herculem memorant, primúmque omnium virorum fortium ituri in prœlia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu quem Barditum vocant, accendunt animos, futuræque pugnę fortunam ipso cantu augurantur. terrēt enim, trepidántve, prout sonuit acies. Nec tā voces illæ, quàm virtutis concētus videntur. affectatur præcipuè asperitas soni, B & fractū murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior vox repercussu intumescat. Ceterùm & Vlixem quidam opinantur longo illo & fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgiúmque, quod in ripa Rheni situm hodiéque incolitur, ab illo constitutum, nominatúmque. Aram quinetiam Vlixi consecratam, adiecto Laërtæ patris nomine, eodem loco olim repertam: monumentáque, & tumulos quosdam Græcis litteris inscriptos in con- C finio Germaniæ Rhætiæq; adhuc exstare. quæ neque confirmare argumentis, neque reuellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem. Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationū connubiis infectos, propriam & sinceram & tantùm sui similem gentem exstitisse arbitrātur. Vnde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantùm ad D impetum valida. laboris atque operum non eadē patientia: miniméque sitim æstúmq; tolerare, frigora atq; inediam cælo solóve assueuerunt. Terra etsi aliquanto specie differt, in vniuersum tamen aut siluis horrida, aut paludibus fœda: humidior quà Gallias, ventosior quà Noricum ac Pannoniā aspicit: satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. ne armentis quidem suus honor, aut gloria frōtis. numero gaudent. eǽque solæ & gratissimæ E opes sunt. Argentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argentum aurúmve gignere. quis enim scrutatus est? possessione & vsu

haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos ar-
gentea vasa, legatis & principibus eorum muneri
data, non in alia vilitate, quàm quę humo fingun-
tur: quamquam proximi ob vsum cōmerciorum
aurum & argentum in pretio habent, formásque
quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, atque eli-
gunt: interiores simplicius & antiquius permu-
tatione mercium vtuntur. Pecuniam probant ve-
terem & diu notam, Serratos, Bigatósque. Argen-
tum quoque magis quàm aurum sequuntur, nul-
la affectione animi, sed quia numerus argenteo-
rum facilior vsui est promiscua ac vilia mercan-
tibus. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere
telorum colligitur. Rari gladiis, aut maioribus
lanceis vtuntur. hastas, vel ipsorum vocabulo fra-
meas gerunt, angusto & breui ferro; sed ita acri &
ad vsum habili, vt eodem telo, prout ratio poscit,
vel cominus vel eminus pugnent. & eques qui-
dem scutu frameáque contentus est. pedites &
missilia spargunt, pluráque singuli, atque in im-
mensum vibrant, nudi aut sagulo leues. nulla cul-
tus iactatio: scuta tantùm lectissimis coloribus
distinguunt. paucis loricæ: vix vni alterive cassis,
aut galea. Equi non forma, non velocitate conspi-
cui. sed nec variare gyros in morem nostrum do-
centur. In rectum aut vno flexu dextros agunt, ita
coniuncto orbe, vt nemo posterior sit. In vniuer-
sum æstimanti, plus penes peditem roboris: eóq;
mixti prœliantur, apta & congruente ad equestrē
pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuen-
tute delectos ante aciem locant. Definitur & nu-
merus: centeni ex singulis pagis sunt: idque ipsum
inter suos vocantur. & quod primò numerus fuit,
iam nomen & honor est. Acies per cuneos com-
ponitur. Cedere loco, dummodo rursus instes,
consilij quàm formidinis arbitrantur. Corpora
suorum etiā in dubiis prœliis referūt. Scutum re-
liquisse præcipuum flagitiū. nec aut sacris adesse,
aut concilium inire ignominioso fas. multique
superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.
Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec
regibus infinita aut libera potestas; & duces exem-
plo potiùs quàm imperio, si prompti, si conspi-
cui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. Ce-
terùm neque animaduertere, neque vincire, neq;
verberare quidem nisi sacerdotibus permissum:
non quasi in pœnam nec ducis iussu, sed velut deo
imperante, quem adesse bellantibus credunt: effi-
giesque, & signa quædam detracta lucis in prœ-
lium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis
incitamentum est, non casus, nec fortuita con-
globatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ
& propinquitates. & in proximo pignora: vnde
feminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantiū.
hi cuiq; sanctissimi testes, hi maximi laudatores,
Ad matres, ad cōiuges vulnera ferunt: nec illæ nu-
merare, aut exsugere plagas pauent. Cibósque &
hortamina pugnantibus gestāt. Memoriæ prodi-
tur, quasdam acies inclinatas iam & labantes à fe-
minis restitutas, constantia precum & obiectu pe-
ctorum, & monstrata cominus captiuitate, quam
longè impatientiùs feminarum suarum nomine
timent: adeò vt efficaciùs obligentur animi ciui-
tatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobi-
les imperātur. Inesse quinetiam sanctum aliquid,
& prouidum putāt: nec aut consilia earum asper-
nantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub diuo
Vespasiano Velledam, diu apud plerosque numi-
nis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & com-

A plureis alias venerati sunt, non adulatione, nec tā-
quam facerent deas. Deorum maximè Mercurium
colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis
litare fas habent. Herculem ac Martem concessis
animalibus placant: pars Sueuorum & Isidi sacri-
ficat. Vnde caussa & origo peregrino sacro, parum
comperi, nisi quòd signum ipsum in modum li-
burnæ figuratum, docet aduectam religionem. Ce-
terùm nec cohibere parietibus deos, neque in vl-
B lam humani oris speciem assimulare, ex magnitu-
dine cælestiū arbitrantur. lucos ac nemora consc-
erant, deorúmque nominibus appellant secretum
illud, quod sola reuerentia vidēt. Auspicia, sortés-
que vt qui maximè obseruant. Sortium consuetu-
do simplex. virgam frugiferæ arbori decisam, in
surculos amputant, eósque notis quibusdam dis-
cretos super candidam vestem temerè ac fortuitò
spargunt. mox si publicè consulatur, sacerdos ci-
uitatis; sin priuatim: ipse paterfamiliæ precatus
C deos, cęlúmq; suspiciens, ter singulos tollit, subla-
tos secundùm impressam antè notam interpreta-
tur. Si prohibuerūt; nulla de eadem re in eundem
diem consultatio. Sin permissum; auspiciorū ad-
huc fides exigitur. & illud quidē etiam hic notū,
auium voces, volatúsque interrogare. Proprium
gentis, equorū quoque pręsagia ac monitus expe-
riri. publicè aluntur iisdem nemorib. ac lucis, cā-
didi & nullo mortali opere contacti, quos pressos
sacro curru sacerdos ac rex vel princeps ciuitatis
D comitantur, hinnitúsque ac fremitus obseruant.
Nec vlli auspicio maior fides, nō solùm apud ple-
bem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim
ministros deorum, illos conscios putant. Est & a-
lia obseruatio auspiciorum, qua grauium bellorū
euentus explorant. Eius gentis cū qua bellum est,
captiuum quoquo modo interceptum, cū electo
popularium suorum, patriis quemque armis cō-
mittunt. victoria huius vel illius, pro præiudicio
accipitur. De minoribus rebus principes consul-
E tant, de maioribus omnes. ita tamē, vt ea quoque,
quorum penes plebem arbitrium est, apud princi-
pes pertractentur. Coëunt, nisi quid fortuitum &
subitū inciderit, certis diebus, cùm aut inchoatur
luna aut impletur. nam agendis rebus hoc auspi-
catissimum initium credunt. Nec dierum nume-
rum vt nos, sed noctium computant. Sic consti-
tuūt, sic condicunt. nox ducere diem videtur. Illud
ex libertate vitiū, quòd non simul, nec iussi cōue-
F niunt, sed & alter, & tertius dies cūctatione coëū-
tium absumitur. Vt turbæ placuit, considunt ar-
mati. Silentium per sacerdotes, quibus tū & coër-
cendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps,
prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus
bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctori-
tate suadendi magis quàm iubendi potestate. Si
displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin pla-
cuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assen-
sus genus est, armis laudare, Licet apud concilium
G accusare quoque, & discrimen capitis intendere.
Distinctio pœnarū ex delicto. proditores & trās-
fugas arboribus suspendunt. ignauos, & imbelles,
& corpore infames, cœno ac palude, iniecta insu-
per crate, mergunt. Diuersitas supplicij illuc respi-
cit, tamquam scelera ostendi oporteat dum pu-
niuntur, flagitia abscondi. Sed & leuioribus deli-
ctis pro modo pœnarum, equorū pecorúmq; nu-
mero conuicti multantur. pars multæ regi vel ci-
uitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius
exsoluitur. Eliguntur in iisdem conciliis & prin-
cipes,

cipes,qui iura per pagos vicósque reddunt. Cen-
tem singulis ex plebe comites,consilium simul &
auctoritas,adsunt.Nihil autem neque publicę ne-
que priuatę rei,nisi armati agunt.Sed arma sume-
re non ante cuiquam moris, quàm ciuitas suffe-
cturum probauerit.Tum in ipso cōcilio vel prin-
cipū aliquis, vel pater, vel propinquus scuto fra-
meáque iuuenem ornát. hæc apud illus toga, hic
primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars vi-
dētur,mox reipublicæ. Insignis nobilitas aut ma-
gna patrum merita, principis dignationem etiam
adolescentulis assignant. Ceteris robustioribus ac
iampridem probatis aggregantur. nec rubor inter
comites aspici. Gradus quinetiam & ipse comita-
tus habet,iudicio eius quem sectantur Magnáque
& comitum æmulatio, quibus primus apud prin-
cipem suum locus: & principum, cui plurimi &
acerrimi comites. Hæc dignitas,hæ vires,magno
semper electorum iuuenum globo circumdari,in
pace decus, in bello præsidium. Nec solùm in sua
gente cuique,sed apud finitimas quoque ciuitates
id nomē,ea gloria est, si numero ac virtute comi-
tatus emineat. expetuntur enim legationibus, &
muneribus ornantur,& ipsa plerumq; fama bella
profligant.Cùm ventum in aciem, turpe principi
virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis
non adæquare. Iam verò infame in omnem vitam
ac probrosum,superstitem principi suo ex acie re-
cessisse.Illum defendere, tueri,sua quoq; fortia fa-
cta gloriæ eius assignare, præcipuum sacramentū
est. Principes pro victoria pugnant:comites pro
principe.Si ciuitas,in qua orti sunt,longa pace &
otio torpeat; plerique nobilium adolescentium pe-
tunt vltrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod
gerunt.quia & ingrata genti quies, & faciliùs in-
ter ancipitia clarescunt, magnúmque comitatum
non nisi vi bellóque tueare. exigunt enim princi-
pis sui liberalitate illum bellatorem equum,illam
cruentam victricemque frameam. Nam epulæ,&
quamquam incompti,largi tamen apparatus, pro
stipēdio cedunt.Materia munificētiæ per bella,&
raptus. Nec arare terrā, aut exspectare annum,tā
facile persuaseris, quàm vocare hostes & vulnera
mereri. pigrum quinimo & iners videtur sudo-
re acquirere, quod possis sanguine parare. Quo-
tiens bella non ineunt, non multum venatibus,
plus per otium transigunt,dediti somno,cibóque.
Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agēs,
delegata domus & penatium & agrorum cura fe-
minis senibúsque, & infirmissimo cuiq; ex fami-
lia, ipsi hebent: mira diuersitate naturæ,cùm idē
homines sic ament inertiam, & oderint quietem.
Mos est ciuitatibus vltrò ac viritim cōferre prin-
cipibus vel armētorum vel frugum:quod pro ho-
nore acceptum,etiā necessitatibus subuenit. Gau-
dent præcipuè finitimarum gentium donis, quæ
non modo à singulis,sed publicè mittuntur:electi
equi,magna arma,phaleræ,torquésque.Iam & pe-
cuniam accipere docuimus.Nullas Germanorum
populis vrbes habitari,satis notū est, ne pati qui-
dem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac di-
uersi,vt fons,vt cāpus,vt nemus placuit.Vicos lo-
cant,non in nostrum morem, connexis & cohæ-
rentib.ædificiis: suam quisque domum spatio cir-
cumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue
inscitia ædificandi. Ne cæmētorum quidem apud
illos aut tegularum vsus. Materia ad omnia vtun-
tur informi, & citra speciem aut delectationem.
Quædam loca diligentiùs illinunt terra ita pura

A ac splendente, vt picturam ac lineamenta colo-
rum imitetur. Solent & subterraneos specus ape-
rire,eósque multo insuper fimo onerant, suffugiū
hiemi & receptaculum frugibus: quia rigorē fri-
gorum eiusmodi locis molliunt:& si quando ho-
stis aduenit,aperta populatur.abdita autem & de-
fossa,aut ignorātur,aut eo ipso fallunt,quòd quę-
renda sunt. Tegumen omnibus sagum,fibula,aut,
si desit,spina consertum.Cetera intecti, totos dies
iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi
B veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ
ac Parthi,sed stricta & singulos artus exprimente.
Gerunt & ferarum pelles,proximi ripæ negligen-
ter,vlteriores exquisitiùs,vt quibus nullus per cō-
mercia cultus. Eligunt feras,& detracta velamina
spargunt maculis, pellibúsque belluarum, quas
exterior Oceanus,atque ignotū mare gignit. Nec
alius feminis quàm viris habitus, nisi quòd femi-
næ sæpius lineis amictibus velantur, eósque pur-
C pura variāt, partémque vestitus superioris in ma-
nicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos.
sed & proxima pars pectoris patet. Quamquam
seuera illic matrimonia. Nec vllam morum par-
tem magis laudaueris. nam propè soli barbarorū
singulis vxoribus cōtenti sunt,exceptis admodum
paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plu-
rimis nuptiis ambiuntur. Dotē non vxor marito,
sed vxori maritus offert. Intersunt parētes & pro-
pinqui,ac munera probant: munera non ad deli-
cias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta
D comatur, sed boues & frenatum equum, & scutū
cum framea,gladióque.In hæc munera vxor acci-
pitur. atque inuicem ipsa armorum aliquid viro
affert.hoc maximum vinculum,hæc arcana sacra,
hos coniugales deos arbitrantur.Ne se mulier ex-
tra virtutum cogitationes,extráque bellorum ca-
sus putet, ipsis incipientis matrimonij auspiciis
admonetur, venire se laborum periculorúmque
sociam, idem in pace, idem in prœlio passurā au-
surámque. hoc iuncti boues, hoc paratus equus,
E hoc data arma denuntiant.Sic viuendum, sic per-
eūdum. accipere se quæ liberis inuiolata ac digna
reddat,quæ nurus accipiant,rursúsque ad nepotes
referant.Ergo septa pudicitia agunt,nullis specta-
culorum illecebris, nullis conuiuiorum irritatio-
nibus corruptæ.Litterarum secreta viri pariter ac
feminæ ignorant.Paucissima in tā numerosa gen-
te adulteria,quorū pœna præsens, & maritis per-
missa. Accisis crinibus nudatam corā propinquis
F expellit domo maritus,ac pēr omnem vicum ver-
bere agit. publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.
non forma,non ætate, non opibus maritum inue-
nerit.Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpe-
re & corrumpi,sæculum vocatur. Melius quidem
adhuc eæ ciuitates,in quibus tantùm virgines nu-
bunt, & cum spe votóque vxoris semel transigi-
tur. Sic vnum accipiunt maritum, quo modo v-
num corpus,vnámque vitam,ne vlla cogitatio vl-
trà, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum,
G sed tamquam matrimonium ament. Numerum
liberorum finire,aut quemquam ex agnatis neca-
re,flagitium habetur. plúsque ibi boni mores va-
lent,quàm alibi bonæ leges. In omni domo nudi
ac sordidi,in hos artus,in hæc corpora,quæ mira-
mur,excrescunt. Sua quemque mater vberibus a-
lit,nec ancillis ac nutricibus delegantur. Domi-
nū ac seruum nullis educationis deliciis dignos-
cas.Inter eadem pecora, in eadem humo degunt;
donec ætas separet ingenuos,virtus agnoscat. Se-

ra iuuenum Venus,eóq; inexhausta pubertas. nec
virgines festinantur,eadem iuuenta,similis proce-
ritas.pares validique miscentur. ac robora paren-
tum liberi referunt. Sororum filiis idē apud auun-
culum,qui apud patrem honor. Quidam sanctio-
rem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrā-
tur,& in accipiendis obsidibus magis exigunt,tā-
quam ij,& animum firmiùs, & domum latiùs te-
neant. Heredes tamen successorésque sui cuique
liberi:& nullum testamentum. Si liberi non sunt,
proximus gradus in possessione ; fratres,patrui,a-
uunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior
affinium numerus, tanto gratiosior senectus. nec
vlla orbitatis pretia. Suscipere tam inimicitias seu
patris , seu propinqui , quàm amicitias necesse
est. Nec implacabiles durant. luitur enim etiam
homicidium certo armentorum ac pecorum nu-
mero recipitque satisfactionem vniuersa domus,
vtiliter in publicum,quia periculosiores sunt ini-
micitiæ iuxta libertatem. Conuictibus & hospi-
tiis non alia gēs effusiùs indulget. Quemcumque
mortalium arcere tecto,nefas habetur, pro fortu-
na quisque apparatis epulis excipit. Cùm defece-
re, qui modò hospes fuerat , mōstrator hospitij &
comes, proximam domum nō inuitati adeūt. nec
interest. pari humanitate accipiuntur. Notum i-
gnotúmque , quantum ad ius hospitij , nemo dis-
cernit. Abeunti,si quid poposceris , cōcedere mo-
ris: & poscendi inuicem eadem facilitas. Gaudent
muneribus. sed nec data imputant , nec acceptis
obligantur. Victus inter hospites comis. Statim è
somno , quem plerumque in diem extrahunt , la-
uantur,sæpiùs calida , vt apud quos plurimū hiēs
occupat. Lauti , cibum capiunt. separatæ singulis
sedes,& sua cuique mensa. Tum ad negotia , nec
minus sæpè ad conuiuia procedunt armati. Diem
noctémque continuare potando , nulli probrum.
Crebræ vt inter vinolentos rixæ , rarò conuiciis,
sæpiùs cæde & vulneribus transiguntur. Sed & de
reconciliandis inuicem inimicis,& iungendis af-
finitatibus, & adsciscēdis principibus,de pace de-
nique ac bello plerumque in conuiuiis consultāt:
tamquam nullo magis tempore aut ad simplices
cogitationes pateat animus , aut ad magnas inca-
lescat. Gens non astuta nec callida , aperit adhuc
secreta pectoris,licentia loci. Ergo detecta & nu-
da omnium mens, postera die retractatur : & sal-
ua vtriusque temporis ratio est. Deliberant, dum
fingere nesciunt:constituunt , dum errare nō pos-
sunt. Potui humor ex hordeo aut frumento,in quā-
dam similitudinem vini corruptus. Proximi ripę,
& vinum mercantur. Cibi simplicēs , agrestia po-
ma,recens fera,aut lac concretum. Sine apparatu,
sine blandimentis expellunt famē. aduersus sitim,
non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati,
suggerendo quantum concupiscunt , haud minus
facilè vitiis,quam armis vincentur. Genus specta-
culorum vnum atque in omni cœtu idem. Nudi
iuuenes , quibus id ludicrum est , inter gladios se
atque infestas frameas saltu iaciunt. Exercitatio
artem parauit,ars decorem.non in quæstum tamē
aut mercedē. quamuis audacis lasciuiæ pretiū est,
voluptas spectātium. Aleā(quod mirere)sobrij in-
ter seria exercent,tanta lucrādi perdēdivę temeri-
tate, vt cùm omnia defecerūt,extremo ac nouissi-
mo iactu de libertate & de corpore cōtendāt. Vi-
ctus voluntariā seruitutem adit. Quamuis iunior,
quamuis robustior,alligari se ac venire patitur. Ea
est in re praua peruicacia: ipsi fidem vocāt. Seruos
conditionis huius per commercia tradunt , vt se

A quoq; pudore victoriæ exsoluāt. Ceteris seruis, nō
in nostrū morē descriptis per familiam ministe-
riis, vtūtur. Suam quisque sedem, suos penates re-
git. Frumenti modum dominus , aut pecoris,aut
vestis,vt colono iniūgit: & seruus hactenus paret.
Cetera domus officia,vxor ac liberi exsequuntur.
Verberare seruum , ac vinculis & opere coërcere,
rarū. Occidere solent , nō disciplina & seueritate,
sed impetu & ira,vt inimicum,nisi quòd impunè.
B Liberti non multū supra seruos sunt,rarò aliquod
monumētū in domo,numquā in ciuitate,exceptis
dūtaxat iis gētibus,quæ regnantur. Ibi enim & su-
per ingenuos,& super nobiles ascendūt. Apud ce-
teros, impares libertini libertatis argumētū sunt.
Fenus agitare & in vsuras extēdere,ignotū:ideóq;
magis seruatur,quàm si vetitū esset. Agri pro nu-
mero cultorū ab vniuersis per vices occupantur,
quos mox inter se secūdum dignationē partiūtur.
facilitatē partiēdi,cāporū spatia præstāt. Arua per
C annos mutāt,& superest ager. nec enim cū vberta-
te & amplitudine soli labore cōtēdūt, vt pomaria
cōserāt,& prata separēt, & hortos rigēt. sola terræ
seges imperatur. Vnde annum quoq; ipsum nō in
totidē digerunt species. Hiems & ver & æstas in-
tellectū ac vocabula habēt : autumni perinde no-
mē ac bona ignorātur. Funerum nulla ambitio.
Id solū obseruatur,vt corpora clarorū virorū cer-
tis lignis crementur. Struē rogi,nec vestibus , nec
odoribus cumulāt. sua cuiq; arma, quorundam i-
D gni & equus adiicitur. Sepulcrū cespes erigit. Mo-
numentorum arduum & operosum honorem, vt
grauē defunctis , aspernātur. Lamēta ac lacrymas
citò, dolorē & tristitiā tardè ponunt. Feminis lu-
gere honestū est: viris meminisse. Hęc in cōmune,
de omniū Germanorū origine ac moribus acce-
pimus. Nūc singularū gentiū instituta,ritúsq; qua-
tenus differant, quæ nationes è Germania in Gal-
lias cōmigrauerint, expediā. Validiores olim Gal-
lorū res fuisse summus auctorū diuus Iulius tra-
E dit. eóque credibile est,etiā Gallos in Germaniam
trāsgressos. Quātulum enim amnis obstabat , quo
minus,vt quęq; gēs eualuerat , occuparet permu-
tarétq; sedes promiscuas adhuc , & nulla regnorū
potētia diuisas ? Igitur inter Hercyniā siluā,Rhe-
númq; & Mœnū amnes , Heluetij: vlteriora Boij,
Gallica vtraq; gēs, tenuere. Manet adhuc Boiemi
nomē,significátq; loci veterē memoriā, quamuis
mutatis cultoribus. Sed vtrū Arauisci in Panno-
niā ab Osis Germanorum natione,an Osi ab Ara-
F uiscis in Germaniā cōmigrauerint , cùm eodē ad-
huc sermone,institutis,moribus vtātur, incertum
est: quia pari olim inopia ac libertate,eadē vtrius-
que ripæ bona maláque erant. Treueri & Neruij
circa affectationē Germanicæ originis vltrò am-
bitiosi sunt , tāquam per hāc gloriā sanguinis,à si-
militudine & inertia Gallorum separētur. Ipsam
Rheni ripā haud dubiè Germanorū populi colūt,
Vangiones,Triboci,Nemetes. Vbij quidē,quam-
quā Romana colonia esse meruerint, ac libentiùs
G Agrippinēses cōditoris sui nomine vocētur , ori-
gine erubescūt,transgressi olim, & experimēto fi-
dei super ipsam Rheni ripā collocati, vt arcerent,
nō vt custodirentur. Omniū harū gētium virtute
pręcipui Bataui,nō multū ex ripa,sed insulā Rhe-
ni amnis colūt,Cattorū quōdam populus,& sedi-
tione domestica in eas sedes transgressus , in qui-
bus pars Romani imperij fierent. Manet honos,
& antiquæ societatis insigne. nam nec tributis
contemnūtur,nec publicanus atterit. exēpti one-
ribus & collationibus,& tantum in vsum prœlio-
rum

rum sepositi, velut tela atque arma, bellis reseruantur. Est in eodem obsequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani vltra Rhenum, vltráque veteres terminos imperij reuerentiam. Ita sede finibúsque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batauis, nisi quòd ipso adhuc terræ suæ solo & cælo acriùs animantur. Non numerauerim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiúmque consederint, eos qui Decumates agros exercent. Leuissimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ possessionis solum occupauere. Mox limite acto, promotísque præsidiis, sinus imperij, & pars prouinciæ habentur. Vltra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, vt ceteræ ciuitates, in quas Germania patescit. durant siquidem colles, paulatímque rarescunt: & Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, & maior animi vigor. Multum (vt inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quódque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce quàm in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma, ferramentis quoque & copiis onerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum. rari excursus & fortuita pugna. Equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est. Et aliis Germanorum populis vsurpatum, rara & priuata cuiusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, vt primùm adoleuerint crinem barbámque summittere, nec nisi hoste cæso exuere votiuum obligatúmque virtuti, oris habitum. Super sanguinem & spolia, reuelant frontem, séque tum demum pretia nascendi retulisse, dignósque patria ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absoluat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Iámque canent insignes & hostibus simul, suísque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima semper acies, visu noua. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venêre aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat. Proximi Cattis certum iam alueo Rhenum, quíque terminus esse sufficiat, Vsipij ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores: posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc iuuenum æmulatio, perseuerant senes. inter familiam, & penates, & iura successionum, equi traduntur. excipit filius, non vt cetera maximus natu, sed prout ferox bello & melior. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos & Angrinarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu fauore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem prœlij inuidere. super LX. millia non armis telísque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculísque ceciderunt. Maneat quæso, duretque gentibus si non amor nostri, at certè odium sui: quando vrgentibus imperij fatis, nihil iam præstare fortuna maius potest, quam hostium discordiam. Angrinarios & Chamauos à tergo Dulgibini, & Chasuari cludunt, aliæque gentes haud perinde memoratæ. à fronte Frisij excipiunt. Maioribus minoribúsque Frisiis vocabulum est, ex modo virium. vtræque nationes vsque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiúntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illâ tentauimus. & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgauit: siue adiit Hercules, seu quidquid vbique magnificum est, in claritatem eius referre consueuimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: sanctiúsque ac reuerentius visum, de actis deorum credere, quàm scire. Hactenus in Occidentem, Germaniam nouimus. In Septemtrionem, ingenti flexu redit. Ac primò statim Chaucorum gens, quamquam incipiat à Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque sinuetur. tam immensum terrarum spatium non tenent tantùm Chauci, sed & implent: populus inter Germanos nobilissimus, quíque magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretíque nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod vt superiores agant, non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat exercitus: plurimum virorum equorúmque & quiescentibus eadem fama. In latere Chaucorum, Cattorúmque, Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idque iocundius, quàm tutius fuit. quia inter impotentes & validos falsò quiescas, vbi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum & Fosi contermina gens, aduersarum rerum ex æquo socij, cùm in secundis minores fuissent. Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloriâ ingens. veterísque famæ latè vestigia manent, vtrâque ripâ castra, ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manúsque gentis, & tam magni exercitus fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum vrbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi æui spatio, multa inuicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpiùs admonuere. quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quàm cædem Crassi, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul cõsulareis exercitus Populo Romano: Varũ tres-

que cū eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. nec impunè C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere: ac rursus, pulsi inde. proximis temporibus triumphati magis quàm victi sunt. Nunc de Sueuis dicendum est, quorum non vna vt Cattorum Tencterorúmve gens: maiorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibúsque discreti, quamquam in commune Sueui vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem, nodóque substringere. Sic Sueui à ceteris Germanis: sic Sueuórum ingenui à seruis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliquâ Sueuorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum & intra iuuentæ spatium: apud Sueuos vsque ad caniciem horrentem capillum retrò sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant. principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ, sed innoxiæ. Neque enim vt ament amentúrve: in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti, vt hostium oculis, ornantur. Vetustissimos se nobilissimósque Sueuorum Semnones memorant. Fides antiquitatis, religione firmatur. Stato tēpore in siluā

Auguriis patrum & prisca formidine sacram,

omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt, cæsóque publicè homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reuerentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & potestatem numinis præ se ferens. si fortè prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum. per humum euoluuntur. eóque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur: magnóque corpore efficitur, vt se Sueuorū caput credant. Contrà Langobardos paucitas nobilitat, quòd plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis & periclitando tuti sunt. Reudigni deinde & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut siluis muniuntur. nec quidquam notabile in singulis, nisi quòd in commune Herthum, id est, Terram matrem colunt, eámque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani Castum nemus, dicatúmque in eo vehiculum veste contectum, attingere vni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intelligit, vectámque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcumque aduentu hospitióque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum. pax & quies tunc tantùm nota, tunc tantùm amata, donec idem sacerdos satiatā conuersatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctáque ignorantia, quid sit illud quod tantùm perituri vident. Et hæc quidem pars Sueuorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior (vt quo modo paulo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum ciuitas, fida Romanis, eóque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidis-

A sima Rhætiæ prouinciæ colonia. passim & sine
custode transeunt: & cùm ceteris gentibus ar-
ma modò castráque nostra ostendamus, his do-
mos villásque patefecimus, non concupiscenti-
bus. In Hermunduris Albis oritur, flumen incli-
tum & notum olim: nunc tantùm auditur. Iuxta
Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomani &
Quadi agunt. Præcipua Marcomanorum gloria
viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bois,
B virtute parta. Nec Narisci Quadíve degenerant.
Eáque Germaniæ velut frons est, quatenus Da-
nubio pergitur. Marcomanis, Quadísque vsque ad
nostram memoriam reges manserunt, ex gente
ipsorum. nobile Marobodui & Tudri genus. iam
& externos patiuntur. Sed vis & potentia regi-
bus, ex auctoritate Romana. rarò armis nostris,
sæpiùs pecunia iuuantur. Nec minus valent re-
trò Marsigni, Gothini, Osi, Burij: terga Marcoma-
norum Quadorúmque claudunt. è quibus Mar-
C signi, & Burij sermone cultúque Sueuos referunt.
Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coar-
guit non esse Germanos: & quòd tributa patiun-
tur. partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi
vt alienigenis imponunt. Gothini, quò magis pu-
deat, & ferrum effodiunt. omnésque hi populi
pauca campestrium, ceterùm saltus & vertices
montium iugúmque insederunt. Dirimit enim
sciditq; Sueuiam continuum montium iugum,
vltra quod plurimæ gentes agunt. ex quibus la-
D tissimè patet Lygiorum nomen in plures ciuita-
tes diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet,
Arios, Helueconas, Manimos, Elysios, Naharua-
los. Apud Naharualos antiquæ religionis lucus
ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed
deos interpretatione Romana Castorem Pollu-
cémque memorant. Eius numinis nomen Alcis.
nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis
vestigium: vt fratres tamen, vt iuuenes veneran-
tur. Ceterùm Arij super vires, quibus enumeratos
E paulo antè populos antecedunt, truces, insitæ fe-
ritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta,
tincta corpora, atras ad prœlia noctes legunt: ipsá-
que formidine atque vmbra feralis exercitus ter-
rorem inferunt, nullo hostium sustinente nouum
ac velut infernum aspectum. nam primi in omni-
bus prœliis oculi vincuntur. Trans Lygios Go-
thones regnantur, paulo iam adductiùs quàm ce-
teræ Germanorum gentes. nondum tamen supra
libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugij, &
F Lemouij: omniúmque harum gentium insigne,
rotunda scuta, breues gladij, & erga reges obse-
quium. Suionum hinc ciuitates, ipso in Oceano,
præter viros armáque classibus valent, forma na-
uium eo differt, quòd vtrimq; prora paratam sem-
per appulsui frontem agit: nec velis ministrantur.
nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solu-
tum vt in quibusdam fluminum, & mutabile vt
res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos
& opibus honos. eóque vnus imperitat, nullis iam
exceptionibus, non precario iure parendi. nec ar-
G ma vt apud ceteros Germanos in promiscuo, sed
clausa sub custode, & quidem seruo: quia subitos
hostium incursus prohibet Oceanus. otiosa porrò
armatorum manus facilè lasciuiunt. enim verò
neq; nobilem, neq; ingenuum, ne libertinum qui-
dem armis præponere regia vtilitas est. Trans Sui-
onas aliud mare, pigrum, ac propè immotum, quo
cingi cludiq; terrarum orbem hinc fides: quòd ex-
tremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat,

adeo

adeò clarus, vt sidera hebetet. Sonum insuper e- A mergentis audiri, formásque deorum, & radios capitis aspici persuasio adiicit. Illuc vsque (& fama vera) tantùm natura. Ergo iam dextro Sueuici maris litore Æstyorum gentes alluuntur: quibus ritus habitúsque Sueuorum, lingua Britannicæ propior. Matrem deûm venerantur. insigne superstitionis, formas Aprorum gestant. Id pro armis omniúmque tutela, securum deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, fre- B quens fustium vsus. Frumenta cæterósque fructus patientiùs quàm pro solita Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quæ natura quæve ratio gignat, vt Barbaris, quæsitum compertúmve. diu quinetiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo vsu, rude legitur: informe perfertur, pretiúmque mirantes accipiunt. Suc- C cum tamen arborum esse intelligas: quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox durescente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucósque, sicut Orientis secretis, vbi thura balsamáque sudantur, ita Occidentis insulis terrísque inesse crediderim, quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in aduersa litora exun- D dant. Si naturam succini admoto igne tentes: in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox vt in picem resinámve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur.

Cetera similes, vno differunt, quòd femina dominatur: in tantum non modò à libertate, sed etiam à seruitute degenerant. hic Sueuiæ finis. Peucinorum, Venedorúmque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribam dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germani agunt. sordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quidquid inter Peucinos Fennósque siluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potiùs referuntur, quia & domos figunt, & scuta gestant, & pedum vsu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equóque viuentibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idémque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim comitantur, partémque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriúmque suffugium, quàm vt in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuuenes, hoc senum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, suas alienásque fortunas spe metúque versare. Securi aduersus homines, securi aduersus deos, rem difficillimam assecuti sunt, vt illis ne voto quidem opus sit. Cetera iam fabulosa: Hellusios & Oxionas ora hominum vultúsque, corpora atque artus ferarum gerere. quod ego vt incompertum, in medium relinquam.

IVLII AGRICOLÆ VITA,

Scriptore

CORNELIO TACITO.

CLARORVM virorum facta morésque po- E steris tradere antiquitùs vsitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum ætas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium paruis magnísque ciuitatibus commune, ignorantiam recti & inuidiam. Sed apud priores vt agere memoratu digna pronum, magísque in aperto erat: ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione, bonæ tan- F tum conscientiæ pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potiùs morum, quàm arrogantiam arbitrati sunt. nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit. adeò virtutes iisdem temporibus optimè æstimantur, quibus facillimè gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit, quam non petissem, ni cursaturus tam sæua & infesta virtutibus tempora. Legimus cùm Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Pris- G cus Heluidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modò auctores, sed in libros quoq; eorum sæuitum, delegato triumuiris ministerio, vt monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur. Scilicet illo igne vocem Po. Ro. & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atq; omni bona arte in exilium acta, ne quid vsquam honestum occurreret. Dedimus profectò grande patientię documētum, & sicut vetus ętas vidit, quid vltimum in libertate esset, ita nos quid in seruitute, adempto per inquisitiones & loquendi audiendiq; commercio. Memoriam quoq; ipsam cum voce perdidissemus, si tā in nostra potestate esset obliuisci quam tacere. Nunc demum redit animus, & quamquam primo statim beatissimi sæculi ortu Nerua Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeátq; cottidie felicitatem imperij Nerua Traianus, nec spem modò ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur assumpserit: naturâ tamē infirmitatis humanæ, tardiora sūt remedia quàm mala. & vt corpora lentè augescūt, citò extinguuntur, sic ingenia studiáq; oppresseris facili' quā reuocaueris. Subit quippe etiā ipsi' inertiæ dulcedo: & inuisa primò desidia, postremò ama

rur. Quid si per quindecim annos, grande mortalis æui spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sæuitia principis interciderunt? Pauci, &, vt ita dixerim, non modò aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis è media vita tot annis, quibus iuuenes ad senectutem, senes propè ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris seruitutis, ac testimonium præsentium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolæ soceri mei destinatus, professione pietatis, aut laudatus erit, aut excusatus.

CNÆVS Iulius Agricola vetere & illustri Foroiuliensium colonia ortus, vtrumque auum procuratorem Cæsarum habuit: quæ equestris nobilitas est. pater Iulius Græcinus senatorij ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus, iisque virtutibus iram Caij Cæsaris meritus. Namque Marcum Silanum accusare iussus, & quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, raræ castitatis. in huius sinu indulgentiáque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiámque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipsius bonam integrámque naturam, quòd statim paruulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Græca comitate & prouinciali parsimonia mistum, ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima iuuenta studium philosophiæ ac iuris, vltra quàm concessum Rom. ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. scilicet sublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementiùs quam cautè appetebat: mox mitigauit ratio & ætas: retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino diligenti ac moderato duci approbauit, electus, quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter more iuuenum, qui militiam in lasciuiam vertunt, neque segniter ad voluptates & commeatus, titulum tribunatus & inscitiam retulit: sed noscere prouinciam, nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, nihil appetere iactatione, nihil ob formidinem recusare. simúlque anxius & intentus agere. Non sanè aliàs exercitatior, magísque in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani. incensæ coloniæ, intercepti exercitus. tum de salute, mox de victoria certauere. Quæ cuncta etsi consiliis ductúque alterius agebantur, ac summa rerum & reciperatæ prouinciæ gloria in ducem cessit: artem & vsum & stimulos addidere iuueni: intrauítque animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala. Hinc ad capessendos magistratus in vrbem digressus, Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit. idque matrimonium ad maiora nitenti, decus ac robur fuit. vixerúntque mira concordia, per mutuam caritatem, & inuicem se anteponendo, nisi qòd in bona vxore tantò maior laus, quantò in mala plus culpæ est. Sors quæsturæ prouinciam Asiam, proconsulem Saluium Titianum dedit: quorum neutro corruptus est: quamquam & prouincia

A diues ac parata peccantibus, & proconsul in omnem auiditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium & solarium simul. Nam filium antè sublatum, breui amisit. Mox inter quæsturam, ac tribunatum plebis, atque etiam ipsum tribunatus annum quiete & otio transit gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem præturæ tenor, & silentium. nec enim iurisdictio obuenerat. B Ludos, & inania honoris, modo rationis atque abundantiæ duxit, vti longè à luxuria, ita famæ propior. Tum electus à Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium resp. quàm Neronis sensisset. Sequens annus graui vulnere animum domúmque eius afflixit. nam classis Othoniana licenter vaga dum in Templo (Liguriæ pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolæ in prædiis suis interfecit: prædiá- C que ipsa, & magnam patrimonij partem diripuit, quæ caussa cædis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati à Vespasiano imperij deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum vrbis Mucianus regebat, admodum iuuene Domitiano, & ex paterna fortuna tantùm licentiam vsurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integréque ac strenuè versatum, vicesimæ legioni tardè ad sacramentum transgressæ præ- D posuit, vbi decessor seditiosè agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio: ita successor simul & vltor electus, rarissima moderatione maluit videri inuenisse bonos quàm fecisse. Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus, placidiùs quàm feroci prouincia dignum est. temperauit Agricola vim suam, ardorem que compescuit, ne incresceret, peritus obsequi, erudi- E túsque vtilia honestis miscere. Breui deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primò Cerialis modò labores & discrimina, mox & gloriam communicabat: sæpe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex euentu præfecit. nec Agricola vmquam in suam famam gestis exsultauit: ad auctorem & ducem, vt minister fortunam referebat: ita virtute F in obsequendo, verecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat. Reuertentem ab legatione legionis diuus Vespasianos inter patricios asciuit, ac deinde prouinciæ Aquitaniæ præposuit, splendidæ in primis dignitatis administratione, ac spe consulatus cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamuis G inter togatos, facilè iustéqoe agebat. Iam verò tempora curarum remissionúmque diuisa. vbi conuentus ac iudicia poscerent, grauis, intentus, seuerus, & sæpiùs misericors: vbi officio satisfactum, nulla vltrà potestatis persona. tristitiam & arrogantiam, & auaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut seueritas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutũ fuerit. Ne famã quidẽ, cui etiã sępe boni indulgẽt, o-

ſtentanda

ſtentanda virtute, aut per artem quæſiuit: procul ab æmulatione aduerſus collegas, procul à contentione aduerſus procuratores. & vincere inglorium, & atteri ſordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac ſtatim ad ſpem Conſulatus reuocatus eſt, comitante opinione, Britanniam ei prouinciam dari; nullis in hoc ſuis ſermonibus, ſed quia par videbatur. haud ſemper errat fama, aliquando & eligit. Conſul egregiæ tum ſpei filiam iuueni mihi deſpondit, ac poſt conſulatum collocauit, & ſtatim Britanniæ præpoſitus eſt, adiecto pontificatus ſacerdotio. Britanniæ ſitum populóſque multis ſcriptoribus memoratos, non in comparationem curæ ingeniive referam: ſed quia tum primùm perdomita eſt. itaque quæ priores nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia inſularum quas Romana notitia complectitur maxima, ſpatio ac cælo in Orientem Germaniæ, in Occidentem Hiſpaniæ obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inſpicitur: Septemtrionalia eius, nullis contrà terris, vaſto atque aperto mari pulſantur. Formam totius Britanniæ Liuius veterum, Fabius Ruſticus recentium, eloquentiſſimi auctores, oblongæ ſcutulæ vel bipenni aſſimilauere. & eſt ea facies citra Caledoniam, vnde & in vniuerſum fama eſt tranſgreſſa. ſed immenſum & enorme ſpatium procurrentium extremo iam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram nouiſſimi maris tunc primùm Romana claſſis circumuecta, inſulam eſſe Britanniam affirmauit, ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas Orcadas vocant, inuenit, domuitque. diſpecta eſt & Thyle, quam hactenus nix, & hiems abdebat. ſed mare pigrum & graue remigantibus perhibent. ne ventis quidem proinde attolli: credo quòd rariores terræ monteſque, cauſſa ac materia tempeſtatum, & profunda moles continui maris, tardiùs impellitur. Naturam Oceani atque æſtus neque quærere huius operis eſt, ac multi rettulere. vnum addiderim: nuſquam latiùs dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accreſcere aut reſorberi, ſed influere penitus atque ambire, etiam iugis atque montibus inſeri velut in ſuo. Ceterùm Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an aduecti, vt inter Barbaros, parum compertum. Habitus corporum varij: atque ex eo argumenta. namque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem aſſeuerant. Silurum colorati vultus, & torti plerumq; crines, & poſitu contra Hiſpaniam, Iberos veteres traieciſſe, eáſque ſedes occupaſſe fidem faciunt. proximi Gallis, & ſimiles ſunt: ſeu durante originis vi; ſeu procurrentibus in diuerſa terris, poſitio cæli corporib. habitum dedit. in vniuerſum tamen æſtimanti, Gallos vicinum ſolum occupaſſe, credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas, ſuperſtitionum perſuaſione. Sermo haud multum diuerſus. in depoſcendis periculis eadem audacia; & vbi aduenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociæ Britanni præferunt, vt quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus. mox ſegnitia cum otio intrauit, amiſſa virtute pariter ac libertate, quod Britannorum olim victis euenit: ceteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur, quædam nationes &

A curru præliantur. honeſtior auriga, clientes propugnant. olim regibus parebant, nunc per principes factionib. & ſtudiis trahuntur. nec aliud aduerſus validiſſimas gentes pro nobis vtilius, quàm quòd in commune non conſulunt. Rarus duabus tribúſve ciuitatibus, ad propulſandum commune periculum conuentus: ita dum ſinguli pugnant, vniuerſi vincuntur. Cælum crebris imbribus ac nebulis fœdum. aſperitas frigorum abeſt. Dierum ſpatia vltra noſtri orbis menſuram, & B nox clara, & extrema Britanniæ parte breuis, vt finem atque initium lucis exiguo diſcrimine internoſcas. Quòd ſi nubes non officiant, aſpici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exſurgere, ſed tranſire affirmant: ſcilicet extrema & plana terrarum humili vmbra non erigunt tenebras, infráque cælum & ſidera nox cadit. Solum præter oleam vitemque & cetera calidioribus terris oriri ſueta, patiens frugum, fecundum. tardè miteſcunt, citò proueniunt. eadémque C vtriuſque rei cauſſa, multus humor terrarum, cælique. Fert Britannia aurum & argentum & alia metalla, pretium victoriæ. gignit & Oceanus margarita, ſed ſubfuſca ac liuentia. Quidam artem abeſſe legentibus arbitrantur. nam in rubro mari viua ac ſpirantia ſaxis auelli, in Britannia prout expulſa ſint colligi. ego facilius crediderim naturam margaritis deeſſe, quam nobis auaritiam. Ipſi Britanni delectum, ac tributa, & iniuncta imperij munera impigrè obeunt, ſi iniuriæ D abſint: has ægrè tolerant, iam domiti vt pareant, nondum vt ſeruiant. Igitur primus omnium Romanorum D. Iulius cum exercitu Britanniam ingreſſus, quamquam proſpera pugna terruerit incolas, ac litore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe. Mox bella ciuilia; & in rempublicam verſa principum arma, ac longa obliuio Britanniæ etiam in pace. Conſilium id diuus Auguſtus vocabat, Tiberius præceptum. E Agitaſſe C. Cæſarem de intranda Britannia ſatis conſtat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes aduerſus Germaniam conatus fruſtra fuiſſent. Diuus Claudius auctor operis, tranſuectis legionibus auxiliiſque, & aſſumpto in partem rerum Veſpaſiano. quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti reges, & monſtratus fatis Veſpaſianus. Conſularium primus Aulus Plautius præpoſitus, ac ſubinde Oſtorius Scapula, vterque bello egregius: reda- F ctáque paullatim in formam prouinciæ proxima pars Britanniæ. addita inſuper veteranorum colonia. quædam ciuitates Cogiduno regi donatæ. is ad noſtram vſque memoriam fidiſſimus manſit, vetere ac iam pridem recepta populi Romani conſuetudine, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & reges. Mox Didius Gallus parta à prioribus continuit, paucis admodum caſtellis in vlteriora promotis, per quæ fama aucti officij quæreretur. Didium Veranius excepit, iſque intra G annum extinctus eſt. Suetonius hinc Paullinus biennio proſperas res habuit, ſubactis nationibus firmatiſque præſidiis: quorum fiducia Monam inſulam vt vires rebellibus miniſtrantem aggreſſus, terga occaſioni patefecit. Namque abſentia legati remoto metu, Britanni agitare inter ſe mala ſeruitutis, conferre iniurias, & interpretando accendere. *Nihil profici patientia, niſi vt grauiora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. ſingulos ſibi olim reges fuiſſe, nunc binos im-*

ponè quibus legatus in sanguinem, procurator in bona sauiret. æquè discordiam præpositorum, æquè concordiam subiectis exitiosam: alterius, manus, centuriones, alterius, vim & contumelias miscere: nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in prælio fortiorem esse qui spoliet: nunc ab ignauis plerumque & imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus. quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum, & flumine non Oceano defendi: sibi patriam, coniuges, parentes: illis auaritiam & luxuriam caussam belli esse. recessuros vt diuus Iulius recessisset, modo virtutes maiorum suorum æmularentur: néve prælij vnius aut alterius euentu pauescerent. plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porrò in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quàm audere. His atque talibus inuicem instructi, Voadica generis regij femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere vniuersi bellum: ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis præsidiis, ipsam coloniam inuasere, vt sedem seruitutis. nec vllum in Barbaris sæuitiæ genus omisit ira & victoria. Quòd nisi Paullinus, eo cognito prouinciæ motu, properè subuenisset, amissa Britannia foret: quam vnius prælij fortuna veteri patientiæ restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, & proprius ex legato timor agitabat. Hic cùm egregius cetera, arrogantet in deditos, & vt suæ quoque iniuriæ vltor, duriùs consuleret; missus Petronius Turpilianus tamquam exorabilior, & delictis hostium nouus, eóque pœnitentiæ mitior. compositis prioribus nihil vltrà ausus, Trebellio Maximo prouinciam tradidit. Trebellius segnior & nullis castrorum experimẽtis, comitate quadam curandi prouinciam tenuit. Didicere iam Barbari quoq; ignoscere vitiis blandientibus. & interuentus ciuilium armorum præbuit iustam segnitiæ excusationem. sed discordia laboratum, cùm assuetus expeditionibus miles otio lasciuiret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precariò mox præfuit; ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem. hęc seditio sine sanguine stetit. Nec Vectius Bolanus, manentibus adhuc ciuilibus bellis, agitauit Britanniam disciplina. eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quòd innocens Bolanus, & nullis delictis inuisus, caritatem parauerat loco auctoritatis. Sed vbi cum cetero orbe Vespatianus & Britanniam recipetauit, magni duces, egregij exercitus, minuta hostium spes: & terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum ciuitatem, quæ numerosissima prouinciæ totius perhibetur, aggressus. multa prœlia, & aliquando non incruenta: magnámque Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et cùm Cerialis quidem alterius successoris curam famámque obruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus quantum licebat, validámque & pugnacem Silurum gentem armis subegit; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates luctatus. Hunc Britanniæ statum, has bellorum vices media iam æstate transgressus Agricola inuenit, cùm & milites velut omissa expeditione

A ad securitatem, & hostes ad occasionem verterentur. Ordouicum ciuitas haud multo ante aduentum eius, alam in finibus suis agentem, propè vniuersam obtriuerat: eóque initio erecta prouincia, vt quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam trãsacta æstas, sparsi per prouinciam numeri, præsumpta apud militem illius anni quies, tarda & contraria bellum B inchoaturo, & plerisque custodiri suspecta potiùs videbatur, ire obuiam discrimini statuit: contractísque legionum vexillis, & modica auxiliorum manu, quia in æquum degredi Ordouices non audebant, ipse ante agmen, quò ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem, cæsáque propè vniuersa gente, non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent fore vniuersa; Monam insulam, cuius possessione reuocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ suprà memo- C raui, redigere in potestatem animo intendit. Sed vt in dubiis consiliis, naues deerant, ratio & constantia ducis transuexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vsus, quo simul seque & arma & equos regunt, ita repentè immisit, vt obstupefacti hostes, qui classem, qui naues, qui mare exspectabant, nihil arduum aut inuictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi A- D gricola: quippe cui ingredienti prouinciam, quod tempus alij per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor & periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem vsus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est. sed ipsa dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset. Ceterùm animorum prouinciæ prudens, simúlque doctus per aliena experimen- E ta, parum profici armis si iniuriæ sequerentur, caussas bellorum statuit exscindere. à se suísque orsus, primam domum suam coërcuit, quod plerisque haud minus arduum est, quàm prouinciam regere: nihil per libertos seruósque publicæ rei: non studiis priuatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: paruis peccatis veniam, magnis seueritatem commodare: nec F pœna semper, sed sæpiùs pœnitentia contentus esse: officiis & administrationibus potiùs non peccaturos, quàm damnare cùm peccassent. Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumcisis quæ in quæstum reperta, ipso tributo grauius tolerabantur. namque per ludibrium assidere clausis horreis, & emere vltrò frumenta, ac vendere pretio cogebantur. deuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis in remota & auia deferrent, donec quod omnib. in G promptu erat, paucis lucrosum fieret. Hæc primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quæ vel incuria vel tolerantia priorum, haud minus quàm bellum timebatur. Sed vbi æstas aduenit contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, disiectos coërcere: loca castris ipse capere, æstuaria ac siluas ipse prætentare: & nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis ex-

cur-

cursibus popularetur. atque vbi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ ciuitates quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus iram posuere, & præsidiis castellisque circundatæ, tanta ratione curáque, vt nulla antè Britanniæ noua pars illacessita transierit. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. namque vt homines dispersi ac rudes, cóque bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent: hortari priuatim, adiuuare publicè, vt templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, & castigando segnes. ita honoris æmulatio, pro necessitate erat. Iam verò principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, vt qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga. paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiam. idque apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars seruitutis esset. Tertius expeditionum annus nouas gentes aperuit, vastatis vsque ad Taum (æstuario nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes, quamquam conflictatum sæuis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi. ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientiùs legisse, nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. crebræ eruptiones. nam aduersus moras obsidionis, annuis copiis firmabantur. ita intrepida ibi hiems, & sibi quisque præsidio, irritis hostibus, cóque desperantibus, quia soliti plerumque damna æstatis hibernis euentibus pensare, tum æstate atque hieme iuxtà pellebantur. Nec Agricola vnquam per alios gesta auidus intercepit, seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conuiciis narrabatur, vt bonis comis, ita aduersus malos iniucundus. ceterùm ex iracundia nihil supererat. secretum & silentium eius non timeres. honestius putabat offendere, quàm odisse. Quarta æstas obtinendis quæ percurrerat insumpta. ac si virtus exercituum & Romani nominis gloria pateretur, inuentus in ipsa Britannia terminus. Nam Glota & Bodotria diuersi maris æstu per immensum reuecti, angusto terrarum spatio dirimuntur. quod tum præsidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus. Quinto expeditionum anno naue prima transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis prœliis domuit: cámque partem Britanniæ quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis quàm ob formidinem. si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperij partem magnis inuicem vsibus miscuerit. Spatium eius si Britanniæ comparetur angustius, nostri maris insulas superat. Solum cælúmque & ingenia cultúsque hominum haud multum à Britannia differunt. meliùs aditus portúsque per commercia & negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica vnum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audiui, legione vna & modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam aduersus

A Britanniam profuturum, si Romana vbiq; arma, & velut è conspectu libertas tolleretur. Ceterùm æstate qua sextum officij annum inchoabat, amplas ciuitates trans Bodotriam sitas, quia motus vniuersarum vltrà gentium, & infesta hostili exercitu itinera timebantur, priùs classe explorauit: quæ ab Agricola primùm assumpta in partem virium, sequebatur egregia specie, cùm simul terra simul mari bellum impelleretur: ac sæpe iisdem castris pedes equésq; & nauticus miles mixti B copiis & lætitia, sua quisque facta, suos casus attollerent: ac modò siluarum & montium profunda, modò tempestatum ac fluctuum aduersa, hinc terra & hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, vt ex captiuis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto vltimum victis perfugium clauderetur. Ad manus & arma conuersi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, vti mos est de C ignotis, oppugnasse vltrò, castella adorti, metum vt prouocantes addiderant: regrediendúmque citra Bodotriam, & excedendum potiùs, quàm pellerentur, specie prudentium ignaui admonebant. cùm interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne superante numero, & peritia locorum circumiretur, diuiso & ipse in tres partes exercitu incessit. Quod vbi cognitum hosti, mutato repentè consilio, vniuersi nonam legionem vt maximè inualidam, nocte D aggressi inter somnum ac trepidationem cæsis vigilibus irrupêre. Iamque in ipsis castris pugnabant, cùm Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditúmque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab vniuersis adiici clamorem. & propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis redit animus, ac securi pro salute, de gloria certabant. vltro quin etiam irrupêre. & fuit atrox in ipsis portarum an- E gustiis prœlium, donec pulsi hostes, vtroque exercitu certante, his vt tulisse opem, illis ne eguisse auxilio viderentur. quòd nisi paludes & siluæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Cuius constantia ac fama ferox exercitus, nihil virtuti suæ inuium: penetrandam Caledoniam, inueniendúmque tandem Britanniæ terminum continuo prœliorum cursu fremebant. atque illi modò cauti ac sapientes, prompti post euentum F ac magniloqui erant. iniquissima hæc bellorum conditio est, prospera omnes sibi vindicant, aduersa vni imputantur. At Britanni non virtute sed occasione & arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quò minus iuuentutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac sacrificiis conspirationem ciuitatum sancirent. atque ira irritatis vtrimque animis discessum. Eadem æstate cohors Vsipiorum per Germanias conscripta, in Britanniam transmis- G sa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur, tres Liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere: & vno remigrante, suspectis duobus cóque interfectis, nondum vulgato rumore vt miraculum prouehebantur. mox hac atque illà rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium prœlio congressi, ac sæpè victores, aliquando pulsi, eò

ad extremum inopiæ venere, vt infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. atque ita circumuecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi nauibus, pro prædonibus habiti, primùm à Sueuis, mox à Frisiis intercepti sunt. ac fuere quos per commercia venumdatos, & in nostram vsque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casus illustrauit. Initio æstatis Agricola domestico vulnere ictus, anno antè natum filium amisit. Quem casum neque vt plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mærorem muliebriter tulit. & in luctu, bellum inter remedia erat. Igitur præmissa classe quæ pluribus locis prædata, magnum & incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos & longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium peruenit, quem iam hostes insederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu, & vltionem aut seruitium exspectantes, tandémque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus & fœderibus omnium ciuitatum vires exciuerant. Iamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, & adhuc affluebat omnis iuuentus, & quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes: cùm inter plures duces virtute & genere præstans, nomine Galgacus, apud contractam multitudinem prœlium poscentem, in hunc modum locutus fertur. *Quotiens caussas belli & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nā & vniuersi seruitutis expertes: & nullæ vltrà terræ, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. ita prœlium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignauis tutissima sunt. Priores pugnæ, quibus aduersus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eóque in ipsis penetralibus siti, nec seruientium litora aspicientes, oculos quoque à contactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniæ patet. atque omne ignotum, pro magnifico est. Sed nulla iam vltrà gens, nihil nisi fluctus & saxa: & interiores Romani. quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris. raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, auari: si pauper, ambitiosi. quos non Oriēs, non Occidēs satiauerit. soli omniū, opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque vbi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit; hi per delectus alibi seruituri auferuntur. Coniuges sororésque & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunásque in tributum egerunt, in annonam, frumentum. corpora ipsa ac manus, siluis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. Nata seruituti mancipia semel veneunt, atque vltrò à dominis aluntur: Britannia seruitutem suam cottidie emit, cottidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque seruorum & conseruis ludibrio est: sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, noui nos & viles in excidium petimur. Neque enim arua nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reseruemur. Virtus por-*

A *rò ac ferocia subiectorum, ingrata imperantibus. & longinquitas ac secretum ipsum, quò tutius, eò suspectius. Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quàm quibus gloria carissima est. Brigantes, femina duce, exurere coloniam, expugnare castra; ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri & indomiti, & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu non ostendemus quos sibi Caledonia viros se-*
B *posuerit? An eamdem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciuiam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diuersissimis gentibus, vt secundæ res tenent, ita aduersæ dissoluent. nisi si Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum plerósque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes quàm seruos, fide & affectu teneri putatis: metus & terror est, infirma vincula caritatis, quæ vbi remoueris, qui*
C *timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerísque patria, aut alia est: paucos numero circum trepidos ignorantia, cælum ipsum ac mare & siluas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dij nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inueniemus nostras manus. agnoscent Britanni*
D *suam caussam. recordabuntur Galli priorem libertatem. deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Vsipij reliquerant. Nec quidquam vltrà formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter malè parētes & iniustè imperātes, ægra municipia & discordantia. hic dux, hic exercitus. ibi tributa & metalla, & ceteræ seruientium pœnæ: quas in æternum proferre, aut statim vlcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem & maiores vestros, & posteros cogitate.* Excepere orationem alacres, & barbari moris cantu
E & fremitu clamoribúsque dissonis. Iámque agmina, & armorum fulgores, audentissimi cuiusque procursu: simul instruebantur acies. cùm Agricola quamquam lætum & vix munitis coërcitum militē adhuc ratus, ita disseruit. *Octauus annus est, cōmilitones, ex quo virtute & auspiciis imperij Rom. fide atque opera vestra Britanniam vicistis. tot expeditionibus, tot prœliis seu fortitudine aduersus hostes, seu patientia ac labore penè aduersus ipsam re-*
F *rum naturam opus fuit; neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inuenta Britannia, & subacta. Equidem in agmine, cùm vos paludes montésve & flumina fatigarent, fortissimi cuiusque vocem audiebam, Quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt è latebris suis extrusi. & vota virtúsque in aperto, omniáque prona*
G *victoribus, atque eadem victis aduersa. Nam vt superasse tantum itineris, siluas euasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus, eodem loco sita sunt. nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Si nouæ gentes atque ignota acies constitisset: alio-*

rum

A *rum exercituum exemplis vos hortarer. nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt quos proximo anno, vnam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ij ceterorum Britannorum fugacissimi, ideóque tam diu superstites. Quomodo siluas saltúsque penetrantibus, fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iampridem ceciderunt: reliquus est numerus ignauorum, & me-*
B *tuentium. quos quòd tandem inuenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi. adeo extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, approbate Reip. nunquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut caussas rebellandi.* Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. in-
C structos ruentésque ita disposuit, vt peditum auxilia quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria millia, cornibus affunderentur. legiones pro vallo stetere, ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti, & auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterant: ita vt primum agmen æquo, ceteri per accliue iugum conuexi velut insurgerent: media campi couinariis & eques strepitu ac discur-
D su complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine, veritus, ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, & arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem, & firmus aduersis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit. Ac primo congressu eminus certabatur. simul constantia, simul arte Britanni, ingentibus gladiis & breuibus cetris, missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: do-
E nec Agricola tres Batauorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, vt rem ad mucrones ac manus adducerent. quod & ipsis vetustate militiæ exercitatum, & hostibus inhabile paruа scuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorum gladij sine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant. Igitur vt Bataui miscere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo obstiterant, e-
F rigere in colles aciem cœpere: ceteræ cohortes æmulatione & impetu commistæ proximos quosque cædere. ac plerique semineces aut integri festinatione victoriæ relinquebantur. Interim equitum turmæ fugere, couinarij peditum se prœlio miscuere: & quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant: minimeque equestris ea pugnæ facies erat, cùm in gradu stantes simul equorum corporibus impellerentur. ac sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, vt
G quemque formido tulerat, transuersos, aut obuios incursabant. Et Britanni qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant, & paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paullatim & circumire terga vincentium cœperant: ni idipsum veritus Agricola quatuor equitum alas ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantóque ferociùs accurrerant, tanto acriùs pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum. transuectæque præcepto ducis à fronte pugnantium alæ, auersam hostium aciem inuasere. Tum verò patentibus locis grande & atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, cateruæ armatorum paucioribus terga præstare, quidam inermes vltro ruere, ac se morti offerre. Passim arma & corpora, & laceri artus, & cruenta humus: & aliquando etiam victis ira virtúsque. postquam siluis appropinquarunt, collecti, primos sequentium incautos & locorum ignaros circumueniebant. Quod ni frequens vbique Agricola, validas & expeditas cohortes indaginis modo, & sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores siluas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterùm vbi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus vt prius, nec alius alium respectantes, rari, & vitabundi inuicem, longinqua atque auia petiere. finis sequendi nox & satietas fuit. cæsa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti quadraginta cecidere, in quis Aulus Atticus præfectus cohortis, iuuenili ardore & ferocia equi hostibus illatus. Et nox quidem gaudio prædáque læta victoribus: Britanni palantes mixtóque virorum mulierúmque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram vltro incendere: eligere latebras, & statim relinquere: miscere inuicem consilia aliqua, dein spectare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari. satisque constabat sæuisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriæ latiùs aperuit. vastum vbique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obuius. quibus in omnem partem dimissis, vbi incerta fugæ vestigia, neque vsquam conglobari hostes compertum, & exacta iam æstate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis circumuehi Britanniam præcepit. datæ ad id vires, & præcesserat terror. ipse peditem atque equites lento itinere, quò nouarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locauit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, vnde proximo latere Britanniæ lecto omni redierat. Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia, epistolis Agricolæ auctum, vt Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum speciem formarentur: at nunc veram magnámque victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti fama celebrari. Id sibi maximè formidolosum, priuati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori, & ciuilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam altiùs occuparet: & cetera vtcumque faciliùs dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quódque sæuæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit reponere odium, donec impetus famæ & fauor exercitus languesceret. nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta

& illustris statuæ honorem, & quidquid pro
triumpho datur, multo verborum honore cumu-
lata, decerni in senatu iubet: addique insuper o-
pinionem, Syriam prouinciam Agricolæ desti-
nari, vacuam tum morte Atilij Rufi consularis,
& maioribus reseruatam. Credidere plerique,
libertum ex secretioribus ministeriis missum ad
Agricolam, codicillos quibus ei Syria dabatur tu-
lisse, cum præcepto, vt si in Britannia foret, tra-
deretur: cúmque libertum in ipso freto Oceani
obuium Agricolæ, ne appellato quidem eo ad
Domitianum remeasse. siue verum istud. siue ex
ingenio principis fictum ac compositum est. Tra-
diderat interim Agricola successori suo prouin-
ciam quietam tutamque. Ac ne notabilis cele-
britate & frequentia occurrentium introitus es-
set, vitato amicorum officio, noctu in vrbem, no-
ctu in palatium, ita vt præceptum erat, venit: exce-
ptúsque breui osculo & nullo sermone, turbæ ser-
uientium immixtus est. Ceterùm vt militare no-
men, graue inter otiosos, aliis virtutibus tempe-
raret, tranquillitatem atque otium penitus auxit,
cultu modicus, sermone facilis, vno aut altero a-
micorum comitatus: adeò vt plerique, quib: ma-
gnos viros per ambitionem æstimare mos est, vi-
so aspectóque Agricola, quærerent famam, pauci
interpretarentur. Crebrò per eos dies apud Domi-
tianum absens accusatus, absens absolutus est. caus-
sa periculi non crimen vllum, aut querela læsi cu-
iusquam, sed infensus virtutibus princeps, & glo-
ria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudan-
tes. Et ea insecuta sunt reipublicæ tempora, quæ
sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Mœ-
sia Daciáque, & Germania Pannoniáque, temeri-
tate aut per ignauiam ducum amissi: tot militares
viri cum tot cohortibus expugnati & capti. nec
iam de limite imperij & ripa, sed de hibernis le-
gionum & possessione dubitatum. Ita cùm damna
damnis continuarentur, atque omnis annus fu-
neribus & cladibus insigniretur, poscebatur ore
vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vi-
gorem, constantiam, & expertum bellis animum,
cum inertia & formidine eorum. Quibus sermo-
nibus satis constat Domitiani quoque aures ver-
beratas. dum optimus quisque libertorum a-
more & fide, pessimi malignitate & liuore, pro-
num deterioribus principem exstimulabant. Sic
Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis alio-
rum, in ipsam gloriam præceps agebatur. Ade-
rat iam annus quo proconsulatum Asiæ & A-
fricæ sortiretur, & occiso Ciuica nuper, nec A-
gricolæ consilium deerat: nec Domitiano exem-
plum. Accessere quidam cogitationum princi-
pis periti, qui iturus ne esset in prouinciam, vl-
trò Agricolam interrogarent. ac primò occul-
tius quietem & otium laudare, mox operam suam
in approbanda excusatione offerre: postremò non
iam obscuri, suadentes simul terrentésque, per-
traxere ad Domitianum. qui paratus simulatione,
in arrogantiam compositus, & audiit preces ex-
cusantis, & cùm annuisset, agi sibi gratias passus
est: nec erubuit beneficij inuidia. salarium ta-
men proconsulari solitum offerri, & quibusdam
à seipso concessum, Agricolæ non dedit: siue of-
fensus non petitum, siue ex conscientia, ne quod
vetuerat videretur emisse. Proprium humani
ingenij est, odisse quem læseris: Domitiani verò
natura præceps in iram, & quò obscurior, eò irre-
uocabilior, moderatione tamen prudentiáque

A Agricolæ leniebatur. quia non contumacia, ne-
que inani iactatione libertatis, famam fatúm-
que prouocabat. Sciant quibus moris illicita mi-
rari, posse etiam sub malis principibus magnos
viros esse: obsequiúmque ad modestiam, si in-
dustria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò
plerique per abrupta, sed in nullum reipub. vsum,
ambitiosa morte inclaruerunt. Finis vitæ eius
nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam
B ignotísque non sine cura fuit. Vulgus quoque, &
hic aliud agens populus, & ventitauere ad do-
mum, & per fora & circulos locuti sunt: nec
quisquam audita morte Agricolæ, aut lætatus
est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem
constans rumor, veneno interceptum. Nobis ni-
hil comperti affirmare ausim. ceterùm per o-
mnem valetudinem eius, crebriùs quàm ex more
principatus per nuntios visentis, & libertorum
primi, & medicorum intimi venere: siue cura il-
C lud, siue inquisitio erat. Supremo quidem die
momenta deficientis per dispositos cursores nun-
tiata constabat, nullo credente sic accelerari, quæ
tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vul-
túque præ se tulit, securus iam odij, & qui faciliùs
dissimularet gaudium quàm metum. Satis consta-
bat lecto testamento Agricolæ, quo coheredem
optimæ vxori & piissimæ filiæ Domitianum scri-
psit, lætatum eum, velut honore iudicióque: tam
cæca & corrupta mens assiduis adulationibus e-
D rat, vt nesciret à bono patre non scribi heredem,
nisi malum principem. Natus erat Agricola Caio
Cæsare tertium consule Idibus Iuniis: excessit
sexto & quinquagesimo annò, decimo Kal. Se-
ptemb. Collegâ Priscóque Coss. Quòd si habitum
quoque eius posteri noscere velint, decentior
quàm sublimior fuit. nihil metus in vultu: gratia
oris supererat, bonum virum facilè crederes, ma-
gnum libenter. Et ipse quidem, quamquam me-
dio in spatio integræ ætatis ereptus, quantum
E ad gloriam longissimum æuum peregit. Quip-
pe & vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, im-
pleuerat, & Consularibus ac Triumphalibus or-
namentis prædito, quid aliud adstruere fortuna
poterat? Opibus nimiis nó gaudebat, speciosæ cô-
tigerant, filia atque vxore superstitibus, potest
videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente
fama, saluis affinitatibus & amicitiis futura effu-
gisse, Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi
luce, ac principem Traianum videre, augurio vo-
F tísque apud nostras aures ominabatur: ita festi-
natæ mortis grande solatium tulit, euasisse po-
stremum illud tempus, quo Domitianus non iam
per interualla ac spiramenta temporum, sed con-
tinuo & velut vno ictu rempublicam exhausit.
Non vidit Agricola obsessam curiam, & clausum
armis senatum, & eâdem strage tot consularium
cædes, tot nobilissimarum feminarum exsilia &
fugas. Vna adhuc victoria Carus Metius censeba-
G tur, & intra Albanam villam sententia Messallini
strepebat, & Massa Bebius iam tum reus erat.
Mox nostræ duxere Heluidium in carcerem ma-
nus: nos Maurici Rusticique visus, nos inno-
centi sanguine Senecio perfudit. Nero tamen
subtraxit oculos, iussitque scelera, non spe-
ctauit. præcipua sub Domitiano miseriarum pars
erat, videre & aspici: cùm suspiria nostra sub-
scriberentur: cùm denotandis tot hominum pal-
loribus sufficeret sæuus ille vultus & rubor, à quo
se contra pudorem muniebat. Tu verò felix Agri-

cola

cola non vitæ tantùm claritate, ſed etiam opportunitate mortis. vt perhibent qui interfuerunt nouiſſimis ſermonibus tuis, conſtans & libens fatum excepiſti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiæque, præter acerbitatem parentis erepti, auget mæſtitiam, quòd aſſidere valetudini, fouere deficientem, ſatiari vultu, complexu non contigit. excepiſſemus certè mandata voceſque, quas penitus animo figeremus. Noſter hic dolor, noſtrum vulnus: nobis tam longæ abſentiæ conditione ante quadriennium amiſſus es. Omnia ſine dubio, optime parentum, aſſidente amantiſſima vxore, ſuperfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrymis compoſitus es, & nouiſſima in luce deſiderauere aliquid oculi tui. Si quis piorum manibus locus, ſi, vt ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quieſcas, nóſque domum tuam ab infirmo deſiderio, & muliebrib. lamentis A ad cõtemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas eſt: admiratione te potiùs temporalibus laudibus, & ſi natura ſuppeditet, militum decoramus. Is verus honos, ea coniunctiſſimi cuiuſq; pietas. Id filiæ quoq; vxoríque præceperim, ſic patris, ſic mariti memoriam venerari, vt omnia facta dictáq; eius ſecum reuoluant, famámq; ac figuram animi magis quàm corporis complectantur. non quia intercedendum putem B imaginibus quæ marmore aut ære finguntur: ſed vt vultus hominum, ita ſimulacra vultus imbecilla ac mortalia ſunt, forma mentis æterna, quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, ſed tuis ipſe moribus poſſis. Quidquid ex Agricola amauimus, quidquid mirati ſumus, manet, manſurúmq; eſt in animis hominum, in æternitate temporũ, famâ rerum. Nã multos veterũ velut inglorios & ignobiles obliuio obruet, Agricola poſteritati narratus & traditus, ſuperſtes erit.

FAB. QVINCTILIANI

vt videtur,

DIALOGVS,

AN SVI SAECVLI ORATORES ANtiquis, & quare, concedant:

CORNELIO TACITO
vulgò inſcriptus.



ÆPE ex me requiris, Iuſte Fabi, cur cùm priora ſæcula tot eminentium oratorum ingeniis gloriáque effloruerint, noſtra potiſſimùm ætas deſerta, & laude orbata, vix nomen ipſum oratoris retineat. neque enim ita appellamus niſi antiquos: horum autem temporum diſerti, cauſſidici, & aduocati, & patroni, & quiduis potiùs quàm oratores vocantur. Cui percunctationi tuæ reſpondere, & tam magnæ quæſtionis pondus excipere, vt aut de ingeniis noſtris malè exiſtimandum ſit, ſi idem aſſequi non poſſumus, aut de iudiciis, ſi nolumus, vix hercule auderem, ſi mea ſententia proferenda, ac non diſertiſſimorum vt noſtris temporibus hominum ſermo repetendus eſſet. quos eandem hanc quæſtionem pertractantes, iuuenis admodùm audiui. Ita non ingenio, ſed memoria ac recordatione opus eſt, vt quæ à præſtantiſſimis viris & excogitata ſubtiliter, & dicta grauiter accepi, cùm ſinguli diuerſas vel eaſdẽ, ſed probabiles cauſſas afferrent, dũ formam ſui quiſq; & animi, & ingenij redderet, iiſdẽ nunc numeris, iiſdémque rationibus perſequar, ſeruato ordine diſputationis. neq; enim defuit, qui diuerſam quoq; partem ſuſciperet, ac multum vexata & irriſa vetuſtate noſtrorum temporum eloquentiam antiquorũ ingeniis anteferret. Nã poſtero die quàm accuratiùs Maternus Catonem recitauerat, cùm offendiſſe potentium animos diceretur, tamquam in eo tragœdiæ argumento ſui o- C blitus, tãtùm Catonem cogitaſſet: eáque de re per vrbem frequens ſermo haberetur, venerunt ad eũ M. Aper & Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori noſtri: quos ego in iudiciis non vtroſq; modò ſtudioſè audiebam, ſed domi quoq; & in publico aſſectabar, mira ſtudiorum cupiditate, & quodam ardore iuuenili, vt fabulas quoque eorum & diſputationes, & arcana ſemotæ dictionis penitus exciperem. quamuis malignè pleri- D que opinarentur, nec Secundo promptum eſſe ſermonem, & Aprum ingenio potiùs & vi naturæ, quàm inſtitutione & litteris famam eloquentiæ conſecutum. Nam & Secundo purus, & preſſus, &, in quantum ſatis erat, profluens, ſermo non defuit: & Aper cõmuni eruditione imbutus, contemnebat potiùs litteras quàm neſciebat. tamquam maiorem induſtriæ & laboris gloriam habiturus, ſi ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Igitur E vt intrauimus cubiculum Materni, ſedentẽ ipſum, & quem pridie recitauerat librũ intra manus habentem, deprehendimus. Tum Secundus: Nil ne te, inquit, Materne, fabulæ malignorum terrent, quo minus offenſas Catonis tui ames? An ideò librum iſtum apprehendiſti, vt diligentiùs retractares, & ſublatis ſi quæ prauam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem, ſed tamen ſecuriorem? Tum ille, Leges tu quidem ſi volueris & agnoſces quæ audiſti. quòd ſi qua omiſit Cato, ſequenti tractatione Thyeſtes dicet. Hanc enim tragœdiam diſpoſui iam, & intra me ipſe formaui. Atque ideo maturare libri huius editionem feſtino, vt

dimissa priore cura, nouæ cogitationi toto pe-
ctore incumbam. Adeò te tragœdiæ istæ noo sa-
tiant,inquit Aper, quo minus omissis orationum
& caussarum studiis, omoe tempus modò circa
Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas?
cùio tot amicorum caussæ,tot coloniarum & mu-
nicipiorũ clientelæ in forum vocent, quibus vix
sufficeres,etiam si noo nouum tibi ipse negotium
importasses, Domitium,& Catonem: id est, no-
stras quoque historias,& Romana nomina, Græ-
corum fabulis aggregares. Et Maternus, Pertur-
barer hac tua seueritate, nisi frequens ac assidua
nobis contentio iam propè in consuetudinem
vertisset.Nam nec tu agitare,& insequi poëtas in-
termittis, & ego cui desidiam aduocationum ob-
iicis, cotidianum hoc patrocinium defendendæ
aduersus te poëticæ exerceo. Quo lætor magis
oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum
vetet versus facere, vel quod iam pridem opto,
sua quoque auctoritate compellat, vt omissis
forensium Musarum angustiis, in quibus satis
mihi supérque sudatum est, sanctiorem istam &
augustiorem eloquentiam colam. Ego verò, in-
quit Secundus, ante quàm me iudicem Aper re-
cuset, faciam quod probi & modesti iudices so-
lent, vt in his cognitionibus excusent, in quibus
manifestum est, alteram apud eos partem, gra-
tia præualere. Quis enim nescit, neminem mi-
hi coniunctiorem esse & vsu amicitiæ, & assi-
duitate contubernij quàm Saleium Bassum, cùm
optimum virum, tum absolutissimum poëtam?
porrò si poëtica accusatur, non alium video
reum locupletiorem. Securus sit, inquit Aper,
& Saleius Bassus, & quisquis alius studium poë-
ticæ & carminum gloriam fouet, cùm caussas
agere non possit: & ego enim quatenus arbi-
trum litis huius inueni, non patiar, Maternum
societate plurium defendi. sed & ipsum solum
apud vos arguam, quòd natus ad eloquentiam
virilem & oratoriam, qua parare simul & tue-
ri amicitias, adsciscere nationes, complecti
prouincias possit,amittit studium, quo noo aliud
in ciuitate nostra vel ad vtilitatem fructuosius,
vel ad dignitatem amplius, vel ad vrbis famam
pulchrius, vel ad totius imperij atque omnium
gentium notitiam illustrius excogitari potest.
Nam si ad vtilitatem vitæ omnia consilia, factá-
que nostra dirigenda sunt, quid erit tutius quàm
eam exercere artem, qua semper armatus præ-
sidium amicis, opem alienis, salutem periclitan-
tibus, inuidis verò & inimicis metum & terro-
rem vltrò feras, ipse securus & velut quadam
perpetua potentia ac potestate munitus? cuius
vis & vtilitas rebus propè fluentibus, aliorum
præsidio & tutela intelligitur. sin proprium peri-
culum increpuit, non hercule lorica aut gladius
in acie firmius muuimentum, quàm reo & pe-
riclitanti eloquentiæ præsidium simul & telum,
quo propugnare pariter & incessere, vel io iudi-
cio, siue in senam, siue apud principem possis.
Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Mar-
cellus, quàm eloquentiam suam opposuit? qui
accinctus & minax disertam quidem sed inexer-
citatam & eiusmodi certaminum rudem Hel-
uidij sapientiam elusit. Plura de vtilitate non di-
co,cùm præsertim minimè contradicturum Ma-
ternum meum arbitrer. Ad voluptatem oratoriæ
eloquentiæ transeo, cuius iucunditas non vno
alióve momento, sed omnibus propè diebus

A & propè omnibus horis contingit. Quid enim
dulcius libero & ingenuo animo, & ad volupta-
tes honestas nato, quàm videre plenam sem-
per & frequentem domum concursu splendidis-
simorum hominum? Idque scire, noo pecuniæ,
non orbitati, neque officij alicuius administra-
tioni, sed sibiipsi dari; illos quinimo orbos &
locupletes & potentes venire plerumque ad iu-
uenem & pauperem, vt aut sua aut amicorum
B discrimina commendent. Vllane tanta ingentium
opum ac magnæ potentiæ voluptas, quàm spe-
ctare homines veteres, & senes, & totius vrbis
gratia subnixos, in summa omnium rerum abun-
dantia confitentes id quod optimum sit se non
habere? Iam verò qui togatorum comitatus &
egressus! quæ in publico species! quæ in iudiciis
veneratio! quod gaudium consurgendi assisten-
dique inter tacentes, in vnum cōuersos! coire
populum, & circumfundi coràm, & accipere
C affectum quemcumque orator induerit! Vulgata
dicentium gaudia, & imperitorum quoque ocu-
lis exposita, percenseo. Illa secretiora, & tantùm
ipsis orantibus nota, maiora sunt. Siue accuratam
meditatámque affert orationem, est quoddam si-
cut ipsius dictionis, ita gaudij pondus & constan-
tia. siue oouam & recentem curam non sine ali-
qua trepidatione animi attulerit: ipsa sollicitudo
commendat euentum, & lenocinatur voluptati.
D Sed extemporalis audaciæ, atque ipsius temeri-
tatis vel præcipua iucunditas est. Nam ingenio
quoque, sicut in agro, quamquam alia diu se-
rantur atque elaborentur, gratiora tamen quæ
sua sponte nascuntur. Equidem vt de me ipse
fatear, ooo eum diem lætiorem egi, quo mihi
latus clauus oblatus est, vel quo homo nouus
& in ciuitate minimè fauorabili natus, quæstu-
rã, aut tribunatum, aut præturã accepi: quàm eos
quibus mihi pro mediocritate huius quantulæ-
cumque in diceodo facultatis, aut reum pro-
E sperè defendere, aut apud centumuiros caussam
aliquam feliciter orare, aut apud principem i-
psos illos libertos & procuratores principum
tueri & defendere datur. Tum mihi supra tri-
bunatus & præturas & coosulatus ascendere vi-
deor, tũ abire: quod si noo in alio oritur, oec in
codicillis datur, nec cum gratia venit. Quæ fama
& laus cuiussuis artis cum oratorum gloria com-
paranda est, qui non illustres in vrbe solùm a-
F pud negotiosos & rebus intentos, sed etiam a-
pud iuuenes & adolescentes, quibus morum in-
doles est & bona spes sui? Quorum nomina
prius parentes liberis suis ingerunt? quos sæ-
pius vulgus imperitum, & tunicatus hic populus
transeũtes nomine vocat, & digito demonstrat?
Aduenæ quoque & peregrini, iam in municipiis
& coloniis suis auditos, cùm primùm vrbem atti-
gerunt, requirunt ac vultus agnoscere concupis-
cunt. Ausim contendere, Marcellum hunc E-
G prium, de quo modò locutus sum, & Crispum Vi-
bium (libentiùs enim nouis & recentibus, qoam
remotis & oblitteratis exẽplis vtor) nõ minus esse
in extremis partibus terrarum, quàm Capuæ aut
Vercellis, vbi nati dicũtur. nec hoc illis alterius ter
millies sestertiũ præstat, quãquã ad has ipsas opes
possũt videri eloquentiæ beneficio venisse. Ipsa e-
loquentia, cuius numẽ & cælestis vis multa quidẽ
omnib. sæculis exempla edidit, ad quantã vsq; for-
tunã homines ingenij virib. peruenerint. Sed hæc,
vt suprà dixi, proxima, & quæ non auditu cogoo-
scenda

scenda sed oculis spectanda haberemus. Nam quò sordidius & abiectius nati sunt, quóque notabilior paupertas & angustia rerum nascentes eos circumsteterunt, eò clariora & ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ vtilitatem illustriora exempla sunt. quòd sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoq; corporis cōtemptus, per multos iam annos potentissimi sunt ciuitatis, ac donec libuit principes fori; nunc principes in Cæsaris amicitia, agunt ferúntque cuncta: atque ab ipso principe cum quadam reuerentia diliguntur. Quia Vespasianus venerabilis senex & patientissimus veri, bene intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare, & in alios congerere promptum est: Marcellum autem & Crispum, attulisse ad amicitiam suam, quod non à principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli & statuæ. quæ neque ipsa tamen negliguntur: tam hercule quàm diuitiæ & opes, quas faciliùs inuenies qui vituperet, quàm fastidiat. His igitur & honoribus, & ornamentis, & facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia caussis forensibus & oratorio studio dederunt. Nam carmina & versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem vllam auctoribus suis conciliant, neque vtilitates alunt: voluptatem autem breuem, laudem inanem & infructuosam consequuntur. Licet hæc ipsa, & quæ deinde dicturus sum, aures tuæ ô Materne respuant, cui bono est si apud te Agamemnon aut Iason disertè loquitur? quis ideò domum defensus, & tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum egregium poëtam, vel (si hoc honorificentius est) præclarissimum vatem deducit, aut salutat, aut prosequitur? Nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te Materne, non quia poëta es, neque vt pro eo versus facias. hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem & iucundi. quorum tamen hic exitus est, vt cùm toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, vnum librum extudit & elucubrauit, rogare vltrò & ambire cogatur, vt sint qui dignentur audire: & ne id quidem gratis. nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit: & vt beatissimus recitationem eius euentus prosequatur, omnis illa laus intra vnum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcepta, ad nullam certam & solidam peruenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre. Laudauimus nuper vt miram & eximiam Vespasiani liberalitatem, quòd quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri, quantò tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adiice quòd poëtis, si modò dignum aliquid elaborare & efficere velint, relinquenda conuersatio amicorum & iucunditas vrbis, deserenda cetera officia, vtque ipsi dicunt, in nemora & lucos, id est, in solitudinem recedendum est. Nec opinio quidem

A & fama cui soli seruiunt, & quod vnum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æquè poëtas quàm oratores sequitur. quoniam mediocreis poëtas nemo nouit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama in totam vrbem penetrat? nedum vt per tot prouincias innotescat. Quotus quisque cùm ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in vrbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeò si quis requirit & semel vidit, transit & contentus B est: vt si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos quibus natura sua oratorum ingenium denegauit, deterream à carminibus, si modò in hac studiorum parte oblectare otium & nomen inserere possunt famæ. ego verò omnem eloquentiam omnésque eius partes sacras & venerabiles puto, nec solùm cothurnū vestrum, aut heroïci carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem, & elegorum lasciuias, & iambo- C rum amaritudinem, epigrammatum lusus, & quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. sed tecum mihi Materne res est, quòd cùm natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat, errare mauis, & summa adeptus, in leuioribus subsistis. Vt si in Græcia natus esses, vbi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires dij dedissent, non paterer D immanes illos & ad pugnam natos lacertos, leuitate iaculi aut iactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis & theatris, in forum & ad caussas, & ad vera prœlia voco. cùm præsertim ne ad id quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offendere poëtarum quàm oratorum studium. Efferuescit enim vis pulcherrimæ naturæ tuæ, nec pro amico aliquo, sed quod periculosius est, pro Catone offendis. nec excusatur offensa necessitudine E officij, aut fide aduocationis, aut fortuitæ & subitæ dictionis impetu; meditatus videris elegisse personam notabilem, & cum auctoritate dicturam. Sentio quid responderi possit. hinc ingentis ex his assensus, hinc in ipsis auditoriis præcipuè laudari, & mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis & securitatis excusationem, cùm tibi sumas aduersarium superiorem. nobis satis sit priuatas & nostri sæculi controuersias tueri, in quibus expressis si quando necesse sit F pro periclitante amico potentiorum aures offendere, & probata sit fides, & libertas excusata. Quæ cùm dixisset Aper acriùs, vt solebat, & intento ore: remissus & subridens Maternus, Paraui, inquit, me non minus diu accusare oratores, quàm Aper laudat. Fore enim arbitrabar, vt à laudatione eorum digressus detrectaret poëtas, atque carminum studium prosterneret: arte quadam mitigauit, concedendo his qui caussas a- G gere non possent, vt versus facerent. Ego autem sicut in caussis agendis efficere aliquid & eniti fortasse possum, ita recitatione tragœdiarum ingredi famam auspicatus sum, tum quidem cùm in Nerone improbatam & studiorum quoque sacra profanantem vaticinij potentiam fregi: & hodie si quid in nobis notitiæ ac nominis est, magis arbitror carminum quàm orationum gloria partum. ac iam me deiungere à forensi labore constitui, nec comitatus istos & egressus aut frequentiam salutationum concupisco: non magis

quàm æra & imagines, quæ etiam me nolente in domum meam irruperunt. Nam statum cuiusque ac securitatem meliùs innocentia tuetur quàm eloquentia. nec vereor, ne mihi vmquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine faciẽda sint. Nemora verò, & luci, & secretum ipsum quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, vt inter præcipuos carminum fructus numerem, quòd nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruitúrque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia: hoc primùm habitu cultúque commoda mortalibus, in illa casta & nullis contacta vitiis pectora influxit. sic oracula loquebantur. Nam lucrosæ huius & sanguinantis eloquentiæ vsus, recens & malis moribus natus, atque, vt tu dicebas Aper, in locum teli repertus. Ceterùm felix illud, &, vt more nostro loquar, aureum sæculum, & oratorum & criminum inops, poëtis & vatibus abundat, qui benefacta canerent, non qui malè admissa defenderent. Nec vllis aut gloria maior, aut augustior honor: primùm apud deos, quorum proferre responsa & interesse epulis ferebantur: deinde apud illos diis genitos sacrósque reges, inter quos neminem caussidicorum, sed Orphea ac Linum, ac si introspicere altiùs velis, ipsum Apollinem accepimus. vel si hæc fabulosa nimis & composita videntur, illud certè mihi concedis Aper, non minorem honorem Homero quàm Demostheni apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quàm Lysiæ aut Hyperidis includi. plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam, quàm Virgilij detrectent. Nec vllus Asinij aut Messallæ liber tam illustris est, quàm Medea Ouidij, aut Varij Thyestes. Ac ne fortunam quidem vatum, & illud felix contubernium, comparare timuerim cum inquieta & anxia oratorum vita. licet illos certamina & pericula sua ad consulatus euexerint: malo securum & secretum VIRGILII secessum, in quo tamen neque apud diuum Augustum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilij, surrexit vniuersus, & fortè præsentem spectantémque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus, Secundus Pomponius Afro Domitio, vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ, cesserit. Nam Crispus & Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac præsenti fortuna concupiscendum? an quòd timent, an quòd timentur? quòd cùm cottidie aliquid rogentur, hi quibus præstant indignantur? quòd alligati cum adulatione, nec imperantibus vnquam satis serui videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me verò dulces, vt Virgilius ait, Musæ, remotum à sollicitudinibus, & curis, & necessitate cottidie aliquid cõtra animum faciendi, in illa sacra illósque fontes ferant: nec insanum vltrà & lubricum forum famámque pallentem trepidus experiar. non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quàm quod possim cui velim relinquere, quandocumque fatalis & meus dies veniet. statuárque tumulo non mæstus

A & atrox, sed hilaris & coronatus: & pro memoria mei, nec consulat quisquam nec roget. Vix dum finierat Maternus concitatus & velut instinctus, cùm Vipsanius Messalla cubiculum eius ingressus est, suspicatúsque ex ipsa intentione singulorum, altiorem inter eos esse sermonem: Num parum tempestiuus, inquit, interueni, secretum consilium & caussæ alicuius meditationem tractantibus? Minimè, minimè, inquit Secundus,
B atq; adeò vellem maturiùs interuenisses. delectasset enim te & Apri nostri accuratissimus sermo, cùm Maternum vt omne ingenium ac studium suum ad caussas agendas conuerteret, exhortatus est: & Materni pro carminibus suis læta, vtque poëtas defendi decebat, audentior, poëtarum quàm oratorum similior oratio. Me verò, inquit, & sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quòd vos viri optimi & temporum nostrorum oratores, non
C forensibus tantùm negotiis, & declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes adiungitis, quæ & ingenium alunt, & eruditionis & litterarum iucundissimum oblectamentum, cùm vobis qui illa disputatis, afferunt, tum etiam his ad quorum aures peruenerint. Itaque hercule non minus probari video in te Secunde, quòd Iulij Asiatici vitam componendo, spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quàm in Apro quòd nondum à
D scholasticis controuersiis recessit; & otium suum mauult nouorum rhetorum more, quàm veterum oratorum consumere. Tum Aper, Non desinis Messalla vetera tantùm & antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere. Nam hũc tuum sermonem sæpe excepi, cùm oblitus & tuę & fratris tui eloquẽtię, neminem hoc tempore oratorem esse contenderes. Atque id eò credo audaciùs, quòd maligni in iis opinionem non verebaris, cùm eam
E gloriam quam tibi alij concedunt, ipse tibi denegares. Neque illius, inquit, sermonis mei pœnitentiam ago; neque aut Secundum, aut Maternum, aut teipsum Aper, (quamquam interdum in contrarium disputes) aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrûm, vt caussas huius infinitæ differentiæ scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerúmque conquiro. & quod quibusdam solatio est, mihi auget quæstionem, quia video etiam Graiis accidisse, vt
F longiùs absit Æschine & Demosthene Sacerdos iste Nicetes, & si quis alius Ephesum vel Mitylenas contentus scholasticorum clamoribus quatit, quàm Afer aut Africanus aut vos ipsi à Cicerone aut Asinio recessistis. Magnam, inquit Secundus, & dignam tractatu quæstionem mouisti: sed quis eam iustiùs explicauerit quàm tu, ad cuius summam eruditionem & præstantissimum ingenium cura quoque & meditatio accessit? Et Messalla, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud à vobis antè impetrauero, vt vos
G quoque sermonem hunc nostrum adiuuetis. Pro duobus, inquit Maternus, promitto. Nam & ego & Secundus exsequemur partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quàm nobis reliquisse. Aptum enim solere dissentire, & tu paullo antè dixisti, & ipse satis manifestus iamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam. Non enim, inquit Aper, inaudi-

ditum

ditum & indefensum sæculum nostrum patiat hac vestra conspiratione damnari. Srd hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum ætatrm signatione ista determinetis? Ego enim cùm audio antiquos, quosdam veteres & olim natos intrlligo, ac mihi versantur ante oculos Vlysses & Nestor,.quorum ætas mille ferè & c c. annis sæculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem & Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi & Alexandri temporibus floruisse; ita tamen vt vtrique superstites essent. Ex quo apparet, non multò plures quàm c c c c. annos intrresse inter nostram & Demosthruis ætatem. quod spatium temporis, si ad infirmitatrm corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur: si ad naturam sæculorum & respectum huius immensi æui, perquam breue, & in proximo est. Nam si, sicut Cicero in Hortensio scribir, is rst magnus & verus annus, quo eadem positio cæli siderúmque, quæ cùm maximè est, rursum exsistet, isque annus horum quos vocamus annorum. XII. M. DCCCLIV. complectitur: incipit Demosthenes vester quem vos veterem & antiquum fingitis, non solùm anno quo nos, sed ferè eodem mense exstitisse. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium vt puto Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis: sed Ciceronem, & Cæsarem, & Cœlium, & Caluum, & Brutum, & Asinium, & Messallam, quos quidem cur antiquis temporibus potiùs adscribatis quàm nostris, non video. nam vt de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe & Pansa consulibus, vt Tiro libertus eius scripsit, VII. Idus Decemb. occisus est, quo anno diuus Augustus in locum Pansæ & Hirtij se & Q. Pedium C o s s. suffecit, statue VI. & L. annos, quibus mox diuus Augustus Remp. rexit: adice Tiberij tres & viginti, & propè quadriennium Caij, ac bis quaternosdenos Claudij & Neronis annos, atque ipsum Galbæ & Othonis, & Vitellij vnum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus Remp. fouet, C. & X X. anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, vnius hominis ætas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fateretur & pugnæ interfuisse, qua Cæsarem inferentem arma Britanniæ, arcere litoribus, & pellere aggressi sunt. Ita si eum qui armatus C. Cæsari restitit, vel captiuitas, vel voluntas, vel fatum aliquod in vrbem pertraxisset, idem Cæsarem ipsum & Ciceronem audire potuit, & nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se à diuo quoque Augusto semel atque iterùm accepisse congiarium narrabant, ex quo colligi potest, & Coruinum ab illis & Asinium audiri potuisse. Nam Coruinus in medium vsque Augusti principatum, Asinius pænè ad extremum durauit. Nec diuidatis sæculum, & antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorumdem hominum aures agnoscere ac velut coniungere & copulare potuerunt. Hæc ideo prædixi, vt si qua ex horum oratorum fama gloriáque, laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam, & propiorem nobis quàm Ser. Galbæ, C. Carboni, quósque alios antiquos meritò vocaremus. Sunt enim horridi, & impoliti, & rudes,

A & informes: & quos vtinam imitatus non esset Caluus vester aut Cœlius, aut ipse Cicero! Agere enim fortiùs iam & audentiùs volo, si illud antè prædixero, mutari cum temporibus formas & genera dicendi. Sicut Catoni seni comparatus C. Gracchus, plenior, & vberior: sic Graccho politior, & ornatior, Crassus: sic vtroque distinctior & vrbanior & altior, Cicero: Cicerone mitior Coruinus & dulcior, & in verbis magis elabo- B ratus. Nec quæro quis disertissimus. hoc interim probasse contentus sum, non esse vnum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos, plures species deprehendi: nec statim deterius esse quod diuersum est: vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse. Num dubitamus inuentos, qui pro Catone Appium Cæcum magis mirarentur? Satis constat nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus & tumens, nec satis pressus, C supra modum exsultans & superfluens, & parum Atticus videretur. Legisti vtique & Calui, & Bruti, ad Ciceronem missas epistolas. ex quibus facile est deprehendere, Caluum quidem Ciceroni visum exsanguem, & attritum, Brutum autem otiosum atque disiunctum. Rursúmque Ciceronem à Caluo quidem malè audiuisse, tamquam solutum & eneruem: à Bruto autem, vt ipsius verbis vtar, tamquam fractum atque elum- D bem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. sed mox ad singulos veniam, nunc mihi cum vniuersis negotium est. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem vsque ad Cassium Seuerum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere, atque dicendi via directa: non infirmitate ingenij, nec inscitia litterarum, transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed iudicio & intellectu. Vidit namque, vt paullo antè dicebam, cum conditione tempo- E rum ac diuersitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facilè perferebat prior iste populus, vt imperitus & rudis, imperitissimarum orationum spatia atque, id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Ita verò longa principiorum præparatio, & narrationis altè repetita series, & multarum diuisionum ostentatio, & mille argumentorum gradus, & quidquid aliud aridissimis Hermagoræ & Apollodori libris præcipitur, in honore erat: F & si quis odoratus philosophiam, atque ex ea locum aliquem orationi suæ insereret, in cælum laudibus ferebatur. Nec mirum. erant enim hæc noua & incognita: & ipsorum quoque oratorum paucissimi, præcepta rhetorum aut philosophorum placita cognouerant. At hercule peruulgatis iam omnibus, cùm vix in cortina quisquam assistat, qui elementis studiorum etsi non instructus, aut certè imbutus sit, nouis & exqui- G sitis eloquentiæ itineribus opus est, per quæ orator fastidium aurium effugiat, vtique apud eos iudices qui vi aut potestate non iure & legibus cognoscunt, & nec accipiunt tempora, sed constituunt; nec exspectandum habent oratorem dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed sæpe vltrò admonent, atque aliò transgredientem reuocant & festinare se testantur. Quis nunc ferat oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem? qualia sunt ferè principia Cor-

nini. Quis quinque in Verrem libros exspectauerit? Quis de exceptione & formula perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio aut A.Cæcina legimus? Præcurrit hoc tempore iudex dicentem, & nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore & cultu descriptionum inuitatus & corruptus est, auersatur dicentem. Vulgus quoque assistentium, & affluens & vagus auditor, assueuit iam exigere lætitiam & pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis tristem & impexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscij aut Turpionis Ambiuij exprimere gestus velit. Iam verò iuuenes & in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui caussa oratores sectantur, non solùm audire, sed etiam referre domum aliquid illustre & dignum memoria volunt. Traduntque inuicem, ac sæpe in colonias ac prouincias suas scribunt, siue in suis aliquis arguta & breui sententia effulsit, siue locus exquisito & poëtico cultu enituit. Exigitur enim iam ab oratore etiam poëticus decor, non Attij aut Pacuuij veterno inquinatus, sed ex Horatij, & Virgilij, & Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus & iudiciis obtemperans nostrorum oratorum ætas, pulchrior & ornatior exstitit. Neque ideò minus efficaces sunt orationes nostræ, quia ad aures iudicantium cum voluptate perueniunt. Quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, & informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent & auro radiantur? Equidem fatebor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere, nec vnum de populo. Canuti aut Atide Furnio & Toranio, quique alios in eodem valetudinario hæc ossa & hanc maciem probant. Ipse mihi Caluus cùm vnum & viginti, vt puto, libros reliquerit, vix in vna aut altera oratiuncula satisfecit. nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video. quotus enim quisque Calui in Asitium aut in Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quæ in Vatinium inscribuntur, ac præcipuè secunda ex his oratio. est enim verbis ornata, & sententiis, auribus iudicum accommodata: vt scias ipsum quoque Caluum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem quin sublimius & cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Cœlianis orationibus? nempe hæ placent siue in vniuersa parte factum in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, & hians compositio & inconditi sensus redolent antiquitatem. nec quemquam adeò antiquarium puto, vt Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Concedamus sanè C.Cæsari, vt propter magnitudinem cogitationum & occupationes rerum, minus eloquentia effecerit, quàm diuinum eius ingenium postulabat: tam hercule quàm Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam in orationibus minorem esse fama sua, etiam admiratores eius fatentur. nisi fortè quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiutaro Rege, ceterósque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina, & in Bibliothecas retulerunt, non meliùs quàm Cicero, at feliciùs, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios & Appios studuisse. Pacuuium certè, & Attium, non solùm tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit. adeò durus & siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur: sed temperatus ac bonus sanguis implet membra & exsurgit toris, ipsos quoque neruos rubor tegit & decor commendat. Nolo Coruinum insequi, quia non per ipsum stetit quo minus lætitiam nitorémque nostrorum temporum exprimeret. viderimus inquam iudicio eius vis aut animi aut ingenij suffecerit. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus suis fuit, quæ mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat. nec vlla re magis eiusdem ætatis oratores præcurrit, quàm iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus & verbis delectum adhibuit, & compositioni artem: locósque lætiores attentauit, & quasdam sententias inuenit: vtrique in his orationibus quas senior iam & iuxta finem vitæ composuit, id est, postquam magis profecerat, vsuque & experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus est. Nam priores eius orationes, non carent vitiis antiquitatis. lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tardè commouetur, rarò incalescit: pauci sensus apt. & cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis: & velut in rudi ædificio, firmus sanè paries & duraturus, sed non satis expolitus & splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac laudatum patrem familiæ, non eo tantùm volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum & oculos delectet: non ea solùm instrui supellectile, quæ necessariis vsibus sufficiat; sed sit in apparatu eius, & aurum, & gemmæ, vt sumere in manus, & aspicere sæpiùs liceat: quædam verò procul arceantur, vt iam oblitterata & olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda & inerti structura, in morem Annalium, componantur: fugiat fœdam & insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas vno & eodem modo terminet. Nolo irridere *rotam fortunæ, & ius Verrinum*, & illud tertio quoque sensu in omnibus pro sententia positum, *esse videatur*. Nam & hoc inuitus retuli, & plura omisi, quæ tamen sola mirantur atque exprimunt hi qui se antiquos oratores vocant. neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis vtique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidij Bassi, aut Seruilij Noniani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet: qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calui mirantur: quos more prisco apud iudicem fabulantes, non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur. adeò mæsti & inculti, illam ipsam quam iactant sanitatem, infirmitate & ieiunio consequuntur. Porrò ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingat. parum est ægrum non

esse,

esse, fortem & lætum & alacrem volo. propè abest
ab infirmitate in quo sola sanitas laudatur. Vos
verò disertissimi, vt potestis, vt facitis, illustrate
sæculum nostrum pulcherrimo genere dicendi.
Nam & te Messalla, video lætissima quæque an-
tiquorum imitantem: Et vos Materne ac Se-
cunde, ita grauitati summum nitorem & cul-
tum verborum miscetis; ea electio inuentionis,
is ordo rerum, & quotiens caussa poscit, vbertas;
ea quotiens permittitur, breuitas; is compo-
sitionis decor, sententiarum planitas: sic expri-
mitis affectus, sic libertatem temperatis: vt et-
iam si nostra iudicia malignitas & inuidia tar-
dauerit, verum de vobis dicturi sint posteri no-
stri. Quæ cum Aper dixisset; Agnoscitis ne, in-
quit Maternus, vim & ardorem Apri nostri?
quo torrente, quo impetu sæculum nostrum de-
fendit! quam copiosè ac variè vexauit antiquos!
quanto non solùm ingenio ac spiritu, sed et-
iam eruditione & arte, ab ipsis mutuatus est,
per quæ mox ipsos incesseret! Tuum tamen Mes-
salla promissum immutasse non debes. neque e-
nim defensores antiquorum exigimus, nec quem-
quam nostrorum, quamquam modò laudati su-
mus, his quos insectatus est Aper, compara-
mus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed more ve-
teri & alias vestris philosophis sæpe celebrato,
sumpsit sibi contradicendi partes. Exprime no-
bis non laudationem antiquorum, satis enim il-
los fama sua laudat, sed caussas cur in tantum
ab eloquentia eorum recesserimus: cum præser-
tim centum & x x. annos ab interitu Cice-
ronis in hunc diem effici ratio temporum col-
legerit. Tum Messalla: Sequar à te præscriptam
formam Materne. neque enim diu contradicen-
dum est Apro, qui primùm, vt opinor, nominis
controuersiam mouit, tamquam parum propriè
antiqui vocarentur, quos satis constat ante cen-
tum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pu-
gna non est, siue illos antiquos, siue maiores, si-
ue quo alio mauult nomine appellet: dummodo
in confesso sit, eminentiorem illorum tempo-
rum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti
sermonis eius repugno, si cominus fatetur plu-
res formas dicendi etiam iisdem sæculis, nedum
diuersis exstitisse. Sed quo modo inter Atticos
oratores primæ Demostheni tribuuntur, proxi-
mum autem locum Æschines & Hyperides &
Lysias & Lycurgus obtinent; omnium autem
consensu hæc oratorum ætas maximè probatur:
sic apud nos Cicero quidem ceteros eorum-
dem temporum disertos antecessit: Caluus au-
tem & Asinius & Cæsar & Cœlius & Brutus suo
iure & prioribus & sequentibus anteponuntur.
nec refert quòd inter se specie differant, cùm ge-
nere consentiant. At strictior Caluus, numero-
sior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cœlius,
grauior Brutus, vehementior & plenior & va-
lentior Cicero: omnes tamen eamdem sanitatem
eloquentiæ ferunt: vt si omnium pariter libros
in manum sumpseris, scias, quamuis in diuersis
ingeniis, esse quandam iudicij ac voluntatis simi-
litudinem & cognationem. Nam quòd inuicem
se obtrectauerunt, & supersunt aliqua epistolis
eorum inserta, ex quibus mutua malignitas dete-
gitur, non est oratorum vitium, sed hominum.
Nam & Caluum & Asinium & ipsum Ciceronem
credo solitos & inuidere, & liuere, & ceteris hu-
manæ infirmitatis vitiis affici: solum inter hos ar-

A bitror Brutum, non malignitate nec inuidia, sed
simpliciter & ingenuè iudicium animi sui dete-
xisse. an inuideret Ciceroni, qui mihi videtur ne
Cæsari quidem inuidisse? Quod ad Ser. Galbam &
C. Lælium attinet, & si quos alios antiquorum
agitare non destitit, non exigit defensorem, cùm
fatear quædam eloquentiæ eorum, vt nascenti ad-
huc nec satis adultæ, defuisse. Ceterùm si omisso
optimo illo, & perfectissimo genere eloquentiæ,
B eligenda sit forma dicendi: malim hercule C.
Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem,
quàm calamistros Mæcenatis, aut tinnitus Gallio-
nis. adeò malim oratorem, vel hirta toga induere,
quàm fucatis & meretriciis vestibus insignire.
Neque enim oratorius iste, immò hercule ne vi-
rilis quidem cultus est, quo plerique temporum
nostrorum actores ita vtuntur, vt lasciuia verbo-
rum & leuitate sententiarum, & licentia compo-
sitionis, histrionales modos exprimant. quódque
C vix auditu fas esse debeat, laudis & gloriæ & inge-
nij loco plerique iactant, cantari saltarique com-
mentarios suos. Vnde oritur illa fœda & præpo-
stera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio,
vt oratores nostri tenerè dicere, histriones disertè
saltare dicantur. Equidem non negauerim Cas-
sium Seuerum, quem solum Aper noster nomi-
nare ausus est, si his comparetur qui postea fue-
runt, posse oratorem vocari, quamquam in ma-
gna parte librorum suorum plus vis habeat
D quàm sanguinis. Primus enim contempto ordine
rerum, omissa modestia, ac pudore verborum, i-
psis etiam quibus vtitur armis incompositus, &
studio feriendi plerumque deiectus non pugnat,
sed rixatur. Ceterùm, vt dixi, sequentibus com-
paratus, & varietate eruditionis, & lepôre vrbani-
tatis & ipsarum virium robore, multum ceteros
superat. quorum neminem Aper nominare, &
velut in aciem educere sustinuit. Ego autem ex-
spectabam, vt incusato Asinio, & Cœlio, & Cal-
E uo, aliud nobis agmen produceret, plurésque vel
certè totidem nominaret, ex quibus alium Cice-
roni, alium Cæsari, singulis demum singulos
opponeremus. Nunc detrectasse nominatim an-
tiquos oratores contentus, neminem sequentium
laudare ausus est, nisi in publicum & in com-
mune. veritus credo ne multos offenderet, si
paucos excerpsisset. quotus enim quisque scho-
lasticorum non hac sua persuasione fruitur, vt
se ante Ciceronem numeret, sed planè post Ga-
F binianum? At ego non verebor nominare sin-
gulos, quo facilius propositis exemplis appareat
quibus gradibus fracta sit & deminuta eloquen-
tia. Appropera, inquit Maternus, & potiùs ex-
solue promissum. neque enim hoc colligi deside-
ramus, disertiores esse antiquos, quod apud me e-
quidem in confesso est, sed caussas exquirimus,
quas te solitum tractare, paullo antè, planè mi-
tiore eloquentia & temporum nostrorum, mira-
tus, antequam te Aper offenderet maiores tuos
G lacessendo. Non sum, inquit, offensus Aprinâ di-
sputatione, nec vos offendi decebit, si quid for-
tè aures vestras perstringet, cùm sciatis hanc esse
eiusmodi sermonum legem, iudicium animi ci-
tra damnum affectus proferre. Perge, inquit Ma-
ternus, & cùm de antiquis loquaris, vtere anti-
qua libertate, à qua vel magis degenerauimus,
quàm ab eloquentia. Et Messalla, Non recon-
ditas Materne caussas requiris, nec aut tibi ipsi,
aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, etiam-

si mihi partes assignatis proferendi in medium, quæ omnes sentimus. Quis enim ignorat & eloquentiam & ceteras artes desciuisse ab ista vetere gluria,nun inopia hominum sed desidia iuuentutis, & negligentia pareotum, & inscientia præcipientium, & obliuione moris antiqui? quæ mala primùm in vrbe nata, mux per Italiam fusa, iam in prouincias manant: quamquam nostra nobis notiora sunt. Ego de vrbe & his propriis ac vernaculis vitiis loquat, quæ natos statim excipiunt, & per singulus ætatis gradus cumulantur,si prius de seueritate ac disciplina maiotum circa educandos formandósque liberos pauca prædixero. Iamprimùm suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptræ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inseruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatísque moribus, omnis cuiuspiam familiæ suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò curásque, sed remissiones etiam lusúsque puerorom, sanctitate quadam ac verecundia temperabat.Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus,ac produxisse principes liberos accepimus. quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat, vt sincera & integra & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore arriperet artes hunestas: & siue ad rem militatem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id vniuersum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus seruis plerumque vilissimus, oec cuiquam serio ministerio accommodatus. horum fabulis & erroribus, teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota dumo pensi habet, qoid curam infante domioo, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiæ paruulos assuefaciunt,sed lasciuiæ & libertati. per quæ paullatim impudentia irrepit, & sui alienique cuntemptus. Iam verò propria & peculiaria huius vrbis vitia pænè in vtero matris concipi mihi videntur, histrionalis fauor, & gladiatorum equurúmque studia.quibus occupatus & obsessus animus quantulum loci bunis artibus relinquit! quotum quemque inueneris qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quandu auditoria intrauimus? Nec præceptores quidem vllas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent. colligunt enim discipulos non seueritate disciplinæ, oec ingenij experimento, sed ambitione salutantium,& illecebris adulationis. Tráseo prima discentium elementa, in quibus, & ipsis parum elaboratur. nec in anctoribus cognoscendis,nec in euoluenda antiquitate, nec in notitia vel rerum vel hominum, vel temporum satis operæ insumitur. sed expetuntur quos Rhetoras vocant: quorum professio quando primùm in hanc vrbem introducta sit, quámque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuit, statim docuero. Referam necesse est animum ad eam disciplinam, qua vsos esse eos oratores accepimus,quurum infinitus labor & cottidiana meditatiu & in omni genere studiurum ex-

A ercitatiooes, ipsorum etiam contineutur libris. Notus est vobis vtique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur, io cuius extrema parte, (nam priur commemorationem veterum oratorum habet,) sua initia, suus gradus,suæ eloquentiæ velut quandam educationem refert. se apud Q.Mucium ius ciuile didicisse,apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicum omnis philosophiæ partes penitus hausisse: oeque his ductoribus
B contentum,quorum ei cupia in vrbe contigerat, Achaiam quoque & Asiam peragrasse,vt omnem omnium artium varietatem cumplecteretur. Itaque hercule io libris Cicerunis deprehendere licet, oon geometriæ, non musicæ, non grammaticæ, noo denique vllius ingenuæ artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis vtilitatem, ille rerum motus caussásque cognouit. ita enim est, optimi viri, ita, ex multa eruditione,ex pluribus artibus,& omnium rerum
C scientia,exundat & exuberat illa admirabilis eloquentia.neque uratoris vis & facultas,sicut ceterarum rerum, angustis & breuibus terminis cluditur: sed is est orator, qui de umni quæstiune pulchrè & ornatè & ad persuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad vtilitatem temporum, cum vuluptate audientium possit. Hæc sibi illi veteres persuadebant. ad hæc efficienda intelligebant opus esse,non vt rhetorum scholis declamarent, nec vt fictis nec vllo modo ad verita-
D tem accedentibus controuersiis linguam modò & vocem exercerent; sed vt his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi,de iusto & iniusto disputatur. Hæc enim est oraturi subiecta ad dicendum materia. Nam in iudiciis ferè de æquitate, io deliberationibus de honestate dicimus, ita vt plerumque hæc ipsa inuicem misceantur. de quibus copiusè & variè & ornatè oemo dicere putest,nisi qui cognouit naturam humanam, & vim virturum,
E prauitatémque vitiorum, & intellectum eorum quæ nec in virtutibus neque in vitiis numerantur.Ex his fontibus etiam illa prufluunt, vt faciliùs iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit quid ira: promptiùs ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibúsque versatus orator, siue apud infestus, siue apud cupidos, siue apud inuidentes, siue apud tri-
F stes,siue apud timentes dicendum habuerit, teoebit habenas animorum: & prout cuiusque natura postulabit, adhibebit manum & temperabit orationem, parato omni instrumento, & ad omnem vsum reposito. Sunt apud quos astrictum, & collectum, & singula statim argumenta concludens dicendi genus, plus fidei meretur. apud hos dedisse operam dialecticæ proficiet. Alios fu-
G sa,& æqualis, & ex communibus ducta sensibus oratiu, magis delectat. ad hos permouendos mutuabimur aliquid à Peripateticis. hi aptos & io omnem disputationem paratos iam locos dabunt. Academici pugnacitatem, Platu altitudinem; Xenophun iucunditatem. ne Epicuri quidem & Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere:hisque,pruut res poscit, vti, alienum erit oratori. neque enim sapientem informamus,neque Stoicorum ciuitatem, sed eum qui non quasdam artes audire, sed omoes liberaliter debet. Idcóque & iuris ciuilis scientiam veteres uratores comprehendebant,& grammatica,

musica,

musica, & geometria imbuebantur. Incidunt enim caussæ plurimæ quidem ac pænè omnes, quibus iuris notitia desideratur: pleræque autem, in quibus hæ quoque scientiæ requiruntur. Nec quisquam respondeat: sufficit vt ad tempus simplex quiddam & vniforme doceamur. Primùm enim aliter vtimur propriis, aliter commodatis: longéque interesse manifestum est, possideat quis quæ profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque vbi minimè credas, eminet & excellit. Idque non doctus modò & prudens auditor, sed etiam populus intelligit: ac statim ita laude prosequitur, vt legitimè studuisse, vt per omnes eloquentiæ numeros isse, vt denique oratorem etiam fateatur. quem non posse aliter exsistere, nec extitisse vmquam confirmo, nisi eum qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeò negligitur ab horum temporum disertis, vt in actionibus eorum fex quoque cottidiani sermonis, fœda ac pudenda vitia deprehendantur, vt ignorent leges, non teneant S.C. ius ciuitatis vltrò derideant: sapientiæ verò studium & præcepta prudentium penitus reformident: in paucissimos sensus & augustas sententias detrudant eloquentiam, velut expulsam regno suo: vt quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa & amputata, siue apparatu, sine honore, pænè dixerim sine ingenuitate, quasi vna ex sordidissimis artificiis discatur. Ergo hanc primam & præcipuam caussam arbitror, cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quàm apud Græcos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriæ proditum est. Et Cicero his vt opinor verbis, *quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum, sed Academiæ spatiis consecutum.* Sunt aliæ caussæ magnæ & graues, quas à vobis aperiri æquum est, quoniam quidem ego iam meum munus expleui, & quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi: qui si fortè hoc audirent, certum habeo dicturos, me, dum iuris & philosophiæ scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse. Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum à te munus adeò peregisse nondum videris, vt inchoasse tantùm, & velut vestigia ac lineamenta quædam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiámque nostræ desidiæ & inscientiæ aduersus acerrima & fecundissima eorum studia demõstrasti: cetera exspecto, vt quemadmodum ex te didici quid aut illi scirent, aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuuenes iam & forum ingressi confirmare & alere ingenia sua soliti sint. neque enim arte & scientia, sed longè magis facultate eloquentiam contineri, nec tu puto abnues, & hi significare vultu videntur. Deinde cùm Aper & Secundus idem annuissent, Messalla quasi rursus incipiens: quoniam initia & semina veteris eloquentiæ satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationem eorum: quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi vt scientiæ medi-

A ratio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat. per quæ colligitur eamdem esse rationem, & percipiendi quæ proferas, & proferendi quæ perceperis. sed si cui obscuriora hæc videntur, isque scientiam ab exercitatione separat, id certè concedet, instructum & plenum his artibus animum, longè paratiorem ad eas exercitationes venturum, quæ propriæ circa oratoriam videntur. Ergo apud maiores nostros iuuenis ille, qui

B foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur à patre, vel à propinquis, ad eum oratorem qui principem locum in ciuitate tenebat. hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus assuescebat. ita vt altercationes quoque excipere, & iurgiis interesse, vtque sic dixerim, pugnare in prœlio disceret. magnus ex hoc vsus, multum constantiæ, plurimum iudicij iuuenibus

C statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, vbi nemo impune stultè aliquid, aut contrariè dicit, quo minus & iudex respuat, & aduersarius exprobret, ipsi denique aduocati aspernentur. Igitur vera statim & incorrupta eloquentia imbuebantur: & quamquam vnum sequerentur, tamen omnes eiusdem ætatis patronos in plurimis & caussis & iudiciis cognoscebant: habebántque ipsius populi diuersissimarum aurium copiam, ex qua facilè de-

D prehendebatur quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec præceptor deerat optimus quidem & electissimus, qui faciem eloquentiæ non imaginem præstaret: nec aduersarij & æmuli, ferro non rudibus dimicantes: sed auditorium semper plenum, semper nouum, ex inuidis & fauentibus, vt nec bene dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam & duraturam eloquentiæ famam, non minus in diuersis subselliis parari quam suis. quin immò con-

E stantiùs surgere ibi, fideliùs corroborari. Atque hercule sub eiusmodi præceptionibus iuuenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis, cui cottidiè audienti notæ leges, non noui iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpe cognitæ populi aures, siue accusationem susceperat, siue defensionem, solus statim & vnus cuicumque

F caussæ par erat. Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, vno & vicesimo Cæsar Dolabellam, altero & x x. Asinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Caluus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodiéque cum admiratione legimus. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempura exstitisse, nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestum est, quòd Mar-

G co Crasso & Domitio censoribus cludere, vt ait Cicero, ludum impudentiæ iussi sunt. Sed, vt dicere institueram, deducimur in scholas, quibus non facilè dixerim vtrúmne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reuerentiæ, sed in quem nemo nisi imperitus æquè intrat. In condiscipulis nihil profectus, cùm pueri inter pueros, & adolescentuli inter adolescentulos pari securitate dicant & audiantur. Ipsæ verò exercitationes magna ex parte contrariæ. Nempe e-

biles equos cursus & spatia probant;sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi & soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quinimmò curam & diligentem styli anxietatem contrariam experimur: quia sæpe interrogat iudex; quando incipias; & ex interrogatione eius incipiendum est. Frequenter probationibus & testibus, silentium patronus indicit. vnus inter hæc dicenti ac alter assistit,& res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausúque opus est, & velut quodam theatro. qualia cottidie antiquis oratoribus contingebant: cùm tot pariter ac tam nobiles forum coartarent: cùm clientelæ quoque,& tribus, & municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus assisterent:cùm in plerisque iudiciis crederet populus Roman. sua interesse quid iudicaretur. Satis constat C.Cornelium.& M.Scaurum & T.Milonem, & L.Bestiam, & P.Vatinium, concursu totius ciuitatis & accusatos & defensos, vt frigidissimos quoque oratores, ipsa certantis populi studia, excitare & incendere potuerint. Itaque hercule eiusmodi libri exstant,vt ipsi quoque qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur. Iam verò conciones assiduæ, & datum ius quoque potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria: cùm se plurimi disertorum,ne à P. quidem Scipione,aut Sylla, aut Gn. Pompeio abstinuerint,& ad incessendos principes viros,vt est natura inuidiæ, populi quoque histriones auribus vterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admouebant! Non de otiosa & quieta re loquimur, & quæ probitate & modestia gaudeat: sed est magna ista & notabilis eloquentia, alumna licentiæ quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine seruitute, contumax, temeraria, arrogans,quæ in bene constitutis ciuitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretensem accipimus? quarum ciuitatum seuerissima disciplina, & seuerissimę leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac Persarum,ac vllius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam nouimus. Rhodij quidam, Athenienses plurimi oratores exstiterũt: apud quos omnia populus, omnia imperiti omnia,vt sic dixerim,omnes poterant. Nostra quoq; ciuitas donec errauit, donec se partibus, & dissensionibus, & discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla superiorum reuerentia, nullus magistratuum modus: tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed nec tanti Reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, vt pateretur & leges: nec bonæ formam eloquentiæ Cicero tali exitu pensauit. Sic quoque quod superest antiquis oratoribus,forum non emendare,nec vsquam ad votum compositæ ciuitatis argumentum est quidem, quòd nemo nos aduocat, nisi aut nocens aut miser. quod municipium in ciuitatem nostram venit,nisi quod aut vicinus populus, aut domestica discordia agitat? quam prouinciam tuemur,nisi spoliatam vexatámque? Atqui meliùs fuisset non queri, quàm vindicari. Quòd si inueniretur aliqua ciuitas in qua nemo peccaret, superuacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quo modo tamen minimum vsus minimúmque profectus ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus vtuntur: sic minor oratorum obscuriórque gloria est inter bonos mores, & in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis,cùm optimi citò consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cùm de republica non imperiti & multi deliberent,sed sapientissimus & vnus? Quid voluntariis accusationibus, cùm tam rarò & tam parcè peccetur? Quid inuidiosis & excedentibus modum defensionibus, cùm clementia cognoscentis obuiam periclitantibus eat? Credite optimi, & in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus sæculis, aut isti quos miramur, his nati essent, ac deus aliquis vitas vestras, vestra tempora repentè mutasset: nec vobis summa illa laus & gloria in eloquentia, neque illis modus & temperamentum defuisset. Nunc quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam & magnam quietem, bonis sæculi sui quisque, citra obtrectationem alterius, vtatur. Finierat Maternus. Tum Messalla: Erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, posteà arbitratu tuo, & si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt,de his rursus conferemus.

Ac simul assurgens & Aprum complexus, Ego, inquit, te poëtis; Messalla, antiquariis,criminabimur. At ego vos rhetoribus & scholasticis, inquit. Cùm adrisissent,discessimus.



ÆLII SPARTIANI



ADRIANVS IMP.

AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.



ORIGO Imperatoris Adriani vetustior, à Picentibus; posterior, ab Hispaniensibus manat: siquidem Adria ortos maiores suos, apud Italicam, Scipionū temporibus, resedisse, in libris vitæ suæ Adrianus ipse commemorat. Adriano pater Ælius Adrianus cognomento Afer fuit, consobrinus Traiani Imperatoris: mater, Domitia Paulina Gadibus orta: soror, Paulina, nupta Seruiano; vxor Sabina: auus, Marillinus, qui primus in sua familia senator populi Romani fuit. Natus est Romæ IX Cal. Feb. Vespasiano septies & Tito quinquies Coss. Ac decimo ætatis anno patre orbatus, Vlpium Traianum prætorium tunc, consobrinum suum, qui postea imperium tenuit, & Cælium Tatianum equitem Romanum, tutores habuit. Imbutusque impensius Græcis studiis, ingenio eius sic ad ea declinante, vt à nonnullis Græculus diceretur: quintodecimo anno ad patriam rediit: ac statim militiam iniit, venandi vsque ad reprehensionem studiosus. Quare à Traiano abductus à patria, & pro filio habitus: nec multo post decemuir litibus iudicandis datus: atque inde tribunus secundæ adiutricis legionis creatus: post hoc in inferiorem Mœsiam translatus, extremis iam Domitiani temporibus. Ibi à mathematico quodam de futuro imperio id dicitur comperisse, quod à patruo magno Ælio Adriano peritiam cælestium callente, prædictum esse compererat. Traiano à Nerua adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinans ad Traianum, vt primus nuntiaret excessum Neruę, à Seruiano sororis viro (qui & sumptibus & ære alieno eius prodito, Traiani odium in eum mouit) diu detentus, fractóq; consulte vehiculo tardatus, pedibus iter faciens, eiusdem Seruiani beneficio ad Traianum ante venit: fuitque in amore Traiani: nec tamen ei per pædagogos puerorum quos Traianus impensius diligebat, Gallo fauente defuit. Quo quidem tempore quum sollicitus de Imperatoris erga se iudicio, Virgilianas sortes consuleret; *Quis procul ille autem ramis insignis oliua Sacra ferens? nosco crines incanáque menta Regis Romani, primam qui legibus vrbem Fundauit, Curibus paruis & paupere terra, Missus in imperium magnum, cui deinde subibit:* sors excidit quam alij ex Sibyllinis versibus ei prouenisse dixerunt. Habuit autem præsumptio-

A nem imperij mox futuri ex fano quoque Nicephorij Iouis manante responso, quod Apollonius Syrus Platonicus libris suis indidit. Denique statim suffragante Sura, ad amicitiam Traiani pleniorem rediit, nepte per sororem Traiani vxore accepta, fauente Plotina, Traiano leuiter (vt Marius Maximus dicit) volente. Quæsturam gessit Traiano quater & Arunculeio coss. in qua quum orationem Imperatoris in Senatu agrestius pronuntians risus esset, vsque ad summam
B peritiam & facundiam Latinis operam dedit. Post quæsturam acta senatus curauit: atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosequutus est: quando quidem & indulsisse vino se dicit, Traiani moribus obsequentem: atque ob hoc se à Traiano locupletissime muneratum. Tribunus plebis factus est Candido & Quadrato iterum COSS. in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod pænulas amiserit quibus vti tribuni plebis
C pluuiæ tempore solebant, Imperatores autem numquam. Vnde hodieque Imperatores sine pænulis à togatis videntur. Secunda expeditione Dacica, Traianus eum primæ legioni Mineruiæ præposuit, secumque duxit: quando quidem multa egregia eius facta claruerunt. Quare adamante gemma, quàm Traianus a Nerua acceperat, donatus, ad spem successionis erectus est. Prætor factus est sub Sura bis, Seruiano iterum COSS. quum sestertiûm vicies ad ludos edendos à Tra-
D iano accepit. Legatus postea prætorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, procuratores latius euagantes coërcuit: ob hoc COS. est factus. In quo magistratu, vt à Sura comperit adoptandum se à Traiano esse, ab amicis Traiani cōtemni desiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Traiani ei familiaritas creuit: caussa præcipue orationum quas pro Imperatore dictauerat: vsus Plotinæ quoque fauore; cuius studio etiam legatus, ex-
E peditionis Parthicæ tempore, destinatus est. Qua quidem tempestate vtebatur Adrianus amicitia Sosij Papi & Pletorij Nepotis, ex senatorio ordine: ex equestri autem, Tatiani tutoris quondam sui, & Liuiani Turbonis. In adoptionis sponsionem venit Palma & Celso, inimicis semper suis: & quos postea ipse insequutus est in suspicionem affectatæ tyrannidis lapsos. Secundo COS. fauore Plotinæ factus, totam præsumptionem ad-
F optionis emeruit. Corrupisse eum Traiani libertos, curasse delicatos, eosdemque sepelisse per ea tempora quibus in aula familiarior fuit, opinio

multa

multa firmauit. Quinto Iduum Augusti die, legatus Syriæ, litteras adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari iussit. Tertio Iduum earundem, quando & natalem imperij statuit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est. Frequens sane opinio fuit, Traiano id animi fuisse, vt Neratium Priscum, non Adrianum successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus: vsque eo, vt Prisco aliquando dixerit; *Commendo tibi prouincias, siquid mihi fatale contigerit.* Et multi quidem dicunt, Traianum in animo id habuisse, vt exemplo Alexandri Macedonis, sine certo successore moreretur: multi, ad senatum eum orationem voluisse mittere, petiturum vt si quid ei euenisset, principem Romanæ reipubl. senatus daret, additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem senatus eligeret. Nec desunt qui factione Plotinæ, mortuo iam Traiano, Adrianum in adoptionem adscitum esse prodiderint, supposito qui pro Traiano fessa voce loqueretur. Adeptus imperium, ad priscum se statim morem instituit, & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit. Nam deficientibus his nationibus quas Traianus subegerat, Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana dicione non poterant: Ægyptus seditionibus vrgebatur; Lycia denique ac Palæstina rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo (vt dicebat) Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiauit, quia teneri non poterant. Psamatosirim, quem Traianus Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus regem dedit. Tantum autem statim clementiæ studium habuit, vt quum sub primis imperij diebus ab Tatiano per epistolas esset admonitus vt & Bæbius Macer præfectus vrbis, si reniteretur eius imperio, necaretur, & Laberius Maximus qui suspectus imperio in insula exsulabat, & Frugi Crassus; neminem læderet: quamuis Crassum postea procurator egressum insula, quasi res nouas moliretur, iniussu eius occiderit. Militibus ob auspicia imperij duplicem largitionem dedit. Lusium Quietum, sublatis gentibus Mauris, quos regebat, quia suspectus imperio fuerat, exarmauit, Marcio Turbone Iudæis compressis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ destinato. Post hoc Antiochia digressus est ad inspiciendas reliquias Traiani, quas Tatianus, Plotina & Mattidia deferebant. Quibus exceptis & naui Romam dimissis, ipse Antiochiam regressus, præpositóque Syriæ Catilio Seuero, per Illyricum Romam venit. Traiano diuinos honores, datis ad senatum & quidem accuratissimis litteris, postulauit, & cunctis volentibus meruit ita, vt senatus multa quæ Adrianus non postulauerat, in honorem Traiani sponte decerneret. Quum ad senatum scriberet, veniam petiit quod de imperio suo iudicium senatui non dedisset, salutatus scilicet præpropere à militibus Imperator, quod esse respub. sine Imperatore nó posset. Quum triumphum ei senatus, qui Traiano debit' erat, detulisset, recusauit ipse, atq; imaginé Traiani curru triumphali vexit, vt optimus Imperator ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Patris patriæ nomen delatum sibi statim, & iterum postea, distulit: quod hoc nomen Augustus sero meruisset. Aurum coronarium I-

A taliæ remisit, in prouinciis minuit; & quidem difficultatibus ærarij ambitiose ac diligenter expositis. Audito dein tumultu Sarmatarum & Alanorum, præmissis exercitibus Mœsiam petiit. Marcium Turbonem post Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum rege mox Alanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, cognito negotio pacem composuit. Nigrini insidias, quas
B ille sacrificanti Adriano, conscio sibi Lusio & multis aliis, parauerat, quum etiam successorem Adrianus sibimet destinasset, euasit. Quare Palma Terracinæ, Celsus Baiis, Nigrinus Fauentiæ, Lusius in itinere, senatu iubente, inuito Adriano (vt ipse in vita sua dicit) occisi sunt. Vnde statim Adrianus ad refellendam tristissimam de se opinionem, quod occidi passus esset vno tempore quatuor consulares, Romam venit, Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ præfecturæ (quo
C plus auctoritatis haberet) ornato: & ad comprimendam de se famam congiarium duplex præsens populo dedit, ternis iam per singulos aureis se absente diuisis. In senatu quoque excusatis quæ facta erant, iurauit se numquam senatorem nisi ex senatus sententia puniturum. Statim Cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere grauaretur. Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam
D quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in vrbe atque Italia; in prouinciis vero etiam ex reliquiis ingentes summas remisit, syngraphis in foro diui Traiani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta. Pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit. Senatoribus qui non vitio suo decoxerant patrimonium, pro liberorum modo, senatoriæ professionis expleuit, ita vt plerisque in
E diem vitæ suæ dimensum sine dilatione restituerit. Ad honores explendos non solum amicis, sed etiam passim aliquantis multa largitus est Fœminas nonnullas ad sustentandam vitam sumptibus iuuit. Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras natali suo edidit. Optimos quosque de senatu in contubernium Imperatoriæ maiestatis adsciuit. Ludos circenses præter natalitios, decretos sibi spreuit: & in concione & in senatu sæpe dixit, *Ita se
F rempubl. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.* Tertio consules, quum ipse ter fuisset, plurimos fecit. Infinitos autem secundi consulatus honore cumulauit. Ipsum autem tertium consulatum, & quatuor mensibus tantum egit, & in eo sæpe ius dixit. Senatui legitimo, quum in vrbe vel iuxta vrbem esset, semper interfuit. Senatus fastigium in tantum extulit, difficile faciens senatores; vt quum Tatianum ex præfecto
G prætorij, ornamentis consularibus præditum, faceret senatorem, nihil se amplius habere quod in eum conferri posset, ostenderit. Equites Romanos, nec sine se de senatoribus, nec secum iudicare permisit. Erat enim tunc mos, vt quum princeps caussas cognosceret, & senatores & equites Romanos in consilium vocaret, sententiam ex omnium deliberatione proferret. Exsecratus est denique principes qui minus senatoribus detulissent. Seruiano sororis viro, cui tantum

detulit vt ei venienti de cubiculo semper occurreret, tertium consulatum, nec secum tamẽ, quum ille bis ante Adrianum consul fuisset, ne esset secundæ sententiæ, non petenti ac sine precatione concessit. Inter hæc tamen & multas prouincias à Traiano acquisitas reliquit: & theatrum quod ille in campo Martio posuerat, contra omnium vota destruxit. Et hæc quidem eo tristiora videbantur, quod omnia quæ displicere vidisset Adrianus, mandata sibi, vt faceret, decreto Traiani esse simulabat. Quum Tatiani, præfecti sui & quódam tutoris, potentiam ferre non posset, nisus est eũ obtruncare: sed reuocatus est, quia iam quatuor consularium occisorum, quorum quidem necem in Tatiani consilia refundebat, premebatur inuidia. Cui quum successorem dare non posset, quia non petebat, id egit vt peteret: atque vbi primum petiit, in Turbonem transtulit potestatem: quum quidem etiam Simili alteri præfecto, Septicium Clarum successorem dedit. Summotis his à præfectura quibus debebat imperium, Campaniam petit: eiusque omnia oppida beneficiis & largitionibus subleuauit, optimum quemque amicitiis suis iungens. Romæ vero prætorum & consulum officia frequentauit, conuiuiis amicorum interfuit. Ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos, visitauit, solatiis refouit, consiliis subleuauit, conuiuiis suis semper adhibuit: omnia denique ad priuati hominis modum fecit. Socrui suæ honores præcipuos impendit ludis gladiatoriis cæterisque officiis. Post hæc profectus in Gallias, omnes caussariis liberalitatibus subleuauit. Inde in Germaniam transiit: pacisque magis quam belli cupidus, militem, quasi bellum immineret, exercuit; tolerantiæ documentis eum imbuens, ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans; cibis etiam castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est, larido, caseo & posca, exemplo Scipionis Æmiliani & Metelli, & auctoris sui Traiani: multos præmiis, nonnullos honoribus donans, vt ferre possent ea quæ asperius iubebat: siquidem ipse post Cæsarem Octauium, labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit, ordinatis & officiis & impendiis: numquam passus aliquem à castris iniuste abesse, quum tribunos non fauor militum, sed iustitia commendaret: exemplo etiam virtutis suæ ceteros adhortatus; quum etiam vicena milia pedibus armatus ambularet, triclinia de castris & porticus & cryptas & topia dirueret: vestem humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemmis fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet; ægros milites in hospitiis suis videret, locum castris caperet: nulli vitem, nisi robusto & bonæ famæ, daret: nec tribunum nisi plena barba faceret, aut eius ætatis quæ prudentia & annis tribunatus robur impleret; nec pateretur quidquam tribunum à milite accipere: delicata omnia vndique summoueret; arma postremo eorum supellectilemque corrigeret. De militum etiam ætatibus iudicabat, ne quis aut minor quam virtus posceret, aut maior quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem versaretur: agebatque vt sibi semper noti essent, & eorum numerus sciretur. Laborabat præterea vt condicta militaria diligenter agnosceret: reditus quoque prouinciales sollerter explorans; vt si alicubi quidpiam deesset,

A expleret. Ante omnes tamen enitebatur ne quid otiosum vel emeret aliquando, vel pasceret. Ergo conuersis regio more militibus, Britanniam petiit: in qua multa correxit, murúmque per octoginta millia passuum primus duxit, qui barbaros Romanósque diuideret. Septicio Claro præfecto prætorij, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro, multisque aliis quod apud Sabinam vxorem, iniussu eius, familiarius se tunc egerant quam

B reuerentia domus aulicæ postulabat, successores dedit: vxorẽ etiam vt morosam & asperam dimissurus (vt ipse dicebat) si priuatus fuisset. Et erat curiosus non solum domus suæ, sed etiam amicorum; ita vt per frumentarios occulta omnia exploraret; nec aduerterent amici, sciri ab Imperatore suam vitam priusquam ipse hoc Imperator ostenderet. Vnde non iniucundum est rem inserere, ex quo constet eum de amicis multa didicisse. Nam quum ad quemdam scripsisset

C vxor sua, quod voluptatibus detentus & lauacris ad se redire nollet, atque hoc Adrianus per frumentarios cognouisset, petente illo commeatum, Adrianus ei lauacra & voluptates exprobrauit. Cui ille, *Num & tibi vxor mea, quod & mihi, scripsit?* Et hoc quidam vitiosissimum putant, atque huic adiungunt quæ de adultorum amore ac nuptarum adulteriis, quibus Adrianus laborasse dicitur, asserunt, iungentes quod ne amicis quidem seruauerit fidem. Compositis in Britannia

D rebus, transgressus in Galliam, Alexandrina seditione turbatus, quæ nata est ob Apin: qui quum repertus esset post multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus. Per idem tempus in honorem Plotinæ basilicam apud Nemausum opere mirabili exstruxit. Post hæc Hispanias petit, & Tarracone hiemauit; vbi sumptu suo ædem Augusti restituit, omnibus Hispanis Tarraconem in conuentum vocatis: delectumque io-

E culariter (vt verba ipsa ponit Marius Maximus) detrectantibus Italicis, vehementissime, ceteris prudenter & caute consuluit. Quo quidem tempore, non sine gloria grauissimum periculum adiit, apud Tarraconem spatians per hospitiua viridaria, seruo in se hospitis cum gladio furiosius irruente: quem retentum ille ministris accurrentibus tradidit: & vbi furiosum esse constitit, medicis curandum dedit; in nullo omnino commotus. Per ea tempora & alias frequenter in plu-

F rimis locis, in quibus barbari non fluminibus sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis, barbaros separauit: Germanis regem constituit; motus Maurorum compressit; & à senatu supplicationes emeruit. Bellum Parthorum per idem tempus in motu tantum fuit; idque Adriani colloquio repressum est. Post hoc per Asiam & insulas ad Achaiam nauigauit, & Eleusi-

G nia facta exemplo Herculis Philippique suscepit: multa in Athenienses contulit, & pro agonotheta resedit: & in Achaia quidem etiam illud obseruatum ferunt, quod quum in sacris multis cultros haberent, cum Adriano nullus armatus ingressus est. Post in Siciliam nauigauit: in qua Ætnam montem conscendit, vt solis ortum videret arcus specie (vt dicitur) varium. Inde Romam venit; atque ex ea in Africam transiit, ac multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit. Nec quisquam fere principum tantum

terra-

terrarum tam celeriter peragrauit. Denique quum post Africam Romam rediisset, statim ad orientem profectus, per Athenas iter fecit; atque opera quæ apud Athenienses cœperat, dedicauit: vt Iouis Olympij ædem, & aram sibi. Eodemque modo per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecrauit. Deinde à Cappadocibus seruitia castris profutura suscepit. Toparchas & reges ad amicitiam inuitauit; inuitato etiam Cosdroe rege Parthorum, remissaque illi filia quam Traianus ceperat, ac promissa sella quæ itidem capta fuerat. Quumque ad eum quidam reges venissent, ita cum his egit, vt eos pœniteret qui venire noluerunt, caussa speciatim Pharasmanis, qui eius inuitationem superbe neglexerit. Et circumiens quidem prouincias, procuratores & præsides pro factis supplicio affecit, ita seuere, vt accusatores per se crederetur immittere. Antiochenses inter hæc ita odio habuit, vt Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot ciuitatum metropolis Antiochia diceretur. Mouerunt ea tempestate & Iudæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia. Sed in monte Cassio, quum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto, fulmen decidens hostiam & victimarium sacrificanti afflauit. Peragrata Arabia, Pelusium venit, & Pompeij tumulum magnificentius exstruait. Antinoum suum, dum per Nilum nauigat, perdidit: quem muliebriter fleuit: de quo varia fama est, aliis eum deuotum pro Adriano asserentibus; aliis, quod & forma eius ostentat, & nimia voluptas Adriani. & Græci quidem volente Adriano eum consecrauerunt, oracula per eum dari asserentes: quæ Adrianus ipse composuisse iactatur. Fuit enim poëmatum & litterarum omnium studiosissimus; arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritissimus. Iam psallendi & cantandi scientiam præ se ferebat: in voluptatibus nimius. Nam & de suis dilectis multa versibus composuit; amatoria carmina scripsit. Idem armorum peritissimus, & rei militaris scientissimus; gladiatoria quoque arma tractauit. Idem seuerus, lætus; comis, grauis; lasciuus, cunctator; tenax; liberalis, simulator, sæuus, clemens: & semper in omnibus varius. Amicos ditauit, & quidem non petentes: quum petentibus nihil negaret. Idem tamen facile de amicis, quidquid insusurrabatur, audiuit, atque ideo prope cunctos vel amicissimos, vel eos quos summis honoribus euexit, postea vt hostium loco habuit: vt Tatianum & Nepotem, & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem prius conscium imperij, ad egestatem perduxit: Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coëgit. Heliodorum famosissimis litteris lacessiuit. Titianum, vt conscium tyrannidis, & argui passus est, & proscribi. Numidium Quadratum, & Catilium Seuerum, & Turbonem, grauiter insequutus est. Seruianum sororis virum, nonagesimum iam annum agentem, ne sibi superuiueret, mori coëgit. Libertos denique & nonnullos milites insequutus est. Et quamuis esset oratione & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper vt doctior risit, contempsit, obtriuit. Cum his ipsis professoribus & philosophis, libris vel carminibus inuicem editis, sæpe certauit. Et Fauorinus quidem, quum verbum eius quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset arguentibus amicis quod male cederet Adriano, de verbo quod idonei auctores vsurpassent, risum iucundissimum mouit. Ait enim, *Non recte suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, vt libros vitæ suæ scriptos à se, libertis suis litteratis dederit, iubens vt eos suis nominibus publicarent: nam & *Phlegontis libri* Adriani esse dicuntur. *Catacrianos libros* obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit. Floro poëtæ scribenti ad se, *Ego nolo Cæsar esse, Ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas*: rescripsit, *Ego nolo Florus esse, Ambulare per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos.* Amauit præterea genus dicendi vetustum: Controuersias declamauit: Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Cæcilium prætulit. Eademque iactatione de Homero ac Platone iudicauit. Mathesin sic scire sibi visus est, vt sero Calendis Ianuariis scripserit quid ei toto anno posset euenire: ita vt eo anno, quo periit, vsque ad illam horam qua est mortuus, scripserit quid acturus esset. Sed quamuis esset in reprehendendis musicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus, oratoribus, facilis: tamen omnes professores & honorauit, & diuites fecit, licet eos quæstionibus semper agitauerit. Et quum ipse auctor esset vt multi ab eo tristes recederent, dicebat se grauiter ferre si quem tristem videret. In summa familiaritate Epictetum & Heliodorum philosophos, & (ne nominatim de omnibus dicam) grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit: præ ceteris (vt multi asserunt) eminente Fauorino. Doctores qui professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque à professione dimisit. Quos in priuata vita inimicos habuit, Imperator tantum neglexit; ita vt vni quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, *Euasisti.* Iis quos ad militiam ipse per se vocauit, equos, mulos, vestes, sumptus, & omnem ornatum semper exhibuit. Saturnalitia & sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia inuicem dedit. Ad deprehendendas obsonatorum fraudes, quum plurimis sumentibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam vltimis quibusque iussit apponi. Omnes reges muneribus suis vicit. Publice frequenter & cum omnibus lauit: ex quo ille iocus balnearis innotuit. Nam quum quodam tempore veteranum quemdam notum sibi in militia, dorsum & ceteram partem corporis vidisset atterere, percontatus cur se marmoribus destringendum daret, vbi audiuit hoc idcirco fieri quod seruum non haberet, & seruis eum donauit & sumptibus. Verum alia die, quum plures senes ad prouocandam liberalitatem principis pariter & se atterere nt, euocari eos iussit, & alium ab alio inuicem defricari. Fuit & plebis iactantissimus amator. Peregrinationis ita cupidus, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere. Frigora & tempestates ita patienter tulit, vt numquam caput tegeret. Regibus multis plurimum detulit: à plerisque vero etiam pacem redemit: à non nullis contemptus est, multis ingentia dedit munera, sed nulli maiora quam Hiberorum: cui & elephantum & quinquagenariam cohortem post magnifica dedit dona. Quum à Pharasmane ipse quoque ingentia dona accepisset, atque inter hæc auratas quoque

chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamy-
dibus in harenam misit, ad eius munera deriden-
da. Quum iudicaret, in consilio habuit non ami-
cos suos aut comites solum, sed iurisconsultos,
& præcipuè Iulium Celsum, Saluium Iulianum,
Neratium Priscum, aliosque; quos tamen senatus
omnis probasset. Constituit inter cetera, vt in
nulla ciuitate domus aliquæ, transferendæ ad a-
liam vrbem vllius materiæ caussa, diruerentur.
Liberis proscriptorum duodecimas bonorum
concessit. Maiestatis crimina non admisit. I-
gnotorum hereditates repudiauit: nec notorum
accepit, si filios haberent. De thesauris ita cauit,
vt si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in
alieno, dimidium domino daret: si quis in publi-
co, cum fisco æqualiter partiretur. Seruos à domi-
nis occidi vetuit; eosque iussit damnari per iudi-
ces, si digni essent. Lenoni & lanistæ seruum
vel ancillam vendi vetuit caussa non præstita. De-
coctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis es-
sent, catamidiari in amphitheatro & dimitti ius-
sit. Ergastula seruorum & libertorum tulit. Laua-
cra pro sexibus separauit. Si dominus in domo
interemptus esset, non de omnibus seruis quæ-
stionem haberi, sed de his qui per vicinitatem
poterant sentire, præcepit. In Etruria præturam
Imperator egit. per Latina oppida Dictator & Æ-
dilis & Duumuir fuit: apud Neapolim Demar-
chus; in patria sua Quinquennalis: & item Adriæ
Quinquennalis, quasi in alia patria; & Athenis
Archon fuit. In omnibus pene vrbibus, & aliquid
ædificauit, & lusus edidit. Athenis mille ferarum
venationem in stadio exhibuit. Ab vrbe Roma
numquam vllum venatorem aut scenicum auo-
cauit. Romæ post ceteras immensissimas volu-
ptates, in honorem socrus suæ, aromatica popu-
lo donauit. In honorem Traiani balsama & cro-
cum per gradus theatri fluere iussit: fabulas om-
nis generis more antiquo in theatro dedit: hi-
striones aulicos publicauit. In Circo multas fe-
ras, & sæpe centum leones, interfecit. Militares
pyrrhichas populo frequenter exhibuit: gladia-
tores frequenter spectauit. Quum opera vbique
infinita fecisset, numquam ipse, nisi in Traiani
patris templo, nomen suum scripsit. Romæ in-
staurauit pantheum, septa, basilicam Neptuni, sa-
cras ædes plurimas, forum Augusti, lauacrum A-
grippæ: eaque omnia propriis & veterum nomi-
nibus consecrauit. Fecit & sui nominis pon-
tem, & sepulchrum iuxta Tiberim: & ædem Bo-
næ deæ transtulit; & colossum stantem atque su-
spensum per Detrianum architectum de eo loco
in quo nunc templum Vrbis est ingenti moli-
mine; ita vt operi etiam elephantes XXIIII ex-
hiberet. Et quum hoc simulacrum post Neronis
vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli conse-
crasset, aliud tale Apollodoro architecto auctore
facere lunæ molitus est. In colloquiis etiam hu-
millimorum ciuilissimus fuit; detestans eos qui
sibi hanc voluptatem humanitatis, quasi ser-
uantes fastigium principis, inuiderent. Apud A-
lexandriam in musio, multas quæstiones pro-
fessoribus proposuit: & propositas ipse dissoluit.
Marius Maximus dicit eum natura crudelem
fuisse; & idcirco multa pie fecisse; quod time-
meret ne sibi idem quod Domitiano accidit, e-
ueniret. Et quum titulos in operibus non ama-
ret, multas ciuitates *Adrianopolis* appellauit, vt
ipsam Carthaginem, Athenarum partem. Aqua-

A rum ductus etiam infinitos hoc nomine nun-
cupauit. Fisci aduotum primus instituit, fuit
memoriæ ingentis, facultatis immensæ: nam
ipse orationes & dictauit, & ad omnia respon-
dit. Ioca eius plurima exstant. nam fuit etiam
dicaculus. Vnde illud quoque innotuit, quod
quum cuidam canescenti quiddam negasset, ei-
dem iterum petenti, sed infecto capite, re-
spondit, *Iam hoc patri tuo negaui.* Nomina plu-
B rimis sine nomenclatore reddidit, quæ semel &
congesta simul audierat: vt nomenclatores sæ-
pius errantes emendauerit. Dixit & veteranorum
nomina quos aliquando dimiserat. Libros statim
lectos & ignotos quidem plurimis, memoriter
reddidit. Vno tempore scripsit, dictauit, au-
diuit, & cum amicis fabulatus est. Si potest cre-
di, omnes publicas rationes ita complexus est,
vt domum priuatam quiuis paterfamilias diligens
non satis nouit. Equos & canes sic amauit vt
C eis sepulcra constitueret. Oppidum Adriano-
theras in quodam loco, quod illic & feliciter es-
set venatus & vrsam occidisset, aliquando con-
stituit. De iudicibus omnibus semper cuncta
scrutando, tamdiu requisiuit quamdiu verum in-
ueniret. Libertos suos nec sciri voluit in publi-
co, nec aliquid apud se posse; dicto suo omnibus
superioribus principibus vitia imputans liber-
torum; damnatis omnibus libertis suis quicum-
que se de eo iactauerant. Vnde exstat etiam illud
D seuere quidem, sed prope ioculare de seruis. Nam
quum quodam tempore seruum suum inter duos
senatores è conspectu ambulare vidisset, misit
qui ei colaphum daret, & diceret, *Noli inter
eos ambulare quorum esse adhuc potes seruus.* In-
ter cibos vnice amabat tetrapharmacum; quod
erat de fasiano, sumine, perna, & crustulo.
Fuerunt eius temporibus fames, pestilentia, &
terræmotus: quæ omnia, quantum potuit, pro-
curauit: multisque ciuitatibus vastatis per ista,
subuenit. Fuit etiam Tiberis inundatio. Latium
E multis ciuitatibus dedit; tributa multis remisit.
Expeditiones sub eo graues nullæ fuerunt. Bella
etiam silentio pene transacta. A militibus, pro-
pter curam exercitus nimiam, multum amatus
est; simul quod in eos liberalissimus fuit. Par-
thos in amicitia semper habuit, quod inde re-
gem retraxit quem Traianus imposuerat. Arme-
niis regem habere permisit, quum sub Traiano
legatum habuissent. A Mesopotamiis non exe-
F git tributum quod Traianus imposuit. Albanos
& Hiberos amicissimos habuit, quod reges eo-
rum largitionibus prosequutus est quum ad il-
lum venire contempsissent. Reges Bactriano-
rum, legatos ad eum amicitiæ petendæ caus-
sa supplices miserunt. Tutores sæpissime dedit.
Disciplinam ciuilem non aliter tenuit quam mi-
litarem. Senatores & equites Rom. semper in
publico togatos esse iussit, nisi si à cœna reuerte-
rentur. Ipse quum in Italia esset, semper togatus
processit. Ad conuiuium venientes senatores,
G stans excepit: sempérque aut pallio tectus dis-
cubuit, aut toga submissa. Iudicum sumptus
constituit, & ad antiquum modum redegit. Ve-
hicula cum ingentibus sarcinis vrbem ingredi
prohibuit. Sederi equos in ciuitatibus non siuit.
ante octauam horam in publico neminem nisi
ægrum lauari passus est. Ab epistolis & à libellis,
primus equites Romanos habuit. Eos quos pau-
peres & innocentes vidit, sponte ditauit: quos
vero

vero calliditate ditatos, etiam odio habuit. Sacra Romana diligentissime curauit: peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit. Caussas Romæ atque in prouinciis frequenter audiuit; adhibitis consilio suo consulibus atque prętoribus, & optimis senatoribus. Fucinũ lacum emisit. Quatuor consulares per omnem Italiam iudices constituit. Quando in Africam venit, ad aduentum eius post quinquennium pluit: atque ideo ab Africanis dilectus est. Peragratis sane omnibus orbis partibus capite nudo, & in summis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit letalem. Factusque de successore sollicitus, primum de Seruiano cogitauit: quem postea, vt diximus, mori coëgit. Fuscum, quod imperium præsagiis & ostentis agitatus speraret, in summa detestatione habuit: Pletorium Nepotem, quem tantopere ante dilexit, vt veniens ad eum ægrotantem Adrianus impune non admitteretur, suspicionibus adductus: eodem modo & Terentium Gentianum: & hunc vehementius, quod à senatu diligi tunc videbat. Omnes postremo de quorum imperio cogitauit, quasi futuros Imperatores, detestatus est: & omnem quidem vim crudelitatis ingenitæ vsque eo repressit, donec in villa Tiburtina profluuio sanguinis pene ad exitum venit. Tunc libere Seruianum, quasi affectatorem imperij, quod seruis regis cœnam misisset, quod in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, quod erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coëgit: multis aliis interfectis vel aperte, vel per insidias: quando quidem etiam Sabina vxor, non sine fabula veneni dati ab Adriano, defuncta est. Tunc Ceionium Commodum, Nigrini generum insidiatoris, quondam sibi forma commendatum, adoptare constituit. Adoptauit ergo Ceionium Commodum Verum inuitis omnibus; eumque Ælium Verum Cæsarem appellauit. Ob cuius adoptionem ludos circenses dedit, & donatiuum populo ac militibus expendit: quem prætura honorauit, ac statim Pannoniis imposuit: decreto consulatu, cum sumptibus eumdem Commodum secundum consulem designauit. Quem quum minus sanum videret, sæpissime dictitauit, *In caducum parietem nos inclinauimus, & perdidimus quater millies LLS. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Commodus autem præ valetudine ne gratias quidem in senatu agere potuit Adriano de adoptione. Denique accepto largius antidoto, ingrauescente valetudine, per somnum periit, ipsis calendis Ianuariis. Quare ab Adriano votorum caussa lugeri est vetitus. Et mortuo Ælio Vero Cæsare, Adrianus ingruente tristissima valetudine, adoptauit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est: sed ea demum lege, vt ille sibi duos adoptaret, Annium Verum, & Marcum Antoninum. Hi sunt qui postea duo pariter Augusti, primi rempubl. gubernauerunt. Et Antoninus quidem *Pius* idcirco appellatus dicitur, quod socerum fessum ætate, manu subleuaret. quamuis alij cognomentum hoc ei dicant inditum; quod multos senatores Adriano iam sæuienti eripuisset: alij, quod ipsi Adriano magnos honores post mortem detulisset. Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse doluerunt, speciatim Catilius Seuerus præfectus vrbis, qui sibi præparabat imperium. Qua re prodita, successore accepto, di-

A gnitate priuatus est. Adrianus autem, vltimo vitæ tædio iam affectus, gladio se transfigi à seruo iussit: Quod quum proditum esset, & in Antonini vsque notitiam venisset, ingressis ad se præfectis & filio, rogantibusque vt æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis, auctorem proditionis iussit occidi; qui tamen ab Antonino seruatus est. Statimque testamentum scripsit: nec tamen actus reipubl. prætermisit, dicente Antonino, parri- B cidam se futurum si Adrianum adoptatus ipse pateretur occidi. Et post testamentum quidem iterum se conatus occidere, subtracto pugione, sæuior factus est: petiit & venenum à medico; qui se ipse, ne daret, occidit. Ea tempestate superuenit quædam mulier, quæ diceret somnio se monitam, vt insinuaret Adriano ne se occideret, quod esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cæcatam. Iussam tamen iterum, Adriano eadem diceret, atque genua eius oscularetur; receptura C visum si id fecisset. Quod quum insomnium impleßet, oculos recepit, quum aqua quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quamuis Marius Maximus hæc per simulationẽ facta commemoret. Post hoc Adrianus Baias petiit, Antonino Romæ ad imperandum relicto. Vbi quum nihil proficeret, accersito Antoni- D no, in conspectu eius apud ipsas Baias periit, die sexto Iduum Iuliarum. Inuisusque omnibus, sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis. Sub ipso mortis tempore & Seruianum nonaginta annos agentem, vt supra dictum est, ne sibi superuiueret, atque (vt putabat) imperaret, mori coëgit: & ob leues offensas plurimos iussit occidi, quos Antoninus reseruauit. Et moriens quidem, hos versus fecisse dicitur; *Animula vagula, blandula, Hospes comésque corporis, Quæ nunc abibis in loca Pal-* E *lidula, rigida, nudula; Nec vt soles, dabis iocos.* Tales autẽ nec multo meliores fecit & Græcos. Vixit annis LXXII, mensibus V, diebus XVII, Imperauit annis XXI, mensibus XI. Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo; promissa barba, vt vulnera quæ in facie naturalia erant, tegeret: habitudine robusta. Equitauit ambulauitque plurimum. Armisque & pilo se semper exercuit. Venatu frequentissime leonem ma- F nu sua occidit. venando autem iugulum & costam fregit. venationem semper cum amicis participauit. In conuiuio tragœdias, comœdias, Atellanas, sambucas, lectores, poetas, pro re semper exhibuit. Tiburtinam villam mirè exædificauit, ita vt in ea & prouinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret. Et vt nihil prætermitteret, etiam in- G feros finxit. Signa mortis hæc habuit: Natali suo vltimo, quum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei operuit. Annulus in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est. Ante diem natalis eius, nescio quis ad senatum vlulans venit. contra quem Adrianus ita motus est, quasi de sua morte loqueretur, quum eius verba nullus agnosceret. Idem quum vellet in senatu dicere, *Post filij mei mortem, Post mortem meam* dixit. Somniauit præterea se à patre potionem soporiferam impetrasse. Item somniauit à leone se oppressum esse. In mor-

tuum cum à multis multa sunt dicta. Acta eius irrita fieri senatus volebat: nec appellatus esset diuus, nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit, & quin- A quennale certamen, & flamines & sodales, & multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent. Quare, vt supra dictum est, multi putant Antoninum Pium dictum.

ÆLII SPARTIANI

AELIVS VERVS,

AD DIOCLETIANVM AVG.

Diocletiano Aug. Ælius Spartianus suus Sal.

IN animo mihi est, Diocletiane Auguste, tot principum maxime, non solum eorum qui principum locum in hac statione quam temperas, retentarunt, vt vsque ad diuum Adrianum feci, sed illorum etiam qui vel Cæsarum nomine appellati sunt, nec Principes aut Augusti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam, aut in spem principatus venerunt, cognitionem numinis tui sternere: quorum præcipuè de Ælio Vero dicendum est; qui primus tantum *Cæsaris* nomen accepit, adoptione Adriani familiæ principum adscriptus. Et quoniam nimis pauca dicenda sunt, nec debet prologus enormior esse quam fabula, de ipso iam loquar.

CEIONIVS COMMODVS qui & ÆLIVS VERVS appellatus est, quem sibi Adrianus æuo ingrauescente morbis tristioribus pressus, peragrato iam orbe terrarum, adoptauit, nihil habet in sua vita memorabile, nisi quod primus tantum *Cæsar* est appellatus. non testamento, vt antea solebat, neque eo modo quo Traianus est adoptatus; sed eo prope genere quo nostris temporibus à vestra clementia Maximianus atque Constantius *Cæsares* dicti sunt: quasi quidam principum filij viri, & designati augustæ maiestatis hæredes. Et quoniam de *Cæsarum nomine* in huius præcipue vita est aliquid disputandum, qui hoc solum nomen adeptus est, Cæsarem vel ab elephanto (qui lingua Maurorum *cæsa* dicitur) in prœlio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi viri & eruditissimi putant dictum: vel quia mortua matre, sed ventre cæso sit natus: vel quod cum magnis crinibus sit vtero parentis effusus: vel quod oculis cæsiis & vltra humanum morem viguerit. Certe, quæcunque illa, felix necessitas fuit, vnde tam clarum & duraturum cum æternitate mundi nomen effloruit. Hic ergo de quo sermo est, primum *Lucius Aurelius Verus* est dictus, sed ab Adriano adscitus in Æliorum familiam, hoc est in Adriani transcriptus, & appellatus est Cæsar. Huic pater Ceionius Commodus fuit; quem alij Verum, alij Lucium Aurelium, multi Annium prodiderunt: maiores omnes nobilissimi; quorum origo pleráque ex Hetruria fuit, vel ex Fauentia. Et de huius quidem familia plenius in vita Lucij Aurelij Ceionij Commodi Veri Antonini, filij huiusce quem sibi adoptare Antoninus iussus est, differemus. Is enim liber debet omnia quæ ad stemma generis pertinent, continere, qui habet principem de quo plura dicenda sunt. Adoptatus autem Ælius Verus ab A- B driano eo tempore quo iam (vt superius diximus) parum vigebat, & de successore necessario cogitabat, statimque prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impositus, mox consul creatus. Et quia erat deputatus imperio, iterum consul designatus est. Datum etiam populo congiarium caussa eius adoptionis, collatúmque militibus ℓℓ s. ter millies; circenses editi: neque quidquam prætermissum quod posset lætitiam publicam frequentare. Tantúmque apud Adrianum C principem valuit, vt præter adoptionis affectum, quo ei videbatur adiunctus, solus omnia quæ cuperet, etiam per litteras impetraret. Nec prouinciæ quidem cui præpositus erat, defuit. Nam bene gestis rebus, vel potius feliciter, etsi non summi, medij tamen obtinuit ducis famam. Hic tamen valetudinis adeo miseræ fuit vt Adrianum statim adoptionis pœnituerit, potueritque eum amouere à familia imperatoria, quum sæpe de aliis cogitaret, si fortè vixisset. Fertur denique ab his qui Adriani vitam diligentius in litteras retulerunt, Adrianum Veri scisse geni- D turam: & cum quem non multo ad temp. gerendam probarat, ob hoc tantum adoptasse, vt suæ satisfaceret voluptati, & (vt quidam dicunt) iurando, quod intercessisse inter ipsum ac Verum secretis conditionibus ferebatur. Fuisse enim Adrianum peritum matheseos, Marius Maximus vsque adeo demonstrat, vt eum dicat cuncta de se scisse, sic, vt omnium dierum vsque ad horam mortis futu- E ros actus ante præscripserit. Satis præterea constat eum de Vero sæpe dixisse, *Ostendent terris hunc tantum fata neque vltra Esse sinent.* Quos versus quũ aliquando in hortulo spatians cantitaret, atque adesset vnus ex litteratis quorum Adrianus speciosa societate gaudebat, velletque addere, *—nimium vobis Romana propago Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent,* Adrianus dixisse fertur, *Hos versus vita non capit Vers:* illud addens, *—manibus date lilia plenis: Purpureos spargam flo-* F *res, animámque nepotis His saltem accumulem donis, & fungar inani Munere.* Quum quidem etiam illud dicitur cum irrisione dixisse, *Ego mihi diuum adoptaui, non filium.* Eum tamen quum consolaretur vnus de litteratis qui aderant, ac diceret *Quid si non recte constellatio eius collecta est quem credimus esse victurum?* Adrianus dixisse fertur, *Facile ista dicis tu, qui patrimonij tui, non respubl. quæris heredem.* Vnde apparet eum habuisse in animo a- G lium deligere, atque hunc vltimo vitæ suæ tempore à republ. submouere. Sed haud eius consilia iuuit euentus. Nam quum de prouincia Ælius rediisset,

disset, atq; orationem pulcherrimam, quæ hodie quoq; legitur, siue per se, siue per scriniorũ aut dicẽdi magistros parasset, qua Cal. Ianuariis Adriano patri gratias ageret. accepta potione qua se existimaret iuuari, Calẽd. ipsis Ianuariis periit: iussúsque ab Adriano, quia vota interueniebant, non lugeri. Fuit hic vitæ lætissimæ, eruditus in literis, Adriano (vt maleuoli loquuntur) acceptior forma quam moribus. In aula diu non fuit: in vita priuata, etsi minus probabilis, minus tamen reprehendendus: ac memor familiæ suæ: comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celsioris, versu facilis, in republ. etiam non inutilis. Huius voluptates ab iis qui vitam eius scripserunt, multæ feruntur: equidem non infames, sed aliquatenus diffluentes. Nam tetrapharmacum seu potius pentapharmacum, quo postea semper Adrianus est vsus, ipse dicitur reperisse: hoc est, sumen, fasianum, pauonem, pernam crustulatam & aprugnam. De quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentapharmacum, sed tetrapharmacum appellans: vt & nos ipsi in eius vita prosequuti sumus. Fertur etiam aliud genus voluptatis quod Verus inuenerat. Nam lectum eminentibus quatuor anaclitеriis fecerat, minuto reticulo vndique inclusum: cúmque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat: iacénsque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat vnctus odoribus Persicis. Iam illa frequentantur à nonnullis, quod & accubationes ac mensas de rosis ac liliis fecerit, & quidem purgatis: quæ etsi non decora, non tamen ad perniciem publicam prompta sunt. Atque idem Ouidij libros amorum in lecto semper habuisse: idem Martialem epigrammaticum poëtam, Vergilium suum dixisse. Iam illa leuiora, quod cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter apposuit, eósque ventorum nominibus sæpe vocitauit, Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem aut Circium, ceterísque nominibus appellans, & indefesse atque inhumaniter faciens cursitare. Idem vxori conquerenti de extraneis voluptatibus dixisse fertur, *Patere me per alias exercere cupiditates meas: Vxor enim, dignitatis nomen est, non voluptatis.* Eius filius est Antoninus Verus, qui adoptatus est à Marco. Verus certè cum Marco æquale gessit imperium. Nam ipsi sunt qui primi *duo Augusti* appellati sunt: & quorum fastis consularibus sic nomina præscribuntur, vt dicantur non tantum duo Antonini, sed duo Augusti: tantúmque huius rei & nouitas & dignitas valuit, vt fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum. Pro

A eius adoptione infinitam pecuniam populo & militibus Adrianus dedit. Sed quum eum videret homo paulo argutior miserrimæ valetudinis, ita vt scutum solidius iactare non posset, dixisse fertur, *Ter millies perdidimus, quod exercitui populóque dependimus: siquidem satis in caducum parietem incubuimus: & qui non ipsam rempubl. sed nos ipsos sustentare vix possit.* Et hæc quidem Adrianus cum præfecto suo loquutus est. Quæ B quum prodidisset præfectus, ac per hoc Ælius Cæsar indies magis magisque sollicitudine, vtpote desperati hominis, aggrauaretur, præfecto suo Adrianus qui rem prodiderat, successorem dedit: volens videri quod verba tristia temperasset. sed nihil profuit. Nam, vt diximus, *Lucius Ceionius Commodus Verus Aelius Cæsar* (nam his omnibus nominibus appellatus est) periit: sepultúsque est imperatorio funere: neque quidquam de regia, nisi mortem, habuit dignitate. Doluit erC go illius mortem vt bonus pater, non vt bonus princeps. Nam quum amici solliciti quærerent qui adoptari posset, Adrianus dixisse fertur his, *Etiam viuente adhuc Vero decreueram*: ex quo ostendit aut iudicium suum, aut scientiam futurorum. Post hunc denique Adrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptauit, Pium cognomine appellatum: cui conditionem addidit, vt ipse sibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret, filiámque suam Vero, non Marco daret. Nec diuD tiùs vixit, grauatus languore ac diuerso genere morborum: sæpè dicens, *Sanum principem mori debere, non debilem.* Statuas sanè Ælio Vero per totum orbem colosseas poni iussit, templa etiam in nonnullis vrbibus fieri. Denique illius merito, filium eius Verum, nepotem vtpote suum, qui pereunte Ælio in familia ipsius Adriani remanserat, adoptandum Antonino Pio cum Marco, vt iam diximus, dedit: sæpe dicens, *Habeat Respubl. quodcunque de Vero*: quod quidem contrarium E his quę de adoptionis pœnitẽtia per auctores plurimos intimata sunt: quum Verus posterior nihil dignum præter clementiam in moribus habuerit quod imperatoriæ familię lumen afferret. Hæc sunt quæ de Vero Cæsare mandata literis fuerunt: de quo idcirco non tacui, quia mihi propositum fuit omnes qui post Cæsarem dictatorem, hoc est diuum Iulium, vel Cæsares vel Augusti, vel Principes appellati sunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filij aut paF rentes, Cæsarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere: meæ satisfaciens conscientiæ; etiamsi multis nulla sit necessitas talia requirendi.

IVLII CAPITOLINI, ANTONINVS PIVS, AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

TITO AVRELIO FVLVIO BOIONIO ANTONINO PIO, paternum genus è Gallia Transalpina, Nemausense scilicet: auus Titus Aurelius Fuluius, qui per honores diuersos ad secundum consulatum & præfecturam vrbis peruenit: pater Aurelius Fuluius: qui & ipse fuit consul, homo tristis & æger. Auia materna Bouinia Procilla: mater Arria Fadilla. Auus maternus Arrius Antoninus, bis consul, homo B sanctus, & qui Neruam miseratus esset quod imperare cœpisset. soror vterina, Iulia Fadilla. vitricus Iulius Lupus, consularis. socer Annius Verus. vxor Annia Faustina. filij mares duo, duæ fœminæ. gener per maiorem filiam, Lamia Syllanus: per minorem, Marcus Antoninus fuere. Ipse Antoninus Pius natus est tertiodecimo Cal. Octob. sub Domitiano XII, & Cornelio Dolabella COSS. in villa Lanuuina: educatus Lauri in Aurelia: vbi postea palatium exstruxit, cu- C ius hodiéque reliquiæ manent. Pueritiam egit cum auo paterno, mox cum materno, omnes suos religiosè colens: atque adeò & consobrinorum & vitrici & multorum affinium hereditate ditatus est. Fuit vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipuè sobrius: diligens agri cultor, mitis, largus: alieni abstinens: & omnia hæc cum mensura, & sine iactantia. In cunctis postre- D mo laudabilis, & qui merito Numæ Pompilio ex bonorum sententia comparatur. *Pius* cognominatus est à senatu, vel quod socerum fessa iam ætate, manu, præsente senatu, leuauerit: (quod quidem non satis magnæ pietatis est argumentum: quum impius sit magis qui ista non faciat, quam pius qui debitum reddat) vel quod eos quos Adrianus per malam valetudinem occidi iusserat, reseruauit: vel quod Adriano contra omnium studia, post mortem infinitos atque immensos honores decreuit: vel quod, quū se Adrianus inter- E imere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit ne id posset admittere: vel quod verè naturâ clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit. Idem fœnus trientarium, hoc est minimis vsuris, exercuit: vt patrimonio suo plurimos adiuuaret. Fuit quæstor liberalis, prætor splendidus, consul cum Catilio Seuero. Hic in omni vita priuata in agris frequentissimè vixit: sed clarus in locis omnibus fuit. Ab Adriano inter quatuor con- F sulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partem Italiæ regendam in qua plurimum possidebat: vt Adrianus viri talis & honori consuleret & quieti. Huic, quum Italiam regeret, imperij omen factum est. Nam quum tribunal ascendisset, inter alias acclamationes dictum est, *Auguste, dij te seruent.* Proconsulatum Asiæ sic egit, vt solus auum vinceret. In proconsulatu etiam sic imperij omen accepit. Nam quum sacerdos fœmina Trallis ex more proconsules semper

A hoc nomine salutaret, non dixit, *Aue proconsul*, sed *Aue Imperator*. Cyzici etiam de simulacro dei ad statuam eius corona translata est. Et post consulatum in viridario taurus marmoreus, cornibus, ramis arboris accrescentibus, appensus est. Et fulgur cælo sereno sine noxa in eius domum venit. Et in Etruria dolia quę defossa fuerant, supra terram reperta sunt. Et eius statuas in omni Etruria examen apum repleuit. Et somnio sæpe moni- B tus, se penitus eius Adriani simulacrum inserere. Proficiscens ad proconsulatum, filiam maiorem amisit. De huius vxore multa dicta sunt ob nimiam libertatem & viuendi facilitatem, quæ iste cum animi dolore compressit. Post proconsulatum, in consiliis Adriani Romæ frequens vixit de omnibus de quibus Adrianus consulebat; mitiorem sententiam semper ostendens. Genus sanè adoptionis tale fertur: Mortuo Ælio Vero, C quem sibi Adrianus adoptauerat, & Cæsarem nuncupauerat, dies senatus habebatur. Eo Arrius Antoninus soceri vestigia leuans venit; atque idcirco ab Adriano dicitur adoptatus: quæ caussa sola esse adoptionis nec potuit omnino, nec debuit, maximè quum & semper rempublicam bene egisset Antoninus, & in proconsulatu se sanctum grauémque præbuisset. Ergo quum eum Adrianus adoptare se velle publicasset, acceptum est spatium deliberandi vtrum arrogari ab A- D driano vellet. Adoptionis lex huiusmodi data est: vt quemadmodum Antoninus ab Adriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum fratris vxoris suæ filium, & L. Verum, Ælij Veri qui ab Adriano adoptatus fuerat, filium: qui postea Verus Antoninus est dictus. Adoptatus est V. Calen. Martias die, in senatu gratias agens quod de se ita sensisset Adrianus: factúsque est patri & in imperio procōsulari & in tribunitia potestate collega. Huius primum hoc fertur, quod quum ab vxore argueretur quasi parum nescio E quid suis largiens, dixerit, *Stulta, posteaquam ad imperium transiuimus: & illud quod habuimus ante, perdidimus.* Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ pater promiserat. Et ad opera Adriani plurimum contulit: & aurum coronarium, quod adoptionis suæ caussa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit. Et patri, quoad vixit, religiosissimè paruit. Sed Adriano apud Baias mortuo, reliquias F eius Romam peruexit sanctè ac reuerenter, atq; in hortis Domitiæ collocauit: etiam repugnantibus cunctis, inter diuos eum retulit. Vxorem Faustinam, *Augustam* appellari à senatu permisit: *Pij* appellationem recepit. Patri & matri, atque auis & fratribus iam mortuis, statuas decretas libenter accepit. Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis. Clypeum Adriano magnificentissimum posuit, & sacerdotes instituit. Factus Imperator, nulli eorum quos Adrianus prouexerat, successorem dedit. Fuitque ea con-

ea constantia, vt septenis & nouenis annis in prouinciis bonos præsides detineret. Per legatos suos plurima bella gessit. Nam & Britannos per Lollium Vrbicum legatū vicit, alio muro cespititio submotis barbaris ducto: & Mauros ad pacem postulandam coëgit: & Germanos & Dacos, & multas gentes atque Iudæos rebellantes contudit per præsides ac legatos. In Achaia etiam atque Ægypto rebelliones repressit. Alanos molientes sæpe refrenauit: procuratores suos modestè suscipere tributa iussit: excedentes modum, rationem factorum suorum reddere præcepit: nec vnquam vllo lætatus est lucro quo prouincialis oppressus est. Contra procuratores suos conquerentes libenter audiuit. His quos Adrianus damnauerat, in senatu indulgentias petiit: dicens etiam ipsum Adrianum hoc fuisse facturum. Imperatorium fastigium ad summam ciuilitatem deduxit. Vnde plus creuit recusantibus aulicis ministris: qui illo nihil per internuntios agente, nec terrere poterant homines aliquando, nec ea quæ occulta non erant, vendere. Senatui tantum detulit Imperator, quantum quum priuatus esset, deferri sibi ab alio principe optauit. Patris patriæ nomen delatum à senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit. Tertio anno imperij sui, Faustinam vxorem perdidit: quæ à senatu consecrata est, delatis circensibus atque templo, & flaminicis, & statuis aureis atque argenteis: quum etiam ipse hoc concesserit vt imago eius cunctis circensibus poneretur. Statuam auream delatā à senatu, positam suscepit. M. Antoninum quæstorem, consulem petente senatu creauit. Annium Verum, qui postea dictus est Antoninus, ante tempus quæstorem designauit: neque de prouinciis neque de vllis actibus quidquam constituit nisi quod prius ad amicos retulit: atque ex eorum sententia formas composuit. Visus est sanè ab amicis, & cum priuatis vestibus, & domestica quædam gerens. Tanta sanè diligentia subiectos sibi populos rexit, vt omnia & omnes, quasi sua essent, curaret. Prouinciæ sub eo cunctæ floruerunt. Quadruplatores exstincti sunt. Publicatio bonorum rarior quam vnquam fuit: ita vt vnus tantum proscriberetur affectatæ tyrannidis reus, hoc est Atilius Titianus, senatu puniente; à quo conscios requiri vetuit, filio eius ad omnia semper adiuto. Periit & Priscianus reus affectatæ tyrannidis, sed morte voluntaria. De qua coniuratione quæri vetuit. Victus Antonini Pij talis fuit, vt esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus: & mensa eius per proprios seruos, proprios aucupes, piscatores & venatores instrueretur. Balneum quo vsus fuisset, sine mercede populo exhibuit: nec omnino quidquam de vitæ priuatæ qualitate mutauit. Salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere; dicens, *Nihil esse sordidius, immo crudelius, quàm si remp. ij arroderent qui nihil in eam suo labore conferrent.* Vnde etiam Mesomedi lyrico salarium imminuit. Rationes omnium prouinciarum apprimè sciuit, & vectigalium. Patrimonium priuatum in filiam contulit: sed fructus reipubl. donauit. Species imperatorias superfluas & prædia vendidit. & in suis propriis fundis vixit variè ac pro tēporibus: nec vllas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam: dicens, *grauem esse prouincialibus comitatum principis, etiam nimis parci*: & tamen in-

A genti auctoritate apud omnes gentes fuit: quum in vrbe propterea sederet, vt vndique nuntios medius, vtpote citius, posset accipere. Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit. Puellas alimentarias, in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit. Opera eius hæc exstant Romæ, Templum Adriani, honori patris dicatum, Græcostadium post incendium restitutum, instauratum amphitheatrum, sepulcrum Adriani, B templum Agrippæ, pons sublicius, phari restitutio, Caietæ portus, Tarracinensis portus restitutio, lauacrum Ostiense, Antiatum aquæ ductus, templa Lanuuiana. Multas etiam ciuitates adiuuit pecunia, vt opera vel noua facerent, vel vetera restituerent: ita vt & magistratus adiuuaret, & senatores vrbis ad functiones suas. Hereditates eorum qui filios habebant, repudiauit. Primus constituit ne pœnæ caussa legatum relictum maneret. Successorem viuenti bono iudici nulli de- C dit, nisi Orphito præfecto vrbi: sed petenti. Nam Gauius Maximus præfectus prætorij, vsque ad vicesimum annum sub eo peruenit. vir seuerissimus: cui Tatius Maximus successit. In cuius demortui locum duos præfectos substituit, Fabium Repentinum, & Cornelium Victorinum. Sed Repentinus famosa voce percussus est, quod per concubinam principis ad præfecturam venisset. Vsque adeò sub eo nullus percussus est senator, vt etiam parricida confessus in insula deserta pone- D retur: quia viuere illi naturæ legibus non licebat. Vini, olei, & tritici penuriam per ærarij sui damna emendo & gratis populo dando, sedauit. Aduersa eius temporibus hæc prouenerunt: Fames, de qua diximus; circi ruina: terræmotus, quo Rhodiorum & Asiæ opida conciderunt: quæ omnia mirificè instaurauit. & Romæ incendium, quod trecentas quadraginta insulas vel domos absumpsit. & Narbonensis ciuitas, & Antiochense opidum, & Carthaginense forum arsit. Fuit & E inundatio Tiberis. Apparuit & stella crinita. Natus est & biceps puer: & vno partu mulieris quinque pueri editi sunt. Visus est in Arabia iubatus anguis, maior solitis, & qui se à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mœsia in culminibus arborum natum est. Quatuor præterea leones mansueti, sponte se capiendos in Arabia præbuerunt. Pharasmanes rex ad eum Romā venit, plúsque illi quam Adriano detulit. Pacorum regem Ladis dedit. Partho- F rum regem ab Armeniorum expugnatione solis litteris repulit. Abagarum regem ex Orientis partibus sola auctoritate deduxit. Caussas regales terminauit. Sellam regiam Parthorum regi repetenti, quam Traianus ceperat, pernegauit. Rimetalcem in regnum Bosphoranum, audito inter ipsum & curatorem negotio, remisit. Olbiopolitis contra Tauroscythas in Pontum auxilia misit: & Tauroscythas vsque ad dandos Olbiopo- G litis obsides vicit. Tantum sanè auctoritatis apud exteras gentes nemo habuit: quum semper amauerit pacem, eousque vt Scipionis sententiam frequentarit, qua ille dicebat, *Malle se vnum ciuem seruare quàm mille hostes occidere*. Menses Septembrem atque Octobrem, Antoninum atque Faustinum appellandos decreuit senatus: sed id Antoninus respuit. Nuptias filiæ suæ Faustinæ, quum Marco Antonino eam coniungeret, vsque ad donatiuum militum celeberrimas fecit. Verum Antoninum post quæsturam consulem

fecit. Quum Apollonium, quem è Chalcide accinerat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset, vt ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixisset, *Non magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad magistrum:* risit eum, dicẽs, *Facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam venire quàm à domo sua in palatium:* cuius auaritiam etiam mercedibus notauit. Inter argumenta pietatis eius & hoc habetur, quod quũ Marcus mortuũ educatorẽ suum fleret, vocareturq; ab aulicis ministris ab ostẽtatione pietatis, ipse dixerit: *Permittite* (inquit) *illi vt homo sit: neq; enim vel philosophia vel imperiũ tollit affectus.* Præfectos suos, & locupletauit, & ornamentis consularibus donauit: si quos repetundarũ dãnauit, eorũ liberis bona paterna restituit; ea tamen lege, vt illi prouincialibus redderent quod parentes acceperant. Ad indulgentias pronissimus fuit: Edita munera in quibus elephantos, & crocutas, & tigrides, & rhinocerotas, & crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones vna missione edidit. Amicis suis in imperio suo non aliter vsus est quam priuatus: quia & ipsi numquam de eo cum libertis suis per fumum aliquid vendiderunt: siquidem libertis suis seuerissimè vsus est. Amauit histrionũ artes: piscandô se & venando multũ oblectauit, & deambulatione cum amicis atque sermone. Vindemias priuati modo cũ amicis agebat. Rhetoribus & philosophis per omnes prouincias & honores & salaria detulit. Orationes plerīq; alienas esse dixerunt quæ sub eius nomine ferũtur: Marius Maximus eius proprias fuisse dicit. Conuiuia cum amicis & priuata communicauit, & publica: nec vllum sacrificium per vicarium fecit, nisi quum æger fuit: Quum sibi & filiis honores peteret, omnia quasi priuatus fecit. Frequentauit & ipse amicorum suorum conuiuia. Inter alia etiam hoc ciuilitatis eius præcipuum argumentum est, quod quum domum Omuli visens, mirãsq; columnas porphyreticas, requisisse vnde eas haberet; atque Omulus ei dixisset, *Quum in domum alienam veneris, & mutus & surdus esto:* patienter tulit. cuius Omuli multa ioca semper patienter accepit. Multa de iure sanxit: vsúsque est iuris peritis, Vindio Vero, Saluio Valente, Volusio Meriano, Vlpio Marcello, & Iaboleno. Seditiones vbicumque factas, non crudelitate, sed modestia & grauitate compressit. Intra vrbes sepeliri mortuos vetuit. Sumptum muneribus gladiatoriis instituit. Vehicularium cursum summa diligentia subleuauit. Omnium quæ gessit, & in senatu & per edicta rationem reddidit. Periit anno septuagesimo: sed quasi adolescens desideratus est. Mors autem eius talis fuisse narratur: Quum Alpinum caseum in cœna edisset auidiùs, nocte reiectauit, atque alia die febre commotus est. Tertia die, quum se grauari videret, M. Antonino remp. & filiam præsentibus præfectis, commendauit: Fortunámque auream quæ in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eum iussit: signum tribuno æquanimitatis dedit: atque ita conuersus quasi dormiret, spiritum reddidit. Apud Lorium alienatus in febri, nihil aliud quàm de republ. & de his regibus quibus irascebatur, loquutus est. Priuatum patrimonium filiæ reliquit. Testamento autem omnes suos legatis idoneis prosequutus est. Fuit statura eleuata decorus. sed quum esset longus & senex incuruaretúrque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, vt rect° incederet. Senex etiam, antequam salutatores venirent, panem siccum comedit ad sustentandas vires. Fuit voce rauca & sonora. Cum iucunditate à senatu Diuus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus: quum omnes eius pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores qui õptimis principibus ante delati sunt. Meruit & circenses & flaminem & templum & sodales Antoninianos: solúsque omnium prope principum prorsus sine ciuili sanguine & hostili, quantum ad seipsum pertinet, vixit: & qui ritè compareretur Numæ, cuius felicitatem pietatémque & securitatem cerimoniásque semper obtinuit.

IVLII CAPITOLINI

M. ANTONINVS PHILOS.

AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

MARCO ANTONINO, in omni vita philosophanti viro, & qui sanctitate vitæ omnibus principibus antecellit, pater Annius Verus, qui in pretura decessit: auus Annius Verus, iterum consul & præfectus vrbi, adscitus in patricios à principibus Vespasiano & Tito censoribus: patruus Annius Libo consul: amita Galeria Faustina Augusta: mater Domitia Caluilla, Caluisij Tulli bis consulis filia: proauus paternus, Annius Verus prætorius, ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator: proauus maternus, Catilius Seuerus, bis consul & præfectus vrbi: auia paterna, Rupilia Faustina Rupilij Boni consularis filia, fuere. Natus est Marcus Romæ sexto Calen. Maias in monte Cælio in hortis, auo suo iterum & Augure COSS. Cuius familia in originem recurrens, à Numa probatur sanguinem trahere, vt Marius Maximus docet: item à rege Salentino Malennio Dasummi filio, qui Lupias condidit. Educatus est in eo loco in quo natus est, & in domo aui sui Veri iuxta ædes Laterani. Habuit & sororem natu minorem Anniam Cornificiam: vxorem, Anniam Faustinam consobrinam suam. M. Antoninus principio aui sui nomen habuit, & Catilij Seueri materni proaui. Post excessum vero patris ab Adriano *Annius Verissimus* vocatus est: post virilem autem togam, *Annius Verus*: patre mortuo, ab auo paterno adoptatus est & educatus. Fuit à prima infantia grauis. At vbi egressus est annos qui nutricum fouentur auxilio, magnis præceptoribus traditus, ad philosophiæ scita peruenit. Vsus est magistris ad prima elementa Euphorione litteratore & Gemino comœdo, musico Androne, eodémque geometra: quibus omnibus vt disciplinarum auctoribus,

tibus, plurimum detulit. Vsus præterea grammaticis Græco, Alexandro: quotidianis Latinis, Trosio Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Sicensi. Oratoribus vsus est, Græcis, Anoio Macro, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit: cui & statuam in senatu petiit: Proculum vero vsque ad proconsulatum prouexit. Honoribus in se receptis, philosophiæ operam vehementer dedit: & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi sumpsit: & deinceps tolerantiam; quum studeret in pallio, & humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. Vsus est etiam Commodo magistro: cuius ei affinitas fuerat destinata. Vsus est & Apollonio Chalcedonio, Stoico philosopho. Tantum autem studium in eo philosophiæ fuit, vt adscitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij discendi caussa veniret. Audiuit & Sextum Chæronensem Plutarchi nepotem: Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos. Peripateticæ vero studiosos audiuit Claudium Seuerum, & præcipuè Iunium Rusticum: quem & reueritus est & sectatus: qui domi militiæque pollebat: Stoicæ disciplinæ peritissimum: cum quo omnia communicauit publica priuatáque consilia: cui etiam ante præfectos prætorio semper osculum dedit: quem & consulem iterum designauit: cui post obitum à senatu statuas postulauit. Tantum autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulchra eorum aditu, hostiis, floribus, semper honoraret. Studuit & iuri, audiens L. Volusium Metianum. Tantúmque operis & laboris studiis impendit, vt corpus afficeret, atque in hoc solo pueritia eius reprehenderetur. Frequentauit & declamatorum scholas publicas. Amauitque ex condiscipulis præcipuos senatorij ordinis Seiũ Fuscianum, & Aufidium Victorinum: ex equestri, Bæbium Longum, & Calenum, in quos maximè liberalis fuit: & ita quidem, vt quos non posset ob qualitatem vitæ reip. præponere, locupletatos teneret. Educatus est in Adriani gremio, qui illum (vt supra diximus) *Verissimum* nominabat: & qui ei honorem etiam publicè sexenni detulit: octauo ætatis anno in saliorum collegium retulit. In saliatu omen accepit imperij. Coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ aliis locis hæserunt; huius velut manu, capiti Martis aptata est. Fuit in eo sacerdotio & præsul & vates & magister, & multos inaugurauit atque exaugurauit nemine præeunte; quod ipse carmina cuncta didicisset. Virilem togam sumpsit quintodecimo ætatis anno: statimque ei L. Ceionij Commodi filia desponsata est ex Adriani voluntate. Nec multo post præfectus feriarum Latinarum fuit. In quo honore præclarissimè se pro magistratibus agentem, & in conuiuiis Adriani principis ostendit. Post hoc patrimonium paternum sorori totum concessit: quum eum ad diuisionem mater vocaret, respondit, aui bonis se esse contentum: addens vt & mater, si vellet, in sororem suum patrimonium conferret, ne inferior esset soror marito. Fuit autem ea vitæ indulgentia, vt cogeretur nonnumquam vel in venationes pergere, vel in theatrum descendere, vel spectaculis interesse. Operam præterea pingendo sub magistro Diogneto dedit. Amauit pu-

A gilatum, luctamina, & cursum, & aucupatus. & pilà lusit apprime: & venatus est. Sed ab omnibus his intentionibus studium eum philosophiæ abduxit, seriúmque & grauem reddidit: non tamen prorsus abolita in eo comitate, quam præcipuè suis mox amicis atque etiam minus notis exhibebat: quum frugi esset sine contumacia, verecundus sine ignauia, sine tristitia grauis. His ita se habentibus, quum post obitum L. Cæsaris Adrianus suc-
B cessorem imperij quæreret, nec idoneus, vt pote decem & octo annos agens, Marcus haberetur, amitæ Marci virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit, vt sibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen, vt & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret: Sanè ea die qua adoptatus est, Verus in somnis se humeros eburneos habere vidit: sciscitatúsque an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores. Vbi autem comperit se ab Adriano adoptatum, magis
C est deterritus quàm lætatus: iussúsque in Adriani priuatam domum migrare, inuitus de maternis hortis recessit. Quúmque ab eo domestici quærerent cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputauit quæ mala in se contineret imperiũ. Tunc primum pro Annio *Aurelius* cœpit vocari, quòd in Aureliam hoc est Antonini, adoptionis iure transisset. Octauodecimo ergo ætatis anno adoptatus, in secundo consulatu Antonini iam patris sui, Adriano ferente, gratia ætatis facta, quæstor est
D designatus. Adoptatúsque in aulicam domum, omnibus parentibus suis tantam reuerentiam quãtam priuatus exhibuit. Erátq; haud secus rei suæ, quam in priuata domo, parcus ac diligens: pro instituto patris volens agere, dicere, cogitare. Adriano Baiis absumpto, quum Pius ad vehendas eius reliquias esset profectus, relictus Romæ, auo iusta impleuit: & gladiatorum, quasi priuatus quæstor, edidit munus. Post excessum Adriani statim Pius per vxorem suam Marcum sciscitatus est: & quum
E dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucij Ceionij Commodi filia desponderi voluerat, impar adhuc ætate esset, habita deliberatione cogitare velle se dixit. His ita gestis, adhuc quæstorem & consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit, & seuirum turmis equitum Romanorum iam consulem designatum creauit, & edenti cum collegis ludos seuirales adsedit: & in Tiberianam domum transgredi iussit, & aulico fastigio renitentem ornauit, & in collegia sa-
F cerdotum iubente senatu recepit: secundum etiam consulem designauit, quum ipse quartum pariter iniret. Per eadem tempora quum tantis honoribus occuparetur, & quum formandus ad regendum statum reipubl. patris actibus interesset, studia cupidissimè frequentauit. Post hæc Faustinam duxit vxorem: & suscepta filia, tribunitia potestate donatus est, atque imperio extra vrbem proconsulari, addito iure quintæ relationis: tantúmq; apud Pium valuit, vt numquam quemquam sine eo facilè promouerit. Erat autẽ in summis ob-
G sequiis patris Marcus: quamuis non deessent qui aliqua aduersum eum insusurrarent, & præ ceteris Valerius Omulus: qui quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurrauit, *Illa nunc rogat vt diem tuum claudas, & filius imperet.* quod omnino apud Pium nihil valuit: tanta erat Marci probitas, & tanta in imperatorio principatu modestia. Æstimationis autem tãtam curã habuit vt & pro-

curatores suos puer semper moneret ne quid arrogantius facerent, & hæreditates delatas, reddens proximis, aliquando respuerit: denique per viginti & tres annos in domo patris ita versatus, vt eius quotidie amor cresceret: nec præter duas noctes per tot annos ab eo mansit diuersis vicibus. Ob hoc Antoninus Pius, quũ sibi adesse finem vitæ videret, vocatis amicis & præfectis, vt successorem eum imperij, omnibus commendauit atque firmauit: statímque signo æquanimitatis tribuno dato, Fortunam auream, quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum trãsire iussit. Bonorum maternorum partem Mummio Quadrato sororis filio (quia illa iam mortua erat) tradidit. Post excessum diui Pij, à senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designauit: quem *Lucium Aurelium Verum Commodum* appellauit, Cæsarémque atque Augustum dixit: atque ex eo pariter cœperunt rempubl. regere. Túncque primum Romanum imperiũ duos Augustos habere cœpit .. lictum cum alio participasset. Antonini mox ipse nomen recepit. & quasi pater L. Commodi esset, & Verum eum appellauit addito Antonini nomine: filiámque suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt. Actis igitur quæ agenda fuerant in senatu, pariter castra prætoria petiuerunt, & vicena millia nummûm singulis ob participatum imperium militibus promiserunt, & cæteris pro rata. Adriani autem sepulchro corpus patris intulerunt magnifico exequiarum officio: mox iustitio sequuto, publicè quoque funeris expeditus est ordo. Et laudauere vterque pro rostris patrem, flaminémque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianus creauere. Adepti imperium, ita ciuiliter se ambo egerunt, vt lenitatem Pij nemo desideraret: quum eos Marullus sui temporis mimographus cauillando impune perstringeret. Funebre munus patri dederunt. Dabat se Marcus totum & philosophiæ, amorem ciuium affectans. Sed interpellauit istam felicitatem securitatémque Imperatoris prima Tiberis inundatio, quæ sub illis grauissima fuit: quæ res & multa vrbis ædificia vexauit, & plurimum animalium interemit, & famem grauissimam peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarunt. Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. Imminebat etiam Britannicum bellum: & Catti in Germaniam ac Rhætiam irruperant. Et aduersus Britannos quidem Calpurnius Agricola missus est: contra Cattos Aufidius Victorinus. Ad Parthicum vero bellum, senatu consentiente, Verus frater eius missus est: ipse Romæ remansit, quod res vrbanæ Imperatoris præsentiam postularent. Et Verum quidem Marcus Capuam vsque prosequutus, amicis comitantibus è senatu ornauit: additis officiorum omnium principibus. Sed quum Romam redisset Marcus, cognouissétque Verum apud Canusium ægrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in senatu votis: quæ, posteaquam Romam rediit, audita Veri transmissione, statim reddidit. Et Verus quidem, posteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, armísq; se gladiatoriis & venatibus exercuit, quum per legatos

A bellum Parthicum gerens, Imperator appellatus esset: quum Marcus horis omnibus reip. actibus incubaret, patientérque delicias fratris, & prope inuitus ac nolens, ferret. Denique omnia quæ ad bellum erant necessaria, Romæ positus & disposuit Marcus, & ordinauit. Gestæ sunt res in Armenia prosperè per Statium Priscum Artaxatis captis: delatúmque *Armeniacum* nomen vtriq; principum: quod Marcus per verecundiam primo re- B cusauit, postea tamen recepit. Profligato autem bello vterque *Parthicus* appellatus est. sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiauit: quod postea recepit. *Patris patriæ* autem nomen, delatum fratre absente, in eiusdem præsentiam distulit: medio belli tempore & Ciuicam patruum Veri, & filiam suam nupturam, commissam sorori suæ, eamdem locupletatam, Brundusium vsque deduxit, & ad eum misit. Romam vero statim rediit, reuocatus eorum sermonibus qui dicebant C Marcum velle finiti belli gloriam sibimet vindicare, atque idcirco in Syriam proficisci. Ad proconsulem scribit, ne quis filiæ suæ iter facienti occurreret. Inter hæc liberales caussas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito. Per prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit; apud quos idem de originibus fieret quod Romæ apud præfectos ærarij: vt si forte aliquis in D prouincia natus caussam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hanc totam legem de assertionibus firmauit: aliásque de mensariis & auctionibus tulit. Senatum multis cognitionibus, & maximè ad se pertinentibus, iudicem dedit. De statu etiam defunctorum intra quinquennium quæri iussit: neque quisquam principum amplius senatui detulit. In senatus autem bonorificentiam, multis & prætoriis & consularibus priuatis decidenda negotia delegauit: quo magis E eorum cum exercitio iuris autoritas cresceret. Multos ex amicis in senatum allegit cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus: multis senatoribus vel pauperibus sine crimine, dignitates tribunitias ædiliciásque concessit nec quemquam in ordinem legit nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoque senatoribus detulit, vt quoties de eorum capite esset iudicandum, secreto pertractaret, atque ita in publicum prodiret: nec pateretur equites F Romanos talibus interesse caussis. Semper autem quum potuit, interfuit senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit: si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitiis præterea etiam vsque ad noctem frequenter interfuit: neque vnquam recessit de curia, nisi consul dixisset, *Nihil vos moramur patres conscripti*: sin autem, appellationibus à consule factis, iudicem dedit. Iudiciariæ rei singularem diligentiam G adhibuit: fastis dies iudiciarios addidit; ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibúsque disceptandis constitueret. Prætorem tutelarem primus fecit, quum ante tutores à consulibus poscerentur: vt diligentius de tutorib. tractaretur. De curatoribus vero, quum ante non nisi ex lege Lectoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent, non redditis caussis. Cauit & sumptibus publicis, & calumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus augeretur, contempsit.

tempſit. De alimentis publicis multa prudenter inuenit. Curatores multis ciuitatibus, quo latiùs ſenatorias tenderet dignitates à ſenatu dedit. Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex vrbe donauit: omnique frumentariæ rei conſuluit. Gladiatoria ſpectacula omnifariam temperauit. Temperauit etiam ſcenicas donationes: iubens vt quinos aureos ſcenici acciperent: ita tamen vt nullus editor decem aureos egrederetur. Vias etiam vrbis atque itinerum, diligentiſſimè curauit. Rei frumentariæ grauiter prouidit. Datis iuridicis, Italiæ conſuluit ad id exemplum quo Adrianus conſulares viros reddere iura præceperat. Hiſpaniis exhauſtis Italica allectione, contra Traiani præcepta, verecunde conſuluit. Leges etiam addidit de viceſima hæreditatum, de tutelis liberorum, de bonis maternis, & item de filiorum ſucceſsionibus pro parte materna; vtque ſenatores peregrini quartam partem in Italia poſsiderent. Dedit præterea curatoribus regionum ac viatum poteſtatem, vt vel punirent, vel ad præfectum vrbi puniendos remitterent eos qui vltra vectigalia quidquam ab aliquo exegiſſent. Ius autem magis vetus reſtituit quàm nouum fecit. Habuit ſecum præfectos, quorum & autoritate & periculo ſemper iura dictauit. Vſus autem eſt Scæuola præcipue iuris perito. Cum populo autem non aliter egit quam eſt actum ſub ciuitate libera. Fuitque per omnia moderatiſſimos in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis cupia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: moderate etiam cauillationes nonnullorum ferens. Nam quum quemdam Veteraſinum famæ deteſtandæ, honorem petentem moneret vt ſe ab opinionibus populi vindicaret, & ille contra reſpondiſſet, multos qui ſecum in harena pugnaſſent, ſe prætores videre, patienter tulit. Ac ne in quemquam facilè vindicaret, prætorem quoque, dum peſſimè egerat, non abdicare ſe pretura iuſſit: ſed collegæ iuriſdictionem mandauit: Fiſco in cauſis compendij numquam iudicans fauit: ſanè quamuis eſſet conſtans, erat etiam verecundus. Poſteaquam autem à Syria victor rediit frater, Patris patriæ nomen ambubus decretum eſt, quum ſe Marcus abſente Vero erga omnes ſenatores atque homines moderatiſſimè geſſiſſet. Corona præterea ciuica oblata eſt ambobus: petiitque Lucius vt ſecum Marcus triumpharet. Petiit præterea Lucius vt filij Marci Cæſares appellarentur. Sed Marcus tanta fuit moderatione, vt quum ſimul triumphaſſet, tamen poſt mortem Lucium tantum Parthicum, Germanicum ſe vocaret, quod ſibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci vtriuſque ſexus ſecum vexerunt: ita tamen vt & puellas virgines veherent, Ludos etiam ob triumphum decretos ſpectauerunt habitu triumphali. Inter cætera pietatis eius, hæc qooque moderatio prædicanda eſt: Cunabulis poſt puerorum lapſum culcitras ſubiici iuſſit: vnde hodiéque tecte prætenditur. Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt *Marcomanicum*: quod diu eorum qui aderant arte ſuſpenſum eſt, vt finito iam orientali bello, Marcomanicum agi poſſet. Et quum famis tempore populo inſinuaſſet de bello, fratre poſt quinquennium reuerſo, in ſenatu egit, ambos neceſſarios dicens bello Germanico Imperatores. Tantus au-

A tem timor belli Marcomanici fuit, vt vndique ſacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere luſtrauerit, retardatúſque à bellica profectione ſit. Celebrauit & Romano ritu lectiſternia per ſeptem dies. Tanta autem peſtilentia fuit, vt vehiculis cadauera ſint exportata ſarraciſque. Tunc autem Antonini leges ſepeliendi ſepulcrorúmque aſperrimas ſanxerunt: quando quidem cauerunt vt, ſi quis vellet, B fabricaret ſepulcrum: quod hodiéque ſeruatur. Et multa quidem millia peſtilentia conſumpſit multóſque ex proceribus: quorum ampliſſimis Antoninus ſtatuas collocauit. Tantáque clementia fuit, vt & ſumptu publico vulgaria funera iuberet efferri: & vano cuidam, qui diripiendæ vrbis occaſionem cum quibuſdam conſciis requirens, de caprifici arbore in campo Martio concionabundus ignem de cœlo lapſurum, finémque mundi affore diceret, ſi ipſe lapſus ex arbore in cico- C niam verteretur, quum ſtatuto tempore decidiſſet, atque ex ſinu ciconiam emiſiſſet, perducto ad ſe atque confeſſo veniam daret. Profecti tamen ſunt paludati ambo Imperatores, Parthis & Marcomanis cuncta turbantibus: aliis etiam gentibus, quæ pulſæ à ſuperioribus barbaris fugerant, niſi reciperentur, bellum inferentibus. Nec parum profuit iſta profectio, quum Aquileiam vſque veniſſent, nam plerique reges, & cum populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus autores in- D teremerunt. *Quadi* autem, amiſſo rege ſuo, non prius ſe confirmaturos eum qui erat creatus, dicebant, quam id noſtris placuiſſet Imperatoribus. Lucius tamen inuitus profectus eſt, quum plerique ad legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam poſtulantes. Et Lucius quidem, quod amiſſus eſſet præfectus prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interiſſet, redeundum eſſe cenſebat: Marcus autem, fingere barbaros exiſtimans & fugam & cætera, quæ ſecu- E ritatem bellicam oſtendeſent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, iuſtandum eſſe dicebat. Denique tranſcenſis Alpibus longius proceſſerunt, compoſuerúntque omnia quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Placuit autem, vrgente Lucio, vt præmiſſis ad ſenatum literis Lucius Romam rediret. Vna quoque poſteaquam iter ingreſſi ſunt, ſedens cum fratre in vehiculo Lucius, apoplexi arreptus periit. Fuit autem conſuetudo Marco, vt in circenſium ſpe- F ctaculo legeret, audiretque ac ſubſcriberet: ex quo quidem ſæpe iocis popularibus dicitur laceſſitus. Multum ſane potuerunt liberti ſub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus. Tantæ autem ſanctitatis fuit Marcus, vt Veri vitia & celauerit & defenderit, quum ei vehementiſſimè diſplicerent, mortuúmque eum Diuum appellauerit: amitáſque eius & ſorores honoribus & ſalariis decretis ſubleuauerit atque prouexerit, ſacríſque eum plurimis honorauerit: flaminem & Antoninianos ſodales, & omnes honores qui di- G uis habentur, eidem dedicauit. Nemo eſt principum quem non grauis fama perſtringat, vſque adeò vt etiam Marcus in ſermonem venerit, quod Verum vel veneno ita ſuſtulerit, vt parte cultri veneno lita voluam inciderit, venenatam partẽ fratri edẽdam propinãs, & ſibi innoxiam reſeruãs: vel certè per medicũ Poſidippũ, qui ei ſãguinẽ intẽpeſtiue dicitur emiſiſſe. Caſſi⁹ poſt mortẽ Veri à Marco deſciuit. Iã in ſuos tãta fuit benignitate

grandæuo equitis Romani filio Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochensi, nec satis nobili: quem postea bis Consulem fecit, quum filia eius Augusta esset & Augusti filia. Sed has nuptias & Faustina, & ipsa quæ dabatur, inuitæ habuerunt. Quom Mauri Hispanias prope omnes vastarent, res per legatos bene gestæ sunt. Et quum per Ægyptum Bucolici milites grauia multa fecissent, per Auidium Cassium retusi sunt; qui postea tyrannidem arripuit. Sub ipsis profectionis diebus in secessu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæsarem execto sub aure tubere septennem amisit; quem non plus quinque diebus luxit; consolatúsque etiã medicos, actibus publicis se reddidit. Et quia ludi Iouis optimi maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit: iussitque vt statuæ tantũmodo filio mortuo decernerétur, & imago aurea circensibus per pompam ferẽda, & vt saliari carmini nomẽ eius insereretur. Instante sane adhuc pestilentia, & deorum cultum diligentissime restituit; & seruos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parauit; quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellauit. Armauit etiam gladiatores, quos *Obsequentes* appellauit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ, milites fecit. Armauit & diocmitas. emit & Germanorum auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentia parauit legiones ad Germanicum & Marcomanicum bellum: ac ne prouincialibus esset molestus, auctionem rerum aulicarum, vt diximus, fecit in foro diui Traiani; in qua præter vestes & pocula & vasa aurea, etiam signa cum tabulis magnorum artificum vendidit. Marcomanos in ipso transitu Danubij deleuit, & prędam prouincialibus reddidit. Gentes omnes ab Illyrici limite vsque in Galliam conspirauerant, vt Marcomani, Narisci, Hermunduri; & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Victonalis, Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci. Imminebat & Parthicum bellum & Britannicum. Magno igitur laborẽ etiam suo, gentes asperrimas vicit, militibus sese inuitantibus, ducentibus etiam exercitum legatis & præfectis prætorio: accepitque in deditionem Marcomanos, plurimis in Italiam traductis. Semper sane cum optimatibus, non solum bellicas res, sed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, contulit. Denique sententia illius præcipua semper hæc fuit: *Aequius est vt ego tot & talium amicorum consilium sequar, quam vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur.* Sane quia durus videbatur ex philosophiæ institutione Marcus ad militiæ labores atque ad omnem vitam, grauiter carpebatur: sed male loquentium dictis, vel litteris vel sermone respondebat. Et multi nobiles bello Germanico siue Marcomanico, immo plurimarum gentium, interierunt: quibus omnibus statuas in foro Vlpio collocauit. Quare amici frequenter suaserunt vt à bellis discederet, Romam veniret: sed ille contempsit ac perstitit, nec prius recessit quam omnia bella finiret. Prouincias ex proconsularibus consulares, aut ex consularibus proconsulares aut prætorias, pro belli necessitate fecit. Res etiam in Sequanis turbatas, cẽsura & auctoritate repressit. Compositæ res in Hispania, quæ per Lusitaniam turbatæ erant. Filio Commodo accersito ad limitem, togam virilem dedit: quare congiarium populo diuisit, & eum ante tempus con-

A sulem designauit. Si quis vmquam proscriptus esset à præfecto vrbi, non libenter accepit. Ipse in largitionibus pecuniæ publicæ parcissimus fuit: quod laudi potius datur quam reprehensioni: sed tamen & bonis viris pecunias dedit, & oppidis labentibus auxilium tulit, & tributa vel vectigalia, vbi necessitas cogebat, remisit. Absens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores. Fuit enim populo hic sermo, quum sustulisset ad bellum gladiatores,

B quod populum sublatis voluptatibus vellet cogere ad philosophiam. iusserat enim, ne mercimonia impedirentur, tardius pantomimos exhiberi non totis diebus. De amatis pantomimis ab vxore fuit sermo, vt superius diximus: sed hæc omnia per epistolas suas purgauit. Idem Marcus sederi in ciuitatibus vetuit in equis siue vehiculis: lauacra mixta submouit. Mores matronarum composuit diffluentes. Et iuuenum nobilium sacra Serapidis à vulgaritate Pelusiæ submouit. Fama fuit sane quod sub philosophorum specie qui-

C dam remp. vexarent & priuatos: quod ille purgauit. Erat mos iste Antonino, vt omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti solent, puniret: quamuis nonnumquam contra manifestos & grauium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales caussas hominum honestorum ipse cognouit, & quidem summa æquitate; ita vt prætorem reprehenderet qui cito reorum caussas audierat; iubetétque illum iterum cognoscere: dignitatis eorum interesse dicens, vt ab eo

D audirentur qui pro populo iudicaret. Æquitatem etiam circa captos hostes custodiuit. Infinitos ex gentibus in Romano solo collocauit. Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuia impetrata quum siti laborarent. Voluit Marcomanniam, prouinciam, voluit etiam Sarmatiam facere: & fecisset nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in oriente, qui

E Imperatorem se appellauit (vt quidam dicunt) Faustina volente, quæ de mariti valetudine desperaret: Alij dicunt, ementita morte Antonini, Cassium Imperatorem se appellasse quum diuum Marcum appellasset. Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassij, nec in eius affectus sæuiit, sed per senatum hostis est iudicatus, bonáque eius proscripta per ærarium publicum. Relicto ergo Sarmatico Marcomanicóque bello,

F contra Cassium profectus est. Romæ turbæ etiam fuerunt, quasi Cassius absente Antonino aduentaret: sed Cassius statim interfectus est: caput eius allatum est ad Antoninum. Marcus tamen non exsultauit interfectione Cassij, capútque eius humari iussit. Metianum etiam filium Cassij, cui Alexandria erat commissa, exercitus occidit: nam & præfectum prat. sibi fecerat: qui & ipse occisus est. In conscios defectionis vetuit senatum gra-

G uiter vindicare: simul petiit ne quis senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium: eos etiam qui deportati fuerant, reuocari iussit, quum paucissimi centuriones capite essent puniti. Ignouit & ciuitatibus quæ Cassio consenserant: ignouit & Antiochensibus qui multa in Marcum pro Cassio dixerant: quibus & spectacula & conuentus publicos tulerat, & omnium concionum genus, contra quos edictum grauissimum misit. Seditiosos autem eos & oratio Marci indicat, indita à Mario Maximo, qua ille vsus est apud amicos. Denique no-

luit Antiochiam videre quum Syriã peteret:nam
nec Cyprũ voluit videre, ex qua erat Cassius. Fuit
Alexandriæ, clementer cũ iis agens. postea tamen
Antiochiam vidit. Multa egit cum regibus, & pa-
cem confirmauit, sibi occurrẽtibus cunctis regi-
bus & legatis Persarũ: omnibus Orientalibus pro-
uinciis carissimus fuit: apud multas etiã philoso-
phię vestigia reliquit. Apud Ægyptios ciuẽ se egit,
& philosophũ in omnibus studiis, templis, locis.
Et quum multa Alexandrini in Cassium dixissent
fausta, tamen omnib. ignouit, & filiam suam apud
eos reliquit. Faustinam vxorem suam in radicibus
montis Tauri, in vico Halale exanimatam subito
morbo amisit. Petiit à senatu vt honores Faustinæ
ædémque decernerent, laudata eadem, quum tamẽ
impudicitiæ fama grauiter laborasset: quæ Anto-
ninus vel nesciuit vel dissimulauit. Nouas puellas
Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuę.
Diuam etiam Faustinam à senatu appellatã gratu-
latus est: quã secũ & in æstiuis habuerat, vt Matrẽ
castrorum appellaret. Fecit & coloniam vicum in
quo obiit Faustina; & ædem illi exstruxit. sed hæc
postea ædes Heliogabalo dedicata est. Ipsum Cas-
sium pro clementia occidi passus est, non occidi
iussit. Deportatus est Heliodorus filius Cassij, & a-
lij liberum exilium acceperũt cum bonorum
parte. Filij autem Cassij & amplius media parte
acceperunt paterni patrimonij, & auro atque ar-
gento adiuti, mulieres autem etiam ornamentis; i-
ta vt Alexandria filia Cassij, & Druncianus gener,
liberam vagandi potestatem haberent, commen-
dati amitæ marito. Doluit denique Cassium ex-
stinctum, dicens voluisse se sine senatorio sangui-
ne imperium transigere. Orientalibus rebus ordi-
natis, Athenis fuit, & inter alia Cereris templum
adiit, vt se innocentem probaret; & sacrarium
solum ingressus est. Reuertẽs ad Itsliam nauigio,
tempestatem grauissimam passus est. Per Brundi-
sium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, &
milites togatos esse iussit: nec vmquam sagati fue-
runt sub eo milites. Romam vt venit cum Com-
modo filio suo, quem iam, vt diximus, Cæsarem
fecerat, triumphauit. Exinde Lauinium profectus
est. Commodum deinde sibi collegam in tribuni-
tiam potestatem iunxit: congiarium populo dedit,
& spectacula mirifica: dein ciuilia multa correxit.
Gladiatorij muneris sumptus modum fecit. Sen-
tentia Platonis semper in ore illius fuit, *Florere
ciuitates, si aut philosophi imperarent, aut imperato-
res philosopharentur.* Filio suo Brutij Præsentis fi-
liam iunxit, nuptiis celebratis exemplo priuato-
rum. quare etiam cõgiarium dedit populo. Dein-
de ad conficiendum bellum conuersus, in admi-
nistratione eius belli obiit, labentibus iam filij
moribus ab instituto suo. Triennio bellum postea
cum Marcomanis, Hermunduris, Sarmatis, Qua-
dis etiam egit: & si anno vno superfuisset, prouin-
cias ex his fecisset. Ante biduum quam exspiraret,

A admissis amicis dicitur ostendisse sententiam de
filio eamdem quam Philippus de Alexandro, quũ
de hoc male sentiret; addens, minime se ægre fer-
re, filium superstitem relinquens. nam iam Com-
modus turpem se & cruentum ostentabat. Mors
autem talis fuit: Quum ægrotare cœpisset, filium
aduocauit, atque ab eo primum petiit vt belli re-
liquias non contemneret, ne videretur remp. pro-
dere: & quum filius ei respondisset, cupere se pri-
B mum sanitatem, vt vellet permisit; petens tamen
vt exspectaret paucos dies, aut simul proficiscere-
tur. Dein abstinuit cibo potuque, mori cupiens,
auxitque morbum. Sexta die vocatis amicis, & ri-
dens res humanas, mortem autem contemnens,
ad amicos dixit, *Quid me fletis, & non magis de pe-
stilentia & communi morte cogitatis?* Et quum illi
vellent recedere, ingemiscens ait, *Si iam me dimit-
titis, vale vobis dico, vos præcedens.* Et quum ab eo
quæreretur cui filium commendaret, ille respon-
C dit; *Vobis, si dignus fuerit, & diis immortalibus.* Exer-
citus cognita mala valetudine, vehemẽtissime do-
lebant, quia illum vnice amauerunt. Septimo die
grauatus est, & solum filium sdmisit: quem statim
dimisit, ne in eum morbus transiret. Dimisso filio,
caput operuit, quasi volens dormire: sed nocte a-
nimam efflauit. Fertur filium mori voluisse, quum
eum talem videret futurum qualis exstitit post e-
ius mortem, ne, vt ipse dicebat, similis Neroni,
Caligulę & Domitiano esset. Crimini ei datum est
D quod adulteros vxoris promouerit, Tertullum &
Vtilium & Orphitum & Moderatum, ad varios
honores: quum Tertullum etiam prandẽtem cum
vxore deprehenderit. de quo mimus in scena præ-
sente Antonino dixit, quum stupidus nomen ad-
ulteri vxoris à seruo quæreret, & ille diceret *ter
Tullus*, & adhuc stupidus quæreret, respondit ille
iam tibi dixi, Tertullus dicitur. Et de hoc quidem
multa populus, multa etiam alij dixerunt, patien-
tiam Antonini incusantes. Ante tẽpus sane mor-
E tis, prius quam ad bellum Marcomanicum redi-
ret, in Capitolio iurauit, nullum senatorẽ se scien-
te occisum, quum etiam rebelles dixerit se serua-
turum fuisse, si scisset. Nihil etiam magis & timuit
& deprecatus est quam auaritiæ famam: de qua se
multis epistolis purgat. Dederunt ei vitio quod &
fictus fuisset, nec tam simplex quam videretur, aut
quam vel Pius vel Verus fuisset. Dederunt etiam
crimini quod liberti multum potuere sub eo &
Vero, maxime Geminas & Agaclytus, & quod au-
F licam arrogantiam confirmauerit, submouendo
amicos à societate communi & à conuiuiis. Pa-
rentibus consecrationem decreuit. Amicos parẽ-
tum etiam mortuos statuis ornauit. Suffragatori-
bus non cito credidit, sed semper diu quæsiuit
quod erat verum. Enisa est Fabia vt Faustina mor-
tua in eius matrimonium coiret. sed ille concubi-
nam sibi asciuit procuratoris vxoris suæ filiam, ne
tot liberis superduceret nouercam.

IVLII CAPITOLINI,
VERVS IMPERATOR AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

SCio plerosque ita vitam Marci ac Veri, litteris atque historiæ dedicasse, vt priorem Verũ intimandum legentibus darent; non imperandi sequutos ordinem, sed viuendi. Ego vero quod prior Marcus imperare cœpit, deinde Verus, qui superstite periit Marco; priorem Marcum, dehinc Verum credidi celebrandũ. Igitur *L. Ceionius Aelius Commodus Verus Antoninus*, qui ex Adriani voluntate *Aelius* appellatus est, ex Antonini coniunctione *Verus & Antoninus*: neque inter bonos neque inter malos principes ponitur, quem constat non inhorruisse vitiis, nec abundasse virtutibus: vixisse deinde non in libero principatu, sed sub Marco in simili ac pari maiestatis imperio. à cuius secta, lasciuia morum & vitæ licentioris nimietate dissensit. erat enim morum simplicium, & qui adumbrare nihil posset. Huic naturalis pater fuit L. Aelius Verus, qui ab Adriano adoptatus, primus, *Cæsar* est dictus, & in eadem statione cõstitutus periit. Aui ac proaui, & item maiores plurimi, consulares. Natus est Lucius Romæ in prætura patris sui, XVIII Caléd. Ianuarias, die quo & Nero qui rerum potitus est. Origo eius paterna, pleráque ex Etruria fuit; materna, ex Fauentia. Hac prosapia genitus, patre ab Adriano adoptato, in familiam Æliam deuenit: mortuóque patre Cæsare, in Adriani familia remansit, à quo, Aurelio datus est adoptandus, quũ sibi ille Pium filium, Marcum nepotem esse voluisset; posteritati satis prouidens, & ea quidem lege, vt filiam Pij Verus acciperet: quæ data est Marco idcirco quia hic ad hoc impar videbatur ætate, vt in Marci vita exposuimus. Duxit autem vxorem Marci filiam Lucillam: educatus est in domo Tiberiana. Audiuit Scaurum grammaticum Latinum, Scauri filiũ, qui grammaticus Adriani fuit: Græcos, Telephũ, Hephæstionem, Harpocrationem: rhetores, Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticũ: Latinũ, Cornelium Frontonẽ: philosophos, Apollonium & Sextum. Hos omnes amauit vnice, atque ab his inuicem dilectus est, nec tamen ingeniosos ad litteras. Amauit autem in pueritia versus facere, post, orationes: & melior quidem orator fuisse dicitur quam poëta: imo (vt verius dicam) peior poëta quam rhetor. Nec desunt qui dicant eum adiutum ingenio amicorum, atque ab aliis ei illa ipsa, qualiacúmque sunt, scripta. Siquidem multos disertos & eruditos semper secũ habuisse dicitur. Educatorẽ habuit Nicomedem. Fuit voluptarius & nimis lætus, & omnibus deliciis, ludis, iocis decenter aptissimus. Post septimũ annum in familiam Aureliã traductus, Marci moribus & auctoritate formatus est. Amauit venatus, palestras, & omnia exercitia iuuẽtutis. Fuitq; priuat' in domo imperatoria viginti & tribus annis. Qua die togã virilẽ Verus accepit, Antoninus Pius ea occasione qua patris templũ dedicabat, populo liberalis fuit: mediúsq; inter Piũ & Marcũ idẽ resedit, quũ quæstor populo munus daret. Post quæsturam statim consul est factus cũ Sextilio Laterano: interiectis annis, cum Marco fratre iterũ factus est cõsul. Diu autem & priuatus fuit, & ea honorificẽtia caruit qua Marcus ornabatur. Namq; in senatu ante quæ-

A sturã non sedit: neque in itinere cum patre, sed cũ
præfecto prætorij vectus est: nec aliud ei honori-
ficẽtiæ ad nomen adiunctum est quã quod Augu-
sti filius appellatus est. Fuit studiosus etiã circen-
sium, haud aliter quã gladiatorij muneris. Hic quũ
tantis deliciarũ & luxuriæ quateretur erroribus,
ab Antonino videtur ob hoc retẽtus, quod eũ pa-
ter ita in adoptionem Pij trãsire iusserat vt nepo-
tẽ appellaret: cui, quantum videtur, fidẽ exhibuit,
non amorem. Amauit tamẽ Antoninus Pius sim-
B plicitatẽ ingenij, puritatémque viuẽdi: hortatúsq;
est vt imitaretur & fratrẽ. Defuncto Pio, Marcus
in eum omnia contulit, participatu etiam impe-
ratoriæ potestatis indulto, sibique cõsortem fecit,
quũ illi soli senatus detulisset imperiũ. Dato igitur
imperio, & indulta tribunitia potestate, procõsu-
latus etiã honore delato, *Verum* vocari præcepit,
suũ in eum trãsferẽs nomẽ, quum ante *Commodus*
vocaretur. Lucius quidem Marco vicẽ reddens, si
susciperet, obsequutus vt legatus proconsuli, vel
C præses imperatori iã primum quum Marcus pro
ambobus ad milites est loquutus, & pro consen-
sus imperio grauiter se & ad Marci mores egit.
Vbi vero in Syriam profectus est, non solum licẽ-
tia vitæ liberioris, sed etiã adulteriis & iuuentutis
amoribus infamatus est. Siquidem tantæ luxuriæ
fuisse dicitur, vt etiã posteaquam de Syria rediit,
popinã domi instituerit, ad quam post cõuiuium
Marci diuertebat, ministrãtibus sibi omni genere
turpium personarum. Fertur & nocte perpeti alea
D lusisse, quum in Syria concepisset id vitium: atque
in tãtum vitiorum Caianorum & Neronianorum
ac Vitellianorũ fuisse æmulũ, vt vagaretur nocte
per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucul-
lione vulgari viatorio, & commisceretur cum tri-
conibus, & committeret rixas, dissimulãs quis es-
set: sæpéque afflictũ liuida facie redisse, & in taber-
nis agnitum quum sese absconderet. Iaciebat &
E nummos in popinas maximos, quibus calices
frangeret. Amauit & aurigas, prasino fauens. Gla-
diatorum etiam frequentius pugnas in conuiuio
habuit, trahens cœnam in noctem, & in toro con-
uiuali condormiens, ita vt leuatus cum stromati-
bus in cubiculum perferretur. Somni fuit per-
modici, digestionis facillimæ. Sed Marcus hæc o-
mnia quasi nesciens, dissimulabat rẽ, pudore illo,
ne reprehenderet fratrẽ. Et notissimum eius quidẽ
F fertur tale conuiuium, in quo primum duodecim
accubuisse dicitur, quum sit notissimum dictum
de numero conuiuarum, *Septem, conuiuium, no-
uem verò, cõuitium*. donatos autem pueros decoros,
qui ministrabant singulis: donatos etiam structo-
res & lances singulis quibúsque: donata & viua
animalia, vel cicurum vel ferarum auium vel
quadrupedum quorum cibi appositi erãt. donatos
G etiam calices singulis per singulas potiones, mur-
rhinos & crystallinos Alexandrinos, ac quotiens
bibitum est. data etiam aurea atq; argentea pocu-
la & gemmata. Coronas quinetiam datas, lemnis-
cis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.
Data & vasa aurea cum vnguentis ad speciem
alabastrorum. data & vehicula cum mulabus ac
mulionibus, cum iuncturis argenteis; vt ita de

conuiuio redirent. Omne autem conuiuium æsti-
matum dicitur sexagies centenis millibus ꝇꝇ s.
Hoc conuiuium postcaquam Marcus audiuit, in-
gemuisse dicitur, & doluisse publicum fatum. Post
conuiuium lusum est tesseris vsque ad lucem. Et
hæc quidē post Parthicum bellum; ad quod eum
misisse dicitur Marcus, ne vel in vrbe ante oculos
omnium peccaret, vel vt parcimoniā peregrina-
tione addisceret, vel vt timore bellico emendatior
rediret, vel vt se Imperatorem esse cognosceret.
Sed quantum profecerit, cum alia vita, tum hæc
quam narrauimus cœna monstrauit. Circensium
tantam curā habuit, vt frequenter prouincialibus
litteras caussa circensium & miserit & acceperit.
Denique etiam præsens & cū Marco sedens, multas
à Venetianis est passus iniurias, quod turpissime
contra eos faueret. Nam & Volucri equo prasino
aureum simulacrum fecerat, quod secū portabat.
cui quidem passas vuas & nucleos in vicē hordei
in præsepe ponebat; quem sagis fuco tinctis coo-
pertum, in Tiberianam ad se adduci iubebat. cui
mortuo sepulcrum in Vaticano fecit. In huius e-
qui gratiam primum ceperunt equi aurei vel bra-
uia postulari. In tanto autē equus ille honore fuit,
vt ei a populo prasinianorum sæpe modius aureo-
rum postularetur. Profectum eum ad Parthicum
bellum, Marcus Capuam prosequutus est. Quū in-
que inde per omnium villas se ingurgitaret, mor-
bo implicitus, apud Canusium ægrotabat: quo ad
eum visendum frater cōtendit. Multa in eius vita
ignaua & sordida, etiā belli tempore, deteguntur.
Nam quū interfecto legato, cæsis legionibus, Sy-
riis defectionem cogitantibus, oriens vastaretur,
ille in Apulia venabatur: & apud Corynthum &
Athenas inter symphonias & cantica nauigabat:
& per singulas maritimas ciuitates Asię, Pamphy-
liæ, Ciliciæque clariores, voluptatibus immora-
batur. Antiochiam posteaquā venit, ipse quidē se
luxuriæ dedit: duces autem confecerunt Parthicū
bellū Statius Priscus, & Auidius Cassius, & Mar-
cius Verus per quadriēnium: ita vt Babylonem &
Mediam peruenirent, & Armeniam vindicarent:
partúmque est ipsi nomē *Armenici, Parthici, Me-
dici*, quod etiam Marco Romę agenti delatum est.
Egit autē per quadriennuū Verus hyemem Laodi-
ceæ, æstatem apud Daphnen; reliquam partē An-
tiochiæ. Risui fuit omnibus Syris, quorum multa
ioca in theatro in eum dicta exstāt. Vernas in tri-
cliniū Saturnalibus & diebus festis semper admi-
sit. Ad Euphratē tamen impulsu comitum suorum
secundo profectus est. Ephesum etiā rediit, vt Lu-
cillam vxorem missam à patre Marco susciperet:
& idcirco maxime, ne Marcus cū ea in Syriam ve-
niret, ac flagitia eius agnosceret. Nā senatui Mar-
cus dixerat, se filiam in Syriam deductorū. Confe-
cto sane bello, regna regibus, prouincias vero co-
mitibus suis regendas dedit. Romam inde ad triū-
phum inuitus, quod Syriam quasi regnum suum
relinqueret, rediit; & pariter cum fratre triūpha-
uit, susceptis à senatu nominibus quæ in exerci-
tu acceperat. Fertur præterea ad amicæ vulgaris
arbitrium in Syria posuisse barbā. vnde in eum à
Syris multa sunt dicta. Fuit eius fati, vt in eas pro-
uincias per quas rediit, Romam vsque, luem secū
deferre videretur. Et nata fertur pestilentia in Ba-
bylonia: vbi de templo Apollinis, ex arcula aurea
quā miles forte inciderat, spiritus pestilens euasit:
atq; inde Parthos orbémque cōplesse. & hoc non
Lucij Veri vitio, sed Cassij, à quo cōtra fidem Se-

A leucia, quæ vt amicos milites nostros receperat,
expugnata est. quod quidē inter ceteros etiā Qua-
dratus belli Parthici scriptor, incusatis Seleucinis
qui fidē primi ruperāt, purgat. Habuit hanc reue-
rentiā Marci Verus, vt nomina quę sibi delata fue-
rāt, cū fratre cōmunicaret die triumphi, quem pa-
riter celebrārunt. Reuersus à Parthico bello, mi-
nore circa fratrem cultu fuit Verus. Nā & libertis
inhonestius indulsit, & multa sine fratre dispo-
B suit. His accessit quod, quasi reges aliquos ad triū-
phū adduceret, sic histriones eduxit è Syria: quo-
rum præcipuus fuit Maximinus, quē Paridis no-
mine nūcupauit. Villam præterea exstruxit in via
Clodia famosissimam, in qua permultos dies & i-
pse ingenti luxuria debacchatus est cum libertis
suis & amicis paribus; quorum præsentiæ nul-
la inerat reuerentia. Et Marcū rogauit: qui venit,
vt fratri venerabilem morū suorum & imitādam
ostenderet sanctitudinem: & quinq; diebus in ea-
C dē villa residens, cognitionibus cōtinuis operam
dedit, aut conuiuante fratre, aut cōuiuia cōparan-
te. Habuit & Agrippum histrionē, cui cognomen-
tum erat Mēphi; quē & ipsum è Syria veluti tro-
pæū Parthicū adduxerat, quē Apolaustum nomi-
nauit. Adduxerat secū & fidicinas & tibicines &
histriones, scurrásque mimarios & præstigiato-
res, & omnia mancipiorū genera quorū Syria &
Alexandria pascitur voluptate: prorsus vt videre-
tur bellum nō Parthicū sed histrionicū confecis-
D se. Et hęc vitę diuersitas atq; alia multa, inter Mar-
cum & Verum simultates fecisse, non aperta veri-
tas indicabat; sed occultus rumor insusurrabat.
Verū illud præcipuū, quod quum Libonem quē-
dam patruelem suū Marcus legatū in Syriam mi-
sisset, atque ille se insolentius quā verecundius se-
nator efferret, dicens, ad fratrem se scripturū esse
si quid forte dubitaret, nec Verus pręsens pati pos-
set, subitóque morbo notis prope veneni existē-
tibus interisset, visum est nonnullis, non tamen
E Marco, quod eius fraude putaretur occisus. Quæ
res simultatum auxit rumorē. Liberti multum po-
tuerunt apud Verum, vt in vita Marci diximus,
Geminas & Agaclytus, cui dedit inuito Marco
Libonis vxorem. denique nuptiis ab Vero cele-
bratis, Marcus conuiuio non interfuit. Habuit
& alios libertos Verus improbos, Codem & E-
clectum, ceterosque: quos omnes Marcus post
mortem Veri, specie honoris abiecit, Eclecto re-
F tento, qui postea Commodum filium eius occi-
dit. Ad bellum Germanicum (quod Marcus nol-
let Lucium sine se vel ad bellum mittere, vel in
vrbe dimittere causa luxuriæ) simul profecti sunt,
atque Aquileiam venerunt: inuitoque Lucio Al-
pes transgressi, quum Verus apud Aquileiam tan-
tum venatus conuiuatúsque esset, Marcus au-
tem omnia prospexisset. De quo bello quid per
G legatos barbarorum pacem petentium, quid
per duces nostros gestum sit, in Marci vita ple-
nissime disputatum est. Composito autem bel-
lo in Pannonia, vrgente Lucio Aquileiam re-
diret, quod vrbanas desiderabat Lucius volupta-
tes, in vrbem destinatus est: sed non longe ab
Altino, subito in vehiculo morbo quem apople-
xin vocant, correptus Lucius, depositus è ve-
hiculo, detracto sanguine Altinum perductus,
quum triduo mutus vixisset, apud Altinum per-
it. Fuit sermo quod & socrum Faustinam ince-
stasset. Et dicitur Faustinæ socrus dolo, aspersis o-
streis veneno, exstinctus esse: idcirco quod con-

suetudinem

suetudinem quam cum matre habuerat, filiæ prodidisset: quamuis & illa fabula quæ in Marci vita posita est, abhorreus à talis viri vita, sit exorta: quum multi etiam vxori eius, flagitium mortis assignent, idcirco quod Fabiæ nimium iodulserat Verus: cuius potentiam vxor Lucij vel Marci ferre non posset. Tanta sane familiaritas inter Lucium & Fabiam sororem fuit, vt hoc quoque vsurpauerit rumor, quod inierint consiliũ ad Marcũ e vita tollẽdum. Idq; quũ esset per Agaclytum libertum proditum Marco, ante aduentum, Lucium Faustina nece præuenerat. Fuit decorus corpore, vultu gemmatus, barba prope barbarice demissa procerus, & fronte in supercilia adductiore venerabilis. Dicitur sane tantam habuisse curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta respergeret, quo magis coma illuminata flauesceret. Lingua impeditior fuit; aleæ cupidissi-

A mus, vitæ semper luxuriosæ, atq; in pluribus Nero, præter crudelitatem & ludibria. Habuit inter alium luxuriæ apparatum calicem crystallinum nomine Volucrem, ex eius equi nomine quem dilexit, humanæ potionis modum supergressum. Vixit annis quadraginta duobus. Imperauit cum fratre annis vndecim. Illatúmque eius corpus est Adriani sepulcro; in quo & Cæsar pater eius naturalis sepultus est. Nota est fabula quam Marci non capit vita, quod partem vuluæ veneno illitam,

B quum eam exsecuisset cultro vna parte venenato, Marcus Vero porrexit: sed hoc nefas est de Marco putari, quãuis Veri & cogitata & facta mereantur: quod nos non in medio relinquimus, sed totã purgatã confutatámq; respuimus; quũ adhuc post Marcum, præter vestram clementiam, Diocletiane Auguste, Imperatorem talem nec adulatio videatur potuisse confingere.

VVLCATII GALLICANI V. C.

AVIDIVS CASSIVS,

AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

AVIDIVS CASSIVS, vt quidam volunt, ex familia Cassiorum fuisse dicitur; per matrem tamen: auo genitus Auidio Seuero, qui ordines duxerat, & post ad summas dignitates peruenerat. cuius Quadratus in historiis meminit: & quidem grauiter, quum illum summum virum & necessarium reipubl. asserit, & apud ipsum Marcum præualidum. nam iam eo imperante periisse fatali sorte perhibetur. Hic ergo Cassius, ex familia (vt diximus) Cassiorum qui in C. Iulium conspirauerant, oderat tacite principatum, nec ferre poterat imperatorium nomen: dicebátque esse grauius nomen imperij, quod non posset è republ. tolli. nisi per alterum imperatorem. Denique tentasse in pueritia dicitur extorquere etiam Pio principatum, sed per patrem virum sanctum & grauem, affectationem tyrannidis latuisse, habitum tamen semper ducibus suspectum. Vero autem illum parasse insidias, ipsius Veri epistola indicat quam inserui. Ex epistola Veri: *Auidius Cassius auidus est imperij, quantum & mihi videtur, & iam inde sub auo meo patre tuo innotuit: quem velim obseruari iubeas. Omnia ei nostra displicent: opes non mediocres parat, litteras nostras ridet. Te philosopham aniculam, me luxuriosum morionem vocat. Vide quid agendum sit: ego hominem non odi: sed vide ne tibi & liberis tuis non bene consulas, quum tales inter præcinctos habeas qualem milites libenter audiunt, libenter vident.* Rescriptum Marci de Auidio Cassio: *Epistolam tuã legi, & sollicitã potius quam imperatoriam, & non nostri temporis. Nam si ei diuinitus debetur imperium, nõ poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proaui tui dictum,* Successorem suum nullus occidit. *sin minus, ipse sponte sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quod non possumus reum facere quem nullus accusat, & (vt ipse dicis) milites amãt. Deinde in caussis maiestatis hæc natura est, vt videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim ipse quid auus tuus Adrianus dixerit,* Misera conditio imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis non potest credi. *Eius autem exemplum*

C *ponere quam Domitiani, qui hoc primus dixisse fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum auctoritatis quantum debent. Sibi ergo habeat suos mores, maxime quum bonus dux sit & seuerus, & fortis, & reipubl. necessarius. Nam quod dicis, liberis meis cauendum esse morte illius, plane liberi mei pereant si magis amari merebitur Auidius quam illi, & si reipubl. expedit Cassium viuere quam liberos Marci.* Hæc de Cassio Verus, hæc Marcus. Sed nos hominis naturam &

D mores breuiter explicabimus. Neque enim plura de his sciri possunt quorum vitam illustrare, nullus audet, eorum causa à quibus oppressi fuerint. Addemus autem quemadmodum ad imperium venerit, & quemadmodum sit occisus, & vbi victus. Proposui enim Diocletiane Auguste, omnes qui Imperatorum nomen siue iuste siue iniuste habuerunt, in litteras mittere; vt omnes purpuratos Augustos cognosceres. Fuit his moribus vt nonnumquam trux & asper videretur, aliquando

E mitis & lenis, sæpe religiosus, alias contemptor sacrorum, auidus vini, interim abstinẽs, cibi appetens, & inediæ patiens, veneris cupidus, & castitatis amator. Nec defuere qui illum *Catilinam* vocarent, quum & ipse se ita gauderet appellari, addens futurum se Sergium, si dialogistam occidisset, Antoninum hoc nomine significans: qui tantum enituit in philosophia, vt iturus ad bellum Marcomannicum, timentibus cunctis nequid fatale proueniret, rogatus sit non adulatione, sed

F serio, vt præcepta philosophiæ ederet: nec ille timuit, sed per ordinem parænescos, hoc est præceptionum, per triduum disputauit. Fuit præterea disciplinæ militaris Auidius Cassius tenax, & qui se *Marium* dici vellet. Quoniam de seueritate illius dicere cœpimus, multa exstant crudelitatis potius quam seueritatis eius indicia. Nam primum milites qui aliquid prouincialibus tulissent per vim, in illis ipsis locis in quibus peccauerant, in crucem sustulit. Primus etiam id supplicij genus inuenit, vt stipitem grandem poneret pedum octoginta & cen-

tum, id est materiam, & à summo vsque ad imum damnatos ligaret; & ab imo focum apponeret, incensisque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentẽ mergi iubebat, vel in mare. Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites; dicens maius exemplum esse viuentis miserabiliter criminosi, quàm occisi. Quum exercitum duceret, & inscio ipso manus auxiliaria centurionibus suis auctoribus, tria milia Sarmatarum negligentius agentium in Danubij ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum redissent, sperantibus centurionibus præmium, quod perparua manu tantum hostium, segnius agentibus tribunis & ignorantibus, occidissent, rapi eos iussit & in crucem tolli, seruilique supplicio affici; quod exẽplum non exstabat: dicens euenirè potuisse vt essent insidiæ, ac periret Romani imperij reuerentia. Et quum ingens seditio in exercitu exorta esset, processit nudus, campestri solo tectus; & ait: *Percutite* (inquit) *me, si audetis, & corrupta disciplina facinus addite.* Tunc conquiescentibus cunctis meruit timeri, quia nõ timuit. Quæ res tantum disciplinæ Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit, vt pacem annorum centum ab Antonino absente peterent: siquidem viderãt dãnatos Romani ducis iudicio etiam eos qui contra fas vicerant. De hoc multa grauia contra militum licentiam facta inueniuntur apud Æmilium Parthenianum; qui affectatores tyrannidis iam inde à veteribus historiæ tradidit. Nam & virgis cæsos in foro & in mediis castris, securi percussit, qui ita meruerunt: & manus multis amputauit. Et præter laridum ac bucellatum atque acetum, militem in expeditione quidquam portare prohibuit: & si aliud quippiam reperit, luxuriem non leui supplicio affecit. Extat de hoc epistola diui Marci ad præfectum suum talis: *Auidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes: quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vettilianus scripsit. & puto me non errasse, siquidem & tu notum habeas Cassium, hominem Cassiana seueritatis & disciplinà. neque enim milites regi possunt nisi in vetere disciplina. Scis enim versum à bono poeta dictum & omnibus frequentatum*, Moribus antiquis res stat Romana virisque. *Tu tantum fac adsint legionibus abundè commeatus. quos (si bene Auidium noui) scio non perituros.* Præfecti ad Marcum: *Rectè consuluisti, mi domine; quod Cassium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit quam homo seuerior Græcanicis militib. Ille sane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu, militi excutiet. Annona militaris omnis parata est, neque quidquam deest sub bono duce: non enim multum aut quæritur aut impenditur. Nec fefellit de se iudicium habitum.* Nam statim & ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt si quis cinctus inueniretur apud Daphnen, discinctus rediret. Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam & calciamenta & ocreas: delicias omnes de castris submouit: iussitque eos hyemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores: & egissent, nisi honestius vixissent. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita vt sagittas mitterent & armis luderent. Dicebat enim, miserum esse, quum exercerentur athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset. Ergo correcta disciplina, & in Armenia & in Arabia & in Ægypto res optime gessit: amatúsque est ab omnibus orientalibus, & speciatim ab Antiochensibus: qui etiam imperio eius consenserunt, vt docet Marius Maximus in vita diui Marci. Nam & quum Bucolici milites per Ægyptum grauia multa facerent, ab hoc retusi sunt, vt idem Marius Maximus refert in eo libro quem secundum de vita Marci & Antonini edidit. Hic Imperatorem se in oriente appellauit, vt quidam dicunt, Faustina volente, quæ valetudini Marci iam diffidebat, & timebat ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis exsisteret, qui capta statione regia infantes de medio tolleret. Alij autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus & prouincialibus Cassium cõtra Marci amorem, vt sibi posset consentiri, quo diceret Marcum diem suum obiisse: Nam & Diuum eum appellasse dicitur, vt desiderium illius leniret. Imperatorio nomine quum processisset, eum qui sibi aptauerat ornamenta regia, statim præfectum prætorij fecit, qui & ipse occisus est, Antonino inuito, ab exercitu: qui & Metianum, cui erat commissa Alexandria, quique consenserat spe participatus Cassio, inuitu atque ignorante Antonino, interemit. Nec tamen Antoninus grauiter est iratus, rebellione cognita; nec in eius liberos aut affectus sæuiit. Senatus illum hostem appellauit, bonáque eius proscripsit quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit. quare senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata. Nec Romæ terror defuit, quum quidam Auidium Cassium dicerent, absente Antonino, qui nisi à voluptariis vnice amabatur, Romam esse venturum, atque vrbem tyrannice direpturũ, maxime senatorum causa, qui eum hostem iudicauerant bonis proscriptis. Et amor Antonini hoc maxime enituit, quod consensu omnium, præter Antiochẽses, Auidius interemptus est: quem quidem occidi non iussit, sed passus est, quum apud cunctos clarum esset, si potestatis suę fuisset, parsurum illi fuisse. Caput eius ad Antoninum quum delatum esset, ille non exsultauit, non elatus est: sed etiam doluit ereptam sibi esse occasionem misericordiæ, quum diceret, se viuum illum voluisse capere; vt illi exprobraret beneficia sua, eumque seruaret. Denique quum quidam diceret, reprehendendum Antoninum, quod tam mitis esset in hostem suum, eiúsque liberos & affectus, atque omnes quos conscios tyrannidis reperisset, addente illo qui reprehendebat, *Quid si ille vicisset?* dixisse dicitur, *Non sic deos colimus, nec si viuimus, vt ille nos vinceret.* Enumerauit deinde, omnes principes qui occisi essent, habuisse caussas quibus mererentur occidi, nec quemquam facile bonum vel victum à tyranno vel occisum, dicens, meruisse Neronem, debuisse Caligulam, Othonẽ & Vitellium nec imperare voluisse. Nam de Pertinace & Galba paria sentiebat, quum diceret, *In Imperatore auaritiam esse acerbissimum malum.* Denique non Augustum, non Traianum, non Adrianum, non patrem suum, à rebellibus potuisse superari, quum & multi fuerint, & ipsis vel inuitis vel insciis exstincti. Ipse autem Antoninus à senatu petiit ne grauiter in conscios defectionis animaduerteretur, eo ipso tempore quo rogauit nequis senator temporibus suis capitali supplicio afficeretur: quod illi maximum amorem conciliauit. Denique paucissimis cẽturionibus punitis,

depor-

A deportatos reuocari iussit. Antiochensibus, qui Auidio Cassio consenserant; sed & aliis ciuitatibus quæ illum iuuerant, ignouit: quum primo Antiochensibus grauiter iratus esset, hisque spectacula sustulisset & multa alia ciuitatis ornamenta; quæ postea reddidit. Filios Auidij Cassij, Antoninus Marcus parte media paterni patrimonij donauit; ita vt filias eius auro, argento, & gemmis honestaret. Nam & Alexandriæ filiæ Cassij & B genero Druentiano liberam euagandi vbi vellent potestatem dedit: vixeruntque non quasi tyranni pignora, sed quasi senatorij ordinis in summa securitate: quum illis etiam in lite obiici fortunam proprij vetuisset domus, damnatis aliquibus ob iniuria quod in eos petulantes fuissent, quos quidem amitæ suæ marito commendauit. Si quis autem omnem hanc historiam scire desiderat, legat Marij Maximi secundum librum De vita Marci, in quo ille ea dicit quæ solum Marcus mortuo iam C Vero egit. tunc enim Cassius rebellauit, vt probat epistola missa ad Faustinam, cuius hoc exemplum est: *Verus mihi de Auidio verum scripserat, quod cuperet imperare. Audisse enim te arbitror quod eius statores de eo nunciarent. Veni igitur in Albanum, vt tractemus omnia dijs volentibus nihil timens.* Hic autem apparet, Faustinam ista nescisse, quum dicat Marius, infamare eam cupiens, quod ea conscia Cassius imperium sumpsisset. Nam & ipsius epistola extat ad Verum, qua vrget Marcum vt in D eum grauiter vindicet. Exemplum epistolæ Faustinæ ad Marcum: *Ipsa in Albanum cras, vt iubes, mox veniam: tamen iam hortor vt, si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrime prosequaris. Male enim assueuerunt & duces & milites: qui nisi opprimantur, oppriment.* Item alia epistola eiusdem Faustinæ ad Marcum: *Mater mea Faustina patrem tuum Pium eiusdem in defectione Celsi sic hortata est, vt pietatem primum circa suos seruaret, sic circa alienos.* Non enim pius est Imperator qui non co- E gitat vxorem & filios: *Commodus noster vides in qua ætate sit: Pompeianus gener, & senior est & peregrinus. Vide quid agas de Auidio Cassio & de eius consciis. Noli parcere hominibus qui tibi non pepercerunt; & nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent. Ipsa iter tuum mox consequor: quia Fadilla nostra ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed si te Formiis inuenire non potero, assequar Capuam: quæ ciuitas & meam F & filiorum nostrorum ægritudinem poterit adiuuare. Soteridam medicum in Formianum vt dimittas rogo: ego autem Pisitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationem nescit adhibere. Signatas mihi literas Calpurnius dedit; ad quas rescribam, si tardauero, per Caecilium senem spadonem, hominem (vt scis) fidelem: cui verbo mandabo quid vxor Auidij Cassij, & filij, & gener, de te iactare dicantur.* Ex his litteris intelligitur Cassio Faustinam conscio non G fuisse, quinetiam supplicium eius grauiter exegisse: si quidem Antoninum quiescentem & clementiora cogitantem, ad vindictæ necessitatem impulit. Qui Antoninus quid rescripserit, subdita epistola perdocebit: *Tu quidem mea Faustina religiose pro marito & pro nostris liberis agis. Nam relegi epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris vt in Auidij conscios vindicem. Ego vero & eius liberis parcam, & genero & vxori, & ad senatum scribam ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior.* Non enim quidquam est quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus quam clementia. *Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecrauit, hæc patrem tuum in primis Pij nomine ornauit. Denique si ex mea sententia de bello iudicatum esset, nec Auidius esset occisus. Esto igitur secura: dij me tuentur, dijs pietas mea cordi est. Pompeianum nostrum in annum sequentem cõsulem dixi:* Hęc Antoninus ad coniugem. ad senatum autem qualem orationem miserit interest scire ex oratione M. Antonini. *Habetis igitur P.C. pro gratulatione victoriæ generum meum consulem, Pompeianum dico: cuius ætas olim remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes interuenissent, quibus reddi debuit quod à republ. debebatur. Nũc quod ad defectionem Cassianam pertinet, vos oro atque obsecro P.C. vt censura vestra deposita, meam pietatem clementiámque seruetis, imo vestram: neque quemquam vllum senatus occidat. nemo senatorum puniatur, nullius fundatur viri nobilis sanguis: deportati redeant, proscripti bona recipiant. Vtinam possem multos etiam ab inferis excitare. Non enim vmquam placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Auidij Cassij & genero & vxori veniam dabitis. Et, quid dico veniam? quum illi nihil fecerint. Viuant igitur securi, scientes sub Marco se viuere. Viuant in patrimonio parentum pro parte donato auro, argento, vestibus fruantur: sint diuites, sint securi, sint vagi & liberi, & per ora omnium vbique populorum circumferant mea, circumferant vestræ pietatis exemplum. Nec magna hæc est P.C. clementia, veniam proscriptorum liberis & coniugibus dari. Ego vero à vobis peto, vt conscios senatorij ordinis & equestris, à cæde, à proscriptione, à timore, ab infamia, ab inuidia, & postremo ab omni vindicetis iniuria: detisque hoc meis temporibus, vt in caussa tyrannidis qui in tumultu cecidit, probetur occisus.* Hanc eius clementiam senatus his acclamationibus prosequut9 est, *Antonine pie, dij te seruẽt. Antonine clemens, dij te seruent: Antonine clemẽs dij te seruẽt. Tu noluisti quod licebat, nos fecimus quod decebat. Cõmodo imperiũ iustum rogamus, progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi tui. bonũ imperiũ nulla vis lædit. Cõmodo Antonino tribunitiã potestatẽ rogamus: præsentiã tuã rogamus, philosophiæ tuæ, patiẽtiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitatis tuæ, innocentiæ tuæ. Vincis inimicos, hostes exsuperas: dij te tuẽtur.* & reliqua. Vixerũt igitur postea Auidij Cassij securi, & ad honores admissi sunt. Sed eos Cõmodus Antoninus post excessũ diui patris sui, omnes viuos incẽdi iussit quasi in factione deprehẽsos. Hęc sũt quæ de Cassio Auidio comperimus: cuius ipsius mores (vt supra diximus) varij semper fuerunt, sed ad censuram crudelitatémque propensiores: qui si obtinuisset imperium, fuisset non modo clemens, sed bonus, sed vtilis & optimus Imperator. Nam exstat epistola eius ad generum suum iam Imperatoris huiusmodi: *Misera respubl. quæ istos diuitiarum cupidos & diuites patitur misera. Marcus homo sane optimus: qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere quorum ipse non probat vitam. Vbi L. Cassius, cuius nos frustra tenet nomen? Vbi Marcus ille Cato Censorius? Vbi omnis disciplina maiorũ quæ olim quidem intercidit, nunc vero nec quæritur. Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto & iusto: nec sentit pro republ. Vides multis opus esse gladiis, multis elogiis, vt in antiquum statum publica forma reddatur. Ego vero istis præsidibus prouinciarum. an ego proconsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi à senatu & ab Antonino prouincias datas credunt,*

vt luxurientur, vt diuites fiant? Audisti praef. praetorij nostri philosophi, ante triduum quam fieret, mendici & pauperem; sed subito diuitem factum. Vnde quaeso, nisi de visceribus respubl. prouincialiumq; for- A *tunis? Sint sane diuites, sint locupletes: erariũ publicũ refercient. tantũ dij faueãt bonis partibus. reddãt Cassiani respubl. principatum.* Hęc epistola eius indicat quã seuerus & quã tristis futurus fuerit Imperator.

ÆLII LAMPRIDII
COMMODVS ANTONINVS,
AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

DE COMMODI ANTONINI parentibus, in vita Marci Antonini satis est disputatum. Ipse autem natus est apud Lanuuium cum fratre Antonino Gemino, pridie Cal. Septẽb. patre patruóque COSS. vbi & auus maternus dicitur natus. Faustina quum esset Commodo cum fratre praegnans, visa est in somnis serpẽtes parere: sed ex his vnum ferociorem. Quum autẽ peperisset Cõmodum atq; Antoninũ, Antoninus quadrimus est elatus; quem parem astrorũ cursu Commodo mathematici promittebãt. Mortuo igitur fratre, Cõmodũ Marcus & suis pręceptis & etiam magnorũ atque optimorum virorũ erudire conatus est. Habuit litteratorem Graecum, Onesicritũ: Latinum, Capellam Antistiũ: orator ei Atteus Sanctus fuit. Sed tot disciplinarũ magistri nihil ei profuerunt. *Tantum valet aut ingenij vis, aut eorum qui in aula institutores habẽtur.* Nam à prima statim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinosus; ore quoq; pollutus & constupratus fuit: iam in his artifex quae stationis Imperatoriae non erant, vt calices fingeret, saltaret, cantaret, sibilaret, scurram denique & gladiatorem se perfectum ostenderet. Auspicium crudelitatis apud Centumcellas dedit anno aetatis XII. Nam quum tepidius forte lotus esset, balneatorem in fornacem conijci iussit: quando à pędagogo, cui hoc iussum fuerat, veruecina pellis in fornace consumpta est; vt fidem pœnę de fœtore nidoris impleret. Appellatus est autem Cęsar puer cum fratre suo Seuero: XIIII aetatis anno in collegium sacerdotum adscitus est. Cooptatus inter tres solos principes iuuentutis quum togam sumpsit: adhuc in pręetexta puerili congiarium dedit, atque ipse in basilica Traiani praesedit. Indutus autem toga est Nonarum Iuliarum die, quo in terris Romulus non apparuit, & eo tempore quo Cassius à Marco desciuit. Profectus est, commendatus militibus, cum patre in Syriam & Ægyptum, & cum eo Romam rediit. Post haec, venia legis annariae impetrata COS. est factus, & cum patre Imperator est appellatus V. Cal. Decembr. die, Pollione & Apro COSS. & triumphauit cum patre: nam & hoc patres decreuerant. Profectus est cum patre & ad Germanicum bellum. Adhibitos custodes vitae suae honestiores ferre nõ potuit; pessimos quosq; detinuit, & submotos vsque ad aegritudinem desiderauit. quibus per patris mollitiem restitutis, popinas & ganeas in palatinis semper aedibus fecit: neque vnquam pepercit vel pudori vel sumptui. In domo aleam exercuit. Mulierculas formę scitioris, vt prostibula mancipia lupanarium ad ludibrium pudicitiae contraxit. Imitatus etiam propolas circũforaneos, equos curules sibi cõparauit. Aurigae habitu currus rexit, gladiatoribus conuixit, aquam gessit vt lenonum minister, vt probris natum magis quam B ei loco crederes ad quem eum fortuna prouexit. Patris ministeria seniora submouit, amicos senes abiecit. Filium Saluij Iuliani, qui exercitibus praeerat, ad impudicitiam frustra tentauit, atque exinde Iuliano tetendit insidias. Honestissimos quosque, aut per contumeliam, aut per honorem indignissimum, abiecit. Appellatus est à mimis quasi obstupratus: eosdémque ita vt non apparerent, subito deportauit. Bellum etiam quod pater pene C confecerat, regibus hostium addictus remisit, ac Romam reuersus est. Romam vt rediit, subactore suo Antero post se in curru locato, ita triumphauit, vt eum saepius ceruice reflexa publice osculaetur: etiam in orchestra hoc idem fecit. Et quum potaret in lucem, helluaretúrque viribus Romani imperij, vespera etiam per tabernas ac lupanaria volitauit. Misit homines ad prouincias regendas, vel criminum socios, vel à criminosis com-D mendatos. In senatus odium ita venit, vt & ipse crudeliter in tanti ordinis perniciem saeuiret, fierétque contemptui. Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam compulit ad eius interfectionem consilia inire non sine praef. praet. Tarrutij Paterni consilio. Datum autem est negotium peragendae necis Claudio Pompeiano propinquo. qui ingressus ad Commodum districto gladio, quum faciendi potestatem habuisset, in haec E verba prorumpens, *Hunc tibi pugionem senatus mittit:* detexit facinus fatuus, nec impleuit; multis cum eo participantibus caussam. Post hęc interfecti sunt. Pompeianus primo & Quadratus: dein Narbana atque Norbanus & Paralius; & mater eius: Lucilla in exsilium exacta. Quum praef. praet. vidissent Commodum in tantum odium incidisse, obtentu Anteri, cuius potentiam praef. praet. ferre non poterant, vrbane Anterum eductum à palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos, per frumentarios occiderunt. Id vero grauius quam de se ipso Commodo fuit. Paternum F autem, & huius caedis auctorem, &(quantum videbatur) paratae necis Commodi conscium, & interuentorem ne coniuratio latius puniretur, instigante Tigidio, per laticlaui honorem à praefecturę administratione submouit. Post paucos dies insimulauit eum coniurationis; quum diceret ob hoc promissam Iuliani filio filiã Paterni, vt in Iulianum trãsferretur imperium. Quare & Paternũ & Iulianum & Vitruuium Secundum Paterni fa-G miliarissimum, qui epistolas imperatorias curabat, interfecit. Domos praeterea Quintiliorum omnis exstincta, quod Sextus Condiani filius, specie mortis ad defectionem diceretur euasisse. Interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito consularis. In exsilium autem acti sunt Æmilius Iunctus & Attilius Seuerus coss. & in multos alios varie saeuitum. Post haec Commodus

modus numquam facile in publicum processit: neque quidquam sibi nunciari passus, nisi quod Perennis ante tractasset. Perennis autem, Commodi animum persciens, inuenit quemadmodum ipse potens esset. Nam persuasit Commodo vt ipse deliciis vacaret, idem vero Perennis curis incumberet: quod Commodus lætanter accepit. Hac igitur lege viuens ipse cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricúmque delectu ad formæ speciem conciliauerat, trecentisque aliis puberibus exoletis, quos æquè ex plebe ac nobilitate, nuptúsque forma disceptatrice collegerat, in palatio per conuiuia & balneas bacchabatur. Inter hæc habitu victimarij, victimas immolauit: in harena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnauit, lucentibus aliquando mucronibus. Tunc tamen Perennis cuncta sibimet vindicauit: quos voluit interemit, spoliauit plurimos, omnia iura subuertit, prædam omnem in sinum contulit. Ipse autem Commodus Lucillam sororem, quum eam compressisset, occidit: sororibus dein suis cæteris (vt dicitur) constupratis, cōsobrina patris complexib. suis coniuncta, vni etiam ex concubinis matris nomen imposuit & vxoris, quam deprehensam in adulterio exegit, exactam relegauit, & postea occidit. Ipsas concubinas suas sub oculis suis stuprari iubebat. Nec irruentium in se iuuenum carebat infamia: omni parte corporis, atque ore, in sexum vtrumque pollutus. Occisus est eo tempore etiam Claudius, quasi a latronibus: cuius filius cum pugione quondam ad Commodum ingressus est: multique alij senatores sine iudicio interempti, fœminæ quoque diuites. Et nonnulli per prouincias à Perenni ob diuitias insimulati, spoliati sunt, vel etiam interempti. His autem quibus deerat ficti criminis appositio, obiiciebatur quod scribere voluissent Commodum heredem. Eo tempore in Sarmatia res bene gestas per alios duces, in filium suum Perennis referebat. Hic tamen Perennis, qui tantum potuit, subito, quod bello Britannico militibus equestris loci viros præfecerat, amotis senatoribus, prodita re per legatos, exercitus hostis appellatus, lacerandúsque militibus est deductus. In cuius potentiæ locum Cleandrum ex cubiculariis subrogauit. Multa sanè post interfectum Perennem, eiúsque filium, quasi à se non gesta rescidit, velut in integrum restituens. Et hanc quidem pœnitentiam scelerum vltra triginta dies tenere non potuit, grauiora per Cleandrum faciens quàm fecerat per supra dictum Perennem. Et in potentia quidem Cleander Perenni successerat: in præfectura vero Niger, qui sex tantum horis præfectus prætorij fuisse perhibetur. Mutabantur enim præfecti prætorij per horas ac dies, Commodo peiora omnia quàm fecerat ante, faciente. Fuit item Marcius Quartus præfectus præt. diebus quinque. Horum successores ad arbitrium Cleandri aut retenti sunt, aut occisi. Ad cuius nutum etiam libertini in senatum atque in patricios lecti sunt: túncque primum vigintiquinque COSS. in vnum annum, venditæque omnes prouinciæ. Omnia Cleander pecunia vendit abat: reuocatos de exsilio dignitatibus ornabat: res iudicatas rescindebat. qui tantum per stultitiam Commodi potuit, vt Byrrhum sororis Commodi virum reprehendentem, nuntiantémque Commodo quæ fiebant, in suspicionem regni affectati traheret & occideret, multis aliis qui Byrrhum defendebant, pariter interem-

A ptis. Præfectus etiam Ebutianus inter hos est interemptus: in cuius locum ipse Cleander cum aliis duobus quos ipse delegerat, præfectus est factus. Túncque primum tres præf. prætor. fuere, inter quos libertinus qui à pugione appellatus est. Sed & Cleandro dignus tandem vitæ finis impositus. Nam quum insidiis illius Arrius Antoninus fictis criminibus in Attali gratiam, quem in proconsulatu Asiæ damnauerat, esset occisus, nec eam B tum inuidiam populo sæuiente Commodus ferre potuisset, plebi ad pœnam donatus est: quum etiam Apolaustus, aliíque liberti aulici pariter interempti sunt. Cleander inter cetera etiam concubinas eius constuprauit: de quibus filios suscepit, qui post eius interitum cum matribus interempti sunt. In cuius locum Iulianus & Regillus subrogati sunt: quos & ipsos postea pœnis affecit. His occisis, interemit Seruilium & Dulium Silanos cum suis: mox Anitium Lupum, & Petronios C Mamertinum & Suram, filiúmque Mamertini Antoninum ex sorore sua genitum. Et post eos sex simul ex consularibus, Allium Fuscum, Cælium Felicem, Luceium Torquatum, Lartium Eurupianum, Valerium Bassianum, Pactuleium Magnum cum suis: atque in Asia Sulpicium Crassum proconsulem, & Iulium Proculum cum suis, Claudiúmque Lucanum consularem, & consobrinā patris sui Faustinam Anniam in Achaia, & alios infinitos. Destinauerat & alios quatuordeD cim occidere, quum sumptus eius iniuriis Romani imperij sustineri non possent. Inter hæc Commodus, senatu semet tradente, quum adulterum matris consulem designasset appellatus est *Pius*; quum occidisset Perennem, appellatus est *Felix*. Inter plurimas cædes multorum ciuium, quasi quidam nouus Sylla, idem Commodus ille Pius, ille Felix, finxisse etiam quandam contra se coniurationem dicitur, vt multos occideret. Nec alia vlla fuit defectio præter Alexandri; qui poE stea se & suos interemit & sororis Lucillæ. Appellatus est Commodus etiam *Britannicus* ab adulatoribus: quum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint. Appellatus est etiam *Romanus Hercules*, quod feras Lanuuij in amphitheatro occidisset. Erat enim hæc illi consuetudo, vt domi bestias interficeret. Fuit præterea ea dementia, vt vrbem Romam, *coloniam Commodianam* vocari voluerit: cui furor dicitur inter delenimenta Marciæ iniectus. Voluit etiam in circo F quadrigas agitare. Dalmaticatus in publico processit: atque ita signum quadrigis emittendis dedit. Et eo quidem tempore quo ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum senatus hoc libenter accepit per irrisionem, (quantum intelligitur) sed etiam seipsum Commodianum vocauit: Commodum Herculem & Deum appellans. Simulauit se & in Africam iturum, vt sumptum itinerarium exigeret: & exegit, eúmque G in conuiuia & aleam conuertit. Motilenum præf. præt. per ficus veneno interemit. Accepit statuas in Herculis habitu: eíque immolatum est vt deo. Multos præterea parauerat interimere: quod per paruulum quemdam proditum est, qui tabulam è cubiculo eiecit, in qua occidendorum erant nomina scripta. Sacra Isidis coluit, vt & caput raderet, & Anubin portaret. Bellonæ seruientes verè exsecrare brachium præcepit, studio crudelitatis. Isiacos vero pineis vsque ad perniciem pectus tūdere cogebat. Quum Anubin portaret, capita Isia-

corum grauiter obtundebat ore simulacri. Claua non solum leones in veste muliebri & pelle leonina, sed etiam multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos qui ambulare non possent, in gigantum modum formauit: ita vt à genibus de pannis & linteis quasi dracones digererentur: eosdémque sagittis confecit. Sacra Mithriaca homicidio vero polluit: quum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat. Etiam puer, & gulosus & impudicus fuit. Adolescens omne genus infamauit hominum quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. Irridentes se, feris obiiciebat. Eum etiam qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiici iussit: quia eumdem diem natalis habuerat quem & Caligula. Siquis sanè se mori velle prædixisset, hunc inuitum præcipitari iubebat. In iocis quoque perniciosus. nam eum quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat. Obronsi oneris pinguem hominem medio ventre dissecuit: vt eius intestina subito funderentur. Monopodios & luscinios, eos quibus aut singulos tulisset oculos aut singulos pedes fregisset, appellabat. Multos præterea passim extinxit: alios, quia barbarico habitu occurrerant: alios, quia nobiles & speciosi erant. Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriusque sexus; quos libentiùs suis oculis applicabat. Habuit & hominem pene prominente vltra modum animalium: quem Onon appellabat: sibi carissimum: quem & ditauit, & sacerdotio Herculis rustici præposuit. Dicitur sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustu, aliis (vt putabat) irrisis. Duos gibbos retortos in lãce argentea sibi sinapi perfusos exhibuit: eosdémque statim promouit ac ditauit. Præf. præt. suum Iulianum togatum, præsente officio suo, in piscinam detrusit: quem saltare etiam nudum ante concubinas suas iussit quatientem cymbala, deformato vultu. Genera leguminum coctorum ad conuiuium propter luxuriæ continuationem raro vocauit. Lauabat per diem septies atque octies: & in ipsis balneis edebat. Deorum templa polluit stupris & humano sanguine. Imitatus est & medicum, vt sanguinem hominibus emitteret scalpris feralibus. Menses quoque in honorem eius pro Augusto, *Commodum*, pro Septemb. *Herculem*, pro Octobri *Inuictum*, pro Nouembri *Exsuperatorium*, pro Decembri *Amazonium*, ex signo ipsius adulatores vocabant. *Amazonius* autem vocatus est ex amore concubinæ suæ Marciæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit. Gladiatorum etiam certamen subiit, & nomina gladiatorum recepit eo gaudio quasi acciperet triumphalia. Ludum semper ingressus est: & quoties ingrederetur, publicis monumentis indi iussit. Pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies.

Nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas postea nominauit, Pudente & Pollione coss. Appellatus *Germanicus*, Idibus Herculeis, Maximo & Orphito coss. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos, XIII. Calendas Iuni ctas Pisone & Iuliano coss. Profectus in Germaniam XIIII. Calendas AElias, vt postea nominauit, iisdem coss. Togam virilem accepit cum patre: appellatus Im-
A perator V. Calendas Exsuperatorias, Pollione
iterum & Apro coss. Triumphauit X. Calendas Amazonias, iisdem coss. Iterum profectus III. Nonas Commodias, Orphito & Ruso coss. Datus in perpetuum ab exercitu & senatu in domo palatina Commodiana conseruandus, XI. Calendas Romanas, Præsente iterum cos. Tertio meditans de profectione, à senatu & populo suo retentus est. Vota pro eo facta sunt No-
B nis Piis, Fusciano iterum cos. Inter hæc refertur in literas, pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies: Item postea tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis retiariis vel occisis, vt mille contingeret. Ferarum autem diuersarum manu sua occidit multa millia, ita vt elephantos occideret. Et hæc fecit sæpe spectante populo Romano. Fuit autem validus ad hæc, alias debilis & infirmus, vitio etiam inter inguina prominenti; ita vt eius tumorem per sericas vestes
C populus Romanus agnosceret. Versus in eum multi scripti sunt; de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, vt elephantum conto transfigeret: & orygis cornu hasta transmiserit; & singulis ictibus multa millia ferarum ingentium cõficeret. Impudentiæ tantæ fuit, vt cum muliebri veste in amphitheatro vel theatro sedens publicè sæpissime biberit. Victi sunt sub eo tamen, quum ille sic viueret, per legatos, Mauri, victi Daci, Pan-
D noniæ quoque compositæ: in Britannia, in Germania & in Dacia imperium eius recusantibus prouincialibus. Quæ omnia ista per duces sedata sunt. Ipse Commodus in subscribendo tardus & negligens, ita vt libellis vnaforma multis subscriberet: in epistolis autem plurimis, *Vale* tantum scriberet. Agebantúrque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur. Per hanc autem negligentiam, quum & annonam vastarent ij qui tunc rempub. gerebant, etiam inopia ingens Romæ exorta est quum fruges non
E deessent: & eos quidem qui omnia vastabant, postea Commodus occidit atque proscripsit. Ipse vero seculum aureum, *Commodianum* nomine assimulans, vilitatem proposuit, ex qua maiorem penuriam fecit. Multi sub eo & alienam pœnam & suam salutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam suppliciorum diuersitates, & sepulturas, & immunitates malorum: & alios pro aliis occidit: Vendidit etiam prouincias & administrationes,
F quum hi per quos venderet, partem acciperent, partem vero Commodus. Vendidit nonnullis & inimicorum suorum cædes. Vendiderunt sub eo etiam euentus litium liberti. Præfectos Paternum & Perennem non diu tulit: ita tamen vt etiam de his præfectis quos ipse fecerat, triennium nullus impleret: quorum plurimos interfecit vel veneno vel gladio. Et præfectos vrbi eadem facilitate mutauit. Cubicularios suos libenter occidit: quum omnia ex nutu eorum semper fecisset. Electus cubicularius, quum videret
G eum tam facilè cubicularios occidere, præuenit eum, & factioni mortis eius interfuit. Spectator gladiatoria sumpsit arma, panno purpureo nudos humeros aduelans. Habuit præterea morem vt omnia quæ turpiter, quæ impurè, quæ crudeliter, quæ gladiatoriè, quæ lenonicè faceret, Actis vrbis indi iuberet; vt Marij Maximi scripta testantur. *Commodianum* etiam PR. dixit, quo sæpissimè præsente gladiator pugnauit. Sanè quum illi sæpe

pugnanti;

pugnanti, vt deo, populus fauisset, irrisum se credens, populum Romanum à militibus classiariis qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Vrbem incendi iusserat, vt pote coloniam suam. Quod factum esset nisi Lætus præf. præt. Commodum deterruisset. Appellatus est sanè inter cetera triumphalia nomina, etiam sexcenties vicies *Paulus primus sequutorum*. Prodigia eius imperio & publicè & priuatim hæc facta sunt: Crinita stella apparuit. Vestigia deorum in foro visa sunt exeuntia. Et ante bellum desertorum cælum arsit: & repentina caligo ac tenebra in circo Calend. Ianuariis oborta: & ante lucem fuerant etiam incendiariæ aues ac diræ. De palatio ipse ad Cælium montem in Vectilianas ædes migrauit, negans se in palatio posse dormire. Ianus geminus sua sponte apertus est: & Anubis simulacrum marmoreum moueri visum est: Herculis signum æneum sudauit in Minutia per plures dies. Bubo etiam supra cubiculum eius deprehensus est tam Romæ quàm Lanuuij. Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: & contra consuetudinem, pænulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire: quod funeribus solebat: ipse in pullis vestimentis præsidens. Galea eius bis per portam libitinensem elata est. Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos: circa alios omnes parcissimus fuit: quod luxuriæ sumptibus ærarium minuerat. Circenses multos addidit ex libidine potius quam religione, & vt dominos factionum ditaret. His incitati, licet nimis sero, Quintus AElius Lætus præfectus, & Marcia concubina eius, inierunt coniurationem ad occidendum eum. Primum ei venenum dederunt: quod quum minus operaretur, per athletam cum quo exerceri solebat, eum strangulauerunt. Fuit forma quidem corporis iusta, vultu insubido, vt ebriosi solent, & sermone incondito, capillo semper fucato & auri ramentis illuminato; adurens comam & barbam timore tonsoris. Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, senatus & populus postulauit: sed postea, iussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est. Opera eius, præter lauacrum, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla exstant: sed nomen eius alienis operibus incisum, senatus erasit. nec patris autem sui opera perfecit, Classem Africanam instituit: quæ subsidio esset si fortè Alexandrina frumenta cessassent. Ridiculè etiam Carthaginem, *Alexandriam Commodianam togatam* appellauit: quum classem quoque Africanam, *Commodianam Herculeam* appellasset. Ornamenta sanè quædam colosso addidit: quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit, quod Neronis esset; ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita vt illum gladiatorium effœminatum non prætermitteret. Hunc tamen Seuerus Imperator, amantissimus nominis sui, odio (vt videtur) senatus, inter deos retulit. flamine addito quem ipse viuus sibi parauerat, Herculaneo Commodiano. Sorores tres superstites reliquit. Vt natalis eius celebraretur, Seuerus instituit. Acclamationes senatus post mortem Commodi graues fuerunt. Vt autē sciretur, quod iudiciū senat⁹ de Cōmodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiā senatusc. *Hostis patriæ honores detrahātur, parricidæ honores de-*

A *trahātur parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida gladiator, in spoliario lanietur. Hostis deorū, carnifex senatus: hostis deorū, parricida senatus, hostis deorū, hostis senatus. Gladiatorē in spoliario. Qui senatū occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, vnco trahatur. Qui innocētes occidit, vnco trahatur: hostis, parricida, verè, verè. Qui sāguini suo nō pepercit, vnco trahatur. Qui te occisurus fuit, vnco trahatur. Nobiscū timuisti, nobiscū periclitat⁹ es. Vt salui*

B *simus, Iupiter optime maxime serua nobis Pertinacē. Fides prætorianorū feliciter: prætoriis cohortib⁹ feliciter: exercitib⁹ Romanis feliciter: pietati senat⁹ feliciter. Parricida trahatur. Rogam⁹ Auguste, parricida trahatur: hoc rogam⁹, parricida trahatur. Exaudi Cæsar. Delatores ad leonē: exaudi Cæsar. Delatores ad leonem: exaudi Cæsar. Speratum ad leonem. Victoria populi Romani feliciter: fides militum feliciter: fides prætorianorum feliciter: cohortibus prætoriis feliciter. Hostis statuas vndique, parricidæ statuas*

C *vndique, gladiatoris statuas vndique: gladiatoris & parricidæ statuæ detrahantur. Necator ciuium trahatur, parricida ciuium trahatur. Gladiatoris statuæ detrahantur. Te saluo, salui & securi sumus, verè, verè modo vere, modo digne, modo verè, modo liberè. Nunc securi sumus: delatoribus metum. Vt securi simus: delatoribus metum: salui simus, delatores de senatu. Delatoribus fustem te saluo. delatores ad leonem te imperante. delatoribus fustem. Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur; parricidæ gladiatoris*

D *statuæ detrahātur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur: gladiatorē in spoliario. Exaudi Cæsar. Carnifex vnco trahatur: carnifex senat⁹ more maiorū, vnco trahatur. Sæuior Domitiano, impurior Nerone, sic fecit, sic patiatur. Memoriæ innocētiū seruētur: honores innocētium restituas. Rogam⁹, parricidæ cadauer vnco trahatur; gladiatoris cadauer vnco trahatur; gladiatoris cadauer in spoliario ponatur. Proroga, proroga: omnes cēsem⁹ vnco trahēdū. Qui omnes occidit, vnco trahatur. Qui omnē ætatem occidit, vnco*

E *trahatur. Qui vtrumque sexum occidit, vnco trahatur. Qui sanguini suo non pepercit, vnco trahatur. Qui templa spoliauit, vnco trahatur. Qui testamenta deleuit, vnco trahatur. Qui viuos spoliauit, vnco trahatur. Seruis seruiuimus. Qui pretia vitæ exegit, vnco trahatur. Qui pretia vitæ exegit, & fidem non seruauit, vnco trahatur. Qui senatum vendidit, vnco trahatur. Qui filiis abstulit hereditatem, vnco trahatur. Indices de senatu, delatores de senatu: seruorum subornatores de senatu. Et tu nobiscum timuisti,*

F *omnia scis, bonos & malos nosti: omnia scis, omnia emenda: Pro te timuimus. O nos felices te vero imperante. De parricida refer, refer, perroga: præsentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt: parricidæ cadauer trahatur. Parricida sepultos eruit: parricidæ cadauer trahatur.* Et quum iussu Pertinacis Liuius Laurensis procurator patrimonij, Fabio Chiloni consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadauer sepultum est. Senatus accla-

G mauit; *Quo auctore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur, trahatur.* Cingius Seuerus dixit: *Iniustè sepultus est. Quia pontifex dico, hoc collegium pontificum dicit. Quoniam læta percensui, nunc conuertar ad necessaria, censeóque (quod is qui nonnisi ad perniciem ciuium & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coëgit) abolendas statuas, quæ vndique sunt abolendæ: nomenque ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum: mensesque his nominibus nuncupandos quibus nuncupabantur quum primū illud malum in rempublicam incubuit.*

IVLII CAPITOLINI
PERTINAX IMPERATOR.

PVBLIO Heluio Pertinaci, pater libertinus A Heluius Successus fuit; qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur. Natus est Pertinax in Apennino in villa Martis. Equus pullus ea hora qua natus est, in regulas ascendit: atque ibi breuiter commoratus decidit atque exspirauit. Hac re motus pater, ad Chaldæum venit. Qui quum illi futura ingentia prædixisset, stipem se perdidisse dixit. Puer literis elementariis B & calculo imbutus, datus etiam Græco grammatico: atque inde Sulpicio Apollinari: post quem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed quum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Auitum consularem virum, patris patronū, ducendi ordinis dignitatem petiit. Dein præfectus cohortis in Syriam profectus, T. Aurelio imperatore, à præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum vsurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est. Bello C Parthico industria sua promeritus, in Britanniam translatus est ac retentus. Post in Mœsia rexit alam: deinde alimentis diuidendis in via AEmilia procurauit. Inde classem Germanicam rexit. Mater eum vsque in Germaniam prosequuta est: ibique obiit. cuius etiam sepulcrum stare nunc dicitur. Inde ad ducentorum HS stipendium translatus in Daciam, suspectúsque Marco quorumdam relatu, à partibus remotus est: & postea per Claudium Pompeianum generum Marci, quasi D adiutor eius futurus, vexillis regendis adscitus est. In quo munere approbatus, lectus est in senatum. Postea iterum re bene gesta, prodita est factio quę illi concinnata fuerat: Marcúsque Imperator, vt compensaret iniuriam, prætorium eum fecit, & primæ legioni regendæ imposuit: statímque Rhætias & Noricum ab hostibus vindicauit. Ex quo, eminente industria, studio Marci Imperatoris COS. est designatus. Exstat oratio apud Marium Maximum, laudes eius continens, & omnia vel E quæ fecit, vel quæ perpessus est. & præter illam orationem, quam longum fuerit connectere, sæpissimè Pertinax à Marco & in concione militari, & in senatu laudatus est: doluítque palam Marcus quod quum senator esset, præf. præt. fieri à se non posset. Cassiano motu composito, è Syria ad Danubij tutelam profectus est: atque inde Mœsiæ vtriusque, mox Daciæ regimen accepit. Bene gestis his prouinciis, Syriam meruit. Integrè se vsque ad Syrię regimen Pertinax tenuit; post excessum verò Marci, pecuniæ studuit. quare etiam F dictis popularibus lacessitus, curiam Romanam post quatuor prouincias consulares, quia consulatum absens gesserat, iam diues ingressus est: quum eam senator antea non vidisset. Iussus est præterea statim à Perenne in Liguriam secedere in villam paternam. Nam pater eius tabernam coctiliciam in Liguria exercuerat. Sed posteaquam in Liguriam venit, multis agris coëmptis, tabernā paternā, manente forma priore, infinitis ædificiis circūdedit: fuitq; illic per triennium, & mercatus est per suos seruos. Occiso sanè Perenni, Cōmodus Pertinaci satisfecit: eúmq; petiit per literas vt ad Britanniā proficisceretur: profectúsq; milites ab omni seditione deterruit, quum illi quemcumque imperatorem vellent habere, & ipsum specialiter Pertinacem. Tunc Pertinax maleuolentię notam subiit: quod dictus est insimulasse apud Commodum affectati imperij Antistium Burrum, & Arrium Antoninum. Et seditiones quidem contra ipse compescuit in Britannia: verum ingens periculum adiit seditione legionis pęne occisus, certè inter occisos relictus. quam quidem rem idem Pertinax acerrimè vindicauit. Denique postea veniam legationis petiit: dicens sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones. Accepto successore, alimentorum ei cura mandata est: deinde proconsul Africæ factus est. In quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur, vaticinationibus earum quæ de templo Cælestis emergunt. Post hoc præf. vrbi factus: in qua præfectura post Fuscianum hominem seuerum, Pertinax mitissimus & humanissimus fuit, & ipsi Commodo plurimum placuit: quia ille esset iterum, quum Pertinax factus est. Tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis, non fugit. Commodo autem interempto, Lætus præf. præt. & Electus cubicularius ad eum venerunt vt eum confirmarent, atque in castra duxerunt. Illic Pertinax milites alloquutus est. Donatiuum promisit: ingeri sibi imperium à Lęto & Electo dixit. Fictum est autem quod morbo esset Commodus exstinctus: quia & milites, ne tentarentur, pertimescebant. Denique à paucis primum est Pertinax Imperator appellatus. Factus est autem sexagenario maior Imperator, prid. Calend. Ianuarias. De castris nocte quum ad senatum venisset, & cellam curiæ iussisset aperiri, neque inueniretur aditus, in templo Concordiæ resedit. Et quum ad eum Claudius Pompeianus gener Marci venisset, casúmque Commodi lacrymasset, eum hortatus est Pertinax vt imperium sumeret: sed ille recusauit, quia iam Imperatorem Pertinacem videbat. Statim ergo omnis magistratus cum consule ad curiam venerunt; ingressúmque Pertinacem nocte Imperatorem appellauerunt. Ipse autem Pertinax, post laudes suas à consulibus dictas, & post vituperationem Commodi acclamationibus senatus ostensam, egit gratias senatui, & præcipuè Læto præfecto prætorij, quo auctore & Commodus interemptus & ipse Imperator est factus. Sed quum Læto gratias egisset Pertinax, Falco consul dixit; *Qualis Imperator es futurus, hinc intelligimus quod Lætum & Marciam ministros scelerum Commodi post te videmus.* cui Pertinax respondit, *Iuuenis es consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerūt inuiti Commodo: sed vbi habuerunt facultatem, quid semper voluerint, ostenderunt.* Eadem die qua Augustus est appellatus, & Flauia Titiana vxor eius Augusta est appellata. His horis quibus ille in Capitolium vota soluebat, primus sanè omnium ea die qua Augustus est appellatus, etiam Patris pa-


triæ

triæ nomen recepit: necnon simul etiam impe-
rium proconsulare, necnon ius quartæ relationis;
quod ominis loco fuit Pertinaci. Ad palatium er-
go Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat,
quia Commodus in Vectilianis occisus est, peténti
signũ prima die tribuno dedit, *Militemus*: expro-
brans vtiq; segnitiem temporum superiorũ: quod
quidem etiam ante in omnibus ducatibus dede-
rat. Exprobrationem autem istam milites non tu-
lerunt: statimque de Imperatore mutando cogita-
runt. Ea die etiam ad conuiuium magistratus &
proceres senatus rogauit: quam consuetudinem
Commodus prætermiserat. Sanè quum posterò
Calendarum die statuæ Commodi deijcerentur,
gemuerunt milites: simul quia iterum signum i-
dem dederat Imperator. Timebatur autem mili-
tia sub sene Imperatore. Denique tertium nona-
rum diem votis ipsis milites Triarium Maternum
Lasciuium, senatorem nobilem, ducere in castra
voluerunt, vt eum rebus Romanis imponerent:
sed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in pala-
tium venit, & post ex vrbe decessit. Timore sanè
Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militi-
bus & veteranis dederat, confirmauit. Suscipere se
etiam imperium à senatu dixit, quod iam sponte
inierat. Quæstionem maiestatis penitus tulit cum
iureiurandu. Reuocauit etiam eos qui deportati
fuerant crimine maiestatis, eorum memoria resti-
tuta qui occisi fuerant. Filium eius Pertinacem se-
natus Cæsarem appellauit. Sed Pertinax nec vxo-
ris augustæ appellationem recepit, & de filio di-
xit, *Quum meruerit*. Et quum Commodus alle-
ctionibus innumeris prætorios miscuisset, sena-
tusconsultum Pertinax fecit, iussitque eos qui
præturas non gessissent, sed allectione accepissent,
post eos esse qui verè prætores fuissent. Sed hinc
quoque grande odium sibi multorum commouit.
Census retractari iussit: delatores vinctos grauiter
puniri iussit, & tamen mollius quàm priores Im-
peratores vnicuiq; dignitati, si delationis crimen
incurreret, pœnam statuens. Legem sanè tulit
vt testamenta priora non prius essent irrita quam
alia perfecta essent: néve ob hoc fiscus aliquando
succederet. Ipséque professus est nullius se aditu-
rum hereditatem, quæ aut adulatione alicuius de-
lata esset, aut lite perplexa, vt legitimi heredes &
necessarij priuarentur: addiditque senatusconsulto
hæc verba: *Sanctius est P.C. inopem remp. obtinere,
quam ad diuitiarum cumulum per discriminum at-
que dedecorum vestigia peruenire*. Donatiua & con-
giaria quæ Commodus promiserat, soluit. Anno-
næ consultissimè prouidit. Et quum tantam pecu-
niam ærarij haberet, vt præter decies HS non se
inuenisse fateretur, coactus est ea exigere quæ Cõ-
modus indixerat, contra quam professus fuerat.
Denique aggressus eum Lollianus Gentianus con-
sularis, quod contra promissum faceret, necessita-
tis rationem accepit. Auctionem rerum Commo-
di habuit: ita vt & pueros & cõcubinas vẽdi iube-
ret, exceptis iis qui per vim palatio videbantur in-
serti. Et de his quos vendi iussit, multi postea re-
ducti ad ministerium, oblectauerunt senem; qui
per alios principes vsque ad senatoriam dignita-
tem peruenerunt. Scurras turpissimorum nomi-
num dedecora præferentes, proscripsit ac vendi-
dit. Cuius nundinationis pecuniam, quæ ingens
fuit, militibus donatiuo dedit. A libertis etiam ea
exegit quibus Commodo vendente ditati fuerant.
Auctio saoè rerum Commodi in his insignior

A fuit: Vestis subtegmine serico, aureis filis insi-
gnior, per tunicas pænulásque, lacernas & chiri-
dotas Dalmatarum & cirratas militares, purpu-
reásque chlamydes Græcanicas atque castrenses:
& cuculli Bardaici. Et toga armáque gladiatoria
gemmis auróque composita: & machæras Hercu-
laneas, & torques gladiatorias: vasáque eluto au-
ro, ebore, argento, citróque composita: atque et-
iam phallouitroboli ex materie eadem: & vasa Sa-
B mnitica, calfactandæ resinæ ac pici deuellendis
hominibus ac leuigandis: necnon vehicula arte
fabricæ noua, perplexis diuersisque rotarum or-
bibus & exquisitis sedibus, nunc ad solem decli-
nandum, nunc ad spiritus opportunitatem per
vertiginem: & alia iter metientia horásque mon-
strantia, & cetera vitiis eius conuenientia. Reddi-
dit præterea dominis eos qui se ex priuatis domi-
bus in aulam contulerant. Conuiuium imperato-
rium ex immenso ad certum reuocauit modum:
C sumptus etiam omnes Commodi reddidit. Exem-
plo autem Imperatoris quum ille parciùs se age-
ret, ex omnium continentia vilitas nata est. Nam
imperatorium sumptum, pulsis non necessariis, ad
soliti dimidiũ dextaxit. Præmia militantib. posuit.
Æs alienũ, quod primo imperij tẽpore cõtraxerat,
soluit. AErarium in suum statũ restituit. Ad opera
publica certum sumptum constituit. Reforman-
dis suis pecuniam contulit: stipendia plurimis re-
tro debita exsoluit. Obeundis postremo cunctis
D muneribus fiscum parem fecit. Alimentaria etiam
compendia, quæ nouem annorum ex instituto
Traiani debebantur, obdurata verecundia sustu-
lit. Auaritiæ suspicione priuatus non caruit, quũ
apud vada Sabatia oppressis fœnore possessoribus,
latius suos teneret fines. Denique ex versũ Luci-
liano *agrarius mergus* est appellatus. Multi autem
eum etiam in prouinciis quas consularis gessit,
sordidè se egisse in literas retulere. Nã vacationes
& legationes militares dicitur vendidisse. Deniq;
quũ parentum minimum esset patrimonium, &
E nulla hereditas obuenisset, subito diues est factus.
Omnibus sanè possessiones suas reddidit quibus
Commodus ademerat: sed non sine pretio. Sena-
tui legitimo semper interfuit, ac semper aliquid
retulit. Ciuilem se salutãtibus & interpellantibus
semper exhibuit. Eos qui calumniis appetiti per
seruos fuerant, damnatis seruis delatoribus libe-
rauit, in crucem sublatis talibus seruis: aliquos et-
iam mortuos vindicauit. Insidias parauit ei Falco,
F volens imperare: de quo conquestus est in senatu:
quod quidem senatus credidit. Dum sibi quidam
seruus, quasi Fabiæ esset filius ex Ceionij Com-
modi familia, palatinam domum ridiculè vindi-
casset, cognitus, iussus est flagellis cæsus domino
restitui. In cuius vindicta hi qui oderant Pertina-
cem, occasionem seditionis inuenisse dicuntur.
Falconi tamen pepercit, & à senatu impunitatem
eius petiit. Denique Falco in rebus suis securus
vixit, & herede filio periit: quamuis multi Falco-
nem nescisse dixerint imperium sibi parari. Alij
G etiam à seruis qui rationes interuerterãt, falsis te-
stimoniis appetitum eum esse dixerunt. Sed Perti-
naci factio præparata est per Lætum præf. præt. &
eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Læ-
tum enim pœnituerat quod Imperatorem fece-
rat Pertinacem, idcirco quia eum velut stultum
intimatorem nonnullarum rerum reprehende-
bat. Graue præterea militibus visum, quod in cau-
sa Falconis multos milites ad vnius serui test-

monium occidi præceperat. Trecenti igitur de castris armati ad imperatorias ædes cuneo facto milites venere. Eadem tamen die immolante Pertinace negatur in hostia cor repertum: & quum id vellet procurare, caput extorum non deprehendit. Fuerunt quidem omnes milites in castris manebant, quum de castris ad obsequium principis conuenissent, & Pertinax eo die processionem quam ad Athenæum parauerat vt audiret poetam, ob sacrificij præsagium distulisset, hi qui ad obsequium venerant redire in castra cœperunt. Sed subito globus ille in palatium peruenit: neque aut arceri potuit, aut imperatori nuntiari. Enimuero tantùm odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, vt ad facinus milites hortarentur. Superuenerunt autem Pertinaci, quum ille aulicum famulitium ordinaret; ingressique porticus palatij vsque ad locum qui appellatur *Sicilia & Iouis cœnatio*. Hoc cognito, Pertinax Lætum præf. præt. ad eos misit. Sed ille declinatis militibus per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Verum quum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit: eósque longa, & graui oratione placauit. Sed quum Tausius quidam, vnus è Tungris, in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atque a cæteris confossus est: & Electus quidem, confossis duobus, cum eodem periit: reliqui autem cubicularij palatini (nam suos statim vt Imperator factus est, filiis emancipatos dederat) diffugerunt. Multi sanè dicunt etiam cubiculum milites irrupisse, atque illic circa lectum fugientem Pertinacem occidisse. Fuit autem senex venerabilis, immissa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, statura imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blandus quam benignus, nec vnquam creditus simplex. Et quum verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac prope sordidus, vt dimidiatas lactucas & carduos in priuata vita conuiuis apponeret: & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, nouem libras carnis per tres missus ponebat. si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat, quum semper ad conuiuium multos vocaret. Imperator etiam, si sine conuiuis esset, eadem consuetudine cœnitabat. Amicis si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos. Fasianum numquam priuato conuiuio comedit aut alicui misit. Quum sine amicis cœnaret, adhibebat vxorem suam & Valerianum: vt cum eodem qui docuerat, fabulas litteratas haberet. Sanè nullum ex iis quos Commodus rebus agendis imposuerat mutauit: exspectans vrbis natalem, quod cum diem, rerum principium vnlebat: idcirco etiam in balneis ei Commodiani ministri necem parasse dicuntur. Imperium & omnia imperialia sic horruit, vt sibi semper ostenderet displicere. denique non alium se quam fuerat videri volebat. Fuit in curia honorificentissimus: ita vt senatum fauentem adoraret, & quasi præfectus vrbi cum omnibus sermonem participaret. voluit etiam imperium deponere, atque ad priuatam vitam redire. Filios suos in palatio nutriri noluit. Tam parcus autem & tam

A lucri cupidus fuit, vt apud vada Sabatia mercaturas exercuerit Imperator per homines suos, non aliter quàm priuatus solebat. Nec multum tamen amatus est. Siquidem omnes qui liberè fabulas conferebant, malè Pertinaci loquebantur: chrestologum eum appellantes, qui bene loqueretur, & malè faceret. nam & ciues sui, qui ad eum confluxerant iam imperatorem, & nihil de eo meruerant, sic eum appellabant. Munera quoque lucri B libidine libenter accepit. Reliquit filium & filiam superstites. Habuit vxorem Flauij Sulpiciani filiam, quem præf. vrbi loco suo fecerat. Circa vxoris pudicitiam minus curiosus fuit, quum palàm citharœdum illa diligeret. Ipse præterea Cornificiam infamissimè dicitur dilexisse. Libertos aulicos vehementissimè compressit: vnde grande quoque odium contraxit. Signa interitus hæc fuerunt: Ipse ante triduum quam occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem cum gladio C infestantem. Et ea die qua occisus est, negabant in oculis eius pupulas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus, visas. Et quum apud Lares sacrificaret, carbones viuacissimi extincti sunt, quum inflammari soleant: & (vt supra dictum est) cor & caput in hostiis non est repertum. Stellæ etiam iuxta solem per diem visæ sunt clarissimæ ante dies quàm obiret. Et ipse omen de Iuliano successore dedisse dicitur. Nam quum ei Didius Iulianus fratris filium obtulisset, cui desponderat D filiam suam, adhortatus iuuenem ad patrui obseruationem, adiecit, *Obserua collegam & successorem meum*: nam ante Iulianus ei & in consulatu collega fuerat, & in proconsulatu successerat. Milites eum & aulici odio habuerunt: populus mortem eius indignissimè tulit, quia videbat omnia per eum antiquata posse restitui. Caput eius conto fixum, milites qui eum occiderant, per vrbem in castra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite, in sepulcro aui vxoris locatæ sunt. Et Iulia-E nus successor illius, corpus eius quanto potuit honore funeratus est, quum id in palatio reperisset: qui numquam eius vllam mentionem vel apud populum vel apud senatum publicè fecit: sed quum ipse quoque à militibus desertus iam esset, per senatum & populum Pertinax in deos relatus est. Sub Seuero autem Imperatore, quum senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Seuero funebri laudatione honoratus est. Ipse F autem Seuerus amore boni principis, à senatu Pertinacis nomen accepit. Filius Pertinacis patri flamen est factus: Marciani sodales, qui diui Marci sacra curabant, Heluiani sunt dicti propter Heluium Pertinacem. Circenses, & imperij natalis additi, (qui à Seuero postea sublati sunt) & Genitalij, qui manent. Natus autem Cal. Augustis, Vero & Bibulo coss. Interfectus est V. Kal. April. Falcone & Claro coss. Vixit annis LX. mensibus G VII. diebus XXVI. Imperauit mensibus II, diebus XXV. Congiarium dedit populo denarios centenos. Prætorianis promisit duodena millia nummûm: sed dedit sena. Quod exercitibus promissum est, datum non est: quia mors eumpræuenit. Horruisse autem illum imperium, epistola docet quæ vitæ illius à Mario Maximo apposita est: quã ego inseri, ob nimiam longitudinẽ nolui.



ÆLII SPARTIANI

DIDIVS IVLIANVS

AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

DIDIO Iuliano, qui post Pertinacem imperium adeptus est, proauus fuit Saluius Iulianus, bis consul, præfectus vrbi, & iurisconsultus: quod magis eum nobilem fecit. Mater Clara Æmilia: pater Petronius Didius Seuerus: fratres Didius Proculus, & Nummius Albinus: auunculus Saluius Iulianus: auus paternus, Insubris Mediolanensis; maternus, ex Adrumentina colonia. Educatus est apud Domitiam Lucillam, matrem Marci Imperatoris. Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci. Quæstor ante annum quam legitima ætas sinebat, designatus est. AEdilitatem suffragio Marci consequutus est. Prætor eiusdem suffragio fuit. Post præturam legioni præfuit in Germania vicesimæ secundæ primigeniæ. Inde Belgicam sanctè ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuariis auxiliis prouincialium: ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris. Cattos etiam debellauit. Inde Dalmatiam regendam accepit, eámque à confinibus hostibus vindicauit. Post, Germaniam inferiorem rexit. Post hoc curam alimentorum in Italia meruit. Tunc factus est reus per quemdam Seuerum clarissimum militem, coniurationis cum Saluio contra Commodum: sed à Commodo, quia multos iam senatores occiderat, & quidem nobiles ac potentes in caussis maiestatis, ne tristius grauaretur, Didius liberatus est, accusatore damnato. Absolutus, iterum ad regendam prouinciam missus est. Bithyniam deinde rexit: sed non ea fama qua ceteras. Fuit consul cum Pertinace, & in proconsulatu Africæ eidem successit, & semper ab eo collega est & successor appellatus: maximè eo die quum filiam suam Iulianus despondens affini suo, ad Pertinacem venisset, idque intimasset. dixitque debita reuerentia, *quia collega & successor meus est*. Statim enim mors Pertinacis sequuta est. Quo interfecto, quum Sulpicianus Imperator in castris appellari vellet, & Iulianus cum genero ad senatum venisset quem indictũ acceperat, quúmque clausas valuas inuenisset atque illic duos tribunos reperisset, P. Florianum & Vectium Aprum, cœperunt cohortari tribuni, vt locum arriperet: quibus quum diceret, iam alium Imperatorem appellatum, retinentes eum ad prætoria castra duxerunt. Sed posteaquam in castra ventum est, quum Sulpiciano præfecto vrbi, socero Pertinacis, concionante sibique imperium vindicante, Iulianum è muro ingentia pollicentem nullus admitteret, primum Iulianus monuit prætorianos ne eum facerent Imperatorem qui Pertinacem vindicaret: deinde scripsit in tabulis se Commodi memoriam restituturum: atq; ita & admissus est & Imperator appellatus, rogantibus prætorianis ne Sulpiciano aliquid noceret quod Imperator esse voluisset. Tunc Iulianus Flauium Genialem

A & Tullium Crispinum suffragio prætorianorum præfectos prætorij fecit; stipatúsque est caterua imperatoria per Maurentium, qui & antè se Sulpiciano coniunxerat. Sanè quum vicena quina millia militibus promisisset, tricena dedit. Inde habita concione militari, vespera in senatum venit, totúmque se senatui permisit: factóque senatusconsulto Imperator est appellatus, & tribunitiam potestatem, ius proconsulare, in patricias familias relatus, emeruit. B Vxor etiam Mallia Scantilla, & filia eius Didia Clara, Augustæ sunt appellatæ. Inde se ad palatium recepit, vxore ac filia illuc vocatis, trepidis & inuitis eò transeuntibus; quasi iam imminens exitium præsagirent. Præfectum vrbi Cornelium Repentinum, generum suum, fecit in locum Sulpiciani. Erat interea in odio populi Didius Iulianus, ob hoc quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi, Pertinacis auctoritate reparandam: habebatúrque ita, C quasi Iuliani consilio esset Pertinax interemptus. Etiam hi primum qui Iulianum odisse cœperant, disseminarunt, prima statim die Pertinacis cœna despecta, luxuriosum parasse conuiuium ostreis & altilibus & piscibus adornatum: quod falsum fuisse constat. Nam Iulianus tantæ parcimoniæ fuisse perhibetur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret. siquis ei fortè misisset: sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibúsque contentus, sine carne cœnauerit. D Deinde neque cœnauit priusquam sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob eius necem sumpsit: & primam noctem vigiliis continuauit, de tanta necessitate sollicitus. Vbi vero primum illuxit, senatum & equestrem ordinem in palatium venientem admisit: atque vnumquemque, vt erat ætas, vel patrem vel filium vel parentem affatus blandissimè est. Sed populus in rostris atque ante curiam, ingentibus eum conuitiis lacessebat, sperans deponi ab eo posse imperium quod milites dederant. E Lapidationem quoque fecere: descendenti cum militibus & senatu in curiam diras imprecati sunt: rem diuinam facienti ne litaret optarunt. Lapides etiam in eum iecerunt, quum Iulianus manu eos semper placare cuperet. Ingressus autem curiam, placidè & prudẽter verba fecit. Egit gratias quod esset adscitus, quod & ipse & vxor & filia eius Augustorum nomen acceperunt. Patris patriæ quoq; nomen recepit: argenteã statuã respuit. E senatu in Capitoliũ pergẽti populus F obstitit: sed ferro & vulneribus, & pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Iulianus, (vt fidem faceret) summotus atq; depulsus est: inde ad circẽse spectaculũ itum est. Sed occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminauit conuitia in Iulianum: Pescennium Nigrum, qui iam imperare dicebatur, ad vrbis præsidium vocauit. Hæc omnia Iulianus placidè tulit: totó-

que imperij sui tempore mitissimus fuit: populus autem in milites vehementissimè inuehebatur, qui ob pecuniam Pertinacem occidissent. Multa igitur quæ Commodus statuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum fauorem populi, restituit. De ipso Pertinace neque male neque bene quidquam egit: quod grauissimum plurimis visum est. Constitit propter metum militum de honore Pertinacis tacitum esse. Et Iulianus quidem neque Britannicos exercitus, neque Illyricos timebat: Nigrum vero, misso primipilario, occidi præceperat, timens præcipuè Syriacos exercitus. Ergo Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico cum exercitibus quibus præsidebant, à Iuliano desciuere. Sed quum ei nuntiatum esset Seuerum desciuisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad senatum venit: impetrauitque vt hostis Seuerus renuntiaretur: militibus etiam qui Seuerum sequuti fuerant, dies præstitutus, vltra quem si cum Seuero fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt præterea legati à senatu consulares ad milites, qui suaderent vt Seuerus repudiaretur, & is esset imperator quem senatus elegerat. Inter ceteros legatus est Vespronius Candidus, vetus consularis, olim militibus inuisus ob durum & sordidum imperium. Missus est successor Seuero Valerius Catulinus: quasi posset ei succedi qui militem iam sibi tenebat. Missus præterea Aquilius centurio, notus cædibus senatoriis, qui Seuerum occideret. Ipse autem Iulianus prætorianos in campum deduci iubet, muniri turres: sed milites desides & vrbana luxuria dissolutos, inuitissimos ad exercitium militare produxit, ita vt vicarios operis quod vnicuique præscribebatur, mercede conducerent. Et Seuerus quidem ad vrbem infesto agmine veniebat: sed Didius Iulianus nihil cum exercitu prætoriano proficiebat: quem quotidie populus & magis oderat & ridebat. Et Iulianus sperans Lætum fautorem Seueri, quum per eum Commodi manus euasisset, ingratus tanto beneficio, iussit eum occidi: iussit etiam Marciam interfici. Sed dum hæc egit Iulianus, Seuerus classem Rauennatem occupat: legati senatus qui Iuliano promiserant operam suam, ad Seuerum transierunt. Tullius Crispinus præfectus prætorio, contra Seuerum missus vt classem produceret, repulsus Romam rediit. Hæc quum Iulianus videret, senatum rogauit vt virgines Vestales & ceteri sacerdotes cum senatu obuiam exercitui Seueri prodirent, & prætentis infulis rogarent: inane contra barbaros milites præsidium parans. Hæc tamen agenti Iuliano Faustus Quintillus consularis augur contradixit, asserens, non debere imperare eum qui armis aduersario non posset resistere. cui multi senatores consenserunt. Quare iratus Didius, milites è castris petiit qui senatum ad obsequium cogerent, aut obtruncarent. Sed id consilium displicuit. Neque enim decebat vt quum senatus hostem Seuerum Iuliani caussa iudicasset, eumdem Iulianum pateretur infestum. Quare meliore consilio ad senatum venit, petiitque vt fieret senatusconsultum de participatione imperij. Quod statim factum est. Tunc omen quod sibi Iulianus quum imperium acciperet fecerat, omnibus venit in mentem. Nam quũ consul designatus, de eo sententiam dicens, ita

A pronuntiasset, *Didium Iulianum Imperatorem appellãdũ esse cẽseo*, Iulianus suggessit, *Adde & Seuerum*: quod cognomentum aui & proaui sibi Iulianus adsciuerat. Sunt tamen qui dicant nullũ fuisse Iuliani cõsilium de obtruncando senatu, quũ tãta in eum senatus contulisset. Post senatusconsultum statim Didius Iulianus vnum ex præfectis Tullium Crispinum misit. Ipse autem tertium fecit præfectũ Veturium Macrinum: ad quem Seuerus literas B miserat vt esset præfectus. Sed pacem simulatam esse tentatámque cædem Seueri Tullio Crispino præf. prætorij, & populus loquutus est, & Seuerus suspicatus. Denique hostem se Iuliano Seuerus esse maluit quam participem, consensu militum. Seuerus autem statim & ad plurimos Romam scripsit, & occultè misit edicta quæ proposita sunt. Fuit præterea in Iuliano hæc amentia, vt per magos pleraque faceret quibus putaret vel odium populi deleniri, vel militum arma compesci. Nam C & quasdam non conuenientes Romanis sacris hostias immolauerunt, & carmina profana incantauerunt, & ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. tuncque puer vidisse dicitur & aduentum Seueri, & Iuliani decessionẽ. Et Crispinus quidẽ quũ occurrisset præcursoribus Seueri, Iulio Læto auctore à Seuero interemptus est. Deiecta sunt etiam ea consulta è senatu. Iulianus conuocato senatu, quæsitisque sen- D tentiis quid facto opus esset, certi nihil comperit à senatu: sed postea sponte sua gladiatores Capuæ iussit armari per Lollianum Titianum: & Claudium Pompeianum è Tarracinensi ad participatum euocauit, quod & gener Imperatoris fuisset, & diu militibus præfuisset. Sed hoc ille recusauit, senem se & debilem luminib. respondens. Transierant & ex Vmbria milites ad Seuerum: & præmiserat quidem literas Seuerus, quibus iubebat interfectores Pertinacis seruari. Breui autem de- E sertus est ab omnibus Iulianus, & remansit in palatio cum vno de præfectis suis Geniali, & genero Repentino. Actum est denique vt Iuliano senatus auctoritate abrogaretur imperium: & abrogatum est, appellatúsque statim Seuerus Imperator, quum fingeretur quod veneno se absumpsisset Iulianus: missi tamen à senatu quorum cura per militem gregarium in palatio idem Iulianus occisus est, fidem Cæsaris implorans, hoc est Seueri. Filiam suam potitus imperio, dato patrimonio emanci- F pauerat; quod ei cum Augustæ nomine statim sublatum est. Corpus eius à Seuero vxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, & in proaui monumento translatum, miliario quinto, via Lauicana. Obiecta sanè sunt Iuliano hæc, quod gulosus fuisset, quod aleator, quod armis gladiatoriis exercitus esset, eáque omnia senex fecerit, quũ ante numquam adolescens his esset vitiis infamatus. Obiecta est etiam superbia, quum G ille etiam in imperio fuisset humillimus. Fuit autem contrà humanissimus ad conuiuia, benignissimus ad subscriptiones, moderatissimus ad libertatem. Vixit annis quinquaginta sex, mensibus quatuor: imperauit mensibus duobus, diebus quinque. Reprehensum in eo præcipue, quod eos quos regere auctoritate sua debuerat, regendæ reipub. sibi præsules ipse fecisset.

ÆLII SPARTIANI

SEVERVS IMPERATOR AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

INterfecto Didio Iuliano, Seuerus Africa oriū- A
dus imperium obtinuit:cui ciuitas Leptis, pater
Geta:maiores, equites Romani ante ciuitatem o-
mnibus datam:mater, Fuluia Pia:patrui, M. Agrip-
pa & Seuerus consulates: auus maternus, Macer;
paternus, Fuluius Pius fuere. Ipse natus est Erucio
Claro bis & Seuero coss. vi. Idus Apriles. In prima
pueritia, priusquam Latinis Græcisque litteris im-
bueretur, quibus eruditissimus fuit, nullum alium
inter pueros ludum nisi ad iudices exercuit, quū
ipse prælatis fascibus ac securibus, ordine puero-
rum circūstante, sederet ac iudicaret. Octauo de- B
cimo anno publice declamauit. Postea studiorum
causa Romam venit, latum clauum à diuo Marco
petiit, & accepit, fauente sibi Septimio Seuero affi-
ne suo, bis iam consulari. Quum Romam venisset,
hospitem nactus qui Adriani vitam imperatoriā
eadem hora legeret, sibi omen futuræ felicitatis ar-
ripuit. Habuit etiam aliud omen imperij: Quum
rogatus ad cœnam imperatoriam palliatus venis-
set, qui rogatus venire debuerat, togam præsidia-
riam ipsius Imperatoris accepit. Eadē nocte som-
niauit, lupæ se vberibus vt Remum inhærere vel C
Romulum: sedit & in sella imperatoria temere à
ministro posita, ignatus quod non liceret. Dor-
mienti etiam in stabulo serpens caput cinxit, &
sine noxa expergefactis & acclamantibus familia-
ribus abiit. Iuuentam plenam furorum, nonnum-
quam & criminū, habuit. Adulterij caussam dixit,
absolutúsque est à Iuliano proconsule; cui & in
proconsulatu successit, & in cōsulatu collega fuit,
& in imperio item successit. Quæsturam diligen-
ter egit: omnibus sortibus in actu natus militari. D
Post quæsturam sorte Bæticam accepit: atque inde
Africam petiit, vt mortuo patre rem domesticam
cōponeret. Sed dum in Africa est, pro Bætica Sar-
dinia ei attributa est, quod Bæticam Mauri popu-
labantur. Acta igitur quæstura Sardiniensi, lega-
tionem proconsulis Africæ accepit. In qua lega-
tione quum eum quidam municipum suorum Le-
ptitanus, præcedentibus fascibus, vt antiquum cō-
tubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus
eum sub elogio eiusdem præconis cecidit, *Legatū
P.R. homo plebeius temere amplecti noli.* Ex quo fa- E
ctum est vt in vehiculo etiam legati sederent, qui
antè pedibus ambulabant. Tunc in quadam ciui-
tate Africana quum sollicitus mathematicum cō-
suluisset, positaque hora, ingentia vidisset astrolo-
gus, dixit ei, *Tuam, non alienam pone genituram.*
cumque Seuerus iurasset suam esse, omnia ei di-
xit quæ postea facta sunt. Tribunatum plebis Mar
co Imperatore decernente promeruit; eumque se-
uerissime exercitatissimeque egit. Vxorem tunc
Marciam duxit, de qua tacuit in historia vitæ pri-
uatæ: cui postea in imperio statuas collocauit. Præ- F
tor designatus à Marco est non in candida, sed in
competitorum grege, anno ætatis xxxii. Tunc ad
Hispaniam missus somniauit primo, sibi dici vt
templum Tarraconense Augusti, quod iam labe-

batur, restitueret. deinde, ex altissimi montis verti-
ce, orbem terrarum Romamque despexit, conci-
nentibus prouinciis lyra, voce, vel tibia. Ludos ab-
sens edidit. Legioni IIII Scythicæ deinde præpo-
situs est circa Massiliam. Post hoc Athenas petiit
studiorum sacrorumque causa, & operum ac vetu-
statum. vbi quum iniurias quasdam ab Athenien-
sibus pertulisset, inimicus his factus, minuēdo eo-
rum priuilegia iam Imperator se vltus est. Deinde
Lugdunensem prouinciam legatus accepit. Quum
amissa vxore aliam vellet ducere, genituras spon-
sarum requirebat, ipse quoque matheseos peritis-
simus: & quum audisset esse in Syria quādam quæ
id genituræ haberet vt regi iungeretur, eamdem
vxorem petiit, Iuliam scilicet: & accepit interuen-
tu amicorum: ex qua statim pater factus est. A Gal
lis ob seueritatem & honorificentiam & abstinē-
tiam, tantum quantum nemo dilectus est. Deinde
Pannonias proconsulari imperio rexit. Post hoc
Siciliam proconsularem sorte meruit, suscepitque
Romæ alterum filium. In Sicilia, quasi de imperio
vel vates vel Chaldæos consuluisset, reus factus, a-
pud præfectos prætorio, quibus audiendus datus
fuerat, iam Commodo in odium veniente absolu-
tus est, calumniatore in crucem acto. Consulatum
cum Apuleio Rufino primum egit, Commodo se
inter plurimos designante. Post consulatum anno
ferme fuit otiosus: deinde Læto suffragante, exer-
citui Germanico præponitur. Proficiscens ad Ger-
manicos exercitus, hortos spatiosos comparauit,
quum antea ædes breuissimas Romæ habuisset, &
vnum fundum. In his hortis quum humi iacens
epularetur cum filiis parca cœna, pomaque appo-
sita maior filius, qui tunc quinquennis erat, con-
lusoribus puerulis manu largiore diuideret, pa-
terque illum reprehendens dixisset, *Parcius di-
uide: non enim regias opes possides*: quinquen-
nis puer respondit, *Sed possidebo.* In Germaniam
profectus, ita se in ea legatione egit, vt famam
nobilitatemque iam ante cumularet. Et hactē-
nus militarem priuatus egit. Dehinc à Germani-
cis legionibus, vbi auditum est Commodum oc-
cisum, Iulianum autem cum odio cunctorum im-
perare, multis hortantibus, repugnans Imperator
est appellatus apud Carnuntum Idibus Augustis:
qui etiam sestertia, quod nemo vmquam princi-
pum, militibus dedit. Deinde firmatis quas
post tergum relinquebat prouinciis, Romam iter
contendit, cedentibus sibi cunctis quacumque i-
ter fecit, quum iam Illyriciani exercitus & Galli-
cani, cogentibus ducibus, in eius verba iurassent.
excipiebatur enim ab omnibus quasi vltor Per-
tinacis. Per idem tempus auctore Iuliano Septi-
mius Seuerus à senatu hostis est appellatus, lega-
tis ad exercitum senatus verbis missis, qui iube-
rent vt ab eo milites senatu præcipiente discede-
rent. Et Seuerus quidē quū audisset senatus cōsen-
tiētis auctoritate missos legatos, primo pertimuit:
postea id egit, corruptis legatis, vt apud exercitum

pro se loquerentur, transirentque in eius partes. His compertis, Iulianus senatus consultum fecit fieri de participando imperio cum Seuero. Incertum vere id an dolo fecerit, quum iam ante misisset notos ducum interfectores quosdam qui Seuerum occiderent, ita vt ad Pescennium Nigrum interficiendum miserat: qui & ipse imperium contra eum susceperat, auctoribus Syriacis exercitibus. Verum Seuerus, cuitatis eorum manibus quos ad se interficiendum Iulianus miserat, missis ad prætorianos litteris, signum vel deserendi vel occidendi Iuliani dedit: statímque auditus est. Nã & Iulianus occisus est in palatio, & Seuerus Romam inuitatus. Ita, quod nulli vnquam contigit, nutu tantum Seuerus victor est factus; armatúsque Romam contendit. Occiso Iuliano, quum Seuerus in castris & tentoriis, quasi per hosticum veniens, adhuc maneret, centum senatores legatos ad eum senatus misit ad gratulandum rogandúmque: qui ei occurrerunt Interamne, armatúmque circumstantibus armatis salutarunt, excussi ne quid ferri haberent. Et postera die occurrente omni famulitio aulico, septuagenos vicenos aureos legatis dedit: eosdem præmisit, facta potestate siqui vellent remanere, ac secum Romam redire. Fecit etiam statim præfectum præt. Flauium Iuuenalem: quem etiam Iulianus tertium præfect. præt. sibi assumpserat. Interim Romæ ingens trepidatio militum ciuiúmque, quod armatus contra eos Seuerus veniret, qui se hostem iudicassent. His accessit quod comperit Pescennium Nigrum à Syriacis legionibus Imperatorem appellatum: cuius edicta & litteras ad populum vel senatum, intercepit per eos qui missi fuerant, ne vel proponerentur populo, vel legerentur in curia. Eodem tempore etiam de Clodio Albino sibi substituendo cogitauit; cui Cæsarianum decretum aut Commodianum videbatur imperium. Sed eos ipsos pertimescens de quibus recte iudicabat, Heraclitum ad obtinendas Britannias, Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit. Quum Romam Seuerus venisset, prætorianos cum subarmalibus inermes sibi iussit occurrere: eosdem sic ad tribunal vocauit, armatis vndique circumdatis. Ingressus deinde Romam, armatus cum armatis militibus Capitolium ascendit. Inde palatium eodem habitu perrexit, prælatis signis quæ prætorianis ademerat, supinis, non erectis. Tota deinde vrbe milites in templis, in porticibus, in ædibus palatinis quasi in stabulis manserunt: fuitque ingressus Seueri odiosus atque terribilis, quum milites inempta diriperent, vastationem vrbi minantes. Alia die armatis stipatus non solum militibus sed etiam amicis, in senatum venit. In curia reddidit rationem suscepti imperij: causatúsque est quod ad se occidendum Iulianus notos ducum cædibus misisset. Fieri etiam senatusconsultum coegit, ne liceret imperatori inconsulto senatu occidere senatorem. Sed quum in senatu esset, milites per seditionem dena millia poposcerunt à senatu, exemplo eorum qui Augustum Octauianum Romam deduxerant, tantúmque acceperant. Et quum eos voluisset cõprimere Seuerus, nec potuisset, tamen mitigatos addita liberalitate dimisit. Funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit; eúmque inter diuos sacrauit, addito flamine & sodalibus Heluianis, qui Marciani fuerant. Se quoque *Pertinacem* vocari iussit: quamuis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum. Dehinc æs alienum dissoluit. Filias suas dotatas, maritis Probo & Ætio dedit. Et quum Probo genero suo præfecturam vrbis obtulisset, ille recusauit, dixitque, minus sibi videri præfectum esse quam principis generum. Vtrumque autem generum statim consulem fecit, vtrumque ditauit. Alia die ad senatum venit, & amicos Iuliani incusatos, proscriptioni ac neci dedit. Causas plurimas audiuit. Accusatos à prouincialibus iudices, probatis rebus grauiter puniuit. Rei frumentariæ, quam minimam repererat, ita consuluit, vt excedens ipse vita, septem annorum canonem P.R. relinqueret. Ad Orientis statum confirmandum profectus est, nihil adhuc de Nigro palam dicens. Ad Africam tamen legiones misit, ne per Libyam & Ægyptum Niger Africam occuparet, ac P.R. penuria rei frumentariæ perurgeret. Domitium Dextrum in locum Bassi præf. vrbi reliquit; atque intra triginta dies quam Romam venerat, est profectus. Egressus ab vrbe, ad saxa rubra, seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum, ab exercitu passus est. Occurrit ei statim & Geta frater suus, quem prouinciam sibi creditam regere præcepit aliud sperantem. Nigri liberos ad se adductos, in eo habuit honore quo suos. Miserat sane legionem quæ Græciam Thraciamque præriperet, ne eas Pescennius occuparet: sed iam Byzantium Niger tenebat. Perinthum etiam Niger volens occupare, plurimos de exercitu interfecit: atque ideo hostis cum Æmiliano est appellatus: quumque Seuerum ad participatum vocaret, contemptus est. Promisit sane Nigro tutum exsilium, si vellet: Æmiliano autem non ignouit. Æmilianus dehinc victus in Hellesponto à Seueri ducibus, Cyzicum primum confugit, atque inde in aliam ciuitatem: in qua eorum iussu occisus est. Fusæ sunt item copiæ ab iisdem ducibus, etiam Nigri. His auditis, ad senatum Seuerus Pertinax, quasi confectis rebus, litteras misit. deinde conflixit cum Nigro, eumque apud Cyzicum interemit, capútque eius pilo circumtulit. Filios Nigri post hoc, quos suorum liberorum cultu habuerat, in exsilium cum matre misit. Litteras ad senatum de victoria dedit. Neque quemquam senatorum qui Nigri partium fuerant, præter vnum, supplicio affecit. Antiochẽsibus iratior fuit, quod & administrantem se in Oriente riserant, & Nigrum etiam victu iuuerant. denique multa his ademit. Neapolitanis etiam Palæstinensibus ius ciuitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit, præter ordinem senatorium, qui Nigrum fuerant sequuti. Multas etiam ciuitates eiusdem partis, iniuriis affecit & damnis. Eos senatores occidit qui cum Nigro militauerant ducum vel tribunorum nomine. Deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in ditionem redactis, nécnon etiam Adiabenis: qui quidem omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reuersus triumpho delato, appellatus est *Arabicus, Adiabenicus, Parthicus.* Sed triumphum respuit, ne videretur de ciuili triumphare victoria: recusauit & Parthicum nomen, ne Parthos lacesseret. Redeũti sane Romam, post bellum ciuile Nigri, aliud bellum ciuile Clodij Albini nuntiatum est, qui rebellauit in Gallia: quare postea occisi sunt filij Nigri cum matre. Albinum igitur statim hostem iudicauit, & eos qui ad illum mollius vel scri-

ſcripſerunt vel reſcripſeruut. Et quum iter con- A
tra Albinum , in itinere apud Viminatium filium
ſuum maiorem *Baſsianum* , appoſito *Aurelij Antonini* nomine., Cæſarem appellauit ; vt fratrem
ſuum Getam ab ſpe imperij , quam ille concepe-
rat,ſubmoueret. Et nomen quidem Antonini id-
circo filio appoſuit , quod ſomniauerat , Antoni-
num ſibi ſucceſſurum. Vnde Getam etiam quidam
Antoninum putant dictum , vt & ipſe ſuccederet
in imperio. Aliqui putant idcirco illum Antoni-
num appellatum , quod Seuerus ipſe in Marci fa- B
miliam tranſire voluerit. Et primo quidem ab
Albinianis Seueri duces victi ſunt. Tunc ſolli-
citus quum conſuleret à Pannoniacis auguribus,
comperit ſe victorem futurum, aduerſarium vero
nec in poteſtatem venturum , nec euaſurum , ſed
iuxta aquam eſſe periturum. Multi ſtatim amici
Albinum deſerentes venere ; multi duces capti
ſunt,in quos Seuerus animaduertit. Multis inte-
rim varie geſtis in Gallia, primo apud Tinurtium
contra Albinum feliciſſime pugnauit Seuerus.
quum quidem ingens periculum equi caſu adiit, C
ita vt mortuus ictu plumbeæ crederetur : ita vt a-
lius iam pene Imperator ab exercitu deligeretur.
Eo tempore lectis actis quæ de Clodio Celſino
laudando,qui Adrumetinus & affinis Albini erat,
facta ſunt,iratus ſenatui Seuerus , quaſi hoc Albi-
no ſenatus præſtitiſſet , Commodum inter diuos
referendum eſſe cenſuit,quaſi hoc genere ſe de ſe-
natu poſſet vlciſci:primuſque inter milites diuum
Commodum pronuntiauit;idque ad ſenatum ſcri
pſit addita oratione victoriæ. Senatorum deinde
qui in bello erant interempti , cadauera diſſipari D
iuſſit. Deinde Albini corpore allato, pene ſeminè-
cis caput abſcindi iuſſit, Romámque deferri;idque
litteris proſequutus eſt. Victus eſt Albinus die xi.
Calendas Martij. Reliquum autem cadauer eius
ante domum propriam exponi ac diuidi iuſſit. E-
quum præterea,ipſe reſidens, ſupra cadauer Albi-
ni egit;expaueſcentemque admonuit vt effrenatus
audacter proteretet. Addunt alij quod idem cada-
uer in Rhodanum abiici præcepit, ſimul etiam v-
xoris liberorúmque eius. Interfectis innumeris E
Albini partium viris , inter quos multi principes
ciuitatis,multæ fœminæ illuſtres fuerunt , omniũ
bona publicata ſunt , ærariumque auxerunt : tum
Hiſpanorum & Gallorum proceres multi occiſi
ſunt. Denique militibus tantum ſtipendiorum
quantum nemo principum,dedit. Filiis etiam ſuis
ex hac proſcriptione tantum reliquit quantum
nullus Imperatorum,quum magnam partem auri
per Gallias, per Hiſpanias , per Italiam Imperator
iam feciſſet : túmque primum priuatarum rerum F
procuratio conſtituta eſt. Multi ſane poſt Albi-
num , fidem ei ſeruantes , bello à Seuero ſuperati
ſunt. Eodem tempore etiam legio Arabica defe-
ciſſe ad Albinum nuntiata eſt. Vltus igitur graui-
ter Albinianam defectionem , interfectis pluri-
mis , genere quoque eius extincto iratus populo
& ſenatoribus Romam venit. Commodum in ſe-
natu & concione laudauit, deum appellauit, infa-
mibus diſplicuiſſet dixit:vt appareret eum aper- G
tiſſime furere. Poſt hoc de ſua clementia diſſeruit,
quum crudeliſſimus fuerit,& ſenatores infra ſcri-
ptos occiderit. Occidit autem ſine cauſæ dictione
hos nobiles , Mummium Secundinum, Aſellium
Claudianum,Claudium Rufum, Vitalium Victo-
rem , Papium Fauſtum, Æliũ Celſum, Iulium Ru-
fum, Lollium Profeſſum, Aruneulcium Cornelia-
num, Antoniũ Balbum, Poſthumium Seuerum,
Sergium Luſtralem, Fabium Paulinum, Nonium
Gracchum , Muſtium Fabianum , Caſperium A-
grippinum , Scionium Albinum , Claudium Sul-
picianum, Memmium Rufinum , Caſperium Æ-
milianum, Cocceium Verum , Erucium Clarum,
L. Stilonem, Clodium Rufum, Egnatuleium Ho-
noratum , Petronium Iuniorem , Peſcennios, Fe-
ſtum & Veratianum , & Aurelianum & Mate-
rianum,& Iulianum & Albinum : Cerellios, Ma-
crinum & Fauſtinianum & Iulianum : Herenniũ
Nepotem , Sulpicium Canum, Valerium Catuli-
num , Nouium Rufum , Claudium Arabianum,
Marcum Aſellionem. Horum igitur tantorum
ac tam illuſtrium virorum (nam multi in his con-
ſulares , multi prætorij , omnes certe ſummi
viri fuere) interfector , ab Afris vt deus habe-
tur. Ciocium Seuerum calumniatus eſt quod
ſe veneno appetiſſet;atque ita interfecit. Narciſ-
ſum deinde Commodi ſtrangulatorem leonibus
obiecit. Multos præterea obſcuri loci homines
interemit , præter eos quos ius prœlij abſumpſit.
Poſt hęc quum ſe vellet commendare hominibus
vehicularium munus à priuatis ad fiſcum tradu-
xit. Cæſarem deinde Baſſianum Antoninum à ſe-
natu appellari iuſſit, decretis imperatoriis inſigni-
bus. Rumore deinde belli Parthici extincto, pa-
tri, matri, auo, & vxori priori, per ſe ſtatuas collo-
cauit. Plautianum ex amiciſſimo, cognita eius vi-
ta , ita odio habuit vt & hoſtem publicum appel-
laret,& depoſitis ſtatuis eius per orbem terræ gra-
ui eum inſigniret iniuria , iratus præcipue quod
inter propinquorum & affinium Seueri ſimulacra
ſuam ſtatuam ille poſuiſſet. Palæſtinis pœnam re-
miſit quam ob cauſſam Nigri meruerant. Poſtea
iterum cum Plautiano in gratiam rediit; & veluti
ouans vrbem ingreſſus, Capitolium petiit: quam-
uis & ipſum procedenti tempore occiderit , Ge-
tæ minori filio togam virilem dedit ; maiori,
Plautiani filiam vxorem iunxit. Hi qui hoſtem
publicum Plautianum dixerant , deportati ſunt,
ITA *omnium rerum ſemper quaſi naturali lege mu-
tatio eſt.* Filios deinde conſules deſignauit. Getam
fratrem exulit. Profectus dehinc ad bellum Par-
thicum eſt, edito gladiatorio munere , & congia-
rio populo dato. Multos inter hæc cauſis vel veris
vel ſimulatis occidit. Damnabantur autem pleri-
que cur iocati eſſent, alij cur tacuiſſent, alij cur ple
raque figurata dixiſſent, vt eſſet *imperator vere no-
minis ſui, vere Pertinax, vere Seuerus.* Erat ſane in
ſermone vulgari, Parthicum bellum affectare Se-
ptimium Seuerum , gloriæ cupiditate, non aliqua
neceſſitate deductum. Traiecto denique exerci-
tu , à Brundiſio continuato itinere , venit in Sy-
riam, Parthoſque ſubmouit. Sed poſtea in Syriam
rediit , ita vt ſe pararet ac bellum Parthis infer-
ret. Inter hæc Peſcennianas reliquias Plautia-
no auctore perſequebatur , ita vt nonnullos
etiam ex amicis ſuis quaſi vitæ ſuæ inſidiatores
appeteret. Multos etiam, quaſi Chaldæos aut va-
tes de ſua ſalute conſuluiſſent , interemit : præci-
pue ſuſpectos vnumquemque idoneum imperio,
quum ipſe paruulos adhuc filios haberet ; idque
dici ab his vel crederet vel audiret qui ſibi augu-
rabantur imperium. Denique quum occiſi eſ-
ſent nonnulli , Seuerus ſe excuſabat : & poſt eo-
rum mortem negabat fieri ſe iuſſiſſe quod fa-

ctũ eſt: quod de Læto præcipue Marius Maximus A dicit. Quum ſoror ſua Leptitana ad eum veniſſet vix Latine loquens, ac de illa multum Imperator erubeſceret, dato filio eius lato clauo, atque ipſi multis muneribus, redire mulierem in patriã præcepit; & quidem cum filio qui breui vita defunctus eſt. Æſtate igitur iam exeunte, Parthiam ingreſſus, Cteſiphontem pulſo rege peruenit, & cepit hiemali prope tempore, (quod in illis regioni- B bus melius per hiemem bella tractantur) quũ herbarum radicibus milites viuerẽt, atque inde morbos ægritudineſque contraherent. quare quum obſiſtentibus Parthis, fluente quoque per inſuetudinem cibi aluo militum, longius ire non poſſet, tamẽ perſtitit, & oppidum cepit, & regem fugauit, & plurimos interemit, & Parthicum nomen meruit. Ob hoc etiam filium eius Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus iam fuerat, annum decimumtertium agentem, participem imperij C dixerunt milites. Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt: eumdem Antoninum, vt pleriquè in litteras tradunt, appellantes. Harum appellationum cauſſa donatiuum militibus largiſſimum dedit, conceſſa omni præda oppidi Parthici; quod milites quærebant. Inde in Syriam rediit victor; & Parthicum deferentibus ſibi patribus triũphum, idcirco recuſauit, quod conſiſtere in curru affectus articulari morbo non poſſet: filio ſane cõ- D ceſſit vt triumpharet: cui ſenatus Iudaicum triumphum decreuerat, idcirco quod & in Syria res bene geſtæ fuerant à Seuero. Deinde quum Antiochiam tranſiſſet, data virili toga filio maiori; ſecũ eum conſulem deſignauit, & ſtatim in Syria conſulatum inierunt. Poſt hoc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petit. In itinere Palæſtinis plurima iura fundauit. Iudæos fieri ſub graui pœna vetuit. Idem etiam de Chriſtianis ſan- E xit. Deinde Alexandrinis ius buleutarum dedit; qui ſine publico conſilio, ita vt ſub regibus, ante viuebant vno iudice contenti quem Cæſar dediſſet. Multa præterea his iura mutauit. Iucundam ſibi peregrinationem hanc propter religionem dei Serapidis, & propter nouitatem animalium vel locorum fuiſſe, Seuerus ipſe poſtea ſemper oſtendit. Nam & Memphin & Memnonem, & pyramides, & labyrinthum, diligenter inſpexit. Et quoniam longum eſt minora perſequi, huius ma- F gnifica illa; Quod victo & occiſo Iuliano, prætorianas cohortes exauctorauit: Pertinacem contra voluntatem militum in deos retulit: Saluij Iuliani decreta iuſſit aboleri: quod non obtinuit. Denique cognomentum Pertinacis non tam ex ſua voluntate quam ex morum parcimonia videtur habuiſſe. Nam & infinita multorũ cæde crudelior habitus; & quum quidam ex hoſtibus eidem ſe ſuppliciter obtuliſſet, dixiſſetque ille quid facturus G eſſet, non mollitus tã prudente dicto, interfici eũ iuſſit. Fuit præterea delendarum cupidus factionum: prope à nullo congreſſu niſi victor. Perſarũ regem Abagarum ſubegit. Arabas in deditionem accepit. Adiabenos in tributarios coëgit. Britanniam (quod maximum eius imperij decus eſt) muro per tranſuerſam inſulam ducto, vtrimque ad finem oceani muniuit: vnde etiam *Britannici* nomen accepit. Tripolim, vnde oriundus erat, contuſis bellicoſiſſimis gentibus, ſecuriſſimam reddidit: ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fœcundiſſimum agrum donauit. Idem cum implacabilis delictis fuit, tum ad eligendos induſtrios quoſque iudicij ſingularis. Philoſophiæ ac dicendi ſtudiis ſatis deditus; doctrinæ quoque nimis cupidus. Latronum vbique hoſtis; vitam ſuam priuatam publicámque ipſe compoſuit ad fidem, ſolum tamen vitium crudelitatis excuſans. De hoc ſenatus ita iudicauit, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quod & nimis crudelis, & nimis vtilis reipublicæ videretur. Domi tamen minus cautus, qui vxorem Iuliam famoſam adulteriis tenuit, etiam coniurationis conſciam. Idem quum pedibus æger bellum moraretur, idque milites auxie ferrent, eiuſque filium Baſſianum qui vna erat, Auguſtum feciſſent, tolli ſe atque in tribunal ferri iuſſit: adeſſe deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus id acciderat: ſiſti deinde filium qui Auguſti nomen acceperat, quumque animaduerti in omnes auctores facti, præter filium, iuberet, rogareturque omnibus ante tribunal proſtratis, caput manu contingens ait, *Tandem ſentitis caput imperare, non pedes*. Huius dictum eſt, quum eum ex humili per litteratum & militiæ officia ad imperium plurimis gradibus fortuna duxiſſet, *Omnia* (inquit) *fui, & nihil expedit.* Periit Eboraci in Britannia, ſubactis gentibus quæ Britanniæ videbantur infeſtæ, anno imperij decimooctauo, morbo grauiſſimo extinctus iam ſenex. Reliquit filios duos, Antoninum Baſſianum, & Getam; cui & ipſi in honorem Marci, Antonini nomen impoſuit. Illatus ſepulcro Marci Antonini; quem ex omnibus imperatoribus tantum coluit, vt & Commodum in diuos referret, & Antonini nomen omnibus deinceps quaſi Auguſti adſcribendum putaret. Ipſi à ſenatu, à gentilibus liberíſque eius funus ampliſſimum exhibitum fuit, atque inter diuos eſt relatus. Opera publica præcipuè eius extant, ſeptizonium & thermæ Seuerianæ. Eius denique etiam ianuæ in Tranſtiberina regione ad portam nominis ſui; quarum forma intercidens ſtatim vſum publicum inuidit. Iudicium de eo poſt mortem magnum omnium fuit, maxime quod diu nec à filiis eius boni aliquid reipublicæ venit: & poſtea inuadentibus multis remp. res Romana prædonibus direptui fuit. Hic tam exiguis veſtibus vſus eſt, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret: cibi parciſſimus, leguminis patrij auidus; vini aliquando cupidus, carnis frequenter ignarus. Ipſe decorus, ipſe ingens, promiſſa barba, cano capite & criſpo, vultu reuerendus, canorus voce, ſed Afrum quiddam vſque ad ſenectutem ſonans: ac multum poſt mortem amatus, vel inuidia depoſita, vel crudelitatis metu. Legiſſe me apud Ælium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini, Septimium Seuerum immoderatiſſime quum moreretur lætatum, quod duos Antoninos pari imperio reipubl. relinqueret, exemplo Pij, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios reipublicæ reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per ſe genitos, rectores Romanæ reipublicæ daret, Antoninum ſcilicet Baſſianum, quem ex priore matrimonio ſuſceperat; & Getam, quem de Iulia genuerat. Sed illum multum ſpes fefellit. Nam vnum, parricidium; alterum, ſui mores reipublicæ inuiderunt: ſanctúmque illud nomen in nullo diu bene manſit. Et reputanti mihi,

Dio-

Diocletiane Auguste, neminē prope magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierūt, aut tales habuerunt plerique vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Et vt ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod vtile posset esse reipubl. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam vero quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto, ceterisque aliis loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filiom habuit, quū illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? Falsus est etiam ipse Traianus in suo municipe ac nepote deligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, ne nobis Antonini Pius & Marcus numina reipublicæ occurrāt, veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuisset, si Commodum non reliquisset heredem? Quid Seuero Septimio, si Bassianum non genuisset? qui statim insimulatum fratrem insidiarū contra se cogitatarum, parricidiali etiam figmēto interemit: qui nouercam, matrem quinimmo, in cuius sinu Getam filium eius occiderat, vxorem duxit: qui Papinianum iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quod parricidium excusare noluisset, occidit; & præfectum quidem suum; ne homini per se & per scientiam suam magno deesset & dignitas. Denique, vt alia omittam, ex huius moribus factum puto vt Seuerus tristior vir ad omnia, immo etiam crudelior, pius & dignus deorum altaribus duceretur. qui quidem diuinam Sallustij orationem qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingrauatus morbo, misisse filio dicitur maiori, idque frustra, & hominem tantum valetudine. Vixit denique in odio populi diu Antoninus, nomenque illud venerabile diu, minus amatum est: quamuis & vestimenta populo dederit, (vnde *Caracallus* est dictus) & thermas magnificentissimas fecerit. Exstat sane Romæ Seueri porticus, gesta eius exprimens, à filio, quantum plurimi docent, structa. Signa mortis eius hæc fuerunt. Ipse somniauit quatuor aquilis & gemmato curru, præuolante nescio qua ingenti humana specie, ad cœlum se raptum; quumq; raperetur, octoginta & nouē numeros expliçuisse: vltra quot annos ne vnum quidē annū vixit: nam ad imperium senex venit) quumque positus esset in circulo ingenti æreo, diu solus & destitutus stetit. quum vereretur autem ne præceps rueret, à Ioue se vocatū vidit, atque inter Antoninos locatum. Die circensium, quum tres victoriæ more solito essent locatæ gypseæ cum palmis, media quæ ipsius nomine adscriptum orbem palmis tenebat, vento icta, de podio stās decidit, & humi constitit: eaque quę Getæ omine inscripta erat, corruit, & omnis

A comminuta est: illa vero quæ Bassiani titulum prę ferebat, amissa palma vento turbine vix constitit. Post murum apud vallum missum in Britannia, quum ad proximam mansionem rediret, non solum victor; sed etiam in æternum pace fundata, voluens animo quid ominis sibi occurreret, Æthiops quidā è numero militari, claræ inter scurras famæ, & celebratorum semper iocorum, cum corona è cupressu facta eidem occurrit. Quem
B quum ille iratus remoueri ab oculis præcepisset, & coloris eius tactus omine & coronæ, dixisse ille dicitur ioci causa, *Totum fudisti, totum vicisti; iam deus esto victor.* Et in ciuitatem veniens, quum rem diuinam vellet facere, primum ad Bellonæ templum ductus est errore aruspicis rustici; deinde hostiæ furuæ sunt applicitæ. Quod quum esset aspernatus, atque ad palatium se reciperet, negligentia ministrorum nigræ hostiæ vsque ad limen domus palatinæ Imperatorem secutæ sunt. Sunt
C per plurimas ciuitates opera eius insignia. Magnū vero illud in ciuitate eius, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instaurauit, nusquam prope suo nomine adscripto seruatis tamen vbique titulis conditorum. Moriens, septem annorum canonem, ita vt quotidiana septuagintaquinque millia modiorum expendi possent, reliquit: olei vero tantum, vt per quinquennium non solum vrbis vsibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret. Vltima verba eius
D dicuntur hæc fuisse; *Turbatam Rempubl. vbiq; accepi; pacatam etiam Britannis relinquo; senex & pedibus æger firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt; imbecillum, si mali.* Iussit deinde signum tribuno dari, *Laboremus*: quia Pertinax, quando in imperium adscitus est, signum dederat, *Militemus.* Fortunam deinde regiam, quæ comitari principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacratissimum simulacrum vtrique relinqueret filiorum. Sed quum videret se per
E vrgeri sub horam mortis, iussisse fertur vt alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Quod Bassianus prius contempsit quam faceret parricidium. Corpus eius à Britannia Romam vsque cum magna prouincialium reuerentia susceptum est: quamuis aliqui vrnulam auream tantum fuisse dicant, Seueri reliquias continentem, eamdemque Antoninorum sepulcro illatam, quum Septimius Seuerus Pertinax illic vbi vita functus est, esset incensus. Quum Se-
F ptizonium faceret, nihil aliud cogitauit quam vt ex Africa venientibus suum opus occurreret: & nisi absente eo per præfectum vrbis medium simulacrum eius esset locatum, aditum palatinis ædibus, id est regium atrium, ab ea parte facere voluisse perhibetur: quod etiam pōst Alexander quum vellet facere, ab aruspicibus dicitur esse prohibitus, quum hoc sciscitatus non litasset.

ÆLII SPARTIANI

PESCENNIVS NIGER, AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

RARVM atque difficile est vt quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in litteras: atque ideo vix omnia de his plene in monumentis atque annalibus habentur. Primum enim quæ magna sunt, in eorum honorem ab scriptoribus deprauantur; deinde alia supprimuntur: postremo non magna diligentia eorum generatio ac vita requiritur, quum satis sit audaciam eorum & bellum in quo victi fuerint, ac pœnam, proferre. PESCENNIVS ergo NIGER, vt alij tradunt, modicis parentibus; vt alij, nobilibus fuisse dicitur; patre Annio Fusco, matre Lampridia, auo curatore Aquini; ex qua familia originem ducebat: quod quidem dubium etiam nunc habetur. Hic eruditus mediocriter, moribus ferox, diuitiis immodicus, vita parcus, libidinis effrenatæ ad omne genus cupiditatum. Ordines diu duxit, multisque ducatibus peruenit vt exercitus Syriacos iussu Commodi regeret, suffragio maxime athlethæ qui Commodum strangulauit: vt omnia tunc fiebant. Is posteaquam comperit occisum Commodum, Iulianum Imperatorem appellatum, eumdemque iussu Seueri & senatus occisum, Albinum etiam in Gallia sumpsisse nomen Imperatoris, ab exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est Imperator; vt quidam dicunt, magis in Iuliani odium quam in æmulationem Seueri. Huic, ob detestationem Iuliani, primis Imperij diebus ita Romæ fautum est à senatoribus dumtaxat, qui & Seuerum oderant, vt inter lapidationes exsecrationesque omniũ, illi feliciter optaretur illũ Principem insuper, & illum Augustum populus acclamaret. Iulianum autem oderãt populares, quod Pertinacem milites occidissent, & illum Imperatorem aduersa populi voluntate appellassent. Denique ingentes ob hoc seditiones fuerunt. Ad occidendum autem Nigrum, primipilarem Iulianus miserat, stulte, ad eum qui haberet exercitus, & se tueri posset: perinde quasi qualislibet imperator à primipilario posset occidi. Eadem autem demẽtia etiam Seuero iam Principi Iulianus successorem miserat. Denique etiam Aquilium centurionem, notum cædibus ducem miserat; quasi imperator tãtus a centurione posset occidi. Par denique insania fuit quod cum Seuero ex interdicto de imperio egisse fertur, vt iure videretur ad principatum peruenisse. Et de Pescennio Nigro iudicium populi ex eo apparuit, quod quum ludos circenses Iulianus Romæ daret, & indiscrete subsellia circi maximi repleta essent, ingentique iniuria populus affectus esset per omnes vno consensu Pescennius Niger ad tutelam vrbis est expetitus, odio (vt diximus) Iuliani, & amore occisi Pertinacis: cui quidem Iulianus dixisse fertur, *Nec sibi neque Pescennio longum imperium deberi, sed Seuero, qui magis esset odio habendus à senatoribus, militibus, prouincialibus, popularibus*: quod probauit rei euentus. Et Pescennius quidem Seuero, eo tempore quo Lugdunensem prouinciã regebat, amicissimus fuit: nam ipse missus erat ad cõprehendendos desertores qui innumeri Gallias tunc vexabant. In quo officio quod se honeste gessit, iucũdissimum fuit Seuero; ita vt de eo ad Commodum Septimius referret, asserens necessarium reip. virum. Et re vera in re militari vehemens fuit. Numquam sub eo miles prouinciali lignum, oleum, operã extorsit. ipse à milite nihil accepit: quum tribunatus ageret, nihil accipi passus est. Nam & imperator tribunos duos quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit. Exstat epistola Seueri qua scribit ad Rogonium Celsum Gallias regentem: *Miserum est vt imitari eius disciplinam militarem non possimus, quem per bellum vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lauant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria: saltant, bibunt, cantant; & mensuris conuiuiorum vacant, quum sine mensura potent. Hæc, si vlla vena paternæ disciplinæ in nobis viueret, fierent? Emenda igitur primum tribunos, deinde militem: quem quamdiu timueris, tamdiu timeberis. Sed scias id de Nigro, militem timere non posse, nisi integri fuerint tribuni & duces militum.* Hæc de Pescennio Seuerus Augustus, adhuc milite. Marcus Antoninus ad Cornelium Balbum, *Pescennium mihi laudas: agnosco. nam & decessor tuus eum manu strenuum, vita grauem, & iam tum plusquam militem dixit. Itaque misi litteras recitandas ad signa, quibus eum trecentis Armeniis, & centum Sarmatis, & mille nostris præesse iussi. Tuum est ostendere hominem non ambitione (quod nostris non conuenit moribus) sed virtute venisse ad eum locum quem auus meus Adrianus, quem Traianus proauus, non nisi exploratissimus dabat.* De hoc eodem Commodus; *Pescennium fortem virum noui, & ei tribunatus iam duos dedi: ducatum mox dabo, vbi per senectutem Ælius Corduenus rempublicam recusauerit.* Hæc de eo iudicia omnium fuerunt. Sed & Seuerus ipse sępe dixit, ignoturum se Pescennio, nisi perseueraret. A Commodo denique Pescennius COS. declaratus, Seuero præpositus est: & quidem irato quod primipilaribus commendantibus, consulatum Niger mereretur. In vita sua Seuerus dicit, se, priusquam filij sui id ætatis haberent vt imperare possent, ægrotantem id in animo habuisse vt, siquid forte sibi accidisset, Niger Pescennius eidem & Clodius Albinus succederent; qui ambo Seuero grauissimi hostes exstiterant. Vnde apparet quod etiam Seueri de Pescennio iudicium fuerit. Si Seuero credimus, fuit gloriæ cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis; ætatis prouectę quum imperium inuasit: ex quo cupiditates eius incusat; perinde quasi Seuerus minor ad imperium venerit, qui annos suos contrahit, quum decem & octo annis imperarit, & octogesimonono perierit. Sane Seuerus Heraclitum ad obtinendam Bithyniam misit; Fuluium autem ad occupandos adultos Nigri filios: nec tamen in senatu quidquam de Nigro Seuerus dixit, quum iam audisset de eius imperio, ipse autẽ proficisceretur ad componendum Orientis statũ: tantum sane illud fecit proficiscens, vt legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet, & fame populum Romanum perurgeret. Et videbatur id facere posse per Libyam Ægyptumque vicinas Africæ, difficili licet itinere ac nauigatione. Et Pescennius quidem, veniente ad Orientem Seuero, Græciam, Thracias, Macedoniam, interfectis multis illustribus viris, tenebat, ad participatum imperij Seuerum vo-

canz

causa quo, causa eorum quos occiderat, cum Æmiliano hostis est appellatus: deinde à ducibus Seueri per Æmilianum pugnans victus est. Et quum illi tutum exsilium promitteret si ab armis recederet, persistens iterum pugnauit, & victus est, atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus; & sic ad Seuerum adductus, atque statim mortuus. Huius caput circumlatum pilo, Romam missum, filij occisi, necata vxor, patrimonium publicatum, familia omnis exstincta. Sed hæc omnia, postea quam de Albini rebellione cognitum est, facta sunt: nam prius & filios Nigri & matrem in exsilium miserat. Sed exarsit secundo ciuili bello, imo & iam tertio, & factus est durior. Tunc enim innumeros senatores interemit Seuerus, & ab aliis *Sylla Punici*, ab aliis Marij nomen accepit. Fuit statura Pescennius prolixa, forma decorus, capillo in verticem ad gratiam reflexo; vocis canoræ, ita vt in campo loquens, per mille passus audiretur, nisi ventus aduersaretur: oris verecundi & semper rubidi: ceruice adeo nigra, vt quemadmodum multi dicunt, ab ea *Nigri* nomen acceperit. Ceteræ corporis parte candidus & magis pinguis: vini auidus, cibi parcus, rei venereæ nisi ad creandos liberos prorsus ignarus. Denique etiam sacra quædam in Gallia quæ à castissimis decernuntur, consensu publico celebranda suscepit. Hunc in Commodianis hortis, in porticu curua, pictum de musiuo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit, vt & caput raderet, & Aoubim portaret, & omnes partes expleret. Fuit ergo miles optimus, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, consul insignis, vir domi forisque conspicuus, imperator infelix. vsui denique reipubl. sub Seuero homine tetrico esse potuisset, si cum eo esse voluisset. Sed deceptus est consiliis Seueri Aureliani, qui filias suas eius filiis despondens, persistere eum fecit in imperio. Hic tantæ fuit auctoritatis, vt ad Marcum primum, deinde ad Commodum scriberet, quum videret prouincias facili administrationum mutatione subuerti: Primum, vt nulli ante quinquennium succederetur prouinciæ præsidi, vel legato, vel proconsuli; quod prius depooerent potestatem quam scirent administrare: deinde, ne noui ad regendam remp. accederent, præter militares administrationes, intimauit vt assessores in quibus prouinciis assedissent, in his administrarent: quod postea Seuerus, & deinceps multi tenuerunt: vt probant Pauli & Vlpiani præfecturæ, qui Papiniano in consilio fuerunt: ac postea quum vnus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim præfecti facti sunt. Huius etiam illud fuit, Vt nemo assideret in sua prouincia, nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est oriundus vrbe. Addidit præterea consiliariis salaria; ne eos grauarent quibus assidebant; dicens, iudicem nec dare debere, nec accipere. Hic erga milites tanta fuit censura, vt quum apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, responderit, *Nilum habetis, & vinum quæritis?* siquidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis qui à Sarracenis victi fuerant, & dicentibus, *Vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erubescite, inquit: illi qui vos vincunt, aquam bibunt.* Idem Palæstinis rogantibus vt eorum censitio leuaretur idcir-A eo quod esset grauata, respondit, *Vos terras vestras leuari censitione vultis: ego vero etiam aerem vestrum censere vellem.* Denique Delphici Apollinis vates in motu reip. maximo, quum nuntiaretur tres esse Imperatores, Seuerum Septimium, Pescennium Nigrum, Clodium Albinum, consultus quem expediret reip. imperare, versum Græcum huiusmodi fudisse dicitur; *Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.* Ex quo intellectum; *Fuscum* Nigrum appellatum vaticinatio-B ne: Seuerum, *Afrum*: *Album* vero, Albinum dictum. Nec defuit alia curiositas. requisitum est qui esset obtenturus rempubl. Ad quod ille respondit alium versum talem; *Fundetur sanguis Albi, Nigrique minantis: Imperium mundi Pœna reget vrbe profectus.* Item quum quæsitum esset quis illi successurus esset, respondisse itidem Græco versu dicitur; *Cui dederint superi, nomen habere Pij.* Quod omnino intellectum non est nisi quum Bassianus Antonini, quod verum signum Pij fuit, C nomen accepit. Item quum quæreretur quamdiu imperaturus esset, respondisse Græcè dicitur: *Bis denis Italum conscendet nauibus æquor: Si tamen vna ratis transilijet pelagus.* Ex quo intellectũ, Seuerum viginti annos expleturũ. Hæc sunt, Diocletiane maxime Augustorũ, quæ de Pescennio didicimus ex pluribus libris. Nõ enim facile (vt in principio libri diximus) quisquam vitas eorum mittit in libros, qui aut principes in rep. nõ fuerunt, aut à senatu appellati non sunt Imperatores; aut occisi D citius, ad famã venire nequiuerunt. Inde, quod latet Vindex, quod Piso nescitur: quod omnes illi qui aut tantum adoptati sunt, aut à militibus Imperatores appellati, vt sub Domitiano Antonius: aut citò interempti, vitam cũ imperij vsurpatione posuerunt. Sequitur nunc vt de CLODIO ALBINO dicã; qui quasi socius huius habetur, quod & pariter contra Seuerũ rebellauerũt, & ab eodem victi atque occisi sunt. De quo ipso neq; satis clara ex-E stant: quia eadem fortuna illius fuit quæ Pescennij, etiamsi vita satis dispar. Ac ne quid ex iis quæ ad Pescenniũ pertinẽt, præterisse videamur, (licet aliis libris cognusci possint) de hoc, Seuero Septimio vates dixerũt. quod neque viuus neque mortuus in potestatem Seueri venturus esset, sed iuxta aquas illi pereundum esset: quod quidam dicunt ipsum Seuerum de mathesi quam callebat, dixisse. Nec abfuit responsis veritas, quum ille inuentus F sit iuxta paludem semiuiuus. Hic tantæ fuit seueritatis, vt quum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, iusserit omne argentum submoueri de vsu expeditionali: addito eo vt ligneis vasis vterentur: quod quidẽ illi odiũ militare concitauit. Dicebat enim posse fieri vt sarcinæ militares in potestatem hostium venirent: ne se barbaræ nationes argento nostro glo-G riosiores facerent: quum alia minus apta hosticam viderentur ad gloriam. Idem iussit vinũ in expeditione neminem bibere: sed aceto vniuersos esse contentos. Idem pistores sequi expeditionem prohibuit: bucellato iubens milites & omnes contentos esse. Idem ob vnius gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab vno comederant, securi percuti iussit: & fecisset, nisi ab omni exercitu prope vsque ad metum seditionis esset rogatus: & quum pepercisset, iussit vt denorum gallinaceorum pretia prouinciali redderent decem qui simul furto conuixerant: addito eo vt tota in expeditione in communipulatione

nemo focum faceret, ne vmquam recens coctum cibum sumerent, sed pane ac frigidis vescerentur, appositis speculatoribus qui id curarent. Idem iussit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prœlia quod dederant; addens, liberis eorum & vxoribus & heredibus certe reddendum qui venissent: ne ad hostes aliquid prædæ perueniret, si quid forte aduersi fortuna fecisset. Sed hæc omnia, vt se habuerat Commodi temporum dissolutio, aduersa eidem fuere. Denique etsi nemo fuit qui suis temporibus dux seuerior videretur, ad perniciem illi magis ista fuere quam mortuo vbi & inuidia & odium deposita erant, talia exempla valuerunt. Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumpsit ante papilionem: nec sibi vmquam vel contra solem, vel contra imbres quæsiuit tecti suffragium: similes non habuit. Tantum denique belli tempore, ratione militibus demonstrata, sibi & seruis suis vel contubernalibus portauit, quantum à militibus ferebatur: quum seruos suos annona oneraret, ne illi securi ambularent, & onusti milites; idque ab exercitu cum suspirio videretur. Idem in concione iurauit, se, quamdiu in expeditionibus fuisset essetque adhuc futurus, non aliter esse acturum se quam militem; Marium ante oculos habentem & duces tales. nec alias fabulas vmquã habuit nisi de Annibale, ceterisque talibus. Denique quũ Imperatori facto quidã panegyricum recitare vellet, dixit ei: *Scribe laudes Marij vel Annibalis vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit; vt eum nos imite-* A *mur. Nam viuentes laudare, irrisio est, maximè imperatores: à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, qui proscribere: se autem viuũ placere velle, mortuũ etiã laudari.* Amauit de principibus Augustum, Vespasianum, Titum, Traianum, Pium, Marcum: reliquos fœmineos vel venenatos vocans: maxime tamen in historiis Marium & Camillum & Q. Marcium Coriolanum dilexit. Interrogatus autem quid de Scipionibus sentiret, dixisse fertur, Felices illos fuisse B magis quam fortes: idque probare domesticam vitam & iuuentutẽ: quæ in vtroque nimis speciosa domi fuisse apud omnes constat. Quod si rerum potitus fuisset, omnia correcturus fuerat quæ Seuerus vel non potuit emendare, vel noluit, & quidem sine crudelitate, imo etiam cum lenitate, sed militari, non remissa & inepta atque ridicula. Domus eius hodie Romę visitur in campo Iouis, quę appellatur *Pescenniana*: in qua simulacrum eius in C trichoro cõstituit, statim post annũ ex Thebaico marmore; quod ille ad similitudinem sui factum à rege Thebæorum acceperat. Exstat etiã epigramma Græcum, quod Latine hanc habet sententiam: *Terror Aegyptiaci Niger astat militis ingens, Thebaidos socius, aurea secla volens. Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma: Hic Antoninis carus, & imperio. Nigrum nomen habet, Nigrum formauimus ipsi; Vt consentirent forma metalla tibi.* Quos quidem versus Seuerus eradi noluit, quum D hoc ei & præfecti suggererent, & officiorum magistri; addens, *Si talis fuit, sciant omnes qualẽ vicerimus: si talis non fuit, putet omnes nos talem vicisse: imo sic sit, quia fuit talis.*

IVLII CAPITOLINI

CLODIVS ALBINVS,

AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

VNo eodémque tempore post Pertinacem, qui auctore Albino interemptus est, Iulianus à senatu Romæ; Septimius Seuerus ab exercitu in Illyrico, Pescennius Niger in Oriente, Clodius Albinus in Gallia, Imperatores appellati sunt. Et Clodium quidem Herodianus dicit Seueri Cæsarem fuisse: sed quum alter alterum indignaretur imperare, nec Galli ferre possent aut Germani exercitus, (quod & ipsi suum specialem principem haberent) vndiq; cuncta turbata sunt. F Fuit autem CLODIVS ALBINVS familia nobili: Adrumetinus tamen, ex Africa. Quare sortem illam qua Seuerum laudatum in Pescennij vita diximus, ad se trahebat, nolens intelligi Pessimus Albinus: quod eodem versu continebatur quo & Seueri laus, & approbatio Nigri Pescennij. Sed priusquam vel de vita eius vel de morte dicetur, etiam hoc dicendum est quod eum nobilem fecit. Nam ad hunc eumdem quondam G Commodus, quum eum successorem Albino daret, litteras dederat, quibus iusserat vt Cæsar esset. Exemplũ indidi. *Imperator Commodus Clodio Albino. Alias ad te publice de successore atq; honore tuo misi: sed hanc familiarem & domesticam, omnem (vt vides) manu mea scriptam epistolã dirigo: qua ti-* E *bi do facultatem vt, si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Audio enim & Septimium Seuerum & Nonium Murcum male de me apud milites loqui: vt sibi parent stationis augustæ procurationem. Habebis præterea, quum id feceris, dandi stipendij vsque ad tres aureos liberam potestatem. quia & super hoc ad procuratores meos litteras misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ, & quum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant quum de ærario volueris imperare. Sane vt tibi insigne aliquod imperialis maiestatis accedat, habebis vtendi coccinei pallij facultatem me præsente, & ad me, & quum mecum fueris: habiturus & purpuram, sed sine auro: quia ita & proauus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano, qui eum adoptauit, accepit.* His litteris acceptis à Nonio, facere id quod iubebat, noluit, timens, odiosum Commodum propter mores suos, quibus rempubl. perdideat & se dedecorauerat, quandocumque feriendũ: ne ipse pariter occideretur. Exstat denique illius concio, quæ quum accepit imperium, & quidem Seueri (vt quidam) voluntate firmatum, huius rei memoriam facit. cuius hoc exemplum est: *Inuitum me commilitones ductum ad Imperium etiam illud probat, quod*

quod Commodum donantem mè Cæsariano nomine, contempsi: sed & vestræ voluntati & Seueri Augusti parendum est; quia credo sub homine optimo & viro forti posse bene remp. regi: noc negari potest. Marius Maximus dicit, hunc animum Seuero primum fuisse, vt si quid ei contigeret, Pescennium Nigrum & Clodium Albinum sibi substitueret. Sed postea & filiis iam maiusculis studens, & Albini amori inuidens, sententiam mutasse, atque illos vtrosque bello oppressisse, maxime precibus vxoris adductum. Denique Seuerus eum COS. designauit: quod vtique nisi de optimo viro non fecisset, homo in legendis magistratibus diligens. Sed vt ad eum redeam, fuit (vt dixi) Albinus Adrumetinus oriundus: sed nobilis apud suos, & originem à Romanis familiis trahens, Posthumiorum scilicet & Albinorum Ceioniorum. quæ familia hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est, & per te aucta & augenda: quæ per Galienum & Gordianos plurimum creuit. Hic tamen natus late modico, patrimonio pertenui, parentibus sanctis, patre Ceionio Posthumio, matre Aurelia Messallina, primus suis parentibus fuit: quum exceptus vtero, quod contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, *Albinus* est dictus. Quod verum esse, patris epistola ad Ælium Bassianum tunc proconsulem Africæ data, designat, affinem (quantum videtur) eorum ipsorum. Epistola Ceionij Posthumij ad Ælium Bassianum. *Filius mihi natus est VII. Cal. Decembr. ita candidus statim toto corpore, vt linteamen quo exceptus est, vinceret. Quare susceptum eum, Albinorum familiæ, quæ mihi tecum communis est, dedi,* ALBINI *nomine imposito. Fac vt remp. & te & nos, vt facis, diligas.* Hic ergo omnem pueritiam in Africa transegit, eruditus literis Græcis ac Latinis mediocriter, quod esset animi iam militaris & superbi. Fertur in scholis sæpissime cantasse inter puerulos; *Arma amens capio, nec sat rationis in armis:* repetens, *Arma amens capio.* Huic multa imperij signa, quum esset natus facta dicuntur. Nam & bos albus purporeis ad plenum colorem cornibus natus est: quod mirandum fuit: quæ tamen cornua in templo Apollinis Baiaoi ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur, quod, quum ille sortem de fato suo tolleret, his versibus eidem dicitur esse responsum; *Hic rem Romanam magno turbante tumultu, Sistet eques: sternet Pœnos Gallúmque rebellem.* Et in Gallia quidem cum multas gentes domuisse constat. Ipse autem suspicabatur de Seuero sibi prædictum *Sternet Pœnos,* quod Septimius Afer esset. Fuit & aliud signum futuri imperij. Nam quum Cæsariana familia hoc speciale habuerit vt paruuli domus eius in testudineis alueis lauarentur, nato infantulo testudo ingens patri eius munere piscatoris allata est: quod ille homo literatus omen accipiens, & testudinem libenter accepit, & eam curari iussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari: nobilitandum etiam hinc sperans. Quum rarum esset aquilas in his locis videri in quibus natus est Albinus, septima eius diei hora conuiuio quod celebritati pueri deputabatur, quum ei fierent nomina, septem aquilæ paruulæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad iocum circa cunas pueri constitutæ: nec hoc omen pater abnuit, qui iussit aquilas ali, & diligenter curari. Accessit omen, quod quum pueri eius familiæ russulis fasciolis illigarentur, quod forte lotæ atque vdæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans parauerat, purpurea matris illigatus est fascia: vnde illi ioco nutricis etiam *Porphyrij* nomē inditum est. Hæc atque alia signa imperij futuri fuere. quæ qui volet nosse, Ælium Cordum legat, qui friuola super huiusmodi ominibus cuncta persequitur. Adolescens igitur, statim se ad militiam cōtulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bæbium Metianum, & Ceionium Posthumianum suos affines, innotuit. Egit tribunus equites Dalmatas: egit & legionem quartanorum & primanorum: Bithynicos exercitus eo tempore quo Auidius rebellabat, fideliter tenuit, Deinde per Commodum ad Galliam translatus: in qua fusis Frisijs Transrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos & apud barbaros fecit. Quibus rebus accensus Commodus, Cæsarianum ei nomen obtulit, & dandi stipendij facultatem, & pallij coccini vtendi. Quibus omnibus ille prudenter abstinuit, dicens, Commodum quærere qui aut cum eo perirent, aut quos cum caussa ipse posset occidere. Quæsturæ gratia illi facta est: quæ concessa, ædilis non amplius quam decem diebus fuit, quod ad exercitum festinanter mitteretur. Deinde præturam egit sub Commodo famosissimam. Nam eiusdem ludis Commodus & in foro & in theatro pugnas exhibuisse perhibetur. COS. à Seuero declaratus est eo tempore quo Albinum sibi cum Pescennio parauerat subrogare. Ad imperium venit natu iam grandior, & maior Pescēnio Nigro: vt Seuerus ipse in vita sua testatur. Sed victo Pescennio, quum & filiis suis imperium seruare cuperet, & voluntatem senatus maiorem circa Clodium Albinum videret, quod esset vir antiquæ familiæ, literas ad eum per quosdam summi honoris ac summæ affectionis misit: quibus hortabatur, vt quoniam occisus esset Pescennius Niger, ipse cum eo fideliter remp. regeret. Quarum exemplum hoc esse Cordus ostendit: *Imperator Seuerus Augustus Clodio Albino Cæsari, fratri amantissimo & desideratissimo salutem. Victo Pescennio, literas Romam dedimus, quas senatus tui amantissimus libenter accepit. Te quæso, vt eo animo Remp. regas quo delectus es frater animi mei, frater imperij. Bassianus & Geta te salutant. Iulia nostra & te & sororem salutat. Infantulo tuo Pescennio Princo munera digna suo loco tuóque mittemus. Tu velim exercitus reipub. ac nobis retentes mi vnanime, mi carissime, mi amantissime.* Et has quidem literas missis stipatoribus fidelissimis dedit: quibus præcepit vt epistolam publicè darent, postea vero dicerent se velle pleraque occultè suggerere quæ ad res bellicas pertinerent, & ad secreta castrorum atque aulicam fidem: vbi vero in secretum venissent, quasi mandata dicturi, quinque validissimi eum interimerent gladiolis intra vestem latentibus. Nec illorum quidem fides defuit. Nam quum ad Albinum venissent, & epistolam dedissent; qua lecta, quum dicerent quædam secretius suggerenda, & locum semotum ab omnibus arbitris postularent, & quum omnino neminem paterentur ad porticum longissimam cum Albino progredi, ea specie ne mandata proderentur: Albinus intellexit insidias. Denique indulgens suspicionibus, eos tormentis dedit. qui diu primo pernegarunt: sed postea victi necessitate, confessi sunt ea, quæ Seuerus iisdem præceperat. Tunc iam proditis rebus & apertis insidiis, ea quæ suspicabatur Albinus clara esse intelligens, exercitu ingenti collecto, contra

Seuernm atque eius duces venit. Et primo quidem conflictu habito contra duces Seueri, potior fuit: post autem Seuerus ipse quum id egisset apud senatum vt hostis iudicaretur Albinus, contra eum profectus, acerrimè fortissiméque pugnauit in Gallia oon sine varietate fortunæ. Denique quum sollicitus augures consuleret, responsum illi est (vt dicit Marius Maximus) venturum quidem in potestatem eius Albinum, sed non viuum nec mortuum: quod & factum est. Nam quum vltimum prœlium commissum esset, inoumeris suorum cęsis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit: &, vt multi dicunt, se ipse percussit: vt alij, à seruo suo percussus, semiuiuus ad Seuerum deductus est. vnde confirmatum est augurium quod fuerat ante prædictum. Multi præterea dicunt, à militibus: cuius nece à Seuero gratiam requirebant. Fuit Albino vnus (vt aliqui dicunt) filius: Maximus dicit duos. quibus primum veniam dedit, postea vero eos cúm matre percussit, & in profluenté abiici iussit. Caput eius excisũ pilo circũtulit, Romámq; misit literis ad senatũ datis, quibus insultabat quod Albinum tantopere dilexissent vt eius affines, & fratrem præcipuè ingenti honore cumularent. Iacuisse ante prætorium Seueri, Albini corpus per dies plurimos dicitur vsque ad fœtorem, laniatúmque à canibus in profluentem abiectum esse. De moribus eius varia dicuntur. Et Seuerus quidem ipse hæc de eodem loquitur, vt eum dicat turpem, malitiosum, improbum, inhonestum, cupidum, luxuriosum. sed hæc belli tempore vel post bellum: quando ei iam velut de hoste credi non poterat: quum & ipse ad eum quasi ad amicissimum frequentes miserit literas, & multi de Albino bene senserint, & Seuerus ipse Cæsarem suum eumdem appellari voluerit; & quum de successore cogitaret, hunc primum habuerit ante oculos. Exstant præterea Marci epistolæ de hoc eodem, quæ testimonium & virtutum eius ferant, & morum: quarum vnam inserere ad præfectos datam super eius nomioe, absurdum non fuit. *M. Aurelius Antoninus præfectis suis salutem. Albino ex familia Ceioniorũ, Afro quidem homini, sed non multa ex Afris habenti, Plautilli genero, duas cohortes alares regendas dedi. Est homo exercitatus, vita tristis, grauis moribus. puto eum rebus castrensibus profuturum: certè obfuturum non esse, satis noui. Huic salarium duplex decreui, vestem militarem simplicem: sed loci sui stipendium quadruplum. Huic vos adhortamini vt se reipubl. ostentet, habiturus præmium quod merebitur.* Est & alia epistola, qua idem Marcus Auidij Cassij temporibus de hoc eodem scripsit: cuius exemplum hoc est: *Laudanda est Albini constantia, qui grauiter deficientes exercitus tenuit, quum ad Auidium Cassium confugerent. & nisi hic fuisset, omnes defecissent. Habemus igitur virum dignum consulatu: quem sufficiam in locum Cassij Papirij, qui mihi exanimus prope iam nuntiatus est. Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad eius affectus perueniat; nósque videamur in locum viuentis cos. subrogasse.* Et istæ igitor epistolæ testantur, Albinum virum vtilem fuisse. Indicat & illud præcipuè quod ad eas ciuitates instaurandas quas Niger attriuerat pecuniam misit; quo faciliùs sibi earum accolas conciliaret. Gulosum eum Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit: & ita quidem, vt pomorum tantum hauserit quantum ratio humana non pati-

A tur. Nam & quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, ieiunum comedisse dicit, & centum persica Campana, & melones Ostienses decem, & vuarum Lauicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. Vini sanè parcum fuisse dicit: quod Seuerus negat, qui eum asserit ebrium etiam in bello fuisse. Cum suis etiam numquam cœnauit, vel propter vinolentiam, (vt dicit Seuerus) vel propter morum acri-B moniam. Vxori odiosissimus fuit, seruis iniustus, atrox circa militem. Nam sæpe & ordinarios centuriones, vbi caussæ qualitas non postulabat, in crucem sustulit. Verberauit certè virgis sæpissimè: neque vmquam delictis pepercit. In vestitu nitidissimus fuit, in conuiuio sordidissimus, & soli studens copiæ: mulierarius inter primos amatores, auersæ veneris semper ignarus, & talium persequutor: agri colendi peritissimus: ita vt etiam Georgica conscripserit. Milesias nonnulli eius-C dem esse dicunt: quarum fama non ignobilis habetur, quamuis mediocriter scriptæ sint. A senatu tantum amatus est quantum nemo principum, in odium speciatim Seueri, quem vehementer ob crudelitatem oderant senatores. Denique victo eo plurimi senatores à Seuero interfecti sunt, qui eius partium vel verè fuerant, vel esse videbantur. Denique quum apud Lugdunum eumdem interfecisset, statim literas inquiri iussit; ita vt inueniret vel ad quos ipse scripsisset, vel qui ad eum re-D scripsissent: omnésque illos quorum epistolas reperit, hostes iudicari à senatu fecit: nec his pepercit: sed & ipsos interemit, & bona eorum proposuit, atque in ærarium publicum retulit. Exstat epistola Seueri, quæ ostendit animum suum, missa ad senatum; cuius hoc exemplum est: *Nihil mihi gratius potest euenire* P. C. *quam vt vestrum iudicium Albinus haberet potius quam Seuerus. Ego frumenta reipubl. detuli: ego multa bella pro republica gessi; ego populo Romano tantum olei detuli* E *quantum rerum natura vix habuit. ego interfecto Pescennio Nigro, vos à malis tyrannicis liberaui. Magnam sane mihi reddidistis vicem: magnam gratiam. Vnum ex Afris, & quidem Adrumetinis, fingentem quod de Ceionorum stemmate sanguinem duceret, vsque adeo extulistis vt eum principem habere velitis, me principe, saluis liberis meis. Defuitne quæso tanto senatui quem amare deberetis, qui vos amaret? Huius fratrem honoribus extulistis: ab hoc consulatus, ab hoc præturas, ab hoc sperastis cuiusuis* F *magistratus insignia. Non eam gratiam mihi redditis quam maiores vestri contra Pisonianam factionem: quam item pro Traiano, quàm nuper contra Auidium Cassium præstiterunt: fictum illum, & ad omnia mendaciorum genera paratum, qui nobilitatem quoque mentitus est, mihi præposuistis. Quinetiam audiendus in senatu fuit Statilius Corfulenus, qui honores Albino & eius fratri decernendos ducebat: cui hoc superfuit vt de me ille de-* G *cerneret homo nobilis ad triumphum. Maior fuit dolor quod illum pro literato laudandum plerique duxistis, quum ille næniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Apuleij sui, & ludicra literaria consenesceret.* Hinc apparet quanta seueritate factionem vel Pescennianam vel Clodianam vindicauerit. Quæ quidem omnia in vita eius posita sunt: quæ qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum, de Latinis scriptoribus: de Græcis, Herodianum: qui ad fidem pleraque dixerunt. Fuit statura procerus, capillo reno di & crispo,

crispo, frõte lata, candore mirabili:&,vt plerique A putat,ex eo nomen accepit.vocè muliebri,& prope ad eunuchorum sonum:motu facili, iracundia graui,furore tristissimo:in luxuria varius:nam sæpe appetens vini,frequenter abstinens. Armorum strenuus prorsus:vt non male *sui temporis Catilina* diceretur. Non ab re esse credimus, caussas ostendere quibus amorem senatus Clodius Albinus meruit. Quum Britannicos exercitus regeret iussu Commodi, atque illum interemptum adhuc B falso comperisset, quum sibi ab ipso Commodo Cæsarianum nomen esset delatum, processit ad milites,& hac concione vsus est: *Si senatus* P.R. *suum illud vetus haberet imperium, nec in vnius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios, neque ad Nerones,neque ad Domitianos publica fata venissent. in imperio consulari nostra illa gentes Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorum: de quibus patres vestri, qui & ipsi ab auis suis audierant, multa didicerunt.& certe Africam Romano imperio senatus adiunxit: Galliam senatus subegit, & Hispanias:* C *orientalibus populis senatus dedit leges. Parthos tentauit senatus: & subegisset,nisi tam auarum principem Romano exercitus fortuna reipublica tunc dedisset. Britannias Cæsar subegit, certe senator, nondũ tamen dictator. Hic ipse Commodus quanto melior fuisset,si timuisset senatum? Et vsque ad Neronem quidem senatus auctoritas valuit; qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, quum sen-* D *tentiæ in eum dictæ sint qui vitæ necisque potestatem atque imperium tunc tenebat. Quare,commilitones, ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit,nolo: dij faxint vt ne alij quidem velint. Senatus imperet, prouincias diuidat: senatus nos consules faciat: & quid dico senatus? vos ipsi, & patres vestri.eritis enim ipsi senatores.* Hæc concio, viuo adhuc Commodo, Romam delata est: quæ Commodum in Albinum exasperauit,statimque successorem misit Iunium Seuerum,vnum ex cõtubernalibus suis. Senatui autem tantum placuit, vt miris acclamationibus absentem eum ornaret, & viuo Commodo & deinceps interempto; ita vt nonnulli etiam Pertinaci auctores fuerint vt eum sibi socium adsciscerct, apud Iulianum de occidendo Pertinace ipsius plurimum auctoritas valuerit. Vt autem hoc verum intelligatur,epistolam Commodi ad præfectos præt. suos datam inserui; qua de occidendo Albino significauit suam mentem. *Aurelius Commodus Seuerus prefectis salutem. Audisse vos credo primum fictum esse quod ego meorum consilio interfectus essem: deinde concionem Clodij Albini apud milites meos habitam, qui se multum senatui commendat; idque, quantum videmus, non frustrà. Nam qui principem vnum in republica negat esse debere, quique asserit à senatu oportere totam rempublicam regi, is per senatum sibi petit imperium. Cauetè igitur diligẽtissime:iam enim hominem scitis,vobis,militibus,populoque vitãdum.* Has litteras quum Pertinax inuenisset, in Albini odium publicauit. Quare Albinus occidendi Pertinacis Iuliano auctor fuit.

ÆLII SPARTIANI

ANTONINVS CARACALLVS.

EX duobus liberis quos Septimius Seuerus reli- E quit, Getam & Bassianum, quorum vnum exercitus,alterum pater dixit,Geta hostis est iudicatus, Bassianum autem obtinuisse imperium cõstat:de cuius maioribus frustra putamus iterandum, quum omnia in Seueri vita satis dicta sint. Huius igitur pueritia blanda, ingeniosa, parentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta,grata Senatui;ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. Non ille in litteris tar- F dus,non in beneuolentiis segnis, nõ tenax in largitate,non lentus in clementia; sed sub parentibus,visus. Denique, siquando feris obiectos damnatos vidit, fleuit aut oculos auertit:quod populo plusquam amabile fuit. Septennis puer,quum collusorem suum, puerum, ob Iudaicam religionem grauius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberũ, diu respexit. Antiochensibus & Bizantiis inter- G uentu suo iura vetusta restituit: quibus iratus fuit Seuerus quod Nigrum iuuerát. Plautiani odium crudelitatis causa concepit. Quæ à parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel magistris sponte donauit. Sed hæc puer. Egressus vero pueritiam,seu patris monitis,seu calliditate ingenij, siue quod se Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, restrictior, grauior, vultu etiam truculentior factus est: prorsus vt eũ H quem puerum scirent, multi esse non crederent. Alexandrum Magnum eiusque gesta in ore semper habuit. Tiberium & Syllam in conuentu plerumque laudauit. Patre superbior fuit: fratrem magna eius humilitate despexit. Post patris mortem in castra prætoria pergens, apud milites conquestus est, circumueniri se fratris insidiis: atque ita fratrem in palatio fecit occidi. eius corpus statim cremari præcepit. Dixit præterea in castris, fratrem sibi venenum parasse, matri eum irreuerentem fuisse: egitque publice iis gratias qui eum occiderunt. Addidit denique iis qui fideliores erga se fuerant, stipendium. Pars militum apud Albam, Getam occisum ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus se fidem promisisse liberis Seueri, duobus seruare debere. clausisque portis diu Imperator nõ admissus, nisi delinitis animis, non solum querelis de Geta & criminationibus editis, sed enormitate stipẽdij militibus (vt solet) placatis, atque inde Romam rediit. Tunc sub veste senatoria loricam habens, cum armatis militibus curiam ingressus est. Hos in medio inter subsellia duplici ordine collocauit; & sic verba fecit. Questus est de fratris insidiis inuolute & inconditе, ad illius accusationem, sui vero excusationem: quod quidem nec senatus libenter accepit, quum ille dixisset, fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidiis liberasse: & illum tamen sibi grauissimas insidias fecisse, nec vicem amori reddidisse fraterno. Post hoc relegatis deportatisque reditum in patriam restituit: inde ad prætorianos processit,& in castris mansit. Altera die Capito-

lium petiit:& eos quos occidere parabat, affabiliter est alloquutus; innitensque Papiniano & Chiloni, ad palatium rediit. Quum flentem matrem Getæ vidisset, aliasque mulieres, post necem fratris; mulieres occidere conatus est: sed ob hoc retentus, ne augeretur fratris occisi crudelitas. Lætum ad mortem coëgit, misso à se veneno: ipse enim inter suasores Getæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus est. Ipse mortem eius sæpissime fleuit: multos, qui cædis eius conscij fuerant, interemit; eumque & imaginem eius honorauit. Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, iussit occidi. Qui quum se præcipitasset percussorum timore, & ad vxorem crure fracto erepsisset, tamen per ludibriũ à percussoribus deprehensus est & occisus. Occidit etiam Pompeianum Marci nepotem, ex filia natum & ex Pompeiano cui nupta fuerat Lucilla post mortem Veri Imperatoris: quem & cõsulem bis fecerat, & omnibus bellis præposuerat, quæ grauissima tunc fuerunt: & ita quidem, vt videretur à latronibus interemptus. Deinde in conspectu eius Papinianus securi percussus à militib. occisus est: quo facto percussori dixit, *Gladio te exsequi oportuit meum iussum*. Occisus est etiam eius iussu Petronius ante templum diui Pij, tractaque sunt eorum per plateam cadauera sine aliqua humanitatis reuerentia. Filium etiam Papiniani, qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat, interemit. Iisdem diebus occisi sunt innumeri, qui fratris eius partibus fauerant. Occisi etiam liberti qui Getæ administrauerant. Cædes deinde in omnibus locis & in balneis factæ. Occisique nonnulli etiam cœnantes: inter quos etiam Samonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant. In summum discrimen etiam Chilo iterum præfectus & consul venit, ob hoc quod concordiam inter fratres suaserat. Et quum idem Chilo sublata veste senatoria, nudis pedibus ab vrbanicianis raptus esset, Antoninus seditionem compressit. Multas præterea postea cædes in vrbe fecit, passim raptis à militibus nõnullis hominibus & occisis, quasi seditionem vindicans. Heluium Pertinacem suffectum COS. ob hoc solum quod filius esset imperatoris, occidit. Neque cessauit vnquam sub diuersis occasionibus eos interficere qui fratris amici fuissent. Sæpe in senatum, sæpe in populum superbe inuectus est, aut edictis propositis aut orationibus editis, Syllam se etiam ostendens futurum. His gestis Galliam petiit: atque vt primum in eam venit, Narbonensem proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis qui in Gallia res regebant, odium tyrannicum meruit, quamuis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus. Et quum multa contra homines, & contra iura ciuitatum fecisset, morbo implicitus grauiter laborauit. Circa eos qui eum curabant, crudelissimus fuit. Deinde ad Orientem profectionem parans, omisso itinere in Dacia resedit. Circa Rhætiam non paucos barbaros interemit, militesque suos quasi Syllæ milites & cohortatus est & donauit. Deorum sane se nominibus appellari vetuit; quod Commodus fecerat, quum illi eum, quod leonem aliasque feras occidisset, Herculem dicerent. Et quum Germanos subegisset, *Germanicum* se appellauit: vel ioco vel serio, vt erat stultus & demens, asserens, si Lucanos vicisset, *Lucanicum* se appellandum. Damnati sunt eo tempore qui vri-

A nam in eo loco fecerant in quo statuæ aut imagines erant principis: & qui coronas imaginibus eius detraxerant vt alias ponerent. Damnati sunt & qui remedia quartanis tertianisque collo annexa gestarent. Per Thracias cum præf. præt. iter fecit. inde quum in Asiam traiiceret, naufragij periculum adiit, antemna fracta, ita vt in scapham cum protectoribus descenderet. vnde in triremem à præfecto classis receptus, euasit.
B Excepit apros frequenter, contra leonem etiam stetit: quo etiam missis ad amicos litteris gloriatus est: seque ad Herculis virtutem accessisse iactauit. Post hoc ad bellum Armeniscum Parthicumque conuersus, ducem bellicum qui suis cõpetebat moribus, fecit. Inde Alexandriam petiit: in gymnasium populum conuocauit, eumque obiurgauit: legi etiam validos ad militiam præcepit. Eos autem quos legerat, occidit exemplo Ptolemæi Euergetis, qui octauus hoc nomine appellatus est. Dato præterea signo militibus vt
C hospites suos occiderent, magnam cædem Alexãdriæ fecit. Dehinc per Cadusios & fines Babylonios ingressus, tumultuarie cum Parthorum satrapis manum contulit, feris etiam bestiis in hostes immissis. Datis ad senatum quasi post victoriam, litteris, *Parthicus* appellatus est: nam Germanici nomen patre viuo fuerat consequutus. Deinde quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hibernare Edessæ, atque inde Carras Luni dei gratia venisset, die natalis sui, VIII. Idus
D Aprilis, ipsis Megalensibus, quum ad requisita naturæ discessisset, insidiis à Macrino præfecto præt. positis, qui post eum inuasit imperium interemptus est. Conscij cædis fuerunt Nemesianus & frater eius Apollinaris Retianusque qui præfect. legionis secundæ Parthicæ militabat, & qui equitibus extraordinariis præerat; non ignorantibus Martio Agrippa qui classi præerat, & præterea plerisque officialiũ impulsu Martialis. Occisus est autem in medio itinere inter Carras &
E Edessam, quum leuandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, atque inter protectores suos, coniuratos cædis, ageret. Denique quum illum in equum strator eius leuaret, pugione latus eius confodit: conclamatumque ab omnibus est id Martialem fecisse. Et quoniam dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque à Carrenis præcipue haberi, vt qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putauerit nuncupan-
F dam, is addictus mulieribus semper inseruiat: at vero qui marem deum esse crediderit, is dominetur vxori, neque vllas muliebres patiatur insidias. Vnde quamuis Græci vel Ægyptij eo genere quo fœminam hominem, etiam Lunam deam dicant; mystice tamen deum dicunt. Scio de Papiniani nece multos ita in literas retulisse, vt cædis non adsciuerint caussam, aliis alia referentibus: sed ego malui veritatem opinionum edere quam de tanti viri cæde reticere. Papinianum amicissi-
G mum fuisse Imperatori Seuero, & (vt aliqui loquuntur) affinem etiam per secundam vxorem, memoriæ traditur: & huic præcipue vtrumque filium à Seuero commendatum, eumque cum Seuero professum, sub Scæuola & Seuero in aduocatione fisci successisse, atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum fouisse: egisse quinetiam ne occideretur, quum iam de insidiis eius Bassianus quereretur: atque ideo vna cum iis qui

fautor

fautores fuerant Getæ, à militibus, non solum permittente, verumetiam suadente Antonino, occisum. Multi dicunt Bassianum occiso fratre illi mandasse, vt & in senatu per se & apud populum facinus dilueret: illum autem respondisse, *Non tam facile parricidium excusari posse quam fieri.* Est etiam hæc fabella quod dictare noluerit orationem qua inuehendum erat in fratrem, vt caussa eius melior fieret qui occideret: illum autem negantem respondisse, *Aliud est parricidium, accusare innocentem occisum.* Sed hoc omnino non conuenit: nam neque præfectus poterat dictare orationem; & constat eum quasi fautorem Getæ occisum. Et fertur quidem, Papinianum, quum raptus à militibus ad palatium traheretur occidendus, prædiuinasse, dicentem, Stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Quod factum est. nam MACRINVS occidit, vt supra exposuimus: qui cum filio factus in castris Imperator, filium suũ qui DIADVMENVS vocabatur, ANTONINVM vocauit, idcirco quod à prætorianis multum Antoninus desideratus est. Bassianus vixit annis XLIII: imperauit annis VI. Publico funere elatus est. Filium reliquit qui postea & ipse M. ANTONINVS HELIOGABALVS est dictus: ita enim nomen Antoninorum inoleuerat, vt velli ex animis hominum non posset; quod omnium pectora velut Augusti nomen obsederat. Fuit male moratus & patre duro crudelior. Auidus cibi: vini etiam appetens, suis odiosus, & præter milites prætorianos omnibus castris exosus: prorsus nihil inter fratres simile. Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse vlla imitatione qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium vt idipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Reliquit & porticum patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos & bella. Ipse CARACALLI nomen accepit à vestimento quod populo dederat, demisso vsque ad talos: (quod ante non fuerat) vnde hodieque *Antoniniana* dicuntur Caracallæ huiusmodi, in vsu maxime Romanæ plebis frequẽtatæ. Idem viam nouam muniuit, quæ est sub eius thermis, Antoninianis scilicet; qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quidquam inuenias. Sacra Isidis Romam deportauit, & templa vbique magnifica eidem deæ fecit. Sacra etiam maiore reuerentia celebrauit quam ante celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quẽadmodum sacra Isidis primum per hunc Romã venisse dicantur, quum Antoninus Commodus

A ita ea celebrauerit vt & Anubin portaret, & Pausa sederet: nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus inuexit. Corpus eius Antoninorum sepulcro illatum est; vt ea sedes reliquias eius acciperet quæ nomen addiderat. Interest scire quemadmodum nouercam suam Iuliam vxorem duxisse dicatur. Quæ quum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, *Vellem, si liceret:*
B respondisse fertur, *Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus est: nuptiasque eas celebrauit quas, si sciret se leges dare, vere solus prohibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit vxorem: ad parricidium iunxit incestum: siquidem eam matrimonio sociauit cuius filium nuper occiderat. Non ab re est etiam diasyrticum quoddam in eum dictum addere. Nam quum
C *Germanici* & *Parthici* & *Arabici* & *Alamanici* nomen adscriberet, (nam Alamanorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax filius Pertinacis dicitur ioco dixisse; *Adde, si placet, etiam* GETICVS MAXIMVS; quod Getam occiderat fratrem, & Gotti *Getæ* dicerentur: quos ille, dum ad Orientem trãsiit, tumultuariis prœliis deuicerat. Occidendi Getæ multa prodigia exstiterunt, vt in vita eius exponemus. Nam quamuis prior ille è vita excesserit, nos tamen ordinem sequuti sumus, vt, qui &
D prior natus est & prior imperare cœperat, prior scriberetur. Eo sane tempore quo ab exercitu appellatus est Augustus viuo patre, quod ille pedibus æger gubernare non posse videretur imperium, confusis animis militum & tribunorum, Seuerus dicitur animo volutasse, vt & hunc occideret, nisi repugnassent præfecti eius, graues viri. Aliqui contra dicunt, præfect. voluisse id fieri; sed Septimium noluisse, ne & seueritas illius crudelitatis nomine inquinaretur: & quum auctores cri-
E minis milites fuerint, adolescens stultæ temeritatis pœnas lueret tam grauis supplicij titulo vt à patre videretur occisus. Hic tamen omnium durissimus, & (vt vno complectamur verbo) parricida & incestus, patris & matris & fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum, ac maxime prætorianorum, inter deos relatus est. Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos, qui Faustinæ templum & diuale no-
F men eripuit; certe templum quod ei sub Tauri radicibus fundauerat olim maritus Antoninus; in quo postea filius Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi, vel Ioui Syrio, vel Soli (incertum id est) templum fecit.

ÆLII SPARTIANI
ANTONINVS GETA,
AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

Scio, Constantine Auguste, & multos & clementiam tuam, quæstionem mouere posse cur etiam Geta Antoninvs à me tradatur. De cuius priusquam vel vita vel nece dicam, differam cur & ipsi *Antonini* à Seuero patre sit nomen appositum. Neque enim multa in eius vita dici possunt, qui prius rebus humanis exemptus est quam cum fratre teneret imperium. Septimius Seuerus quodam tempore quum consuluisset ac petiisset vt sibi indicaretur quo esset successore moriturus, in somnis vidit Antoninum sibi successurũ. Quare statim ad milites processit, & Bassianum filium maiorem natu, *M. Aurelium Antoninum* appellauit. Quod quum fecisset, paterna cogitatione, vel (vt quidam dicunt) à Iulia vxore commonitus, quæ gnara erat somnij, quod minori filio hoc facto ipse interclusisset aditum imperandi, etiam Getam minorem filium, *Antoninum* vocari iussit. Itaque semper ab eo in epistolis familiaribus dictus est Antoninus, quum si forte abesset, scriberet, *Salutate Antoninos filios & successores meos.* Sed nihil valuit patris matrisve cautio. nam solus ille successit qui primus Antonini nomen accepit. Et hæc de Antonini nomine. Geta autem dictus est, vel à patrui nomine, vel aui paterni: de cuius vita & moribus in vita Seueri Marius Maximus primo septenario satis copiose retulit. Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quod in animo habuit Seuerus vt omnes deinceps principes quemadmodum *Augusti*, ita etiam *Antonini* dicerentur: atque amore Marci, quem fuisse vel fratrem suum dicebat, & cuius philosophiam literarumque institutionem semper imitatus est. Dicũt aliqui, nõ in Marci honorem tantum Antonini nomini delatum, quum id Marcus adoptiuus habuerit, sed in eius qui Pius cognominatus, Adriani scilicet successoris: & quidem ob hoc quod Seuerum ille ad fisci aduocationem delegerat ex formula forensi, quum ad tantos processus ei patuisset dari ab Antonino primi gradus vel honoris auspicium: simul quod nemo ei videretur felicior Imperator ad commodandum nomen, eo principe cuius proprium nomen iam per quatuor principes cucurrisset. De hoc eodem Seuerus, gnarus genituræ illius, cuius, vt plerique Afrorum peritissimus fuit, dixisse fertur, *Mirum mihi videtur, Iuuenalis amantissime, Geta noster diuus futurus, cuius nihil imperiale in genitura video.* Erat enim Iuuenalis præf. eius præt. Nec eum fefellit. Nam Bassianus, quum eum occidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque posse mitigari facinus si diuũ fratrem appellaret: dixisse fertur, *Sit diuus dum non sit viuus.* Denique eum inter diuos retulit; atque ideo vtcumque rediit cum fama in gratiam parricida. Natus est Geta Seuero & Vitellio coss. Mediolani, etsi aliter alij prodiderunt, vi Calend. Iunias, ex Iulia: quam idcirco Seuerus vxorem duxerat, quod eam in genitura habere compererat vt regis vxor esset, isque priuatus, sed

A iam optimi in republ. loci. Statim vt natus est, nunciatum est ouum gallinam in aula peperisse purpureum. Quod quum allatum Bassianus frater eius accepisset, & quasi paruulus applosum ad terram fregisset, Iulia dixisse fertur ioco, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti.* Idque ioco dictum, Seuerus altius quam quisquam præsentiũ accepit: à circumstantibus autem postea, velut diuinitus effusum, approbatum est. Fuit etiam aliud B omen. Nam quum in villa cuiusdam Antonini plebeij hominis agnus natus esset qui vellus in fronte purpureum haberet, eadem die atque hora qua Geta natus est, audissetque ille ab aruspice, post Seuerum Antoninum imperaturum, ac de se ille augurraretur, sed tamen tale fati timeret indicium, ferro eum adegit: quod & ipsum signo fuit, Getam ab Antonino interimendum; vt postea satis claruit. Fuit etiam aliud omẽ ingens postea, vt exitus docuit, huius facinoris C quod euenit. Nam quum infantis Getæ natalem Seuerus commendare vellet, hostiam popa nomine Antoninus percussit: quod tunc nec quæsitum nec animaduersum, post vero intellectum est. Fuit adolescens moribus asperis, sed non impiis, à natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum & vini varie cõditi. Huius illud pueri fertur insigne, quod quũ vellet partium diuersarũ viros Seuerus occidere, & inter suos diceret, *Hostes vobis eripio;* consentiretque adeo vsque Bassianus vt D eorum etiã liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos, Geta interrogasse fertur, quantus esset interficiẽdorum numerus: quumque dixisset pater, ille interrogauit, *Isti habent parentes, habent propinquos?* quum responsum esset, habere complures: *Plures ergo in ciuitate tristes erunt quam læti quod vicimus.* Et obtinuisset eius sententia, nisi Plautianus præfectus vel Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt. His accedebat Bassiani fratris nimia crudelitas: qui quũ E contenderet & diceret quasi ioco quasi serio, omnes cum liberis occidendos partium diuersarum, Geta ei dixisse dicitur, *Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere.* Quod dictum eius tunc nihil, post vero pro præsagio fuit. Fuit in litteris assequendis & tenax veterum scriptorum, paternarum etiam sententiarum memor: fratri semper inuisus, matri amabilior quam frater: subbalbe tamen canorus. Vestitus nitidi cupidissimus, ita vt patri doleret: siquid accepit à præsentibus, ad F suum contulit cultum, neque quidquam cuipiam dedit. Post Parthicum bellum quum ingenti gloria floreret, Bassiano participe imperij appellato, Geta quoque Cæsaris & Antonini, vt quidam dicunt, nomen accepit. Familiare illi fuit has quæstiones grammaticis proponere, vt dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt; vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt;* easque de veteribus approbare.

probare. Sereni Samonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit. Habebat etiam istam consuetudinem, vt conuiuia & maxime prandia per singulas litteras iuberet scientibus seruis; velut in quo erat anser, aprugna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam litteram genera edulium caderent: & item fasianus, farta, ficus, & talia. Quare comis etiam habebatur in adolescentia. Occiso eo, pars militum quæ incorrupta erat, parricidium ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus se liberis Seueri fidem promisisse, duobus seruare debere: clausisque portis diu non est Imperator admissus. Denique nisi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, Romam Bassianus redire non potuit. Post hæc denique & Papinianus, & multi alij interempti sunt, qui vel concordiæ fauerant, vel qui partiū Getæ fuerant: ita vt vtriusque ordinis viri & in balneo cœnantes, & in publico percuterentur: Papinianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano quod non gladio res peracta sit. Ventum denique est vsque ad seditionem vrbanicianorū militum: quos quidem non leui auctoritate Bassianus compressit, tribuno eorum, vt alij dicunt, interfecto; vt alij, relegato. Ipse autem tantum timuit vt loricam sub lato habens clauo, etiam curiam sit ingressus, atque ita rationem facti sui & necis Geticæ reddiderit. Quo quidem tempore Heluius Pertinax, filius Pertinacis, qui postea est ab eodem Bassiano interemptus, recitanti Faustino prætori & dicenti, *Sarmaticus maximus & Parthicus maximus*, dixisse dicitur, *Adde &* GETICVS MAXIMVS; quasi Gotticus: quod dictum altius in pectus Bassiani descendit, vt postea nece Pertinacis est approbatum: nec solum Pertinacis, sed & aliorum, vt supra dictum est, passim & inique. Heluium autem etiam suspectum habuit affectatæ tyrannidis, quod esset in amore omnium, & filius Pertinacis Imperatoris: quæ res nulli facile priuato satis tuta est. Funus Getæ accuratius fuisse dicitur quam eius qui à fratre videretur occisus. Illatusque est maiorum sepulcro, hoc est, Seueri, quod est in Appia via euntibus ad portam dextram, specie septizonij exstructum, quod sibi ille viuus ornauerat. Occidere voluit & matrem Getæ, nouercam suam, quod fratrem lugeret, & mulieres quas post reditum de curia flentes reperit. Fuit præterea eius immanitatis Antoninus, vt iis præcipue blandiretur quos ad necem destinabat: vt eius magis blandimētum timeretur quam iracundia. Mirum sane omnibus videbatur quod mortem Getæ toties ipse etiam fleret quoties nominis eius mentio fieret, quoties imago videretur aut statua. Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, immo tanta sitis cædis, vt modo fautores Getæ, modo inimicos occideret, quos fors obtulisset. quo facto magis Geta desiderabatur.

IVLII CAPITOLINI

OPILIVS MACRINVS

AD DIOCLETIANVM AVGVSTVM.

VItæ illorum principum, seu tyrannorum, siue Cæsarum, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent, idcirco quod neque de priuata eorum vita digna sunt quæ dicantur, quum omnino nescirentur quidem, nisi aspirassent ad imperium: & de imperio quod non diu tenuerunt, non multa dici possunt. Nos tamen ex diuersis historiis erutam lucem proferemus, & ea quidem quæ memoratu digna erunt. Non enim est quisquam in vita qui nō ad diem quodcumque fecerit: sed eius qui vitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Et Iunio quidem Cordo studium fuit eorum Imperatorū vitas edere quos obscuriores videbat: qui non multū profecit. Nam & pauca reperit & indigna memoratu, asserens se minima quęque persecuturum: quasi vel de Traiano, aut Pio, aut Marco sciendū sit, quoties processerit, quādo cibo variauerit, & quando vestē mutauerit, & quos quando promouerit: quæ ille omnia exsequendo, libros mythistoriis repleuit talia scribēdo: quū omnino rerū viliū aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca; si tamen ex his mores possint animaduerti, qui reuera sciendi sunt: sed ex parte conscribam, vt ex ea cetera colligantur. Occiso ergo Antonino Bassiano, OPILIVS MACRINVS præfectus prætorio eius, qui antea priuatas curabat, imperium arripuit; humili natus loco, & animi atque oris inuerecundi: seque nunc *Seuerum*, nunc *Antoninum*, quum in odio esset omnium & hominum & militum, nuncupauit. Statimque ad bellum Parthicum profectus, & vindicādi se de militibus, & rumoribus, quibus premebatur, adolescendi potestatem dempsit: quamuis senatus eum Imperatorem odio Antonini Bassiani libenter acceperit, quum in senatu omnibus vna vox esset, *quemuis magis quam parricidam, quemuis magis quam incestum, quemuis magis quam impurum, quemuis magis quam interfectorem & senatus & populi.* Et mirum omnibus fortasse videatur cur *Diadumenus* filius Macrini, *Antoninus* voluerit nuncupari; quum auctor necis Antoninianæ fuisse dicatur. De ipso quæ in annales relata sunt, proferam. Vates Cælestis apud Carthaginem, quæ deo repleta solebat vera canere, sub Antonino Pio, quum sciscitante proconsule de statu, vt solebat, publico, & de suo imperio, futura prædiceret, vbi ad principes ventum est, clara voce numerari iussit, quoties diceret *Antoninum*. Tuncque attentis omnibus, *Antonini* nomen *Augusti* octauo edidit. Sed credentibus cunctis quod VIII annis Antoninus Pius imperaturus esset, & ille transcendit hunc annorum numerum, & constitit apud credentes vel tunc vel postea per vatem aliud designatum. Denique adnumeratis omnibus qui Antonini appellati sunt, is Antoninorum numerus inuenitur. Enimuero Pius primus, Marcus secundus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracal-

lus, sextus Geta, septimus Diadumenus, octauus Heliogabalus, Antonini fuere. Nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani: qui aut prænomen tantum Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonij dicti sunt, non Antonini. Inde est quod se & Seuerus Antoninum vocauit, & plurimi fuerunt, & Pertinax & Iulianus, & idem Macrinus. Et ab ipsis Antoninus, qui veri successores Antonini fuerunt, hoc nomen magis quam proprium retentum est. Hæc alij. Sed alij idcirco Antoninum Diadumenum à Macrino patre appellatum ferunt, vt suspicio à Macrino interfecti Antonini militibus tolleretur. Alij vero tantum desiderium nominis huius fuisse dicunt, vt nisi populus & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent. Et de Macrino quidem in senatu à multis, quando nuntiatum est Varium Heliogabalum imperatorem, quum iam Cæsarem Alexandrum senatus dixisset, ea dicta sunt, vt appareat ignobilem, sordidum, spurcum fuisse. Verba denique Aurelij Victoris, cui Primo cognomen erat, hæc fuerunt: *Macrinum libertinum hominem prostibulum, seruilibus officiis occupatum in domo imperatoria, venali fide, vita sordida sub Commodo, à Seuero remotum etiam à miserrimis officiis, relegatumque in Africam: vbi vt infamiam dãnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse caussulas, declamasse, ius postremo dixisse. Donatum autem anulis aureis, patrocinante sibi liberto suo Festo, aduocatum fisci factum sub Vero Antonino.* Sed & hæc dubia ponuntur, & alia dicuntur ab aliis; quæ ipsa quoque non tacebimus. Nam pleríque gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt: & accepta rudi, ad Africam isse: venatorem primo, post etiam tabellionem fuisse; deinceps aduocatum fuisse fisci: ex quo officio ad amplissima quæque peruenit. Deinde quum esset præf. præt. collega ablegato, Antoninum Caracallum Imperatorem suum interemit, tanta fictione vt ab eo non videretur occisus. Nam stratore eius redempto, & spe ingenti proposita, id egit vt quasi militatibus insidiis, quod vel ob parricidium vel incestum displiceret, interemptus diceretur. Statim denique arripuit Imperium, filio Diadumeno in participatum adscito: quem cõtinuo (vt diximus) Antoninum appellari à militibus iussit. Deinde corpus Antonini Romam remisit sepulcris maiorum inferendum. Mandauit collegę dudum suo præfecto prætorij, vt munus suum curaret, ac præcipue Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio; quod sciebat ob vestimenta populo & congiaria data multum Antoninum à plebe dilectum. Accedebat etiam illud quod militarem motum timebat, ne eo interueniente, suum impediretur imperium quod raptum ierat, sed quasi inuitus acceperat; *vt sunt homines qui ad ea se cogi dicunt quæ vel sceleribus compararunt.* Timuit autem etiam collegam, ne & ipse imperare cuperet, sperantibus cunctis quod si vel vnius numeri consensus accederet, neque ille recusaret, & omnes cupidissime id facerent, odio Macrini, vel propter vitam improbam, vel propter ignobilitatem, quum omnes superiores, nobiles fuissent Imperatores. Insulsit præterea nomen Seueri, quum illius nulla cognatione tangeretur: vnde iocus exstitit, *Sic Macrinus est Seuerus, quomodo Diadumenus Antoninus.* Statim tamen ad delendum militum motum, stipendiũ & legionariis & prætorianis dedit solito vberius;

A vtpote qui extenuare cuperet Imperatoris occisi crimen: *profuitque pecunia, vt solet, cui innocentia prodesse non poterat.* Retentus est enim aliquanto tempore in imperio homo vitiorum omnium. Ad senatum deinde litteras misit de morte Antonini, Diuum illum appellans, excusansque se, & iurans quod de cæde illius nescierit. Ita sceleri suo, more hominum perditorum, iunxit periuriũ (à quo incipere decuit hominem improbum) quũ
B ad senatum scriberet. Interest scire cuiusmodi oratio fuerit qua se excusauit; vt & impudentia hominis noscatur & sacrilegium, à quo initium sumpsit improbus Imperator. Capita ex oratione Macrini & Diadumeni Imperatorum. *Vellemus P.C. & incolumi Antonino nostro, & reuecto cum triumpho, vestram clementiam videre. Tunc demum enim florente rep. & omnes felices essemus, & sub eo principe viueremus quem nobis Antoninorum loco dij dederant. Verum quia id euenire per tumultum*
C *militarem non potuit, nuntiamus primum quid de nobis exercitus fecerit: deinde honores diuinos (quod primum faciendum est) decernimus ei viro in cuius verba iurauimus, quum exercitus vltorem cædis Bassiani neminem digniorem præfecto eius putauit, cui & ipse vtique vindicandam factionem mandasset, si viuus deprendere potuisset.* Et infra: *Detulerunt ad me Imperium: cuius ego P.C. interim tutelã recepi, teneo regimen, si & vobis placuerit quod militibus placuit: quibus & stipendium dedi, & omnia imperatorio more iussi.* Item infra: *Diadumenũ filiũ*
D *meum vobis notum, & imperio miles donauit, & nomine, Antoninum videlicet appellans; vt cohonestaretur prius nomine, sic etiam regni honore. quod vos P.C. bono faustoque omine approbetis petimus; ne vobis desit Antoninorum nomen, quod maxime diligitis.* Item infra: *Antonino autem diuinos honores & miles decreuit, & nos decreuimus: & vos P.C. vt decernatis, quum possimus imperatorio iure præcipere, tamen rogamus; dicantes & duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedentes ciuili habi-*
E *tu duas; item diuo Seuero duas triumphales. Quæ omnia P.C. vos implere iubebitis, nobis religiose pro prioribus ambientibus.* Lectis igitur in senatu litteris, contra opinionem omnium, & mortem Antonini senatus gratanter accepit; & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans, primum in patricios allegit, nouum hominem, & qui paullo ante procurator priuatæ rei fuisset. Eumdem, quum scriba pontificum esset, (quos hodie *pontifices minores* vocant) Pontificem Max. ap-
F pellauit, Pij nomine decreto. Diu tamen, lectis litteris, quum omnino nemo crederet de Antonini morte, silentium fuit. Sed posteaquam constitit occisum, senatus in eum velut in tyrannum inuectus est. Denique statim Macrino & proconsulare imperium, & potestatem tribunitiam detulerunt. Filium sane suum, quum ipse *Felicis* nomen recepisset, vt suspicionem occisi à se Antonini remoueret, *Antoninum* vocauit, *Diadumenum* antea dictum. quod quidem etiam Varius Heliogaba-
G lus, qui se Bassiani filium diceret, homo sordidissimus, & ex meretrice conceptus, idem postea nomen accepit. Denique versus exstant cuiusdam poëtæ, quibus ostenditur, Antonini nomen cœpisse à Pio, & paulatim per Antoninos vsque ad sordes vltimas peruenisse: siquidẽ Marcus nomen illud sanctum vitæ genere auxisse videtur, Verum autem degenerasse, Commodus vero etiam polluisse sacrati nominis reuerentiam. Iam quid de

Caracallo

A Postremo etiam quid de Heliogabalo, qui Antoninorum vltimus in summa impuritate vixisse memoratur? Appellatus igitur Imperator, suscepto bello contra Parthos, profectus est magno apparatu: studens sordes generis & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere. Sed conflictu habito contra Parthos, defectu legionum quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, interemptus est. Sed anno amplius imperauit. Sane quum esset inferior in eo bello quod Antoninus B gesserat, Artabane grauiter necem suorum ciuiũ vindicante, primo Macrinus repugnauit: postea vero missis legatis petiit pacem: quam libenti animo interfecto Antonino Parthus concessit. Inde quum se Antiochiam recepisset ac luxuriæ operam daret, iustam caussam interficiendi sui præbuit exercitui, ac Bassiani (vt putabatur) filium sequendi, id est *Heliogabalum Bassianum Varium*, qui postea & *Bassianus* & *Antoninus* appellatus est. C Fuit quædam mulier Mœsa, siue Varia, ex Emissena vrbe, soror Iuliæ vxoris Seueri Pertinacis Afri, quæ post mortem Antonini Bassiani ex aulica domo fuerat expulsa per Macrini superbiam: cui quidem omnia concessit Macrinus quę diu illa collegerat. Huic erant duæ filiæ, Semiamira & Mammæa, quarum maiori filius erat Heliogabalus, qui & Bassiani & Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant solem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac statura D & sacerdotio conspicuus erat, ac notus omnibus hominibus qui ad templum veniebant, militibus præcipue. His Mœsa, siue Varia, dixit, Bassianum filium esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mœsa ipsa ditissima, ex quo etiam Heliogabalus luxuriosissimus: qua promittente militibus, legiones abductæ sunt à Macrino. Suscepta enim illa nocte in opidum cum suis, nepos eius *Antoninus* est appellatus, Imperij delatis insignibus. Hæc vbi sunt Macrino apud Antiochiam posito nuntiata, E miratus audaciam muliebrem, simul etiam contemnens, Iulianum præfectum ad obsidendos eos cum legionibus misit. Quibus quum Antoninus ostenderetur, miro amore in eum omnibus inclinatis, occiso Iuliano præfecto ad eum omnes transierunt. Deinde parte exercitus coniuncta, venit contra Macrinum Antoninus contra se festinantem: commissoque prœlio, Macrinus est victus proditione militum eius & amore Antonini. F Fugiens sane Macrinus cum paucis & filio, in vico quodam Bithyniæ occisus est cum Diadumeno: ablatumque eius caput est, & ad Antoninum perlatum. Sciendum præterea quod Cæsar fuisse dicatur, non Augustus, Diadumenus puer, quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradiderunt. Occisus est etiam filius: cui hoc solum attulit Imperium, vt interficeretur à milite. Non G enim aliquid dignum in eius vita erat quod dicatur, præter hoc quod Antoninorum nomini est velut nothus appositus. Fuit tamen in vita imperatoria paulo rigidior & austerior, sperans se anteacta omnia posse obliuioni dare, quum ipsa seueritas illius, occasionem reprehendendi & lacerandi eius aperiret. Nam & *Seuerum* se & *Pertinacem* voluerat nuncupari: quæ duo illi asperitatis nomina videbantur. Et quum illum senatus *Pium* & *Felicem* nuncupasset. Felicis nomen recepit, Pij habere noluit. Vnde in eum epigramma illatum Græci cuiusdam poëtæ videtur exstare, quod Latine hac sententia continetur, *Histrio iam senior turpis, grauis, asper, iniquus, Impius, & felix sic simul esset cupit, Vt nolit pius esse, velis tamen esse beatus: Quod natura negat, nec recipit ratio. Nam Pius & Felix poterat dici atque videri: Cui Imperium infelix est, erit ille sibi.* Hos versus nescio quis de Latinis, iuxta eos qui Græci erant propositi, in foro posuit. quibus acceptis Macrinus his versibus respondisse fertur, *Si talem Graiũ retulissent fata poëtam, Qualis Latinus Gabalus iste fuit, Nil populus nosset, nil nosset curia, magno Nullus scripsisset carmina tetra mihi.* His versibus Macrinus longe peioribus quam illi Latini sunt, respondisse se credidit: sed non minus risui est habitus quam poëta ille qui de Græco Latine coactus est scribere. Fuit igitur superbus & sanguinarius & volens militariter imperare, incusans quinetiam superiorum temporum disciplinam, ac solum Seuerum præ ceteris laudans. Nam & in crucem milites tulit, & seruilibus suppliciis semper affecit: & quum seditiones militares pateretur, multos sæpius decumauit, aliquando etiam centesimauit: quod verbum proprium ipsius est, quum se clementem diceret, quando eos centesimaret qui digni essent decumatione atque vicesimatione. Longum est eius crudelitates omnes aperire: attamen vnam ostendam, non magnam, vt ipse credebat, sed omnibus tyrannicis immanitatibus tristiorem. Quum quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravasse suspecti essent, atq; per quemdam frumentarium ille didicisset, adduci eos iussit, interrogauitque vtrum esset factum: quod quum constitisset, duos boues miræ magnitudinis viuos subito aperiri iussit, atque his singulos milites inseri, capitibus, vt secum colloqui possent, exsertis. Itaque pœna hos affecit, quũ ne adulteris quidẽ talia apud maiores sui tẽporis essent cõstituta supplicia. Pugnauit tamẽ & contra Parthos & contra Armenos, & cõtra Arabas quos Eudæmonas vocant, non minus fortiter quã feliciter. Tribunũ qui excubias deseri passus est, carpẽto rotali supertadoexũ, per totũ iter viuũ atque exanimẽ traxit. Reddidit etiã Mezentij supplicium, quod ille viuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Vnde etiã in circo, quũ fauor publicus in Diadumenũ semper fuisset, acclamatum, *Egregius forma iuuenis, cui pater haud Mezentius esset.* Viuos etiam homines parietib. inclusit, & struxit. Adulterij reos semper viuos simul incendit, iunctis corporibus. Seruos, qui à dominis fugissent, repertos, ad gladiũ ludi deputabat. Delatores, si nõ probarent, capite affecit: si probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimisit. Fuit in iure nõ incallidus, adeo vt statuisset omnia rescripta veterũ principũ tollere, vt iure, nõ rescriptis ageretur, nefas esse dicẽs, leges videri Cõmodi & Caracalli & hominũ imperitorũ volũtates, quũ Traianus numquã libellis respondèrit, ne ad alias caussas facta præferrẽtur, quæ ad gratiã cõposita viderentur. In annonis tribuendis largissimus fuit, in auro, parcissimus. In vernaculis vel aulicis tã impius, tam pertinax, tã asper, vt serui illũ sui non Macrinum dicerent, sed *macellinum*, quod macelli specie domus eius cruentaretur sanguine vernularũ. Vini cibique auidissimus, nonnumquã vsque ad ebrietatem: sed vespertinis horis. Nã si prãdisset, vel priuatim, parcissimus, in cœna, effusissimus. Adhibuit cõuiuio litteratos, vt loquẽs de studiis liberalib. necessario abstineret.

Sed quum eius vilitatem homines antiquam cogitarent, crudelitatem nimiam viderent, hominem putidulum in Imperio ferre non possent, & maxime milites, qui multa eius meminerant funestissima: & aliquando turpissima, inita factione illum occiderunt cum puero suo Diadumeno, scilicet Antonino cognomine, de quo dictum est quod in somnis Antoninus fuisset. Vnde etiam versus exstant huiusmodi, *Vidimus in somnis ciues (nisi fallor) & istud: Antoninorum nomen puer ille gerebat, Qui patre venalis genitus, sed matre pudica: Centum nam mœchos passa est, centumque rogauit, Ipse etiam caluus mœchus fuit, unde maritus. En pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.* Et isti versus ex Græco translati sunt in Latinum, nam Græce sunt disertissimi. videtur autem mihi ab aliquo poëta vulgari translati esse. Quod quum Macrinus audisset, fecit iambos qui non exstant: iu-

A cundissimi autem fuisse dicũtur. qui quidem perierunt in eo tumultu in quo ipse occisus est, quando & omnia eius à militibus peruersa sunt. Genus mortis (vt diximus) tale fuit: Quum in Antoninum Heliogabalum exercitus inclinasset, ille fugit, belloque victus est & occisus in suburbano Bithyniæ, suis partim deditis, partim occisis, partim fugatis. Ita Heliogabalus clarus redditus est, quod videretur patris vindicasse mortem: atque inde in imperium venit, quod dedecorauit vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abligurritione, superbia, immanitate: qui & ipse similẽ exitũ vitæ B suæ sortitus est. Hæc de Macrino nobis sunt cognita, multis aliqua variãtibus, vt se habet omnis historia, quæ de plurimis collecta, serenitati tuæ Diocletiane Auguste, detulimus, quia te cupidum veterum Imperatorum esse perspeximus.

ÆLII LAMPRIDII

ANTONINVS DIADVMENVS.

ANtonini Diadumeni pueri, quem cum patre Opilio Macrino Imperatorẽ dixit exercitus, occiso Bassiano factione Macriniana, nihil habet vita memorabile, nisi quod Antoninus est dictus, & quod ei stupenda omina sunt facta Imperij non diuturni: vt euenit. Nam quum primũ innotuit per legiones, occisum esse Bassianum, ingens mœror obsedit omnium pectora quod Antoninum in repub. non haberent, existimantium quod cum eo Romanum esset Imperium periturum. Id vbi Macrino iam Imperatori nuntiatum est, veritus ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pij erant inter duces, exercitus inclinaret, statim, concionem parari iussit, filiumque suum hunc puerum Antoninum appellauit. Concionis verba eiusdem: *Videtis, commilitones, & me ætatis prouectæ, & Diadumenum puerum: quem diu principem, si dij faueant, habebitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere. quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ, non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninũ vobis auctoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum.* Acclamatum, *Macrine Imperator, dij te seruent: Antonine Diadumene, dij te seruent. Antoninum diuum omnes rogamus: Iupiter optime maxime Macrino & Antonino vitam. Tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest: Tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest. Antoninum habemus, omnia habemus. Antoninum nobis dij dederunt patrem: Antoninus dignus imperio.* Macrinus Imperator dixit: *Habete igitur commilitones pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: Dij faciant vt hæc sæpius fiant. Dabimus autem per cuncta quinquennia id quod hodie depensauimus.* Post hoc ipse puerulus Diadumenus Antoninus Imperator dixit: *Gratias ago vobis, commilitones, quod me & imperio donastis & nomine: siquidem dignos & me & patrem meum duxistis quos Imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis rempubl. Et pater*

C *quidem meus curabit ne desit imperio: ego autem elaborabo ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pij, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est. Interim tamen causa Imperij, caussa nominis, id omne quod pater, & tantumdem promitto, honoribus, vt venerandus Macrinus pater præsens promisit, duplicatis.* Herodianus Græcus scriptor hæc præteriens, Diadumenum tantum Cæsarem dicit puerum à militibus nuncupatum, & cum patre occisum. Hac habita D concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est: Macrini, vsq; ad iussum senatus dilata est. Missæ etiam ad senatum litteræ quibus nomen Antonini indicatum est. Quare etiam senatus Imperium id libenter dicitur recepisse, quamuis alij Antonini Caracalli odio id factum putent. Parauerat sane pænulas populo coloris rosei dare Macrinus Imperator in honorẽ Antonini filij sui, quæ vocarentur Antoninianæ, vt Caracallę Bassiani dictæ sunt, asserens E filium suum *Pænuleum* vel *Pænularium* dicẽdum, quia *Caracallus* esset dictus Bassianus. Congiarium etiam prædictum Antoninianum promisit, vt ipsum edictum poterit indicare. Verba edicti: *Vellem, Quirites, iam præsentes essemus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret præterea & pueros Antoninianos, & puellas Antoninianas, quæ tam grati nominis gloriam propagarent:* & reliqua. His ita gestis, signa in castris & vexilla fieri Antoniniana iussit. Fecitque Bassiani F simulacra ex auro atque argento, atque dies septẽ supplicatio pro Antonini nomine celebrata est. Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flauo, nigris oculis, naso deducto ad omnẽ decorem, mento composito, ore ad oscula parato: fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic vbi primũ indumenta coccea & purpurea ceteraque castrensia Imperij insignia accepit, quasi sidereus & cælestis emicuit, vt amaretur ab omnibus gratia venustatis. Hæc sunt quæ de imperio pueri dicenda putaui. Nunc veniamus ad omina

omina Imperij, quæ cum in aliis, tum in hoc præcipue sunt stupenda. Die qua natus est, pater eius purpuras cum forte procurator iam ærarij maioris inspexit, & quas claras probauit, in id conclaue redigi præcepit, in quo post duas horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt & aduocatis credulis vendunt: siquidem caussidici hoc iuuari dicuntur. at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte vt rumpi nõ potuerit, venis intercedentibus specie nerui sagittarii. ferunt denique *Diadematum* puerum appellatum: sed vbi adoleuit, aui sui nomine materni *Diadumenum* vocatum, quamuis non multum abhorruerit ab illo signo Diadematis nomẽ Diadumeni. In agro patris eius oues purpureas XII ferunt natas, quarum vna tantum varia fuerit. Eadem die qua hic natus est, aquilam ei constat sensim palumbum regium paruulum attulisse, & posuisse in cunis dormienti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris eius nidum posuerũt. His diebus quibus ille natus est, mathematici accepta genitura eius exclamauerũt & ipsũ filium Imperatoris esse & Imperatorẽ: quasi mater eius adulterata esset, quod fama retinebat. Huic eidẽ aquila pileũ in agro ambulãti tulit: & quũ comitũ infantis clamor esset factus, in monumento regio quod iuxta villam esset, in qua tunc pater agebat, supra statuam regis posuit, ita vt capiti eius aptaret: quod multi ominosum putarunt & morti accommodum. clarum autem euentus ostẽdit. Natus est præterea natali Antonini, & ea hora & signis prope continentibus quibus & Antoninus Pius, quare dixerunt mathematici, & Imperatoris illum filium futurum, & Imperatorem, sed non diu. Die qua natus est, quod Antonini esset natalis, mulier quædam propinqua dicitur exclamasse, *Antoninus vocetur*: sed Macrinum timuisse, quod nullus ex eius genere hoc nomine censeretur; abstinuisseque nomine Imperatorio; simul quod iam rumor de vi genituræ illius emanasset. Hæc atque alia omina fuisse multi in litteras retulerunt: sed illud præcipue quod quum in cunis esset Diadumenus, & leo ruptis vinculis, & quidem ferus, effugisset atque ad incunabula eius venisset, puerum delinxit, & inuiolatum reliquit, quum nutrix se in leonem misisset, atque eius morsu affecta periisset, quæ sola forte in areola inuenta erat, in qua infans iacebat. Hæc sunt quæ digna memoratu in Antonino Diadumeno esse videantur: cuius vitam iunxissem patris gestis, nisi Antoninorum nomen me ad edendam puerilis specialem expositionem vitæ coëgisset. Et fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur Imperium. Vnde etiam quidam & Seuerum, & Pertinacem, & Iulianum, Antoninorum prænominibus honorandos putant: vnde postea duos Gordianos, patrem & filium, Antoninos cognominatos putent. Sed aliud est quum prænomen adsciscitur, aliud, quum ipsum nomen imponitur. Nam Pius verum nomen, Antonini habuit, cognomen Pij: Marcus verum nomen Verissimi habuit, sed hoc sublato atque abolito, non prænomen Antonini, sed nomen accepit. Verus autem, Commodi nomen habuit: quo abolito, Antonini non prænomen, sed nomen accepit. Com-

A modum autem Marcus Antoninum appellauit, atque ita in publicum edidit diem natalis sui. Iam Caracallum Bassianum satis constat vel somnij caussa, quod Seuerus viderat, quum sibi Antoninum successorem prædictum sensisset, anno demum XIII Antoninum dixisse, quando ei etiam Imperatoriam addidisse dicitur potestatem. Getam vero, quem multi Antoninum negant dictum, eadem ratione qua Bassianum appel- B latum satis constat, vt patri Seuero succederet: quod minimẽ factum est. Post hoc ipse Diadumenus vt commendaretur exercitui, senatui populoque Romano, essetque ingens desiderium Bassiani Caracallæ, Antoninum appellatum satis constat. Exstat epistola Opilij Macrini patris Diadumeni, qua gloriatur non tam se ad Imperium peruenisse, qui esset secundus Imperij, quam quod Antoniniani nominis esset pater factus, quo clarius illis temporibus non fuerat C vel deorum. Quam epistolam priusquam interseram, libet versus inserere in Commodum dictos, qui se Herculem appellauerat: vt intelligant omnes, tam clarum fuisse Antoninorum nomen, vt illi nec deorum nomen commode videretur adiungi. Versus in Commodum Antoninum dicti, *Commodus Herculeum nomen habere cupit. Antoninorum non putat esse bonum: Expers humani iuris & Imperij. Sperans quinetiam clarius esse dei, quam si sit princeps nominis egregij. Non erit iste* D *deus, nec tamen vllus homo.* Hi versus à Græco nescio quo compositi, à malo poëta in Latinũ translati sunt: quos ego idcirco inserendos putaui, vt scirent omnes, Antoninos pluris fuisse quã deos: ac trium principum amorem, quo sapientia, bonitas, pietas, consecrata sit: in Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco sapientia. Redeo nunc ad epistolam Macrini Opilij, *Opilius Macrinus Noniæ Celsæ cõiugi. Quid boni adepti simus, mea vxor, caret æstimatione, & fortassis de Imperio me putes* E *dicere. Non magnum istud, quod etiam indignis fortuna concessit. Antonini pater factus sum: Antonini mater es facta. O nos beatos, ô fortunatam domum, præclaram laudem nunc demum felicis Imperij. Dij faxint & bona Iuno quam colis, vt & ille Antonini meritum effingat, & ego qui sum pater Antonini, dignus omnibus videar.* Hæc epistola indicat, quãtum gloriæ adeptus sibi videretur quod vocatus est filius Antoninus. Hic tamen XIIII mense Imperij, F ob inciuilem patris atque asperum principatum, interfectus est cum patre, non suo nomine. Quãuis etiam istum vltra ætatem sæuisse in plerisque reperiam, vt docent litteræ ab hoc eodem ad patrem missæ. Nam quum quidam defectionis suspicionem incurrissent, & eos Macrinus sæuissime punisset, filio forte absente, atque hic audisset auctores quidẽ defectionis occisos, quorũ tamen vnus, dux Armeniæ erat, & item legatos Asiæ atque Arabiæ ob antiquam familiaritatẽ dimissos, his litteris cõuenisse patrem dicitur, paribus mis- G sis etiam ad matrem: quarum exemplum historiæ caussa inserendum putaui. *Patri Augusto filius Augustus. Nõ satis mi pater videris in amore nostro tenuisse tuos mores, qui tyrãnidis affectatæ cõscios reseruasti, sperans eos vel amiciores tibi futuros si iis parceres, vel ob antiquã familiaritatem dimittẽdos: quod nec debuit fieri, nec potuit. Nã primũ omniũ iã te exulceratis suspicionib. amare nõ possunt, deinde crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis*

se inimicissimis tuis iunxerunt. Adde quod exercitus adhuc habent. Si te nulla mouet tantarum gloria rerum, Ascanium surgentem, & spes heredis Iuli Respice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus, Debetur. *Ferendi sunt isti, si vis esse securus. Nam vitio generis humani alij non sunt defuturi, quum isti seruantur.* Hãc epistolam quidam ipsius, quidam magistri eius Cæliani ferunt, Afri quondam rhetoris. ex qua apparet, quam asper futurus iuuenis, si vixisset. Exstat alia epistola ad matrem ab eodem destinata, talis. *Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Age igitur vt Arabianus, & Tuscus, & Gellius, ad palum deligentur: ne, si occasio fuerit, nos in-* A *terimant.* Et, quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, istæ litteræ per notarium proditæ, illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. Nam, quum patrem occidissent, quidam hunc seruare voluerunt: sed exstitit cubicularius qui has epistolas concioni militum legit. Interfectis igitur ambobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum, caritate nominis, inclinauit exercitus. Is filius Bas- B siani Caracallæ ferebatur. Erat autem templi Heliogabali sacerdos, homo omnium impurissimus, & qui fato quodam Romanum deformauerit Imperium. De quo quidem, quia multa sunt dicenda, loco suo differam.

ÆLII LAMPRIDII

ANTONINVS HELIOGABALVS,

AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

VItam Heliogabali Antonini impurissimam, qui VARIVS etiam dictus est, numquam in litteras misissem, nequis fuisse Romanorum principem sciret; nisi ante Caligulas, & Nerones, & Vitellios, hoc idem habuisset Imperium. Sed quũ eadẽ terra & venena ferat & frumentũ, atque alia salutaria, alia contraria, eadẽ serpẽtes & ciconias; cõpensationem sibi lector diligens faciet, quũ legerit Augustum, Vespasianum, Titum, Traianum, Adrianum, Pium, Marcum, contra hos prodigio- D sos tyrannos: simul intelliget Romanorum iudicia, quod illi & diu imperarunt, & exitu naturali functi sunt; hi vero interfecti, tracti, tyrãni etiam appellati; quorum nec nomina libet dicere. Igitur occiso Macrino, eiusque filio Diadumeno, qui pari potestate imperij, Antonini etiam nomen acceperat, in Varium Heliogabalum imperium collatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur. Fuit autem Heliogabali, vel Iouis, vel Solis sacer- E dos, atque Antonini sibi nomen adsciuerat, vel in argumentum generis, vel quod id nomen vsque adeo carum esse cognouerat gentibus, vt etiam parricida Bassianus caussa nominis amaretur. Et hic quidem prius dictus est *Varius*, pòst *Heliogabalus*, à sacerdotio dei Heliogabali; cui templum Romæ in eo loco constituit in quo prius ædes Horci fuit, quem è Syria secum adduxit. Postremo quum accepit imperium, *Antoninus* appellatus est: atque ipse in Romano imperio vltimus Antoninorum fuit. Hic tantum Semiamiræ ma- F tri deditus fuit, vt sine illius voluntate nihil in rep. faceret, quum ipsa meretricio more viuẽs, in aula omnia turpia exerceret: Antonino antẽ Caracallo stupro cognita, ita vt hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur. Et aiũt quidam, *Varij* etiam nomen idcirco eidem inditum à condiscipulis, quod vario semine, de meretrice vtpote, conceptus videretur. Hic fertur, occiso Macrini factione patre (vt dicebatur) Antonino, in templũ dei Heliogabali confugisse velut in asylum, ne interficeretur à Macrino, qui sæuissime cum filio luxurioso & crudeli exercuit imperium. Sed de nomine hactenus, quamuis sanctum

C illud Antoninorũ nomen polluerit: quod tu Cõstantine sacratissime ita veneraris, vt Marcum & Piũ inter Cõstantios Claudiosque, velut maiores tuos, aureos formaueris, adoptãs virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas carasq;. Sed vt ad Antoninũ Variũ reuertamur, nactus imperiũ, Romã nuntios misit: excitatisq; omnibus ordinibus, omni etiã populo ad nomẽ Antoninũ quod nõ solũ titulo, vt in Diadumeno fuerat, sed D etiã in sanguine redditũ videbatur, quũ se Antoninũ Bassiani filiũ scripsisset, ingẽs eius desideriũ factũ est. Erat præterea etiã rumor qui nouis post tyrãnos solet donari principibus: qui nisi ex summis virtutib. nõ permanet, & quem multi mediocres principes amiserunt. Deniq; vbi in senatu lectæ sunt litteræ Heliogabali, statim fausta in Antoninũ, & dira in Macrinũ eiusq; filiũ dicta sunt: appellatusq; Antoninus princeps, volẽtib. cũctis, E & studiose credẽtibus, vt sese habẽt vota hominũ ad credulitatẽ festinantiũ, quũ quod optãt, verum esse desiderãt. Sed vbi primũ ingressus est vrbem, omissis iis quæ in prouincia gerebãtur, Heliogabalum in Palatino mõte iuxta ædes imperatorias cõsecrauit, eiq; tẽplum fecit, studens & Matris typũ, & Vestę ignẽ, & Palladiũ, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre tẽplum, & id agẽs nequis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudæorũ & Samaritanorum religiones, & Christianã deuotionẽ illuc F transferendã, vt omnium culturarum secretũ Heliogabali sacerdotiũ teneret. Deinde vbi primum diẽ senatus habuit, matrẽ suam in senatum rogari iussit. Quę quũ venisset, vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, id est, senatusconsulti conficiendi testis: solusque omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco viri senatũ ingressa est. Fecit & in colle Quirinali senaculum, id est mulierum senatũ, in quo ante fuerat conuentus matronalis, solennibus dumtaxat diebus, & si vmquam aliqua matrona consularis coniugij ornamentis esset donata; quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maxime quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne in-

ne immobilitatæ remanerent. Sed Semiamitica facta sunt senatus consulta ridicula de legibus matronalibus; quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum veniret: quæ pilēto, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum; quæ sella veheretur, & vtrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata: & quæ aurum vel gemmas in calciamentis haberent. Ergo quum hibernasset Nicomediæ, atque omnia sordide ageret, inireturque à viris & subaret, statim milites facti sui pœnituit quod in Macrinum conspirauerant vt hunc principem facerent: atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem Cæsarem senatus Macrino interempto appellauerat, inclinauere animos. *Quis enim ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem, quum ne belluam quidem talem quisquam ferat?* Romæ denique nihil egit aliud nisi vt emissarios haberet qui ei bene nasatos perquirerēt, eosque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui posset. Agebat præterea domi fabulam Paridis, ipse Veneris personam subiens, ita vt subito vestes ad pedes defluerent, nudusque vna manu ad mammam, altera pudendis adhibita ingenicularet, posterioribus eminentibus in subactorem reiectis & oppositis. Vultum præterea eodem quo Venus pingitur, schemate figurabat, corpore toto expolitus: cum fructum vitæ præcipuum existimans, si dignus atque aptus libidini plurimorum videretur. Vendidit & honores & dignitates & potestates, tam per se quam per omnes seruos ac libidinum ministros. In senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecuniæ merito, militaribus etiam præposituris & tribunatibus, & legationibus & ducatibus venditis, etiam procurationibus & palatinis officiis. Aurigas Protogenem & Gordium, primo in certamine curuli socios, post in omni vita & actu participes habuit. Multos quorum corpora placuerant, de scena & circo & harena in aulam traduxit. Herodem vero sic amauit vt eidem inguina oscularetur; quod dictu etiam verecundum est; Floralia sacra se asserens celebrare. In virginem Vestalem incestum admisit. Sacra P.R. sublatis penetralibus profanauit. Ignem perpetuum extinguere voluit. Nec Romanas tantum exstinguere voluit religiones, sed per orbem terræ vnum studens vt Heliogabalus deus vnus vbique coleretur: & in penum Vestæ, quod solæ virgines solique pontifices adeunt, irrupit, pollutus ipse omni contagione morum, cum iis qui se polluerant: & penetrale sacrum est auferre conatus: quumq; seriam quasi veram rapuisset, quamuis virgo maxima falsam monstrauerat, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit: nec tamen quidquam religioni demsit; quia plures similes factæ dicuntur esse, ne quis veram vmquam possit auferre. Hæc quum ita essent, signum tamen quod Palladium esse credebat, abstulit: & auro vinctum, in sui dei templo locauit. Matris etiam deûm sacra accepit, & adeo debacchatus est vt typum eriperet & alia sacra quæ penitus habentur condita. Iactauit autem caput inter præcisos phanaticos, & genitalia sibi deuinxit, & omnia fecit quæ Galli facere solent, ablatumque sanctū nomen in penetrale dei sui transtulit. Salābonem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit; omen sibi faciens imminentis exitij.

A Omnes sane deos sui dei ministros esse aiebat, quū alios eius cubicularios appellaret, alios seruos, alios diuersarum rerum ministros. Lapides qui Diui dicuntur, ex proprio templo; Dianæ Laodiceæ simulacrum, ex adyto suo in quo id Orestes posuerat, auferre voluit. Et Orestem quidem ferunt non vnum simulacrum Dianæ, nec vno in loco posuisse, sed multa in multis. postea quam se apud tria flumina circa Hebrum ex responso pu-
B rificauit, etiam Orestam condidit ciuitatem, quā sæpe cruentari hominum sanguine necesse est. Et Orestam quidem vrbem Adrianus suo nomine vindicari iussit, eo tempore quo furore cœperat laborare, vt ex responso, quum ei dictum esset vt in furiosi alicuius domum vel nomē irreperet. nā ex eo emollitā insaniam ferūt, per quā multos senatores occidi iusserat: quibus seruatis, Antoninus Pij nomen meruit, quod eos post ad senatum adduxit, quos omnes iussu principis interfectos
C credebāt. Cædit & humanas hostias lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, credo vt maior esset vtrique parenti dolor. Omne denique magorum genus aderat illi, operabaturque quotidie, hortante illo & gratias diis agente quod amicos eorum inuenisset quum inspiceret exta puerilia, & excuteret hostias ad ritum gentilem suum. Quum collatum misisset in populum, non nummos vel argenteos vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, sed
D boues opimos & camelos, & asinos, & seruos populo diripiendos abiecit, imperatorium id esse dictitans. Insectatus est famam Macrini crudeliter, sed multo magis Diadumeni, quod Antoninus dictus est, Pseudoantoninum & Pseudophilippum eum appellans, simul quod quum luxuriosissimus extitisset, vir fortissimus, optimus, grauissimus, seuerissimus diceretur. Coëgit denique scriptores nonnullos nefanda, immo potius non ferenda eius dicta de luxuria disputare, vt in
E vita eius. Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, simul & palam populo exhibuit, vt ex eo conditiones bene nasatorum hominum colligeret. idque diligenter curatum est vt ex tota penitus vrbe atque ex nauticis monobelos quærerent: sic eos appellabant qui viriliores videbantur. Quum Marcomanis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligauerat, dictum est à quibusdam, per Chaldæos & magos Antoni-
F num Marcum id egisse, vt Marcomani P.R. semper deuoti essent atque amici; idque factis carminibus & consecratione. quum quæreret quæ illa essent, vel vbi essent, suppressum est. Constabat enim illum ob hoc consecrationem quærere, vt eam dissiparet spe belli concitandi: & idcirco maxime quod audierat responsum fuisse, ab Antonino bellum Marcomanicum finiendum, quū hic Varius, & Heliogabalus, & ludibrium publi-
G cum diceretur, nomen autem Antonini pollueret in quod inuaserat. Prodebatur autem per eos maxime qui dolebant sibi homines ad exercendas libidines bene nasatos & maioris peculij opponi. Vnde etiam de nece eius cogitari cœpit. Et hæc quidem domi. Sed milites pestem illam velari Imperatoris nomine, pati nequiuerunt: ac primum inter sese, deinde per coronas iecere sermones in Alexandrum omnes inclinantes, qui iam Cæsar erat à senatu dictus eo tempore quo Macrinus, consobrinus huius Antonini. Nam Varia vna his erat auia; vnde He-

liogabalus *Varius* dicebatur. Zoticus sub eo tantum valuit vt ab omnibus officiorum principibus sic haberetur quasi domini maritus esset. Erat præterea idem Zoticus, qui hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta venderet fumis; quam maxime diuitias enormes sperans; quum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret: egrediensque ab illo, singulos adiret, dicens, *De te hoc loquutus sum, de te hoc audiui, de te hoc futurum est*, vt sunt homines huiusmodi, qui si admissi fuerint ad nimiam familiaritatem principum, famam non solum malorum, sed & bonorum principum vendunt, & qui stultitia vel innocentia Imperatorum, qui hoc non perspiciunt, infami rumigeratione pascuntur. Nupsit & coiit, vt & pronubum haberet, clamaretque, *Concide magire*. Et eo quidem tempore quo Zoticus ægrotabat, quærebat deinde à philosophis & grauissimis viris, an & ipsi in adolescentia perpessi essent quæ ipse pateretur, & quidem impudentissime. neque enim vmquam verbis pepercit infamibus quum & digitis impudicitiam ostentaret, nec vllus in conuentu & audiente populo esses pudor. Fecit libertos præsides, legatos, consules, duces: omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Quum ad vindemias vocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset, grauissimum quemque percũctari cœpit an promptus esset in venerem: erubescentibusque senibus exclamabat, *Erubuit, salua res est*, silentium ac ruborem pro consensu ducens. Addidit preterea ipse quæ faceret, sine vllius pudoris velamento. Postea quam senes vidit erubescere ac tacere, vel quia ætas vel quia dignitas talia refutabat, contulit se ad iuuenes, & ab his cœpit omnia exquirere. à quibus quum audiret ætati congrua, gaudere cœpit & dicere, vere liberam vindemiam esse quam sic celebrarent. Ferunt multi ab ipso primũ repertum, vt in vindemiarum festiuo multa in dominos iocularia, & audientibus dominis, dicerentur, quæ ipse composuerat, & Græca maxime. Horum pleraque Marius maximus dicit in vita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi, & senes quidam, & specie philosophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati se dicerent, qui maritos se habere iactarent. Quos quidam finxisse dicunt, vt illi fierent vitiorum imitatione clariores. Ad præfecturam prætorij saltatorem qui histrionicam Romæ fecerat, adsciuit: præfectum vigilum Gordium aurigam fecit; præfectum annonæ Claudium censorem. ad honores reliquos promouit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum. ad vicesimam hereditatum mulionem curare iussit. iussit & cursorem; iussit & cocum & claustrarium artificem. Quum ingressus est vel castra vel curiam, auiam suam Variam nomine, de qua superius dictum est, secum induxit; vt eius auctoritate honestior fieret, quia per se nó poterat. nec ante eum (quod iam diximus) senatum mulier ingressa est ita, vt ad scribendum togaretur & sententiam diceret. In conuiuiis exoletos maxime iuxta se ponebat, eorumque attrectatione & tactu præcipue gaudebat: nec quisquam ei magis poculum quum bibisset, dabat. Inter hæc mala vitæ impudicissimæ, Alexandrum, quem sibi adoptauerat, à se amoueri iussit, dicens se pœnitere adoptionis; mandauitque ad senatum vt Cæsaris ei nomen abrogare-

A tur. Sed in senatu hoc prodito ingens silentium fuit. siquidem erat optimus iuuenis Alexander, postea comprobatus genere Imperij eius, quum ideo displiceret patri quod impudicus non esset. Erat autem idem consobrinus, & vt quidam dicunt, à militibus etiam amabatur, & senatui acceptus erat & equestri ordini. Nec defuit tamen furor vsque ad exitium voti pessimi. nam ei percussores immisit. Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos Spei veteris, quasi contra nouum iu- B uenem vota concipiens, relicta in palatio matre & auia & consobrino suo, iussitque vt trucidaretur iuuenis optimus & reip. necessarius. Misit & ad milites literas quibus iussit vt abrogaretur nomen Cæsaris Alexandro. Misit qui & in castris statuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri solet de tyrannis. Misit & ad nutritores eius quib. imperauit sub præmiorum spe atque honorum, vt eũ occiderent quo vellent modo, vel in balneis, vel C veneno, vel ferro. *Sed nihil agunt improbi contra innocentes.* Nam nulla vi quis adduci potuit vt tantum facinus impleret, quum in ipsum magis conuersa sint tela quæ parabat aliis, ab iisque sit interfectus quibus alios appetebat. Sed vbi primum lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserũt: & pars in palatiũ, pars in hortos in quibus erat Varius, ire tẽdũt vt Alexãdrũ vindicarẽt, hominẽque impurum eumdemque patricidialis animi tandem à rep. depellerent. Et quum in palatium venissent, Alexandrum cum matre atque D auia custoditum diligentissime postea in castra duxerunt. Sequuta autem erat illos Semiamira mater Heliogabali pedibus, sollicita filio. Inde itum est in hortos: vbi Varius inuenitur certamen aurigandi parans, exspectans tamen intentissime quando eidem nuntiaretur consobrinus occisus. Qui subito militum strepitu exterritus, in angulum se condidit: obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit. Misit ex præfectis alios ad compescendos milites in E castra, alios vero ad eos placandos qui iam in hortos venissent. Antiochianus igitur ex præfectis vnus, milites qui in hortos venerãt, & sacramenti admonitione exorauit ne illũ occiderẽt, quia nec multi venerant, & pleriq; cũ vexillo quod Aristomachus tribunus retinuerat, remanserant. hæc in hortis. In castris vero milites precanti præfecto dixerunt se parsuros esse Heliogabalo, si & impuros homines & aurigas & histriones à se dimoueret, atque ad bonam frugem rediret, his maxi- F me submotis qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant, & qui omnia eius vendebant, vel vanitate vel fumis. Remoti sunt denique ab eo Herodes, Gordius, & Murissimus, & duo improbi familiares qui eum ex stulto stultiorem faciebant. Mandatum præterea à militibus præfectis, ne paterentur illum ita diutius viuere: & vt Alexander custodiretur, ne vel illi aliqua vis afferretur, simul ne Cæsar quempiam amicum Augusti videret, ne vlla fieret imitatio G turpitudinis. Sed Heliogabalus & ingenti prece Herodem reposcebat impudicissimum hominẽ, & insidias in dies Cæsari propagabat. Denique Cal. Ianuariis, quum simul tum designati essent consules, noluit cum consobrino procedere. Ad extremum quum ei auia & mater dicerent, imminere milites ad eius exitium, nisi concordiam viderent inter se consobrinorum, sumpta prætexta hora diei sexta processit ad senatum, auia sua ad

senatum

senatum vocata, & ad sellam producta. Deinde in Capitolium ad vota concipienda, & perficienda solennia ire noluit: omnia per præfectum vrbanum facta sunt, quasi consules illic non essent. Nec distulit cædem consobrini, sed timens ne senatus ad aliquem se inclinaret si ille consobrinũ occidisset, iussit subito senatũ vrbe decedere: omnesque etiã quibus aut vehicula aut serui deerant, subito proficisci iussi sũt: quũ alij per baiulos, alij per fortuita animalia & mercede conducta veherētur. Sabinum consularem virum, ad quē libros Vlpianus scripsit quod in vrbe remansisset, vocato centurione mollioribus verbis, iussit occidi. Sed centurio aure surdior imperari sibi credidit vt vrbe pelleretur: itaque fecit. sic vitium centurionis Sabino saluti fuit. Remouit & Vlpianum iurisconsultum, vt bonum virum: & Siluinum rhetorem, quem magistrum Cæsaris fecerat. Et Siluinus quidem occisus est, Vlpianus vero reseruatus. Sed milites, & maxime prætoriani, vel scientes quæ mala in Heliogabalum pararent, vel quod sibi viderent inuidiam, facta conspiratione ad liberandam remp. primum in conscios vario genere mortis, quum alios vitalibus exemptis necarent, alios ab ima parte perfoderent, vt mors esset vitæ consentiēs: post hoc in eum impetus factus est, atque in latrina ad quam confugerat, occisus. Tractus deinde per publicum, additaque iniuria cadaueri est, vt id in cloaculam milites mitterent. Sed quum non cepisset cloacula fortuito, per pontem Æmilium, annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abiectum est, ne vnquam sepeliri posset. Tractum est cadauer eius etiam per circi spatia, priusquam in Tiberim præcipitaretur. Nomen eius, id est Antonini, erasum est senatu iubente; remansitque Varij Heliogabali: siquidem illud affectato retinuerat, quum vult videri filius Antonini. Appellatus est post mortem *Tiberinus*, & *Tractitius*, & *Impurus*, & multa, siquando ea erant designanda quæ sub eo facta videbantur: solusque omnium principum & tractus est, & in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus. Quod odio communi omnium contigit, à quo speciatim cauere debent Imperatores: siquidem nec sepulcra merentur qui amorem senatus, populi, ac militum non merentur. Opera publica ipsius, præter ædem Heliogabali dei, quem Solem alij, alij Iouem dicunt; & amphitheatri instauratio post exustionem, & lauacrum in vico Sulpicio, quod Antoninus Seueri filius cœperat, nulla exstant. & lauacrum quod Antoninus Caracallus dedicauerat, & lauando & populum admittendo. Sed porticus defuerant; quæ postea ob hoc sub Decio Antonino exstructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ. Hic vltimus Antoninorum fuit; quamuis cognomine postea Gordianos multi Antoninos putent, qui Antonij dicti sunt, non Antonini. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, vt eius nomen senatus eraserit. quem nec ego Antoninum vocassem, nisi caussa cognitionis; quæ cogit plerumque dici ea etiam nomina quæ sunt abolita. Occisa est cum eo & mater Semiamira probrosissima mulier, & digna filio. Cautumque ante omnia post Antoninum Heliogabalum, ne vnquam mulier senatum ingrederetur, vtque inferis eius caput dicaretur deuoueretur que per quem id esset factum. De huius vita multa in litteras missa sunt obscena: quæ quia digna memoratu non sunt, ea solum pro-

A denda censui quæ ad luxuriam pertinebant: quorum aliqua priuatus, aliqua iam Imperator fecisse perhibetur: quum ipse priuatus diceret, se Apicium, Imperator vero, Neronem, Othonem, & Vitellium imitari. Nam primus omnium priuatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum Imperatorium publice vendiderat. Deinde æstiua conuiuia coloribus exhi-
B buit, vt hodie prasinum vitreum, alia die venetum deinceps exhiberet, semper varie per dies omnes æstiuos. Primus deinde mensas & capsas argenteas habuit, primus etiam cacabos. Vasa deinde centenaria argentea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata. & masticatum, & pulciatum: & omnia hæc quæ nunc luxuria retinet, primus inuenit. Nam rosatum ab aliis acceptum, pineatum etiam attritione odoratius reddidit. Denique hæc genera poculorum
C ante Heliogabalum non leguntur. Nec erat ei vlla vita nisi exquirere nouas voluptates. Primus fecit de piscibus isicia, primus de ostreis, & leiostreis, & aliis huiusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis. Strauit & triclinia de rosa, & lectos, & porticus, ac si per ea deambulauit, idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis & narcissis. Hic non nisi vnguento nobili aut croco piscinis infectis natauit. Nec cubuit in accubitis facile, nisi iis quæ
D pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, subalares sæpe culcitras mutans. Senatum nonnumquam ita contempsit vt mancipia togata appellaret: populum vero Rom. vnius fundi cultorem: equestrem ordinem in nullo loco habens. Præfectum vrbi cum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio: ita vt si recusarent, magistri horum eos cogerent. Voluit & per singulas vrbes lenones præfectos vrbi facere, & vt essent in vrbe
E XIIII: & fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos & vltimæ professionis homines. Hic solido argento factos habuit lectos, & tricliniares & cubiculares. Comedit sæpius ad imitationem Apicij calcanea camelorum, & cristas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & lusciniarum: quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnico-
F pterum, & perdicum ouis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum & fasianorum & pauonum. Barbas sane mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pro nasturtiis, apiastris & faselaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis & discis: quod præcipue stupendum est. Canes iecinoribus anserum pauit. Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam & tertiam mensam iubebat accumbere, ignorantibus cunctis quod exarmati essent, ad pauorem & ridi-
G culum excitandum. Misit & vuas Apamenas in præsepia equis suis: & psittacis atque fasianis leones pauit & alia animalia. Exhibuit & sumina aprugna per dies decem, tricena quotidie cum suis bulbis: pisum cum aureis, lentem cum ceraunniis, fabam cum electris, & orizam cum albis exhibens. Albas præterea in vicem piperis piscibus & tuberibus conspersit. Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus, sic vt animam aliqui effla-

uerint, quum eripi ad summum non possent. Condito piscinas & solia temperauit, & rosato atque absinthiato vulgus ad bibendum inuitauit: & ipse cum populo tantum bibit, vt in piscina eum bibisse intelligeretur, viso quod vnus bibisset. Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos basternas & rhedas: dedit & aureos millenos, & centena pondo argenti. Sortes sane conuiuales scriptas in cochlearibus habuit tales, vt alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas; alius decem libras auri, alius decem plumbi; alius decem struthiones, alius decem oua pullina; vt veræ sortes essent & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & vrsos decem, & decem gryllos, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit. Primusque hunc morem sortis instituit quem nunc videmus. Sed vere ad sortem scenicos vocauit, quum & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in sorte: & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia; quæ populus tam libenter accepit vt eum postea imperare gratularetur. Fertur in euripis vino plenis nauales circenses exhibuisse, pallia de œnanthio fudisse, & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulchris quæ obsistebant: iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo priuato spectaculo. Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subito ante lucem, vt solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse; multosque afflictos morsu & fuga. Vsus est aurea omni tunica; vsus & purpurea: vsus & de gemmis Persica; quum grauari se diceret onere voluptatis. Habuit & in calciamentis gemmas, & quidem sculptas: quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis quæ pedibus adhærebant. Voluit vti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarum vultum aptus: quo & vsus est domi. Fertur & promisisse phœnicem conuiuis, vel pro ea libras auri mille, vt in prætorio eas dimitteret. Marinæ aquæ colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime eosdem & singulis amicis natantibus dimisit, & iterum cum piscibus impleuit. Montem niuium in viridario domus æstate fecit aduectis niuibus. Ad mare piscem numquam comedit: in longissimis à mari locis omnia marina semper exhibuit. Murænarum lactibus & luporum in locis mediterraneis rusticos pauit. Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura veneta comedit: momentarias de rosato & rosis piscinas exhibuit, & bibit cum omnibus suis caldaria de nardo exhibens. Idem in lucernis balsamum exhibuit. Idem mulieres numquam iterauit, præter vxorem. Lupanaria domi amicis, clientibus & seruis exhibuit. Idem numquam minus CLLS cœnauit, hoc est argenti libris triginta: aliquando autem tribus millibus LLS cœnauit, omnibus supputatis quæ impendit. Cœnas vero & Vitellij & Apicij vicit. Pisces ex viuariis suis bubus traxit: per macellum transiens, mendicitatem publicam fleuit. Parasitos ad rotam aquariam ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum reuoluebat: eosque *Ixiones amicos* vocauit. Strauit & saxis Lacedæmoniis ac Porphyrethicis

A placas in palatio; quas *Antoninianas* vocauit: quę saxa vsque ad nostram memoriam manserunt; sed nuper eruta & exsecta sunt. Constituerat & columnam vnam dare ingentem, ad quam ascenderetur intrinsecus, ita vt in summo Heliogabalum deum collocaret: sed tantum saxum non inuenit, quum id de Thebaide afferre cogitaret. Ebrios amicos plerumque claudebat, & subito nocte leones, & leopardos, & vrsos exarmatos B immittebat, ita vt expergefacti in cubiculo eodem, leones, vrsos, pardos, cum luce vel (quod est grauius) nocte inuenirent: ex quo plerique exanimati sunt. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis: ita vt plerumque subito sub mensis inuenirentur prandentes. Primus denique inuenit sigma in terra sternere, non in lectulis, vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum spiritum soluerentur. Mimicis adulteriis ea quæ solent simulato fieri, C effici ad verum iussit. Meretrices à lenonibus cunctis redemit sæpe, & manumisit. Quum inter fabulas priuatas sermo esset ortus quanti herniosi esse possent in vrbe Roma iussit omnes notari, eosque ad balneas suas exhiberi, & cum iisdem lauit, nonnullis etiam honestis. Gladiatores ante conuiuium pugnantes sibi frequenter exhibuit. Strauit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet noxios & venationes sibi exhibuit. Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, D sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem nonnumquam vel marmoream etiam vel lapideam exhibuit: ita vt omnia illis exhiberentur videnda de diuersa materia, quæ ipse cœnabat, quum tantum biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent, lauarent. Primus Romanorum holoserica veste vsus fertur, quum iam subserica in vsu essent. Linteamen lotum numquam attigit, mendicos dicens qui linteis lotis vterentur. Dalmaticatus in publico post cœnam E sæpe visus est, Gurgitem Fabium & Scipionem se appellans, quod cum ea veste esset cum qua Fabius & Cornelius à parentibus ad corrigendos mores adolescentes in publicum essent producti. Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas commilitones: disputauitque de generibus schematum & voluptatum. Adhi- F buit in tali concione postea lenones, exoletos vndique collectos, & luxuriosissimos puerulos & iuuenes. Et quum ad meretrices muliebri ornatu processisset, papilla eiecta exoletos habitu puerorum qui prostituuntur, post concionem pronuntiauit his quasi militibus ternos aureos donatiuũ petiitque ab his vt à diis peterent vt alios haberet ipsis commendandos. Iocabatur sane ita cum seruis, vt eos iuberet millena pondo sibi aranearum G deferre, proposito præmio: collegisseque dicitur decem milia pondo aranearum, dicens & hinc intelligendum quam magna esset Roma. Mittebat parasitis per cellarios salaria annua, vasa cum ranis & scorpiis, & cum serpentibus, & huiusmodi monstris. Claudebat in eiuscemodi vasis infinitum muscarum, *apes mansuetas* eas appellans. Quadrigas circēsium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans & cœnitans, conuiuas senes agitare cogens, nonnullos honoratos iã Imperatori. Iubebat sibi & decẽ millia mu-

lia murium exhiberi; mille mustellas, mille sori-
ces. Dulciarios & lactarios tales habuit, vt quæ-
cumque coqui de diuersis edulibus exhibuissent,
vel structores vel pomarij, illi modo de dulciis,
modo de lactariis exhiberent. Exhibuit parasitis
cœnas & de vitreis, & nonnumquam tot picta
mantilia in mensam mittebat his edulibus picta
quæ apponerentur, quot missus esset habiturus; i-
ta vt de acu aut de textili pictura exhiberentur.
Nonnumquam tamen & tabulæ illis pictæ exhi-
bebantur: ita vt quasi omnia illis exhiberentur, &
tamen fame macerarentur. Miscuit gemmas po-
mis ac floribus: iecit & per fenestram cibos toti-
dem quot exhibuit amicis. Iusserat & canonem
P.R. vnius anni meretricibus, lenonibus, exoletis
intramuranis dari; extramuranis alio promisso:
quum eo tempore iuxta prouisionem Seueri &
Traiani, septem annorum canon frumentarius Ro
mæ esset. Canes quaternos ingentes iunxit ad cur-
rum, & sic est vectatus intra domum regiam: idq;
priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum
& quatuor ceruis iunctis ingentibus. Iunxit sibi &
leones; Matrem magnam se appellans: iunxit & ti-
gres; Liberum sese vocans, eodemque habitu agēs
quo dij pinguntur quos imitabatur. Ægyptios dra
cunculos Romæ habuit, quos illi *agathodæmonas*
vocant. Habuit & hipopotamos & crocodilum &
rhinocerotem, & omnia Ægyptia quæ per natu-
ram sui exhiberi poterant. Struthiones & camelos
exhibuit in cœnis aliquoties; dicens præceptum
Iudæis vt ederent. Illud sane mirum videtur quod
dicitur ab eo factum, vt de croco sigma strauerit,
quum summos viros rogasset ad prandium; pro eo
rum dignitate se dicens fœnum exhibere. Traiecit
& dierum actus noctibus, & nocturnos diebus; æ-
stimans hoc inter instrumenta luxuriæ; ita vt sero
de somno surgeret & salutari inciperet, mane au-
tem dormire inciperet. Amicis quotidie nec
quemquam facile indonatum relinquebat; nisi
quem frugi quasi perditum reperisset. Habuit gē-
mata vehicula & aurata, contemptis argentatis &
eboratis & æratis. Iunxit & quaternas mulieres
pulcherrimas & binas, ad papillam, vel ternas &
amplius; & sic vectatus est: sed plerumque nudus,
quum illum nudæ traherent. Habuit & hanc con-
suetudinem vt octo caluos rogaret ad cœnam, itē
octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos,
octo nigros, octo longos, & octo pingues; quum
capi non possent vno sigmate; vt de his omnibus
risus citaret. Donauit & argentum omne conui-
uis quod habuit in conuiuio, & omnem appara-
tum poculorum; idque sæpius. Hydrogarum Ro-
manorum ducum primus publice exhibuit; quum
antea militaris mensa esset; quam postea statim A-
lexander reddidit. Proponebat præterea his quasi
themata, vt iura noua dapibus condiendis inueni-
rent cuius placuisset commentum, ei dabat maxi-
mum præmium; ita vt sericam vestem donaret,
quæ tunc & in raritate videbatur, & in honore.
Si aliquis autem displicuisset, iubebat vt semper id
comesset, quamdiu tamen melius inuenisset. Sem-
per sane aut inter flores sedit, aut inter odores pre
tiosos. Amabat sibi prætia maiora dici earum re-
rum quæ mensæ parabantur; orexin conuiuio hāc
esse asserens. Pinxit se vt cupediarium, vt seplasia-
rium, vt popinarium, vt tabernarium, vt lenonem:
idque totum domi semper exercuit. Sexcentorum
struthionum capita vna cœna multis exhibuit ad
edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale con-

A uiuium, vt haberet viginti & duo fercula ingentiū
epularum; sed per singula lauarent, & mulieribus
vterentur & ipse & amici, cum iureiurando quod
efficerent voluptatem. Celebrauit item tale conui-
uium, vt apud amicos singulos singuli missus ap-
pararentur; & quum alter maneret in Capitolio,
alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Cæ-
lio, alter trans Tiberim, & vt quisque mansisset,
tamē per ordinem in eorum domibus singula fer-
B cula ederentur, ireturque ad omnium domos: sic
vnum conuiuiū vix toto die finitū est, quū & laua-
rēt per singula fercula, & mulieribus vterētur. Sy-
bariticū missū sēper exhibuit ex oleo & garo: quē
quo anno Sybaritæ reppererūt, perierunt. Dicitur &
balneas fecisse multis locis, ac semel lauisse, atq; sta
tim destruxisse ne ex vsu balneas haberet. Hoc idē
de domibus, de prætoriis, de zetis fecisse dicitur.
Sed & hęc nonnulla fidē transeuntia, credo esse fi-
cta ab iis qui in gratiam Alexandri Heliogabalum
C deformare voluerunt. Fertur & meretricem notis-
simam & pulcherrimam redemisse c.I.S; eamque
intactam, velut virginem coluisse. Huic eidem pri
uato quum quidam diceret, *Non times pauper fie-*
ri? dixisse dicitur, *Quid melius quam vt ipse mihi hæ*
res sim & uxori meæ? Habuerat præterea facultates,
à multis dimissas gratia patris. Idem filios se
nolle dicebat; ne quis ei frugi contingeret. Odores
Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas iu-
bebat incendi. Iter priuatus numquam minus sexa
D ginta vehiculis fecit, auia sua Varia reclamante,
quod omnia perditurus esset. Imperator vero etiā
sexcenta vehicula dicitur duxisse; asserens decem
millibus camelorum Persarum regem iter facere,
& Neronem quingentis carrucis iter iniisse. Caus-
sa vehiculorum erat, lenonum, lenarum, meretri-
cum, exoletorum, subactorum etiam bene uasato-
rum multitudo. In balneis semper cum mulieri-
bus fuit; ita vt eas ipse psilothro curaret: ipse quo-
que barbam psilothro accurans; quodque puden-
E dum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur,
& eadem hora: rasit & virilia subactoribus suis
nouacula manu sua, qua postea barbam fecit. Sco-
be auri porticum strauit & argenti; dolens quod
non posset & electri: idque frequenter quacumq;
fecit iter pedibus vsque ad equum vel carpentum;
vt fit hodie de aurosa harena. Calciamentum num
quam iterauit: annulos etiam negatur iterasse. Pre-
tiosas vestes sæpe conscidit: vel lanam cepit & ap-
F pendit, atque ad eius æstimationem ponderis, pis-
ces amicis exhibuit. Naues onustas mersit in por-
tu; magnanimitatis hoc esse dicens. Onus ventris
auro excepit: in murrhinis & onychinis minxit.
Idem dixisse fertur, *Si habuero heredem, dabo illi*
tutorem qui illum hæc facere cogat quæ ipse feci facturusque sum.
Habuit etiam istam consuetudinem vt
cœnas sibi exhiberet tales: vna die nonnisi de fa-
sianis tantum ederet, omnesque missus sola fasia-
norum carne strueret: item alia die de pullis; alia
G de pisce illo, & item illo; alia de porcis, alia de stru
thionibus, alia de holeribus, alia de pomis, alia de
dulciis, alia de opere lactario. Sæpe amicos suos
cum Æthiopibus aniculis inclusit nocturnis mā-
sionibus, & vsque ad lucem detinuit; quum pul-
cherrimas his diceret apparatas. Fecit hoc idem
etiam de pueris: & tunc, vtpote ante Philippum
licebat. Ridebat autem sic nonnumquam, vt publi
ce in theatro solus audiretur: ipse cantauit, saltauit,
ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo
modulatus est. Fertur & vna die ad omnes circi &

theatri & amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur, ingressus; quum tamē omnibus meretricibus sine effectu libidinis aureos donaret, ad dens, *Nemo sciat, Antoninus hæc donat.* Libidinum genera quædam inuenit, vt spintrias veterū malorum vinceret: & omnes apparatus Tiberij & Caligulæ & Neronis norat. Et prædictum eidem erat à sacerdotibus Syris, biothanatum se futurum. Parauerat igitur funes blatta & serico & cocco intortos, quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos, quibus se occideret si aliqua vis vrgeret. Parauerat & in cerauniis & hyaciothis & in smaragdis venena, quib. se interimeret si quid grauius immineret. Fecerat & altissimam turrim, substratis aureis gemmatisque ante tabolis, ex qua se præcipitaret; dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere, & ad speciem luxuriæ, vt diceretur nemo sic perisse. Sed nihil ista valuerunt. Nam (vt diximus) & occisus est per scurras, & per plateas tractus est sordidissime; per cloacas ductus, & in Tiberim submissus est. Hic finis Antoninorum nomini in rep. fuit, scientibus cunctis istum Antoninum tam vita falsum fuisse quā nomine. Mirum fortasse cuipiam videatur, Constantine venerabilis, quod hæc clades quam retuli, loco principum fuerit, & quidem prope triennio; ita, vt nemo vir inuentus fuerit qui istum à gubernaculis Romanæ maiestatis abduceret; quū Neroni, Vitellio, Caligulæ, cæterisque huiusmodi, nūquam tyrannicida defuerit. Sed primum omniū ipse veniam peto, quod hæc quæ apud diuersos reperi, litteris tradidi; quum multa improba reticuerim, & quæ ne dici quidem sine maximo pudore possunt. Ea vero quæ dixi, prætextu verborum adhibito, quantum potui, texi. Deinde illud quod clementia tua solet dicere, credidisse reficiendum,

A *Imperatorem esse, fortuna est.* Nam & minus boni reges fuerunt, & pessimi. Agendum vero quod pietas tua solet dicere, *Vt sint imperio digni quos ad regendi necessitatem vis fatalis adduxerit.* Et quoniā hic vltimus Antoninorum fuit, neque postea hoc nomen in republ. loco principum frequentatum est, etiam illud addēdum est, nequis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem ac filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant: non nomen in illis primum fuit, sed præno-

B men. deinde, vt plerisque in libris inuenio, Antonij dicti sunt, non Aotonini. Hæc sunt de Heliogabalo: cuius vitam me inuitum & reluctantem, ex Græcis Latinisque collectam, scribere ac tibi afferre voluisti, quum iam aliorū ante tulerimus. Scribere autem ordiar qui post sequentur: quorum Alexander optimus, & cum vera dicendus assertione, & annorum tredecim princeps: semestres alij, & vix annui & bimi. Aurelianus præcipuus; & horum omnium decus, auctor tui generis Clau-

C dius, de quo vereor ad clementiam tuam scribens vera dicere, ne maleuolis adulatus videar esse. Sed absoluar contra liuorem improborum, quum apud alios clarum esse perspexerim. His iungendi sunt Diocletianus, aurei parens seculi, & Maximianus (vt vulgo dicitur) ferrei, cæterique ad pietatem tuam. Te vero Auguste venerabilis, multis paginis, iisdemque disertioribus, illi prosequentur quibus id felicior natura detulerit. His addendi sunt Licinius, Seuerus Alexander, atque Maxentius: quorum omnium ius in dicionem tuam deuenit:

D sed ita vt nihil eorum virtuti derogetur. Non enim ego id faciam quod plerique scriptores solent, vt de his detraham qui victi sunt; quum intelligam gloriæ tuæ accedere, si omnia de illis quæ bona in se habuerunt, vera prædicaro.

ÆLII LAMPRIDII

ALEXANDER SEVERVS

AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

INterfecto Vario Heliogabalo, (sic enim maluimus dicere quam Antoninum: quia & nihil Antoninorum pestis illa ostendit, & hoc nomen ex annalibus senatus auctoritate erasum est) ad remediū generis humani AVRELIVS ALEXANDER, vrbe Arcena genitus, Varij filius, Variæ nepos, & consobrinus ipsius Heliogabali, accepit imperiū, quum antè Cæsar à senatu esset appellatus, mortuo scilicet Macrino: augustumque nomen idem recepit; addito eo vt & patris patriæ nomen, & ius proconsulare, & tribunitiam potestatem, & ius quintæ relationis, deferente senatu, vno die assumeret. Et ne præceps ista honorum continuatio videatur, exponam caussas quibus id & senatus coactus est facere, & ille perpeti. Non enim aut grauitati senatus congruebat omnia simul deferre, aut bono principi raptum ire tot simul dignitates. Milites iam insueuerant sibi Imperatores & tumultuario iudicio facere, & item facile mutare; afferentes nonnumquam ad defensionem, se idcirco fecisse, quod nescissent senatum principem ap-

E pellasse. nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Auidium Cassium, & antea Lucium Vindicem, & L. Antonium, & ipsum Seuerum, quum senatus iam Iulianum dixisset principem, Imperatores fecerant: atque ista res bella ciuilia seuerat: quibus necesse fuit militem cōtra hostem paratū parricidaliter perire. Hac igitur caussa festinatum est vt omnia simul Alexander, quasi vetus iam Imperator, acciperet. Huc accessit nimia & senatus & populi inclinatio post illam cladem

F quæ non solum Aotoninorum nomen decolorauit; sed etiam Romanum dehonestauit imperium. Certatim denique omnia decreta sunt & nominum genera & potestatum. Primus denique omnium cuncta insignia, & honorificentiæ genera simul recepit, suffragante sibimet Cæsaris nomine, quod iam ante aliquot annos meruerat: & magis suffragante vita & moribus, quum illi magnum conciliasset fauorem quod eum Heliogabalus occidere conatus est, nec potuit, & militibus repognantibus, & senatu refragante. Atque hæc

parua,

parua,nisi quod dignum se exhibuit quem senatus
seruaret, quem saluum milites cuperent,quem o-
mnium bonorum sententia principem diceret.A-
lexander igitur,cui Mammæa mater fuit, (nam &
ita dicitur à plerisque)à prima pueritia artibus bo
nis imbutus , tam ciuilibus quam militaribus, ne
vnum quidem diem sponte sua transire passus est,
quo se non & ad litteras & ad militiam exerceret.
Nam in prima pueritia litteratores habuit Vale-
rium Cordum & L.Veturium , & Aurelium Phi-
lippum libertum patris : qui vitam eius postea in
litteras misit. Grammaticum in patria Græcum
Nebonem , rhetorem Serapionem , philosophum
Stilionem:Romę grammaticos,Scaurinum Scau-
rini filium doctorem celeberrimum: rhetores Iu-
lium Frõtinum,& Bæbium Macrinum, & Iulium
Granianum; cuius hodieque orationes declamatæ
feruntur. Sed in Latinis non multum profecit,vt
ex eiusdem orationibus apparet quas in senatu ha
buit;vel in concionibus , quas apud milites vel a-
pud populum. nec valde amauit Latinam facun-
diam sed amauit litteratos homines , vehementer
eos etiam reformidans,nequid de se asperum scri-
berent.Denique eos dignos adesse iubebat: singu-
la quęque quę publice priuatimque agebat:se ipso
docente volebat addiscere , si forte ipsi non affuis-
sent:eaque petebat,vt,si vera essent,in litteras mit-
terent, Dominum se appellari vetuit.Epistolas ad
se quasi ad priuatum scribi iussit , seruato tantum
nomine Imperatoris. Gemmas de calciamentis &
vestibus tulit , quibus vsus fuerat Heliogabalus.
Veste(vt & pingitur) alba vsus est,nec aurata ; pæ-
nulis togisque communibus. Cum amicis tam fa-
miliariter vixit,vt communis esset ei sæpe conses-
sus,iret & ad conuiuia eorum : aliquos autem ha-
beret quotidianos etiam non vocatos: salutaretur
vero quasi vnus de senatoribus , patente velo , ad-
missionalibus remotis;aut solis iis qui ministri ad
fores fuerant:quum antea salutare principem non
liceret,quod eos videre non poterat. Et erat cor-
poris venustate decorus, vt hodie quæ in picturis
& statuis videmus. Fuit et statura militaris;
robur militis , valetudo eius qui vim sui corpo-
ris sciret ac semper curaret. Erat præterea cun-
ctis hominibus amabilis : & ab aliis pius appel-
labatur,ab omnibus certe sanctus & vtilis reipub.
Huic sors in templo Prænestinæ Vestæ talis exsti-
tit,quum illi Heliogabalus insidiaretur, *Si qua fa-
ta aspera rumpas,Tu Marcellus eris.* ALEXANDRI
nomen accepit,quod in templo dicato apud Arce-
nam vrbem Alexandro Magno,natus esset , quum
casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore,pa-
triæ solennitatis implendæ caussa,venisset. cui rei
argumentum est , quod eadem die natalem habet
hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus exces-
sit è vita. Delatum sibi *Antonini* nomen à senatu
recusauit,quum hic magis affinitate Caracalli iun
geretur,quam ille Heliogabalus subdititius.Siqui
dem (vt Marius Maximus dixit in vita Seueri)no-
bilem orientis mulierem Seuerus,cuius hanc ge-
nituram esse compererat vt vxor Imperatoris es-
set,adhuc priuatus & non magni satis loci , duxit
vxorem. ex qua affinitate hic Alexander fuit.; cui
vere per matrem suam consobrinus Varius Helio-
gabalus fuit.Recusauit & *Magni* nomen, quod ei
quasi Alexandro est oblatum senatus iudicio. In-
terest retexere orationem qua nomen Antonini&
Magni delatum sibi à senatu recusauit:quam prius
quam referam,addam acclamationes senatus qui-

A bus id decretum est ex Actis vrbis ad pridie nonas
Martias. Quum senatus frequens in curiam, hoc
est in ædem concordiæ , templum inauguratum
conuenisset, rogatusque esset Aurelius Alexander
Cæsar Augustus vt concineret , ac primo recusas-
set,quod sciret de honoribus suis agendum , dein-
de postea venisset; acclamatum , *Auguste innocens,
dij te seruent : Alexander Imperator,dij te seruent,
Dij te nobis dederunt:dij conseruent:Dij te ex mani-
bus impuri eripuerunt;dij te perpetuent.Impurum ty-
rannum & tu perpessus es.impurum & obscœnum &
B tu videre doluisti.Dij illum eradicauerunt: dij te ser-
uent: Infamis Imperator rite damnatus. Felices nos
imperio tuo;felicem remp.Infamis unco tractus est ad
exemplum timoris:luxuriosus Imperator iure punitus
est.Contaminator honorum , iure punitus est.Dij im-
mortales Alexandro vitam:iudicia deorum hinc ap-
parent.* Et quum egisset gratias Alexander,accla-
matum est, *Antonine Alexander,dij te seruent: An-
tonine Aureli,dij te seruent.Antonine Pie,dij te ser-
uent:Antonini nomen suscipias rogamus.Præsta bonis
Imperatoribus vt Antoninus dicaris.Nomen Anto-
ninorum tu purifica.Quod ille infamauit,tu purifica.
C Redde in integrum nomen Antoninorum : Sanguis
Antoninorum se cognoscat. Iniuriam Marci tu vin-
dica,Iniuriã Veri tu vindica:Iniuria Bassiani tu vin
dica.Peior Commodo solus Heliogabalus, nec Impe-
rator , nec Antoninus,nec ciuis,nec senator,nec nobi-
lis,nec Romanus.In te salus,in te vita, vt viuere de-
lectet : Antoninorum Alexandro vitam , vt viue-
re delectet , & Antoninus vocetur. Antoninorum
templa Antoninus dedicet , Parthos & Persas
Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus ac-
cipiat , sacrum nomen castus accipiat. Anto-
D nini nomen, vt agnoscat Antoninorum honorem. Dij
conseruent in te omnia ; per te omnia Antonine ha-
beas.* Et post acclamationes Aurelius Alexander
Cæsar Augustus:*Gratias vobis P.C. non nunc pri-
mum,sed & de Cæsareo nomine, & de vita seruata,
& Augusti nomine addito , & de pontificatu maxi-
mo,& de tribunitia potestate , & proconsulari impe-
rio : quæ omnia nouo exemplo vno die in me contuli-
stis.*Et quum diceret,acclamatum , *Hæc suscepisti;
Antonini nomen suscipi mereatur , senatus Antonini
mereatur. Antonine Auguste dij te seruent,dij te An-
E toninum conseruent: monetæ nomen Antonini redda-
tur.Templa Antoninorum Antoninus consecret.* Au-
relius Alexander Augustus ; *Ne quæso P.C.ne me
ad hanc certaminis necessitatem vocetis,vt ego cogar
tanto nomini satisfacere , quum etiam hoc ipsum no-
men,licet peregrinum,tamen grauare videatur. Hæc
enim nomina insignia,onerosa sunt. Quis enim Cice-
ronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis
impium Metellum? Et(vt hoc dij auertant)quis non
æquitatem nomina ferat degerentem in spem clarissi-
mam dignitatum?* Item acclamata quæ supra.Item
F Imperator dixit; *Antoninorum nomen, vel iam nu-
men potius,quale fuerit, meminit vestra clementia.si
pietatem,quid Pio sanctius?si doctrinam, quid Mar-
co prudentius?si innocentiam;quid Vero simplicius?si
fortitudinem,quid Bassiano fortius? Nam nunc Com
modi meminisse nolo , qui hoc ipso deterior fuit,quod
cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadu-
menus autem nec tempus habuit,nec ætatem,& arte
patris hoc nomen incurrit.* Item acclamatum vt su-
pra.Item Imperator dixit; *Nuper certe P.C. memini-
stis,quum ille omnium non solum bipedum , sed etiam
G quadrupedum spurcissimus, Antonini nomen præfer-
ret,& in turpitudine atque luxuria Nerones,Vitel-*

los, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populi & honestorum coronas vna vox esset hunc non rite Antoninum dici, & per hanc pestē tantum violari nomen. Et quum diceret, acclamatum est, *Dij mala prohibeant. Hac te imperante non timemus: de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora. Antonini nomen ornasti. Certi sumus, bene præsumimus: nos te & à pueritia probauimus, & nunc probamus.* Item Imperator; *Neque ego P.C. idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quod verear ne in hac vitia delabatur vita, aut quod nominis pudeat; sed primum displicet alienæ familiæ nomen assumere, deinde, quod grauari me credo.* Et quum hæc diceret, acclamatum est vt supra. Item dixit; *Si enim Antonini nomē accipio, possum & Traiani, possum & Titi, possum & Vespasiani.* Et quum diceret, acclamatum est, *Quomodo Augustus, sic & Antoninus.* Tunc Imperator; *Video P.C. quid vos moueat ad hoc nobis addendum. Augustus primus, primus est huius auctor imperij, & in eius nomen velut quadam adoptione, aut iure hereditario succedimus: Antonini ipsi, Augusti dicti sunt. Antoninus idem Pius Marcum, & item Verum iure adoptionis vocauit. Commodo autem hereditarium fuit, susceptum Diadumeno, affectatum in Bassiano, ridiculum in Aurelio.* Et quum diceret, acclamatum est; *Alexander Auguste, dij te seruent verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ. Hinc intelligimus qualis futurus sis: hunc probamus. Tu facies vt senatus bene principes eligat: tu facies optimum esse iudicium senatus. Alexander Auguste, dij te seruent. Templa Antoninorum Alexander Augustus dedicet. Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, dij te seruent. Vincas, valeas, multis annis imperes.* Alexander Imperator dixit; *Intelligo P.C. me obtinuisse quod volui, & id acceptum refero, plurimas gratias & agens & habens, enisurus vt & hoc nomen quod in imperium detulimus, tale sit vt ab alijs desideretur, & bonis vestræ pietatis iudicijs offeratur.* Post hæc acclamatum est, *Magne Alexander, dij te seruent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe. Magne Alexander, dij te seruent.* Et quum sæpius dicerent, Alexander Augustus ait; *Facilius fuit P.C. vt Antoninorum nomen acciperem. aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis.* MAGNI *vero nomen cur acciperem? quid enim iam magnum feci? quum id Alexander post magna gesta, Pompeius vero post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur venerandi patres, & vos ipsi magnifici, vnum me de vobis esse censete potius quam Magni nomen ingerite.* Post hæc acclamatum est; *Aureli Alexander Auguste, dij te seruent.* & reliqua ex more. Dimisso senatu, quum & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit. Multo clarior visus est alienis nominibus non receptis quam si recepisset; atque ex eo constantiæ ac plenæ grauitatis famam obtinuit. Siquidem vni adolescenti senatus totus persuadere non potuit. Sed quamuis senatu rogante non potuerit persuaderi vt vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingentem vigorem animi, & mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam, SEVERI nomē à militibus eidem inditum est; quod illi ingentem in præsentia reuerentiam, magnam apud posteros gloriam peperit, quum eo accessisset vt de animi virtute nomen acceperit: siquidem solus inuentus sit, qui tumultuantes legiones exauctorauerit, vt suo loco ostendetur: in milites autem grauissime

A animaduerterit, qui forte incurrerūt aliquid quod videretur iniustum; vt & ipsum locis suis declarabimus. Omnia imperij hæc habuit: Primum quod ea die natus est qua defunctus vita Magnus Alexā der dicitur. deinde, quod in templo eius mater enixa est: tertio, quod ipsius nomen accepit. tum præterea, quod ouum purpurei coloris, eadem die natum qua ille natus est, palumbiuum anicula quædam matri eius obtulit: ex quo quidem aruspices
B dixerunt, Imperatorem quidem illum, sed non diu futurum, & cito ad imperium peruenturum. Tum præterea, quod tabula Traiani Imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum eius decidit. His accessit quod nutrix ei Olympias data est; quo nomine mater Alexandri appellata est: nutritor Philippus prouenit casu vnus ex rusticis; quod nomen patri Alexandri Magni fuit. Fertur die
C prima natalis toto die apud Arcam Cæsaream stella primæ magnitudinis visa, & sol circa domum patris eius fulgido ambitu coronatus. Quum eius natalem aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum; idcirco quod hostiæ de ea villa quæ esset Seueri Imperatoris, adductæ essent, & quas in illius honorem coloni parassent. Nata in domo laurus iuxta persici arborem, intra vnum annum persici arborem vicit. Vnde etiam coniectores dixerunt, Persas ab eo esse vincendos. Mater eius pridie quam pareret, somniauit se pur-
D pureum dracunculum parere. Pater eadem nocte in somniis vidit alis se Romanæ victoriæ, quæ in senatu, ad cœlum vehi. Ipse quum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc paruulus: & primis quidem sortibus, *Te manet imperium cæli terraque marisque:* intellectū est quod inter diuos etiam referretur. *Te manet imperium, quod tenet imperium:* ex quo intellectum est, Romani illum imperij principem futurum. Nam vbi est imperium nisi apud Romanos, quod tenet im-
E perium? Et hæc quidem de Græcis versibus sunt prodita. Ipse autem quum parentis hortatu animum à philosophia & musica ad alias artes traduceret, Virgilij sortibus huiusmodi illustratus est; *Excudent alij spirantia mollius æra; Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus; Orabunt caussas melius, cælique meatus. Describent radio, & surgentia sidera dicent: Tu regere imperio populos Romane memento; Hæ tibi erunt artes; pacique imponere morem, Parcere subiectis & debellare superbos.* Fuerunt
F multa alia signa quibus principem humani generis esse constaret. Nimius ardor oculorum & diutius intuentibus grauis, & diuinatio mentis frequentissima: rerum memoria singularis; quam nemo nisi Achulius ferebat adiutam. Et quum puer ad imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre; vt & illa videretur pariter imperare, mulier sancta; sed auara, & auri atque argenti cupida. Vbi ergo augustum agere cœpit imperium, primum remo-
G uit iudices omnes à republ. & à ministeriis atque muneribus quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo prouexerat: deinde senatum & equestrem ordinem purgauit. Ipsas deinde tribus, & eos qui militaribus nituntur prærogatiuis, purgauit, & palatium suum comitatumque omnem, abiectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus: nec quemquam passus est esse in palatinis nisi necessarium hominem. Iureiurando deinde constrinxit ne quem ascriptum, id est vacantium, haberet, ne annonis rempubli-

cam

cam grauaret; dicens, malùm pupillum esse Imperatorem qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec reipublicę vtiles pasceret. Fures indicare iussit in ciuitatibus vllis numquã videri: & si essent visi iussit deportari per rectores prouinciarum. Annonam militum diligenter inspexit: tribunos qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. Negotia & caussas prius à scriniorum principibus, & doctissimis iurisperitis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad se præcepit. Leges de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit: neque vllam constitutionem sacrauit sine viginti iurisperitis & doctissimis ac sapientibus viris: iis denique disertissimis non minus quinquaginta: vt non minus in consilio essent sententiæ quam senatusconsultum conficerent: & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset; dato tamen spatio ad disquirendum cogitandùmque priusquam dicerent: ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit præterea illi consuetudo, vt si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si vero de re militari, milites veteres, & senes ac benemeritos, & locorum peritos ac bellorum & castrorum; & omnes litteratos; & maxime eos qui historiam norant: requirens quid in talib. caussis quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarũ gentiũ fecissent. Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo vsus est, illum, si vmquã furem iudicem vidisset, paratum habuisse digitum vt illi oculum erueret. tantum odium eum tenebat eorum de quibus apud se probatum esset quod fures fuissent. Addit Septimius, qui vitam eius non mediocriter exsequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi choleram euomeret, toto vultu inardescente, ita vt nihil posset loqui. Nam quum quidam Septimius Arabinus, famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamauit, *O numina, ô Iupiter, ô dij immortales: Arabinus non solum viuit, verumetiam in senatum venit: fortaßis etiam de me sperat, tam fatuum tam stultum esse me iudicat.* Salutabatur autem nomine, hoc est, *Aue Alexander.* Si quis caput flexisset, aut blãdius aliquid dixisset, vti adulator vel abiiciebatur si loci eius qualitas pateretur; vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere nõ posset iniuriæ. Salutatus consessum obtulit omnibus senatoribus: atque adeo nisi honestos & bonę famæ homines ad salutationem non admisit. Iussitque, quemadmodum in Eleusiniis sacris dicitur, *vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit.* Per pręconem edixit vt nemo salutaret principem qui se furem esse nosset; ne aliquando detectus, capitali supplicio subderetur. Ipse adorari se vetuit, quum iam cœpisset Heliogabalus adorari regum more Persarum. Erat præterea hæc illis sententia; *Solos fures de paupertate conqueri, dum volunt scelera vita sua tegere.* Idem addebat sententiam de furibus notã, & Græce quidẽ; quæ Latine hoc significat; *Qui multa rapuerit, paucis suffragatoribus dederit, saluus erit:* quę Græce talis est, ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Præfect. prætor. sibi ex senatus auctoritate constituit; præfect. vrbis à senatu accepit; alterum præfect. pręton. fecit: qui ne fieret, etiam fugerat, dicẽs, *Inuitos, non ambientes, in rempubl. collocandos.* Senatorem numquam sine omnium senatorum qui aderant consilio fecit: ita vt per sentẽtias omnium crearetur, testimonia dicerent summi viri: ac si fefellissent vel testes vel ij qui sententias dicebant, postea in vltimum reiicerentur locum, ciuium condemnatione adhibita, quasi falsi rei approbati sine vllius indulgentiæ proposito. Idem senatores nonnisi ad summorum in palatio virorum suffragium fecit; dicens, magnum virum esse oportere qui faceret senatorem. Idem libertinos numquam in equestrem locum redegit; asserens seminarium senatorum equestrem locum esse. Moderationis tantæ fuit, vt nemo vmquam ab eius latere submoueretur, vt omnibus se blandum affabilémque præbéret: vt amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores ægrotantes viseret: vt sibi ab omnibus libere quæ sentiebant, dici cuperet: & quum dictum esset, audiret: & quum audisset, ita vt res poscebat emendaret atque corrigeret: si minus bene factum esset aliquid, etiam ipse conuinceret; idque sine fastu & sine amaritudine animi; consensum omnibus semper offerret, præter eos quos furtorum densior fama perstrinxerat; de absentibus semper requirens. Denique quum ei obiicerent nimiam ciuilitatem & Mammæa mater, & vxor Memmia Sulpitij consularis viri filia, Catuli neptis, & sæpe dicerent: *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperij fecisti:* ille respondit: *Sed securiorem atque diuturniorẽ.* Dies denique numquam transiit quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed ita vt ærarium non euerteret. Condemnationes & raras esse iussit: & quæ factæ fuerant, non indulsit. Vectigalia ciuitatibus ad proprias fabricas deputauit. Fœnus publicum trientarium exercuit; ita vt pauperibus plerisque sine vsuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus. Præfect. præt. suis senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat: eo vsque vt si quis Imperatorum successorem præfect. præt. dare vellet, laticlauiam eidem per libertum submitteret; vt in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexander autem idcirco senatores esse voluit præfect. præt. nequis non senator de Romano senatore iudicaret. Milites suos sic vbique sciuit, vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, semperque quum solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret; vt esset ad omnia instructissimus. Denique quum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promouendis etiam sibi annotabat: & perlegebat cuncta pittacia. & sic faciebat diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. Commeatum populi Romani sic adiuuit, vt quum frumenta Heliogabalus euertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus, vt Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Oleum quod Seuerus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Ius conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. Mechanica opera Romæ plurima instituit. Iudæis priuilegia reseruauit. Christianos esse passus est. Pontificibus

rantum detulit & quindecim viris atque auguri- A bus, vt quasdam caussas sacrorum à se finitas, iterari & aliter distingui pateretur. Præsides prouinciarum, quos vere non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adiuuit; dicens, & fures à republ. pellendos ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos. Quum edulitatem P.R. ab eo peteret, interrogauit per curionem, quam speciem caram putarent. Illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam. B Tunc ille non quidem edulitatem proposuit: sed iussit nequis suminatam occideret, nequis lactantem; nequis vaccam, nequis damalionem: tantumque intra biennium, vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt quum fuisset octominutalis libra, ad duos vnumque vtriusque carnis libra redigeretur. Caussas militum contra tribunos sic audiuit, vt si aliquem reperisset tribunorum in crimine, pro facti qualitate sine indulgentiæ proposito puniret. De omnibus hominibus per fideles homines suos semper quæsiuit, & per eos quos nemo nosset hoc agere; quum diceret omnes præda corrumpi posse. C Seruus suos semper cum seruili veste habuit; liberos, cum ingenuorum. Eunuchos de ministerio suo abiecit, & vxori vt seruos seruire iussit. Et quum Heliogabalus mancipium eunuchorum fuisset, ad certum numerum eos redegit; nec quidquam in palatio curare voluit nisi balneas fœminarum. quum plerosque eunuchos rationib. & procurationibus præposuisset Heliogabalus; hic illis & veteres sustulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos esse dicebat; nec videndum nec in vsu habendum à viris, sed vix à fœminis nobilibus. D Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iussit per eam viam qua esset seruis suis ad suburbana imperatoria iter frequentissimum. Prouincias prætorias, præsidiales plurimas fecit: proconsulares ex senatus voluntate ordinauit. Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit: quod quidem iam ante prohibitum, Heliogabalus fieri permiserat. Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum, in sacrum ærarium inferri vetuit: sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & æra E rij deputauit. Habuit in animo vt exoletos vetaret: quod postea Philippus fecit: sed veritus est, ne prohibens, publicum dedecus in priuatas cupiditates conuerteret; quum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore persequantur. Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & ceterarum artium vectigal pulcherrimum instituit: ex eoque iussit thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores, populi vsibus exhiberi: syluas etiam F thermis publicis deputauit. Addidit & oleum luminibus thermarum; quum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur. Huius imperium incruentum quidam litteris tradiderunt: quod contra est. Nam & *Seuerus* est appellatus à militibus ob austeritatem, & in animaduersionibus asper in quibusdam fuit. Opera veterum principum instaurauit: ipse noua multa constituit: in his thermas nominis sui iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ *Alexandrina* nunc dicitur. Nemus thermis suis de priuatis G ædibus suis quas emerat, dirutis ædificiis, fecit. *Oceani solium* primus inter principes appellauit; quum Traianus id non fecisset, sed diebus solis deputasset. Antonini Caracalli thermas additis porticibus perfecit & ornauit, *Alexandrinum opus* marmoris de duob. marmoribus, hoc est Porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit, palatio exornato hoc genere marmorandi. Statuas colossas in vrbe multas locauit, artificibus vndique conquisitis. Alexandri habitu nummos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos; sed plurimos tamen aureos. A mulieribus famosis matrem & vxorem suam salutari vetuit. Conciones in vrbe multas habuit more veterum tribunorum & consulum. Congiarium populo ter dedit, donatiuum militibus ter: carnem populo addidit. Vsuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarentur, vsuras accipere primo vetuit, nisi aliquid muneris caussa acciperent: postea tamen iussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Statuas summorum virorum in foro Traiani collocauit vndique translatas. Paulum & Vlpianum in magno honore habuit: quos præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipso. Nam & consiliarius Alexandri, & magister scrinij Vlpianus fuisse perhibetur: qui tamen ambo assessores Papiniani fuisse dicuntur. Basilicam Alexandrinã instituerat inter campum Martium & septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita vt tota columnis penderet: quam efficere nõ potuit morte præuentus. Isium & Serapium decenter ornauit, additis signis & deliacis & omnibus mysticis. In matrem Mammæam vnice pius fuit; ita vt Romæ in palatio faceret dietas nominis Mammææ; quas imperitũ vulgus hodie *ad Mammam* vocant. Et in Baiano palatium cum stagno, quod Mammææ nomine hodieque censetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium suorum, & stagna stupenda admisso mari. Pontes quos Traianus fecerat, instaurauit pene in omnibus locis: aliquos etiam nouos fecit, sed instauratis nomen Traiani reseruauit. In animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus; vt à vestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, nequis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur. Sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore si faciles essent homines ad iniurias. Tum satis esse constituit vt equites Romani à senatoribus claui qualitate discernerentur. Pænulis intra vrbem frigoris caussa vt senes vterentur permisit; quum id vestimenti genus semper itinerarium fuisset, aut pluuiæ. Matronas tamen intra vrbem pænulis vti vetuit, in itinere permisit. Facundiæ fuit Græcæ magis quam Latinæ; nec versu inuenustus. Et ad musicam pronus, matheseos peritus: & ita quidem vt ex eius iussu mathematici publice proposuerint Romæ, ac sint professi vt docerẽt. Aruspicinæ quoque peritissimus fuit. ὀρνεοσκόπος magnus; vt & Vascones & Hispanorum & Pannoniorum augures vicerit. Geometriam fecit, pinxit mire, cantauit nobiliter: sed numquam alio conscio, nisi pueris suis testibus. Vitas principum bonorum versibus scripsit. Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem Imperator numquam ostendit. Palæstes primus fuit, in armis magnus, adeo vt multa bella & gloriose gesserit. Consulatum ter iniit tantum ordinarium: ac primo nundino sibi alios semper suffecit. Seuerissimus iudex contra fures, appellans cos-

eosdem quotidianorum scelerum reos, & damnás acerrime, ac solos hostes inimicosque reipubl. vocans. Eum notarium qui falsum caussæ breuem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis, ita vt numquam posset scribere, deportauit. Quum quidam ex honoratis, vitæ sordidæ & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiá ad militiam aspirasset, idcirco quod per reges amicos ambierat, admissus statim in furto præsentibus patronis detectus est: iussusque à regibus audiri, damnatus est re probata. Et quum quæreretur à regibus, quid apud eos paterentur fures, illi respóderunt, Crucem. Ad eorum responsum in crucem sublatus est. Ita & patronis auctoribus damnatus ambitor est; & Alexandri, quam præcipue tuebatur, seruata clementia est. Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, diuis Imperatoribus in foro diui Neruæ, quod *transitorium* dicitur, locauit omnibus cum titulis, & columnis æreis, quę gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorú statuas in foro suo è marmore collocauit, additis gestis. Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maxime quod quodá tépore festo, vt solent, Antiochenses Ægyptij, Alexandrini, lacessiuerant eum conuitiolis, *Syrú archisynagogum* eum vocantes & *archierea*. Antequam de bellis eius & expeditionibus & victoriis loquar, de vita quotidiana & domestica pauca disseram. Vsus viuendi eidem hic fuit. Primum, si facultas esset, id est si non cum vxore cubuisset, matutinis horis in larario suo (in quo & diuos principes, sed optimos electos; & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & huiuscemodi deos habebat, ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat. Si id non poterat, pro loci qualitate vel vectabatur, vel piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur. Dehinc si hora permitteret, actibus publicis post multam operam dabat: idcirco quod & res bellicæ & res ciuiles (vt superius dictum est) per amicos tractabantur, sed sanctos & fideles, & numquam venales: & tractatæ firmabantur; nisi quid noui etiam ipsi placeret. Sane si necessitas cogeret, ante lucem actibus operá dabat, & in longam horam producebat: neque vmquam tædiauit, aut morosus aut iratus resedit, frónte semper pari & lætus ad omnia. Erat enim ingétis prudentiæ, & cui nemo posset imponere: & qué si aliquis vrbane tétare voluit, intellectus, tulit pœnas. Post actus publicos seu bellicos seu ciuiles, lectioni Græcæ operam maiorem dabat, De rep. libros Platonis legens. Latina quum legeret, non alia magis legebat quam De officiis Ciceronis & De repub. Nonnumquam & oratores & poëtas; in queis Serenum Sammonicum, quem ipse nouerat & dilexerat, & Horatium. Legit & vitam Alexandri, quam præcipue imitatus est: etsi in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quámuis vtrumque defédatur à bonis scriptoribus, quibus sæpius ille credebat. Post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atque inde vnctus lauabatur, ita vt caldariis vel numquam vel raro, piscina semper vteretur; in eaque vna hora prope maneret: biberet etiam frigidam Claudiam ieiunus ad vnum prope sextarium. Egressus balneas multum lactis & panis sumebat, oua, deinde mulsum: atque his refectus, aliquando prandium inibat, aliquando cibum vsque ad cœnam differebat, prandit tamen sæpius. Vsusque est Adriani tetrapharmaco frequenter, de quo in libris suis Marius Maximus loquitur, quum Adriani differit vitam. Post meridianas horas subscriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita vt ab epistolis & libellis & à memoria semper assisterent, nonnumquam etiam, si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis & iis qui scrinium gerebant, ita vt Alexander sua manu adderet siquid esset addendum: sed ex eius sententia qui disertior habebatur. Post epistolas, omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est loquutus: neque vmquam solum quemquam, nisi præfectum suum, vidit, & quidem Vlpianum, ex assessore semper suo, caussa iustitiæ singularis. Quum autem alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iussit. Virgilium autem, *Platonem poëtarum* vocabat, eiusque imaginem cum Ciceronis simulacro, in secundo larario habuit, vbi & Achillis & magnorum virorum. Alexandrum vero Magnum inter diuos & optimos in larario maiore consecrauit. Iniuriam nulli vmquam amicorum comitumue fecit, nec magistris quidé aut principibus officiorum. Præfectis autem semper detulit, asserens eum qui mereatur iniuriam pati, ab Imperatore damnandum esse, non dimittendum. Si vmquam alicui præsentium successorem dedit, semper illud addidit. *Gratias tibi agit respubl.* cumque muneratus est, ita vt priuatus pro loco suo posset honeste viuere: his quidem muneribus, agris, bobus, equis, frumento, ferro, impendiis ad faciédam domum, marmoribus ad ornandum, & operis, quas ratio fabricæ requirebat. Aurum & argentú raro cuiquam, nisi militi diuisit, nefas esse dicens, vt dispensator publicus in delectationes suas & suorum conuerteret id quod prouinciales dedissent. Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit. Fecit Romæ curatores vrbis quatuordecim, sed ex consularibus viris: quos audire negotia vrbana cum præfecto vrbis iussit, ita vt omnès aut magna pars adessent, quum acta fierent. Corpora omnium constituit, vinariorum, lupinariorum, caligariorum, & omnino omnium artiú: hisque ex sese defensores dedit, & iussit quid ad quos iudices pertineret. Scenicis nunquam aurum, numquam argentum, vix pecuniam donauit: pretiosas vestes quas Heliogabalus dederat, etiam sustulit. Milites quos *ostensionales* vocant, non pretiosis, sed speciosis clarisque vestibus ornabat; nec multum insignibus, aut ad apparatum regium auri & serici deputabat, dicens, *Imperium in virtute esse, non in decore.* Chlamydes hirtas Seueri, & tunicas asemas vel macrocheras ex purpura non magna, ad vsum reuocauit suum. In conuiuio aurum nesciit: pocula mediocria, sed nitida semper habuit. Ducentarum librarum argenti pondus ministeriú eius numquam transiit. Nanos & nanas, & moriones & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos, populo donauit: qui autem vsui non erant, singulis ciuitatibus putauit alendos singulos, ne grauarentur specie mendicorum. Eunuchos quos Heliogabalus & in consiliis turpibus habebat & promouebat, donauit amicis, addito elogio, vt si non rediissent ad bonos mores, eosdem liceret occidi sine auctoritate iudicij. Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari iussit, exoletis omnibus deportatis, aliquibus etiam naufragio mersis, cum quibus illa cla-

des consuetudinem habuerat funestissimam. Auratam vestem ministrorum vel in publico conuiuio nullus habuit. Quum inter suos conuiuaretur, aut Vlpianum aut doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas litteratas; quibus se recreari dicebat & pasci. Habebat, quum priuatim conuiuaretur, & librum in mensa, & legebat; sed Græca magis. Latinos autem poëtas lectitabat. Publica conuiuia ea simplicitate egit qua priuata; nisi quum numerus accubantium crescebat & multitudo conuiuarum, qua ille offendebatur; dicens se in theatro & circo manducare. Oratores & poëtas non sibi panegyricos dicentes, (quod exemplo Nigri Pescennij stultum dicebat) sed aut orationes recitantes, aut facta veterum quos ante retuli, libenter audiuit: libentius tamen, si quis ei recitauit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retro principum, aut magnorum vrbis Romæ virorum. Ad Athenæum, audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorum vel poëtarum caussa, frequenter processit. Audiuit autem etiam forenses oratores caussas recitantes, quas vel apud ipsum, vel apud præfectos vrbis egerant. Agoni præsedit. & maxime Herculeo in honorem Magni Alexandri. Solus post meridiem, vel matutinis horis, idcirco numquam aliquos videbat, quod ementitos de se multa cognouerat: speciatim Vetronium Thurinum: quem quum familiarem habuisset, ille omnia vel fingendo sic vendiderat, vt Alexandri, quasi stulti hominis & quem ille in potestate haberet & cui multa persuaderet, infamaret imperium: sicque omnibus persuaserat quod ad nutum suum omnia faceret. Denique hac illum arte deprehendit, vt quemdam immitteret qui à se quiddam publice peteret, ab illo autem occulte quasi præsidium postularet, vt pro eo Alexandro secreto suggereret. Quod quum factum esset, & Thurinus suffragium promisisset, dixissetque se quædam Imperatori dixisse quum nihil dixisset, sed in eo pendere vt adhuc impetraret, euentum vendens: quumque iterum iussisset Alexander interpellari, & Thurinus quasi agens aliud nutibus annuisset, neque tamen interim quidquam dixisset, impetratum autem esset quod petebatur, Thurinusque ab illo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepisset: accusari eum Alexander iussit; probatisque per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro transitorio ad stipitem illum ligari præcepit; & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente; *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ac ne in vna tantum caussa videretur crudelior fuisse, quæsiuit diligentissime antequam eum damnaret: & inuenit Thurinum sæpe & in caussis ab vtraque parte accepisse, quum euentus venderet, & ab omnibus qui aut præposituras aut prouincias acceperant. Spectacula frequentauit cum summa donandi parcimonia; dicens, & scenicos & venatores & aurigas sic alendos, quasi seruos nostros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios. Conuiuium neque opimum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit: ita tamen vt pura mantilia mitterentur; sæpius cocco clauata, aurata vero numquam; quum hæc Heliogabalus iam recepisset, & ante (vt quidam prædicant) Adrianus habuisset. Vsus conuiuij diurnus hic fuit. Vini ad totum diem sextarij xxx. panis mundi pondo xxx. panis sequentis ad donandum pondo l. Nam semper de manu sua ministris conuiuij &

A panem & partes aut olerum aut carnis aut leguminum dabat; senili prorsus maturitate patremfamilias agens. Erant decreta & carnis diuersæ pondo xxx. erant & gallinæ oua; adhibebatur & anser diebus festis: Calendis autem Ianuariis, & hilariis matris deûm, & ludis Apollinaribus, & Iouis epulo, & Saturnalibus, & huiusmodi festis diebus, fasianus: ita vt aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus. Leporem quotidie habuit, venationem frequentem; sed eam cum amicis diuide-
B bat, & his maxime quos sciebat per se non habere. Nec diuitibus quidquam talium munerum misit, sed ab his semper accepit. Habuit quotidie milij sine pipere sextarios quatuor; cum pipere duo: &, ne sit longum omnia inserere quæ Gargilius Martialis eius temporibus scriptor singulatim persequutus est, omnia illi ad modum & rationem sunt præbita. Pomis vehementer indulsit, ita vt secunda mensa illi sæpius poneretur: vnde etiam iocus extitit, *Non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundum.* Ipse cibo plurimo reficiebatur: vino
C neque parce, neque copiose, affatim tamen. Frigida semper pura vsus, & æstate vino cum rosa condito: quod quidem solum ex diuerso genere Heliogaballi tenuerat. Et quoniam de lepusculis facta est mentio, quod ille leporem quotidie haberet, iocus poëticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporem comederint; vt Martialis coci epigramma significat, quod contra quamdam Gelliam scripsit huiusmodi, *Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas. Se-*
D *ptem formosus Marce diebus eris. Si verum dicis, si verum Gellia mandas, Edisti numquam Gellia tu leporem.* Sed hos versus Martialis in eam quæ deformis esset, composuit: poëta vero temporum Alexandri, hæc in eum dixit, *Pulchrum quod vides esse nostrum regem, Quem Syrum sua detulit propago, Venatus facit, & lepus comesus; Ex quo continuum capit leporem.* Hos versus quum ad eum quidam ex amicis detulisset, respondisse ille dicitur Græcis versibus in hanc sententiam, *Pulchrum quod putas*
E *esse vestrum regem, Vulgari miserande de fabella: Si verum putas esse, non irascor. Tantum tu comedas velim lepusclos, Vt fias, animi malis repulsis, Pulcher, ne inuideas liuore mentis.* Quum amicos militares habuisset, vt vsum Traiani, quem ille post secundam mensam potandi vsque ad pocula instituerat, reseruaret, vnum tantum poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni: id autem breuius, nisi si quis, quod licebat, maius habere postulasset. Vsus Veneris in eo moderatus fuit, exoleto-
F rum ita expers, vt (quemadmodum supra diximus) legem de his auferendis ferre voluerit. Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona ij qui priuatas custodias non haberent. Balnea omnibus regionibus addidit quæ forte nõ habebant. Nam hodieque multa dicuntur Alexandri. Fecit & domos pulcherrimas, easdemque amicis suis maxime integris viris donauit. Vectigalia publica in id contraxit vt qui x. aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem auri præstarent, hoc est tricesimam partem. Tuncque primũ
G semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, exspectans vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet. Sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari

eos

A eos iussit, & tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vsque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neque in vsu cuiusquam versari, atque ex eo his materiæ nomen inditum est; quum diceret plus largiendi hanc esse Imperatori caussam, si, quum multos solidos minores dare possit, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. B Vestes sericas ipse raras habuit: holosericas numquam induit, subsericam numquam donauit. Diuitiis nullius inuidit; pauperes iuuit: honoratos, quos pauperes vere non per luxuriam aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit, agris, seruis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis. In thesauris vestem numquam nisi annum esse passus est; eamque statim expendi iussit. Omnem vestem quam donauit, ipse perspexit: omne aurum, omne argentum; idque frequenter appendit. Donauit & ocreas, & braccas, & calceamenta inter vestimenta militaria. C Purpuræ clarissimæ non ad vsum suum, sed ad matronarum, si quæ aut possent aut vellent, certe ad vendendum grauissimus exactor fuit: ita vt *Alexandrina purpura* hodieque dicatur, quę vulgo *Probiana* dicitur, idcirco quod Aurelius Probus baphiis præpositus id genus muricis reperisset. Vsus est ipse chlamyde coccina sæpe, in vrbe tamen semper togatus fuit, & in Italiæ vrbibus. Prætextam & pictam togam numquam nisi cos. accepit: & eam quidem quam de Iouis templo sumptam alij quoque accipiebant, aut præt. aut coss. D Accepit prætextam etiam quum sacra faceret, sed loco Pont. max. non Imperatoris. Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri, dicens, *Si lintei idcirco sunt vt nihil asperum habeant, quid opus est purpura?* In linea autem aurum mitti, etiam dementiam iudicabat, quum asperitati adderetur rigor. Fasceis semper vsus est. Braccas albas habuit, non coccineas vt prius solebant. Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit; dicens gemmas viris vsui non esse: matronas autem regias contentas E esse debere vno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua sacrificium facerent, & vnico pallio auro sparso, & cyclade quæ sex vnciis auri plus non haberet. Prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri, & vxorem eius matronæ pernobiles. Aulicum ministerium in id contraxit, vt essent tot homines in singulis officiis quot necessitas postularet: ita vt annonas, non dignitatem, acciperent fullones & vestitores, & pistores & pincernæ, omnes castrenses ministri, F quemadmodum pestis illa instituerat: sed annonas singulas, vix binas. Et quum argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, nec plures ministros, argentum & ministros ante quando poscebat, accipiebat ab amicis: quod hodieque fit, si præstatur à præfectis absente Imperatore. Voluptates scenicas in conuiuio numquam habuit; sed summa illa oblectatio fuit, vt catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnarent, G aut aues paruulæ sursum & deorsum volitarent. Habuit sane in palatio vnum genus voluptatis, quo maxime delectatus est, & quo sollicitudines publicas subleuaret. Nam auiaria instituerat pauonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: hisque vehementer oblectabatur; maxime palumborum, quos habuisse ad viginti millia dicitur: & ne eorum pastus grauaret annonam, seruos habuit vectigales, qui eos ex ouis ac pullicinis ac pipionibus alerent. Thermis & suis & veterum frequenter cum populo vsus est, & æstate maxime, balneari veste ad palatium reuertens, hoc solum imperatorium habens quod lacernam coccineam accipiebat. Cursorem numquam nisi seruum suum, dicens ingenuum currere, nisi in sacro certamine, non debere. Cocos, piscatores, fullones & balneatores, nonnisi seruos suos habuit: ita vt si quis deesset, emeret. Medicus sub eo vnus palatinus salarium accepit: ceteri omnes, qui vsque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita vt mundas singulas consequeretur alias alter. Iudices quum promoueret exemplo veterum, vt & Cicero docet, & argento & necessariis instruebat, ita vt præsides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos, &, si vxores non haberent, singulas concubinas, (quod sine his esse non possent) reddituri deposita administratione; mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cetera sibi habituri, si bene egissent, in quadruplum reddituri, si male. Præter condemnationem aut peculatus aut repetundarum, leges innumeras sanxit. Carrucas Romæ & rhedas senatoribus omnibus vt argentatas haberent, permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, vt his tantæ vrbis senatores veterentur. Consules quoscumque vel ordinarios vel suffectos creauit, ex senatus sententia nominauit, sumptum eorum contrahens. & nundina vetera ex ordine instituit, vel dies vel tempora. Quæstores candidatos, ex sua pecunia iussit munera populo dare; sed vt post quæsturam præturas acciperent, & inde prouincias regerent: ærarios vero instituit qui de ære fisci ederent munera, eademque parciora. Habuit in animo vt munera per totum annum dispergeret, vt per xxx. dies munus populo daretur: sed cur id non fecerit, in occulto habetur. Capitolium septimo die, quum in vrbe esset, ascendit, templa frequentauit. Christo templũ facere voluit, eumque inter deos recipere. quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur *Adriani*; quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra, reppererant omnes Christianos futuros si id optato euenisset, & templa reliqua deserenda. In iocis Alexander dulcissimus fuit, in fabulis amabilis, in conuiuiis comis; ita vt quisque posceret quod vellet. Ad aurum colligendum attentus, ad seruandum cautus, ad inueniẽdum sollicitus, sed sine cuiusquam excidio. Syrum se dici noluit, sed à maioribus Romanum. Et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur genus eius à Metellis descendere. Rhetoribus, grammaticis, medicis, aruspicibus, mathematicis, mechanicis, architectis salaria instituit, & auditoria decreuit, & discipulos cũ annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari iussit. Etiam in prouinciis oratoribus forensibus multum detulit, plerisque etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere. Leges in annos firma-

uit, easque etiam ipse diligentissime seruauit. A Theatralia spectacula sæpe obiit. Theatrum Marcelli reficere voluit. Multis ciuitatibus, quæ post terræ motus deformes erant, sumptus ad instaurationem operum & publicorum & priuatorum, pecuniam ex vectigalibus dedit. In templis sane numquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit; susurrans versum Persij, *in sanctis quid facit aurum?* Expeditiones bellicas habuit, de quibus B ordine suo edisseram. Primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur secreta bellorum: itinerum autẽ dies publice proponebantur, ita vt edictum penderet ante menses duos in quo scriptum esset, *Illa die, illa hora ab vrbe sum exiturus, & si dij voluerint, in prima mansione mansurus:* deinde per ordinem mansiones, deinde statiuæ, deinde vbi annona esset accipienda: & id quidem eousque quamdiu ad fines barbaricos veniretur. iam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant, ita ne dispositio C nem Romanam barbari scirent. Certum est autem enim numquam id quod proposuerat, fefellisse, quum diceret, *Nolle ab aulicis suas vendi dispositiones*, quod factum fuerat sub Heliogabalo, quum ab eunuchis omnia venderentur. quod genus hominum idcirco secreta omnia in aula nosse cupiunt, vt soli aliquid scire videantur, & habeant vnde vel gratiam vel pecuniam requirant. Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit, vbi aliquos voluisset vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores D (id est rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortãs, populum vt siquis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque, graue esse, quum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Assessoribus salaria instituit: quamuis sæpe dixerit eos esse promouendos qui per se rempub. gerere possent, non per assessores, addens, militares habere suas admi- E nistrationes, habere litteratos: & ideo *vnumquemque hoc agere debere quod nosset.* Thesauros repertos, iis qui repererant, donauit: &, si multi essent, addidit his eos quos in suis habebat officiis. Cogitabat secum & descriptum habebat, cui quid præstitisset: & siquos sciret vel nihil petiisse, vel non multum, vnde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat, *Quid est cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.* Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam F eius non læderent; Bona punitorum, sed numquã cum auro, argento, vel gemmis (nam id omne in ærarium reponebat) dabat præposituras locorum ciuilium, non militum: dabat eas administrationes quæ ad procurationes pertinerent. Rationales cito mutabat, ita vt nemo nisi annum compleret: eosque, si boni essent, oderat, malum necessarium vocans. Præsides vero, proconsules, & legatos, numquam fecit ad beneficium, sed ad iudicium vel suum vel senatus. Milites expeditionis tempore sic disposuit, vt in mansionibus anno G nas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem (vt solent) dierum, nisi in barbarico: quamuis & illic mulis eosdem atque camelis adiuuerit, dicens, *milites se magis seruare, quam seipsum, quod salus publica in his esset.* Ægrotantes ipse visitauit A per tentoria milites, etiam vltimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adiuuit. & si forte grauius laborassent, per ciuitates & agros patribus familias hominibus, & sanctioribus matronis eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, siue conualuissent illi, seu periissent. Quum quidam *Ouinius Camillus*, senator antiquæ familiæ delicatissimus, rebellare voluisset, tyrannidem affectans, eique nuntiatum esset, ac statim proba- B tum, ad palatium eum rogauit: eique gratias egit quod curam reipubl. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet: deinde ad senatum processit, & timentem ac tantæ conscientiæ tabe confectum, participem imperij appellauit, in palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis imperialibus & melioribus quam ipse vtebatur, affecit. Et quum expeditio barbarica esset nuntiata, vel ipsum, si vellet, ire, vel vt secum proficisceretur, hortatus est. Et quum ipse pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem: quem post quin- C que millia cunctantem, equo sedere iussit: quumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque seu timore seu vere respuentem, abdicantem quinetiam imperium, & mori paratum, dimisit; commendatumque militibus, à quibus Alexander vnice amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit; in quibus diu vixit, sed post iussu Imperatoris occisus est, quod ille militaris esset & à militibus amatus. Scio vulgum hanc rem quam contexui, Traiani putare: sed neque in vita eius id Marius Maxi- D mus ita exposuit, neque Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus, neque Statius Valens, qui omnem eius vitam in litteras miserunt. Contra autem & Septimius & Acholius, & Encolpius vitæ scriptores, ceterique de hoc talia prædicauerunt: quod ideo addidi, ne quis vulgi magis famam sequeretur, quam historiam quæ rumore vtique vulgi verior reperitur. Honores iuris gladij, numquam vendi passus est, dicens, *Necesse est vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possum. Erubesco enim* E *punire illum hominem qui emit & vendit.* Pontificatus & quindecimuiratus, & auguratus, codicillares fecit, ita vt in senatu allegerentur. Dexippus dixit vxorem eum cuiusdam Marciani filiam duxisse, eumdemque ab eo Cæsarem nuncupatum. verum quum vellet insidiis occidere Alexandrum Marcianus; detecta factione, & ipsum interemptum, & vxorem abiectam. Idem dicit, fuisse patruum Antoninum Heliogabalum Alexandri, nõ vxoris sororis eiusdem filium. Quum Christiani F quemdam locum qui publicus fuerat, occupassent, contrà popinarij dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse vt quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. Quũ igitur tãtus ac talis Imperator domi ac foris esset, iniit Parthicã expeditionẽ: quã tãta disciplina, tãta reuerẽtia sui egit, vt nõ milites, sed senatores trãsire dicerentur. Quacũque iter legiones faciebãt, tribuni accincti, centuriones verecũdi, milites amabiles erant: ipsum vero ob hæc tot & tanta bona, prouinciales vt deum suscipiebant. Iam vero G ipsi milites iuuenem Imperatorem sic amabant vt fratrem, vt filium, vt parentem: vestiti honeste, calciati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippiis ac frenis decentibus: prorsus vt Romanam rempubl. intelligeret quicumque Alexandri vidisset exercitum. Elaborabat

rabat denique vt dignus illo nomine videretur; immo vt Macedonem illum vinceret, dicebatque inter Romanum Alexandrum & Macedonē multum interesse debere. Fecerat denique sibi argyraspidas & chrysaspidas : fecerat & phalangem triginta millium hominum, quos *phalangarios* vocari iusserat, & cum quibus multum fecit in Perside: quæ quidem erat ex sex legionibus similium armorum, stipendiorum vero post Persicum bellum maiorum. Dona regia in templis posuit: gemmas sibi oblatas vendidit; muliebre esse existimās gēmas possidere, quæ neq; militi dari possint, neq; a viro haberi. Quū quidam legatus vniones duos vxori eius per ipsum obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, vendi eos iussit : qui quum pretium non inuenirent, ne exemplum malum à regina nasceretur, si eo vteretur quod emi non posset, inautibus Veneris eos dicauit. Vlpianum pro tutore habuit, primum repugnante matre, deinde gratias agente: quem sæpe à militum ira obiectu purpuræ summæ defendit : atque ideo summus Imperator fuit, quod eius consiliis præcipue rempub. rexit. In procinctu atque in expeditionibus, apertis papilionibus prandit atque cœnauit, quum militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus sumeret, circumiret prope tota tentoria, à signis abesse neminem pateretur. Siquis de viam alicuius possessionē deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi : aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis, quum diceret, *Vis hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabatque sæpius quod à quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat: idque per præconem, quum aliquem emendaret, dici iubebat, QVOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Quam sententiam vsque adeo dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus præscribi iuberet. Idem quum quamdam aniculam affectam iniuriis à milite audisset, exauctoratum eum militia, seruum ei dedit, quod artifex carpentarius esset, vt eam pasceret. Et quum dolerent hoc milites factum, persuasit omnibus vt modeste ferrent, & eos terruit. *Ἀναίματον* imperium eius, quum fuerit durus & tetricus, idcirco vocatum est, quod senatorem nullum occiderit; vt Herodianus Græcus scriptor refert in libris tēporum suorum. Seueritatis autem tantæ fuit in milites, vt sæpe legiones integras exauctorauerit ex militibus, Quirites appellans; nec exercitium vmquam timuerit, idcirco quod in vitam suam dici nihil posset quod vmquam tribuni vel duces de stipendiis militum quidquam accepissent, dicens, *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliquid in Zonula:* idcirco quod mendicitas militaris ad omnem desperationem vocaret armatum. Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis aut ducibus, nisi milites anteire voluit: iussitque vt ante tribunū quatuor milites ambularent; ante ducem, sex, ante legatum, decem: hique ad domos suas reciperentur. Et vt seueritas eius agnosci posset, vnam concionem militarem indendam putaui, quæ illius in rem militarem mores ostenderet. Nam quum Antiochiam venisset, ac milites lauacris muliebribus & deliciis vacarent, eique nuntiatum esset, omnes eos comprehendi iussit, & in vincula coniici. Quod vbi compertum est, mota seditio est à legio

A ne cuius socij erant in vincula coniecti. Tum ille tribunal ascendit, vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cœpit, *Commilitones, si tamen ista vobis quæ à vestris facta sunt, displicent, disciplina maiorum rempub. tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani, vestri socij,* B *mei contubernales & commilitones amant, potant, lauant, Græcorum more etiam quidam se vestiunt, hoc ego diutius feram? & non eos capitali dedam supplicio?* Tumultus post hoc ortus est. Atque iterum, *Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam emittite: certe campiductores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere, non contra eum qui acceptam à prouincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Con-* C *tinete igitur vocem truculentam, campo ac bellis necessariam, ne vos hodie omnes vno ore atque vna voce, Quirites, dimittam: & incertum an Quirites. Nō enim digni estis qui vel Romanæ plebis sitis, si ius Romanum non agnoscitis.* Et quum vehementius fremerent, ac ferro quoque minarētur; *Deponite,* inquit, *dextras contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim vnum hominem occideritis, non nobis deerit respubl. non senatus, non P. R. qui de vobis vindicet.* Quum nihilominus post D ista fremerent, exclamauit. *Quirites discedite, atque arma deponite.* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra sed ad diuersoria varia recesserunt. Tuncque primum intellectum est quantum eius seueritas posset. Denique etiam signa stipatores & ij qui Imperatorem circumdederant, in castra retulerunt, arma collecta populus ad palatium tulit. eam tamen legionem quam exauctorauit, rogatus per dies xxx. priusquam ad expeditionem Persi- E cam proficisceretur, loco suo restituit, eaque pugnante maxime vicit, quum tamen tribunos eius capitali affecerit supplicio, quod per negligentiam illorum milites apud Daphnen luxuriati essent, vel per conniuentiam seditionem fecissent exercitus. Magno igitur apparatu inde in Persas profectus, Artaxerxem regem potentissimum vicit, quum ipse Alexander cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quosque milites ad laudem F verbis adduceret. Fuso denique fugatoque tanto rege, qui cum septingentis elephantis, falcatisque mille & octingentis curribus ad bellum venerat, equitum multis millibus, statim Antiochiam rediit, & de præda quam Persis diripuit, suum ditauit exercitum : quum & tribunos ea quæ per vicos diripuerant, & duces & ipsos milites habere iussisset. Tumque primum Persæ serui apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indigne ferunt G Persarum reges quempiam suorum alicubi seruire, acceptis pretiis reddidit : pretiumque vel iis qui manu ceperant seruos, dedit, vel in ærarium contulit. Post hoc Romam venit, triumphoque pulcherrimo acto, apud senatum primum hæc verba habuit. Ex actis senatus die septimo cal. Octobr. *Persas P.C. vicimus. Longa eloquentia opus non est; tantū scire debetis quæ illorū arma fuerint, qui apparatus. Iā primū elephātis septingentis iidēque turritis cū sagittariis & onere sagittarū*

Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti iacent, decem & octo perduximus. Falcatos currus mille: sed adducere interfectorum animalium currus ducentos potuimus; sed id quia & fingi poterat, facere supersedimus. Centum & viginti millia equitum fudimus: catephractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus: eorum armis nostros armauimus. Multos Persarum cepimus, eosdemque vendidimus. Terras Interamnanas, Mesopotamiæ scilicet, neglectas ab impura illa bellua recepimus. Artaxerxem potentissimum regem tam re quam nomine, fusum fugauimus, ita vt eum terra Persarum fugientem videret; & qua ducta fuerant quondam signa nostrorum, ea rex ipse signis effugerit relictis. Hæc sunt P.C. gesta. Eloquentia opus non est: milites diuites redeunt, laborem in victoria nemo sentit: Vestrum est supplicationem decernere, ne dijs videamur ingrati. Acclamatio senatus: *Alexander Auguste, dij te seruent: Persice maxime, dij te seruent. Vere Parthicus, vere Persicus. Tropæa tua & nos videmus, victorias & nos videmus. Iuueni Imperatori, Patri patriæ, Pontifici maximo: per te victoriam vndique præsumimus. Ille vincit qui milites regit. diues senatus, diues miles, diues P.R.* Dimisso senatu Capitolium ascendit: atq; inde re diuina facta, & tunicis Persicis in templo locatis, cócioné huiusmodi habuit: *Quirites, vicimus Persas, milites diuites reduximus: vobis congiarium pollicemur, cras ludos circenses Persicos dabimus.* Hæc nos & in annalibus, & apud multos reperimus. Sed quidam dicunt, à seruo suo eum proditum, non vicisse regem; sed ne vinceretur, fugisse. Quod contra multorum opinionem dici, non dubium est iis qui plurimos legerint. Nam & amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore ac morbo, vt Herodianus auctor est contra multorum opinionem. Post hoc cum ingenti gloria, comitante senatu, equestri ordine, atque omni populo, circumfusisque vndique mulieribus & infantibus, maxime militum coniugibus, pedes palatium conscendit, quum retro currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur. Leuabatur manibus omnium Alexander, vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, vndique omnibus clamantibus, *Salua Roma, quia saluus est Alexander.* Alia dia actis circensibus, & item ludis scenicis, deinceps congiarium populo Romano dedit. Puellas & pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammæanas & Mammæanos instituit. Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem eius, & in Armenia per Iunium Palmatum: atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ: quibus in senatu & apud populum lectis, omnibus nominibus est adornatus. His vero qui rempubl. bene gesserant, consularia ornamenta decreta sunt, additis etiam sacerdotiis & agrorum possessionibus iis qui erant pauperes & æuo iam graues. Captiuos diuersarum nationum amicis donauit, si ætas puerilis aut iouenilis permisit. Siqui tamen regij aut nobiliores fuerint, eos militiæ, non tamen magnæ, deputauit. Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donauit, ita vt eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec vmquam ad priuatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos si etiam sua rura defenderent. Addidit sane his & animalia & seruos, vt possent colere quod acceperant, ne per inopiam hominum, vel per senectutem possidentium, desererentur rura vicina barbariæ: quod turpissimum ille ducebat. Post hæc quum ingenti amore apud populum & senatum viueret, & sperantibus victoriam cunctis, & inuitis eum dimittentibus ad Germanicum bellum profectus est, deducentibus cunctis per centum & quinquaginta millia. Erat autem grauissimum reipubl. atque ipsi, quod Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur: pudoremque augebat quod victis iam Parthis, ea natio imminebat reip. ceruicibus, quæ semper etiam minusculis Imperatoribus subiecta videbatur. Magnis igitur itineribus, lætis militibus, contendit. Sed quum ibi quoque seditiosas legiones comperisset, abiici eas præcepit. Verum Gallicanæ mentes, vt sese habent, duræ ac retrogradæ & sæpe Imperatoribus graues, seueritatem hominis nimiam & longe maiorem post Heliogabalum, nó tulerunt. Denique agentem eum cum paucis in Britannia; vt alij volunt, in Gallia, in vico cui Sicila nomen est, non ex omnium sententia, sed latrocinantium modo quidam milites, & hi præcipue qui Heliogabali præmiis effloruerant, quum seuerum principem pati non possent, occiderunt. Multi dicunt à Maximino immissos tyrones, qui ei ad exercendum dati fuerant, eum occidisse: multi aliter: à militibus tamen constat, quum iniuriose quasi in puerum eumdem, & matrem eius auaram & cupidam, multa dixissent. Imperauit annis XIII. diebus IX. Vixit annis XXIX. mensibus III. diebus VII. Egit omnia ex consilio matris, cum qua occisus est. Omina mortis hæc fuerunt: Quum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, &, vt se ciuiliter gerebat, ac permixtus populo errat, albam eius vestem cum qua constiterat, cruentauit. Laurus in palatio cuiusdam ciuitatis, à qua proficiscebatur ad bellum, ingens & antiqua, tota subito decidit. Arbores fici tres, quæ ficus eas ferrent quibus Alexandrinarum nomen est, subito ante illius tentorium deciderunt, quum tentoria imperatoria his adnexa essent. Mulier Druias eúti exclamauit Gallico sermone, *Vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas.* Tribunal ascendit vt concionaretur, & faustum aliquid diceret: ita cœpit, *Occiso Imperatore Heliogabalo.* hoc tamé omini fuit, quod iturus ad bellum, milites alloquiminus fausta oratione cœptauerat. Sed hæc omnia vehementissime contempsit: profectusque ad bellum, in loco supra dicto ita occisus est. Pranderat forte publico (vt solebat) conuiuio, id est apertis papilionibus, cibo militari accepto: neque enim aliud à discumbentibus militibus in tentoriis est repertum. Et quum dormiret post conuiuium hora diei fere septima, vnus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientib. cunctis, solo tamen Imperatore interuigilante visus est, cui Alexander, *Quid est hic,* inquit, *cótubernalis? Num aliquid de hostibus nuntias?* At ille metu perterritus, & spectans non posse euadere quod in tentorium principis irruisset, ad contubernales suos venit, eosque ad durum principem interimendum exhortatus est: qui subito plures armatique ingressi, inermes & obsistentes contrúcauerunt, ipsumque pluribus ictibus confoderunt. Aliqui dicunt, omnino nihil dictú, sed tantú à militibus clamatú, *Exi, recede*: atq; ita obtruncatú iuuené optimú. Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam à Maximino, Alexandri fuit, & potentissimus quidem per Armenios & Osdroënos & Parthos, & omnis generis

ris hominum. Contempsisse Alexandrum mortem, cum ferocitas mentis, qua militem semper attriuit, tum etiam illa declarant. Thrasybulus mathematicus illi amicissimus fuit: qui quum ei dixisset, necessitatem esse vt gladio barbarico periret, primo lætatus est quod sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde disputauit ostenditque, optimos quosque violenta morte consumptos; quum diceret ipsum Alexandrum; cuius nomẽ teneret, Pompeium, Cæsarem, Demosthenem, Tullium, & cæteros insignes viros, non quieta morte oppetisse. Tantumque animi habuit vt putaret se dijs comparandum si in bello periret: sed res eum fefellit. Nam & gladio barbarico, & scurræ barbari manu, verum non in bello, sed belli tempore periit. Mortem eius milites, & qui exauctorati ab eo quondam fuerant, grauissime tulerunt, atque auctores cædis trucidarũt. Populus vero Romanus, senatusque omnis, cum prouincialibus cunctis, neque tristius vnquam neque asperius acceperunt; simul quod successoris asperitas atque rusticitas Maximini, vtpote hominis militaris, cui cum filio post eum imperium delatum est, grauiorem fati necessitatem videbatur ostendere. Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimũ meruit. Dati sunt & sodales, qui *Alexandrini* appellati sunt: addita & festiuitas matris nomine, atque ipsius, quæ hodieque Romæ religiosissime celebratur natali eius die. Caussa occidendi eius ab aliis hæc fuisse perhibetur, quod mater eius relicto bello Germanico, orientem ad iactantiam sui vellet redire, atque ob hoc esset iratus exercitus. Sed hæc ab amatoribus Maximini ficta sunt, qui videri noluerunt Imperatorem optimum ab amico suo interfectum contra iura humana atque diuina. Hactenus imperium P.R. eum principem habuit qui diutius imperaret; post eum certatim irruentibus, & aliis semestribus, aliis annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus, vsque ad eos principes qui latius imperium tetenderunt, Aurelianum dico, & deinceps. de quibus si vita suppeditauerit, ea quę comperta fuerint, publicabimus. Reprehensa sunt in Alexandro hæc; Quod Syrus esse nolebat; quod aurum amabat; quod suspiciosissimus erat; quod vectigalia multa inueniebat; quod se Magnum Alexandrum videri volebat, quod nimis seuerus in milites erat, quod curas priuatas agebat: quæ omnia in republ. instituerat. Scio sane plerosque negare hunc à senatu Cæsarem appellatum esse, sed à militibus: qui verum prorsus ignorant: dicere præterea, non hunc fuisse consobrinum Heliogabali: qui, vt nos sequantur, historicos eius temporis legant, & maxime Acholium, qui & itinera huius principis scripsit. Soles quærere Cõstantine maxime, quid sit quod hominem Syrum & alienigenam talem principem fecerit; quum tot Romani generis, tot aliarũ prouinciarũ reperiantur improbi, impuri, crudeles, abiecti, iniusti, libidinosi. Ia primũ possum de bonorũ virorum respondere sententia, potuisse natura, quæ vbique vna mater est, bonum principem nasci: deinde timore, quod pessimus esset occisus, hunc optimum factum: sed quia verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ lecta referabo. Notum est illud pietati tuæ quod in Mario Maximo legisti, meliorem esse remp. & prope tutiorem, in qua princeps malus

A est, ea in qua sunt amici principis mali: siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi, multi autem mali, non possunt ab vno, quamuis bono, vlla ratione superari. Et id quidem ab Homulu ipsi Traiano dictum est, quum ille diceret Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse, atque adeo illum magis odio fuisse, qui remp. peioris vitæ hominibus commendauerat, quia melius est vnum malum pati quam B multos. Et vt ad rem redeam, Alexander quidem & ipse optimus fuit: nam hoc nemo vult nisi bonus: & optimæ matris consiliis vsus est: ac tamen amicos sanctos & venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circũuentores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: C qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent; numquam deciperent existimationẽ principis sui, sed amarent. Huc accedit quod eunuchos nec in consiliis nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt viuere, qui à populo etiam amicissimum principem semouent, qui internuntij sunt, aliud quam respondetur sæpe referentes, claudentes principem suum, & agentes ante omnia, nequid sciat. Qui quum empti sint & praui fuerint, quid tãdem possunt boni sapere? Erat deD nique eius ipsius sententia, *Ego de præfectorum & consulum & senatorum capitibus mancipia ære empta iudicare non patiar.* Scio, Imperator Constantine, quo periculo ista dicantur apud Imperatorem qui talibus seruit, sed salua republ. postea quam intellexisti quid mali clades istæ habeant, & quemadmodum principes circumueniant: & tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris. Iam illud insigne quod solum intra palatium, præter præfectum, & Vlpianum quidem, neminem vidit: nec dedit aliE cui facultatem vel fumorum vendendorum de se, vel sibi de aliis male loquendi, maxime occiso Thurino, qui illum quasi fatuum & vecordem sæpe vendiderat. His accessit, quod amicos & parentes Alexander, si malos reperit, aut puniuit, aut, si vetus vel amicitia vel necessitudo non siuit puniri, dimisit à se, dicens, *His carior est mihi tota respubl.* Et vt scias qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus, Sabini insignis viri filius, Cato tẽporis sui Domitius Vlpianus iuris peritissimus, ÆF lius Gordian' Gordiani Imperatoris pater, & ipse re vera vir insignis: Iulius Paul' iuris peritissimus, Claudius Venatus orator amplissimus: Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Marcianus, Callistratus, Hermogenes, Venulcius, Tryphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus: hi omnes iuris professores, discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares & socij, vt scribit Acholius & Marius Maximus, Catilius Seuerus cognatus eius, vir omnium doctissimus, Ælius SeG renianus omnium vir sanctissimus, Quintilius Marcellus, quo meliorem ne historiæ quidem continent. His tot atque aliis talibus viris, quid mali potuit cogitari vel fieri, quum ad bonum consentirent? Et eos quidem malorum co-

hoc depulerat,qui circumuenerant Alexandrum A primis diebus: sed prudentia iuuenis his malis occisis atque depulsis, amicitia illa sancta cõualuit. Hi sunt qui bonum principem suum fecerunt: & item amici mali, qui Romanos pessimo s etiam posteris tradiderunt suis vitiis laborantes.

IVLII CAPITOLINI

MAXIMINI DVO

AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

NE fastidiosũ esset clementiæ tuæ,Constantine maxime,singulos quosque principes, vel principum liberos, per libros singulos legere,adhibui moderationem qua in vnum volumẽ duos Maximinos,patrem filiumque,congererem. Seruaui deinceps ordinem quem pietas tua etiam à Tatio Cyrillo clarissimo viro, qui Græca in Latinum vertit, seruari voluit: quod quidem non in vno tantum libro,sed etiam in plurimis deinceps reseruabo;exceptis magnis Imperatoribus; quorũ res gestæ plures atque clariores, longiorem desiderant textum. MAXIMINVS senior, sub Alexandro Imperatore enituit: militare autem sub Seuero cœpit. Hic de vico Thraciç vicino,barbaro etiã patre & matre genitus, quorum alter è Gotthia, alter ex Alanis, genitus esse perhibetur. Et patri quidem nomen Micca, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus ipse prodidit; postea vero vbi ad imperium venit,occuli præcepit; ne vtroque parente barbaro genitus Imperator esse videretur. Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam procer,qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret. Prima stipendia, equestria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conspicuus,virtute inter omnes milites clarus,forma virili decorus:ferus moribus,asper,superbus,contemptor:sæpe tamen iustus. Innotescendi sub Seuero Imperatore prima hæc fuit caussa. Natali Getæ filij minoris, Seuerus militares dabat ludos, propositis pręmiis argẽteis,id est armillis,torquibus & baltheolis. Hic adolescens & semibarbatus, & vix adhuc Latina lingua,prope Threcisca, Imperatorem publice petiit vt sibi daret licentiam contendendi cum iis qui iam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus miratus, primum eum cum lixis composuit,sed fortissimis quibusque, ne disciplinam militarem corrumperet. Tunc Maximinus XVI. lixas vno sudore deuicit, XVI. acceptis præmiis minusculis,non militaribus,iussusque militare. Tertia forte die quũ processisset Seuerus ad campum, in turba exsultãtem more barbarico Maximinum vidit, iussitque statim tribuno vt eum coërceret,ac Romana disciplina imbueret. Tunc ille, vbi de se intellexit Imperatorem loquutum, suspicatus barbarus & notum se esse principi,& inter multos conspicuũ, ad pedes Imperatoris equitantis accessit. Tum volens Seuerus explorare quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus: & quum Imperator laborasset, neque ille accurrẽdo per multa spatia desisset,ait ei, *Quid vis Threcisce? numquid delectat luctari post cursum?* Tum, *Quantum libet*, inquit: *Imperator*. Post hoc ex equo Seuerus descendit, & recentissimos quosque ac fortissimos milites ei comparari iussit. Tum ille more solito VII. fortissimos vno sudore vicit; solusque

B omnium à Seuero post argentea præmia torque aureo donatus est, iussusque inter stipatores corporis sui semper in aula consistere. Hinc igitur factus conspicuus,inter milites clarus, amari à tribunis,à commilitonibus suspici,impetrare ab Imperatore quod vellet;locis etiam militiæ à Seuero adiutus quũ esset adolescens, lõgitudine autẽ corporis & vastitate, & forma, atque oculorum magnitudine & candore inter omnes excelleret. Bibisse autem illum sæpe in die vini Capitolinam
C amphoram constat: comedisse & XL libras carnis, vt autem Cordus dicit,etiam LX. Quod satis constat,oleribus semper abstinuit, à frigidis prope semper,nisi quum illi potandi necessitas esset. Sudores sæpe suos excipiebat,& in calices vel in vasculum mittebat, ita vt duos vel tres sextarios sui sudoris ostenderet. Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit,centuriatus & ceteras militares dignitates sæpe tractauit. Sub Macrino (quod eum
D qui Imperatoris sui filium occiderat,vehementer odisset) à militia desiit,& in Thraciam in vico vbi genitus fuerat,possessiones cõparauit,ac semper cũ Gotthis cõmercia exercuit. Amatus est autẽ vnice à Getis,quasi eorũ ciuis. Alani, quicũq; ad ripã venerunt,amicũ eũ donis vicissim recurrentibus approbabãt. Sed occiso Macrino cũ filio suo,vbi Heliogabalũ quasi Antonini filiũ Imperatorẽ cõperit,iã maturç ætatis ad eũ venit,petiitque vt quod auus eius Seuerus iudicij circa se habuerat, & ipse
E haberet. Sed apud impurũ hominẽ valere nihil potuit. Nã dicitur cum eo iocatus esse Heliogabalus turpissime;dicẽs, *Maximine*, XVI. *&* XX. *&* XXX. *milites diceris aliquando lassasse,potes tricies cũ muliere perficere?* Tũ ille vbi vidit infamẽ principẽ sic exorsum,à militia discessit, & tamẽ retentus est per amicos Heliogabali,ne hoc quoque illius famç accederet quod virũ temporis sui fortissimũ, & quẽ alij, *Herculẽ*, alij *Achillẽ*, alij *Aiacẽ* vocabant,à suo
F exercitu dimoueret. Fuit igitur Maximinus sub homine impurissimo tãtũ honore prçditus tribunatus:sed nũquã ad manũ eius accessit, nũquã illũ salutauit: per totũ trienniũ huc atq; illuc discurrẽs,modo agris,modo otio,modo fictis lãguoribus occupatus est. Occiso Heliogabalo, vbi Maximinus cõperit Alexãdrũ principẽ nominatũ, Romã cõtẽdit. quẽ Alex. miro cũ gaudio, mira cũ gratulatione suscepit, vt in senatu verba faceret talia, *Maximinus P.C. tribun. cui ego latũ clauũ addidi, ad me*
G *cõfugit. qui sub impura illa bellua militare nõ potuit, qui apud diuũ parẽtẽ meũ Seuerũ tãtus fuit quãtũ illũ fama cõperitis.* Statim denique illũ tribunũ legionis quartæ ex tironibus,quam ipse cõposuerat,dedit,& eum in hæc verba prouexit, *Veteres milites tibi Maximine mi charissime atque amantissime, idcirco non credidi,quod veritus sum ne vitia eorũ sub aliis inolescẽtia emẽdare nõ posses. Habes tirones ad tuos mores,ad tuã virtutẽ,ad tuum laborem: eos fac* mili-

militiam addiscere,vt mihi multos Maximinos reip.
vtabiles solus efficias. Accepta igitur legione,sta-
tim eam exercere cœpit. Quinta quaque die iube-
bat milites decurrere in se simulacra bellorum a-
gere:gladios,loricas,galeas, scuta, tunicas, & om-
nia arma illorum quotidie circumspicere: calcia-
menta quinetiam ipsa prospiciebat: prorsus vt se
parem militibus præberet. Sed quum eum quidam
tribuni reprehenderét,dicentes, *Quid tantum labo-*
ras,quum eius loci iam sis,vt ducatum possis accipere?
dixisse fertur; *Ego vero quo maior fuero,tanto plus*
laborabo. Exercebat cum militibus ipse luctam,
quinos, senos, & septenos iam grandæuus ad ter-
ram prosternens. Denique inuidentibus cunctis,
quum quidam tribunus superbior, magni corpo-
ris, virtutis notæ, atque ideo ferocior ei dixisset,
Non magnam rem facis si tribunus tuos milites vin-
cis: ille ait, *Visne congrediamur?* quumque aduersa-
rius annuisset, venientem contra se palma in pe-
ctus percussum, supinum reiecit; & continuo di-
xit, *Date alium,sed tribunum.* Erat præterea (vt re-
fert Cordus) magnitudine tanta, vt octo pedes di-
gito videretur egressus: pollice ita vasto vt vxoris
dextrocherio vteretur pro annulo. Iam illa prope
in vulgi ore sunt posita, quod hamaxas manibus
attraheret, rhedam onustam solus moueret: equo si
pugnum dedisset, dentes solueret; si calcem, crura
frangeret: lapides tophicios friaret, arbores tene-
riores scinderet. Alij denique eum *Crotoniatem*
Milonem, alij *Herculem, Antæum* alij vocant. His
rebus conspicuum virum Alexander, magno-
rum meritorum iudex, in suam perniciem omni
exercitui præfecit gaudentibus cunctis vbique tri
bunis, ducibus, & militibus. Denique totum eius
exercitum, qui sub Heliogabalo magna ex parte
torpuerat, ad suã militarem disciplinam retraxit.
Quod Alexandro, vt diximus, optimo quidem Im-
peratori, sed tamen cuius ætas ab initio contemni
potuerit, grauissimum fuit. Nam quum in Gallia
esset, & non longe ab vrbe quadam castra posuis-
set, subito immissis militibus, vt quidam dicunt,
ab ipso; vt alij, à tribunis barbaris, Alexander ad
matrem fugiens interemptus est, Maximino iam
Imperatore appellato. Et caussam quidem Alexan-
dri interimendi alij aliam fuisse dicunt. Quidam
enim Mammæam dicunt auctorem fuisse vt filius
deserto bello Germanico, orientem peteret; atque
ideo milites in seditionem prorupisse: quidam,
quod ille nimis seuerus esset, & voluisset ita in Gal
lia legiones exauctorare vt exauctorauerat in oriẽ
te. Sed occiso Alexãdro, Maximinus primũ è cor-
pore militari, & nõdũ senator, sine decreto senatus,
Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet
in participatũ dato: de quo pauca, quæ nobis sunt
cognita, mox dicemus. Maximinus autẽ ea fuit sem
per astutia, vt milites non solum virtute regeret,
sed etiam præmiis & lucris sui amantissimos red-
deret. Numquam annonam cuiuspiam tulit: num-
quam fuit qui in exercitu faber, aut alterius rei (vt
plerique sunt) artifex esset: solis venationibus le-
giones frequenter exercebat. Sed inter has virtutes
tam crudelis fuit vt illum alij *Cyclopem,* alij *Busiri-*
dem, alij *Scironem,* nonnulli *Phalarim,* multi *Ty-*
phonem, vel *Gygem* vocarent. Senatus eum tantum
timuit, vt vota in templis publice priuatimque
mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille
vmquam vrbem Romam videret. Audiebat enim
alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper

A occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus
elisos; atque omnia hæc sine delectu dignitatis:
quum videretur disciplinam velle regere milita-
rem, cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit:
quod non conuenit principi qui velit diligi. Erat
enim ei persuasum, *nisi crudelitate imperium non te-*
neri. Simul & verebatur ne propter humilitatem
generis barbarica nouitate contemneretur. Memi-
nerat præterea se Romæ etiam à seruis nobilium
B contemptum esse: ita vt ne à procuratoribus qui-
dem eorum videretur. Et vt se habent stultæ opi-
niones, tales eos cõtra spetabat futuros, quum iam
imperator esset. *Tantum valet consciẽtia degeneris*
animi. Nam ignobilitatis tegendæ caussa, omnes
conscios generis sui interemit; nonnullos etiam
amicos, qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis caussa
pleraque donauerant. Neque enim fuit crudelius
animal in terris; omnia sic in viribus suis ponens
quasi non posset occidi. Denique quum immorta-
C lem se prope crederet ob magnitudinem corporis
sui virtutisque, minus quidam in theatro præsente
illo dicitur versus Græcos dixisse, quorum hæc e-
rat Latina sententia; *Et qui ab vno non potest occidi,*
à multis occiditur. Elephas grandis est,& occiditur:
Leo fortis est,& occiditur: Tigris fortis est, & occidi-
tur: Caue multos,si singulos non times. Et hæc Impe-
ratore ipso præsente iam dicta sunt. Sed quũ Maxi
minus interrogaret amicos quid minus scurra di-
D xisset, dictum est ei quod antiquos versus cantaret
contra homines asperos scriptos; & ille, vt erat
Thrax & barbarus, credidit. Nobilẽ circa se nemi-
nem passus est: prorsus vt Spartaci aut Athenionis
exemplo imperaret. Præterea omnes Alexandri mi
nistros variis modis interemit. Dispositionibus e-
ius inuidit. Et dum suspectos habet amicos ac mi-
nistros eius, crudelior factus est. Quum esset ita
moratus, vt ferarum more viueret, tristior & im-
manior factus est factione Magni cuiusdam con-
sularis viri contra se parata: qui cum multis mili-
E tibus & centurionibus ad eum confodiendum cõ-
silium inierat, quum in se imperium transferre cu-
peret. Et genus factionis fuit tale. Quum ponte iũ-
cto in Germanos transire Maximinus vellet, pla-
cuerat, vt contrarij cum eo transirent, pons postea
solueretur, ille in barbarico solo circumuentus oc
cideretur, imperium Magnus arriperet. Nam om-
nia cœperat agere, & quidem fortissime, statim vt
factus Imperator; peritus vtpote rei militaris; volẽs
F existimationem de se habitam tenere, & ante om-
nes Alexandri gloriam quem ipse occiderat, vin-
cere. Quare Imperator etiam in exercitio quotidie
milites detinebat. Eratque in armis ipse magnus
exercitio, & corpore multa semper ostendens. Et
istam quidem factionem Maximinus ipse finxisse
perhibent, vt materiam crudelitatis augeret. Deni-
que sine iudicio, sine accusatione, sine delatore, si-
ne defensione omnes interemit, omniũm bona su-
stulit: & plus IIII. millibus hominum occisis, se sa-
G tiare non potuit. Fuit etiam sub eodem factio, de-
sciscentibus sagittariis Osdroënis ab eodem ob a-
morem Alexandri & desiderium; quem à Maximi-
no apud eos occisum esse constabat, nec aliud per-
suaderi potuerat. Denique etiam ipsi Titum vnum
ex suis sibi ducem atque Imperatorem fecerunt,
quem Maximinus priuatum iam dimiserat; quem
quidem & purpura circumdederunt, regioque
apparatu ornarunt, & quasi sui milites obse-
pserunt; & inuitũ quidem. Sed hic Titus, dormiens

A domi suę, ab vno ex amicis suis interfectus est, qui sibi doluit illum esse præpositum, Macedonio nomine; qui eum Maximino prodidit, quique caput eius ad Imperatorem detulit. Sed Maximinus primo ei gratias egit; postea tamen vt proditorem odio habuit, & occidit. His rebus in dies immanior fiebat, ferarum more quæ vulneratæ magis exulcerantur. Post hæc transiit in Germaniam cum omni exercitu, & Mauris, & Osdroënis, & Parthis, & omnibus quos secum Alexander ducebat ad bellum. Et ob hoc maxime orientalia secum trahe- B bat auxilia, quod nulli magis contra Germanos quam expediti sagittarij valent. Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit; cui Maximinus multa dicitur addidisse. Ingressus igitur Germaniam Transrhenanam, per ccc. vel cccc. millia barbarici soli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit: barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit: cepit innumeros. & nisi Germani per amnes & paludes & syluas confugissent, omnem Germaniam in Romanam dicionem redegisset. Ipse præterea manu sua multa faciebat; C quum etiam paludem ingressus, circumuentus esset à Germanis, nisi eum equo inhærentem sui liberassent. Habuit enim hoc barbaricæ temeritatis, vt putaret Imperatorem manu etiam sua semper vti debere. Denique quasi nauale quoddam prœlium in palude fecit, plurimosque illic interemit. Victa igitur Germania, litteras Romam ad senatū & ad populum misit, se dictante conscriptas: quarum sententia hæc fuit: *Non possumus tantum P.C. loqui quantum fecimus. Per cccc. millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos* D *abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Peruenissemus ad syluas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* Ælius Cordus dicit, hanc omnino ipsius orationem fuisse: quod credibile est. Quid enim in hac est quod non posset barbarus miles? qui pari sententia, & ad populum scripsit; sed maiori reuerentia, idcirco quod senatum oderat, à quo se contemni multum credebat. Iussit præterea tabulas pingi ita vt erat bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi; vt facta eius pictura loqueretur: quas quidem tabulas post mortem E eius senatus & deponi iussit & exuri. Fuerūt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper primus victor reuertit, & cum ingentibus spoliis atque captiuis. Exstat oratio eiusdem missa ad senatum; cuius hoc exemplum est: *Breui tempore P.C. tot bella gessi quot nemo veterum: tantum prædæ in Romanum solum attuli, quantum sperari non potuit: tantum captiuorum adduxi, vt vix sola Romana sufficiant.* Reliqua orationis verba non sunt ad rem necessaria. Pacata Germania Sirmium venit, Sarmatis inferre F bellum parans, atque animo habens & concupiens vsque ad oceanum septemtrionales partes in Romanam dicionem redigere: quod fecisset si vixisset vt Herodianus dicit Græcus scriptor, qui ei (quantum videmus) in odium Alexandri plurimum fauit. Sed quum Romani eius crudelitatem ferre nō possent, quod delatores euocaret, accusatorem immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes quicumque in iudicium venissent, ex ditissimis hominibus pauperrimos faceret, G nec aliunde nisi malo alieno pecuniam quæreret; deinde sine delicto consulares viros & duces multos interimeret, alios Scythicis vehiculis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique prætermitteret quod ad crudelitatem videretur operari: contra eum defectionem pararunt. nec solum Romani, sed, quia & in milites sæuiebat, exercitus qui in Africa erat, subita & ingenti seditione Gordianum senem, virum grauissimum, qui erat proconsul, Imperatorem fecerunt: cuius factionis hic ordo fuit. Erat fisci procurator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliauerat. hic per rusticanā plebem, deinde & quosdam milites, interemptus est per eos qui rationalem in honorem Maximini defendebant. Sed quum viderent auctores cædis eius acrioribus remediis sibi subueniendum esse, Gordianum proconsulem, virum (vt diximus) venerabilem, natu grandiorem, omni virtutum genere florentem, ab Alexandro ex senatus consulto in Africam missum, reclamantem & se terræ affligentem, opertum purpura imperare coëgerunt, instantes cum gladiis & cum omni genere telorum. Et primo quidem inuitus Gordianus purpuram sumpserat: postea vero quum vidit neque filio, neque familiæ suæ tutum id esse, volens suscepit imperiū; & appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud opidū Tisdrum: inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus & fascibus laureatis. vnde Romam ad senatum litteras misit; quæ occiso Valeriano duce militum prætorianorum, in odium Maximini gratanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex & Gordianus iuuenis à senatu Augusti. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores; omnes amici Maximini occisi sunt. Interfectus est Sabinus pręfectus vrbis, percussus in populo. Vbi hæc gesta sunt, senat⁹ magis timēs Maximinū, aperte ac libere hostes appellat Maximinū & eius filium. Litteras deinde mittit ad omnes prouincias, vt cōmuni saluti libertatiq; subueniant: quæ auditæ sunt ab omnibus. Denique vbique amici, & administratores, & duces, tribuni & milites Maximini, interfecti sunt. Paucæ ciuitates fidem hosti publico seruauerunt: quæ proditis iis qui missi ad eos fuerant, ad Maximinum cito per indices detulerunt. Litterarum senatus exemplum hoc fuit: *Senatus populusque Romanus, per Gordianos principes ab illa tristissima bellua liberari cœptus, proconsulibus, præsidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus, ac singulis ciuitatibus, & municipiis, & oppidis, & vicis, & castellis salutem, quam nunc primū recipere cœpit, dicit. Diis fauentibus Gordianum proconsulem, virum sanctissimum & grauissimum senatorem, principem meruimus, Augustum appellauimus. nec solum illum, sed etiam in subsidium reip. filium eius Gordianum nobilem iuuenem. Vestrum est consentire ad salutem reipubl. obtinendam, & ad scelera defendenda, & ad illum belluam Maximinum atque illius amicos, vbicumque fuerint, persequendos. A nobis etiam Maximinus cum filio suo hostis est iudicatus.* Senatusconsulti autem hoc fuit exemplum. Quum ventum esset in ædem Castorum, vi. Cal. Iunias, acceptas litteras Iunius Silanus consul ex Africa, Gordiani imperatoris patris patriæ proconsulis, recitauit; *Inuitum me P.C. iuuenes quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt. Sed intuitu vestri, necessitatem libens sustineo. Vestrum est æstimare quid velitis. Nā ego vsque ad senatus iudicium incertus & varius fluctuabo.* Lectis litteris, statim senatus acclamauit, *Gordiane Auguste dij te seruent. Felix imperes, tu nos liberasti: Saluus imperes, tu nos liberasti. per te salua respub. omnes tibi gratias agimus.* Item cos. retulit;

tulit, *P.C. De Maximinis quid placet?* responsum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Item consul dixit, *De amicis Maximini quid videtur?* acclamatum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Ita acclamatum est, *Inimicus senatus in crucem tollatur: Hostis senatus vbicumque feriatur: Inimici senatus viui exurantur. Gordiani Augusti, dij vos seruent. Ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturam decernimus, nepoti Gordiani consulatum spondemus. nepos Gordiani Cæsar appelletur: tertius Gordianus præturam accipiat.* Vbi hoc senatusconsultum Maximinus accepit, homo natura ferus, sic exarsit vt non hominem sed belluã putares. Iaciebat se in parietes, nonnumquam terræ se prosternebat. Exclamabat incondite; arripiebat gladium, quasi senatum posset occidere; conscindebat vestem regiam, alios verberibus afficiebat; &, nisi de medio recessisset, (vt quidam sunt auctores) oculos filio adolescentulo sustulisset. Caussa autem iracundiæ contra filium hæc fuit, quod eum Romam ire iusserat quum primũ imperator factus est, & ille patris nimio amore neglexerat: putabat autem quod si ille Romæ fuisset, nihil ausurus esset senatus. Ardentem igitur Maximinum iracũdia, amici intra cubiculũ receperunt. Sed quum furorem suum tenere non posset, vt obliuionem cogitationis acciperet, vino se primo die obruisse dicitur eousque vt quid gestum esset ignoraret. Alia die admissis amicis, qui eum audire non poterant, sed tacebant, & qui factum senatus tacite laudabant, consilium habuit quid facto opus esset: è concilio ad concionẽ processit, in qua concione multa in Afros, multa in Gordianum, plura in senatum dixit, cohortatusque milites ad communes iniurias vindicandas. Concio denique omnis militaris fuit, cuius hoc exemplum est, *Commilitones rem notam vobis proferimus. Afri fidem fregerunt. quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt? Gordianus senex debilis & morti vicinus, sumpsit imperium. Sanctissimi autem P.C. illi, qui & Romulum & Cæsarem occiderunt, me hostem iudicauerunt, quum pro his pugnarem & ipsis vincerem, nec solum me, sed etiam vos & omnes qui mecum sunt, quos & senatus acceptissimos, & sibi aduersissimos esse credebãt. Quare factum est (vt diximus) vt Gordianum adolescẽtulum principem peterent, qui statim factus est. Nec prius permissi sunt ad palatium stipati armatis ire, quam nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparent, & Gordianos patrem ac filiũ augustos vocarẽt. Ergo si viri estis, si vires habetis, eamus cõtra senatũ & Afros: quorum omnium bona vos habebitis.* Dato igitur stipendio, & quidem ingenti, Romam versus cum exercitu proficisci cœpit. Sed Gordianus in Africa primum à Capeliano quodam agitari cœpit, cui Mauros regenti successorem dederat. Contra quem filium iuuenem quum misisset, acerrima pugna interfecto filio, ipse laqueo vitam finiuit; sciens & in Maximino multum esse roboris, & Afris nihil virium, multum quinimo perfidiæ. Tunc Capelianus victor, pro Maximino omnes Gordiani partium, motu partium in Africa interemit atque proscripsit: nec cuiquam pepercit, prorsus vt ex animo Maximini videretur hæc facere. Ciuitates denique subuertit, fana diripuit, donaria militibus diuisit, plebem & principes ciuitatum concidit. Ipse præterea militum animos sibi conciliabat, præludens ad imperium si Maxi-

A minus perisset. Hæc vbi Romam nuntiata sunt, senatus Maximini & naturalem & iam necessariã crudelitatem timens, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex præfecto vrbi, & qui plurimas dignitates præcipue gessisset, ignobilẽ genere sed virtutibus clarum, & Clodium Balbinum, moribus delicatiorem, Imperatores creauit. Quibus à popolo Augustis appellatis, per milites & eumdem populum etiam paruulus nepos Gordiani Cæsar est dictus. B Tribus igitur Imperatoribus contra Maximum fulta resp. est. Horum tamen Maximus vita seuerior, prudentia grauior, virtute constantior: denique ipsi contra Maximinum & senatus & Balbinus bellum tradiderunt. Profecto igitur ad bellum Maximo contra Maximinum. Balbinus Romæ bellis intestinis & domesticis seditionibus vrgebatur, occisis præcipue per populum Gallicano & Mæcenate: qui quidem populus à prætorianis laniatus est, quum Balbinus resistere seditionibus non satis posset. C Denique magna pars vrbis incensa est. Et recreatus quidem Imperator fuerat Maximinus, audita morte Gordiani atque eius filij, Capeliani victoria: verum vbi & aliud senatusconsultum accepit, quo Maximus & Balbinos & Gordianus Imperatores appellati sunt, intellexit senatus odia esse perpetua, & se vere hostem omnium iudicio haberi. Acrior denique Italiam ingressus est. Vbi quum comperisset Maximum contra se missum, vehementius sæuiens quadrato agmine Hemonã D venit. Sed prouincialium omnium cõsilium hoc fuit vt sublatis omnibus quæ victum præbere possent, intra ciuitates se reciperent, vt Maximinus cum exercitu fame vrgeretur. denique vbi primum castra in campo posuit, neque quidquã commeatus reperiret, incensus contra eum exercitus suus, quod fame in Italia laborasset, in quã post Alpes recreari se posse credebat, murmurare primum cœpit, deinde etiam aliqua libere dicere. Hæc quum vellet vindicare, multum exarsit E exercitus, & odium tacitum in tempus distulit, quod loco suo statim prodidit. Plerique sane dicunt, ipsam Hemonam vacuam & desertam inuentam esse à Maximino, stulte lætante quod quasi ciuitas tota cessisset. Post hoc Aquileiam venit, quæ contra eum armatis circa muros dispositis, portas clausit, nec oppugnatio defuit, Menophilo & Crispino consulatibus viris auctoribus. Quum igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eamdem vrbem misit. F Quibus populus pene consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens, etiam deum Bellenum per aruspices spopondisse Maximinum esse vincendum. Vnde etiam postea Maximini milites iactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse, nec illam Maximi Pupieni aut senatus, sed deorum fuisse victoriam. Quod quidem idcirco ab his fictum esse dicunt, quod erubescebant armatos se pene ab inermibus victos. Ponte itaque cuppis facto, Maximinus fluuium transiuit, & de G proximo Aquileiam obsidere cœpit. Ingens autem oppugnatio & discrimen tunc fuit, quum se ciues sulfure & flammis, cæterisque huiusmodi propugnaculis, à milibus defenderent: quorum alij nudabantur armis, aliorum vestes incendebantur, aliorum oculi exstinguebantur; diruebãtur etiam machinamenta. Inter hæc Maximinus cum filio suo adolescente, quem Cæsarem appellauerat, circumire muros quantum à teli iactu

fatis tutus esse posset: nunc suis verbis milites, nûc
opidanos rogare. Verum nihil profecit. Nam
multa & in eum crudelitatis caussa, & in filium
qui speciosissimus erat, probra cogesta sunt. Qua-
re Maximinus sperans suorum ignauia bellum
trahi, duces suos interemit, eo tempore quo mi-
nime oportebat: vnde sibi milites etiam iratiores
reddidit. Huc accedebat quod deficiebant com-
meatus, quia senatus, ad omnes prouincias &
portuum custodes litteras dederat, ne aliquid cô-
meatuum in Maximini potestatem veniret. Mise-
rat præterea per omnes ciuitates prætorios &
quæstorios viros, qui vbique custodias agerent, &
omnia contra Maximinum defenderent. Effectû
denique est, vt obsessi angustias, obsidens ipse, pa-
teretur. Nuntiabatur inter hæc orbem terrarum
consensisse in odium Maximini. Quare timentes
milites, quorû affectus in Albano môte erant, me
dio forte die, quum à prælio quiesceretur, & Ma-
ximû & filiû eius quiescentes, in tentorio positos
occiderût eorumque capita præfixa contis Aqui-
leiensibus demonstrauerunt. In oppido igitur vi-
cino statim Maximini statuæ atque imagines de-
positæ sunt, & eius præfectus præt. occisus est cû
amicis clarioribus. Missa etiam Romam capita
sunt eorum. Hic finis Maximinorum fuit, dignus
crudelitate patris, indignus bonitate filij. Quibus
mortuis, ingês lætitia prouincialiû, dolor grauis-
simus barbarorû. Sed milites interfectis publicis
hostibus recepti sunt ab oppidanis, rogantes: &
primû ita vt ante imagines Maximi & Balbini &
Gordiani adurarent, quû omnes dicerent priores
Gordianus in deos relatos. Post hoc ingens ex A-
quileia cômeatus in castra quæ laborabant fame,
traductus est; fessisq; militibus alia die in côcionê
ventum est, & omnes in Maximi & Balbini verba
iurarût, Gordianos priores duos appellantes. Di-
ci vix potest quanta lætitia fuerit, quum Romam
per Italiam caput Maximini ferretur, occurren-
tibus cunctis ad gaudium publicum. Et Maximus
quidem, quem multi Pupienum putant, apud Ra-
uennam bellum parabat per Germanorum auxi-
lia: qui vbi comperit consensisse exercitum sibi &
collegis suis, occisos autem esse Maximinos, sta-
tim dimissis Germanorum auxiliis, quæ sibi con-
tra hostem parauerat, Romam laureatas litteras
misit; quæ in vrbe ingentem lætitiam fecerunt,
ita vt omnes per aras, & templa, & sacella, & loca
religiosa, gratias agerent. Balbinus autem homo
timidior natura, & qui quum Maximini nomen
audiret, etiam tremeret, hecatomben fecit iussitq;
per omnes ciuitates pari supplicari sacrificio.
Deinde Maximus Romam venit, senatumque in-
gressus, actis sibi gratiis, concionem habuit: atque
inde in Palatium cum Balbino & Gordiano vi-
ctores se receperunt. Interest scire quale senatus-
consultum fuerit, vel qui dies vrbis, quum est nû-
tiatus interemptus Maximinus. Iam primum is
nuntius qui ex Aquileiensi vrbe Romam missus
fuerat, tanto impetu, mutatis animalibus, cucur-
rit, vt quarta die Romam veniret, quum apud Ra
uennam Maximum reliquisset: & forte dies ludo-
rum erat, quum subito sedente Balbino & Gor-
diano theatrum nuntius ingressus est: atque an-
tequam aliquid indicaretur, omnis populus ex-
clamauit, *Maximinus occisus est*. ita & nuntius
præuentus, & Imperatores qui aderant, gaudium
publicum nutu & consensu indicauerunt. Soluto
igitur spectaculo, omnes statim ad suas religio-

A nes conuolarunt: atque inde senatus ad principê,
populus ad concionem cucurrerunt. Senatus con-
sultum hoc fuit. Recitatis in senatu per Balbinum
Augustum litteris acclamauit senatus; *Hostes
populi Romani dij persequuntur. Iupiter opti-
me tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias.
Maxime Auguste tibi gratias: Balbine Auguste
tibi gratias: Tibi gratias Gordiane Auguste: Diuis
Gordianis templa decernimus. Maximini nomen*
B *olim erasum, nunc animis eradendum. Hostis publici
caput in profluentem abiiciatur, corpus eius nemo se-
peliat. Qui senatui mortem minatus est, qui senatui
vincula minatus est, vt debebat, interemptus. San-
ctissimi Imperatores gratias vobis agimus. Maxi-
me, Balbine, Gordiane, dij vos seruent. Victores ho-
stium omnes desideramus: præsentiam Maximi om-
nes desideramus. Balbine Auguste, dij te seruent.
Præsentem annum coss. vos ornetis: in locum Ma-
ximini Gordianus sufficiatur.* Post rogatus senten-
C tiam Cuspidius Celerinus hæc verba habuit, *P.C.
eraso nomine Maximinorum, appellatisque diuis
Gordianis, victoriæ caussa principibus nostris Ma-
ximo, Balbino, & Gordiano, statuas cum elephantis
decernimus, currus triumphales decernimus, statuas
equestres decernimus, trophæa decernimus.* Post hæc
misso senatu supplicationes per totam vrbem de-
cretæ victores principes in palatium se recepe-
runt; de quorum vita in alio libro deinceps di-
cemus.

D

MAXIMINVS IVNIOR.

MAximinus iunior, de cuius genere superius
dictum est, tantæ pulcbritudinis fuit, vt
passim amatus sit à procacioribus fœminis. Non-
nullæ etiam optauerunt de eo concipere. Proce-
ritatis videbatur posse illius esse vt ad statutâ pa-
ternam perueniret. Siquidem anno vicesimo &
primo periit, in ipso flore iuuêtutis; (vt aliqui au-
E tem dicunt, octauodecimo) litteris & Græcis &
Latinis imbutus ad primam disciplinam. Nam
vsus est magistro Græco litteratore Fabilio; cuius
epigrammata Græca multa extant, maxime in
imaginibus ipsius pueri: qui versus Græcos fecit
ex illis Latinis Virgilij, quum ipsum puerum de-
scriberet; *Qualis vbi oceani profusus lucifer vnda
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resoluit, Talis
erat iuuenis primo sub nomine clarus.* Grammatico
F Latino vsus est Philemone, iurisperito Modesti-
no, oratore Tatiano filio Tatiani senioris, qui
prouinciarum libros pulcherrimos scripsit, & qui
dictus est *simia temporis sui*, quod cuncta imita-
tus esset. Habuit & Græcum rhetorem Eugamiû,
sui temporis clarum. Desposata illi erat Iunia Fa-
dilla, proneptis Antonini: quam postea accepit.
Toxotius eiusdem familiæ senator, qui periit post
præturam; cuius etiam poëmata extant. Manse-
runt autem apud eam arræ regiæ, quæ tales fue-
runt; vt Iunius Cordus loquitur, ex iis qui harum
G rerum perscrutatores fuisse dicuntur: monolium
de albis nouem; reticulum de prasinis vndecim,
dextrocherium cum costula de hyacinthis qua-
tuor, præter vestes auratas, & omnes regias, cæte-
raque insignia sponsaliorum. Adolescens autem
ipse Maximinus superbiæ fuit insolentissimæ; ita
vt etiam quum pater suus homo crudelissimus
plerisque honoratis assurgeret, ille resideret. Vitæ
lætioris, vini parcissimus, cibi auidus, maxime
siluestris, ita vt nonnisi aprugnam, anates, grues,
& omnia

& omnia captiua ederet. Infamabant eum ob nimiam pulchritudinem amici Maximi, & Balbini & Gordiani, & maxime senatores, qui speciem illam vel diuinitus lapsam incorruptam esse noluerűt. Denique illo tempore quo circum Aquileiam muros circumiens cum patre deditionem vrbis petebat, nihil aliud ei quam spurcities obiecta est; quæ longe ab illius fuit vita. Vestibus tam accuratus fuit, vt nulla mulier nitidior esset in mundo: amicis paternis immane quantum obsequutus est, sed vt donaret ac largiretur. Nam in salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnumquam etiam ped●: quod numquam passus est senior Maximinus, qui dicebat, *Dij prohibeant vt quisquam ingenuorű pedibus meis osculum figat.* Et quoniá ad Maximinos reuertimur, res iucűdæ prætereűdæ non sunt. Nam quű esset Maximinus pedum, vt diximus, octo & prope semis, calciamentum eius, id est campagum regium, quidam in luco qui est inter Aquileiam & Arziam posuerunt, quod constat pede maius fuisse hominis vestigio atque mensura: vnde etiam vulgo tractű est, quum de longis & ineptis hominibus diceretur, *Caliga Maximini.* Quod idcirco indidi, ne, qui Cordum legeret, me prætermisisse crederet aliquid quod ad rem pertineret. Sed redeam ad filium. De hoc adolescente Alexander Aurelius ad matrem suam scribit Mammæam, cupiens ei sororem suam Theocliam dare, in hæc verba, *Mi mater, si Maximinus senior, dux noster, & quidem optimus, non aliquid in se barbarum contineret, iam ego Maximino iuniori Theocliam tuam dedissem. Sed timeo ne soror mea Græcis munditiis erudita, barbarum socerum ferre non possit: quamuis ipse adolescēs & pulcher & scholasticus, ad Græcas műditias eruditus esse videatur. Hæc quidem cogito, sed te tamē consulo, Maximinum Maximini filium generum velis, an Messallam ex familia nobili, oratorem potentissimum, eumdemque doctissimum, & (nisi fallor) in rebus bellicis, si applicetur, fortem futurum.* Hæc Alexander de Maximino; de quo nos nihil amplius habemus quod diceremus. Sane ne quid prætermissum esse videatur, etiam epistolam indidi patris Maximini imperatoris iam facti, qui dicit idcirco se etiam filium suum appellasse Imperatorem, vt videret vel in pictura, vel in veritate, qualis esse iunior Maximinus in purpura. Fuit autem talis epistola: *Ego cű propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum, Imperatorem appellari permisi, tű etiā vt pop. Rom. & senatus ille antiquus iuraret se numquā pulchriorē Imperatorē habuisse.* Vsus est autē idē adolescēs & aurea lorica, exēplo Ptolemæorű: vsus est argentea, vsus & clypeo gemmato inaurato, & hasta inaurata. Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas; & omnino quidquid eius pulchritudinem posset iuuare. Fecit & galeas gemmatas; fecit & bucculas. Hæc sunt quæ de puero sciri & dici decuit. Reliqua qui volet nosse de reb. venereis & amatoriis, quibus eum Cordus aspergit, eumdem legat. Nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, vt iubetur velut publico iure, properantes. Omina sane imperij hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circumdedit. Posita ab eodem vitis intra annum ingentes vuas purpureas attulit, & miræ magnitudinis facta est. Scutum eius sub sole arsit: Lanceola sic fissa est fulmine, vt tota etiam per

A ferrum scinderetur, & duas partes faceret: vnde dixerunt aruspices, duos Imperatores non diuturnos ex vna domo, iisdem nominibus futuros. Lorica patris eius non (vt solet) ferrugine, sed tota purpureo colore infecta à plurimis visa est. Filio autem hæc fuerunt. Quum grammatico daretur, quædam parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis litteris scriptos. Ipse puerulus quum ad cœnam ab Alexandro esset rogatus in patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit. Quum infans esset, subito per publicum veniente vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat, conscendit & sedit, & vix ægreque à mulionibus carrucariis deturbatus est. Nec defuerunt qui cauendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit, *Longe est vt mihi succedat iste.* Erat enim illo tempore inter ignobiles, & nimis paruus. Mortis omina hæc fuerunt: Venienti contra Maximum & Balbinum Maximino cum filio, mulier quædam passis crinibus occurrit lugűbri habitu, & exclamauit, *Maximini, Maximini, Maximini*: neq; quidquam amplius dixit: & mortua est, videbatur enim dicere voluisse, *Succurrite.* Canes circum tentorium eius in secunda mansione vltra duodecim vlularunt, & animam quasi flendo posuerunt, ac prima luce mortui sunt deprehensi. Lupi vrbem quingenti simul ingressi sunt in quam se Maximinus contulerat: pleraque dicunt Hemonā, alij Archimeam; certe quæ deserta à ciuibus venienti Maximino patuit. Longum est omnia persequi: quæ qui scire desiderat, is velim (vt sæpe dixi) legat Cordum, qui hæc omnia vsque ad fabellam scripsit. Sepulcra eorum nulla exstant: in profluentem enim cadauera eorum missa sunt, & capita eorum in campo Martio insultante populo exusta. Scribit Ælius Sabinus, (quod prætermittendum non fuit) tantam pulchritudinem oris fuisse in filio, vt etiam caput eius mortui iam nigrum, iam sordens, iam maceratum, defluente tabo: velut vmbra pulcherrima videretur. Denique quum caput Maximini pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium esset, prope par mœror erat quod & filij caput pariter portaretur. Addit Dexippus, tantum odium fuisse Maximini, vt interfectis Gordianis, viginti viros senatus creauerit, quos opponeret Maximino: è quib. fuerunt Balbinus & Maximus, quos cőtra eum principes fecerunt. Idem addidit, in conspectu Maximini iam deserti à militibus, Anolinum præfectum prætorio ipsius & filium eius occisum. Nec desunt historici qui dicant, ipsum Maximinum, vbi desertus est, & vbi filium interemptum ante oculos suos vidit, manu sua se interfecisse, nequid ei muliebre contingeret. Prætereundem ne illud quidem est, quod tanta fide Aquileienses contra Maximinum pro senatu fuerunt, vt funes de capillis mulierum facerent quum deessent nerui ad sagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. vnde in honorem matronarum templum *Veneri calue* senatus dicauit. Sane quod nullo in loco tacendum est, quum & Dexippus & Arrianus & multi alij Græci scripserunt, Maximum & Balbinum Imperatores contra Maximinum factos, Maximum autem cum exercitu missum, & apud Rauennam bellum parasse, Aquileiam autem nisi victorem non vidisse: Latini scriptores non Maximum, sed

Pupienum contra Maximinum apud Aquileiam pugnasse dixerunt, eumdemque vicisse. qui error vnde natus sit, scire non possum: nisi forte idem est Pupienus qui & Maximus. Quod ideo testatum posui, nequis me hoc nescisse crederet quod reuera magnum stuporem ac miraculum creat.

IVLII CAPITOLINI

GORDIANI TRES

AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

FVetat quidem consilium, venerabilis Auguste, vt singulos quosque Imperatores exemplo multorum, libris singulis ad tuam clementiã destinarem. nam id multos fecisse vel ipse videram, vel lectione conceperam: sed improbum visum est, vel pietatem tuam multitudine distinere librorum, vel meum laborem plurimis voluminibus occupare. Quare tres Gordianos hoc libro contexui; consulens & meo labori, & lectioni tuæ, ne cogereris plurimos codices voluendo, vnam tamen pene historiam lectitare. Sed ne ego qui longitudinem librorum fugi, multitudinemque verborum, in eam incurrisse videar, quam me vrbane declinare continge, iam rem aggrediar. GORDIANI non, vt quidam imperiti scriptores loquuntur, duo, sed tres fuerunt. idque docente Arriano scriptore Græcæ historiæ, docente item Dexippo Græco auctore, potuerunt addiscere, qui etiam si breuiter, ad fidem tamen omnia persequuti sunt. Horum *Gordianus senior*, id est primus, natus ex patre Metio Marullo, matre Vlpia Gordiana, originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternam ex Traiani Imperatoris: patre, auo, proauo, coss. socero, prosocero, & item alio prosocero, & duobus absoceris coss. ipse cos. ditissimus ac potentissimus, Romæ Pōpeianam domũ possidens, in prouinciis tantũ terrarũ habens quantũ nemo priuatus. Ipse ex cōsulatu, quem egerat cum Alexandro, ad proconsulatum Africæ missus est ex senatusconsulto. Sed priusquam de imperio eius loquar, dicam pauca de moribus. Adolescens quum esset Gordianus, de quo sermo est, poëmata scripsit, quæ omnia extant, & cuncta illa quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & Alcyonas, & Vxorium, & Nilum: quæ quidem ad hoc scripsit, vt Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur. Scripsit præterea quemadmodum Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, & multi alij Iliados: ita etiam ille Antoniniados, hoc est Antoninum Pium, & Antoninum Marcum, versibus disertissimiis, libris xxx, vitam illorum, & bella, & publice priuatimque gesta perscribens. Et hæc quidem puerulus. Postea vero vbi adoleuit, in Athenæo controuersiis declamauit, audientibus etiam Imperatoribus suis. Quæsturam magnificentissime gessit: ædilitatis suæ tempore XII. populo Rom. munera id est per singulos menses singula, de suo exhibuit, ita vt gladiatorum nonnumquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis. Feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsos vna die mille. Exstat silua eius memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeij, quæ ipsius & patris eius & proaui fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus inuasit. In qua pictura etiam

A nunc continentur cerui palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri XXX, oues feræ C, alces X, tauri CyprIaci C, struthiones Mauri miniati CCC, onagri XXX, apri CL, ibices CC, damæ CC. Hæc autem omnia populo rapienda concessit die muneris quod sextum edebat. Præturam nobilem gessit, post iurisdictionem cōsulatum primum iniit cũ Antonino Caracallo, secūdum cũ Alexandro. Filios duos habuit, vnum, cōsularem, qui cum ipso

B Augustus appellatus est, qui iuxta Carthaginem in Africa bello absumptus est: & filiam Metiam Faustinam, quæ nupta est Iunio Balbo consulari viro. In consulatibus clarior fuit sui temporis cōsulibus, ita vt ei Antoninus inuideret, modo prætextas eius, modo latum clauum, modo circenses vltra imperatorium mirans modum. Palmatam tunicam, & togam pictam, primus Romanorum priuatus suam propriam habuit, quum ante Im-

C peratores etiam de Capitolio acciperent vel de palatio. Equos Siculos C, Capadoces C, permittentibus Imperatoribus, factionibus diuisit. Et per hæc populo satis carus, qui semper talibus commouetur. Cordus dicit, in omnibus ciuitatibus Campaniæ, Etruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos & iuuenalia edidisse. Scripsit & laudes soluta oratione omnium Antoninorum qui ante eum fuerunt.

D Tantum autem Antoninos dilexit, vt sibi quoque vt multi dicunt, *Antonini*, vt plerique autem asserunt *Antonij* nomen adscripserit. Iam illud satis constat quod filium Gordianum nomine Antonini & signo illustrauit, quum apud præfectum ærarij more Romano professus filium, publicis actis eius nomen insereret. Post consulatum proconsul Africæ factus est, adnitentibus cunctis qui Alexandri imperium etiam in Africa clarum per

E proconsulis dignitatem haberi atque esse voluerunt. Exstat epistola ipsius Alexandri, qua senatui gratias agit quod Gordianum ad Africam proconsulem destinauerit, cuius hoc exemplum est: *Neque gratius mihi quidquam P. C. neque dulcius potuistis efficere, quam vt Antoninum Gordianum proconsulem ad Africam mitteretis, virum nobilem & magnanimum, disertum, iustum, continentem, bonum:* & reliqua. Ex quo apparet quantus vir eo

F tempore Gordianus fuerit. Amatus est ab Afris ita vt nemo antea proconsulum: ita vt eum alij Scipionem, Catonem alij, multi Mucium, ac Rutilium, aut Lælium dicerent. Exstat eorum acclamatio, quæ à Iunio in litteras relata est. Nam quũ quadam die factum imperatorium legeret, atque à proconsulibus Scipionibus cœpisset, acclamatũ est, *Nouo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano proconsuli.* Hæc & alia frequenter audiuit. Er erat quidẽ longitudine Romana, canitie decora, & pompali vultu

vultu, ruber magis quam candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte, verendus: corporis qualitate subcrassulus. Moribus ita moderatus, vt nihil possis dicere quod ille aut cupide, aut immodeste, aut nimie fecerit. Affectus suos vnice dilexit: filium & nepotem vltra morem, filiam & neptem religiose. Socero suo Annio Seuero tantũ detulit, vt in familia eius quasi filium migrasse se crederet, vt numquam cum eo lauerit, numquam illo præsente sederit. Ante preturam c o s. quum esset, aut in domo eius semper mansit; aut si in Pompeiana domo, ad illum vel mane vel sero processit. Viui parcus, cibi parcissimus, vestitu nitidus, lauandi cupidus, ita vt & quater & quinquies in die lauaret æstate, in hieme bis. Somni plurimi ita vt in tricliniis, si forte apud amicos ederet, etiã sinopudore dormiret: quod videbatur facere per naturam, nõ per ebrietatem atque luxuriam. Sed boni mores nihil ei profuerunt. Hic enim vita venerabilis, cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, ceterisque veteribus agens, alium quam merebatur exitum passus est. Nam quum temporibus Maximini hominis sæui atque truculenti, proconsul Africam regeret, eique legatus filius esset à senatu datus, quumque quidam rationalis acrius contra plurimos Afrorum sæuiret quam Maximinus ipse pateretur, proscribens plurimos, interficiens multos, & sibi vltra procurationem omnia vindicans, retunsus deinde à proconsule atque legato, quum nobilibus & consularibus viris ipse minaretur, quumque Afri tam insolentes iniurias ferre nequirent, primum ipsum rationalem adiunctis sibi plerisque militibus occiderunt. occiso deinde eo, quũ iam orbis terrarum odio contra Maximinum arderet, cœperunt cogitare quemadmodum inter Maximinos & rusticos vel Afros ortæ inimicitiæ placarentur. Tunc quidam Mauricius nomine, potens apud Afros decurio, iuxta Tysdrum nobilissima post hæc oratione apud plebem in agro suo velut concionabundus est loquutus, *Gratias habeo diis immortalibus, ciues, quod occasionem dederunt, & quidem necessariam, prouidendi nobis contra hominem furiosissimum Maximinum. Nos enim qui procuratorem eius moribus & vita consimilem occidimus, nisi facto Imperatore salui esse non possumus. Quocirca, si placet, quoniam non longe est nobilissimus vir proconsul, cum filio consulari legato, quorum vtrique mortẽ pestis illa est minata, sublata de vexillis purpura, Imperatores eos dicemus, adhibitisq; insignibus, Romano iure firmabimus.* Tũc acclamatũ est, *Æquũ est, iustũ est: Gordiane Auguste, dij te seruent feliciter. Imperator es: cũ filio imperes.* His actis, propere ventum est ad opidum Tysdrũ, inuentusque senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lecto: qui circumfusus purpura, humi se abiecit, ac retractans, eleuatus est. Et quũ aliud facere nihil posset, euitandi periculi gratia, quod à Maximini furoribus haud dubie imminebat, Imperatorem se appellari passus est. Erat autem iam octogenarius, & plurimis prouinciis (vt diximus) ante præfuerat: populo Rom. ita commendatus suis actibus erat, vt toto dignus videretur imperio. Alij quidem, occiso iuuene Gordiano, filio suo. quod Gordianus ante nescierat: sed vbi rem comperit, iam morti vicinus, & filio magis timens, maluit honestas causas habere moriendi, quam dedi vinculis & carceri Maximini. Appellato igitur Gordiano Imperatore, iuuenes

A qui auctores huius facinoris erant, statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt: ipsum etiam Gordianum *Africanum* appellauerunt. Addunt quidam, Africani cognomentum Gordiano idcirco inditum, non quod in Africa imperare cœpisset, sed quod de Scipionum familia originem traheret. In plurimis autem libris inuenio & hunc Gordianum, & filium eius, pariter Imperatores appellatos, &
B *Antoninos* cognominatos: alij vero *Antonios*. Post hoc Carthaginem ventum cum pompa regali & fascibus laureatis: filiusque legatus patris, exemplo Scipionum, (vt Dexippus Græcæ historiæ auctor est) gladij potestate succinctus est. Missa deinceps legatio Romam est cum litteris Gordianorum, hæc quæ gesta fuerant in Africa, indicans: quæ per Valerianum principem senatus, qui postea imperauit, gratanter accepta est. Missę sunt & ad amicos nobiles litteræ, vt homines poten-
C tes & rem probarent, & amiciores fierent ex amicis. Sed tantã gratulatione factos contra Maximinum imperatores senatus accepit, vt non solũ gesta hęc probarent, sed etiam xx viros eligerent, inter quos erat Maximus siue Pupienus, & Clodius Balbinus: qui ambo Imperatores sunt creati, posteaquam Gordiani duo in Africa interempti sunt. Illos sane xx, senatus ad hoc creauerat, vt diuideret his Italicas regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas. Tunc legationes a Maximino Romam venerunt, abolitionem præteritorum
D rum spondentes. Sed vicit Gordianorum legatio, quæ bona omnia pollicebatur, ita vt eidem crederetur: & ingens militibus stipendium, populo agri atque congiaria promissa. Vsque adeo autem magis Gordianis quam Maximinis est creditum, vt Vitalianus quidam, qui prætorianis militibus præerat, per audacissimos quæstorem & milites iussu senatus occideretur: quod se antea crudeliter egerat, & tunc eius magis immanitatis timebatur, amica & familiaris moribus Maximini. de
E cuius morte hæc fabella fertur. Fictæ sunt litteræ Maximini, signatæ quasi eiusdem annulo, & missi cum quæstore milites qui eas ferrent; addentes, quædã præter litteras secreto esse dicenda. Longã igitur porticum petierunt: & quum ille ea quæ sibi erant secreto dicenda, perquireret, hortantibus vt prius signum inspiceret epistolæ, dum cõsiderat, interemptus est. Persuasum deinde est militibus, iussu Maximini Vitalianũ interemptum. peractisque rebus, in castris Gordianorum & lit-
F teræ & vultus sunt propositi. Interest vt senatusconsultum, quo Gordiani Imperatores appellati sunt, & Maximinus hostis, litteris propagetur. Non legitimo sed indicto senatus die, c o s. iam domi conuentus, cum prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis, venit in curiam. Præfectus vrbis, cui nescio quid redoluerat, & qui publicas litteras non acceperat, à conuentu se abstinuit. Sed profuit. nam c o s. ante solitas acclamationes, priusquam aliquid in Maximinum feliciter dice-
G tur, ait, *P.C. Gordiani duo, pater & filius, ambo ex* coss. *vnus vester proconsul, alter vester legatus, magno Afrorum consilio Imperatores sunt appellati. Gratias igitur agamus Tysdritanæ iuuentuti, gratias Carthaginensi populo semper deuoto, qui ab immani nos bellua, ab illa fera vindicarunt. Quid timide auditis? quid circumspicitis? quid cunctamini? hoc est quod semper optastis. Hostis est Maximinus, dij faciant vt esse iam desinat, & Gordiani sene*

felicitatem atque prudentiam, iuuenis virtutem atque constantiam lati experiamur. Post hæc litteras legit Gordianorum, ad senatum & ad se missas. Tunc clamauit senatus, *Dij vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinum hostem omnes iudicamus: Maximinum cum filio dijs inferis deuouemus. Gordianos Augustos appellamus: Gordianos principes agnoscimus. Imperatores de senatu dij conseruent: imperatores nobiles victores videamus: Imperatores nostros Roma videat. Hostes publicos qui occiderit, præmium merebitur.* Dicit Iunius Cordus istud senatusconsultum fuisse tacitum: quod quale sit, aut quare sic appellatū, breui exponam. Omnino exemplum senatusconsulti taciti non aliud est hodie, quam quod vestra clementia, conuocatis ad interiora maioribus, ea disponit quæ non sunt omnibus publicāda: de quibus adiutare etiam soletis, nequis ante rem completam quidquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres necessitates publicæ repererunt, vt si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere quæ non prius oporteret dici quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanere: senatusconsultum tacitum fieret: ita vt non scribæ, non serui publici, non censuales, illis actibus interessent; senatores exciperent, senatores omnium officia cēsualium scribarumque complerēt, nequid forte proderetur. Factum est ergo senatusconsultum tacitum, ne res ad Maximinum perueniret. Sed statim ille (vt se habent hominum mentes, eorum duntaxat qui erubescunt per se ea non agnosci quæ sciunt, & qui humiles se putant si commissa non prodant) omnia comperit Maximinus, ita vt exemplū senatusconsulti taciti acciperet, quod numquam ante fuerat factitatum. Exstat denique eius epistola ad præf. vrbis talis, *Senatusconsultum tacitum vestrorum illorum principum legi, quod præfectus vrbis factum esse fortasse non nosti: nam nec interfuisti. cuius exēplum ad te misi, vt scires quomodo Romanam remp. regeres.* Enarrari autem non potest quæ commotio fuerit Maximini quum audiuit contra se Africam desciuisse. Nam senatus auctoritate percepta, incurrere in parietes, vestem scindere, gladiū arripere, quasi omnes posset occidere, prorsus furere videbatur. Præfectus vrbis acceptis litteris acrioribus, populum & milites alloquutus est, dicens, Maximinum iam occisum. Ex quo maius fuit gaudium, statimq; deiectæ sunt statuæ atque imagines eius qui hostis fuerat iudicatus. Visus est sane senatus pendente bello potestate qua debuit. Nam delatores, calumniatores, procuratores, & omnem illam facē Maximinianæ tyrannidis, occidi senatus iussit. Atque parū fuit quod senatus iudicauerat: illud populi iudiciū fuit quod occisi tracti sunt, & in cloacam missi. Tunc & præfectus vrbi Sabinus, cōsularis vir, fuste percussus, occisus, & in publico derelictus est. Hæc vbi cōperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere concionis, *Sacrati commilitones, immo etiam mei consecranei, & quorum mecum plerique vere militatis, dum nos in Germania Romanam defendimus maiestatem, dum nos Illyricum à barbaris vindicamus, Afri fidem Punicam præstiterunt. Nam duos nobis Gordianos, quorum alter senio ita affectus est vt non possit assurgere, alter ita luxurie perditus, vt debilitatem habeat pro senectute, Imperatores fecerunt. Et nec hoc parum est, sed factum Afrorum*

A *nobilis ille senatus agnouit, & pro quorum liberis arma portamus, hi contra nos xx viros statuerunt, & omnes velut contra hostes sententias protulerunt. Quamobrem agite vt viros decet properandum est ad vrbem. Nam & xx viri consulares contra nos lecti sunt: quibus resistendum est, nobis fortiter agētibus, vobis feliciter dimicantibus.* Lentas militum mētes & suorū minus alacres animos hac cōcione Maximinus sæpe cognouit. Denique statim ad filiū B scripsit qui longe post sequebatur, vt acceleraret, nequid contra eum se absente milites cogitarent. Litterarum exemplum tale Iunius Cordus dicit: *Referet ad te stipator meus Tycannius, quæ gesta cognoui vel in Africa vel Romæ: referet quæ sint militum mentes. Quare quātum potes, properes: nequid, vt soles, militaris turba plus faciat. Quid verear ex eo audies quem ad te misi.* Dum hæc aguntur, in Africa contra duos Gordianos Capelianus quidam, Gordiano & in priuata vita semper aduersus, C & ab ipso Imperatore iam, quum Mauros Maximini iussu regeret, veteranus dimissus, cū lectis Mauris & tumultuaria manu, accepto à Gordiano successore, Carthaginem petiit, atque omnes fide Punica Carthaginiensium populos inclinauit. Gordianus tamen, fortunam belli experiri cupiens, filium suum iam natu grandiorem, xL & vI annos agentem, quem tunc legati loco (vt diximus) habuerat, contra Capelianum & Maximinianos misit, virum de cuius moribus suo loco D dicemus. Sed quum in re militari & Capelianus esset audacior, & Gordianus iunior non tam expertus, quippe qui nobilitatis deliciis tardabatur, pugna commissa vincitur, & in eodem bello interficitur. Fertur autem tanta multitudo Gordiani partium in bello cecidisse, vt quum diu quæsitum sit corpus Gordiani iunioris, non potuerit inueniri. Fuit præterea ingens, quæ raro in Africa est, tempestas, quæ Gordiani exercitum ante bellum ita dissipauit, vt minus idonei milites prœlio E fierent, atque ita facilis esset Capeliani victoria. Hæc vbi comperit senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capelianum, taramque Punicam fidem considerans, & acri dolore percitus, vt vincula etiam hostium euitaret, laqueo vitam finiuit, & vitam cum imperio reliquit. Hic exitus duorum Gordianorum fuit: quos ambo senatus Augustos appellauit, & postea inter diuos retulit. Imperauerunt anno F vno, mensibus sex.

GORDIANVS IVNIOR.

Gordianus Iunior hic, Gordiani senis proconsulis Africæ filius, qui cum patre & ab Afris & à senatu Augustus appellatus est, litteris & moribus clarus fuit præter nobilitatem: quam, vt nonnulli, ab Antoninis, vt plurimi, ab Antoniis duxit. Siquidem argumento ad probandam generis qualitatem, alij hoc esse dixerunt, quod *Africa-* G *nus* Gordianus senior appellatus est, cognomine Scipionum, quod domum Pompeianam in vrbe habuit, quod Antoninorum cognomine semper est nuncupatus, quod *Antoninum* filium suum ipse significari voluit in senatu: quæ singula videntur familias designare. Sed ego Iunium Cordum sequor, qui dicit ex omnibus his familiis Gordianorum coaluisse nobilitatem. Idem igitur natus patri primus ex Fabia Orestilla Antonij pronepte: vnde Cæsarum quoque familiam contingere

tingere videbatur. Et primis diebus sui natalis A
Antoninus est appellatus: mox in senatu Antonini
nomẽ est editum: vulgo deinde Gordianus haberi
cœptus. In studiis grauissimæ opinionis fuit; for-
ma conspicuus, memoriæ singularis, bonitatis in-
signis, adeo vt semper in scholis, si quis puerorũ
verberaretur, ille lacrymas non teneret. Sereno
Sammonico, qui patri eius amicissimus, sibi autẽ
præceptor fuit, nimis acceptus, & carus vsque
adeo, vt omnes libros Sereni Sammonici patris B
sui, qui censebantur ad LX & duo millia, Gordia-
no minori moriens ille relinqueret: quod eum
ad cælum tulit. Siquidem tantæ bibliothecæ co-
pia & splendore donatus, in famam hominum
litteratorum decore peruenit. Quæsturam He-
liogabalo auctore promeruit, idcirco quod luxu-
rioso Imperatori lasciuia iuuenis, non tamen lu-
xuriosa neque infamis, prædicata est. Præturam
Alexandro auctore vrbanam tenuit: in qua tantus
iurisdictionis gratia fuit, vt statim consulatum C
quem pater sero acceperat, mereretur. Maximini,
seu eiusdem Alexandri temporibus, ad proconsu-
latum patris missus legatus, est obsequutus: atque
illic ea quæ superius dicta sunt, contigerunt. Fuit
vini cupidior, semper tamẽ vndecunq; cõditi, nũc
rosa, nũc mastiche, nũc absinthio, ceterisque rebus
quibus gula maxime delectatur. Cibi parcus ita
vt intra punctum tẽporis vel prãdium, si prande-
ret, vel cœnam finiret. Mulierum cupidissimus:
habuisse enim decretas sibi concubinas XX & II D
fertur. Ex quibus omnibus ternos & quaternos
filios reliquit. Appellatusq; est *sui temporis Pria-
mus*, quẽ vulgo iocantes, quod esset naturę propẽ-
sioris, *Priapum* nõ Priamũ sæpe vocitarunt. Vixit
in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis ne
morib. Nec pater aspernatus est, sæpissime dicens,
illum quandoque in summa claritate cito esse
moriturum. Nec tamen in vita sua fortunæ bonis
vnquã degenerauit, semperq; inter illustrissimos
fuit, nec cuiub. nec reip. ad cõsultationem defuit. E
Denique etiam senatus libentissime illum Augu-
stum appellauit, atque in eo spem publicam po-
suit. Vestitu cultissimus, seruis & omnibus suis
carus. Cordus dixit vxorem eum numquam ha-
bere voluisse. Contra Dexippus putat eius filium
esse GORDIANVM TERTIVM, qui post hoc cum
Balbino & Pupieno, siue Maximo, puerulus ade-
ptus est imperium. Quum senior Gordianus ma-
thematicum aliquando consuleret de genitura F
huius, respondisse ille dicitur, hunc & filium Im-
peratoris, & ipsum imperatorem futurum. Et quũ
senior Gordianus rideret, ostendisse constellatio-
nem mathematicum ferunt, & de libris veteribus
dictasse, ita vt probaret se vera dixisse, qui quidem
& seni & iuueni, & diem & genus mortis, & lo-
ca quibus essent perituri, obstinata constantiæ
veritate prædixit. Quæ omnia postea Gordianus
senior in Africa iam Imperator, & quando nihil G
timebat, narrasse perhibetur: de morte quinetiam
sua filiique, & de genere mortis dixisse. Cantabat
præterea versus senex, quum Gordianum filium
vidisset, hos sæpissime, *Ostendent terris hunc tan-
tum fata, neque vltra Esse sinent. nimium vobis Ro-
mana propago Visa potens, superi, propria hæc si do-
na fuissent.* Extant dicta & soluta oratione & ver-
sibus Gordiani iunioris, quæ hodie ab eius affini-
bus frequentantur, non magna, non minima, sed
media, & quæ appareant esse hominis ingeniosi,
sed luxuriantis & suum deserentis ingenium. Po-
morum & olerum auidissimus fuit, in reliquo ci-
borum genere parcissimus: adeo vt semper po-
morum aliquid recentium deuoraret: frigidorum
percupidus. Nec facile per æstatem nisi frigida, &
quamplurimum, bibit. Et erat corporis vasti: qua-
re magis ad frigida vrgebatur. Hæc de Gordiano
iuniore digna memoratu, comperimus. non enim
nos talia dicere voluimus quæ Iunius Cordus ri-
dicule ac stulte composuit de voluptatibus do-
mesticis ceterisque infimis rebus. quæ qui velit
scire, ipsum legat Cordum: qui dicit & quos ser-
uos habuerit vnusquisque principum, & quos
amicos, & quot pænulas quotve chlamydes: quo-
rum etiam scientia nulli prodest. *Siquidem ea de-
bent in historia poni ab historiographis, quæ aut fu-
gienda sint, aut sequenda.* Sane quidem quod apud
Vulcatium Terentianum, qui sui tempori is scripsit
historiam, videtur mirabile inserendum censui.
Dicit enim Gordianum seniorem Augusti vultũ
sic repræsentasse, vt & vocem & morem & statu-
ram eiusdem ostentare videretur: filium vero, Põ-
peio simillimum visum, quamuis Pompeius obesi
corporis fuisse denegatur: nepotem autem, cuius
etiam nunc videmus imagines, Scipionis Asiati-
ci faciem retulisse. quod pro sui admiratione ta-
cendum esse non credidi.

GORDIANVS TERTIVS.

POst mortẽ duorũ Gordianorũ, senatus trepi-
dus & Maximinũ vehementius timens, ex vi-
ginti viris quos ad temp. tuendam delegerat, Pu-
pienum siue Maximum, & Clodium Balbinũ Au-
gustos appellauit, ambos ex consulibus. Tũc põ-
pulus & milites Gordianum paruulum, annos
agentem, vt plerique asserunt, vndecim; vt nõnul-
li, tredecim, vt Iunius Cordus dicit, sexdecim,
(nam vigesimo & secundo anno eum periisse asse-
rit) petierunt vt Cæsar appellaretur: raptusque
ad senatum, atque inde in concione positus, indu-
mento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus.
Hic natus est, vt plures asserunt, ex filia Gordiani,
vt vnus aut duo, (nam amplius inuenire non po-
tui) ex filio qui in Africa periit. Cæsar factus, apud
matrem educatus est. Et quum exstinctis Maxi-
minis, Maximus etiam & Balbinus militari sedi-
tione interẽpti essent, qui biennio imperauerant,
Gordianus adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat,
à militibus & populo & senatu & omnibus gen-
tibus, ingenti amore, ingenti studio & gratia, Au-
gustus est appellatus. Amabatur autem merito
aui & auunculi, siue patris: qui ambo pro senatu
& pro populo Rom. contra Maximinum arma
sumpserunt, & militari morte vel necessitate per-
ierunt. Post hæc veterani ad curiam venerunt, vt
discerent quid actum esset. Ex quibus duo ingres-
si Capitolium, quum illi senatus agerent, ante
ipsam aram, à Gallicano ex consulibus, & Mæce-
nate ex ducibus, interempti sunt: atque bellum
intestinum ortum est, quum essent armati etiam
senatores, ignorantibus veteranis quod Gordia-
nus adolescens solus teneret imperium. Dexippus
quidem asseuerat, ex filio Gordiani tertium Gor-
dianum esse natum: & posteaquam constitit apud
veteranos quoque, solum Gordianum imperare,
inter populum & milites ac veteranos pax robo-
rata est: & hic finis belli intestini fuit, quum esset
delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium
non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod ecli-

psis solis facta est, vt nox crederetur, neque sine luminibus accensis quidquam agi posset. Post hæc tamē voluptatibus & deliciis populus Rom. vacauit: vt ea quæ fuerant aspere gesta, mitigaret. Venusto & Sabino coss. inita est factio in Africa contra Gordianum tertium, duce Sabiniano: quem Gordianus per præsidem Mauritaniæ obsessum à coniuratis, ita oppressit vt ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & crimina confitentes, & veniam sceleribus postulantes. Finita igitur sollicitudine in Africa, Gordiano iam iterum & Papiniano coss. bellum Persicum natum est. Quare adolescens Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, duxit vxorem filiam Misithei, doctissimi viri, quem caussa eloquentiæ dignum parentela sua putauit, & præfectum statim fecit. post quod, non puerile iam & contemptibile videbatur imperium: siquidem & optimi soceri consiliis adiuuaretur, & ipse pro pietate aliquantulum saperet, nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantiæ conniuentia venderetur. Exstat denique & soceri eius ad eum epistola, & ipsius Gordiani ad socerum, qua intelligitur eius seculum emendatius ac diligentius socero adiuuante perfectum. quarum exemplum hoc est, *Domino filio & Augusto, Misitheus socer & præfectus. Euasisse nos grauem temporum maculam, qua per spadones & per illos qui amici tibi videbantur, (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis est, & eo magis quo tibi gratior emendatio est: vt si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet, mi fili venerabilis. neque enim quisquam ferre potuit datas eunuchis suffragantibus militum præposituras, negatum laboribus præmium, aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non decebat: vacuatum ærarium per eos qui quotidie insidiosissime frequentabant: initas factiones, vt tu deciperetis, quū inter se de bonis pessimi quique haberent consilia tibimet suggerenda, bonos pellerent, detestandos insinuarent, omnes postremo tuas fabulas venderent. Diis igitur gratias quod volente te ipso emendata respublica est. Delectat sane boni esse principis socerum, & eius qui omnia requirat & omnia velit scire, & qui pepulerit homines per quos antea velut in auctione positus nundinatus est.* Item Gordiani ad ipsum, *Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri & præfecto. Nisi dii omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur. Denique nunc demum intelligo neque Felicem prætorianis cohortibus præponi debuisse, neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse: & ne omnia dinumerem, multa non esse facienda quæ feci. Sed diis gratias, quod te insinuante, qui nihil vendis, didici ea quæ inclusus scire non poteram. Quid enim facerem quod nos Maurus venderet, & consilio cum Gaudiano & Reuerendo & Montano habito vel laudaret aliquos, vel vituperaret: & illorum consensu quasi testium, quod dixerat approbarem? Mi pater, verum audias velim:* Miser est Imperator apud quem vera reticentur: *qui quum ipse publice ambulare non possit, necesse est vt audiat, & vel audita, vel à pluribus roborata confirmet.* His epistolis intellectum est, adolescentem soceri consiliis emēdatum atque correctum. Et Misithei quidem epistolam Græcam quidam fuisse dicunt, sed in hanc sententiam. Tantum autem valuit eius grauitas & sanctimonia, vt ex obscurissimo præter nobi-

A litatem, gestis etiam Gordianum clarum principem fecerit. Fuit terræ motus vsque grauis imperante Gordiano, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, sacrificia per totam vrbem totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit, inspectis libris Sibyllinis, celebratisque omnibus quæ illic iussa videbantur, mōdanum malum esse sedatum. Sedato terræmotu, Prætextato & Attico coss.

B Gordianus aperto Iano gemino (quod signū erat indicti belli) profectus est cōtra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro, vt vel auxiliis vel militibus facile Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam, atque in ipso procinctu, quidquid hostium in Thraciis fuit, deleuit, fugauit, expulit, atque submouit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Persis iam tenebatur. Illic frequentibus prœliis pugnauit & vicit, Sapore Persarum rege submoto. Et post Ar-

C taxerxem Antiochiam recepit, Carras, & Nisibin: quæ omnia sub Persarum imperio erant. Rex sane Persarum tantum Gordianum principem timuit, vt quum instructus esset & suis copiis & nostris, tamen ciuitatibus ipse præsidia sponte deduceret, easque integras suis ciuibus redderet, ita vt nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attāminaret. Sed hæc omnia per Misitheum socerum Gordiani, eumdemque præfectum, gesta sunt. Effectum denique est vt Persæ, qui iam in Italia timebantur, in regnum suum

D pugnante Gordiano redirent, totumque oriētem Romana respubl. detineret. Exstat oratio Gordiani ad senatum, qua de rebus gestis scribens, Misitheo præfecto suo & socero ingentes gratias agit: cuius partem indidi, vt ex eo vera cognosceres. *Post hæc P.C. quæ dum iter agimus, gesta sunt, quæ vbique singulis digna sunt actitata, etiam Persas, vt breui multa connectam, ab Antiochiensiū ceruicibus, quas iam nexas Persico ferro gerebāt, & reges Persarum, & leges amouimus. Carras deinde ceterasque*

E *vrbes imperio Romano, reddidimus. Nisibin vsque peruenimus: & si dii fauerint, Ctesiphonta vsque veniemus. Valeat tantum Misitheus præfectus, parens noster, cuius ductu & dispositione & hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos diis commendare, Misitheo gratias agere.* His in senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, vtpote qui Persas vicisset, vt triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum, & triumpha-

F lis currus, & titulus huiusmodi, MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPVM, PRÆTORII PRAEFECTO ET TOTIVS VRBIS, TVTORI REIP. S.P.Q.R. VICEM REDDIDIT. Sed ista felicitas longior esse non potuit. Nam Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi, qui post eum præfectus prætorii est factus, vt alii, morbo exstinctus est, herede Rom. rep. vt quidquid eius fuerat, vectigalib. vrbis accederet. Cuius viri tanta in rep. dispositio fuit, vt nulla esset vn-

G quam ciuitas limitanea potior, quæ non posset exercitum populi Rom. ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido, atque hordeo, & paleis, condita non haberet: minores vero vrbes, aliæ XXX dierum, aliæ XL, nonnullæ duorum mensium: quæ minimum, XV dierum. Idemque quum esset præfectus, arma militum semper inspexit. Nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere. Castra omnia fos-

fato circuibat, noctibus etiam plerumque vigilias frequentabat. Amabaturque ab omnibus, quod sic & remp. amaret, & principem. Tribuni eum & duces vsqueadeo timuerunt & amauerunt, vt neque vellent peccare, neque vlla ex parte peccarent. Philippus cum propter pleraque vehementer timuisse fertur, atq; ob hoc per medicos insidias eius vitæ parasse; & quidem hoc genere: Quum effusione alui Misitheus laboraret, atque à medicis sistendi ventris gratia poculum iuberetur accipere, mutatis quæ fuerant, id fertur datum quo magis solueretur: atque ita exanimatus est. Quo mortuo, Apriano & Papo coss. in eius locum præfectus pretorij factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus: qui se in nouitate atque enormitate fortunæ non tenuit: ita vt statim Gordiano, qui eum in locum parentis asciuerat, insidias per milites faceret: quæ tales fuerunt. Misitheus tantum quantum diximus, habuerat conditorum, vt vacillare dispositio Romana non posset. Verum artibus Philippi primum naues frumentariæ sunt auersæ: deinde in ea loca deducti sunt milites, in quibus annona haberi non posset. Hinc Gordiano infestos milites statim reddidit, non intelligentes artibus Philippi iuuenem esse deceptum. Sed Philippus etiam addidit, vt rumore per milites spargeret, adolescentem esse Gordianum, imperium nõ posse regere: melius esse illũ imperare qui militem gubernaret, qui rempublicam sciret. Corrupit præterea etiam principes, effecitque vt palam Philippus ad imperium posceretur. Amici Gordiani primum vehementissime resistebant. Sed quum milites fame vincerentur, imperium Philippo mandatum est, iussumque à militibus vt quasi tutor eius Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret. Suscepto igitur imperio, quum & Philippus se contra Gordianum superbissime ageret, & ille se imperatorem atque Imperatorum prolem & virum nobilissimæ familiæ recognosceret, nec ferre posset improbitatem hominis ignobilis, apud duces & milites, astante præfecto Metio Gordiano, affine suo, in tribunali processit, sperãs posse imperium Philippo abrogari. Sed hac conquestione nihil egit, quum illum incusasset quod immemor beneficiorum eius, sibi minus gratus exsisteret. Et quum milites rogasset, quum apertè duces ambisset, factione Philippi minor apud omnes fuit. Denique quum se videret minorem haberi, petiit vt æquale saltem inter eos esset imperium, nec impetrauit. Dehinc petiit vt loco Cæsaris haberetur, nec id obtinuit. Petiit etiam vt præfecti loco esset Philippo: quod & ipsum negatum est. Vltimæ preces fuerunt, vt eum Philippus pro duce haberet, & pateretur viuere. Ad quod quidem pene consenserat Philippus, ipse tacitus, sed omnia per amicos agens nutibus atque consiliis. Verum quũ secum ipse cogitaret amorem populi Romani & senatus circa Gordianum, & totius Africæ ac Syriæ, totiusque orbis Romani, quum & nobilis esset, & nepos ac filius Imperatorum, & bellis grauibus totam rempublicam liberasset: posse fieri vt factione quandoque militum Gordiano redderetur imperium, quum recentes in Gordianum iræ militum famis caussa vehementes essent, clamantem ante conspectum duci iussit, ac spoliari & occidi. quod quum primum dilatum esset, post, vt iussit, impletum est. Ita Phi-

A lippus impie, non iure obtinuit imperium. Imperauit Gordianus annis sex. Et dum hæc aguntur, Argunthis, Scytharum rex, finitimorum regna vastabat, maxime quod comperrerat Misitheum periisse, cuius consilio respubl. fuerat gubernata. Philippus autem, ne à crudelitate nancisci videretur imperium, Romam litteras misit, quibus scripsit Gordianum morbo periisse, seque à cunctis militibus electum. Nec defuit

B vt senatus de his rebus quas non nouerat, falleretur. Appellato igitur principe Philippo, & Augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter deos retulit. Fuit iuuenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita iucundus, in litteris nobilis: prorsus vt nihil præter ætatem deesset imperio. Amatus est à populo, & senatu, & militibus ante Philippi factionem, ita vt nemo principum. Cordus dicit, omnes milites eum filium appellasse, ab omni senatu filium dic-

C tum, omnem populum delicias suas Gordianum dixisse. Denique Philippus, quum eum interfecisset, neque imagines eius tolleret, neque statuas deponeret, neque nomen abraderet, sed diuum semper appellans etiam apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrina calliditate veneratus est. Domus Gordianorum etiam nunc exstat, quam iste Gordianus pulcerrime exornauit, & villa eorum via Prænestina, ducentas columnas vno peristylo habens, quarum L Carysteæ Claudianæ, L Synna-

D des, L Numidicæ, pari mensura sunt. in qua basilicæ centenariæ tres: cetera huic operi conuenientia, & thermæ quales præter vrbem, vt tunc, nusquam in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc senatus decreuit, vt à tutelis atque legationibus & à publicis necessitatibus, nisi si vellent, posteri eius semper vacarent. Opera Gordiani Romæ nulla exstant, præter quædam nymphæa & balneas. Sed balneæ priuati hominis fuerunt, & ab eo in vsum priuatum exornatæ sunt. In-

E stituerat porticum in campo Martio sub colle, pedum mille, ita vt ab altera parte æque mille pedum porticus fieret, atque inter eas pateret spatium pedum quingentorum: cuius spatij hinc atque inde viridaria essent, lauro, myrto & buxo frequentata: medium vero lithostrotum breuibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille: quod esset deambulatorium: ita vt in capite basilica esset pedum quingentorum. Cogitauerat præterea cum Misitheo, vt post basilicam, ther-

F mas æstiuas sui nominis faceret, ita vt hiemales in principio porticus poneret, & suo vsui essent vel viridaria vel porticus. Sed hæc omnia nunc priuatorum & possessionibus & hortis & ædificiis occupata sunt. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti XX & II: (quorum ipse XII miserat, Alexander X) alces X, tigres X, leones mansueti LX, leopardi mansueti XXX, belbi (id est hyænæ) X, gladiatorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros vnus: archoleontes X, camelopardali

G X, onagri XX, equi feri XL: & cetera huiusmodi animalia, innumera & diuersa: quæ omnia Philippus ludis secularibus vel dedit vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Persicum. Sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit secularibus ludis & muneribus atq; circensibus, quum millesimum ab vrbe condita annum in consulatu suo & filij sui celebrauit.

Quod de Cæsare memoriæ traditum est, hoc etiam de Gordiano Cordus eueuisse perscribit. Nam omnes quicumque illum gladio appetiuerunt, (qui nouem fuisse dicuntur) postea interemptis Philippis, sua manu suisque gladiis, & iisdem quibus illum percusserant, interisse dicuntur. Trium igitur Gordianorum hæc fuit vita, qui omnes Augusti appellati sunt: duobus in Africa interemptis, in Persidis finibus tertio. Gordiano sepulcrum milites apud Circeium castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum huiusmodi addentes, & Græcis & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Ægyptiacis litteris, vt ab omnibus legeA retur: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM: SED NON VICTORI PHILIPPORVM. quod ideo videbatur additum, quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prœlio victus abscesserat: simul etiam quod à Philippis videbatur occisus. Quem titulũ euertisse Licinius dicitur eo tempore quo est nactus imperium, quum se vellet videri à Philippis originem trahere. Quæ omnia, Constantine maxime, idcirco sum persequutus, ne quid tuæ cognitioni deesset quod dignum scientia videretur.

IVLII CAPITOLINI

MAXIMUS ET BALBINVS.

INteremptis in Africa Gordiano seniore cum filio, quum Maximinus, ad vrbem furens veniret, vt, quod Gordiani Augusti appellati fuerant, vindicaret, senatus pertrepidus in ædem Concordiæ VII Calend. Iunij concurrit, ludis Apollinaribus, remedium contra furorem hominis improbissimi requirens. Quum igitur duo consulares, & eminentes quidem viri, Maximus & Balbinus, (quorũ Maximus à plerisque in historia reticetur, & loco eius Pupieni nomẽ infertur: quum & Dexippus & Arabianus Maximũ & Balbinum dicãt electos cõtra Maximinũ post Gordianos, quorum alter bonitate virtute alter, ac seueritate, clari habebantur) ingressi essent curiam, ac præ se timorẽ Maximini aduentu ferrent ostenderentque, referente cos. de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic orsus est, *Minora nos sollicitant, & prope aniles res feruentissimo tempore tractamus in curia. Quid enim opus est de restitutione templorum, de basilicæ ornatu, de thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere: quum immineat Maximinus, quem hostem mecum ante dixistis: Gordiani duo, in quib. præsidium fuerat, interempti sint, neque in præsenti vllum sit auxilium quo respirare possimus? Agite igitur P.C. principes dicite. quid moramini? ne, dum singulatim pertimescitis, in timore potius quam in virtute opprimamini.* Post hæc tacentibus cunctis, quum Maximos, qui & natu grandior erat & meritis, & virtute ac seueritate clarior, dicere sententiam cœpisset, qua ostenderet duos principes esse faciendos, Vectius Sabinus ex familia Vlpiorum, rogato consule vt sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est, *Scio P.C. hanc rebus nouis inesse oportere constantiam, vt rapienda sint consilia, non quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, vbi res perurgent. Ceruices suas quisque respiciat, vxorem ac liberos cogitet, auitas patriasque fortunas: quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis, caussa vero (vt sibi videtur) satis iusta, truculentior. Ille quadrato agmine, castris vbique positis, ad vrbẽ tendit: vos sedendo & consultãdo diem teritis. Longa oratione opus non est: faciendus est imperator, immo faciẽdi sunt principes: vnus, qui res domesticas, alter, qui bellicas curet: vnus, qui in vrbe resideat, alter, qui obuiã cum exercitu latronibus pergat. Ego principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite. Maximum igitur atque Balbinũ. quorũ vnus in re militari tantus est,*

B *vt nobilitatem generis splendore virtutis illexerit: alter, ita clarus nobilitate est, vt & morum lenitate reip. sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper ac litteris tenuit. Habetis sententiam P.C. mihi fortasse periculosiorẽ quã vobis: sed nec vobis satis tutam, si non aut alios aut hos principes feceritis.* Post hæc acclamatũ est vno consensu, *Æquũ est, iustum est. sententiæ Sabini omnes cõsentimus. Maxime & Balbine Augusti, dij vos seruent: dij vos principes fecerunt, dij vos conseruent.*
C *Vos senatũ à latronib. vindicate, vobis bellum cõtra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat, hostem publicum vos persequimini. Felices vos iudicio senatus: felicem remp. vestro imperio. Quod vobis senatus detulit, fortiter agite: quod vobis senatus detulit, libenter accipite.* His atque aliis acclamationibus Imperatores facti sunt Maximus atque Balbinus. Egressi igitur à senatu, primum Capitolium ascenderunt, ac rem diuinam
D fecerunt. Sed dum in Capitolio rem diuinam faciunt, populus Rom. imperio Maximi contradixit. timebant enim seueritatem eius homines vulgares. Quare factum est vt Gordianum adolescẽtulum principem peterent: qui statim factus est: nec prius permissi sunt ad palatium stipati armis ire quam nepotem Gordiani, Cæsaris nomine nuncuparent. Deinde ad rostra populum conuocarunt. Vbi quum orationem de senatus sentẽtia & de sua electione habuissent, populus Roman. cũ militibus qui forte cõuenerant, acclamauit, *Gordianum Cæsarem omnes rogamus.* Hic nepos erat
E Gordiani ex filia, vt quidam, vel, vt alij, ex filio qui est in Africa occisus, annũ agens ætatis XIIII, vt plerique dicunt: qui statim raptus est, & nouo genere senatusconsulti, quum eadem die senatusc. cõs. factũ esset, inductus in curiã, Cęsar est appellatus. Prima igitur relatio principũ fuit, vt duo Gordiani diui appellarẽtur. Aliqui autẽ vnũ putãt appellatũ, seniorẽ videlicet: sed ego libris quos Iunius Cordus affatim scripsit, legisse memini ambos in
F deos relatos. siquidẽ senior laqueo vitã finiuit: iunior autẽ, in bello cõsumptus est, qui vtiq; maiorẽ meretur reuerẽtiã, quã cũ bella rapuere. Post has igitur relationes præfectura vrbis in Sabinũ collata est, virũ grauẽ, & Maximi moribus cõgruentem: prætoriana, in Pinariũ Valẽtem. Sed prius quã de actib. eorũ loquar, placet aliqua dicere de morib. atq; genere, non eo modo quo Iunius Cordus est prosequutus omnia, sed illo quo Suetonius Trãquillus

quillos & Valerius Marcellus : quamuis Curius A Fortunatianus, qui omnem hanc historiam perscripsit, plura congerit: Cordus vero tam multa vt etiam pleraque & minus honesta perscripserit. MAXIMO pater fuit Maximus, vnus è plebe, vt nonnulli dicunt, faber ferrarius: vt alij, rhedarius vehicularius fabricator. Hunc suscepit ex vxore Prima nomine. cui fratres quatuor vsti fuerunt, & quatuor puellæ: qui omnes in pubertate interierunt. Nato Maximo, carnem bu- B bulam, & quidem multam, aquila in cellam eorum proiecisse fertur, quæ angusto patebat impluuio: eam denique quum iaceret, nec quisquam attingere auderet religionis timore, iterum sustulisse, & in proximum sacellum quod erat Iouis Præstitis, detulisse. Id eo tempore nihil visum est ominis habere: sed non sine causa factum, probauit imperium. Pueritiam omnem in domo patrui Pinarij fecit: quem statim ad præfecturam prætorij subuexit vbi factus est C Imperator. Operam grammatico, rhetori non multam dedit. siquidem semper virtuti & militari seueritati studuit. Attamen militaris tribunus fuit, & multos egit numeros, & postea præturam, sumptu Pescenninæ Marcellinæ, quæ illum loco filij susceperat & aluerat. Inde proconsulatum Bithyniæ egit, & deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ. Missus præterea legatus, Sarmatas in Illyrico contudit: atque inde translatus ad Rhenum, rem contra Germanos satis D feliciter gessit. Post hæc præfectus vrbis prudentissimus, ac ingeniosissimus, & seuerissimus approbatus est. Quare veluti senatus ei homini, quod non licebat, nouæ familiæ, imperium tamen detulit, confessis omnibus eo tempore in senatu aptiorem non esse qui deberet principis nomen accipere. Et quoniam etiam minora plerique desiderant, fuit cibi auidus, vini parcissimus, ad rem veneream nimis rarus, domi forisque semper seuerus, ita vt & *Tristis* co- E gnomē acciperet. Vultu grauissimus, & verecundus, statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis, attamen iustus, neque vmquam vsque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens. Rogatus semper ignouit, nec iratus est nisi vbi eum irasci decuit. Factionibus se numquam præbuit, iudicij tenax fuit, neque aliis potius quam sibi credidit. Quare & à senatu multum dilectus est, & à populo F timori habitus: siquidem sciebat populus eius censoriam præfecturam, quam videbat posse in imperio vehementius conualescere. BALBINVS, nobilissimus, & iterum cos. rector prouinciarum infinitarum. Nam & Asiam & Africam, & Bithyniam, & Galatiam, & Pontum, & Thracias, & Gallias, ciuilibus administrationibus rexerat, ducto nonnumquam exercitu: sed rebus bellicis minor fuerat quam ciuilibus, attamen bonitate, ni- G mia sanctitate ac verecundia ingentem sibi amorem conciliauerat. Familiæ vetustissimæ, vt ipse dicebat, à Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium ciuitatem meruerat, quum esset suæ patriæ nobilissimus, idemque historiæ scriptor. Statura æque procerus, corporis qualitate conspicuus, in voluptatibus nimius, quem quidem adiuuabat diuitiarum abundantia. nam erat à maioribus diues, & multa hereditatibus per se ipse collegerat. Eloquentia clarus, poemata inter sui temporis poetas plurima fecit, præcipiti vsu. Vini, cibi, rei veneriæ auidus, vestitu cultus: nec quidquam defuit quod illum populo non commendabilem redderet. Amabilis etiam senatui fuit. Hæc de vtriusque vita comperimus. Denique nonnulli, quemadmodum Catonem & Cæsarem Sallustius comparat, ita hunc quoque comparandum putant, vt alterum seuerum, clementem alterum, bonum illum, istum constantem, illum nihil largientem, hunc affluentem copiis omnibus dicerent. Hæc de moribus atque genere. Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atque insignibus, percepta tribunitia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium. His gestis, celebratisque sacris, datis ludis scenicis, ludisque circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos tractus sit vt proficiscentes ad bellum Imperatores, munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum, se Nemesis, id est vis quædam fortunæ, satiaret. Alii hoc litteris tradunt, (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent. Et Maximo quidem ad bellum profecto, Romæ prætoriani remanserunt. Inter quos & populum tanta seditio fuit vt ad bellum intestinum veniretur, vrbis Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnes plateæ cruore polluerentur, quum Balbinus homo senior seditionem sedare non posset. Nam & in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit, & pene ictum lapidis passus est. Alij dicunt etiam fuste percussum esse, neque sedasse tumultum, nisi infantem Gordianum purpuratum ad populum, longissimi hominis collo superpositum, produxisset. Quo viso, populus & milites vsqueadeo placati sunt, vt amore illius in concordiam redirent. Neque vmquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito aui & auunculi, seu patris, vt quidam dicunt, qui pro populo Romano contra Maximinum in Africa vitam finierat. Tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet. Maximo igitur ad bellum profecto, senatus per omnes regiones, consulares, prætorios, quæstorios, ædilicios, tribunitios etiam viros misit: ita vt vnaquæque ciuitas frumentum, arma, & propugnacula & muros pararet, vt per singulas vrbes Maximinus fatigaretur. Iussum tunc tamen vt omnia ex agris in ciuitates colligerentur, ne quid hostis publicus inueniret. Scriptum est præterea ad omnes prouincias missis frumentariis, iussumque vt quicumque Maximinum iuuisset, in hostium numero duceretur. Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites ortæ sunt. Et quum mille edicta Balbinus proponeret nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis: quos cœpit populus obsidere: nec vmquam ad amicitiam essent redacti, nisi fistulas aquarias populus incidisset. In vrbe autem priusquam dictum esset milites pacatos venire, &

tegulæ de tectis iactæ sunt, & omnia quæ domibus erant vasa, proiecta. atque ideo maior pars ciuitatis periit, & multorum diuitiæ. nam latrones se militibus miscuerunt ad vastanda ea quæ norant vbi reperirent. Quum hæc Romæ geruntur, Maximus siue Pupienus apud Rauennã bellum parabat ingenti apparatu, timens vehementissime Maximinum: de quo sæpissime dicebat, se non contra hominem; sed contra Cyclopem bellum gerere. Et Maximinus quidem apud Aquileiam ita victus est, vt à suis occideretur: caputque eius & filij perlatum est Rauennam, quod à Maximo Romam transmissum est. Non tacenda hoc loco deuotio est Aquileiensium pro Romanis, qui etiam crines mulierum pro neruis ad sagittas emittendas totondisse dicuntur. Tantum sane lætitiæ fuit in Balbino, qui plus timebat, vt hecatomben faceret, statim vt Maximini caput allatum est. *Hecatombe* autem tale sacrificium est: centum aræ vno in loco cespititiæ exstruũtur, & ad eas centum sues, centum oues mactantur. Nam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cetera huiusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam fecisse dicuntur, quum pestilentia laborarent: & à multis Imperatoribus id celebratum constat. His igitur peractis, Balbinus cum summa gratulatione Maximum redeũtem è Rauenna cum exercitu integro & copiis expectabat. siquidem Maximinus ab oppidanis Aquileiensibus, & paucis qui illic erant militibus, ac Crispino & Menophilo consularibus, qui à senatu missi fuerant, victus est. Ipse autem Maximus Aquileiam idcircò accesserat, vt omnia tuta & integra vsque ad Alpes relinqueret, ac si quæ essent barbarorum qui Maximino fauerant reliquiæ, compesceret. Missi sunt denique ad eum legati senatores XX, quorum nomina sunt apud Cordum, (in his consulares IIII, prætorij VIII, quæstorij VIII) cum coronis & senatusconsulto, in quo ei statuæ auratæ equestres decernebantur. Ex quo quidem Balbinus subiratus est, dicens, Maximum minus quam eum laborasse, quum ipse domi tanta bella compressisset, ille autem otiosus apud Rauennam resedisset. Sed tantum valuit bellum Maximo, quia profectus est contra Maximinum, vt etiam victoria decerneretur, quam impletam ille nesciuit. Exercitu igitur suscepto Maximini, ad vrbem cum ingenti pompa & multitudine Maximus venit, mœrentibus militibus, quod eum Imperatorem quem ipsi delegerant, perdiderant, & eos habebant quos senatus legerat. Nec dissimulari poterat mœror, quia apparebat in frõtibus singulorum, & iã quidem nec verbis abstinebatur: quamuis Maximus & apud milites sæpe dixisset, obliuionem præteritorum esse debere, & stipendia magna donasset, & auxilia in ea loca quæ delegerant, dimisisset. *Sed animi militum semel imbuti odio, refrenari nequeunt.* Denique quum audissent senatus acclamationes quæ milites tangerent, acriores contra Maximum & Balbinum exstiterunt, secum quotidie cogitantes quos Imperatores facere deberẽt. Senatusconsulti autem, quo moti sunt, hæc forma est. Quum ingredienti vrbem Maximo Balbinus & Gordianus & senatus & populus Rom. obuiam processissent, acclamationes primum publicæ fuerunt quæ milites contingerent: inde in

A senatum itum est: vbi post illa quę communia solent esse festa, dictum est, *Sapienter electi principes, sic agunt, per imperitos electi principes, sic pereunt:* quum constaret à militibus factum esse Maximinum, Balbinũ autẽ & Maximũ à senatoribus. His auditis, milites grauius sæuire cœperunt in senatum, præcipue qui sibi triumphare de militibus videbantur. Et Balbinus quidem cum Maximo vrbem cum magna moderatione, gaudente
B senatu & populo Rom. regebant, senatui plurimum deferebant, leges optimas condebant, moderate caussas audiebant, res bellicas pulcherrime disponebant. Et quum iam paratum esset vt contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos, puer autem Gordianus Romæ remaneret, milites occasionem quærentes occidendorum principum, quum primo inuenire vix possent, quia Germani stipabant Maximum atque Balbinum, quotidie ingraue-
C scebant. Et erant quidẽ discordiæ inter Balbinum & Maximum, sed tacitæ, & quæ intelligerentur potius quam viderentur: quum Balbinus Maximũ quasi ignobilem contẽneret, Maximus Balbinum quasi debilẽ calcaret. Quare occasio militibus data est, intelligentibus *facile discordes Imperatores posse interfici.* Ludis denique scenicis quũ multi & milites & aulici occupati essent, & in Palatio soli cũ Germanis principes remansissent, impetum in eos fecerunt. Turbantibus igitur militibus, quum
D primũ nuntiatum esset Maximo, turbã illã tempestatẽq; vix euadi posse nisi ad Germanos mitteretur, & forte in alia parte Palatij Germani cũ Balbino essent, mittit ad Balbinũ Maximus, petẽns vt ei præsidiũ mitteret. Sed ille suspicatus quod cõtra se eos peteret, quem putabat monarchiã velle: primum frustratus est, deinde vsque ad litem peruentum est. In hac tamen seditione illis contendentibus milites superuenerũnt, atque ambos eos nudatos vestibus regalibus, de Pa-
E latio cum iniuriis produxerunt, & per mediam ciuitatem ad castra raptare voluerunt, magna ex parte laniatos. Sed vbi compererunt Germanos ad defensionem illorum superuenire, ambos occiderunt, & in itinere medio reliquerũnt. Inter hæc Gordianus Cæsar sublatus à militibus, Imperator est appellatus, id est Augustus, quia non erat alius in præsenti, insultantibus militibus senatui & populo,
F qui se statim in castra receperunt. Germani sane, ne sine causa pugnarent, occisis iam Imperatoribus suis, extra vrbem vbi suos habebant, se contulerunt. Hunc finem habuerunt boni Imperatores, indignum vita & moribus suis. Nam neque Maximo siue Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quidquam: quod re ipsa intelligi potest. Neque enim, quum esset potestas, malos senatus eligeret. Huc accedit quod multis honoribus ac potestatibus explorati sunt, quum
G alter bis COS. & præfectus, alter, COS. & præfectus, ad imperium longæui peruenissent, amabiles senatui, & populo etiam, quia Maximinum iam leuiter pertimescebant. Hæc sunt quæ de Maximo ex Herodiano Græco scriptore magna ex parte collegimus. Sed multi non à Maximo, verum à Pupieno Imperatore apud Aquileiam Maximinum esse victũ dixerunt, & ipsum cum Balbino esse occisum: ita vt

Maximi

Maximi nomen prçtereât. Tanta est autem historicorum inter se errantium imperitia, vel vsurpatio, vt multi eumdem Maximum quem Pupienũ velint dici, quum Herodianus vitæ suæ temporũ scriptor Maximom dicat, non Pupienum: quum & Dexippus Græcorum scriptor, Maximum & Balbinum Imperatores dicat factos contra Maximinum post Gordianos duos, & à Maximo victũ Maximinum, non à Pupieno. His accedit alia scriptorum imperitia, qui præfectum prætorij fuisse Gordianum paruulum dicunt, ignorantibus multis collo sæpe vectum vt militibus ostẽderetur. Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno vno; quum Maximinus imperasset cum filio, vt quidam dicunt, per triennium, vt alij, per biennium. Nec reticendum est quod Maximus, quũ & sibi & Balbino deferretur iudicio senatus imperium, Balbino dixisse fertur, (vt Herodianus dicit.) *Quid tu Balbine, & ego merebimur, quum hanc tam immanem belluam exitio dederimus?* Quumque Balbinus dixisset, *Senatus populique Romani feruentissimum amorem & orbis terrarum,* dixisse fertur Maximus, *Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem.* Domus Balbini etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis, magna & potens, & ab eius familia hucusque possessa. Maximus quem Pupienum plerique putant, summæ tenuitatis, sed virtutis amplissimæ fuit. Sub his pugnatum à Carpis contra Mœsos fuit, & Scythici belli principium, & Histriæ excidium eo tempore: vt autẽ Dexippus dicit, Histricæ ciuitatis. Dexippus Balbinum satis laudat, & dicit forti animo militibus occurrisse, atque interfectum: vt mortem non timeret, quem in omnibus disciplinis instructum fuisse dicit. Maximum vero negat eiusmodi virum fuisse qualem Græci plerique dixerunt. Addidit præterea, contra Maximinum Aquileiensium odium fuisse, vt de crinibus mulierum suarum arcubus neruos facerent, atque ita sagittas emitterent. Dexippus & Herodianus, qui horum principum historiam persequuti sunt, Maximum & Balbinum fuisse principes dicunt, delectos à senatu contra Maximinum post interitum duorum Gordianorum in Africa, cum quibus etiam puer, tertius Gordianus, electus est. Sed apud Latinos scriptores plerosque Maximi nomen non inuenio, & cum Balbino Pupienum Imperatorem reperio: vsqueadeo vt idem Pupienus cum Maximino apud Aquileiam pugnasse dicatur, quum, memoratis historicis asserentibus, ne Maximus quidem contra Maximinum pugnasse doceatur, sed resedisse apud Rauennam, atque illic patratam audisse victoriam, vt mihi videatur idem esse Pupienus, qui Maximus dicitur. Quare etiam gratulatoriam epistolam subdidi, quæ scripta est à cos. sui temporis de Pupieno & Balbino, in qua lætatur redditam ab his post

A latrones improbos esse rempubl. *Pupieno & Balbino Augustis Claudius Iulianus. Quum primum Iouis opt. max. & deorum immortalium senatusque iudicio, & consensu generis humani, suscepisse vos remp. à nefarij latronis scelere seruandam reddendamque Romanis legibus, domini sanctissimi & inuictissimi Augusti, quamquam nondum ex vestris litteris, sed tamen ex scripto quod ad me V. C. Celsus Ælianus collega transmiserat, comperissem: gra-*
B *tulatus sum vrbi Romæ, cuius ad salutem estis electi: gratulatus senatui, cuius pro iudicio quod in vos habuit, reddidistis pristinam dignitatem: gratulatus Italiæ, quam cum maxima ab hostibus vastatione defendistis: gratulatus prouinciis, quas inexplebili auaritia tyrannorum laceratas ad spem salutis reduxistis: denique legionibus ipsis & auxiliis, quæ vbique terrarum iam vultus vestros adorant, qui deposito dedecore pristino, nunc in vestro nomine dignam Romani principatus speciem receperunt. Quo-*
C *circa nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fœcundum vmquam fuerit, quod possit publicam felicitatem digne exprimere. Quæ quanta & cuiusmodi sint, iam in ipso exordio principatus vestri cognoscere potuimus: qui leges Romanas, æquitatemque abolitam, & clementiam quæ iam nulla erat, & vitam, & mores, & libertatem & spem successionum atque heredum reduxistis. Hæc enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate. Nam quod nobis vita per vos reddita est, quum dimissis passim per prouincias carnificibus, sic elatus*
D *latro surrexit vt se ordini profiteretur iratum, quomodo dicam aut prosequar? præsertim quum mediocritas mea non modo publicam felicitatem, sed ne peculiare quidem gaudium animi mei possit exprimere, quum eos Augustos & Principes generis humani videam, quorum antehac perpetuo cultu mores & modestiam meam tamquam veteribus censoribus meis cuperem probatam: & etiamsi confidã in priorũ principum testimoniis, vestris tamen vt grauioribus iudiciis glorior. Dij præstẽt præstabuntque hanc vrbi*
E *Romanæ felicitatem. Nam quum ad vos respicio, aliud nihil optare possum quam quod apud deos dicitur victor Carthaginis precatus, vt scilicet in eo statu remp. seruarent in quo tunc esset, quod nullus melior inueniretur. Ita ego precor, vt in eo statu nobis remp. seruent, in quo eam vos adhuc nutantem collocauistis.* Hęc epistola probat Pupienum eumdem esse qui à plerisque Maximus dicitur nomine paterno: siquidem per hæc tempora apud Græcos non facile Pupienus, apud Latinos non fa-
F cile Maximus inueniatur, & ea quæ sunt gesta contra Maximinum, modo à Pupieno, modo à Maximo acta dicantur. Sed Fortunatiano credamus, qui dicit Pupienum dictum nomine suo, cognomine vero paterno Maximum: vt omnium stupore legentibus aboliti videantur.



TREBELLII POLLIONIS VALERIANVS PATER ET FILIVS.

VAlerianus Imperator nobilis genere, patre Valerio, censor antea, & per dignitatem omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendēs, cuius per annos LXX, vita laudabilis in eā cōscenderat gloriam, vt per omnes honores & magistratus insigniter gestos, Imperator fieret, non (vt solet) tumultuario populi concursu, non militum strepitu, sed iure meritorum, & quasi ex totius orbis vna sententia. Denique si data esset omnibus potestas promendi arbitrij quem imperatorem vellent, alter non esset electus. Et vt sciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit publicorum, ponam senatusconsulta, quibus animaduertant omnes quid de illo semper amplissimus ordo iudicauerit. Duobus Deciis coss. VI Calend. Nouemb. die, quum ob imperatorias litteras in æde Castorum senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum cui deberet censura deferri, (nam id Decij posuerant in senatus amplissimi potestate) vbi primum prætor edixit, *Quid vobis videtur P.C. de censore deligendo?* atque cum qui erat princeps, quum senatus sententiam rogasset, absente Valeriano, (nam ille in procinctu suo cum Decio tunc agebat) omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ, *Valeriani vita censura est: Ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior. Ille de senatu iudicet, qui nullum habet crimen: Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici. Valerianus à prima pueritia censor fuit: Valerianus in tota vita fuit censor. Prudēs senator, modestus senator, grauis senator: Amicus bonorū, inimicus tyrānorū, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc cēsorem omnes accipimus: hūc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.* Quæ quum essent sæpius dicta, addiderunt, OMNES, atque ita discessum est. Hoc senatusconsultum vbi Decius accepit, omnes aulicos conuocauit, ipsum etiam Valerianum præcepit rogari: atque in conuentu summorum virorum, recitato senatusconsulto, *Felicem te*, inquit, *Valeriane senatus sententia, imo animis atque pectoribus: totius orbis humani suscipe censuram, quam tibi detulit Romana resp. quā solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in curia debeant: tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges: tu censibus modū pones: tu vectigalia firmabis, diuides statuas, respublicas recensebis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies: tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissimis iudicabis. Excepto denique præfecto vrbis Romæ, exceptis COSS. ordinariis, & sacrorum rege, ac maxima virgine Vestalium (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem etiā illi vt tibi placeant, de quibus nō potes iudicare.* Hæc Decius. Sed Valeriani sententia huiusmodi fuit: *Quæso sanctissime Imperator, ne ad hanc me necessitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus, de senatu, de o-*

A *mni penitus orbe, iudicibus, & tribunis, ac ducibus. Hæc sunt propter quæ Augustum nomen tenetis: apud vos censura desēdit: non potest hoc implere priuatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est confidentia, cui tempora sic repugnant vt censuram hominum natura non quærat.* Poteram multa & alia senatusconsulta, & iudicia principum de Valeriano proferre, nisi ea vobis plerisque nota essent: vt puderet altius virum extollere, qui fatali quadam necessitate superatus est. Victus

B est enim à Sapore rege Persarum, dum ductu cuiusdam sui ducis, cui summam omnium bellicarum rerum agendarum commiserat, seu fraude, seu aduersa fortuna, in ea esset loca deductus, vbi nec vigor nec disciplina militaris, quin caperetur, quidquam valere potuit. Captus igitur, in ditionem Saporis peruenit. quem quum gloriosæ victoriæ successu minus honorifice quam deceret, superbo & elato animo detineret, atque cum Romanorum rege, vt vili & abiecto mancipio

C loqueretur, litteras ab amicis regibus, qui ei contra Valerianum fauerant, plerasque missas accepit, quarum seriem Iulius refert. *Sapori rex regum Belsolus. Si scirem posse aliquando Romanos penitus vinci, gauderem tibi de victoria quam præfers. Sed quia vel fato vel virtute gens illa plurimum potest, vide ne, quod senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude, male tibi cedat, posterisque tuis. Cogita quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, à quibus sæpe victi sunt. Audiuimus certe*

D *quod Galli eos vicerint, & ingentem illam ciuitatem incenderint. Certe Galli Romanis seruiunt. Quid Afri? eos nonne vicerunt? Certe seruiunt Romanis. De longioribus exemplis, & fortasse ignotioribus nihil dico. Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit. certe victus est, certe Asia Romanorum est. Si meum consilium requiris, vtere occasione pacis, & Valerianum suis redde. ego gratulor felicitati tuæ, si tamen illa vti tu scias.* Balerus rex Cadusiorū sic scripsit, *Remissa mihi auxilia integra & incolumia*

E *gratanter accepi, sed captū Valerianū principē principum, non satis gratulor: magis gratularer si redderetur. Romani enim grauiores tunc sunt quando vincuntur.* Age igitur vt prudentem decet: nec fortuna te inflet, quæ multos decepit. *Valerianus & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæsarem: & quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem, nobis etiam ob gentes Ponticas profuturam.* Artabasdes rex Armeniorum, talem ad Saporem episto-

F lam misit, *In partem gloriæ venio: sed vereor ne non tam viceris quam bella seueris. Valerianum & filius repetet, & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Vnum ergo senem cepisti, & omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi fecisti, fortassis & nobis, qui auxilia misimus, qui vicini sumus,*

mus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus. Bactriani, & Hiberi, & Albani, & Tauroscythæ, Saporis litteras non receperunt, sed ad Romanos duces scripserunt, auxilia pollicentes ad Valerianum de captiuitate liberandum. Sed Valeriano apud Persas consenescente, *Odenatus Palmyrenus*, collecto exercitu, rem Romanam prope in pristinum statum reddidit. Cepit regis thesauros, cepit etiam, quas thesauris cariores habent reges Parthici, concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore Balistæ atque Odenati, in regnum suum ocius se recepit. Atque hic interim finis belli fuit Persici. Hæc sunt digna cognitu de Valeriano, nunc ad Valerianum minorem reuertar.

VAlerianus Iunior, alia quam Gallienus matre genitus, forma conspicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, atque a fratris dissolutione seiunctus, à patre absente Cæsar est appellatus, à fratre (vt Cælestinus dicit) Augustus, nihil habet prædicabile in vita, nisi quod est nobiliter natus, educatus optime, & miserabiliter interemptus. Et quoniam scio errare plerosque, qui Valeriani Imperatoris titulum in sepulchro legentes, illius Valeriani redditum putant corpus, qui à Persis est captus: ne vllus error obrepat, mittendum in litteras censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum, addito titulo Claudij iussu, VALERIANVS IMPERATOR. Non puto plus aliquid vel de maiore Valeriano, vel de iuniore requirendum. Et quoniam vereor ne modum voluminis transeam, si Gallienum Valeriani filium, de quo iam nobis multus sermo fuit, vel Saloninum filiũ etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus est, huic libro adiungam, ad aliud volumen transeam. Semper enim me vobis dedidi, & famæ, cui negare nihil debeo neque possum.

TREBELLII POLLIONIS

GALLIENI DVO.

CApto Valeriano (enimuero vnde incipienda est Gallieni vita, nisi ab eo præcipue malo quo eius vita depressa est?) nutante republ. quũ Odenatus iam orientis cepisset imperiũ, & Gallienus comperta patris captiuitate gauderet, vagabantur exercitus, murmurabant duces, erat ingẽs omnibus mœror, quod Imperator Romanus in Perside seruiliter teneretur. Gallieno igitur & Volusiano coss. Macrianus & Balista in vnũ coëunt, exercitus reliquias conuocant: & quũ Romanum in oriente nutaret imperium, quem facerent Imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, vt eius ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique quum pluries eius rei caussa cõuenissent, placuit vt Macrianum cum filiis suis Imperatores dicerẽt, ac rempublicam defensandã capesserẽt. Sic igitur imperium delatum est *Macriano*. Et caussæ Macriano imperandi cum filiis hæ fuerunt. Primum, quod nemo eo tempore sapientior ducum habebatur, nemo ad res gerendas aptior: deinde ditissimus, & qui priuatis posset fortunis publica explere dispendia. Huc accedebat quod liberi eius fortissimi iuuenes, tota mente in bellum ruebant, vt essent legionibus exemplo ad omnia militaria. Macrianus ergo vndique collectis exercitibus, orientis partes petiit: atque vt posset late sibi delatum defendere & tueri imperium, bellum sic instruxit, atque copias sic parauit, vt esset omnium circumspectus quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus Pisonem, vnum ex nobilibus principibus senatus, ad Achaiam destinauit, ob hoc vt *Valentem* qui illic proconsulari imperio rempuplicam gubernabat, opprimeret. Sed Valens, comperto quod Piso contra se veniret, sumpsit Imperium. Piso igitur in Thessaliam se recepit. vbi, missis à Valẽte militibus compluribus, interfectus est: ipse quoque Imperator appellatus cognomẽto *Thessalicus*. Sed Macrianus, retento in oriente vno ex filiis, pacatis tamen rebus, Asiam primum venit, deinde Illyricum petiit: in Illyrico cum *Aureolo* Imperatore, qui contra Gallienum imperium sumpserat, duce Domitiano nomine, manum conseruit, vnum ex filiis secum habens, & xxx millia militum ducens. Sed victus est Macrianus cum filio Macriano nomine, deditusque omnis exercitus Aureolo Imperatori. Turbata interim republ. totoque penitus orbe terrarum, vbi *Odenatus* comperit Macrianum cum filio interemptum, regnare Aureolum, Gallienum remissius agere, festinauit ad alterum filium Macriani, quũ exercitus hoc daret fortuna capiendum. Sed ij qui erant cum filio Macriani, Quieto nomine, consentientes Odenato, auctore præfecto Macriani *Balista*, iuuenem occiderunt, misoque per murum corpore, Odenato se omnes affatim dediderunt. Totius prope igitur orientis factus est Odenatus Imperator, quum Illyricum teneret Aureolus, Romam Gallienus. Idem Balista multos Emissenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum Quieto & thesaurorum custode interfecit, ita vt ciuitas pene deleretur. Odenatus inter hæc, quasi Gallieni partes ageret, cuncta eidem nuntiari ex veritate faciebat. Sed Gallienus, cognito quod Macrianus cum suis liberis esset occisus, quasi securus rerum ac patre iam recepto, libidini ac voluptati se dedidit: ludos circenses, ludosque scenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit: populumque, quasi victorialibus diebus, ad festiuitatem ac plausum vocauit. Et quum plerique patris eius captiuitatem mœrerent, ille specie decoris, quod pater eius virtutis studio deceptus videretur, supramodum lætatus est. Constabat autem censuram parentis eum ferre non potuisse, votiuumque illi fuisse, quod imminentem ceruicibus suis grauitatem paternam non haberet. Per idem tempus *Æmilianus* apud Ægyptum sumpsit imperium, occupatis horreis, multa oppida malo famis pressit. Sed hunc dux Gallieni Theodotus conflictu habito cepit, atque Imperatori Gallieno viuũ transmisit. Ægyptus enim data Æmiliano per Trãsthebaitanos milites ... sæuitũ est ... ribus, quũ Gallienus in luxuria & improbitate persisteret. Quumque ludibriis & helluationi va-

-catet, neque aliter rempublicam regeret quam A
quum pueri fingũt per ludibria potestates, Galli,
quibus insitum est esse leues ac degenerantes à
ciuitate Romana, & luxuriosos principes fer-
re non posse. *Posthumum* ad imperium voca-
runt: exercitibusque consentientibus, qui oc-
cupatum Imperatorem libidinibus querreban-
tur. Contra hunc Theodotus exercitum duxit.
Quumque vrbem in qua erat Posthumus, obsi-
dere cœpisset, decernentibus Gallis, Gallienus B
muros circumiens, sagitta ictus est. Nam & per
annos VII Postumus imperauit, & Gallias ab o-
mnibus circumfluentibus barbaris validissime
vindicauit. His coactus malis, Gallienus pacem
cum Aureolo facit oppugnandi Postumi studio:
longoque bello tracto per diuersas obsidio-
nes ac prœlia, rem modo feliciter modo infeli-
citer gerit. Accesserat præterea his malis quod
Scythæ Bithyniam inuaserant, ciuitatesque de-
leuerant. Denique Astacum, quæ postea Nicome- C
dia dicta est, incensam grauiter vastauerunt. De-
nique, quasi coniuratione totius mundi, con-
cussis orbis partibus, etiam in Sicilia quasi quod-
dam seruile bellum exstitit, latronibus euagan-
tibus, qui vix oppressi sunt. Et hæc omnia Gal-
lieni contemptu fiebant. *Neque enim quidquam
est ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis
prõptius, quã quum vel malus timetur, vel dissolutus
contemnitur Imperator.* Gallieno & Faustino
coss. inter tot bellicas clades etiam terræmotus D
fuit & tenebræ per multos dies. Auditum præ-
terea tonitruum terra mugiente, non Ioue to-
nante. Quo motu multæ fabricæ deuoratæ sunt
cum habitatoribus: multi terrore mortui. quod
quidem malum tristius in Asiæ vrbibus fuit. Mo-
ta est & Roma, mota & Libya: hiatus terræ plu-
rimis in locis fuerunt, quum aqua salsa in fossis
appareret. Maria etiam multa vrbes occupa-
runt. Pax igitur deûm quæsita, inspectis Sibyllæ
libris, factumque Ioui salutari, vt præceptum fue- E
rat, sacrificium. Nam & pestilentia tanta exsti-
terat vel Romæ vel in Achaicis vrbibus, vt vno
die qoinque oillia hominum pari morbo peri-
rent. Sæuiente fortuna, quum hinc terræmotus,
inde hiatu soli ex diuersis partibus pestilentia or-
bem Romanum vastaret, capto Valeriano, Gallis
parte maxima obsessis, quum bellum Odenatus
inferret, quum Aureolus perurgeret Illyricum,
quum Æmilianus Ægyptum occupasset: *Gotthi* F
& Clodius, de quo dictum est superius, occupatis
Thraciis Macedoniam vastarunt, Thessalonicam
obsederunt, neque vsquam quies mediocriter sa-
lutem ostentare visa est. Quæ omnia contemptu
(vt sæpius diximus) Gallieni fiebant, hominis lu-
xuriosissimi, &, si esset securus, ad omne dedecus
paratissimi. Pugnatum est in Achaia Marciano
duce contra eosdem Gotthos. Vnde victi per A-
chæos, recesserunt. Scythæ autem, hoc est pars G
Gotthorum, Asiam vastabant. Tunc etiam tem-
plum Dianæ Ephesiæ dispoliatum & incensum
est: cuius opes fama in populos satis notæ. Pudet
numerare inter hæc tempora quum ista gereren-
tur, quæ sæpe Gallienus malo generis humani
quasi per iocum dixerit. Nam quum ei nuntia-
tum esset, Ægyptum desciuisse, dixisse fertur,
Quid? sine lino Ægyptio esse non possumus? Quum
autem vastatam Asiam & elementorum concur-
sionibus & Scytharum incursionibus comperis-
set, *Quid*, inquit, *sine aphronitris esse non possumus?*
Perdita Gallia arrisisse ac dixisse perhibetur, *Non
sine trabeatis sagis tuta resp. est?* Sic denique de
omnibus partibus mundi, quum eas amitteret,
quasi detrimentis vilium ministeriorum videre-
tur affici, iocabatur. Ac nequid mali deesset Gal-
lieni temporibus, Byzantiorum ciuitas, clara na-
ualibus bellis, claustrum Ponticum, per eiusdem
Gallieni milites ita omnis vastata est vt prorsus
nemo superesset. Denique nulla vetus familia
apud Byzantios inuenitur, nisi siquis peregrina-
tione vel militia occupatus euasit, qui antiquita-
tem generis nobilitatemque repræsentet. Contra
Posthumum igitur Gallienus cum Aureolo &
Claudio duce, qui postea imperium obtinuit,
principe generis Constantini Cæsaris nostri, bel-
lum incepit: & quum multis auxiliis Posthumus
iuuaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum
Victorino processit, cum quo imperiũ participa-
uerat. Victrix Gallieni pars fuit, pluribus prœliis
euetuum ratione decursis. Erat enim in Gallieno
subitæ virtutis audacia: nam aliquando iniuriis
grauiter mouebatur. Denique ad vindictã Byzan-
tiorum processit: & quum non putaret recipi se
posse muris, receptus alio die, omnes milites iner-
mes, armatorum corona circumdatos, interemit,
fracto fœdere quod promiserat. Per eadem tem-
pora etiam Scythæ, in Asia Romanorum ducum
virtute ac ductu vastati, ad propria recesserunt. In-
terfectis sane militibus apud Byzantium, Gallie-
nus, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cur-
su rapido conuolauit: conuocatisque patribus,
decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua
specie pomparum, exquisito genere voluptatum.
Iam primum inter togatos patres, & equestrem
ordinem, albatos milites, & omni populo præcũ-
te, seruis etiam prope omnium, & mulieribus cũ
cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Ca-
pitolium petiit. Processerunt etiá altrinsecus cen-
teni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsua-
libus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ cã-
dentes ab vtraque parte CC præcesserunt, & X ele-
phanti, qui tunc erant Romæ, mille CC gladiato-
res pompaliter ornati. Cum auratis vestibus ma-
tronarum mansuetæ feræ diuersi generis, CC, or-
natu quam maximo affectæ. Carpenta cum mi-
mis & omni genere histrionum: pugiles fac-
culis non veritate pugilantes. Cyclopea etiam
luserunt omnes apenarij, ita vt miranda quæ-
dam & stupenda mõstraret. Omnes viæ ludi stre-
pituque & plausibus personabãt: ipse medios cum
picta toga & tunica palmata inter patres (vt dixi-
mus) omnibus sacerdotibus prætextatis Capitoliũ
petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla
centena, & præter ea quæ collegiorum erant, dra-
cones, & signa teioplorũ omniumque legionum
ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, vt Gotthi,
Sarmatæ, Franci, Persæ: ita vt non minus quam
duceni singulis globis ducerẽtur. Hac pompa ho-
mo ineptus eludere se credidit populũ Romanũ:
sed (vt sunt Romanorũ facetiæ) alius Posthumo
fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo aut Æmi-
liano, alius Saturnino. nam & ipse iam imperare
dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre, quẽ
inultum filius relinqueret, & quem externi vt-
cumque vindicauerant. Nec tamen Gallienus ad
talia mouebatur: obstupefacto voluptatibus cor-
de, sed ab iis qui circum eum erant, requirebat, *Et
quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ
sunt? & qualis eras erit cœna? quales circenses?* Sic
consu-

confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad A domum regiam redit conuiuiisque & epulis depulsis, alios dies voluptatibus publicis deputabat. Prętereundum non est haud ignobile facetiarum genus. Nam quum rex Persarum, quasi captiuorum, per pompam (rem ridiculam) duceretur, quidam scurræ miscuerunt se Persis, diligentissime scrutantes omnia, atque vniuscuiusque vultū mira inhiatione mirantes. A quibus quum quæreretur quidnam agerent illa solertia, illi respon- B derunt, *Patrem principis quærimus*. Quod quum ad Gallienum peruenisset, non pudore, non mœrore, non pietate commotus est, scurrasque iussit viuos exuri. Quod populus factum tristius quam quisquam æstimat, tulit: milites verò ita doluerunt, vt non multo post vicem redderent. Gallieno & Saturnino coss. Odenatus rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis imperium, idcirco præcipuè quod se fortibus factis dignum tantæ maiestatis insulis declarauit, Gallieno aut nullas, aut luxuriosas, aut ineptas & ridiculas C res agente. Denique statim bellum Persis in vindictam Valeriani, quam eius filius negligebat, indixit. Nisibin & Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibenis atque Carrenis, & increpantibus Gallienum. Nec defuit tamen reuerentia Odenati circa Gallienum. Nam captos satrapas, insultandi prope gratia & ostentandi sui, ad eum misit. Qui quum Romam deducti essent, vincente Odenato triumphauit Gallienus, nulla mentione patris facta: quem nec inter deos quidem nisi coactus retulit, quum mortuum audisset, sed adhuc D viuentem: nam de illius morte falso compererat. Odenatus autem ad Ctesiphontem Parthorum multitudinem obsedit: vastatisque circum omnibus locis, innumeros homines interemit. Sed quū satrapæ omnes ex omnibus regionibus illuc defensionis communis gratia conuolassent, fuerunt longa & varia prœlia, longior tamen Romana victoria. Et quum nihil aliud ageret nisi vt Valerianum Odenatus liberaret, instabat quotidie, ac locorum difficultatibus in alieno solo Imperator optimus laborabat. Dum hæc apud Persas gerun- E tur, *Scythæ* in Cappadociam peruaserunt: illic captis ciuitatibus, bello etiam vario, diu acies ad Bithyniam contulerunt. Quare milites iterum de nouo Imperatore faciendo cogitauerunt: quos omnes Gallienus more suo, quum placare atque in gratiam suam reducere non posset, occidit. Quum tamen sibi milites dignum principem quærerent, Gallienus apud Athenas ἄρχων erat, id est summus magistratus; vanitate illa qua & ciuis adscribi desiderabat, & sacris omnibus interesse: quod neque F Adrianus in summa felicitate, neque Antoninus in adulta fecerat pace, quum tanto studio Græcarum docti fuerint literarum, vt raro aliquibus doctissimis magnorum arbitrio cessetint virorū. Areopagitarum præterea cupiebat ingeri numero, contempta prope republ. Fuit enim Gallienus (quod negari non potest) oratione, pœmate, atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium quod inter centum poëtas pręcipuum fuit. Nam quum fratrum suorum filios iungeret, omnes poëtæ Gręci Latinique epithalamia dixissent, G idque per dies plurimos, quum ille manus sponsorum teneret, vt quidam dicunt, sæpius, ita dixisse fertur; *Ite, ait, ô pueri, pariter sudate medullis Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ, Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.* Longum est eius versus orationesque connectere, quibus suo tempore tam in poëtas quam in rhetores emicuit. Sed aliud in Imperatore quæritur, aliud in oratore vel poëta flagitatur. Laudatur sane eius optimum factum. Nam consulto Valeriani fratris sui & Lucillij propinqui, vbi comperit ab Odenato Persas vastatos, redactam Nisibin & Carras in potestatem Rom. omnem Mesopotamiam nostram, denique Ctesiphontem esse peruentum, fugisse regem, captos satrapas, plurimos Persarum occisos: Odenatum, participato imperio, Augustum vocauit, eiusque monetam qua Persas captos traheret, cudi iussit. quod & senatus & vrbs, & omnis ætas gratanter accepit. Fuit præterea idem ingeniosissimus: cuius ostendentia acumen pauca libet ponere. Nam quum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque perductum decies potuisset occidere, coronam venatori misit; instantibusque cūctis quid rei esset quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit, *Taurum toties non ferire difficile est*. Idem quum quidam gēmas vitreas pro veris vendidisset eius vxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, surripi quasi ad leonem venditorem iussit. Deinde cauea caponem emittit: mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iussit, *Imposturam fecit, & passus est*. deinde negotiatorem dimisit. Occupato tamen Odenato bello Persico, & Gallieno rebus ineptissimis (vt solebat) incumbente, Scythæ nauibus factis Heracleam peruenerunt, atque inde cum præda in solum proprium reuerterunt: quamuis multi naufragio perierunt, nauali bello superati. Per idem tempus Odenatus insidiis consobrini sui interemptus est cum filio Herode, quem & ipsum imperatorem appellauerat. Tum Zenobia vxor eius, quod paruuli essent filij eius qui supererant, Herennius & Timolaus, ipsa suscepit imperium, diuque rexit non muliebriter, neque more fœmineo: sed non solum Gallieno virago melius imperare potuisset, verumetiam multis imperatoribus fortius atque solertius. Gallieno sane vbi nuntiatum Odenatum interemptum, bellum Persis ad seram nimis vindictam patris parauit, collectisque per Heraclianum ducem militibus, sollertis principis rem gerebat. Qui tamē Heraclianus quum contra Persas profectus esset, à Palmyrenis victus, omnes quos parauerat milites perdidit, Zenobia Palmyrenis & orientalibus plerisque viriliter imperante. Inter hæc Scythæ per Euxinum nauigantes, Istrum ingressi, multa grauia in solo Rom. fecerunt. Quibus compertis, Gallienus Cleodamum & Athenæum Byzantios instaurandis vrbibus muniendisque præfecit. Pugnatumque est circa Pontum, & à Byzantiis ducibus victi sunt barbari. Veneriano item duce, nauali bello *Gotthi* superati sunt, tum ipse Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum & Asiam, deinceps Achaiam omnem vastauerunt, & ab Atheniensibus duce Dexippo, scriptore horum temporum, victi sunt. Vnde pulsi, per Epirū, Acarnaniam, Bœotiam, peruagati sunt. Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gotthis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuito plurimos interemit. Quo comperto, Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati. Omnes inde Scythas Marcianus varia bellorum fortuna agitauit: quæ omnes Scythas ad rebelliodem excitaret. Et hæc quidem Heracliani ducis

erga rempublicam deuotio fuit. Verũ quum Gallieni tantam improbitatem ferre non possent, cõsilium ineunt Marcianus & Heraclianus, vt alter eorum imperium caperet:& Claudius quidem (vt suo dicemus loco) vir omnium optimus, electus est, qui consilio non adfuerat, essetque apud cunctos in reuerentia, vt dignos videretur imperio; quemadmodum postea comprobatum est. Is enim est CLAVDIVS à quo Constantinus vigilãtissimus Cæsar originem ducit. Fuit iisdem socius in appetendo imperio quidam Ceronius siue Cecropius, dux Dalmatarum; qui eos vrbanissime & prudentissime adiuuit. Sed quum imperium capere viuo Gallieno non possent, huiusmodi eum insidiis appetendum esse duxerunt, vt labem improbissimam, malis fessa republica, à gubernaculis humani generis dimouerent, ne diutius theatro & circo addicta republica per voluptatum deperiret illecebras. Insidiarum genus fuit tale: Gallienus ab Aureolo qui principatum inuaserat, diffidebat, sperans quotidie grauem & intolerabilem tumultuarij Imperatoris aduentum. Hoc scientes Marcianus & Cecropius, subito Gallieno iusserant nuntiari Aureolum iam venire. Ille igitur militibus congregatis; quasi certum processit ad prœlium: atque ita missis percussoribus, interemptus est. Et quidem Cecropij Dalmatarum ducis gladio Gallienus dicitur esse percussus, vt quidam ferũt, circa Mediolanum: vbi continuo & frater eius VALERIANVS est interemptus, quem multi Augustum, multi Cæsarem, multi neutrum fuisse dicunt: quod verisimile non est: siquidem capto iam Valeriano, scriptum inuenimus in Fastis, VALERIANO IMPERATORE COS. Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater? Constat de genere; non satis tamẽ cõstat de dignitate, vel (vt cœperunt alij loqui) de maiestate. Occiso igitur Gallieno, seditio ingens militũ fuit; quum spe prædæ ac publicæ vastationis, Imperatorem sibi vtilem, necessariũ, fortem, efficacem, ad inuidiam faciendam, dicerent raptum. Quare consilium principum fuit, vt milites eius, quo solent placati genere, sedarentur. Promissis itaque per Marcianum aureis vicenis, & acceptis, (nam præsto erat thesaurorum copia) Gallienum tyrannum militari iudicio in fastos publicos retulerũt. Sic militibus sedatis Claudius, vir sanctus ac iure venerabilis, & bonis omnibus carus, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus senatui, populo bene cognitus, accepit imperium. Hæc vita Gallieni fuit, breuiter à me litteris intimata: qui natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & stupris perdidit orbem terrarum. Triginta prope tyrannos passus est; Romanum dehonestantes imperium; ita vt etiam mulieres eo melius imperarent. Ac ne eius prætereatur miseranda sollertiâ, veris tempore cubicula de rosis fecit: de pomis castella composuit: vuas triennio seruauit. hieme summa melones exhibuit: mustum quemadmodum toto anno haberetur, docuit. Ficos virides, & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit. Mantilibus aureis semper strauit. Gemmata vasa fecit, eademque aurea. Crinibus suis auri scobem aspersit: radiatus sæpe processit. cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis & aureis, Romę vsus est, vbi semper togati principes videbantur: purpuream tunicam auratamque virilem, eamdẽque manicatam habuit. Gemmato baltheo vsus est: caligas gemmatas annexuit, quum campagos reticulos appellaret. Conuiuatus in publico est: congiariis populum molliuit: senatui sportulam sedens erogauit. Matronas ad consulatum suum rogauit; iisdemque manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis dedit. Vbi de Valeriano patre comperit quod captus esset, id quod philosophorum optimus de filio amisso dixisse fertur, *Sciebam me genuisse mortalem*, dixit ille, *Sciebam patrem meum esse mortalem.* Nec defuit Annius Cornicula, qui eum quasi constantem principem, falso sua voce laudaret. peior tamen ille qui credidit. Sæpe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, quum processui & recessui cani iuberet. Lauit die septimo æstate, vel sexto: hieme secundo vel tertio. Bibit in aureis semper poculis, aspernatus vitrum, dicens nil eo esse communius. Semper vina variauit. Neque vmquam in vno conuiuio ex vno vino duo pocula bibit. Concubinæ in eius tricliniis sæpe accubuerunt. Mensam secundam scurrarum & mimorum semper prope habuit. Quum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur. Ibant & præfecti, & magistri officiorum omnium adhibebantur & conuiuiis & cœnationibus. lauabant etiam simul cum principe. Admittebantur sæpe etiam mulieres, cum ipso pulchræ puellæ, cum illis anus deformes: & & iocari se dicebat quum orbem terrarum vndique perdidisset. Fuit tamen nimiæ crudelitatis in milites: nam & terna millia & quaterna militum singulis diebus occidit. Statuam sibi maiorem colosso fieri præcepit solis habitu: sed ea imperfecta periit, tã magna denique cœperat fieri, vt duplex ad colossum videretur. Poni autem illam voluerat in summo Esquiliarum monte, ita vt hastam teneret, per cuius caput infans ad summum posset ascendere. Sed & Claudio & Aureliano deinceps stulta res visa est: siquidem etiam equos & currum fieri iusserat pro qualitate statuæ, atq; in acutissima base poni. Porticum Flaminiam vsque ad pontem Miluium & ipse parauerat ducere, ita vt tetrastiche fieret, vt autem alij dicunt, pentastiche; ita vt primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, secundus & tertios, & deinceps, δὶς τεσσάρων columnas. Longum est cuncta in litteras mittere: quæ qui volet scire, legat Palfurium Suram, qui Ephemeridas eius vitæ composuit. Nos ad Saloninum reuertamur.

SALONINVS GALLIENVS.

Hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani: de quo quippe nihil est quod dignum in litteras mittatur, nisi quod nobiliter natus, educatus regie, occisus deinde non sua, sed patris caussa. De huius nomine magna est ambiguitas. Nam multi eum GALLIENVM, multi SALONINVM historiæ prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco quod apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & aui Gallieni, summi quondam in republ. viri. Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram viam, intra templũ Faustinæ adueeta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum, GALLIENO MINORI, SALONINO additum: ex quo eius nomen intelligi poterit. Transisse decennium imperij Gallienum, satis clarum est: quod idcirco addidi, quia multi eum imperij sui primo anno periisse dixerunt. Fuisse autem & alias rebelliones sub eodem; de quibus pro-

proprio dicemus loco. Siquidem placuit triginta tyrannos vno volumine includere, idcirco quod nec multa de his dici possunt, & in Gallieni vita pleraque iam dicta sunt. Et hæc quidem de Gallie no hoc interim libro dixisse sufficiat. Nam & mul ta iam in Valeriani vitâ; in libro qui DE TRIGINTA TYRANNIS inscribendus est, iam loquemur quæ iterari ac sæpius dici minus vtile videbatur. Huc accedit quod quædam etiam studiosè prætermisi, ne eius posteri multis rebus edi tis læderentur. Scis enim ipse quales homines cũ B iis qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: nec ignota esse arbitror quæ dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exem plum Protreptici scripsit. Vnum ponam tamen quod iucunditatem quamdam, sed vulgarem habuit; morem tamen nouum fecit. Nam quum cingula sua plerique militantium qui ad conuiuium venerant, ponerent hora cõuiuij, Saloninus puer, siue Gallienus, his auratos constellatosque baltheos rapuisse perhibetur: & quum esset difficile C in aula palatina requirere quod perisset, ac taciti militares viri detrimenta pertulissent, postea rogati ad conuiuium cincti accubuerunt. quumque ab his quæreretur cur non soluerent cingulum respondisse dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem vt deinceps cum Imperatore cincti discumberent. Negare non possum, aliũ & plerisque videri huius rei ortũ esse morem. Dicunt enim militare prandium (quod dictum est *prandium* ab eo quod ad bellum milites paret) à

A cinctis initum. cui rei argumentum est quod à discinctis etiã cum Imperatore cœnatur. Quæ idcirco posui, quia digna & memoratu videbantur, & cognitu. Nunc transeamus ad triginta tyrannos, qui Gallieni temporibus contemptu mali principis extiterunt. De quibus breuiter & pauca dicen da sunt. Neque enim digni sunt eorum plerique vt volumen talium hominum saltem nominibus occupetur: quamuis eorum aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam reipublicæ profuisse. Tam variç item opiniones sunt de *Salonini* nomine, vt, qui se verius putant dicere, à matre sua Salonina appellatum esse dicant, quã is perdite dilexerit, *Piparam* nomine, barbaram, regis filiam. Gallienus cum suis semper flauum crinem condidit. De annis autem Gallieni & Valeriani ad imperium pertinentibus, adeo incerta traduntur, vt quum eosdem imperasse constet, id est Gallienum vsque ad quintumdecimum peruenisse, Valerianus vero sexto sit captus; alij IX. annis, alij bis decem annis, alij etiam Gallienum imperasse in litteras mittant: quum constet & decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post decennalia Gothos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo initam esse concordiam; pugnatum contra Posthumum, contra Lollianum, multa etiam ab eo gesta quæ ad virtutem, plura tamen quæ ad dedecus pertinebant. Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus, mimis scurrisque vixisse.

TREBELLII POLLIONIS

TRIGINTA TYRANNI.

SCriptis iam pluribus libris, non historico D nec diserto, sed pedestri eloquio, ad eam temporum venimus seriem, in qua per annos quibus Gallienus & Valerianus rempubl. tenuerunt, triginta tyranni, occupato Valeriano magnis belli Persici necessitatibus, extiterunt, quum Gallienum non solum viri, sed etiam mulieres contemptui haberent; vt suis locis probabitur. Sed quoniam tanta obscuritas eorum hominum fuit qui ex diuersis orbis partibus ad imperium connolabant, vt non multa de his vel di E ci possint à doctioribus, vel requiri: deinde ab om nibus historicis qui Græce ac Latine scripserunt, ita nonnulli prætereantur, vt eorum nec nomina frequententur: postremo quum tam variè à plerisque super his nonnulla sint prodita: in vnum eos libellum contuli, & quidem breuem, maxime quum vel in Valeriani, vel in Gallieni vita, pleraque de his dicta, nec repetenda tamen satis cõstet.

CYRIADES, I.

HIc patrem Cyriadem fugiens; diues & nobilis, quum luxuria sua & moribus perditis sanctum senem grauaret, direpta magna parte auri, argenti etiam infinito pondere, Persas petiit: at que inde Sapori regi coniunctus atque sociatus, quum hortator belli Romanis inferendi fuisset, Odenatum primum, deinde Saporem ad Romanum solum traxit: Antiochia etiam capta & Cæsarea, Cęsarianum nomen accepit. Atque inde vocatus Augustus, quum omnem orientem vel viriũ audacia vel terrore quateret, patrem verò interemisset (quod alij historici negant factum) ipse per insidias suorum, quum Valerianus iam ad bellum Persicum veniret, occisus est. Neque plus de hoc historiæ quidquam mandatum est quod dignum memoria esse videatur: quem clarum, perfugium, & parricidium, & aspera tyrannis, & summa luxuries litteris dederunt.

POSTHVMVS, II.

HIc vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni vita grauis; vsque adeo vt Saloninum filium suum eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi custodi vitæ, & morum & aetuum imperialium institutori. Sed, quantum plerique asserunt, (quod eius non conuenit moribus) postea fidem fregit; & occiso Salonino sum F psit imperium. vt autem verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementissime Gallienum odissent, puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum qui commissum regebat imperium, Imperatorem appellarunt; missisque militibus adolescentem interfecerunt. Quo interfecto, ab omni exercitu & ab omnibus Gallis Posthumus gratanter acceptus, talem se præbuit per annos septem, vt Gallias instaurauerit, quum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, & amore barbaræ mu G lieris consenesceret. Gestum est tamen à Gallieno contra hunc bellum, tunc quum sagitta Gallienus

est vulneratus, siquidem nimius amor erga Posthumum omnium erat in Gallicagente populorū, quod submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem reuocasset imperium. Sed quum se grauissime regeret, more illo quo Galli nouarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano agente, interemptus est. Si quis sane Posthumi meritum requirit, iudicium de eo Valeriani ex hac epistola, quam ille ad Gallos misit, intelliget: *Transrhenani limitis ducem, & Galliæ præsidem Posthumum fecimus, virum dignissimum seueritate Gallorum. præsente quo, non miles in castris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat: qui vnicuique proprium & suum seruet. virum quem ego præ ceteris stupeo, & qui locum principis mereatur iure. de quo spero quod mihi gratias agetis. Quod si me fefellerit opinio quam de illo habeo,* sciatis nusquam gentium reperiri qui possit penitus approbari. *Huius filio Posthumo nomine, tribunatum Vocontiorum dedi adolescenti: qui se dignum patris moribus reddet.*

POSTHVMVS IVNIOR, III.

DE hoc prope nihil est quod dicatur, nisi quod à patre appellatus Cæsar, ac deinceps in eius honore Augustus cum patre dicitur interemptus, quum Lollianus in locū Posthumi subrogatus, delatum sibi à Gallis sumpsisset imperiū. Fuit autem (quod solum memoratu dignum est) ita in declamationibus disertus, vt eius controuersiæ Quintiliano dicantur insertæ; quem declamatorem Romani generis acutissimum, vnius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.

LOLLIANVS, IIII.

HVius rebellione in Gallia Posthumus, vir omnium fortissimus, interemptus est, quum iam nutante Gallieni luxuria, in veterem statum Romanum reformasset imperium. Fuit quidem etiam fortissimus: sed rebellionis intuitu, minorem apud Gallos auctoritatem de suis viribus tenuit. Interemptus autem est à Victorino, Victorinæ vel Victoriæ filio, quæ postea *mater castrorum* appellata est, & Augustæ nomine affecta; quum ipsa per se fugiens tanti ponderis molem, primum in Marium, deinde in Tetricum atque eius filium contulisset imperia. Et Lollianus quidem nonnihilum reip. profuit. Nam plerasque Galliæ ciuitates, nonnulla etiam castra, Posthumus per septem annos in solo barbarico ædificauerat; quæ interfecto Posthumo subita irruptione Germanorum & direpta fuerant & incensa: ea in statum veterem reformauit: deinde à suis militibus, quod in labore nimius esset, occisus est. Ita Gallieno perdente rempubl. in Gallia primum Posthumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, postremo Tetricus, (nam de Mario nihil dicimus) assertores Romani nominis extiterunt: quos omnes datos diuinitus credo, ne, quum illa pestis inaudita luxuria impediretur, oialis possidendi Romanum solum Germanis daretur facultas: qui si eo genere tunc euasissent quo Gotthi & Persæ, consentientibus in Romano solo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum esset imperium. Lolliani autem vita in multis obscura est, vt & ipsius Posthumi: sed priuata virtute clari non nobilitatis pondere vixerunt.

VICTORINVS, V.

POstumus senior, quum videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solum militum, verumetiam alterius principis necessarium, Victorinum militaris industriæ virum in participatum vocauit imperij, & cum eodem cōtra Gallienum conflixit. Quumque adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent victi sunt. Tunc interfecto etiam Lolliano, solus Victorinus in imperio remansit: qui & ipse, quod matrimoniis militum & militarium corrūpendis operam daret, à quodam actuario, cuius vxorem stuprauerat, composita factione Agrippinæ percussus, Victorino filio Cæsare à matre Victorina, siue Victoria, quæ *mater castrorum* dicta est, appellato: qui & ipse puerulus statim est interemptus, quum apud Agrippinam pater eius esset occisus. De hoc quod fortissimus fuerit, & præter libidinem optimus Imperator, à multis multa sunt dicta. Sed satis credimus Iulij Ateriani partē libri cuiusdam ponere, in quo de Victorino sic loquitur; *Victorino, qui Gallias post Iunium Posthumū rexit, neminem existimo præferendum: non in virtute Traianum, non Antoninum in clementia, non in grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ ac seueritate militari Pertinacem vel Seuerum. Sed omnia hæc, libido & cupiditas mulieraria voluptatis sic perdidit, vt nemo audeat virtutes eius in litteras mittere; quem constat omnium iudicio meruisse puniri.* Ergo quum id iudicij de Victorino scriptores habuerint, satis mihi videor de eius dixisse moribus.

VICTORINVS IVNIOR, VI.

DE hoc nihil amplius in litteras est relatum, quam quod nepos Victoriæ, Victorini filius fuit, & à patre & ab auia sub eadem hora qua Victorinus interemptus, Cæsar nuncupatus est, ac statim à militibus ita occisus. Extant denique sepulcra circa Agrippinam breui marmore impressa humilia, in quibus vnus est inscriptus, HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT.

MARIVS, VII.

VIctorino, Lolliano, & Posthumo interemptis, Marius ex fabro (vt dicitur) ferrario triduo tantum imperauit. De hoc quid amplius requiratur ignoro, nisi quod eum insigniorem breuissimum fecit imperium. Nam vt consul, qui sex pomeridianis horis consulatum suffectum tenuit, à M. Tullio tali aspersus est ioco; *Consulem habuimus tam seuerum tamque censorium, vt in eius magistratu nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit*: de hoc etiam dici posse videtur, qui vna die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est. Et vir quidem strenuus, ac militaribus vsque ad imperium gradibus euectus est: quem plerique *Mamurium*, nonnulli *Veturium*, opificem vtpote ferrarium, nuncuparunt. Sed de hoc nimis multa: de quo illud addidisse satis est, nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse; quum in digitis neruos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venien-

venientis digito salutari repulisse dicitur, & fortissimos quosque vno digito sic afflixisse, vt quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorom allisiooe contriuit. Occisus est à quodam milite; qui quum eius quondam operarius in fabrili officina fuisset, contemptus est ab eodem, vel quum duxisset, vel quum imperium cepisset. addidisse hæc verba dicitur interemptor *Hic est gladius quem ipse fecisti.* Huius concio prima talis fuisse dicitur; *Scio, commilitones, posse mihi obiici artem pristinam, cuius mihi omnes testes estis. Sed dicat quisque quod vult, vtinam semper ferrum exerceam. Nō vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, vt facit Gallienus, indignus patre suo & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi obiiciatur ferraria; dum me & extera gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia: denique vt omnis Alemania omnisque Germania, cum ceteris quæ adiacent gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, vt specialiter in nobis ferrū timeant. Vos tamen cogitetis velim fecisse vos principem qui numquam quidquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio mihi à luxuriosissima illa peste nihil opponi posse, nisi hoc quod gladiorum armorumque artifex fuerim.*

INGENVVS, VIII.

Fvsco & Basso coss. quum Gallienus vino & popinis vacaret, quumque se lenonibus, mimis, & meretricibus dederet, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperdetet, Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator est dictus, ceteris Pannoniarum volentibus: neque in quoquam melius consultum reip. à militibus videbatur, quam quod instantibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset. Caussa autem ipsi arripiendi tunc imperij fuit, ne suspectus esset Imperatoribus, quod erat fortissimus ac reipub. necessarius, & militibus (quod imperaotes vehementer mouet) acceptissimus. Sed Gallienus, vt erat nequam & perditus, ita etiam, vbi necessitas coëgisset, velox, fortis, vehemens, crudelis: denique Ingenuum conflictu habito vicit; eoque occiso, in omnes Mœsiacos tam milites quam ciues asperrime sæuiit: nec quemquam suæ crudelitatis exsortem reliquit: vsque adeo asper & truculentus, vt pleraſque ciuitates vacuas à virili sexu relinqueret. Fertur sane idem Ingenuus ciuitate capta intrasse domum, in qua se pugione transfodit: atque ita vitam finisse; ne in tyranni crudelis potestatem veniret. Exstat sane epistola Gallieni, quam ad Celerem Verianum scripsit, qua eius nimietas crudelitatis ostenditur: quam ego idcirco interposui, vt omnes intelligerent, hominum luxuriosum crudelissimum esse, si necessitas postulet. *Gallienus Veriano. Non mihi satisfacies, si tantum armatos occideris, quos & fors belli interimere potuisset. Perimendus est omnis sexus virilis, si & senes atque impuberes sine reprehensione nostra occidi possent. Occidendus est quicumque male voluit: occidendus est quicumque male dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot principum patrem & fratrem. Ingenuus factus est Imperator. Lacera, occide, concide: animum meum intelligere potes: mea mente irascere, qui hæc manu mea scripsi.*

REGILLIANVS, IX.

Fati publici fuit vt Gallieni tempore quicomque potuit, ad imperium prosiliret. Regillia- A nus denique in Illyrico ducatum gerens, Imperator est factus, auctoribus imperij Mœsis, qui cum Ingenuo fuerant ante superati: in quorum parentes grauiter Gallienus sæuierat. Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas gessit: sed auctoribus Roxolanis, consentientibusque militibus; & timore prouincialium ne iterum Gallienus grauiora faceret, interemptus est. Mirabile fortasse videatur, si quæ origo imperij eius fuerit, declaretur. Militari B enim ioco regnū promeruit. Nam quum milites cum eo quidam cœnarent, astitit Valerianus tribunus qui diceret, *Regilliani nomen vnde credimus dictum?* Alius continuo, *Credimus quod à regno.* Tum is qui aderat scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare, & dicere, *Rex, regis, regi, Regillianus.* Milites, vt est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt, *Ergo potest rex esse?* item alius, *Ergo potest nos regere?* item alios, *Deus tibi regis nomen imposuit.* Quid multa? His dictis, quom alia die mane processisset, à principibus Im- C perator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel iudicium detulit, huic iocularis astutia. Fuit quod negari non potest, vir in militari re semper probatus, & Gallieno iam ante suspectus, quod dignus videretur imperio: gentis Daciæ Decibali ipsius (vt fertur) affinis. Exstat epistola diui Claudij adhuc priuati, qua Regilliano Illyrici duci gratias agit ob redditum Illyricum, quum omnia Gallieni segnitia deperirent: quam ego repertam in archiuis, inserendam putaui: fuit enim publica. *Claudius Regilliano multā salutē. Felicem remp. quæ te ta-* D *lē virum habere rei castrensis bellis his meruit: felicē Gallienum, etiamsi ei vera nemo nec de bonis, nec de malis nuntiat. Pertulerunt ad me Bonitus & Celsus stipatores principis nostri, qualis apud Scupos in pugnando fueris, quot vno die prœlia & qua celeritate confeceris. Dignus eras triumpho, si antiqua tempora exstarent. Sed quid multa? Memor cuiusdam ominis, cautius velim vincas. Arcus Sarmaticos & duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria: quum ipse miserim de nostris.* Hac epistola ostenditur, quid de Regilliano senserit Claudius: cuius grauissimum iudicium suis temporibus fuisse, non du- E bium est. Nec à Gallieno quidem vir iste promotus est, sed à patre eius Valeriano, vt & Claudius, & Macrianus, & Ingenuus, & Posthumus, & Aureolus; qui omnes in imperio interēpti sunt, quū mererētur imperiū. Mirabile aūt hoc fuit in Valeriano principe, quod omnes quoscūq; duces fecit, postea militum testimonio ad imperium peruenerunt. vt appareat, senem Imperatorem in deligendis reip. ducibus talem fuisse qualem Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset, sub bono F principe requirebat. Et vtinam vel illi qui arripuerant imperia, regnare potuissent; vel eius filius Gallienus in imperio diutius non fuisset; vt libere se in suo statu resp. nostra tenuisset. Sed nimis sibi fortuna indulgendum putauit, quæ cum Valeriano & bonos principes tulit, & Gallienum diutius quam oportebat, reip. reseruauit.

AVREOLVS, X.

G Hic quoque Illyricianos exercitus regens, in contemptum Gallieni, vt omnes eo tempore, coactus à militibus sumpsit imperium. Et quū Macrianus cum filio suo Macriano contra Gallienum veniret, cum plurimis exercitus eius cepit: aliquos corruptos fidei suæ addixit. & quum

factus esset inualidus Imperator, quumque Gallienus expugnare virum fortem frustra tentasset, pacem cum eo contra Posthumum pugnaturus fecit; quorum pleraque & dicta sunt & dicenda. Hunc eumdem Aureolum Claudius interfecto iam Gallieno conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc *pons Aureoli* nuncupatur, atque illic, vt tyrannũ, sepulcro humiliore donauit. Exstat etiam epigramma Græcum in hanc formã; *Dona sepulcrorum victor post multa tyranni Prœlia, iam felix Claudius Aureolum Munere prosequitur, mortali, & iure superstes Viuere quem vellet, si pateretur amor Militis egregij, vitam qui iure negauit Omnibus indignis, & magis Aureolo. Ille tamen clemens, qui corporis vltima seruans, Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.* Hos ego versus à quodam grammatico translatos ita posui vt fidem seruarem: non quo melius non potuerint transferri, sed vt fidelitas historica seruaretur, quam ego præ ceteris custodiendam putaui, qui id quod ad eloquẽtiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, non verba; maxime tanta rerum copia, vt triginta tyrannorum simul vitas scribendas accesserim.

MACRIANVS, XI.

CApto Valeriano, diu clarissimo principe ciuitatis, fortissimo deinde Imperatore, ad postremum omnium infelicissimo, vel quod senex apud Persas consenuit, vel quod indignos se posteros dereliquit; quum Gallienum contemnendum Balista præfectus Valeriani & Macrianus primus intelligerent, quærentibus etiam militibus principem, vnum in locũ concesserunt, quærentes quid faciendum esset. Tuncque constitit, Gallieno longe posito, Aureolo vsurpante imperium, debere aliquem principem fieri, & quidem optimum, ne quispiam tyrannus exsisteret. Verba igitur Balistæ (quantum Mæonius Astyanax, qui consilio interfuit, asserit) hæc: *Mea ætas & professio & voluntas, longe ab imperio absunt: & ego, quod negare non possum, bonum principem quæro. Sed quis tandem est, qui Valeriani locum possit implere? nisi talis, qualis tu es ô Macriane fortis, constans, integer, probatus in rep. & (quod maxime ad imperium pertinet) diues. Arripe igitur locum meritis tuis debitum: me pro fecto, quamdiu voles, vteris tu cum rep. Tantum bene agas: vt te Romanus orbis factum principem gaudeat.* Ad hæc Macrianus; *Fateor Balista, imperium prudenti non frustra est. Volo enim resp. subuenire, atque illam pestem à legum gubernaculis dimouere: sed non hoc in me ætatis est. Senex sum; ad exemplum equitare non possum. Lauandum est mihi frequẽtius, edendum delicatius: diuitiæ me iam dudum ab vsu militiæ retraxerunt. Iuuenes aliqui sunt quærendi, nec vnus, sed duo vel tres fortissimi, qui ex diuersis partibus orbis Rom. rempublicam restituant, quam Valeriani fato, Gallienus vitæ suæ genere perdiderũt.* Post hæc intellexit cum Balista sic agere, vt de filiis suis videretur cogitare: atque adeo sic agressus est: *Prudentiæ tuæ rempublicam tradimus. Da igitur liberos tuos Macrianum & Quietum fortissimos iuuenes, olim tribunos à Valeriano factos: qui Gallieno imperante, quod boni sunt, salui esse non possunt.* Tunc ille, vbi intellectum se esse comperit, *Do*, inquit, *manus, de meo stipendium militi duplex daturus: tu tantum præfecti mihi studium, & annonã in necessariis locis præbe. Iam ego faxim vt Gallienus*

A *sordidissimus fœminarum omnium, duces sui paren*tis intelligat.* Factus est igitur cum Macriano & Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus, Imperator. Ac statim contra Gallienum venire cœpit, vtcumque rebus in oriente derelictis. Sed quum XLV. millia militum secum duceret, in Illyrico vel in Thraciarum extremis congressus cum Aureolo, victus & cum filio interemptus est. Triginta denique millia militum in Aureoli pote-
B statem concessere. Domitianus autem eumdem vicit, dux Aureoli fortissimus & vehemẽtissimus, qui se originem diceret à Domitiano Imperatore trahere atq; à Domitilla. De Macriano autẽ nefas mihi videtur iudicium Valeriani præterire, quod ille in oratione sua quam ad senatum è Persidis finibus miserat, posuit. Inter cetera ex oratione diui Valeriani: *Ego P.C. bellum Persicum gerens, Macriano totam remp. credidi. quod à parte militari ille vobis fidelis, ille mihi deuotus, illum & amat &
C timet miles. Vtcũque res exegerit, cum exercitibus agit, nec P.C. noua vel inopinata nobis sunt, pueri eius virtus in Italia, adolescentis in Gallia, iuuenis in Thracia, in Africa iam prouecti, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est, quum in diuersis prœliis ad exemplum fortiter faceret. Huc accedit quod habet iuuenes filios, Romano dignos collegio, nostra dignos amicitia.* & reliqua.

MACRIANVS IVNIOR, XII.

D MVlta de hoc in patris imperio prælibata sunt: qui numquam Imperator factus esset nisi prudentiæ patris eius creditum videretur. De hoc plane multa miranda dicuntur, quæ ad fortitudinem pertineant iuuenilis ætatis. Sed ad facta, aut quantum in bellis, minus valet fortitudo. Hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cuius merito imperare cœperat, à Domitiano victus, triginta (vt superius dixi) millibus militum spo-
E liatus est: matre nobili, patre tantum forti & ad bellum parato, atque ab vltima militia in summũ perueniente ducatum, & splendore sublimi.

QVIETVS, XIII.

HIc, vt diximus, Macriani filius fuit: cum patre & fratre, Balistæ iudicio, Imperator est factus. Sed vbi comperit Odenatus, qui olim iam orientem tenebat, ab Aureolo Macrianum pa-
F trem, Quietum, & eius fratrem Macrianũ victos, milites in ejus potestatem concessisse; quasi Gallieni partes vindicaret, adolescentem cum Balista præfecto dudum interemit. Idem quoque adolescens dignissimus Rom. imperio fuit, vt vere Macriani filius, & Macrianus etiam frater: qui duo afflictis rebus potuerunt rempublicam gerere. Videtur non mihi prætereundum de Macrianorum familia, quæ hodieque floret, id dicere quod spe-
G ciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres & in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eo vsque vt tunicæ & limbi & pænulæ matronales in familia ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monstrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem histo-

riam

riam contineret, signis breuibus & minutulis, pô-A rifici propinare: quam quidem circumferri ad om nes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.

ODENATVS, XIIII.

NIsi Odenatus princeps Palmyrenorum, capto Valeriano, fessis Romanæ reipublicæ vi-B ribus sumpsisset imperium, in oriente res perditæ essent. Quare assumpto nomine primum regali, cum vxore Zenobia, & filio maiore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est. Nisibin primum & orientis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit: deindeipsum regem victum fugere coëgit: postremo Ctesiphôta vsque, Saporem & eius liberos persequutus, ca-C ptis concubinis, capta etiam magna præda, ad orientem vertit, sperans quod Macrianum, qui imperare contra Gallienum cœperat, posset opprimere. sed illo iam profecto contra Aureolum & contra Gallienum, eo interempto, filium Quietũ interfecit, Balista (vt plerique asserunt) regnum vsurpante, ne & ipse posset occidi. Composito igitur magna ex parte orientis statu, à consobrino suo Mæonio, qui & ipse imperium sumpserat, interemptus est cum filio suo Herode, qui & ipse post reditum de Perside cum patre Imperator est D appellatus. Iratum fuisse reip. deum credo, qui interfecto Valeriano noluit Odenatum reseruare. Ille plane cum vxore Zenobia, non solum orientem, quem iam in pristinum reformauerat statũ, sed omnes omnino totius orbis partes reformasset, vir acer in bellis, & quantum plerique scriptores loquuntur, venatu memorabili semper inclytus, qui à prima ætate capiendis leonibus & pardis, vrsis, ceterisque siluestribus animalibus, sudorem officij virilis impendit; quique semper in sil-E uis ac montibus vixit, perferens calorem, pluuias, & omnia mala quæ in se continent venatoriæ voluptates: quibus duratus, solem ac puluerem bellis Persicis tulit: non aliter etiam coniuge assueta, quę multorum sententia fortior marito fuisse perhibetur: mulierum omnium nobilissima orientalium fœminarum, & (vt Cornelius Capitolinus asserit) speciosissima.

HERODES, XV.

NOn Zenobia matre, sed priore vxore genitus, Herodes, cum patre accepit imperium; homo omnium delicatissimus, & prorsus orientalis & Græcæ luxuriæ; cui erant sigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Persica. Denique ingenio eius visus Odenatus, quidquid concubinatũ regalium, quidquid diuitiarum gemmarumque cepit, eidem tradidit, paternæ indulgentiæ affe-G ctione permotus. Et erat circa illum Zenobia nouercali animo: quare commendabiliorem patri eũ fecerat: neque plura sunt quę de Herode dicantur.

MÆONIVS, XVI.

HIc consobrinus Odenati fuit: nec vlla re alia ductus nisi damnabili inuidia, Imperatorem optimum interemit, quum ei nihil aliud obiceretur præter filij Herodis delicias. Dicitur autem primum cum Zenobia consensisse; quæ ferre non poterat vt priuigous eius Herodes priore loco quam filij eius Herennianus & Timolaus, principes diceretur. Sed hic quoque spurcissimus fuit: quare Imperator appellatus per errorem, breui à militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.

BALISTA, XVII.

DE hoc, vtrum imperauerit, scriptores inter se ambigunt. Multi enim dicunt, Quieto per Odenatum occiso, Balistæ veniam datam: tamen eum imperasse, quod nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet. Alij asserunt, priuatum eum in agro suo, quem apud Daphnen sibi compararat, interemptum. Multi & sumpsisse illum purpuram, & more Romano imperasse, exercitũ duxisse, & de se plura promisisse dixerunt: occisum autem per hos quos Aureolus miserat ad cõprehendendum Quietum Macriani filium: quem prædam suam esse dicebat. Fuit vir insignis, eruditus ad gerendam rempublicam in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in prouisione annonaria singularis. Valeriano sic acceptus, vt eum quibusdã litteris hoc testimonio prosequutus sit: *Valerianus Ragonio Claro præfecto Illyrici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, parens Clare, dispositionem Balistæ prosequêre. Hac in forma remp. vides, vt nec ille prouinciales grauet, vt illic equos contineat vbi sunt pabula, illic annonas militum mandet vbi sunt frumenta: non prouincialem, non possessorem cogat illic frumenta, vbi non habet, dare, illic equum, vbi non potest, pascere: nec est vlla alia prouisio melior quam vt in locis suis erogentur quæ nascuntur; ne aut vehiculis aut sumptibus rempublicam grauent. Galatia frumentis abundat, referta est Thracia, plenum est Illyricum: illic pedites collocentur. quamquam in Thracia etiam equites sine noxa prouincialium hiemare possunt. Multum enim ex campis fœni colligitur. Iam vbi laridum, iam cetera species, in his danda sunt locis in quibus affatim redundant. Quæ omnia sunt Balistæ consilia qui ex quaque prouincia vnam tantum speciem præberi iussit, quod ea redundaret, atque ab ea milites submoueri: id quod publicitus est decretum.* Est & alia eius epistola qua gratias Balistæ agit: in qua docet sibi præcepta gubernandæ reip. ab eodem data: gaudens quod eius consilio nullum adscriptitium, id est vacantem, haberet, & tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret. Hic igitur vir in tentorio suo cubans, à quodam gregario milite Odenati, in Gallieni gratiam dicitur interemptus. De quo ipse vera non satis comperi, idcirco quod scriptores temporum de huius præfectura multa, de imperio pauca dixerunt.

VALENS, XVIII.

HIc vir militaris, simul etiam ciuilium virtutum gloria pollens, proconsulatum Achaiæ dato à Gallieno tunc honore gubernabat: quem Macrianus vehementer reformidans, simul quod in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quod inimicum sibi esse inuidia virtutum sciebat misso Pisone nobilissimæ tunc & consularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentissime cauens & prouidēs, neque aliter sibi posse subueniri existimans, sumpsit imperium, & breui à militibus interemptus est.

VALENS SVPERIOR, XIX.

FVit & Valens Svperior: & bene venit in mentem: & quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente qui superiorum principum temporibus interemptus est, aliquid dicemus. Nã huius Valentis qui sub Gallieno imperauit, auunculus magnus fuisse perhibetur. alij tantum auunculum dicunt. Sed par in ambobus fuit fortuna. Nam & ille, quum paucis diebus Illyrico imperasset, occisus est.

PISO, XX.

HIc à Macriano ad interficiendum Valentem missus, vbi eum prouidum futurorum imperare cognouit, Thessaliam concessit: atque illic paucis sibi consentientibus sumpsit imperium; *Thessalicusque* appellatus, interemptus est: vir summæ sanctitatis, & temporibus suis *Frugi* dictus, & qui ex illa Pisonum familia ducere originem diceretur, cui se Cicero nobilitandi caussa sociauerat. Hic omnibus principibus acceptissimus fuit. Ipse denique Valens, qui ad eum percussores misisse perhibetur, dixisse dicitur, non sibi apud deos inferos constare rationem, quod, quamuis hostem suum, Pisonem tamen iussisset occidi, virum cui similem Romana respublica non haberet. Senatusconsultum de Pisone factum, ad noscẽdam eius maiestatem, libenter inserui. Die septimo Calend. Iulias, quum esset nuntiatum Pisonẽ à Valente interemptum, ipsum Valentem à suis occisum, Aurelius Fuscus consularis primæ sententiæ, qui in locum Valeriani successerat, ait, *Consul consule*. Quumque consultus, esset, *Diuinos*, inquit, *honores Pisoni decerno P.C. Gallienum, & Valerianum, & Saloninum, Imperatores nostros esse confido. Neque enim melior vir quisquam fuit, neque constantior.* Post quem ceteri consulti, statuam inter triumphales, & currus quadriiugos Pisoni decreuerunt. Sed statua eius videtur: quadrigæ autẽ quæ decretæ fuerant, quasi transferẽdæ ad alium, positæ sunt, nec adhuc redditæ. Nam in his locis fuerunt positæ in quibus thermæ Diocletianæ sunt exædificatæ, tam æterni nominis quã sacrati.

ÆMILIANVS, XXI.

ET hoc familiare est populo Ægyptiorum, vt vel furiosi ac dementes, de leuibus quibusq; ad summæ reip. pericula perducãtur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locum in balneis nõ concessum, carnem & olera sequestrata, calceamenta seruilia, & cetera talia, vsque ad summum reip. periculum seditionis, ita vt armarentur contra eos exercitus, peruenerunt. Familiari ergo sibi furore, quum quodam die cuiusdam seruus curatoris qui Alexandriam tunc regebat, militariter ob hoc cæsus esset quod crepidas suas meliores esse quam militis diceret, collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps venit, atque eum omni seditionũ instrumento & furore persequuta est. ictus est lapidibus, petitus est ferro: nec defuit vllũ seditionis telũ. Qua re coactus Æmilianus sumpsit imperiũ, quũ sciret sibi vndecumq; pereundum. Consenserunt ei Ægyptiacus exercitus, maxime in Gallieni odium: nec eius ad regendam rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totamque Ægyptum peragrauit; & , quatenus potuit, barbarorum gentes forti auctoritate submouit. Denique *Alexander*

A vel *Alexandrinus* (nam incertum id quoque habetur) virtutũ merito vocatus est. Et quum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce, Gallieno iubente, dedit pœnas: siquidem strangulatus in carcere captiuorum veterum more perhibetur. Tacendum esse non credo, quod quum de Ægypto loquor, vetus suggessit historia, simul etiam Gallieni factum: qui quum Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, à sacerdotibus est prohibitus, B qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere. Cuius rei etiam Ciceronem, quum contra Gabinium loquitur, meminisse satis nouimus. denique non exstat memoria rei frequentatæ. Quare scire oportet, Herennium Celsum vestrum parentem, dum consulatum cupit, hoc quod desiderat, non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis esse litteris scriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore, quum in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum: quod apud C Proculum grammaticum doctissimum sui temporis virum, quum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur.

SATVRNINVS, XXII.

OPtimus ducum Gallieni tempore, sed à Valeriano dilectus Saturninus fuit. Hic quoq; quum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset, & milites non exemplo Imperatoris sui, sed suo regeret, ab exercitibus D sumpsit imperium: vir prudentiæ singularis, grauitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarum barbararum etiam vbique notarum. Hic ea die qua est amictus à militibus peplo imperatorio, concione adhibita dixisse fertur, *Commilitones bonum ducem perdidistis, & malum principem fecistis.* Denique quum multa strenue in imperio fecisset, quod esset seuerior & grauior militibus, ab iisdem ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est. Huius insigne est, quod conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit hieme grauibus, E æstate perlucidis.

TETRICVS SENIOR, XXIII.

INterfecto Victorino & eius filio, mater eius Victoria siue Victorina, Tetricum senatorem populum Romanum præsidatum in Gallia regentem, ad imperium hortata, quod eius erat (vt plerique loquuntur) affinis, Augustum appellari fecit, filiumque eius Cæsarem nuncupauit. Et quum multa Tetricus feliciter egisset, diuque imperasset, F ab Aureliano victus, quũ militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, volens se grauissimo principi & seuerissimo dedit. Versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat, *Eripe me his inuicte malis.* Quare quum Aurelianus nihil simplex neque mite aut tranquillum facile cogitaret, senatorem populi Romani eumdemque consularem, qui iure præsidali omnes Gallias rexerat, per triumphũ duxit eodem tempore quo & Zenobiam Odenati G vxorem cum filiis minoribus Odenati, Herenniano & Timolao. Pudore tamen victus vir nimium seuerus, eum quem triumphauerat, correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnij, Lucaniæ, Brutiorum, Apuleiæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Vmbriæ, Piceni, & Flaminiæ, om-

nisque

nisque annonariæ regionis: ac Tetricum non solum vitiere, sed etiam in summa dignitate manere passus est; quum illum sæpe collegam, nonnumquam commilitonem, aliquando etiam imperatorem appellaret. A

TETRICVS IVNIOR, XXIIII.

HIc puerulus à Victoria Cęsar est appellatus, quum illa *mater castrorum* ab exercitu nuncupata esset. B qui & ipse cum patre per triumphũ ductus, postea omnibus senatoriis honoribus functus est, illibato patrimonio; quod quidem ad suos posteros misit, vt Gellius Fuscus dicit; semper insignis. Narrabat auus meus, hunc sibi familiarem fuisse, neque quemquam illi ab Aureliano, aut postea ab aliis principibus, esse prælatum. Tetricorum domus hodieque exstat in monte Cælio inter duos lucos contra Isium Metellinum, C pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, vtrique prætextam tribuns & senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam picturatam de museo. Quam quum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse conuiuio.

TREBELLIANVS, XXV.

PVdet iam persequi quanti sub Gallieno fuerunt tyranni, D vitio pestis illius: siquidem erat in eo ea luxuria, vt rebelles plurimos mereretur; & ea crudelitas, vt iute timeretur. Quare & in Trebellianum factum in Isauria principem, ipsis Isauris sibi ducem quærentibus: quem quum alij archipiratam vocassent, ipse se Imperatorem appellauit. Monetam etiam cudi iussit; palatium in arce Isauriæ constituit: qui quidem quum se in intima Isaurorum loca, munitus difficultatibus locorum & montibus, contulisset, aliquamdiu a- E pud Cilicas imperauit. Sed per Gallieni ducem Causisoleum natione Ægyptium, fratrem Theodoti, qui Æmilianum ceperat, ad campum deductus, est victus & occisus. Neque tamen postea Isauri, timuere ne in eos Gallienus sæuiret, ad æqualitatem perduci quauis principum humanitate potuerunt. Deniq; post Trebellianum pro barbaris habentur; & quum in medio Rom. nominis solo regio eorum sit, nouo genere custodiarum quasi limes includitur, locis defensa oon homini- F bus. Nam non sunt statura decori, non virtute graues, non instructi armis, non consiliis prudẽtes, sed hoc solo securi, quod in editis positi adiri nequeunt: quos quidem diuus Claudius pene ad hoc perduxerat, vt à suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus vni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, nequid ex ea postea rebellionis oriretur.

HERENNIANVS, XXVI.

G ODenatus moriens duos paruulos reliquit, Herennianum, & fratrem eius Timolaum: quorum nomine Zenobia, vsurpato sibi imperio: diutius quam fœminam decuit, remp. obtinuit, paruulos Rom. Imperatoris habitu proferẽs purpuratos, eosdemque adhibens concionibus: quas illa viriliter frequentauit: Didonem, & Semiramidem, & Cleopatram sui generis principem, inter cetera prædicans. Sed de eorum exitu incertum est. Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte sua esse consumptos: siquidem Zenobiæ posteri etiam nunc Romæ inter nobiles manent.

TIMOLAVS, XXVII.

DE hoc ea putamus digna oratione, quæ de fratre sunt digna. Vnum tamen est quod eum à fratre separat, quod tãti fuit ardoris ad studia Romana, vt breui consequutus, quæ insinuauerat grammaticus, esse dicatur: potuisse quinetiã summum Latinorum rhetorem facere.

CELSVS, XXVIII.

OCcupatis partibus Gallicanis, orientalibus; quinetiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur, & balneis ac lenonibus deputat vitam, Afri quoque, auctore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano duce limitis Libyci, Celsum Imperatorem appellauerunt, peplo deæ Cælestis ornatum. Hic priuatus ex tribunis in Africa positus, io agris suis viuebat: sed ea iustitia, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. Quare creatus per quãdam mulierem, Gallienam nomine, cõsobrinam Gallieni, septimo die interemptus est, atque adeo etiam inter obscuros principes vix relatus est. Corpus eius à canibus consumptum est, Siccensibus qui Gallieno fidem seruauerant, perurgentibus: & nouo iniuriæ genere imago in crucem sublata, persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.

ZENOBIA, XXIX.

OMnis consumptus est pudor: siquidem fatigata respubl. eousque peruentum est vt Gallieno nequissime agente, optime etiam mulieres imperarent. Et quidem peregrina, nomine Zenobia, de qua iam multa dicta sunt, quæ se de Cleopatrarum Ptolemæorumque gente iactaret, post Odenatum maritum, imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai, diutius quam fœmineus sexus patiebatur, imperauit. Siquidem Gallieno adhuc regente remp. regale mulier superba munus obtinuit: & Claudio bellis Gotthicis occupato, vix denique ab Aureliano victa & triumphata, concessit in iura Rom. Exstat epistola Aureliani, quæ captiuæ mulieri testimonium fert. Nam quum à quibusdam reprehenderetur quod mulierem, veluti ducem aliquem, vir fortissimus triumphasset, missis ad senatum populumque Rom. litteris, hac se attestatione defendit: *Audio P.C. mihi obiici quod non virile munus impleuerim, Zenobiam triumphando. Næ, illi qui me reprehendunt, satis laudarent, si scirent qualis illa est mulier, quam prudens in consiliis, quam constans in dispositionibus, quam erga milites grauis, quam larga quum necessitas postulet, quam tristis quum seueritas poscat. Possum dicere, illius esse quod Odenatus Persas vicit, ac fugato Sapore Ctesiphontem vsque peruenit. Possum asserere, tanto apud orientales & Ægyptiorum populos timori mulierem fuisse, vt se non Arabes, non Sarraceni, non Armenij commouerent.*

Nec ego illi vitam conseruassem, nisi eam scissem A
multum Rom. reipublicæ profuisse, quum sibi vel liberis suis orientis seruaret imperium. Sibi ergo habeant propriarum venena linguarum hi quibus nihil placet. Nam si vicisse ac triumphasse fœminam non est decorum: quid de Gallieno loquuntur, in cuius contemptum hæc bene rexit imperium? quid de diuo Claudio, sancto ac venerabili duce, qui eam, quod ipse Gottbicis esset expeditionibus occupatus, passus
esse dicitur imperare, idque occulte ac prudenter, ut B
illa seruante orientalis fines imperij, ipse securius quæ instituerat perpetraret? Hæc oratio indicat quid iudicij Aurelianus habuerit de Zenobia: cuius ea castitas fuisse dicitur, vt ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nam quum semel cócubuisset, exspectatis menstruis continebat se, si prægnans esset, sin minus, iterum potestatem quærendis liberis dabat. Vixit regali pompa, more magis, Persico. Adorata est more regum
Persarum. Conuiuata est imperatorum more C
Romano. Ad cócionnes galeata processit cũ limbo purpureo, gẽmis dependentibus per vltimam fimbriam, media etiam cyclade veluti fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris; spiritus diuini, venustatis incredibilis: tantus candor in dentibus, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Vox clara & virilis: seueritas, vbi necessitas postulabat, tyrãnorum: bonorum principum clementia, vbi pietas
requirebat. Larga prudenter, conseruatrix thesau- D
rorum vltra fœmineum modum. Vsa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius. Fertur autem vel tria vel quatuor millia frequenter cum peditibus ambulasse. Nata est Hispanorum cupiditate: bibit sæpe cum ducibus; quum esset alias sobria: bibit etiam cum Persis atque Armeniis, vt eos vinceret. Vsa est vasis aureis gemmatis ad conuiuia; quibus & Cleopatra vsa est. In ministerio eunuchos grauioris ætatis habuit, puellas
nimis raras. Filios Latine loqui iusserat, adeo vt E
Græce vel difficile vel raro loquerentur. Ipsa Latini sermonis non vsquequaque ignara; sed vt loqueretur, pudore cohibita: loquebatur & Ægyptiace ad perfectum modum. Historiæ Alexandrinæ atque orientalis ita perita, vt eam epitomasse dicatur: Latinam autem Græce legerat. Quum illam Aurelianus cepisset, atque in conspectum suum ductam sic appellasset, *Quid ô Ze-*
nobia ausa es insultare Romanis Imperatoribus? illa F
dixisse fertur, *Imperatorem te esse cognosco qui vincis; Gallienum & Aureolum, & ceteros, principes non putaui. Victoriam mei similem credens, in consortium regni venire, si facultas locorum pateretur, optaui.* Ducta est igitur per triumphum ea specie, vt nihil pompabilius populo Rom. videretur. iam primum ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. fertur enim mulier fortissima sæpissime restitisse, quum diceret
se gemmarum onera ferre non posse. Vincti e- G
rant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat; quod scurra Persicus præferebat. Huic ab Aureliano viuere concessum est. Ferturque vixisse cum liberis, matronæ iam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti; quæ hodiéque Zenobia dicitur, non longe ab Adriani palatio, atque ab eo loco cui nomen est Conche.

VICTORIA, XXX.

NOn tam digna res erat vt etiam Victorina, siue Victoria, in litteras mitteretur, nisi Gallieni mores hoc facerent, vt memoria dignæ etiam mulieres censerentur. Victoria enim, vbi filium ac nepotẽ à militibus vidit occisos, Posthumum, deinde Lollianum, Marium etiam, quem Principem milites nuncuparunt, interemptos, Tetricum (de quo superius dictum est) ad imperium hortata est, vt virile semper facinus auderet. Insignita est præterea hoc titulo, vt *Castrorum* se diceret *matrem*. Cusi sunt eius nummi æræi, aurei, & argentei; quorum hodiéque forma exstat apud Treuiros, quæ quidem non diutius vixit. Nam Tetrico imperante, vt plerique loquuntur, occisa; vt alij asseruot, fatali necessitate consumpta.

Hæc sunt quæ de triginta tyrannis dicenda videbantur: quos ego in vnum volumen idcirco cõtuli, ne, si de singulis singula quæque narrarem, nascerentur indigna fastidia, & ea quæ ferre lector non posset. Nunc ad Claudium principem redeo: de quo speciale mihi volumen, quamuis breue, merito vitæ illius videtur edendum, addito fratre singulari viro: ita vt de familia tam sancta & tam nobili saltem pauca referantur. Studiose in medio fœminas posui ad ludibrium Gallieni; quo nihil prodigiosius passa est respubl. Rom. duos etiam nunc tyrannos, quasi extra numerum (quod alieni essent temporis) additurus: vnom, qui fuit Maximini temporibus; alterum, qui Claudij: vt tyrannorum triginta viri hoc volumine tenerentur. Quæso qui expletum iam librum acceperas, boni consulas, atque hos volumini tuo volens addas: quos ego, quemadmodum Valentem superiorem huic Volumini, sic post Claudium & Aurelianum his qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaueram. Sed errorem meum maior historię diligentia tuæ eruditionis aperuit. Habeo igitur gratiam quod titulũ meum prudentiæ tuæ benignitas impleuit. Nemo in templo Pacis dicturus est me fœminas inter tyrannos, cum risu & ioco, tyrannas videlicet & tyrannides, vt ipsi de me solent iactare posuisse. Habent integrum numerum ex arcanis historiæ in meas litteras datum. Titus enim & Censorinus, quorum vnus, vt dixi sub Maximino, alter sub Claudio fuit, ambo ab iisdem militibus, à quibus purpura velati fuerant, interempti sunt.

TITVS, XXIX.

DOcet Dexippus, nec Herodianus tacet, omnésque qui talia legenda posteris tradiderunt, Titum tribunum Maurorum, qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat, timore violentę mortis, vt alij dicunt, inuitum vero, & à militibus coactum, vt plerique asserunt, imperasse. Atque hunc intra paucos dies post vindicatam defectionem, quam consularis vir Magnus Maximino parauerat, à suis militibus interemptum. Imperasse autem mensibus sex. Fuit hic vir de primis erga rempubl. domi forísque laudabilis: sed imperio parum felix. Alij dicunt, ab Armeniis sagittariis, quos Maximinus vt Alexandrinos & oderat & offenderat, principem factum. Nec mireris tantam

tantã esse varietatem de homine, cuius vix nomẽ agnoscitur. Huius vxor Calphurnia fuit, sancta & venerabilis fœmina, de genere Censoriootum, id est Pisonum; quam maiores nostri vniuiriam sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt: cuius statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam. Hæc vniones Cleopatranas habuisse perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti; cuius plerique poëtæ meminerunt; in qua maiorum eius expressa ostenditur historia. Longius mihi videor processisse quam res postulabat: sed quid faciam? omnis sciẽtia naturæ facilitate verbosa est. Quare ad Censorinum reuertar, hominem nobilem; sed qui non tam bono quam malo reipublicæ septem diebus dicitur imperasse.

CENSORINVS, XXX.

Censorinus, vir plane militaris, & antiquæ in curia dignitatis, bis consul, bis præfectus prętorij, ter præfectus vrbi, quarto proconsul, tertio consularis, legatus prætorius, secundo, quarto ædilitius, tertio quæstorius extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica. Post omnes tamen honores, quum in agro suo de A geret senex, atque vno pede claudicans vulnere quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, factus est Imperator, & scurrarũ ioco CLAVDIVS appellatus est. Quumque se grauissime gereret, neque à militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est. Exstat eius sepulcrum, in quo grandibus litteris circa Bononiam incisi sunt omnes eius honores; vltimo tamen versu adB scripto, FELIX AD OMNIA, INFELICISSIMVS IMPERATOR. Exstat eius familia, Censorinorum nomine frequentata: cuius pars Thracias odio rerum Romanarum, pars Bithiniam petiit. Exstat etiam domus pulcherrima adiuncta gentibus Flauiis, quę quondam Titi principis fuisse perhibetur.

Habes integrum numerum triginta tyrannorum, qui cum maleuolis quidem, sed bono animo caussaberis. Da nunc cui vis libellum, non tam diC serte quam fideliter scriptum. Neque ego eloquẽtiam videor pollicitus esse, sed rem: qui hos libellos quos de vita principum edidi, non scribo, sed dicto: & dicto cum ea festinatione quam, si quid vel ipse promisero, vel tu petieris, sic perurges vt respirandi non habeam facultatem.

TREBELLII POLLIONIS

DIVVS CLAVDIVS.

Feliciter ventum est ad principem, Claudium, qui nobis intuitu Constantij Cæsaris cum cura in litteris digerendus est. De quo ego idcirco recusare non potui, quod alios, tumultuarios videlicet Imperatores ac regulos, scripseram eo libro quem De triginta tyrannis edidi: qui Cleopatranam etiam stirpem, & Victorianam, & quæ nunc est, detinet. Siquidem eo res processit, vt mulierum etiam vitas scribi Gallieni comparatio effecerit. Neque enim fas erat eum tacere principem qui tantam generis prolem, qui bellũ Gothicum sua virtute confecit, qui manum publicis cladibus victor imposuit, qui Gallienum prodigiosum Imperatorem, etiamsi non auctor consilij fuit, tamen ipse imperaturus, bono generis humani, à gubernaculis publicis depulit: qui si diutius in hac esset commoratus republica, Scipiones bonos & Camillos, omnesque illos veteres, suis virtutibus, suis consiliis, sua prouidentia reddidisset. Breue illius in imperio fuit tempus: sed breue fuisset etiam si, quantum hominum vita suppetit, tantum vir talis imperare potuisset. Quid enim in illo non mirabile? quid non cõspicuum? quid non triumphalibus vetustissimis præferendum? In quo Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum principum bona sic fuerunt, vt non ab aliis exemplum caperet, sed etiam si illi non fuissent, hic ceteris reliquisset exemplum. Doctissimi mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque amplius cuiquam iactitant esse concessum, etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, cxxv. annos vixisse: qui cum quereretur quod iuuenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum. Quare etiam D si c. & xxv. annos Claudius vixisset, necessariã quidẽ mortem eius exspectãdam fuisse, vt Tullius de Scipione loquitur pro Milone, stupẽda & mirabilis docet vita. Quid enim magnũ vir ille domi forisque non habuit? Amauit parentes. Quid mirũ? Amauit & fratres: iam potest dignũ esse miraculo. Amauit propinquos: res nostris tẽporibus comparanda miraculo. Inuidit nulli, malos persequutus est. Fures iudices palã aperteque dãnauit. Stultis, quasi negligeret, indulsit. Leges optimas dedit. TaE lis in rep. fuit, vt eius stirpẽ ad imperium summi principes eligerent, emendatior senatus optaret. In gratiã me quispiã putet Constantij Cæsaris loqui: sed testis est & tua conscientia, & vita mea, nihil vmquam cogitasse, dixisse, fecisse gratiosum. Claudiũ principẽ loquor; cuius vita, probitas, & omnia quę in rep. gessit, tantã posteris famã dedere, vt senatus populusq; Rom. nouis eũ honoribus post mortẽ affecerit. Illi clypeus aureus, vel (vt grãmatici loquũtur) clypeũ aureũ, senatus totius iudicio in Rom. curia collocatũ est, vt etiam nunc F videtur. Expressa thorace vultus eius imago. Illi (quod nulli antea) pop. Rom. sũptu suo in Capitolio ante Iouis optimi maximi templũ, statuã aureã decem pedũ collocauit. Illi totius orbis iudicio in rostris posita est colũna, cũ palmata statua superfixa, librarũ argẽti mille quingẽtarũ. Ille, velut futurorũ memor, gẽtes Flauias, quę Vespasiani & Titi, nolo autẽ dicere Domitiani, fuerãt, propagauit. Ille bellũ Gothicũ breui tẽpore impleuit. Adulator igitur senatus, adulator pop. Rom. adulatrices exG terę gẽtes, adulatrices prouincię: siquidẽ omnes ordines, omnis ætas, omnis ciuitas, statuis, vexillis, corõnis, fanis, arcubus bonum principem, aris ac templis honorauerunt. Interest eorum qui bonos imitantur principes, & totius orbis humani

interest, cognoscere quæ de illo viro senatuscon-sulta sunt condita; vt omnes iudicium publicæ mentis agnoscant. Nam quum esset nuntiatum nono Calendas Apriles ipso in sacrario Matris sanguinis die Claudium Imperatorem factum, neque cogi senatus factorum celebrandorũ caussa posset; sumptis togis itum est ad Apollinis templum, ac lectis litteris Claudij principis, hæc in Claudium dicta sunt; *Auguste Claudi, dij te nobis præstent*: (dictum sexagies) *Claudi Auguste, principem te, aut qualis tu es, semper optauimus*: (dictum quadragies) *Claudi Auguste, te respublica requirebat*; (dictum quadragies) *Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus senator, tu vere princeps*: (dictũ octuagies) *Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica*: (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Palmyrenis vindica*: (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Zenobia & à Victoria libera*: (dictum septies) *Claudi Auguste, Tetricus nihil fuit*. dictum septies. Qui primũ vt factus est Imperator, Aureolum, qui grauior reipublicæ fuerat, quod multum Gallieno placebat, conflictu habito, à reipublicæ gubernaculis depulit, tyrannumque missis ad populum edictis, datis etiam ad senatum orationibus, iudicauit. His accedit, quod arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, Imperator grauis & seuerus non audiuit, responso tali repudiatũ, *Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat & timere*. Denique iudicio militum apud Mediolanum Aureolus dignum exitum vitæ ac moribus suis habuit: & hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, & ridicule quidem. Nam Gallus Antipater, ancillariorũ & historicorũ dehonestamẽtũ, principium de Aureolo sic habuit; *Venimus ad Imperatorem nominis sui, Magna eius videlicet virtus, ab auro nomen accipere*. At ego scio, sæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus hoc nomẽ appositum. Habuit proxime tuus libellus muneratius hoc nomẽ in indice ludorũ. Sed redeamus ad Claudium. Nam, vt superius diximus, illi Gotthi qui euaserant eo tempore quo illos Macrianus est persequutus, quosque Claudius euitti non siuerat, ne quid fieret quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitauerunt prædas. Denique Scytharum diuersi populi, Peucini, Trutũgi, Austrogotthi, Virtingui, Sigipedes, Celtę etiã & Heruli, prædæ cupiditate in Romanũ solũ & rempublicam venerunt, atque illic pleraque vastarunt, dum aliis occupatus est Claudius, dumque se ad id bellum quod confecit, Imperatorie instruit. vt videantur fata Romana boni principis occupatione lentata: sed credo, vt Claudij gloria accresceret, eiusque fieret gloriosior toto penitus orbe victoria. Armatarum denique gentiũ trecenta viginti millia tunc fuere. Dicat nunc qui nos adulationis accusat. Claudium minus esse amabilem. Armatorum trecenta viginti millia. Quis tandem Xerxes hoc habuit? quæ fabella istũ numerũ effinxit? quis poëta composuit? Trecenta viginti millia armatorum fuerunt. Adde seruos, adde familias; adde carraginem & epota flumina consumptasque siluas. Laborasse denique terram ipsam, quæ tantum barbarici tumoris excepit; terram puto. Exstat ipsius epistola missa ad senatum, legenda ad populum, qua indicat de numero barbarorum: quæ talis est: *Senatui P. Q. Rom. Claudius princeps* (hanc autem ipse dictasse perhibetur: ego verba magistri memoriæ non requiro) *P.C. mirantes audite quod verum est: CCCXX. millia barbarorum in Romanum solum armati venerunt: hæc si vicero, vos vicem reddite meritis: si non vicero, scitote me post Gallienum velle pugnare. Fatigata est tota respublica. Pugnabimus post Valerianum, post Ingenuum, post Regillianum, post Lollianum, post Posthumum, post Celsum, post mille alios qui contemptu Gallieni principis à republica defecerunt. Non scuta, non spathæ, non pila iam supersunt. Gallias & Hispanias, vires reipublicæ, Tetricus tenet, & omnes sagittarios (quod pudet dicere) Zenobia possidet. Quidquid fecerimus, satis grande est.* Hos igitur Claudius ingenita illa virtute superauit: hos breui tempore attriuit. De his vix aliquos ad patrium solum redire permisit. Rogo quantum pretium est clypeus in curia tantæ victoriæ; quantum vna aurea statua. Dicit Ennius de Scipione. *Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quæ res tuas gestas loquatur?* Possumus dicere, Flauium Claudium, vnicum in terris principem, non columnis, non statuis, sed famæ viribus adiuuari. Habuerunt præterea duo millia nauium, duplicem scilicet numerum quam illum quo tota pariter Græcia, omnisque Thessalia, vrbes etiam Asiæ quondam expugnare conata est. Sed illud poëticus stilus fingit, hoc vera continet historia. Claudio igitur scriptores adulamur, qui duo millia nauium barbarum, & trecenta viginti millia armatorum deleuit, oppressit, attriuit: qui carraginem tantam quantam numerus hic armatorum sibimet aptare potuit & parare, nunc incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano seruitio deputauit; vt docet eiusdem epistola quam ad Iunium Brocchum scripsit, Illyricum tuentem. *Claudius Broccho. Deleuimus CCCXX. millia Gotthorum, II. millia nauium mersimus. Tecta sunt flumina scutis, spathis & lanceolis omnia litora operiuntur. Campi ossibus latent tecti, nullum iter purum est, ingens carrago deserta est. Tantum mulierum cepimus, vt binas & ternas mulieres victor sibi miles possit adiungere.* Et vtinam Gallienum non esset passa respublica vtinam sexcentos tyrannos non pertulisset. Saluis militibus quos prælia sustulerunt; saluis legionibus quas Gallienus male victor occidit, quantum esset additum reip. Siquidem nunc verba naufragij publici colligit nostra diligentia ad Rom. reip. decus. Pugnatum est enim apud Mœsios, & multa prœlia fuerunt apud Marcianopolin, multi naufragio perierũt, plerique capti reges. captæ diuersarũ gentiũ nobiles fœminæ: impletæ barbaris seruis, senibusque cultoribus Romanæ prouinciæ. Factus miles barbarus & colonus ex Gottho. Nec vlla fuit regio quæ Gotthum seruum triumphali quodam seruitio non haberet. Quid boum barbarorum nostri videre maiores? quid ouium? quid equarum quas fama nobilitat Celticarum? Hoc totum ad Claudij gloriam pertinet. Claudius & securitate remp. & opulentiæ nimietate donauit. Pugnatum præterea est apud Bizantios, ipsis qui superfuerant Bizantiis fortiter facientibus. Pugnatũ apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari. Pugnatum in diuersis regionibus: & vbique auspiciis Claudianis victi sunt Gotthi: prorsus vt iam tunc Constantio Cæsari nepoti futuro videretur Claudius securam parare rempubl. Et bene venit in mentem: exprimenda est sors quæ Claudio data esse per-

prchibetur,eo magis, vt intelligant omnes genus Claudij ad felicitatem reipublicæ diuinitus constitutum. Nam quum consuleret factus Imperator,quamdiu imperaturus esset,sors talis emersit; *Tu qui nunc patrias gubernas oras, Et mundum regis,arbiter deorum:In veteres tuis nouellis. Regnabunt etenim tui minores, Et reges facient suos minores.* Item quum in Apennino de se consuleret, responsum huiusmodi accepit : *Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.* Item quum de posteris suis ; *His ego nec metas rerum nec tempora pono.* Item quum de fratre Quintillo, quem consortem habere volebat imperij,responsum est ; *Ostendent terris hunc tantum fata.* Quæ idcirco posui,vt sit omnibus clarum,Constantium diuini generis virum,sanctissimum decerni Cæsarem, & Augustæ ipsum familiæ esse , & Augustos multos de se daturum , saluis Diocletiano & Maximiano Augustis , & eius fratre Galerio. Sed dum hæc à diuo Claudio aguntur , Palmyreni , ducibus Sabba & Timogene , contra Ægyptios bellum sumunt;atque ab his Ægyptia peruicacia & indefessa pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Ægyptiorum Probatus,Timogenis insidiis interemptus est.Ægyptij vero omnes se Rom. Imper. dediderunt,in absentis Claudij verba iurantes. Atticiano & Orphito coss. auspicia Claudiana fauor diuinus adiuuit. Nam quum se in Hæmi montem multitudo barbararum gentium quæ superfuerant,contulisset , illic ita fame ac pestilentia laborarunt, vt iam Claudius dedignaretur & vincere. Denique finitum est asperrimum bellum , terroresque Romani nominis sunt depulsi. Vera dici fides cogit ; simul vt sciant hi qui adulatores nos existimari cupiunt,id quod historia dici postulat,non tacere. Eo tempore quo parta est plena victoria , plerique milites Claudij secundis rebus elati , quæ sapientium quoque animos fatigant, ita in prædam versi sunt , vt non cogitarent à paucissimis se posse fatigari , dum occupati animo atque corporibus , auertendis prædis inseruiunt. Denique in ipsa victoria prope duo millia militum à paucis barbaris, & iis qui fugerant,interempti sunt. Sed vbi hoc comperit Claudius,omnes qui rebelles animos extulerant , conducto exercitu rapit , atque in vincula Romam etiam mittit ludo publico deputandos. ita id quod vel fortuna vel miles egerat , virtute boni principis æquatum est.Nec sola de hoste victoria,sed etiam vindicta præsumpta est. In quo bello quod gestum est,equitum Damaltarum ingens exstitit virtus , quod originem ex ea prouincia Claudius videbatur ostendere;quamuis alij Dardanum , & ab Ilio Troianorum atque ipso Dardano sanguinem dicerent trahere. Fuerunt per ea tempora & apud Cretam Scythæ,& Cyprum vastare tentarunt:sed vbique morbo exercitu laborante , superati sunt. Finito sane bello Gotthico , grauissimus morbus increbuit ; tunc quum etiam Claudius affectus morbo,mortales reliquit , & familiare virtutibus suis petiit cælum. Quo ad deos atque ad sidera demigrante , QVINTILLVS frater eiusdem , vir sanctus,& sui fratris(vt vere dixerim)frater,delatum sibi omnium iudicio suscepit imperium,non hereditarium,sed merito virtutum:qui factus esset Imperator , etiamsi frater Claudij principis non fuisset.Sub hoc barbari qui superfuerant,Anchialo vastata , conati sunt Nicopolim etiam obtinere. Sed illi prouincialium virtute obtriti sunt.

A Quintillus autem,ob breuitatem temporis , nihil dignum imperio gerere potuit. Nam septimadecima die , quod se grauem & serium contra milites ostenderat, ac verum principem pollicebatur, eo genere quo Galba , quo Pertinax, interemptus est. Et Dexippus quidem Claudium non dicit occisũ,sed tãtũ mortuũ : nec tamẽ addidit morbo.vt dubiũ sentire videatur.Quoniam res bellicas diximus,de Claudij genere & familia saltẽ pauca dicẽ-
B da sũt,ne ea quę dicẽda sunt prætermisse videamur. Claudius,Quintillus,& Crisp⁹,fratres fuerũt.Crispi filia,Claudia:ex ea & Eutropio,nobilissimo gẽtis Dardanæ viro, Constantius Cæsar est genitus. Fuerunt etiam sorores;quarum vna,Constantina nomine,nupta tribuno Assyriorum,in primis annis defecit. De auis nobis parum cognitum,varia enim plerique prodiderunt. Ipse Claudius insignis morum grauitate , insignis vita singulari & voica castimonia ; vini parcus , ad cibum prom-
C ptus, statura procerus , oculis ardentibus , lato & pleno vultu , digitis vsque adeo fortibus , vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Fecerat hoc etiam adolescens in militia,quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus ei qui non balteum sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes vno pugnu excussit.Quę res indulgentiam meruit pudore vindictæ : siquidem tunc Decius Imperator,quo præsente fuerat perpetratum,& virtutem
D & verecundiam Claudij publice prædicauit. donatumq; armillis & torquibus, à militũ congressu facessere præcepit,nequid atrocius quam luctamen exigit faceret. Ipsi Caudio liberi nulli fuerunt : Quintillus duos reliquit : Crispus,(vt diximus)filiam.Nũc ad iudicia principum veniamus, quæ de illo à diuersis edita sunt : & eatenus quidem,vt appareret quandoque Claudium Imperatorem futurum. Epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriæ. *Claudium Illyriciana*
E *gentis virum , tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus , virum deuotissimis quibusque ac fortissimis veterum praferendum. Huic salarium de nostro priuato ærario dabis,annuos frumenti modios tria millia,hordei sex millia,lardi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos,olei boni sextarios cẽtũ quinquaginta,olei secũdi sextarios sexcentos,salis modios viginti,ceræ põdo centũ quinquaginta,fœni,paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est: pellium tentoriarum decurias triginta:*
F *mulos annuos sex,equos annuos tres,camelos annuas decem,mulas annuas nouem : argenti in opere annua pondo quinquaginta;Philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta , & in strenis quadraginta septem,& trientes centum sexaginta. Item in caucos & scyphos pondo vndecim:item in caucos & scyphos & Zuma pondo vndecim. Tunicas russas militares annuas , sagochlamydes annuas duas , fibulas argenteas inauratas duas , fibulam auream cum a-*
G *cum Cypream vnam : balteum argenteum inauratum vnum , annulum bigemmeum vncialem, brachialem vnum vnciarum septem , torquem libralem vnum : cassidem inauratam vnam , scuta chrysographata duo , loricam vnam , quam refundat, lanceas Herculianas duas , aclides duas , falces duas,falces fœnarias quatuor. Cocum quem refundat , vnum : mulionem , quem refundat , vnum: mulieres speciosas ex captiuis duas. Albam subsericã vnã cũ purpura succubitana:subarmale vnum cũ purpura Maura. Notariũ quẽ refundat,vnũ:structorem,*

A *quem refundat, vnum. Accubitalium Cypriorũ paria duo: interulas puras: togam, quam refundat, vnam: latum clauum, quem refundat, vnũ. Venatores qui obsequantur, duos: carpentariũ vnũ; curã pratorij vnũ; aquarium vnũ; piscatorem vnum: dulciarium vnum. Ligni quotidiani pondò mille, si est copia: sin minus, quantum fuerit, & vbi fuerit: coctilium quotidiana batilla quatuor. Balneatorem vnum, & ad balneas ligna: sin minus, lauetur in publico. Iam cetera qua propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione prastabis, sed ita vt nihil adderetur.* B *Et si alicubi aliquid defuerit, non pretium, nec in nummo exigatur. Hac autem omnia idcirco specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci detuli; quia vir talis est vt ei plura etiam deferenda sint.* Item ex epistola eiusdem alia inter cætera ad Ablauium Murænã præfectum prætorij: *Desine autem conqueri quod adhuc Claudius est tribunus, nec exercitus ducem loco accipit: vnde etiam senatum & populum conqueri iactabas, dux factus est, & dux totius Illyrici. habet* C *in potestatem Thracias, Mœsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus: vir ille summus nostro quoque iudicio speret consulatum, si eius animo accommodum est: quando voluerit, accipiat pratorianam. accipiat prafecturam. Sane scias tantum ei à nobis decretum salarij, quantum habet Ægypti prafectura, tantum vestium quantum proconsulatus Africano detulimus: tantum argenti quantum accipit curator Illyrici Metatius, tantum ministeriorum quantum nos ipsi nobis per singulas quasque decernimus ciuitates:* D *vt intelligant omnes qua sit nostra de viro tali sententia.* Item epistola Decij de eodem Claudio; *Decius Messala prasidi Achaia salutem.* inter cetera; *Tribunum vero Claudium, optimum iuuenem, fortissimum militem, constantissimum ciuem, castris, senatui & reipublica necessarium, in Thermopylas ire pracepimus, mandata eidem cura Peloponnensium, scientes neminem melius omnia qua iniungimus, esse curaturum. Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex cataphractariis centum, ex equitibus* E *c. & sexaginta, ex sagittariis Creticis sexaginta, ex tironibus bene armatos mille. Nam bene illi noui creduntur exercitus. Neque enim illo quisquam deuotior, fortior, grauior inuenitur.* Item epistola Galli[e]ni, quum nuntiatum esset per frumentarios Claudium irasci quod ille mollius viueret: *Nihil me grauius accepit quam quod notoria tua intimasti, Claudium parentem amicumque nostrum, insinuatis sibi falsis plerisque, grauiter irasci. Quaso igitur mi Venuste, si mihi fidem exhibes, vt eum facias à Grato & Herenniano placari, nescientibus hoc militibus Dacisianis, qui iam sauiunt, ne grauiter ferant. Ipse ad eum dona misi: qua vt libenter accipiat, tu facias. Curandum praterea est ne me hoc scire intelligat, ac sibi succensere iudicet, & pro necessitate vltimum cõsilium capiat. Misi autem ad eum pateras gemmatas trilibres duas: scyphos aureos gemmatos trilibres duos: discum corymbiatum argenteum librarum viginti: lancem argenteam pampinatam librarum triginta: patinam argenteam hederatam librarum xx. & III. boletaro halieuticum argenteum librarum xx. vrceos duos auro inclusos argenteos librarum sex, & in vasis minoribus argenti libras xxv. calices Ægyptios, operisque diuersi, decem. Chlamydes veri luminis limbatas duas: vestes diuersas xvi. albam subsericam paragaudem triuncem vnam, Zanchas de nostris Parthicis paria tria: singiliones Dalmatenses x. chlamydem Dardanicam mantuelem vnam: penulam Illyricianam vnam: bardocucullum vnum: cucutia villosa duo: oraria Sarabadena quatuor: aureos Valerianos CL. trientes Saloninianos* CCC. Habuit & senatus iudicia, priusquam ad imperium perueniret, ingentia. Nam quum esset nũtiatum illum cum Macriano fortiter contra gentes in Illyrico dimicasse, acclamauit senatus; *Claudi dux fortissime, habeas virtutibus tuis, deuotioni tua. Claudio statuam omnes dicamus: Claudium consulem omnes cupimus. Qui amat rempublicam, sic agit: qui amat principes, sic agit: antiqui milites sic egerunt. Felicem te Claudi iudicio principum, felicem te virtutibus tuis, consulem te, te prafectum. Viuas Valerie, ameris à principe.* Longum est tam multa quam meruit vir ille, perscribere: vnum tamen tacere non debeo, quod illum & senatus & populus, ante imperium, & in imperio, & post imperium, sic dilexit, vt satis cõstet, neque Traianum, neque Antoninos, neque quemquam alium principem sic amatum.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

DIVVS AVRELIANVS.

Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici impletis solennibus, vehiculo suo me & iudiciali carpento præf. vrbis vir illustris ac præfata reuerentia nominandus, Iunius Tiberianus accepit. Ibi quũ animus à caussis atque à negotiis publicis solutus ac liber vacaret, sermonem multum à palatio vsque ad hortos Valerianos instituit: & in ipso præcipue de vita principum. Quumque ad templum Solis venissemus, ab Aureliano principe consecratum, quod ipse non nihilum ex eius origine sanguinem duceret, quæsiuit à me quis vitam eius in litteras retulisset. Cui ego quum respondissem, neminem à me Latinorum, Græcorum aliquos lectitatos, dolorem gemitus sui vir sanctus per hæc verba profudit; *Ergo Thersitem, Sinonem, ceteraque* F *illa prodigia vetustatis, & nos bene scimus, & posteri frequentabunt: diuum Aurelianum, clarissimum principem seuerissimum imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis est restitutus, posteri nescient? Deus auertat hanc amentiam. Et tamen, si bene noui, ephemeridas illius viri scriptas habemus, etiam bella charactere historico digesta: qua velim accipias, & per ordinem scribas, additis qua ad vitam pertinent. qua* G *omnia ex libris linteis, in quibus ipse quotidiana sua scribi praceperat, pro tua sedulitate condisces. Curabo autem vt tibi ex Vlpia bibliotheca & libri lintei proferantur. Tu velim Aurelianum, ita vt est, quatenus potes, in litteras mittas.* Parui ipse quidem præceptis: accepi libros Græcos, & omnia mihi necessaria in manum sumpsi:

ex

ex quibus & quæ digna erant memoratu, in vnum libellum contuli. Tu velim meum munus boni consulas: &, si hoc contentus non fueris, lectites Grecos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca quum volueris, ministrabit. Et quoniam sermo nobis de Trebellio Pollione, qui a duobus Philippis vsque ad diuũ Claudium, & eius fratrem Quintillum, Imperatores tam claros quàm obscuros memoriæ prodidit, in eodem vehiculo fuit, asserente Tiberiano quod Pollio multa incuriosè, multa breuiter prodidisset: me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; prodente quinetiam in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur: pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens iucundam, Præterea, *Scribe*, inquit, *vt libet: securus, quod velis, dicas: habituri mendaciorum comites, quos historica eloquentia miramur auctores.* Ac ne multa & friuola proœmiis odiosis intexam, diuus Aurelianus, ortus, vt plures loquuntur, Sirmij, familia obscuriore: vt nonnulli, Dacia ripensi. Ego autem legisse me memini auctorem qui eum Mœsia genitum prædicaret. Et euenit quidem vt de eorum virorum genitali solo nesciatur qui humiliori loco nati plerique solum genitale contingunt, vt dent posteritati de locorum splendore fulgorem. *Nec tamen magnorum principum virtutibus summa sciendi est, vbi quisque sit genitus, sed qualis in respub. fuerit.* An Platonem magis commendat quod Atheniensis fuerit, quam quod vnicum sapientiæ munus illuxerit? An eo minores inueniuntur Aristoteles Stagirita, Eleatesque Zenon, aut Anacharsis Scytha; quod in minimis nati sunt viculis, quum illos ad cęlum omnis philosophiæ virtus extulerit? Atque vt ad ordinem redeam; Aurelianus modicis ortus parentibus, à prima ætate ingenio viuacissimus, viribus clarus, nullum vmquam diem prætermisit, quamuis festum, quamuis vacantem, quo non se pilo & sagittis ceterisque armorum exerceret officiis. Matrem quidem eius Callicrates Tyrius, Græcorum longe doctissimus scriptor, sacerdotem templi Solis, in eo vico in quo habitabant parentes, fuisse dicit. Habuisse quinetiam non nihilũ diuinationis; adeo vt aliquando marito suo iurgans ingesserit, quum eius & stultitiam increparet & vilitatem, *En Imperatoris patrem.* ex quo constat illam mulierem scisse fatalia. Idem dicit, auspicia imperij Aureliano hæc fuisse: Primum, pueri eius peluem serpentem plerumque cinxisse, neque vmquam occidi potuisse: postremo ipsam matrem, quæ hoc viderat, serpentem quasi familiarem occidere noluisse. His accedit quod ex palliolo purpureo, quod Soli sui temporis Imperator obtulerat, sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur. Addit etiam illud, quod vinctum fasciola Aurelianum aquila innoxie de cunis leuauerit, & in aram posuerit, quæ iuxta sacellum forte sine ignibus erat. Idem auctor est, vitulum matri eius natũ miræ magnitudinis, candidum; sed purpurantibus maculis; ita vt haberet in latere vno auem, in alio coronam. Multa superflua in eodem legisse memini: quippe qui asseuerat etiam rosas in eiusdem mulieris cohorte, nato Aureliano, exisse purpureas, odoris rosei, floris aurei. Fuerunt & postea multa omina iam militanti futuri (vt res monstrauit) imperij. Nam ingredien-

A te eo Antiochiam in vehiculo, quod præ vulnere tunc equo sedere non posset, ita pallium purpureum, quod in honorem eius expansum fuerat, decidit, vt humeros eius tegeret. Et quum in equum transire vellet, quia inuidiosum tunc erat vehiculis in ciuitate vti; equus est ei Imperatoris applicitus: cui per festinationem insedit: sed vbi comperit, semet ad suum transtulit. Data est ei prætereà, quum legatus ad Persas isset, patera qualis solet

B Imperatoribus dari à rege Persarum; in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur in eo templo in quo mater eius fuerat sacerdos. Donatus eidem etiam elephantus præcipuus, quem ille Imperatori obtulit: solusque omnium priuatus Aurelianus elephanti dominus fuit. Sed vt hæc & talia omittamus, fuit decorus, & gratia viriliter speciosus: statura procerior, neruis validissimis, vini & cibi paulo cupidior; libidinis raræ, seueritatis immensæ, disciplinæ singularis, gladij exercen-

C di cupidus. Nam quum essent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic & alius qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus apposuerat *manu ad ferrum*; vt si forte quæreretur quis Aurelianus aliquid vel fecisset vel gessisset, suggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum*, atque cognosceretur. Priuati huius multa exstãt egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiariis solus attriuit. Refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico vno die quadraginta & octo

D interfecisse: plurimis autem & diuersis diebus, vltra nongentos quinquaginta: adeo vt etiam ballistea pueri & saltatiunculas in Aurelianũ tales cõponerẽt, quib. diebus festis militariter saltitarẽt; *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollauimus; Vnus homo mille, mille, mille, mille decollauimus. Mille, mille, mille viuat, qui mille mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Hæc video esse perfriuola: sed quia supra scriptus auctor ita eadem vt sunt Latine, suis scriptis inseruit, ta-

E cenda esse non credidi. Idem apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, quum vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, vt trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Vnde iterum de eo facta est cantilena; *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus: Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Hic autem, vt supra diximus, militibus ita timori fuit, vt sub eo, posteaquam se-

F mel cum ingẽti seueritate castrensia peccata correxit, nemo peccauerit. Solus denique omnium, militem qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret; easdemque subito dimitteret; vt scissus ille vtrimque penderet. quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Huius epistola militaris est ad vicarium suum data huiusmodi; *Si vis tribunus esse, immò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pul-*

G *lum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat; segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit: de præda hostis, non de lacrymis prouincialium, habeat. Arma tersa sint: ferramenta samiata, calciamẽta fortia. Vestis noua vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialẽ & annulum apponat: equum saginariũ suum defricet, capitum animal non vendat; mulum centuriatum communiter curet. Alter alteri quasi seruus obsequatur: à*

medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent: in ho-
spitiis caste se agant. qui litem fecerit, vapulet. Inue-
ni nuper in Vlpia bibliotheca inter linteos libros
epistolam diui Valeriani de Aureliano principe
scriptam: quam ad verbum, vt decebat, inserui.
Valerianus Augustus Antonino Gallo consuli. Culpas
me familiaribus litteris quod Posthumo filium meum
Gallienum magis quam Aureliano commiserim:
quum vtique seuerior & puer credendus fuerit &
B *exercitus: nec tu id diutius iudicabis, si bene scieris*
quantæ sit Aurelianus seueritatis. Nimius est, mul-
tus est, grauis est, & ad nostra iam non facit tempo-
ra. Testor autem omnes deos, me etiam timuisse ne
quid etiam erga filium meum seuerius, siquid ille
fecisset, vt est natura pronus ad ludicra, seuius
cogitaret. Hęc epistola indicat quantæ fuerit seue-
ritatis: vt illum Valerianus etiam timuisse se di-
cat. Eiusdem Valeriani alia est epistola quæ lau-
des illius continet: quam ego ex scriniis præfe-
C cturæ vrbanæ protuli. Nam illi Romam venienti
salaria sui ordinis sunt decreta. Exemplum episto-
læ: *Valerianus Augustus Ceionio Albino præfecto*
vrbi. Vellemus quidem singulis quibusque deuotissi-
mis reipublicæ viris multo maiora deferre compen-
dia quam eorum dignitas postulat; maxime vbi hono-
rem vita commendat. Debet enim quid præter digni-
tatem pretium esse meritorum. Sed facit rigor publi-
cus, vt accipere de prouinciarum oblationibus vltra
ordinis sui gradū nemo plus possit. Aurelianū fortissi-
D *mū virū ad inspicienda & ordināda castra omnia de-*
stinauimus: cui tantū à nobis atque ab omni republi-
ca, communi totius exercitus confessione, debetur, vt
digna illo vix aliqua vel nimis magna sint munera.
Quid enim in illo non clarum? quid non Coruinis &
Scipionibus conferendum? Ille liberator Illyrici, ille
Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli.
Et tamē nihil præterea possum addere tanto viro ad
muneris gratiam quā patitur sobria & bene gerēda
respublica. Quare sinceritas tua, mi parens carissime,
E *supradicto viro efficiet, quamdiu Romæ fuerit, panes*
militares mundos sexdecim, panes militares castren-
ses quadraginta, vini mensalis sextarios quadra-
ginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcinæ
pondo triginta, bubulæ pondo quadraginta, olei sex-
tarium vnum, & item olei secundi sextarium vnum,
liquaminis sextarium vnum, salis sextarium vnum:
herbarum, olerum quantum satis est. Sane quoniam
ei aliquid præcipue decernendum est, quamdiu Ro-
mæ fuerit, pabula extra ordinem decernes: ipsi au-
F *tem ad sumptus, aureos Antoninianos diurnos binos,*
argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris
denarios centum: reliqua per præfectos ærarij præbe-
buntur. Friuola hæc fortassis cuipiam & nimis le-
uia esse videantur: sed curiositas nihil recusat. Ha-
buit ergo multos ducatus, plurimos tribunatus,
vicarias ducum & tribunorum diuersis tempori-
bus prope quadraginta; vsque adeo vt etiam Vlpij
Criniti, qui se de Traiani genere referebat, & for-
tissimi re vera viri & Traiani simillimi, qui pictus
G est cum eodem Aureliano in templo Solis, quem
Valerianus Cęsaris loco habere instituerat, vicem
sumeret, exercitum duceret, limitem restitueret,
prædam militibus daret: Thracias bobus, equis,
mancipiis, captiuis locupletaret; manubias in Pa-
latio collocaret: quingētos seruos, duo millia vac-
carum, equas mille, ouium decem millia, caprarū
quindecim, in priuatam villam Valeriani conge-
reret. Tūc enim Vlpius Crinitus publice apud By-
zantium sedenti Valeriano in thermis egit gra-
A tias; dicens, magnum de se iudicium habitū quod
eidem vicarium Aurelianum dedisset: quare eum
statuit arrogare. Interest epistolas nosse Aureliano
scriptas, & ipsam arrogationem. *Epistola Valeria-*
ni ad Aurelianum: Si esset alius, Aureliane iucun-
dissime, qui Vlpij Criniti vicem posset implere, tecum
de eius virtute ac sedulitate conferrem: nunc tecum
requirere potuissem. Suscipe bellū à parte Nicopolis,
ne nobis ægritudo Criniti obsit. Fac quidquid potes.
B *Multa non dico: in tua erit potestate militia magi-*
sterium. Habes sagittarios Ityræos trecentos, Arme-
nios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Sara-
cenos ducentos, Mesopotamios auxiliares quadrin-
gentos: habes legionem tertiam Felicem, & equites
cataphractarios octingentos. Tecum erit Hartomun-
dus, Haldegastes, Hildemundus, Carioiscus. Com-
meatus à præfectis necessarius in omnibus castris est
constitutus. Tuum est, pro virtutibus tuis atque so-
lertia illic hiemalia & æstiua disponere, vbi tibi nihil
C *deerit: quærere præterea vbi carrago sit hostiū, & ve-*
re scire quanti qualesque sint: vt non vinum aut an-
nona consumatur, aut tela iactantur in quibus res
bellica constituta est. Ego de te tantum, Deo fauente,
spero quantum de Traiano, si viueret, posset sperare
respubl. Neque enim minor est, in cuius locum fidem-
que te legi. Consulatum cum eodem Vlpio Crinito, in
annum sequentem, à die vndecimo Calend. Ianuarum
in locum Gallieni & Valeriani, sperare te conuenit
sumptu publico. Leuanda est enim paupertas eorum
D *hominum qui diu in republica viuentes, pauperes sunt;*
& nullorum magis. His quoque litteris indicatur
quantus fuerit Aurelianus; & re vera. neque enim
quisquam aliquando ad summam rerum perue-
nit, qui non à prima ætate gradibus virtutis as-
cenderit. *Litteræ de cōsulatu. Valerianus Augustus*
Ælio Xifidio præfecto ærarij. Aureliano, cui consula-
tum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est,
cæteris maior, dabis ad editionem circensium aureos
Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minu-
E *tulos tria millia, in ære LLS. quinquagies: tunicas mul-*
ticias viriles decem, lineas Ægyptias viginti, mante-
lia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, stragula
Maura decem: porcos centum, oues centum: conuiuiū
autem publicum edi iubebis senatoribus, equitibus
Romanis. hostias maiores duas, minores quatuor. Et
quoniam etiam de arrogatione aliqua me dixe-
ram positurum quæ ad tantum principem perti-
nerent, quæso ne odiosior verbosiorve ea re vi-
dear: quam fidei caussa inserendam credidi ex li-
F bris Acholij, qui magister admissionum Valeria-
ni principis fuit; libro Actorum eius nono. Quum
consedisset Valerianus Augustus in thermis apud
Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam of-
ficio palatino, assidentibus Memmio Fusco con-
sule ordinario, Bæbio Macro præfecto prætorij,
Quinto Ancario præside orientis: assidentibus et-
iam à parte læua Auulnio Saturnino Scythici li-
mitis duce, Murētio ad Ægyptum destinato, Iulio
G Tryphone orientalis limitis duce, & Meceo Brū-
dusino præfecto annonæ orientis, & Vlpio Crini-
to duce Illyriciani limitis & Thracij, & Fuluio
Boio duce Rhætici limitis: Valerianus Augu-
stus dixit: *Gratias tibi agit Aureliane resp. quod eā*
Gothorum potestate liberasti. Abundamus per te
præda, abundamus gloria, & his omnibus quibus Ro-
mana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro reb. gestis
tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quin-
que, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas, ha-
stas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas
ducales

ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togã prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te consulem hodie designo, scripturus ad senatum vt tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à senatu, quando fit consul, accipere. Post hæc Valeriani dicta Aurelianus surrexit, atque ad manus accessit, agens gratias militaribus verbis, quæ propria & ipsa apponenda decreui. Aurelianus dixit, *Et ego Domine Valeriane Imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo & equos & cantherios meos lassaui, vt mihi gratias ageret respubl. & conscientia mea. At tu plus fecisti: ago ergo gratias bonitati tuæ, & accipio consulatum quem das. Dij faciant & deus certus Sol, vt & senatus de me sic iudicet.* Agentibus igitur gratias omnibus circumstantibus, Vlpius Crinitus surrexit, atque hac oratione vsus est, *Apud maiores nostros, Valeriane Auguste, quod & familiæ meæ amicum ac proprium fuit, ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt, vt vel senescentes familias, vel fœtus matrimoniis iam caducos, substituto fœcũditas prolis ornaret. Hoc igitur quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Adriano, quod Adrianus in Antonino, & cæteri deinceps proposita suggestione fecerunt, iam in arrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicij tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. Iube igitur vt lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum, nominis, & bonorum, totiusque iuris, Vlpio Crinito iam consulari viro, ipse ac tu Crinite iudex consularis.* Longum est cuncta pertexere. Nam & actæ sunt Crinito à Valeriano gratiæ, & adoptio, vt solebat, impleta. Memini me in quodam libro Græco legisse (quod tacendum esse non credidi) mandatum esse Crinito à Valeriano vt Aurelianus adoptaretur; idcirco præcipue quod pauper esset: sed hoc in medio relinquendum puto. Et quoniam superius epistolam posui qua sumptus Aureliano ad consulatum delatus est, quare posuerim, rem quasi friuolam, eloquendum putaui. Vidimus proxime consulatum Furij Placidi tanto ambitu in circo editum, vt non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur, quum darentur tunicæ subsericæ lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim vt iam diuitiarum sit, non hominum consulatus: quia vtique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debent. Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione popolari peritura sunt. Sed nos (vt solemus) hanc quoque rem in medio relinquimus. His igitur tot ac talibus præiudiciis muneribusque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit, vt post eum Qointillo quoque fratre eius interempto, solus teneret imperium, Aureolo interfecto, cum quo Gallienus fecerat pacem. Hoc loco tanta est diuersitas historicorum, & quidem Græcorum, vt alij dicãt, inuito Claudio ab Aureliano Aureolum interfectum, alij, mandante ac volente, alij ab Imperatore iam Aureliano eumdem occisum, alij vero adhuc priuato. Sed hæc qooque media relinquemus, ab ipsis petenda per quos in litteras missa sunt. Illud tamen constat, omne contra Mæotidas bellum diuum Claudium nulli magis quam Aureliano credidisse. Exstat epistola, quam ego (vt soleo) fidei caussa, immo vt alios annalium scriptores fecisse video, inserendam putaui. *Flauius*

A *Claudius Valerio Aureliano suo salutem. Expetit à te munus solitum nostra respubl. Aggredere, quid moraris? Tuo magisterio milites vti volo, tuo ductu tribunos. Gotthi oppugnandi sunt: Gotthi à Thraciis amouendi. Eorum enim plerique Hæmi montem Europamque vexant, qui te pugnante fugerunt. Omnes exercitus Thracios, omnes Illyricianos totumque limitem in tua potestate constituo, solitã nobis ede virtutẽ. Tecũ erit etiã frater Quintillus quũ occurrerit.* B *Ego alijs rebus occupatus, summa belli illius virtutibus tuis credo. Misi sane equos decẽ, loricas duas, & cetera, quibus munire ad bellũ euntẽ necessitas cogit.*

Secũdis igitur prœliis vsus auspiciis Claudianis, rempublicam in integrum reddidit: atque ipse statim (vt supra diximus) consensu omnium legionum factus est Imperator. Equites sane omnes ante imperium sub Claudio Aurelianus gubernauit, quum offensam magistri eorum incurrissent, quod temere Claudio non iubente pugnassent. C Item Aurelianus contra Sueuos & Sarmatas iisdem temporibus vehementissime dimicauit, ac florentissimam victoriam retulit. Accepta est sane clades sub Aureliano à Marcomanis per errorem. Nam dum is à fronte non curat occurrere, subito hostes erupere: dumque illos à dorso persequi parat, omnia circa Mediolanum grauiter euastata sunt. Postea tamen ipsi quoque Marcomani superati sunt. In illo autem timore, quo Marcomani cuncta vastabant, ingentes Romæ D seditiones motæ sunt, pauentibus cunctis ne eadẽ quæ sub Gallieno fuerant, prouenirent. quare etiã libri Sibyllini, noti beneficiis publicis, inspecti sunt: inuentumque vt in certis locis sacrificia fierent quæ barbari transire non possent. Facta denique sunt ea quæ præcepta fuerant in diuerso ceremoniarum genere: atque ita barbari restiterũt: qoos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Libet ipsius senatusconsulti formam exponere, quo libros inspici clarissimorum iussit auctoritas. E Die tertio Idus Ianuar. Fuluius Sabinus prætor vrbanus dixit, *Referimus ad vos P.C. Pontificum suggestionem, & Aureliani principis litteras, quibus iubetur vt inspiciantur fatales libri quibus spes belli terminandi sacrato deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi, quotiescumque grauior aliquis exstitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica esse finita, quam ex iis sacrificiorum processit auctoritas.* Tunc surrexit primæ sententiæ F Vlpius Syllanus, atque ita loquutus est, *Sero nimis P.C. de resp. salute consulimus, sero ad fatalia iussa respicimus, more languentium, qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt, proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura, quũ omnibus morbis occurri sit melius. Meministis enim P.C. me in hoc ordine sæpe dixisse iam tum quum primum nuntiatum est Marcomanos erupisse, consulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficiis: recusasse vero quosdam, & cum ingenti calumnia recusasse, quũ adulando dicerent, tantam principis esse* G *virtutem vt opus non sit deos consuli, proinde quasi & ipse vir magnus non deos colat, nõ de diis immortalibus speret. Quid plura? audiuimus litteras quibus rogauit opem deorum, quæ nunquam cuiquam turpis est vt vir fortissimus adiuuetur. Agite igitur pontifices, quà puri, quà mundi, quà sancti, quà vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros euoluite, fata reipubl. quæ sunt æterna, perquirite: patrimis matrimisque pueris carmen indicite: nos*

sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos aris ambarualia indicemus. Post hæc interrogati plerique senatores sententias dixerunt: quas longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est S.C. Itum deinde ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata vrbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarualia promissa: atque ita solennitas quæ iubebatur, expleta est. Est epistula Aureliani de libris Sibyllinis: nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum. *Miror vos, patres sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium, tractaretis. Agite igitur, & castimonia pontificum, cœremoniisque solennibus iuuate principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri: quæ facienda fuerint, celebrentur: quemlibet sumptum, cuiuslibet generis captiuos, qualibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est diis iuuantibus vincere: sic apud maiores nostros multa finita sunt bella, sic cœpta. Siquid est sumptuum, datis ad præfectum ærarij litteris decerni iussi. est præterea vestræ auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio quam cupio.* Quum autem Aurelianus vellet omnibus simul facta exercitus sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, vt Romanum pene solueretur imperium. Et caussa quidem huius periculi, perfidia & calliditas barbarici fuit motus. Nam quum congredi aperto marte non possent, in syluas se densissimas contulerunt, atque ita nostros vespera incumbante turbarunt. Denique nisi diuina ope post inspectionem librorum sacrificiorumque curas, monstris quibusdam speciebusque diuinis impliciti essent barbari, Romana victoria non fuisset. Finito prœlio Marcomanico, Aurelianus, vt erat natura ferocior, plenus iratum Romam petit, vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat: inciuilius denique vsus imperio, vir alias optimus seditionum auctoribus interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda, compescuit. Interfecti sunt enim nonnulli etiam nobiles senatores, quum his leue quiddam & quod contemni à mitiore principe potuisset, vel vnus, vel leuis, vel vilis testis obiceret. Quid multa? Magnum illud, & quod iam fuerat: & quod non frustra speratum, est, infamiæ tristioris, ictu contaminauit imperium. timeri cœpit princeps optimus, non amari quum alij dicerent, perfodiendum talem principem, non optandum: alij bonum quidem medicum, sed mala ratione curantem. His actis, quum videret posse fieri vt aliquid tale iterum quale sub Gallieno euenerat, proueniret, adhibito consilio senatus, muros vrbis Romæ dilatauit. Nec tamen pomœrio addidit eo tempore, sed postea. Pomœrio autem nemini principum licet addere, nisi ei qui agri barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletauerit. Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit Nero, sub quo Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ Romano nomini tributę. Transactis igitur quæ ad sectiones, atque vrbis statum & ciuilia pertinebant, contra Palmyrenos, id est contra Zenobiam, quæ filiorum nomine orientale tenebat imperium, iter flexit. Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis & in Illyrico occurrens barbaros vicit: Gotthorum quinetiam ducem Cannabam, siue Cannabaudem, cum quinque millibus hominum trans Danubium interemit. Atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit, eamque nullo certamine obtinuit. Multa eius tam præclara facta quam dicta sunt: sed omnia libro innectere nec possumus fastidij euitatione, nec volumus: sed ad intelligendos mores atque virtutem pauca libanda sunt. Nam quum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur, *Canẽ in hoc oppido nõ relinquã.* Tunc & militibus acrius incumbentibus spe prædæ, & Heraclammone quodam, timore ne inter ceteros occideretur, patriam suam prodente, ciuitas capta est. Sed Aurelianus duo statim præcipua, quod vnum seueritatem ostenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monstrauit. Nam & Heraclammonem proditorem patriæ suæ, sapiens victor occidit: & quum milites iuxta illud dictum quo canem se relicturum apud Tyaneos negaret, euersionem vrbis exposcerent, respondit iis, *Canem,* inquit, *negaui in hac vrbe me relicturũ, canes omnes occidite.* Grande principis dictum, grandius militum votum: nam dictum principis quo præda negabatur, ciuitas seruabatur, totus exercitus ita quasi ditaretur, accepit. Epistola de Heraclammone. *Aurelianus Augustus Mallio Chiloni. Occidi passus sum cuius quasi beneficio Tyanam recepi. Ego vero proditorem amare nõ potui, & libenter tuli quod eum milites occiderunt:* neque enim mihi fidem seruare potuisset qui patriæ non pepercit. *Solum denique ex omnibus qui oppugnabantur, campus accepit. Diuitem hominem negare non possum, sed cuius bona eius liberis reddidi: ne quis me caussa pecuniæ locupletem hominem occidi passum esse criminaretur.* Capta autem ciuitas est miro modo. Nam quum Heraclammon locum ostendisset aggeris naturali specie tumentem, qua posset Aurelianus occultus ascendere, ille conscendit, atque elata purpurea chlamyde, intus ciuibus, foris militibus se ostendit, & ita ciuitas capta est, quasi totus in muris Aureliani fuisset exercitus. Taceri nõ debet res quæ ad famã venerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianũ de Tyanæ ciuitatis euersione vera dixisse, vera cogitasse. verum Apollonium Tyaneũ, celeberrimæ famæ auctoritatisque sapientem, veterem philosophum, amicum verum deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum, recipienti se in tentorium, ea forma qua videtur, subito astitisse, atque hæc Latine, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse, *Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vincere.* Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, & imaginem & statuas & templum eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Hæc ego à grauibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diuiniusque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam. Ille multa vltra homines & fecit & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros qui de eius vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri fauori vsquequaque placuerit, breuiter saltem tanti viri facta in litteras mittam: non quo illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed vt

ea quæ

ea quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur. Recepta Tyana, Antiochiam, proposita omnibus impunitate, breui apud Daphnen certamine obtinuit: atque inde præceptis (quantum probatur) venerabilis viri Apollonij parens, humanior atque clementior fuit. Pugnatum est post hæc de summa rerum contra Zenobiam & Zabā eius sociam apud Emessam magno certamine. Quumque Aureliani equites fatigati iam pene discederent, ac terga darent, subito vi numinis, quod postea proditum, hortante quadam diuina forma, per pedites etiam equites restituti sunt. Fugata est Zenobia cum Zaba, & plenissime parta victoria. Recepto igitur orie̅tis statu, Emessam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus. Verum illic eam formam numinis reperit quam in bello sibi fauentem vidit. Quare & illic templa fundauit, donariis ingentibus positis, & Romæ Soli templum posuit maiore honorificentia consecratum, vt suo dicemus loco. Post hæc Palmyram iter flexit, vt ea oppugnata, laborum terminus fieret. Sed in itinere à latronibus Syris male acceptus frequenter exercitu, multa perpessus est, & in obsidione vsque ad ictum sagittæ periclitatus est. Epistola ipsius exstat ad Mucaporem missa, in qua de eius belli difficultate vltra pudorem imperialem fatetur: *Romani me modo dicunt bellum contra fœminam gerere, quasi sola mecum Zenobia & suis viribus pugnet, ac non hostium quantum si vir à me oppugnandus esset, in conscientia & timore longe deteriore. Dici non potest quantum hic sagittarum, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum: nulla pars muri est quæ non binis & ternis balistis occupata sit: ignes etiam tormentis iaciuntur. Quid plura? non quasi fœmina pugnat, quasi pœnam timēs sed credo adiuturos Rom. remp. deos, qui numquam nostris conatibus defuerunt:* Denique fatigatus ac pro malis fessus, litteras ad Zenobiam misit, deditionem illius petens, vitam promittens, quarum exemplum indidi. *Aurelianus Imperator Rom. orbis, & receptor orientis, Zenobiæ cæterisque quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis id quod meis litteris nunc iubetur: deditionem præcipio impunitate vitæ proposita, ita vt illic Zenobia cum tuis agas vitam, vbi te ex senatus amplissimi sententia collocauero. Gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos, in ærarium Rom. conferas. Palmyrenis ius suum seruabitur.* Hac epistola accepta, Zenobia superbius insolentiusque rescripsit quam eius fortuna poscebat. credo ad terrorem: nā eius quoque epistolæ exemplum indidi. *Zenobia regina orientis, Aureliano Augusto. Nemo adhuc præter te, quod poscis litteris petiit.* Virtute faciendum est quidquid in rebus bellicis est gerendum. *Deditionem meam petis: quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse quam in qualibet viuere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quæ iam speramus, pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenij. Latrones Syri exercitum tuum Aureliane vicerunt. quid igitur si illa venerit manus quæ vndique speratur? pones profecto supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperas.* Hanc epistolam Nicomachus se transtulisse in Græcū ex lingua Syrorum dicit, ab ipsa Zenobia dictatā. nam illa superior Aureliani, Græca missa est. His acceptis litteris, Aurelianus non erubuit, sed iratus est: statimque collecto exercitu ac ducibus

A suis, vndique Palmyram obsedit: neque quidquā vir fortis reliquit quod aut imperfectu videretur, aut incuratū. Nā & auxilia quæ à Persis missa fuerant, intercepit: & alas Saracenas Armeniasq; corrupit, atque ad se modo ferociter modo subtiliter transtulit: denique post multa mulierem potentissimā vicit. Victa igitur Zenobia quum fugeret camelis quas dromadas vocitant, atque ad Persas iter tenderet, equitibus missis est capta, atque in B Aureliani potestatem deducta. Victor itaque Aurelianus, totiusque iam orientis possessor, quum in vinculis Zenobiam teneret cum Persis, Armeniis, Saracenis, superbior atque insolentior, egit ea quæ ratio temporis postulabat. Tunc illæ vestes quas in templo Solis videmus, consertę gemmis, tum Persici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ quod postea nec vlla gens detulit, nec Romanus orbis vidit: de qua pauca saltem liber dicere. Meministis enim fuisse in templo Iouis C optimi maximi Capitolini, pallium breue purpureum lanestre: ad quod quum matronæ atque ipse Aurelianus iungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur ceteræ diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumptum, Aureliano dedisse perhibetur, scribens, *Sume purpuram qualis apud nos est.* Sed hoc falsum fuit. Nam postea diligentissime & Aurelianus & Probus & proxime Diocletianus, missis diligentissimis confectoribus, D requisiuerunt tale genus purpuræ, nec tamen inuenire potuerunt. Dicitur enim sandix Indica talem purpurā facere, si curetur. Sed ad incepta redeamus. Ingens tamen strepitus militum fuit omnium, Zenobiam ad pœnam poscentium. Sed Aurelianus indignum existimans mulierem interimi, occisis plerisque quibus auctoribus illa bellum mouerat, parauerat, gesserat, triumpho mulierem reseruauit, vt populi Romani oculis esset ostentui. Graue inter eos qui cæsi sunt, de E Longino philosopho fuisse perhibetur, quo illa magistro vsa esse ad Græcas litteras dicitur. quem quidē Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quod superbior illa epistola ipsius diceretur dictata consilio, quamuis Syro esset sermone contexta. Pacato igitur oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit: & quum illum *Carpicum* senatus absentem vocasset, mandasse illico fertur, *Superest P. C. vt* F *me etiam Carpisculum vocetis. Carpisculum* enim genus calciamenti esse, satis notum est: quod cognomen deforme videbatur, quum & *Gothicus*, & *Sarmaticus*, & *Armeniacus*, & *Parthicus*, & *Adiabenicus* diceretur. Rarum est vt Syri fidem seruent, immo difficile. Nam Palmyreni, qui iam victi atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europensibus occupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionem enim, quem in præsidio illic Aurelianus posuerat, cum sexcentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiæ G parantes imperium. Verum adeo Aurelianus, vt erat paratos, ex Europa reuertit: atque vrbem, quia ita merebatur, euertit. Crudelitas denique Aureliani, vel (vt quidam dicunt) seueritas, catenus exstitit, vt epistola eius feratur, confessionem immanissimi furoris ostentans: cuius hoc exemplum est. *Aurelianus Augustus Ceionio Basso. Non oportet vlterius progredi militum gladios. iam satis Palmyrenorum cæsum atque occisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes iugulauimus,*

uimus, rusticos interemimus: cui terras, cui urbem deinceps relinquemus? Parcēdum est iis qui remanserunt. Credimus enim paucos tam multorum suppliciis esse correctos. Templum sane Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiæ cum vexilliferis & draconario, cornicinibus atque lituicinibus diripuerunt, ad eam formam volo quæ fuit, reddi. Habes trecentas auri libras Zenobiæ capsulis: habes argenti mille octingenta pondo de Palmyrenorum bonis: habes gemmas regias. Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi & diis immortalibus gratissimum feceris. Ego ad senatum scribam, petens, vt mittat pontificem qui dedicet templum. Hæ litteræ vt videmus, indicant satiatam esse immanitatem principis duri. Securior denique iterum in Europam rediit: atque illic omnes qui vagabantur, hostes nota illa sua virtute contudit. Interim, res per Thracias Europamq; omnem Aureliano ingētes, agēte FIRMVS quidam exstitit, qui sibi Ægyptū sine insignibus imperij, quasi vt esset ciuitas libera, vindicauit. Ad quem continuo Aurelianus reuertit: nec illi defuit felicitas solita. Nam Ægyptum statim recepit: atque, vt erat ferox animi, cogitatione multus, vehementer irascens quod adhuc TETRICVS Gallias obtineret, occidentem petiit: atque ipso Tetrico exercitum suum prodente, quod eius scelera ferre non posset, deditas sibi legiones obtinuit. Princeps igitur totius orbis Aurelianus, pacatis per occidentem Gallis atque vndique terris, Romam iter flexit, vt de Zenobia & Tetrico, hoc est de oriente & occidente, triumphum Romanis oculis exhiberet. Non abre est cognoscere, qui fuerit Aureliani triumphus. Fuit enim speciosissimus. Currus regij tres fuerunt. In his vnus Odenati, argento, auro, gemmis operosus atque distinctus: alter, quem rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperans se vrbem Romanam cum eo visuram: quod illam non fefellit. nam cum eo vrbem ingressa est victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur regis Gotthorum: quo, vt multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus inuectus est, vt illic cæderet seruos quos cum eodem curru captos vouisse Ioui optimo maximo ferebatur. Præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ Palæstinæ diuersæ ducentæ: quas statim Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonis grauaret. tigrides quatuor, camelopardali, alces, cetera talia, per ordinem ducta: gladiatorum paria octingenta: præter captiuos gentium barbararum, Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ, cum suis quique muneribus: Gotthi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, religatis manibus captiui præcesserunt. Inter hos etiam Palmyreni, qui superfuerant principes ciuitatis. & Ægyptij ob rebellionem. Ductæ sunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat, quum multæ essent interemptæ: quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati sunt tituli, gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica galbina, braccis Gallicis ornatus, adiuncto sibi filio quem Imperatorem in Gallia nuncupauerat. Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alij sustentabant. Præferebātur coronæ omnium ciuitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ. Iam populus ipse Romanus, iam vexilla collegiorum atque castrorum, & cataphractarij milites, & opes regiæ, & omnis exercitus, & senatus, (etsi aliquanto tristior, quod senatores triumphari videbat) multum pompæ addiderant. Denique vix nona hora in Capitolium peruenit, sero autem ad palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ. Non prætermittendum videtur, quod & populus memoria tenet, & fides historica frequentauit; Aurelianum eo tempore quo proficiscebatur ad oriētem, bilibres coronas populo promisisse, si victor rediret: & quū aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset, aut vellet, coronas eum fecisse de panibus qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita vt siligineum suum quotidie toto æuo suo, & vnusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret. Nam idem Aurelianus & porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ hodieque diuiditur. Leges plurimas sanxit, & quidem salutares, sacerdotia composuit, templum Solis fundauit, & pontifices roborauit. Decreuit etiam emolumenta architectis & ministris. His gestis, ad Gallias profectus, Vindelicos obsidione barbarica liberauit: deinde ad Illyricum rediit; paratoque magno potius quam ingenti exercitu, Persis, quos eo quoque tempore quo Zenobiam superauit, gloriosissime iam vicerat, bellum indixit. Sed quum iter faceret, apud Cænophrurium, mansionem quæ est inter Heracliam & Byzantium, malitia notarij sui, & manu Mucaporis interemptus est. Et caussa occidendi eius quæ fuerit, & quemadmodum sit occisus, ne res tanta lateat, breui edisseram. Aurelianus: quod negari non potest, seuerus, truculentus, sanguinarius fuit princeps. Hic quum vsque eo seueritatem retendisset, vt & filiā sororis occideret, non in magna neque satis idonea caussa, iam primum in odium suorum venit. Incidit autē (vt se res fataliter agunt) vt Mnestheū quemdam, quem pro notario secretorum habuerat, libertum (vt quidam dicunt) suum, infensiorē sibi minando redderet, quod nescio quid de quodam suspicatus esset. Mnestheus, qui sciret Aurelianum neque frustra minari solere, neque, si minaretur, ignoscere, breue nominum conscripsit, mixtis iis quibus Aurelianus vere irascebatur, cū iis de quibus nihil asperum cogitabat, addito etiā suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ sollicitudinis: ac breue legit singulis quorum nomina continebat; addens, disposuisse Aurelianum eos omnes occidere, illos vero debere suæ vitæ, si viri sunt, subuenire. Hi quum exarsissent timore qui merebantur offensam, dolorem miscentes beneficiis atque officiis quibus Aurelianus videbatur ingratus, in supradicto loco iter facientem principem subito adorti, interemerunt. Hic finis Aureliano fuit, principi necessario magis quam bono. Quo interfecto quum esset res prodita, & sepulcrum ingens, & templum illi detulerunt ij à quibus interemptus est. Sane Mnestheus postea surrectus ad stipitem bestiis obiectus est: quod statuæ marmoreæ positæ in eodem loco vtrimque significant; vbi & in columnis diuo Aureliano statuæ constitutæ sunt. Senatus mortem eius grauiter tulit, grauius tamen populus Romanus, qui vulgo dicebat, *Aurelianum pedagogum esse senatorum*. Imperauit annis sex, minus paucis diebus: ac

bus: ac rebus magnis gestis inter diuos relatus est. Quia pertinet ad Aurelianum id quod in historia relatum est, tacere non debui. Nam multi ferunt Quintillum fratrem Claudij, quum in præsidio Italico esset, audita morte Claudij sumpsisse imperium. verum postea vbi Aurelianum comperit imperare, à toto exercitu derelictum: quumque contra eum concionaretur, nec à militibus audiretur, incisis sibimet venis die vigesimo imperij sui perijsse. Quidquid sane scelerum fuit, quidquid malæ conscientiæ, vel artium funestarum, quidquid denique factionum, Aurelianus toto penitus orbe purgauit. Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filij nomine Zenobiā, non Timolai & Herenniani, imperium tenuisse quod tenuit. Fuit sub Aureliano etiam Monetariorum bellum, Felicissimo rationali auctore: quod acerrime seuerissimeque compescuit, septē tamen millibus suorum militum interemptis: vt epistola docet missa ad Vlpium Crinitum ter cōsulem, qui eum ante adoptauerat. *Aurelianus Augustus Vlpio patri. Quasi fatale quiddam necesse, vt omnia quæcumque gessero, omnes motus ingrauescant. Ita enim seditio intramurana bellum mihi grauissimum peperit. Monetarij, auctore Felicissimo vltimo seruorum, cui procurationem fisci mandaueram, rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septē millibus Hiberorum, Riparensium & Castrianorum & Daciscorum interemptis. Vnde apparet nullam mihi à dijs immortalibus datam sine difficultate victoriam.* Tetricum triumphatum, correctorem Lucaniæ fecit, filio eius in senatu manente. Templum Solis magnificentissimum constituit: muros vrbis Romæ sic ampliauit, vt quinquaginta prope millia murorum eius ambitus teneant. Item quadruplatores ac delatores ingenti seueritate persequutus est: tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorū decreta est de exemplo Atheniensium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Fures prouinciales repetundarum ac peculatus reos, vltra militarem modum est persequutus, vt eos ingentibus supplicijs cruciatibusque puniret. In templo Solis multum auri gemmarumque cōstituit. Quum vastatum Illyricum ac Mœsiam deperditam videret, prouinciam trans Danubium Daciam à Traiano constitutam sublato exercitu & prouincialibus reliquit, desperans eam posse retineri: abductosque ex ea populos, in Mœsiam collocauit, appellauitque suam Daciam, quæ nūc duas Mœsias diuidit. Dicitur præterea huius fuisse crudelitatis, vt plerisque senatoribus simulatam ingereret factionem coniurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere. Addunt nonnulli, filium sororis, non filiam, ab eodem interfectum: plerique autem etiam filiam sororis. Quam difficile sit Imperatorem in locum boni principis legere, & senatus sanctioris grauitas probat, & exercitus prudentis auctoritas. Occiso namque seuerissimo principe, de Imperatore deligendo exercitus retulit ad senatum, idcirco quod nullum de his faciendum putabat qui tam bonum principem occiderant. Verum senatus hanc eamdem delectionem in exercitum refudit, sciens, non libenter iam milites accipere Imperatores eos quos senatus elegerit. Denique id tertio factum est: ita vt per sex menses Imperatorem Romanus orbis non habuerit, omnesque iudices

A ij permanerent quos aut senatus aut Aurelianus elegerat; nisi quod proconsulem Asiæ Falconium Probum in locum Aurelij Fusci delegit. Non iniucundum est ipsas inserere litteras quas ad senatum exercitus misit. *Felices ac fortes exercitus senatui populoque Romano. Aurelianus Imperator noster per fraudem vnius hominis, & per errorem bonorum ac malorum, interemptus est. Hunc inter deos referte sancti & domini P. C. & de vobis ali-*
B *quem, sed dignum vestro iudicio, principem mittite. Nos enim de ijs qui vel errauerunt, vel male fecerunt, imperare nobis neminem patimur.* Rescriptum est senatusconsulto. Quum die tertio nonas Febr. senatus amplissimus in curiam Pompilianam cōuenisset, Aurelius Gordianus consul dixit, *Referimus ad vos P.C. litteras exercitus felicissimi.* Quibus recitatis, Aurelianus Tacitus primæ sententiæ senator, ita loquutus est; (hic autem est qui post Aurelianum sententia omnium Imperator est
C appellatus) *Recto ordine consuluissent dij immortales, P.C. si boni principes ferro inuiolabiles exstitissent, vt longiorem ducerent vitam, neque contra eos aliqua esset potestas ijs qui neces infandas tristissima mente concipiunt. Viueret enim princeps noster Aurelianus, quo neque vtilior fuit quisquam. Respirare certe post infelicitatem Valeriani, post Gallieni mala, imperante Claudio cœperat nostra respublica: at eadem reddita fuerat Aureliano toto penitus orbe vincente. Ille nobis Gallias dedit: ille Italiam li-*
D *berauit; ille Vindelicis iugum barbaricæ seruitutis amouit. Illo vincente Illyricum restitutum est, redditæ Romanis legibus Thraciæ. Ille (proh pudor) orientem fœmineo pressum iugo in nostra iura restituit: ille Persas insultantes adhuc Valeriani nece, fudit, fugauit, oppressit. Illum Saraceni, Blemyes, Axomitæ, Bactriani, Seres, Hiberi, Albani, Armenij, populi etiam Indorum, veluti præsentem pene venerati sunt deum. Illius donis quæ à barbaris gentibus meruit, refertum est Capitolium: quindecim millia librarum*
E *auri ex eius liberalitate vnū tenet templum: omnia in vrbe fana eius micant donis. Quare P.C. vel deos ipsos iure conuenio, qui talem principem interire passi sunt, nisi forte secum eum esse maluerunt. Decerno igitur diuinos honores: id quod vos omnes existimo esse facturos. Nam de Imperatore deligendo ad eumdem exercitum censeo esse referendum. Etenim in tali genere sententiæ, nisi fiat quod dicitur, & electi periculum erit, & eligentis inuidia.* Probata est sententia Taciti: attamen quum iterum atque
F iterum mitterent, ex s.c. quod in Taciti vita dicemus, Tacitus factus est Imperator. Aurelianus filiā solam reliquit, cuius posteri etiam nunc Romæ sunt. Aurelianus namque proconsul Ciliciæ, senator optimus, sui vere iuris vitæque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, eius est nepos. Quid hoc esse dicam, tam paucos bonos extitisse principes, quum iam tot Cæsares fuerint? Nam ab Augusto in Diocletianū Maximianumque principes, quæ series purpuratorū sit, index publicus
G tenet. Sed in his optimi, ipse Augustus, Flauius Vespasianus, Titus, Cocceius Nerua, diuus Traianus, diuus Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammææ, diuus Claudius, & diuus Aurelianus. Valerianus enim, quū optimus fuerit, ab omnibus infelix apparuit. Vides (quæso) quam pauci sint principes boni. vt bene dictum sit à quodam mimico scurra Claudij huius temporibus, *In vno anulo bonos principes posse perscribi atque depingi.* At contra, quæ series

malorum? vt enim omittamus Vitellios, Caligulas, & Nerones, quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam inconditæ multitudinis fæcem? Tametsi Decios excerpere debeam, quorum & vita & mors veteribus comparanda est. Et quæritur quidem *quæ res malos principes faciat.* Iam primum nimia licentia, deinde rerum copia: amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari nõ potest) rerum publicarum ignorantia. Sed ego à patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatum, dixisse, *nihil esse difficilius quam bene imperare.* Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet à republica quos debeat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc Diocletiani verba sunt. quæ idcirco inserui, vt prudentia tua sciret nihil esse difficilius bono principe. Aurelianum quidem multi neque inter bonos, neque inter malos principes ponunt, idcirco quod ei clementia, Imperatorum dos prima, defuerit. Verconius Herennianus præf. præt. Diocletiani, teste Asclepiodoto, sæpe dicebat, Diocletianum frequenter dixisse, quum Maximiani aspetitatem reprehenderet, Aurelianum magis ducem esse debuisse quã principem. Nam eius nimia ferocitas eidem displicebat. Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano Asclepiodotus Celsino consiliario suo dixisse perhibet. sed de hoc posteri iudicabunt. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem vtrum apud eius posteros imperium permaneret: tum illas respoodisse dixit, Nullius clarius in republica nomen quam Claudij posterorum futurum. Et est quidem iam Constantius Imperator eiusdem vir sanguinis; cuius puto posteros ad eam gloriã quæ à Druidibus prænuntiata sit, peruenire. Quod idcirco ego in Aureliani vita constitui, quia hæc ipsi Aureliano consulenti responsa sunt. Vectigal ex Ægypto vrbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stuppæ, atque anabolicas species æternas constituit. Thermas in Transtiberina regione Aurelianus facere parauit hiemales, quod aquæ frigidioris copia illic deesset. Forum nominis sui in Ostiensi ad mare fundare cœpit: in quo postea pretorium publicum constitutum est. Amicos suos honeste ditauit & modice, vt miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit neque alteri vtendam dedit. Et quum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit, *Absit vt auro fila pensentur.* libra enim auri tunc libra serici fuit. Habuit in animo vt aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura quam argenti; sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum vsus perire, argentum autẽ in suo vsu manere. Idem dederat facultatem vt aureis qui vellẽt & vasis vterẽtur & poculis. Dedit præterea potestatẽ vt argentatas priuati carrucas haberent, quũ antea ærata & eborata vehicula fuissent. Idem concessit vt blatteas matronæ tu-

A nicas haberent, & ceteras vestes; quum antea coloreas habuissent, & vt multum oxypæderotinas. Et vt fibulas aureas gregarij milites haberent, idẽ primus concessit; quum antea argenteas habuissent. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit; quum ante nonnisi rectas purpureas accepissent: & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vsque ad pentalores; quales hodie lineæ sunt. Panibus vrbis Romæ vnciam de Ægy- B ptio vectigali auxit; vt quadam epistola data ad præfectum annonæ vrbis, etiam ipse gloriatur. *Aurelianus Augustus Flauio Arabiano præfecto annonæ. Inter cetera quibus dijs fauentibus Romanam rempubl. iuuimus, nihil mihi est magnificentius quam quod additamento vnciæ: omne annonarum vrbicarum genus iuui: quod vt esset perpetuum, nauicularios Niliacos apud Ægyptum nouos, & Romæ amnicos posui. Tiberinas extruxi ripas: vadum alui tumentis effodi: dijs & perennitati vota constitui, C almam Cererem consecraui. Nunc tuum est officium Arabiane iucundissime, elaborare ne meæ dispositiones in irritum veniant. Neque enim populo Rom. saturo quidquam potest esse lætius.* Statuerat & vinũ gratuitum populo Romano dare, vt, quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur: quod perpetuum hac dispositione conceperat. Etruriæ per Aureliam vsque ad Alpes maritimas, ingeores agri sunt, iique fertiles ac siluosi. Statuerat igitur do- D minis locorum incultorum, qui tamen vellent, pretia dare; atque illic familias captiuas constituere, vitibus montes conserere, atque ex eo opere vinum dare, vt nihil redituum fiscus acciperet, sed totum populo Rom. concederet. Facta erat ratio dochæ cuparum, nauium, & operum. Sed multi dicunt, Aurelianum, ne id faceret, præuentum; alij à præfecto præt. sui prohibitum; qui dixisse fertur, *Si & vinũ populo Rom. damus, superest vt & pullos & anseres demus.* Argumento est id vere E te Aurelianum cogitasse, immo etiam facere disposuisse, vel ex aliqua parte fecisse, quod in porticibus templi Solis fiscalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, sed pretio. Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diuersis prouinciis, & lineas Afras atque Ægyptias puras: ipsumque primum donasse oraria populo Romano quibus vteretur populus ad fauo- F rem. Displicebat ei, quum esset Romæ, habitare in palatio; ac magis placebat in hortis Sallustij vel in Domitiæ viuere. Miliarensem denique porticum in hortis Sallustij ornauit, in qua quotidie & equos & se fatigabat; quamuis esset non bonæ valetudinis. Seruos & ministros peccantes coram se cædi iubebat, vt plerique dicunt, caussa tenendæ seueritatis: vt alij, studio crudelitatis. Ancillam suam, quæ adulterium cum seruo suo G fecerat, capite puniuit. Multos seruos è familia propria qui peccauerant, legibus audiendos iudiciis puplicis dedit. Senatum, siue senaculum, matronis reddi voluerat: ita vt primæ illic quæ sacerdotia senatu auctore meruissent. Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederacios, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. Cursores eo habitu quo ipse habebat, senatoribus concessit. Concubinas ingenuas haberi vetuit. Eunuchorum modum pro senatoriis professionibus statuit; idcirco quod ad ingentia pretia peruenissent. Vas argenti eius numquam triginta libras transiit. Conui-

uium

uium de assatutis maxime fuit. Vino ruso maxime delectatus est. Medicum ad se, quum ægrotaret, numquam vocauit; sed ipse se iuedia præcipue curabat. Vxori & filiæ anulum sigillaricium quasi priuatus instituit. Seruis suis vestes easdem Imperator quas & priuatus dedit, præter duos senes, quibus quasi libertis plurimum detulit; Antistium & Gillonem, qui post eum ex senatus sententia manumissi sunt. Erat quidem rarus in
A voluptatibus, sed miro modo nimis delectabatur: vehementissime autem delectatus est Phagone; qui vsque eo multum comedit, vt vno die ante mensam eius aprum integrum centum panes, veruecem & porcellum commederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Habuit tempus, præter seditiones quasdam domesticas, fortunatissimum. Populus autem Romanus eum amauit: senatus timuit.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

TACITVS IMP.

QVod post excessum Romuli: nouello, adhuc Romanæ vrbis imperio factum pontifices, penes quos scribendæ historiæ potestas fuit, in litteras retulerũt, vt interregnũ, dum post bonum principem bonus alius quæritur, iniretur, hoc post Aurelianum, habito inter senatum exercitũque Rom. non inuido, non tristi, sed grato religiosoque certamine, sex totis mensibus factum est. Multis tamen modis hæc ab illo negotio caussa separata est. Iam primum enim quum interregnum initum est post Romulum, interreges tamen facti sunt totusque ille annus per quinos & quaternos dies siue ternos, centum senatoribus deputatus est; ita vt qui valerent, interreges essent, singuli duntaxat. Quare factum est vt & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub æquali dignitate Romani expers remaneret imperij. Huc accedit quod etiam sub consulibus tribunisque militaribus præditis imperio consulari, siquando interregnum initum est, interreges fuerunt. Nec vmquam ita vacua fuit hoc nomine Romana respublica, vt nullus interrex biduo saltem triduoue crearetur. Video mihi posse obiici, curules magistratus apud maiores nostros quadrienniũ in republica non fuisse: sed erant tribuni plebis cum tribunitia potestate; quæ pars maxima regalis imperij est: tamẽ non est proditum, interreges eo tempore non fuisse. Quinetiam verioribus historicis referentibus declaratum est, consules ab interregibus prius creatos, qui haberent reliquorum comitia magistratuum. Ergo, quod ratum & difficile fuit, S.P.Q.R. perpessus est vt Imperatorem per sex menses, dum bonus quæritur, respublica non haberet. Quæ illa concordia militum? quanta populo quies? quam grauis senatus auctoritas fuerit? Nullus vsquam tyrannus emersit: sub iudicio senatus & militum populique Romani totus orbis est temperatus: non illi principem quemquam, vt recte facerent, non tribunitiam potestatem formidabant; sed (quod est in vita optimum) se timebant. Dicenda est tamen caussa tam felicium morarum, & speciatim monumentis publicis inserenda ea in posteros humani generis stupenda moderatio: vt discant qui regna capiunt, non raptum ire imperia, sed mereri. Interfecto sane fraude Aureliano, vt superiore libro scriptum est, calliditate serui nequissimi, errore militarium; (vt apud quoslibet commenta plurimum valent; dummodo irati audiãt, plerumque temulenti, certe consiliorum prope semper expertes) reuersis ad bonam mentem omnibus, eisdemque ab exercitu grauiter confutatis: cœptũ

B est quæri, & quis fieri deberet ex omnibus princeps. Tunc odio præsentium, exercitus qui creare Imperatorem raptim solebat, ad senatum litteras misit, de quibus priore libro iam dictum est; petens vt ex ordine suo principem legerent. Verum senatus, sciens lectos à se principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dumque id sæpius fit, sextus peractus est mensis. Interest tamen vt sciatur quemadmodũ Tacitus Imperator sit creatus.
C Die septimo calend. Octob. quum in curiam Pompilianam ordo amplissimus consedisset, Velius Cornificius Gordianus cos. dixit; *Referimus ad vos P.C. quod sæpe retulimus. Imperator est deligendus: exercitus sine principe recte diutius stare nõ potest: simul quia cogit necessitas. Nam limitem trãs Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes. Iam si nihil de Persicis motibus nuntiatur, cogitate tam leues esse mentes Syrorum, vt regnare vel fœminas cupiant potius quã nostrã perpeti sanctimoniam.*
D *Quid Africã? quid Illyricũ? quid Ægyptũ, earũque omniũ partium, exercitum, quousque sine principe credimus posse cõsistere? Quare agite P.C. & principem dicite. aut accipiet eum exercitus quem elegeritis: aut si refutauerit, alterum faciet.* Post hæc quum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam incertum quam vellet dicere, omnis senatus acclamauit; *Tacit[illegible]uguste, dij te seruent: te deligimus, te principẽ facimus. tibi curã reipublicæ orbisq; mandamus.*
E *Suscipe imperium ex senatus auctoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris. Princeps senatus recte Augustus creatur: primæ sententiæ vir, recte Imperator creatur. Et quis melius quam grauis imperat? & quis melius quam litteratus imperat? Quod bonum, faustum, salutareque sit, diu priuatus fuisti: scis quemadmodum debeas imperare, qui alios principes pertulisti: scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus iudicasti.* At ille: *Miror P.C. vos in locum Aureliani fortissimi Imperatoris, senem velle principem facere. En membra quæ ia-*
F *culari valeant, quæ hastile torquere, quæ clypeis intonare, quæ ad exemplum docendi milites frequenter equitare. Vix munia senatus implemus: vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus. Videte diligentius quam ætatem de cubiculo atque vmbra in pruinas æstusque mittatis. An probaturos senem Imperatorem milites creditis? Videte ne reipubl. non eum quem velitis principem detis: & mihi hoc solum obesse incipiat quod me vnanimiter delegistis.* Post hæc acclamationes senatus hæ fuerunt: *Et Traianus ad imperium senex venit*: (dixerunt decies) *Et Adrianus ad imperium senex venit*:

(dixerunt decies) *Et Antoninus ad imperium senex venit*: (dixerunt decies) *Et tu legisti, incanaque mēta Regis Romani.* (dixerunt decies) *Et quis melius quam senex imperat?* (dixerunt decies) *Imperatorē te, non militem, facimus:* (dixeruot vicies) *Tu iube, milites pugnent.* (dixeruot tricies) *Habes prudentiam, & bonū fratrē.* (dixerūt decies) *Seuerus dixit, Caput imperare, nō pedes.* (dixerūt tricies) *Animum tuum, non corpus elegimus.* (dixerunt vicies) *Tacite Auguste, dij te seruent.* Deinde omnes interrogati: præterea qui post Tacitum sedebat senator consularis Metius Falconius Nicomachus, in hæc verba disseruit; *Semper quidem P.C. recte atque prudenter respublica magnificus hic ordo consuluit, neque à quoquam orbis terra populo solidior vnquā exspectata sapientia est: attamen nulla vnquam neque prudentior in hoc sacrario dicta sententia est. Seniorem principem fecimus, & virum qui omnibus quasi pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil properum, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta grauia, & quasi ipsa respublica iubeat, auguranda sunt. Scit enim qualem sibi principem semper optauerit: nec potest aliud nobis exhibere quam quod ipse desiderauit & voluit. Enimuero si recolere velitis vetusta illa prodigia, Nerones dico & Heliogabalos, & Commodos, seu potius semper Incommodos, certe non hominum magis vitia illa quam ætatum fuerunt. Dij auertant principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes: & quibus ad subscribendum magistri litterarij manus teneant: quos ad consulatus dandos dulcia & circuli, & quæcumque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malum, ratio est, habere Imperatorem qui famam curare non nouerit: qui quid sit respublica nesciat, nutritorem timeat, respiciat ad nutricem, manuum magistralium ictibus terrorique subiaceat, faciat eos consules, duces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit? Sed quid diutius P.C. protrahor? magis gratulemur quod habemus principem senem, quam illa iteremus quæ plusquam lacrymanda tolerantibus exstiterunt. Gratias igitur dijs immortalibus ago atque habeo, & quidem pro vniuersa republica, teque Tacite Auguste, conuenio, petens obsecrans, libere pro communi patria legibus deposcens, ne paruulos tuos, si te citius fata pr[…]enerint, facias Romani heredes imperij: ne sic rempublicam, patresque conscriptos populumque Romanum, vt villulam tuam, vt colonos tuos, vt seruos tuos, relinquas. Quare circumspice, imitare Neruas, Traianos, Adrianos. Ingens est gloria morientis principis, rempublicam magis amare quam filios.* Hac oratiooe & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius oedo concussus: statimque acclamatum est, *Omnes, Omnes.* Inde itum ad campum Martium: ibi comitiale tribunal ascendit: ibi peæfect. vrbis Ælius Cæsetianus sic loquutus est, *Vos sanctissimi milites, & sacratissimi vos Quirites, habetis principem quem de sententia omnium exercituum senatus elegit: Tacitum dico, augustissimum virum: vt qui hactenus sententiis suis rempubl. iuuit, nunc iuuet iussis atque consultis.* Acclamatum est à populo, *Felicissime Tacite Auguste, dij te seruent*, & reliqua quæ solent dici. Hoc loco tacendum noo est, plerosque in litteras retulisse, Tacitum absentem & in Campania positum, principem nuocupatum: quod verum est, nec dissimulare possum. Nam quum rumor emersisset illum Imperatorem esse faciendum, discessit, atque in Baiano duobus mēsibus fuit. Sed inde deductus, huic senatusconsul-

A to interfuit, quasi vere priuatus, & qui vere recusaret imperium. Ac nequis me Græcorum alicui vel Latinoeum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia io armario sexto libeū elephātinum, in quo hoc S.C. perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subsceipsit. Nam dio bæc S.C. quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur. Inde ad exercitus profectos ibi quoque quum primum tribunal ascendit, Mesius

B Gallicanus præfect. præt. in hęc verba disseruit, *Dedit sanctissimi commilitones, senatus principem quem petistis: paruit præceptis & voluntati castrēsium ordo ille nobilissimus. Plura mihi apud vos præsente Imperatore non licet loqui. Ipsum igitur qui tueri nos debet, loquentem dignanter audite.* Post hoc Tacitus Augustus dixit; *Et Traianus ad imperium senex venit: sed ille ab vno deductus est: at me, sanctissimi commilitones, primum vos, qui scitis principes approbare, deinde amplissimus senatus di-

C gnum hoc nomine indicauit. curabo, enitar, efficiam ne vobis desint, si non fortia facta, at saltem vobis atque Imperatore digna consilia.* Post hæc stipendiū & donatiuum ex more peomisit; & primam orationem ad senatum talem dedit; *Ita mihi liceat P.C. sic imperium regere, vt à vobis me cōstet electum, vt ego cuncta ex vestra facere sententia & potestate decreui. Vestrum est igitur ea iubere atque sancire quæ digna vobis, digna modesto exercitu, digna populo Romano esse videantur.* In eadem oratione Aureliano statuam auream pooeodam in Capito-

D lio decreuit: item statuam argenteam io curia, itē in templo Solis, item in foro diui Tesiani. sed aurea oon est posita: dedicatæ autem sunt solæ argenteæ. In eadem oratione cauit vt siquis argento publice prioatimue æs miscuisset, siquis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione. In eadem oratione cauit vt serui in domiootum capita noo interrogarentur, ne in caussa maiestatis quidem. addidit, vt Aurelianum omnes pictum habeeent. Diuorum

E templum fieri iussit, in quo essent statuæ principum bonorum, ita vt iisdem natalibbus suis, & parilibus, & Calend. Ianuariis, & votis, libamina poneeentur. In eadem oratione fratri suo Floriano consulatum petiit, & non impetrauit, idcirco quod iam senatus omnia nundina suffectorum consulum clauserat. Dicitur autem multum lætatus senatus libertate, quod ei negatus est consulatus quem fratri petierat. Fertur denique dixisse, *Scit senatus quem principem

F fecerit.* Patrimonium suum publicauit, quod habuit io reditibus, ɪɪs bis millies octingenties. Pecuniam quam domi collegerat, io stipendium militum vertit. Togis & tunicis iisdem est vsus quibus priuatus. Meritoria intra vrbem stare vetuit: quod quidem diu tenere non potuit. Thermas omnes ante lucernam claudi iussit; oequid per noctem seditionis oriretur. *Cornelium Tacitum*, scriptorem historiæ Augustæ, qood parentem suum eumdem diceret, io omnibus biblio-

G thecis collocari iussit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in euicis archijs iussit, & in bibliothecis poni. Holosericam vestem viris omnibus interdixit. Domum suam destrui præcepit, atque in eo loco thermas publicas fieri priuato sumptu iussit: columnas centum Numidicas pedum vicenûm ternûm Ostiensibus donauit. De proprio possessiones quas in Mauritania habuit, sartis te-

ctis

ctis Capitolij deputauit. Argentum mẽsale quod primatus habuerat, ministeriis cõuiuiorũ, quæ in templis fierent, dedicauit. Seruos vrbanos omnes manumisit vtriusque sexus; intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur. Ipse fuit vitæ parcissime, ita vt sextarium vini tota die numquã potauerit, sæpe intra heminam. Conuiuium vero vnius gallinacei, ita vt sincipur adderet & oua. Præ omnibus oleribus affatim ministratis, lactucis impatienter indulsit. somnum enim se mercari illa sumptus effusione dicebat. Amariores cibos appetiuit. Balneis raro vsus est, atque validior fuit in senectute; Vitreorũ diuersitate atque operositate vehementer est delectatus. Panem nisi siccum numquam comedit, eumdemque sale atque aliis rebus conditum. Fabricatum peritissimus fuit, marmorum cupidus: nitoris senatorij, venationum studiosus. Mensam denique suam numquam nisi agrestibus opimauit. Fasianam auem, nisi suo & suorum natali & diebus festissimis, nõ posuit. Hostias suas semper domum reuocauit, iisdemq; suos vesci iussit. Vxorẽ gemmis vti non est passus. Auroclauatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse auctor Aureliano fuisse perhibetur vt aurum à vestibus & cameris & pellibus submoueret. Multa huius feruntur: sed longum est ea in litteras mittere. Quod siquis omnia de hoc viro cupit scire, legat Suetoniũ Optatianum, qui eius vitam affatim scripsit. Legit sane senex minutulas litteras ad stuporem: nec vnquã noctem intermisit qua non aliquid vel scriberet vel legeret; præter posterum calendarum diem. Nec tacendum est, & frequenter imitandum, tantam senatus lætitiam fuisse quod eligendi principis cura ad ordinem amplissimum reuertisset, vt & supplicationes decernerentur, & hecatombe promitteretur à singulis, denique senatores ad suos scriberent, nec ad suos tantum, sed etiam ad externos: mitterentur præterea litteræ ad prouincias, vt scirent omnes socij omnesque nationes, in antiquum statum rediisse rempubl. ac senatum principes legere, immo ipsum senatum principem factum: leges à senatu petendas, reges barbaros senatui supplicaturos: pacem ac bella senatu auctore tractanda. Nequid denique deesset cognitioni, plerasque huiusmodi epistolas in fine libri posui, & cũ cupiditate & sine fastidio, vt existimo, perlegẽdas. Et prima quidem illi cura Imperatoris facti hæc fuit, vt omnes qui Aurelianum occiderant, interimeret, bonos malosve, quum iam ille vindicatus esset. Et quoniã à Mæotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilio atque viribus, vt eo redirent, compulit. Ipsi autem Mæotidæ ita congregabantur, quasi accitu Aureliani ad bellum Persicum conuenissent, auxilium daturi nostris, si necessitas postularet. Quum Tullius dicat, magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum Marcus: at in isto viro magnificum fuit quod tãta gloria cepit imperiũ. Gessit autem propter breuitatem temporum nihil magnum. Interemptus est enim insidiis militaribus, vt alij dicunt, sexto mense: vt alij, morbo interiit. Tamen constat, factionibus eum oppressum, mente atque animo defecisse. Hic idem mensem Septembrem *Tacitum* appellari iussit, idcircò quod eo in mense & natus & factus est Imperator. Huic frater FLORIANVS imperio successit: de quo pauca ponenda sunt.

A

FLORIANVS.

Hic frater Taciti germanus fuit: qui post fratrem arripuit imperium non senatus auctoritate, sed suo motu; quasi hereditarium esset imperium: quum sciret adiuratum esse in senatu Tacitum, vt quum mori cœpisset, non liberos suos, sed optimum aliquem principem faceret. Deniq; vix duobus mensibus imperium tenuit, & occisus est Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. B Tantus autem Probus fuit in re militari, vt illum senatus optaret, miles eligeret, ipse populus Rom. acclamationibus peteret. Fuit etiam Florianus morum fratris imitator, nec tamen vsquequaque. Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas aliis eum moribus ostendit fuisse quam fratrem. Duo igitur principes vna exstiterunt domo: quorum alter sex mensibus, alter vix duobus imperauerunt, C quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, post interregnum principes nuncupati. Horum statuæ fuerunt Interamnæ duæ pedum tricenûm ex marmore; quod illic eorum cenotaphia constituta sunt in solo proprio: sed deiectæ fulmine, ita contritæ sunt, vt membratim iaceant dissipatæ: quo tempore responsum est ab aruspicibus, quandoque ex eorum familia Imperatorẽ Romanum futurum, seu per fœminam, seu per virum, qui det iudices Parthis ac Persis; qui Francos & Alamanos sub Romanis legibus habeat, D qui per omnem Africam barbarum non relinquat, qui Taprobanis præsidem imponat, qui ad Romanam insulam proconsulem mittat, qui Sarmatis omnibus iudicet, qui terram omnem quã Oceanus ambit, captis omnib. gẽtibus, suã faciat: postea tamen senatui reddat imperiũ, & antiquis legibus viuat, ipse victurus an. cxx, & sine herede moriturus. Futurũ autẽ cũ dixerunt à die fulmine præcipitatis statuisq; cõfractis post an. mille. Non magna hæc vrbanitas aruspicũ fuit, qui principẽ E talẽ post mille annos futurũ esse dixerunt? quia si post centũ annos prędicerẽt fore, possent eorũ deprehẽdi mẽdaciã, quũ vix remanere talis possit historia. Ego tamẽ idcirco hæc inserenda volumini credidi, ne quis me legens legisse nõ crederet. Tacitus cõgiariũ populo Rom. intra sex menses vix dedit. Imago eius posita est in Quintiliorũ in vna tabula quintuplex, in qua semel togatus, semel chlamydatus, semel armatus, semel palliatus, semel venatorio habitu. De qua quidã epigrãmatarius ita lusit, vt diceret; F *Nõ agnosco senẽ armatũ, nõ chlamydatũ inter cætera, sed agnosco togatũ*: Et Floriani liberi & Taciti multi extiterunt: quorũ sunt posteri credo millesimum annũ exspectantes. in quos multa epigrammata scripta, quo iocati sunt aruspices imperiũ pollicentes. Hæc sunt quæ de vita Taciti atq; Floriani digna memoratu comperisse memini. Nũc nobis aggrediẽdus est PROBVS, vir domi forisq; conspicuus, vir Aureliano, Traiano, Adriano, Antoninis, Alexandro, Claudioq; G præferendus: nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tũc fuere: qui post Tacitũ omniũ iudicio bonorũ Imperator est factus, orbẽque terrarũ pacatissimũ gubernauit, deletis barbaris gẽtibus, deletis etiã plurimis tyrannorũ, qui eius tẽporibus exstiterunt: de quo dictum est vt Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. quẽ quidem multi ferunt Sibyllinis libris fore promissum: qui si diutius fuisset, orbis terræ barba-

ros non haberet. Hæc ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret, ne fatali necessitate absumptus, Probo indicto deperirem. Nunc claudam volumen, satisfactum arbitrans studio & cupiditati meæ. Omina imperij Tacito hæc fuerunt: Fanaticus quidam in templo Sylnani tensis membris exclamauit; *Tacita purpura, tacita purpura:* idque septimo, quod quidem postea omini deputatum est. Vinum quo libaturus Tacitus fuerat in templo Herculis Fundani, subitò purpureum factum est. Vitis quæ vuas Amineas albas ferebat, eo anno quo ille imperium meruit, purpurascere plurima purpura cœpit. Mortis omina hæc fuerunt: Patris sepulcrum disruptis ianuis se aperuit, matris vmbra se per diem & Tacito & Floriano velut viuentis obtulit, quam diuersis patribus nati ferebantur. in larario dij omnes seu terræ motu, seu casu aliquo conciderunt. Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine hominis cuiuspiam manu deprehensa est. Sed hæc sunt quæ à plerisque dicuntur: nos ad Probum & ad Probi gesta insignia reuertemur. Et quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurum quæ creato Tacito principe gaudia senatus ostenderent, his additis, finem scribendi faciam. Epistolæ publicæ. *Senatus amplissimus curiæ Carthaginensi S. D. Quod bonum, faustum, felix, salutareque sit reipubl. orbique Rom. Dandi ius imperij, appellandi principis, nuncupandi Augusti, ad nos reuertit. Ad nos igitur referte quæ magna sunt. Omnis prouocatio præfecti vrbis erit: quæ tamen à proconsulibus & ab ordinariis iudicibus emerserit. in quo quidem etiam vestram in antiquum statũ redisse credimus dignitatem: siquidem primus hic or-* A *do est qui recipiendo vim suam, ius suum ceteris seruat.* Alia epistola. *Senatus amplissimus curiæ Treuirorum. Vt estis liberi & semper fuistis, lætari vos credimus. Creandi principis iudicium ad senatum rediit, simul etiam præfectura vrbana appellatio vniuersa decreta est.* Eodem modo scriptum est Antiochensibus, Aquileiensibus, Mediolanensibus, Alexandrinis, Thessalonicensibus, Corinthiis & Atheniensibus. Priuatæ autem epistolæ hæ fuerunt. *Autronio iusto patri, Autronius Tiberianus* B *salutem. Nunc te pater sancte interesse decuit senatui amplissimo, nunc sententiam dicere, quum tantum auctoritatis amplissimo ordini creuerit, vt reuertat in antiquum statum respubl. & nos principes demus, nos faciamus Imperatores, nos denique nuncupemus Augustos. Fac igitur vt conualescas, curiæ interfuturus antiquæ. Nos recepimus ius proconsulare, redierunt ad præfectum vrbis appellationes omnium potestatum & omnium dignitatum.* Item alia. *Claudius Capellianus Cereio Meciano patruo S. Obti-* C *nuimus pater sancte quod semper optauimus: in antiquum statum senatus reuertit. Nos principes facimus, nostri ordinis sunt potestates: Gratias exercitui Romano & vere Romano: reddidit nobis quam semper habuimus potestatem. Abiice Baianos Puteolanosque secessus: da te vrbi, da te curiæ. Floret Roma, floret tota respublica, Imperatores damus, principes facimus: possumus & prohibere, qui cœpimus facere. Dictum sapienti sat est.* Longum est omnes episto- D las connectere, quas reperi, quas legi. Tantum illud dico, senatores omnes ea esse lætitia elatos, vt domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati sederent, conuiuia sumptuosiora præuenirent, antiquitatem sibi redditam crederent.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

PROBVS.

CErtum est quod Sallustius Crispus, quodque M. Cato & Gellius historicæ sententiæ modo in litteras retulerunt, *omnes omnium virtutes tantas esse quantas videri eas voluerint eorum ingenia qui vniuscuiusque facta descripserint.* Inde esse quod Alexander Magnus Macedo, quum ad Achillis sepulcrum venisset, grauiter ingemiscens, *Felicem te*, inquit, *iuuenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperisti:* Homerum intelligi volens qui Achillem tantum in virtutum studio finxit quantum ipse valebat ingenio. Quorsum hæc pertineant, mi Celse, ne fortassis requiras. Probum principem, cuius imperio oriens, occidens, meridies, septemtrio, omnesque orbis partes in totam securitatem redactæ sunt, scriptorum inopia iam pene nescimus. Occidit (pro pudor) tanti viri & talis historia qualem non habent bella Punica, non terror Gallicus, non motus Pontici, non Hispaniensis astutia. Sed non patiar ego ille, à quo dudum solus Aurelianus est expetitus: cuius vitam quantum potui persequutus, Tacito Florianoque iam scriptis, non me ad Probi facta conscẽdere: si vita suppetet, omnes qui supersunt vsque ad Maximianum Diocletianumque dicturus. Neque ego nunc facultatem eloquentiamq; polliceor, sed res gestas, quas perire non patior. Vsus autem sum (ne in aliquo fallam carissimam E mihi familiaritatem tuam) præcipue libris ex bibliotheca Vlpia ætate mea thermis Diocletianis, item ex domo Tiberiana, vsus etiam ex regestis scribarum porticus Porphyreticæ, Actis etiam senatus ac populi. Et quoniam me ad colligenda talis viri gesta ephemeris Turduli Gallicani plurimum iuuit, viri honestissimi ac sincerissimi, beneficium amici senis tacere non debui: Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque F rerum gestarum maiestate sublimem; quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius & T. Liuius in litteras retulissent? P. Scipionem Africanum, immo Scipiones omnes, seu Lucios seu Nasicas nõne tenebræ possiderent ac tegerent, nisi commendatores eorum historici nobiles atque ignobiles exstitissent? Longum est omnia persequi quæ ad exemplum huiuscemodi etiam nobis tacentibus vsurpanda sunt. Illud tantum contestatum volo, me & rem scripsisse; quam siquis voluerit honestius, eloquio celsiore demonstret. Et mi- G hi quidem id animi fuit, non vt Sallustios, Liuios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum & temporibus disserendis: sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Iulium Capitolinũ,

Ælium Lampridium, cęterosque qui hæc & talia
non tam diserte quam vere memoriæ tradiderũt.
Sum enim vnus ex curiosis, quod infinita scire
non possum, incendentibus vobis; qui quum
multa sciatis, scire multo plura cupitis. Et ne diu-
tius ea quæ ad meum cõsilium pertinent loquar,
magnum & præclarum principem, & qualem hi-
storia nostra non nouit, arripiam. PROBVS oriũ-
dus è Pannonia, ciuitate Sirmiensi, nobiliore ma-
tre quam patre, patrimonio moderato, affinitate
non magna, tam priuatus quam Imperator, no-
bilissimis virtutibus claruit. Probo, vt quidam in
litteras retulerunt, pater nomine Maximus fuit:
qui quum ordines honestissime duxisset, tribu-
natum adeptus, apud Ægyptum vita functus est,
vxore ac filio & filia derelictis. Multi dicunt
Probum Claudij propinquum fuisse, optimi &
sanctissimi principis. quod quia per vnum tan-
tum Græcorum relatum est, nos in medio relin-
quemus. Vnum tamen dico quod in ephemeride
legisse me memini, à Claudia sorore Probum se-
pultum. Adolescens Probus, corporis moribus
tam clarus est factus, vt Valeriani iudicio tribu-
natum prope imberbis acciperet. Exstat epistola
Valeriani ad Gallienum, qua Probum laudat ad-
huc adolescentem, & imitationi omnium propo-
nit. Ex quo apparet, *neminem vnquam peruenisse
ad virtutum summam iam maturum, nisi qui puer
seminario virtutum generosiore concretus, aliquid
inclytum designasset.* Epistola Valeriani. *Valerianus
pater Gallieno filio, Augustus Augusto. Et meum se-
quutus iudicium, quod semper de Probo adolescen-
te primo habui, & omnium bonorum qui eumdem sui
nominis virum dicunt, tribunatum in eum contuli,
datis sex cohortibus Saracenis, creditis etiam auxi-
liaribus Gallis, cum ea Persarum manu quam nobis
Artabasses Syrus mancipauit. Te quæso fili carissi-
me, vt eum iuuenem quem imitari pueros omnibus
volo, in tanto habeas honore quantum virtutes eius
& merita pro debito mentis splendore desiderant.*
Alia epistola de eodem ad præf. præt. cum salario.
*Valerianus Augustus Muluio Gallicano præf. præt.
Miraris fortassis, quod ego imberbem tribunum fe-
cerim contra constitutum diui Adriani. Sed nõ mul-
tum miraberis, si Probum cogitas, adolescentem vere
probum. Numquam enim aliud mihi, quum eum co-
gito, nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, po-
tuit habere cognomen. Huic igitur dari iubebis (quo-
niam mediocris fortunæ est) vt eius dignitas incre-
mentis iuuetur, tunicas russulas duas, pallia Gallica
duo fibulata, interulas paragaudias duas, patinam
argenteam librarum decem speciallatam, aureos An-
toninianos centum, argenteos Aurelianos mille, æreos
Philippeos decem millia. Item in salario diurno, bu-
bula pondo, percinæ pondo sex, caprinæ pondo de-
cem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sex-
tarium vnum, vini veteris diurnos sextarios de-
cem, cum larido bubalino, salis, olerum, ligno-
rum, quantum satis est. Hospitia præterea ei-
dem vt tribunis legionum præberi iubebis.* Et hæc
quidem epistolæ declarant. Nunc quantum ex
ephemeride colligi potuit, quum bello Sarma-
tico iam tribunus, transmisso Danubio, multa
fortiter fecisset, publicè in concione donatus
est hastis puris quatuor, coronis vallaribus dua-
bus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, ar-
millis aureis duabus, torque aureo vno, patera
sacrificali quinquelibri vna. Quo quidem tempo-
re Valerianum Flaccum, adolescentem nobilem

A parentẽ Valeriani, è Quadorum liberauit manu:
vnde illi Valerianus coronã ciuicam detulit. Ver-
ba Valeriani pro concione habita, *Suscipe Probe
præmia, pro rep. suscipe coronam ciuicam pro parẽte.*
Quo quidem tempore legionem tertiam eidẽ ad-
didit sub testimonio eiusmodi. Epistola de legio-
ne tertia. *Res gestæ tuæ, Probe carissime, faciunt vt
& serius tibi tradere maiores exercitus videar, &
cito tamen tradam. Recipe in fidẽ tuam legionẽ ter-
tiam felicẽ, quam ego adhuc nulli nisi prouecto iã cre-
B didi: mihi autem eo tẽpore credita est quo & me ca-
nosum, qui credebat, cum gratulatione vidit. Sed ego
in te non exspecto ætatem, quum & virtutibus ful-
geas, & moribus polleas. Vestes tibi triplices dari
iussi, salarium duplex feci, vexillariũ deputaui.* Lon-
gum est, si per res gestas tanti percurram viri, quæ
ille sub Valeriano, quæ sub Gallieno, quæ sub Au
reliano & Claudio priuatus fecerit, quoties murũ
conscenderit, vallum diripuerit, hostẽ comminus
interemerit, dona principum emeruerit, remp. in
C antiquũ statum sua virtute reddiderit. Docet Gal-
lieni epistola ad tribunos data, qui fuerit Probus
*Gallienus Augustus tribunis exercituum Illyricianorum.
Etiamsi patrem meum fatalis belli Persici ne-
cessitas tenuit, habeo tamen parentem Aureliũ Pro-
bum, quo laborante, possim esse securus. qui si affuis-
se, numquam ille ne nominandus quidem tyrannus,
sibi vsurpasset imperium. Quare omnes vos consiliis
eius cupio parere, qui & patris iudicio probatus est,
& senatus.* Non magnum fortassis iudicium Gal-
D lieni esse videatur, principis mollioris, sed quod
negari non potest, ne dissolutus quidem quispiam
se nisi in eius fidem tradit, cuius sibi virtutes exi-
stimat profuturas. Sed esto, Gallieni epistola se-
questretur. Quid Aureliani iudicium? qui Probo
decimanos, fortissimos exercitus sui, & cum qui-
bus ipse ingentia gesserat, tradidit sub huiusmodi
testimonio, *Aurelianus Augustus Probo S. D. Vt
scias quanti te faciam, decimanos meos sume, quos
Claudius mihi credidit. Isti enim sunt qui quadam
E felicitatis prærogatiua, præsules nisi futuros principes
habere non norũt.* Ex quo intellectũ est, Aurelianũ
in animo hic habuisse, vt si quid sibi sciẽti prudẽ-
tique eueniret, Probũ principẽ faceret. Iã Clau-
dij, iã Taciti iudicia de Probo longũ est innecte-
re: quãuis feratur in senatu Tacitus dixisse, quum
eidẽ offerretur imperium, debere Probum prin-
cipem fieri. Sed ego S. C. ipsum inueni. Ipse autem
Tacitus Imperator primam talem ad Probũ epi-
F stolam dedit: *Tacitus Augustus Probo. Me quidem
senatus principem fecit de prudentis exercitus vo-
luntate: attamen sciendum tibi est, tuis nunc hume-
ris magis incubuisse remp. Qui & quantus sis, omnes
nouimus, scit senatus. Adesto igitur nostris neces-
sitatibus: tuæ familiæ assere, vt soles, remp. Nos tibi
decreto totius orientis ducatu, salarium quintuplex
fecimus, ornamenta militaria geminauimus, consu-
latum in annum proximum nobiscum decreuimus:
te enim manet pro virtutibus tuis capitolina pal-
G mata.* Ferunt quidam Probo id pro imperij
omine fuisse quod Tacitus scripsit, *Te manet ca-
pitolina palmata.* Sed in hanc sententiam omni-
bus semper COSS. scribebatur. Amor militum
erga Probum ingens semper fuit. Neque enim
vmquam ille passus est peccare militẽ. Ille quin-
etiam Aurelianum sæpe à graui crudelitate de-
duxit. Ille singulos manipulos adiit, vestes &
calciamenta perspexit: siquid prædæ fuit, ita diui-
sit, vt sibi nihil præter tela & arma seruaret. Quin

etiam quum de prædato (siue ex Alanis siue ex aliqua alia gente incertum est) repertus esset equus non decorus, neque ingens, qui quantum captiui loquebantur, centum ad diem miliatia currere diceretur, ita vt per dies octo vel decem cótinuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet seruaturum, iam primú dixit; *Fugituo militi potius quam forti hic equus conuenit.* Deinde in vrnam militares iussit nomen suum mittere, vt aliquis eum forte ductus acciperet. Et quú essent in exercitu quidam nomine Probi alij quatuor milites, casu euenit vt primum emergeret cui Probo nomen existeret, quum ipsius Probi ducis nomé missum non esset. Sed quum quatuor illi milites inter se contenderent, ac fortem sibi quisque defenderet, iussit iterum agitari vrnam: sed & iterú Probi nomen emersit: quumque tertio & quarto fecisset, quarto Probi nomen effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicauit, ipsis etiam militibus quorum nomina exierant, id volentibus. Pugnauit & contra Marmaridas in Africa fortissime, eos denique vicit: atque ex Libya Carthaginem transiit, eamdemque à rebellionibus vindicauit. Pugnauit & singulari certamine contra quemdam Aradionem in Africa, eumdemque prostrauit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulcro ingenti honorauit; quod adhuc exstat tumulo vsque ad ducentos pedes terræ lato, per milites, quos otiosos esse numquam est passus. Exstant apud Ægyptum eius opera, quæ per milites struxit in plurimis ciuitatibus. In Nilo autem tam multa fecit, vt vectigal frumentarium solus adiuuerit: pontes, templa, porticus, basilicas labore militum struxit: ora fluminum multa patefecit, paludes plerasque siccauit, atque in his segetes agrosque constituit. Pugnauit etiam contra Palmyrenos pro Odenati & Cleopatræ partibus Ægyptum defendentes; primo feliciter, postea temere, vt pene caperetur: sed postea refectis viribus, Ægyptum & orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit. Quum his igitur tot & tantis virtutibus eniteret, Tacito absumpto fataliter, ac Floriano imperium arripiente, omnes orientales exercitus eumdem Imperatorem fecerunt. Non inepta neque inelegans fabula est, scire quemadmodum imperium Probus sumpserit. Quum ad exercitus nútius venisset, tum primum animus militibus fuit præuenire Italicos exercitus, ne iterum senatus principem daret. sed quú inter milites sermo esset quis fieri deberet, & manipulatim in campo tribuni eos alloquerentur, dicentes requirendum esse principem aliquem fortem, sanctum, verecundú, clementem, probum; idque per multos circulos, vt fieri assolet, diceretur; quasi diuino nutu vndique ab omnibus acclamatum est, *Probe Auguste, dij te seruent.* deinde concursus, & cæspititium tribunal: appellatusque Imperator, ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi oblatum est: atque inde ad palatium reductus: inuitus & retrectans, & sæpe dicens; *Non enim vobis expedit milites: non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non possum.* Prima eius epistola data ad Capitonem præfectum præt. talis fuit: *Imperium numquam optaui, & inuitus accepi. Deponere mihi rem inuidiosissimam non licet. Agenda est persona quam mihi miles imposuit. Te quaso Capito, ita mecum salua respubl. perfruaris. Annonam & commeatus, & quidquid necessarium est, vbique militi pares: ego,*

quantum in me est, si recte omnia gubernaueris, præfectum alterum non habebo. Itaque milites, cognito quod imperaret Probus, Florianum, qui quasi hereditarium imperium arripuerat, interemerunt, scientes neminem dignius imperare quam Probum. Ita ei sine vlla molestia totius orbis imperium & militum & senatus iudicio delatum est. Et quoniam mentionem senatus fecimus, sciendum est quid ipse ad senatum scripserit, quid item ad eum amplissimus ordo rescripserit. Oratio Probi prima ad senatum. *Recte atque ordine P.C. proximo superiore anno factum est vt vestra clementia orbi terrarum principem daret: & quidem de vobis, qui & estis mundi principes, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis. atque vtinam id Florianus exspectare voluisset, nec velut hereditarium sibi vindicasset imperium: vel illum vel alium quempiam maiestas vestra fecisset. Nunc quoniã ille imperium arripuit, nobis à militibus delatũ est nomen augustum: vindicatum quinetiam in illum à prudentioribus militibus, quod fuerat vsurpatum. Quaso vt de meis meritis facatis quidquid iusserit vestra clementia.* Item S.C. Die tertio nonas Februarias in æde Concordiæ inter cetera Ælius Scorpianus cos. dixit; *Audistis P.C. litteras Aurelij Valerij Probi: de his quid videtur?* Tunc acclamatum est, *Probe Auguste, dij te seruent. Olim dignus, & fortis, & iustus, bonus ductor, bonus imperator: exemplum militia, exemplum imperij: dij te seruent. Assertor reipublic. felix imperes: magister militia, felix imperes: te cum tuis dij custodiant, Et senatus antea te delegit. Ætate Tacito posterior, ceteris prior. Quod imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere rempublicam. Bene tibi committimus quos ante seruasti. Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia: & prius fuisti semper dignus imperio, dignus triumphis: felix agas, feliciter imperes.* Post hæc Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, ita loquutus est; *Dijs immortalibus gratias, & præ ceteris P.C. Ioui optimo, qui nobis principẽ talẽ qualem semper optabamus, dederũt. Si recte cogitemus, non nobis Aurelianus, nõ Alexander, non Antonini, non Traianus, non Claudius requirendi sunt: omnia in vno principe constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agenda reipublica, atque omnium prærogatiua virtutum. Enimuero quæ mundi pars est quam ille non vincendo didicerit? Testes sunt Marmarida in Africa solo victi, testes Franci inuiis strati paludibus, testes Germani & Alemani longe à Rheni submoti litoribus. Iam vero quid Sarmatas loquar, quid Gothos, quid Parthos, ac Persas, atque omnẽ Ponticũ tractũ? vbique vigent Probi virtutis insignia. Longum est dicere quod reges magnarũ gentiũ fugauerit, quod duces manu sua occiderit, quatũ armorũ sit quæ ipse cepit priuatus. Superiores principes quas illi gratias egerint, testes sunt litteræ publicis inserta monumẽtis. Dij boni quoties ille donis militarib. est donatus? quas militũ laudes emeruit? Adolescẽs tribunatũ, nõ longe post adolescẽtiã, regẽdas legiones accepit. Iupiter optime maxime, Iuno regina, tuque virtutum præsul Minerua, tu orbis Concordia, & tu Romana Victoria, date hoc senatui P.Q.R. date militibus, date sociis, atq; exteris nationibus. Imperet quẽadmodũ militauit. Decerno igitur P.C. votis omniũ concinẽtibus nomẽ Cæsareũ, nomen Augustum: adde proconsulare imperium, patris patriæ reuerentiam, pontificatum maximũ, ius tertia relatio-*

relationis, tribunitiam potestatem. Post hæc accla-
matum est, *Omnes, Omnes.* Accepto igitur hoc S.
C. secundum orationem permisit patribus vt ex
magnorum iudicum appellationibus ipsi cogno-
scerent, proconsules crearent, legatos consulibus
darent, ius prætorium præsidibus darent: leges
quas Probus ederet, senatusconsultis propriis
cōsecrarent. Statim deinde, siqui de interfectori-
bus Aureliani superfuerant, vario genere vindi-
cauit: mollius tamen moderatiusque quam prius
exercitus & postea Tacitus vindicauerant. De-
inde animaduertit etiam in eos qui Tacito insi-
dias fecerant. Floriani sociis pepercit, quod non
tyrannum aliquem videbantur sequuti, sed sui
principis fratrem. Recepit deinde omnes Euro-
penses exercitus, qui Florianum & Imperatorem
fecerant & occiderant. His gestis cum ingenti
exercitu Gallias petit. quæ omnes occiso Posthu-
mo, turbatæ fuerant; interfecto Aureliano, à Ger-
manis possessæ. Tanta autem illic prœlia feliciter
gessit, vt à barbaris sexaginta per Gallias nobilis-
simas reciperet ciuitates: prædam deinde omnem
qua illi præter diuitias etiam efferebantur ad glo-
riam. Et quum iam in nostra ripa, immo per om-
nes Gallias securi vagarentur, cæsis prope qua-
dringentis millibus qui Romanum occupauerāt
solum, reliquias vltra Nicrum fluuium & Albam
remouit; tantum his prædæ barbaricæ tulit, quan-
tum ipsi Romanis abstulerant: contra vrbes Ro-
manas & castra in solo barbarico posuit, atque il-
lic milites collocauit. Agros, & horrea, & domos,
& annonam Transrhenanis omnibus fecit, iis vi-
delicet quos in excubiis collocauit: nec cessatum
est vnquam pugnari, quum quotidie ad eum bar
barorum capita deferrentur, iam ad singulos au-
reos singula, quamdiu reguli nouem ex diuersis
gentibus venirent, atque ad pedes Probi iacerent:
quibus ille primum obsides imperauit; qui statim
dati sunt: deinde frumētum, postremo etiam vac-
cas atque oues. Dicitur iussisse his acrius, vt gla-
diis non vterentur, Romanam exspectaturi de-
fensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed
visum est id non posse fieri, nisi si limes Roma-
nus extenderetur, & fieret Germania tota prouin-
cia. Maxime tamen, ipsis regibus cōsentientibus,
in eos vindicatum est qui prædam fideliter non
reddiderunt. Accepit præterea sedecim millia ty-
ronum; quos omnes per diuersas prouincias spar-
sit, ita vt numeris, vel limitaneis militibus quin-
quagenos & sexagenos intersereret; dicens, sen-
tiendum esse, non videndum, quum auxiliaribus
barbaris Romanus iuuatur. Compositis igitur re-
bus in Gallia, tales ad senatum litteras dedit; *Ago
diis immortalibus gratias P.C. quia vestra in me iu-
dicia comprobarunt. Subacta est omnis qua tenditur
late Germania: nouem reges gentium diuersarum, ad
meos pedes, immo ad vestros, supplices stratique ia-
cuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis iam
serunt, & contra interiores gentes militant. Suppli-
cationes igitur vestro more decernite. Nam & qua-
dringenta millia hostium cæsa sunt, & sedecim millia
armatorum nobis oblata, & septuaginta vrbes nobi-
lissimæ captiuitate hostium vindicatæ, & omnes pe-
nitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt
omnes Galliæ ciuitates aureas, vestræ P.C. clementiæ
dedicaui. Et has Ioui optimo maximo, ceterisque diis
deabusque immortalibus, vestris manibus consecra-
te. Præda omnis recepta est, capta etiam alia, & qui-
dem maior quam fuerat ante direpta. Arantur Gal-*

A *licana rura barbaris bobus, & iuga Germanica ca-
ptiua præbent nostris colla cultoribus: pascuntur ad
nostram alimoniam gentium pecora diuersarum: e-
quinum pecus nostro iam fœcundatur equitatui: fru-
mento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis
sola relinquimus sola; nos eorum omnia possidemus.
Volueramus P.C. Germaniæ nouum præsidem facere:
sed hoc ad pleniora vota distulimus. Quod quidem
credimus conferre, quum diuina prouidentia nostros
vberius fœcundarit exercitus.* Posthæc Illyricum
B petiit: & priusquam veniret, Rhætias sic pacatas
reliquit vt illic ne suspicionem quidem vllius
terroris relinqueret. In Illyrico Sarmatas ceteras-
que gentes ita contudit, vt prope sine bello cun-
cta reciperet quæ illi diripuerant. Tetendit dein-
de iter per Thracias; atque omnes Geticos popu-
los fama rerum territos, & antiqui nominis po-
tētia pressos, aut in deditionem aut in amicitiam
recepit. His gestis, orientem petiit: atque in itine-
re potentissimo quodam latrone Palfurio capto
C & interfecto, omnem Isauriam liberauit, populis
atque vrbibus Romanis legibus restitutis. Barba-
rorum qui apud Isauros sunt, vel per terrorem vel
per voluntatem, loca ingressus est: quæ quum
peragrasset, hoc dixit, *Facilius est ab istis locis la-
trones arceri quam tolli.* veteranis omnia illa quæ
anguste adeuntur loca, priuata donauit; addens, vt
eorum filii ab anno octauodecimo, mares dum-
taxat, ad militiam mitterentur, ne ante latrocina-
ri quam militare discerent. Pacatis denique om-
D nibus Pamphyliæ partibus, ceterarumque pro-
uinciarum quæ sunt Isauriæ vicinæ, ad orientem
iter flexit. Blemyas etiam subegit, quorum capti-
uos Romam transmisit, qui mirabilem sui visum,
stupente populo Romano præbuerunt. Copton
præterea & Ptolemaidem vrbes, ereptas barbarico
seruitio, Romano addidit iuri. Ex quo tantum
profecit vt Parthi legatos ad eum mitterent, con-
fitentes timorem pacemque poscentes: quos ille
superbius acceptos, magis timentes domum re-
E misit. Fertur etiam epistola illius, repudiatis do-
nis quæ rex Parthorum miserat, ad Narseum talis
fuisse; *Miror te de omnibus quæ nostra futura sunt,
tam pauca misisse. Habeto interim omnia illa quibus
gaudes: quæ si nos habere cupiamus, scimus quemad-
modum possidere debeamus.* His acceptis litteris
Narseus maxime territus, & eo præcipue quod
Copton & Ptolemaidem cumperit à Blemyis qui
eas tenuerant vindicatas, cæsosque ad interne-
cionem eos qui gentibus fuerant ante terrori.
F Facta igitur pace cum Persis, ad Thracias rediit,
& centum milia Bastarnarum in solo Romano
constituit: qui omnes fidem seruauerunt. Sed
quum & ex aliis gentibus plerosque pariter
transtulisset, id est, ex Gepidis, Grauthungis,
& Vandilis, illi omnes fidem fregerunt; & oc-
cupato bellis tyrannicis Probo, per totum pe-
ne orbem pedibus & nauigando vagati sunt,
nec parum molestiæ Rom. gloriæ intulerunt.
quos quidem ille diuersis vicibus, variisque vi-
G ctoriis oppressit, paucis cum gloria domum re-
deuntibus, quod Probi euasissent manus. Hæc
Probus cum barbaris gessit. Sed habuit etiam
non leues tyrannicos motus. Nam & *Saturni-
num*, qui oriētis imperium arripuerat, variis prœ-
liorum generibus & nota virtute superauit. Quo
victo, tāta in oriente quies fuit, vt (quemadmodū
vulgo loquebātur) mures rebelles nullus audiret.
Deinde quum *Proculus* & *Bonosus* apud Agrippi-

nam in Gallia imperium arripuissent, omnesque sibi Britannias, Hispanias, & braccatæ Galliæ prouincias vindicarent, barbaris semet iuuantibus, vicit. Ac ne requiras plura vel de Saturnino, vel de Proculo, vel de Bonoso, suo eosdem inseram libro, pauca de iisdem, vt decet, immo vt poscit necessitas, loquuturus. Vnum sane sciendum est quod Germani omnes, quum ad auxilium essent rogati à Proculo, Probo potius perseruire maluerunt quam cum Bonoso & Proculo esse. Gallis omnibus & Hispanis ac Britannis hinc permisit vt vites haberent, vinumque conficerent. Ipse Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum, lecta vite conseuit. Dedit Rom. etiam voluptates, & quidem insignes; delatis etiam congiariis. Triumphauit de Germanis & Blemyis: omnium gentium drungos, vsque ad quinquagenos homines, ante triumphum duxit. Venationem in circo amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis late longeque trabibus affixæ sunt; terra deinde superiecta, totusque circus ad syluæ consitus speciem, gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ; ibices, oues feræ; & cetera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt vel inueniri. Immissi deinde populares: rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interempti sunt, non magnum præbentes spectaculum quum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi, qui diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum leænæ, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat spectaculum fuisse quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris. Quibus peractis, bellum Persicum parans, quum per Illyricum iter faceret, à militibus suis per insidias interemptus est. Caussæ occidendi eius hæ fuere: Primum, quod numquam militem otiosum esse perpessus est. siquidem multa opera militari manu perfecit, dicens *annonam gratuitam militem comedere non debere*. His addidit dictum eius graue, si vmquam eueniat salutare reip. breui milites necessarios non futuros. Quid ille conceperat animo qui hoc dicebat? nonne omnes barbaras nationes subiecerat pedibus? Quia totum mundum fecerat iam Romanum, *Breui*, inquit, *milites necessarios non habebimus*. Quid est aliud dicere? Romanus iam miles erit nullus; vbique regnabit: omnia possidebimus: secura resp. orbis terrarum non arma fabricabit, non annonam præbebit: vobis habebuntur aratra, equus nascetur ad pacem: nulla erunt bella, nulla captiuitas. vbique pax, vbique Romanæ leges, vbique iudices nostri. Longius amore Imperatoris optimi progredior quã pedestris sermo desiderat. Quare addam illud quod præcipue tanto viro fatalem properauit necessitatem. Nam quum Sirmium venisset, ac solum patrium effœcundari cuperet & dilatari, ad

A siccand, quãdam palude͂, multa simul millia militum posuit, ingentem parans fossam, qua, deiectis in altum nauibus, loca Sirmiensibus profutura siccaret. permoti milites, confugientem eum in turrem ferratam, quam ipse speculæ caussa editissimam exædificauerat, interemerunt anno imperij sui quinto. Postea tamen ingens ei sepulcrum elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt, cum titulo huiusmodi, inciso marmori;

HIC PROBVS IMPERATOR, ET VERE PROBVS B SITVS EST; VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

Conferens ego cum aliis Imperatoribus principem Probum, omnibus prope Romanis ducibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles exstiterunt, intelligo hunc virum parem fuisse; aut, si non repugnat inuidia furiosa, meliorem. Quinquennio enim imperij sui, per totum orbem terrarum tot bella gessit, & quidem per se, vt mirabile sit, quemadmodum omC nibus occurrerit prœliis. Multa manu sua fecit, duces præclarissimos instituit. Nam & eius disciplina Carus, Diocletianus, Constantius, Asclepiodotus, Annibalianus, Leonides, Cecropius, Pisonianus, Herennianus, Gaudiosus, Vrsinianus, Herculius Maximinianus, & ceteri, quos patres nostri mirati sunt, & de quibus nonnulli boni principes exstiterunt, instituti sunt. Conferat nũc cui placet, viginti Traiani Adrianique annos, conferat prope totidem Antoninorum. Nam D quid de Augusto loquar? cuius imperij anni vix possunt credi. Malos autem principes taceo: ipsa vox Probi clarissima, indicat quid se facere potuisse speraret, qui dixit, Breui necessarios milites non futuros. Ille vero conscius sui, non barbaros timuit, non tyrannos. Quæ deinde felicitas emicuisset, si sub illo principe milites non fuissent? Annonam prouincialibus daret nullus, stipendia de largitionibus nulla erogarentur, æternos thesauros haberet Romana respublica, niE hil expenderetur à principe, nihil à possessore redderetur. aureum profecto seculum promittebat. nulla futura erant castra, nusquam lituus audiendus, arma non erant fabricanda: populus iste militantium, qui nũc bellis ciuilibus rempublicam vexat, pacis studiis incumberet, erudiretur artibus, nauigaret. adde quod nullus occideretur in bello. Dij boni, quid tantum vos offendit Rom. resp. cui talem principem sustulistis? Eant nunc, F qui ad ciuilia bella milites parant, in Germanorum necem, arment dexteras fratrum, hortentur in patrum vulnera liberos: & dignitatem Probo derogent, quam Imperatores nostri prudenter & consecrandam vultibus, & ornandam templis, & celebrandam ludis circensibus indicarunt. Posteri Probi, vel odio inuidiæ, vel timore, Romanam rem fugerunt: & in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium, atque in his regionibus, laG rem locauerunt. Sane, quod præterire non potui, quum imago Probi in Veronensi situ ita fulmine icta esset vt eius prætexta colores mutaret, aruspices responderunt, huius familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore, vt omnes summis honoribus fungerentur. Sed adhuc neminem vidimus. Posteri autem videntur æternitatem habere. Senatus mortem Probi grauissime accepit, æque populus. Et quum esset nuntiatũ, Carum imperare, virum bonum quidem, sed longe à moribus Probi, caussa filij eius Carini, qui semper pes-

per pessime vixerat, tam senatus quam populus inhorruit. Metuebant enim vnusquisque tristiorem principem, sed magis improbum metuebant heredem. Hæc sunt quæ de Probo cognouimus, vel quæ digna memoratu existimauimus. Nunc in alio libro, & quidem breui, de Firmo & Saturnino, & Bonoso, & Proculo dicemus. Non enim dignum fuit vt quadrigæ tyrannorum bono principi misecrentur. Post deinde, si vita suppetit, Carum incipiemus propagare cum liberis.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

FIRMVS, SATVRNINVS, PROCVLVS, ET BONOSVS.

MInusculos tyrannos scio plerosque tacuisse, aut breuiter præterisse. Nam & Suetonius Tranquillus, emendatissimus & candidissimus scriptor, Antonium & Vindicem tacuit, contentus eo quod eos cursim perstrinxerat: & Marius Maximus, qui Auidium Marci temporibus, Albinum & Nigrum Seueri, non suis propriis libris, sed alienis innexuit. Et de Suetonio non miramur: cui familiare fuit amare breuitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui & mythistoricis se voluminibus implicauit, non ad istam descriptionem curamque descendit? At contra Trebellius Pollio, ea fuit diligentia, eaque cura in edendis bonis malisque principibus, vt etiam triginta tyrannos vno breuiter libro concluderet, qui Valeriani & Gallieni, nec multo superiorum aut inferiorum fuere principum temporibus. Quare nobis etiam non minima fuit cura, vt dictis Aureliano, Tacito & Floriano, Probo etiam magno ac singulari principe, quum dicendi essent Carus, Carinus, & Numerianus, de Saturnino, Bonoso, Proculo, & Firmo, qui sub Aureliano fuerant, non taceremus. Scis enim, mi Basse, quanta nobis contentio proxime fuerit cum amatore historiarum M. Fonteio, quum ille diceret FIRMVM, qui Aureliani temporibus Ægyptum occupauerat, latrunculum fuisse, non principem: contra ego, mecumque Rufus Celsus, & Ceionius Iulianus, & Fabius Sosianus contenderent, dicentes illum & purpura vsum, & percussa moneta Augustum esse vocitatum. quinetiam nummos eius Seuerus Archontius protulit: de Græcis autem Ægyptiisque libris conuicit, illum αὐτοκράτορα in edictis suis esse vocitatum. Et illi quidem aduersum nos contendenti hæc sola ratio fuit, quod dicebat Aurelianum in edicto suo non scripsisse quod tyrannum occidisset, sed quod latrunculum quemdam à republ. remouisset: perinde quasi digne tanti princeps nominis debuerit tyrannum appellare hominem tenebrarium, aut non semper *latrones* vocitauerint magni principes eos quos inuadentes purpuras necauerunt. Ipse ego in Aureliani vita prius quam de Firmo cuncta cognoscerem, Firmum non inter purpuratos habui, sed quasi quemdam latronem: quod idcirco dixi, nequis me oblitum existimaret mei. Sed ne volumini, quod breuissimum promisi, multa connectam, veniamus ad Firmum. FIRMO patria Seleucia fuit: tametsi plerique Græcorum alteram tradunt, ignari eo tempore ipso tres fuisse Firmos: quorum vnus, præfect. Ægypti, alter, dux limitis Africani, idemque proconsul, tertius, iste Zenobiæ amicus ac socius: qui Alexandriam Ægyptiorum incitatus furore peruasit, & quem Aurelianus solita virtutum suarum felicitate contriuit. De huius diuitiis multa dicuntur. Nam & vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis, domum induxisse perhibetur: & tantum habuisse de chartis, vt publice sæpe diceret, exercitum se alere posse papyro & glutino. Idem & cum Blemyis societatem maximam tenuit, & cum Saracenis naues quoque ad Indos negotiatorias sæpe misit. ipse quoque dicitur habuisse duos dentes elephanti, pedum denum: è quibus Aurelianus ipse sellam constituerat facere, additis aliis duobus, in qua Iupiter aureus & gemmatus sederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis, Apenninis sortibus additis: quem appellari voluerat *Iouem consulem vel consulentem*. Sed eosdem dentes postea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis fecisse narratur. Et quia nunc scitur, & sciti apud posteros nihil prodetit, taceo. Ita donum Indicum Ioui opt. max. consecratum, per deterrimum principem, & ministerium libidinis factum videtur, & pretium. Fuit tamen Firmus statura ingenti, oculis foris eminentibus, capillo crispo, fronte vulnerata, vultu nigriore, reliqua parte corporis candidus, sed pilosus atque hispidus, ita vt eum plerique *Cyclopem* vocarent. Carne multa vescebatur: struthionem ad diem comedisse fertur. Vini non multum bibit, aquæ plurimum: mente firmissimus, neruis robustissimus, ita vt Triarium vinceret, cuius Varro Ælius meminit. Nam & incudem superpositam pectori constanter aliis tundentibus pertulit, quum ipse reclinus ac resupinus & curuatus in manus, penderet potius quam iaceret. Fuit tamen ei contentio cum Aureliani ducibus ad bibendum, siquando eum tentare voluissent. Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum notissimus potator, quum ad bibendum eumdem prouocasset, situlas duas plenas mero duxit: & toto postea conuiuio sobrius fuit. Et quum ei Burburus diceret, *Quare non faces bibisti?* respondit ille, *Stulte, terra non bibitur.* Leuia persequimur, quum maiora dicenda sint. Hic ergo contra Aurelianum sumpsit imperium, ad defendendas partes quæ supererant Zenobiæ. Sed Aureliano de Carris redeunte superatus est. Multi dicunt laqueo vitam eius finisse. aliud edictis suis

ostēdit, namque quum eum vicisset, tale edictum Romæ proponi iussit: *Amantissimo sui populo Romano Aurelianus Augustus S.D. Pacato vndique gentium toto qua patet orbe terrarum, Firmum etiam latronem Ægyptium, barbaricis motibus æstuantem, & fœmineæ propudij reliquias colligentem, ne plurimum loquar, fugauimus, obsedimus, cruciauimus & occidimus. Nihil est, Romulei Quirites, quod timere possitis. Canon Ægypti, qui suspensus per latronem improbum fuerat, integer veniet, si vobis esset cum senatu concordia, cum equestri ordine amicitia, cum prætorianis affectio. Ego efficiam ne sit aliqua sollicitudo Romana. Vacate ludis, vacate circensibus. Nos publicæ necessitates teneant: vos occupent voluptates. Quare sanctissimi Quirites.* & reliqua. Hæc nos de Firmo cognouisse scire debuisti, sed digna memoratu. Nam ea quæ de illo Aurelianus Festiuus, libertus Aureliani, sigillatim retulit, si vis cognoscere, eumdem oportet legas; maxime quum dicat Firmum eumdem inter crocodilos vnctum, crocodilorum adipibus natasse, & elephantum rexisse, & hippopotamos edisse, & sedentem ingentibus struthionibus vectum esse, & quasi volitasse. Sed hæc scire quid prodest? quum & Liuius & Sallustius taceant res leues de iis quorum vitas scribendas arripuerint. non enim scimus quales mulos Clodius habuerit, aut mulas T. Annius Milo; aut vtrum Tusco equo sederit Catilina, an Sardo; vel quali chlamyde Pompeius vsus fuerit, an purpura. Quare finem de Firmo faciemus, venientes ad Saturninum; qui contra Probum imperium sibimet in orientis partibus vindicauit.

SATVRNINVS.

Saturninus, oriundus fuit Gallis, ex gente hominum inquietissima, & auida semper vel faciendi principis, vel imperij. Huic inter ceteros duces, qui vere summus videretur, Aurelianus limitis orientalis ducatum dedit, sapienter præcipiens ne vmquam Ægyptum videret. Cogitabat enim, quantum videmus, vir prudentissimus, Gallorum naturam, & verebatur ne, si perturbidam ciuitatem vidisset, quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur. Sunt enim Ægyptij (vt satis nosti) viri ventosi, furibundi, iactantes, iniuriosi; atque adeo vani, liberi, nouarum rerum vsque ad cantilenas publicas cupientes, versificatores, epigrammatarij, mathematici, aruspices, medici. nam & Christiani, Samaritæ, & quibus præsentia semper tempora cum enormi libertate displiceant. Ac, ne quis mihi Ægyptiorum irascatur, & meum esse credat quod in litteras retuli, Adriani epistolam, ex libris Phlegontis liberti eius proditam, ex qua penitus Ægyptiorum vita detegitur, indidi. *Adrianus Augustus. Seruiano* COS. S. *Ægyptum quam mihi laudabas, Seruiane carissime, totam didici, leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha quum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidē adorare, ab aliis cogitur Christū. Genus hominum seditiosissimum, vanissimū, iniuriosissimū: ciuitas opulenta, diues, fœcunda, in qua nemo viuat otiosus.*

A *Alij vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: omnes certe lymphiones cuiuscumque artis & videntur & habentur. Podagrosi quod agant habēt, cæci quod agāt habent, cæci quod faciāt: ne chiragrici quidē apud eos otiosi viuūt. Vnus illis deus est, hūc Christiani hūc Iudæi, hunc omnes venerātur & gētes. Et vtinā melius esset morata ciuitas, digna profecto sui profunditate, quæ pro sui magnitudine totius Ægypti teneat principatū. Huic ego cuncta cōcessi, vetera priuilegia reddidi, noua sic addidi vt præsenti gratias*

B *agerent. Denique vt primum inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino quæ dixerunt, comperisse te credo. Nihil illis opto nisi vt suis pullis alantur: quos quemadmodum fœcundent, pudet dicere. Calices tibi allassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conuiuiis adhibeas. Caueas tamen ne his Africanus noster indulgenter vtatur.*

C Hæc ergo cogitans de Ægyptiis Aurelianus, iusserat ne Saturninus Ægyptum videret: & mente quidem diuina. Nam vt primum Ægyptij magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamauerunt, *Saturnine Auguste, dij te seruent*: & ille quidem, (quod negari non potest) vir sapiens, de Alexandrina ciuitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit. Ibi tamen quum cogitare cœpisset, tutum sibi non esse si priuatus viueret, deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade vxo-

D ria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est. Auum meum sæpe dicentem audiui se interfuisse quum ille adoraretur. Flebat (inquit) & dicebat; *Necessarium (si non arroganter dicam) respubl. virum perdidit. Ego certe instauraui Gallias; ego à Mauris possessam Africam reddidi. Ego Hispanias pacaui. Sed quid prodest? omnia hæc affectato semel honore perierunt.* Et quum eum animarent, vel ad vitam, vel ad imperium, qui induerant purpuram, in hæc verba disseruit, *Nescitis*

E *amici, quid mali sit imperare. Gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ vndique, vndique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur: si minus, inest furor. nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.* M. Salui-

F dienus hanc ipsius orationem vere fuisse dicit; & fuit re vera non parum litteratus. Nam & in Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentauerat pergulas magistrales. Et ne longius progrediar, dicendum est quod præcipue ad hunc pertinet. Errare quosdam scio, & putare hunc esse Saturninum qui Gallieni temporibus imperium occupauit: quum hic longe alius fuerit, etiam Probo pene nolente sit occisus. Fertur autem Probus & clementes ad eum

G litteras sæpe misisse, & veniam esse pollicitus: sed milites qui cum eo fuerant, non credidisse. Obsessum denique in castro quodam ab iis quos Probus miserat, inuito Probo esse iugulatum. Longum est friuola quæque connectere, & odiosum dicere quali statura fuerit, quo corpore, quo decore; quid biberit, quid comederit: ab aliis ista dicantur, quæ prope ad exemplum nihil prosunt. Nos ad ea quæ sunt dicenda, redeamus.

PRO-

PROCVLVS.

PRoculo patria Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis. Domi nobilis, sed maioribus latrocinantibus; atque adeo pecore ac seruis, & iis rebus quas abduxerat, satis diues. Fertur denique eo tempore quo sumpsit imperiũ, duo millia seruorum suorum armasse. Huic vxor virago: quę illum in hanc præcipitauit dementiam; nomine Sampso, quod ei postea inditum est: nam ante Viturgia nominata est. Filius Herennianus: quem & ipsum, quinquennium si implesset, (ita enim loquebatur) dicasset imperio. Homo (quod negari non potest) optimus, idemque fortissimus: ipse quoque latrociniis assuetus; qui tamen armatam semper egerit vitam. Nam & multis legionibus tribunus præfuit, & fortia edidit facta. Et quoniam minima quæque iucunda sunt, atque habẽt aliquid gratiæ quum leguntur, tacendum non est quod & ipse gloriatur in quadam sua epistola; quam ipsam melius est ponere quam de ea plurimum dicere. *Proculus Metiano affini S. D. Centum ex Sarmatia virgines cepi. Ex his vna nocte decem iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra dies* xv. *reddidi.* Gloriatur (vt vides) rẽ ineptam, & satis libidinosam: atque inter fortes se haberi credit, si criminum densitate coalescat. Hic tamen, quum etiam post honores militares se improbe & libidinose, tamen fortiter ageret, hortantibus Lugdunẽsibus, qui & ab Aureliano grauiter contusi videbantur, & Probum vehementissime pertimescebant, in imperium vocitatus est ludo pene & ioco, vt Onesimus dicit, quod quidẽ apud nullum alium reperisse me scio. Nam quum in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, *Aue*, inquit, *Auguste*. allataque lana purpurea, humeris eius iunxit, eumque adorauit. timor inde consciorum; atque inde iam exercitus tentatio & imperij. Non nihilum tamẽ Gallis profuit. Nam Alamanos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit, numquam aliter quã latrocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum vsque ad vltimas terras, & cupientem in Francorum auxiliũ venire, (à quibus originem se trahere ipse dicebat) ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit & interemit. Posteri eius etiam nunc apud Albingaunos agunt; qui ioco solent dicere, sibi non placere esse vel principes vel latrones. Hæc digna memoratu de Proculo didicisse memini. Veniamus ad Bonosum, de quo multa minora condidi.

BONOSVS.

BOnosus, homo Hispaniensis fuit, origine Britannus; Galla tamen matre: vt ipse dicebat, rhetoris filius, vt ab aliis comperi, pædagogi litterarij. Paruulus patrem amisit, atque à matre fortissima educatus, litterarum nihil didicit. Militauit primum inter ordinarios, deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit, dux limitis Rhætici fuit: bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat, *Non vt viuat natus est, sed vt bibat.* quem quidem diu in honore habuit caussa militiæ. Nam siquando legati barbarorum vndecumque gentium venissent, ipsis propinabat, vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius: &, vt Onesimus dicit scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudẽtior. Habuit præterea rem mirabilem, vt quantum bibisset, tantum mingeret: neque vmquam aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauaretur. Hic idem, quum quodã tẽpore in Rheno Rom. lusorias Germani incẽdissent, timore ne pœnas daret, sumpsit imperium: idque diutius tenuit quam rebatur. Nam lõgo grauique certamine à Probo superatus, laqueo vitam finiuit. Tunc quidẽ iocus exstitit, *Amphoram pendere, non hominẽ.* Filios duos reliquit; quib. ambobus Probus pepercit, vxore quoque eius in honore habita, & vsque ad mortem salario præstito. Fuisse enim dicitur (vt & auus meus dicebat) fœmina singularis exempli & familiæ nobilis gẽtis Gotthicæ: quam illi Aurelianus vxorem idcirco dederat, vt per eum à Gotthis cuncta cognosceret. Erat enim illa virgo regalis. Exstant litteræ ad legatum Thraciarum scriptæ, de iis nuptiis & donis quæ Aurelianus Bonoso dari nuptiarum caussa iussit, quas ego inserui: *Aurelianus Augustus Gallonio Auito salutem. Superioribus litteris scripseram, vt optimates Gotthicas apud Perinthum collocares, decretis salariis non vt singulæ acciperent, sed vt septem simul vnum conuiuium haberent. Quum enim diuisæ accipiunt, & illæ parum sumunt, & resp. plurimum perdit. Nunc tamen quoniam placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei iuxta breue infrascriptum omnia quæ præcipimus: sumptu etiam publico nuptias celebrabis. Breuis numerus fuit: Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas: tunicam auroclauatam subsericam librilem vnam, interulas dilores duas, & reliqua quæ matronæ conueniunt. Ipsi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris* L L S. *decies.* Hæc me legisse teneo de Bonoso: & potui quidem horum vitam præterire, quos nemo quærebat: attamen, ne quid fidei deesset, etiam de iis quæ didiceram, intimanda curaui. Supersunt mihi Carus, Carinus, & Numerianus: Nam Diocletianus & qui sequuntur, maiore stylo dicendi sunt.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,
CARVS NVMERIANVS ET CARINVS,

FAto rempublicam regi, eamque nunc ad summum euehi nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit. Nam quum ducta per tempora, variis vel erecta motibus vel afflicta, nunc tempestate aliqua nunc felicitate variata, omnia prope passa esset quæ patitur in homine vno mortalitas, videbatur post diuersitatem malorum iam secura continuata felicitatis mensura, post Aurelianum vehementem principem Probo ex sententia senatus & populi, leges & gubernacula temperante. Sed ruina ingens, vel naufragij modo vel incendij, accensis fataliter militibus, sublato è medio tali principe, in eam desperationem votum publicum redegit, vt timerent omnes Domitianos, Vitellios, & Nerones. *Plus enim timetur de incertis moribus principis*, maxime in ea republica quæ recentibus confossa vulneribus, Valeriani captiuitatem, Gallieni luxuriam, xxx. etiam prope tyrannorum, cæsa ciuilium membra sibimet vindicantium, perpessa mœruerit. Nam si volumus ab ortu vrbis repetere quas varietates sit passa Rom. respublica inueniemus nullam magis vel bonis floruisse, vel malis laborasse. Et vt à Romulo incipiam, vero patre ac patente reipublicæ, quæ illius felicitas; qui fundauit, constituit, roborauitque rempublicam atque vnus omnium conditorum perfectam vrbem reliquit? Quid deinde Numam loquar: qui frequentem bellis & grauidam triumphis ciuitatem religione muniuit? Venit igitur vsque ad Tarquinij Superbi tempora nostra respublica, sed passa tempestatem de moribus regiis non sine graui exitio semet vlta est. Adoleuit deinde vsque ad tempora Gallicani belli: sed quasi quodam mersa naufragio, capta præter arcem vrbe, plus pene mali sensit quam tunc boni habuerat. Reddidit se deinde in integrum: sed eousque grauata est Punicis bellis ac terrore Pyrrhi, vt mortalitatis mala præcordiorum timore sentiret. Creuit deinde victa Carthagine, trans maria missis imperiis: sed socialibus affecta discordiis, extenuato felicitatis sensu, vsque ad Augustum bellis ciuilibus confecta consenuit: per Augustum deinde reparata: si reparata dici potest, libertate deposita. Tamen vtcumque, etiamsi domi tristis fuit, apud exteras gentes effloruit. Passa deinceps tot Nerones, per Vespasianum caput extulit. Nec omni Titi felicitate læta, Domitiani vulnerata immanitate, per Neruam atque Traianum vsque ad Marcum solito melior, Commodi vecordia & crudelitate lacerata est: nullum post hæc, præter Seueri diligentiam, vsque ad Alexandrum Mammææ sensit bonum. Longum est, quæ sequuntur, vniuersa connectere. Vti enim principe Valeriano non potuit, & Gallienum per quindecim annos passa est. Inuidit Claudio longinquitatem imperij, amans varietatum prope & semper inimica fortuna iustitiæ. Sic enim Aurelianus occisus est, & sic Tacitus absumptus, sic Probus cæsus, vt appareat *nihil tam gratum esse fortunæ, quam vt ea quæ sunt in publicis actibus, euentuum varietate mutentur.* Sed quorsum talibus querelis & temporum casibus detinemur? veniamus ad CARVM, mediū (vt ita dixerim) virum, inter bonos magis quam inter malos principes collocandum; & longe meliorem, si Carinum non reliquisset heredem. Cari patria sic ambigue à plerisque proditur, vt præ studio diuersitatis dicere nequeā quæ illa vera sit. Onesimus enim, qui diligentissime vitam Probi scripsit, dicit Romæ illum & natum & litteris eruditum: sed Illyricianis parentibus fuisse contēdit. Sed Fabius Cerilianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani sollertissime persequutus est, neque Romæ, sed in Illyrico genitum; neque Pānoniis, sed Pœnis parentibus asserit natum. In ephemeride quadam legisse memini, Carum Mediolanensem fuisse: sed autem iuri Aquileiensis ciuitatis insertum. Ipse, quod negari non potest, vt epistola eius indicat quam proconsul ad legatum scripsit, quum eum ad bona hortaretur officia, Romanus vult videri. Epistola Cari. *Carus Manlius Aurelianus proconsul Ciliciæ, Iunio legato suo. Maiores nostri, Romani illi principes, in legatis creandis hac vsi sunt consuetudine, vt morum suorum specimen per eos ostenderent quibus rempublicam delegabant. Ego vero, si ita non esset, aliter non fecissem: feci aliter, si te iuuante non fallar. Fac igitur vt maioribus nostris, id est Romanis non discrepemus viris.* Vides quod tota epistola maiores suos Romanos vult intelligi. Indicat & oratio eius ad senatum data, istam generis prærogatiuam. Nam quū primum Imperator esset creatus, sic ad senatorū ordinem scripsit inter cætera: *Gaudendum est itaque P.C. quod vnus ex vestro ordine, vestri etiam generis, Imperator est factus. Quare adnitemini ne meliores peregrini quam vestri esse videantur.* Hoc quoque loco satis clarum est illum voluisse intelligi se esse Romanum, id est Roma oriundum. Hic igitur per ciuiles & militares gradus, vt tituli statuarum eius indicant, præf. præt. à Probo factus, tantum sibi apud milites amoris locauit, vt interfecto Probo tanto principe, solus dignissimus videretur imperio. Non me præterit, suspicatos esse plerosque, & eos in fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum, sed neque meritum Probi erga Carum, neque Cari mores id credi patiuntur: simul quia Probi mortem & acerrime & constantissime vindicauit. Quid autem de eo Probus senserit, indicant litteræ de eius honoribus ad senatum datæ. *Probus Augustus amantissimo senatui suo salutem dicit.* Inter cætera: *Felix esset nostra resp. si qualis Carus est, aut plerique vestrum, plures haberem in actibus collocatos. Quare equestrem statuam viro morum veterum, si vobis placet, decernendam censeo: adduto eo, vt publico sumptu, vel eidem exædificetur domus, marmoribus à me delatis. Decet enim nos talis integritatem remunerari viri:* & reliqua. Ac ne minima quæque conectam, & ea quæ apud alios poterunt inueniri; vbi primum accepit imperium, consensu omnium militū bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus est, liberis

liberis Cæsaribus nuncupatis; & ita quidem, vt A
Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret: secum vero Numerianum, adolescentem cum lectissimum, tum etiam disertissimum duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse se miserum, quod Carinum ad Gallias principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani vt illi Gallicanum, quod maxime constantem principem quærit, crederetur imperium. Sed hæc alias. Nam exstant iam litteræ Cari, quibus apud præf. suum B
de Carini moribus queritur. vt appareat verum esse quod Onesimus dicit, habuisse in animo Carū vt Carino Cæsareum abrogaret imperium. Sed hęc (vt diximus) alias in vita Carini dicenda sunt. Nunc ad ordinem reuertamur. Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico, quod gerebat, contra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam Carus cepit, & Ctesiphuntem vsque peruenit. Occupatisque Persis domestica seditione, Imperatoris C
Persici nomen meruit. Verum quum auidus gloriæ, præfecto suo maxime vrgante, qui & ipsius & filij eius quærebat exitium, cupiens imperare; longius progressus esset, vt alij dicunt, morbo, vt plures, fulmine interemptus est. Negari non potest, eo tempore quo perijt, tantum fuisse subito tonitruum, vt multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Quum igitur ægrotaret atque in tentorio iaceret, ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori (vt diximus) tonitru, exanimatus est. Iunius Calphurnius qui ad memo- D
riam dictabat, talem ad præfect. vrbis super morte Cari epistolā dedit. Inter cetera, *Quum*, inquit, *Carus princeps noster vere carus ægrotaret, tanti turbines subito exorta tempestas est vt caligarent omnia, neque alter alterum nosceret: coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio, omnibus nobis veritatis sciētiam sustulit. Subito enim cōclamatum est imperatorem mortuum & post illud præcipue tonitruum quod cuncta terruerat. His accessit quod cubicularij, dolentes principis mortem, incenderunt tentorium. Vnde fama emersit, fulmine interemptum eum: quem, quantum scire possumus, ægritudine cōstat absumptū.* Hanc ego epistolam idcirco indidi, quod plerique dicunt vim fati quamdam esse vt Rom. princeps Ctesiphontem transire non possit: ideoque Carum fulmine absumptum, quod eos fines transgredi cuperet, qui fataliter constituti sunt. *Sed sibi habeat artes suas timiditas calcanda virtutibus.* Licet F
plane, ac licebit per sacratissimū Cæsarem Maximianum Persas vincere, atque vltra eos progredi: & futurum reor, si à nostris non deseratur promissus numinū fauor. Bonum principem Carum fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam quod statim adeptus imperium, Sarmatas adeo morte Probi feroces vt inuasuros se non solum Illyricū sed Thracias quoque Italiamque minarentur, ita inter bella patiendo contudit, vt paucissimis die- G
bus Pannonias securitate donauerit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diuersi sexus viginti millibus. Hęc de Caro satis esse credo. Veniamus ad Numerianum; cuius & vicinior patri, & admirabilior per socerum suum facta videtur historiam. Et quamuis Carinus maior ætate fuerit, prior etiam Cæsar sit nuncupatus, tamen necesse est vt prius de Numeriano loquamur, qui patris sequutus est mortem: post de Carino, quem vir reipublicæ necessarius, augustus Diocletianus, habitis conflictibus interemit.

NVMERIANVS.

NVmerianus Cari filius, moratus egregie & vere dignus imperio, eloquentia etiam præpollens, adeo vt publice declamauerit, feranturque illius scripta nobilia, declamationi tamē quā Tulliano accommodatiora stylo. Versu autem talis fuisse prædicatur, vt omnes poëtas sui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, & ναυτικὰ scripsit, quique omnibus coloniis illustratus emicuit: & Aurelium Apollinarem amborum scriptorem, qui patris eius gesta in litteras retulit, iisdem quæ recitauerat editis, veluti radio solis obtexit. Huius oratio fertur ad senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, vt illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Vlpia, cui subscriptum est, NVMERIANO CÆSARI, ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Hic patri comes fuit bello Persico: quo mortuo quum nimio fletu oculos dolere cœpisset, quod illud ægritudinis genus nimia (vtpote familiarissima) confectus angustia incurrisset: dum lectica portaretur, factione Arrij Apri soceri sui, qui inuadere conabatur imperiū, occisus est. Sed quum per plurimos dies de Imperatoris salute quæreretur a milite, concionareturque Aper, idcirco illum videri non posse quod oculos inualidos à vento ac sole subtraheret, fœtore tamen cadaueris res esset prodita, omnes inuaserunt Aprum, cuius factio latere non potuit: eumque ante signa & principia protraxere. Tunc habita est ingens concio, factum etiam tribunal. Et quum quæreretur quis vindex Numeriani iustissimus fieret, quis daretur reip. bonus princeps, DIOCLETIANVM omnes diuino consensu, cui multa iam signa facta dicebantur imperij, Augustum appellauerunt, domesticos tunc regentē virum insignem, callidum amantem reipublicæ, amantem suorum, & ad omnia quæ tempus quæsierat, paratum: consilij semper alti, nonnumquā tamen effrontis, sed prudentis, nimia peruicacia motus inquieti pectoris cumprimentis. Hic quū tribunal conscendisset, atque Augustus esset appellatus, & quæreretur quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio Aprum præf. præt. ostentans percussit, addens verbis suis, *Hic est auctor necis Numeriani.* Sic Aper seipsum fœdauit, & deformibus consiliis agens, dignum moribus suis exitū dedit. Auus meus retulit se interfuisse concioni, quū Diocletiani manu esset Aper occisus: percussisse autem dicebat Diocletianum, & dixisse, *Gloriare Aper, magni Æneæ dextera cadis.* Quid ego miror de homine militari, quamuis sciam plurimos plus quam militares vel Græce vel Latine, vel comicorum vsurpare dicta, vel talium poëtarum. Ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, vt eos faciant vetera dicta vsurpare. Nam &, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris,* Liuij Andronici dictum est: multaque alia quæ Plautus Cæciliusque posuerunt. Curiosum non puto, neque satis vulgare, fabellam de Diocletiano Augusto ponere hoc conuenientem loco, quæ illi data est ad omen imperij. Auus meus mihi retulit ab ipso Diocletiano compertum. Quum (inquit) Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in mino-

ribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem conuictus sui quotidiani faceret, atque illa diceret, *Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es*; ioco non serio, Diocletianus respondisse fertur, *Tunc ero largus quum Imperator fuero.* Post quod verbum Druias dixisse fertur, *Diocletiane, iocari noli: nam Imperator eris quum Aprum occideris.* Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperij cupiditatem; idque Maximiano conscio, atque auo meo, cuius hoc dictum à Druide ipse retulerat. Denique, vt erat altus, risit & tacuit. Apros tamen in venationibus, vbi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique quum Aurelianus imperium accepisset, quum Tacitus, quum Probus, quum ipse Carus, Diocletianus dixit, *Ego semper apros occido, sed alter semper vtitur pulpamento.* Iam illud notum est atque vulgatum, quod quum occidisset Aprum præfect. prætorio, dixisse fertur, *Tamdem Aprum fatalem occidi.* Ipsum Diocletianum idem auus meus dixisse dicebat, nullam aliam fuisse sibi caussam occidendi manu sua Aprum, nisi vt impleret Druidis dictum, & suum firmaret imperium. Non enim tam crudelem se innotescere cuperet, primis maxime diebus imperij, nisi illum necessitas ad hanc atrocitatem occisionis attraheret. Dictum est de Caro, dictum etiam de Numeriano: superest nobis Carinus.

CARINVS.

CArinus homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor iuuentutis, (pudet dicere quod in litteras Onesimus retulit) ipse quoque male vsus genio sexus sui. Hic, quum Cæsar decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis & Africa, relictus à patre Cæsarianum teneret imperium, sed ea lege vt omnia faceret quæ Augusti faciunt; enormibus se vitiis & ingenti fœditate maculauit. Amicos optimos quosque relegauit: pessimum quemque elegit aut tenuit: præfect. vrbi vnum ex cancellariis suis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici. Præfectum præt. quem habebat, occidit: in eius locum Matronianum, veterem conciliatorem, fecit: vnum ex his notarium quem stuprorum & libidinum conscium semper atque adiutorem habuerat, inuito patre consulem fecit. Superbas ad senatum litteras dedit. Vulgo vrbis Romæ, quasi populo Romano, bona senatus promisit. Vxores ducendo ac reiiciendo nouem duxit, pulsis plerisque prægnantibus. Mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus atque lenonibus, palatium impleuit. Fastidium subscribendi tantum habuit, vt impurum quendam, cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret: quem obiurgabat plerumque quod bene suam imitaretur manum. Habuit gemmas in calceis: nisi gemmata fibula vsus non est. Balteum etiam sæpe gemmatum. vt regem denique illum Illyrici plerique vocitarent. Præfectus numquam coss. obuiam processit. Hominibus improbis plurimum detulit; eosque ad conuiuium semper vocauit. Centum libras auium, centum piscium, mille diuersæ carnis, in conuiuio suo frequenter exhibuit. Vini plurimum effudit. Inter poma & melones natauit. Rosis Mediolanensibus & triclinia & cubicula strauit. Balneis ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ suppositoriæ, frigidariis semper niualibus. Quum hiemis tempore ad quemdam locum venisset in quo fons erat aqua pertepida, (vt solet per hiemem naturaliter; eaque in piscina vsus esset, dixisse balneatoribus fertur, *Aquam mihi muliebrem præparatis:* atque hoc eius clarissimum dictum effertur. Audiebat pater eius quæ ille faceret, & clamabat, *Non est meus.* Statuerat denique Constantium (qui postea Cæsar est factus, tunc autem præsidatum Dalmatiæ administrabat) in locum eius subrogare, quod nemo tunc vir melior videbatur; illum vero (vt Onesimus dicit) occidere. Longum est si de eius luxuria plura velim dicere. Quicumque ostiatim cupit noscere, legat etiam Fuluium Asprianum, vsque ad tædiũ gestorum eius vniuersa dicentem. Hic vbi patrem fulmine absumptum, fratrem à socero interemptum, Diocletianum Augustum appellatum comperit, maiora vitia & scelera edidit; quasi iam libera frenis, domesticæ pietatis suorum moribus absolutus. Nec ei tamen defuit ad vindicandum sibimet imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianum multis prœliis conflixit. Sed vltima pugna apud Murtium commissa, victus occubuit. Hic trium principum finis fuit, Cari, Numeriani, & Carini: post quos DIOCLETIANVM & MAXIMIANVM principes dij dederunt, iungentes talibus viris GALERIVM atque CONSTANTIVM: quorum alter natus est qui acceptam ignominiã Valeriani captiuitate, deleret; alter, qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor sane principes mundi fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, vnum in republica sentientes; præterea senatus Rom. moderati, populo amici, potestate graues, religiosi, & quales principes semper orauimus: quorum vitam singulis libris Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistolis fuit, scripsit: quod idcirco dixi, ne quis à me tantam rem quæreret, maxime quum vel viuorum principum vita non sine reprehensione dicatur. Memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in palatio circa porticum stabuli pictos vidimus. Nam & Neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & Tichobaten, qui per parietem vrso eloso cucurrit: & vrsos mimum agentes: & item centum salpistas vno crepitu concinentes: & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos & gymnicos mille: pegma præterea, cuius flammis scena conflagrauit: quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit. Mimos præterea vndique aduocauit. Exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est. Exhibuit Cyclopem adornatum. & Græcis artificibus & gymnicis, & histrionibus, & musicis, aurum & argentum donata, & vestis serica. Sed hæc omnia nescio quantum ad populum gratiæ habeant: nullius certe sunt momenti apud principes bonos. Diocletiani denique dictum fertur, quum ei quidam largitionalis suus editionem Cari laudaret, dicens multum placuisse principes illos caussa ludorum theatralium ludorumque circensium, *Ergo,* inquit, *bene risus est imperio suo Carus.* Denique quum omnibus gentibus aduocatis Diocletianus daret ludos, parcissime vsus liberalitate, dicens, *castiores esse oportere ludos spectante censore.* Legat hunc locum Iunius Messala, quem ego libere culpare audeo. Ille enim patrimonium suum scenicis dedit, heredibus abnegauit: matris tunicam dedit

mimæ,

mimæ, lacernam patris mimo: & recte si auiæ pal A lio aurato atque purpurato, pro syrmate tragœdus vteretur. Inscriptum est adhuc in choraulæ pallio tyrianthino, quo ille velut spolio nobilitatis exsultat, Messalæ nomen & vxoris. Iam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles? Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini, Africanæ opes in scena non prius visæ. Et hæc quidem idcirco ego in litteras retuli, quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua, proscriptis legitimis heredibus, mimis & balatronibus deputarent. Habe mi amice meum munus, quod ego (vt sæpe dixi) non eloquentiæ caussa, sed curiositatis, in lumen edidi: id præcipue agens, vt si quis eloquentiæ vellet facta principum referre, materiam non requireret, habiturus meos libellos ministros eloquij. Te quæso sis contentus; nosque sic voluisse scribere, meliusque potuisse, contendas.



AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
DECIMVSQVARTVS.





POST emensos insuperabilis expeditionis euentus, languentibus partium animis, quas periculorum varietas fregerat & laborum, nondum tubarum cessante clangore, vel milite locato per stationum hiberna fortunæ sæuientis procellæ tempestates alias rebus infudere communibus, per multa illa & dira facinora C Cæsaris Galli, qui ex squalore nimio miseriarum, in ætatis adultæ primitiis, ad principale culmen insperato cultu prouectus, vltra terminos potestatis delatæ procurrens, asperitate nimia cuncta fœdabat. Propinquitate enim regiæ stirpis, gentilitateq; etiamnum Constantini nominis, efferebatur in fastus, si plus valuisset, ausurus hostilia in auctorem suæ felicitatis, vt videbatur. cuius acerbitati vxor graue accesserat incentiuum, germanitate Augusti turgida supra modum, quam An- D nibaliano regi fratris filio antehac Constantinus iunxerat pater: Megæra quædam mortalis, inflammatrix sæuientis adsidue, humani cruoris auida nihil mitius quam maritus: qui paulatim eruditiores facti processu temporis ad nocendum, per clandestinos versutosque rumigerulos, compertis leuiter addere quædam male suetos, falsa & placentia sibi discentes, affectati regni vel artium nefandarum calumnias insontibus adfingebant. E- E minuit autem inter humilia, supergressa iam potentia fines mediocrium delictorum, nefanda Clematij cuiusdam Alexandrini nobilis mors repentina: cuius socrus cum misceri sibi generum flagrans, eius amore non impetrato, vt ferebatur, per palatij pseudothyrum introducta, oblato pretioso reginæ monili, id assequuta est vt ad Honoratum, tum comitem orientis, formula missa, letali odio, scelere nullo contactus idem Clematius, nec hiscere nec loqui permissus occideretur. Post hoc B impie perpetratum, quod in aliis quoque iam timebatur tamquam *licentia crudelitati indulta*, per suspicionum nebulas æstimati quidam noxij damnabantur: quorum pars necati, alij puniti bonorum multatione, actique laribus suis extorres, nullo sibi relicto præter querelas & lacrymas, stipe collaticia victitabant: & ciuili iustoque imperio ad voluntatem conuerso cruentam, claudebantur opulentæ domus & claræ. Nec vox accusatoris vlla, licet subditi, in his malorum quærebatur aceruis, vt saltem specie tenus crimina præscriptis legum committerentur; quod aliquoties fecere principes sæui. sed quidquid Cæsaris implacabilitati sedisset, id velut fas iusque perpensum, confestim vrgebatur impleri. Excogitatum est super his, vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis adsistendo, peruadendoque diuites domos egentium habitu, quidquid noscere poterant vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant: id obseruantes conspiratione concordi, vt fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius: laudes vero supprimerent Cæsaris, quas inuitis complutibus formido malorum impendentium exprimebat. Et interdum acciderat vt siquid in penetrali secreto, nullo citeriore eius vitæ ministro præsente, paterfamilias vxori susurrasset in aurem, velut Amphiarao referente aut Martio, quondam vatibus inclytis, postridie disceret Imperator. Ideoque etiam parietes, arcanorum soli conscij, timebantur. Adolescebat autem obstinatum propositum erga hæc & similia multa scrutandi, stimulos admouente regina, quæ abrupta è mariti fortuna stridebat in exitium præceps: quum eam potius *lenitate fœminea ad veritatis humanitatisque viam reducere vtilia suadendo* deberet; vt in Gordianorum actibus factitasse Maxi-

A mini trucolenti illius Imperatoris retulimus cõiugem. Nouo denique perniciosoque exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium graue, quod Romæ cum vltimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus & adhibitis paucis clam ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita, quæritando Græco sermone, cuius erat impendio gnarus, quid de Cæsare quisque sentiret. & hæc confidenter agebat in vrbe, vbi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem. B Postremo agnitus sæpe, iamque si prodisset, conspicuum fore se contemplans, non nisi luce palam egrediens ad agenda quæ putabat seria, cernebatur. Et hæc quidem, medullitus multis gementibus, agebantur. Thalassius vero ea tempestate præfectus prætorio, præsens ipse quoque arrogantis ingenij, considerans incitationem eius ad multorum augeri discrimina, non maturitate vel consiliis mitigabat, vt aliquoties *celsæ potestates iras principum molliuerunt*, C sed aduersando iurgandoque, quum parum congrueret, ad rabiem eum potius elubrabat, Augustum, actus eius exaggerando, crebertime docens, idque (incertum qua mente) ne lateret affectans. Quibus mox Cæsar acrius efferatus, velut contumaciæ quoddam vexillum altius erigens, sine respectu salutis alienæ vel suæ, ad verenda supposita, instar rapidi fluminis, irreuocabili impetu ferebatur. Nec sane hæc pernicies sola orientem diuersis cladibus affligebat. D Namque & Isauri, quibus vsitatum est sæpe palari, sæpeque inopinis excursibus cuncta miscere, ex latrociniis occultis & raris, *alente impunitate adolescentem in peius audaciam*, ad bella grauia proruperunt: diu quidem perduelles spiritus irrequietis motibus erigentes, hac tamen indignitate perciti vehementer, vt iactabant, quod eorum quidam capti consortes, apud Iconium Pisidiæ oppidum, in amphitheatrali spectaculo feris prædatricibus obiecti sunt, præter morem. Atque, vt E Tullius ait, vt *etiam feræ monitæ plerumque ad eum locum vbi aliquando pastæ sunt, reuertuntur*: ita omnes instar turbinis digressi montibus impeditis & arduis, loca petiuere mari confinia. Per quæ in latebrosis sese conuallib. occultantes, quum appeteret nox, luna etiam tum cornuta, ideoque nõdum solido splendore fulgente, nauticos obseruabant. quos quum in somnum sentirent effusos, per ancoralia quadrupedo gradu repentes sescque suspensis passibus iniectantes in scaphas, eisdem F nihil opinantibus adsistebant: & incendente auiditate sæuitiam, ne cedentium quidẽ vlli parcendo, obtruncatis omnibus, merces opimas vel vtiles nullis repugnantibus auertebant: hæcque non diu sunt perpetrata. Cognitis enim viatorum cæsorum funeribus, nemo deinde ad has stationes appulit nauem: sed vt Scironis prærupta letalia declinantes, litoribus Cypriis contigui nauigabant, qua Isauriæ scopulis sunt controuersa. Procedente igitur mox tempore, quum aduectitium nihil G inueniretur, relicta ora maritima, in Lycaoniam adnexam Isauriæ, se contulerunt: ibique densis intet obsidentium itinera prætenturis, prouincialiũ & viatorum opibus pascebantur. Excitauit hic ardor milites, per municipia plurima, quæ iisdem conterminant, dispositos & castella: & quisque serpentes latius pro viribus repellere moliens, nunc globis confertos, aliquoties & dispersos, multitudine superabatur ingenti: quæ natã & educata inter editos recuruosque ambitus montium,

eos vt loca plana persultat & mollia, missilibus obuios eminus lacessens, & vlulatu truci perterrens. Coactique aliquoties nostri pedites ad eos persequendos scandere cliuos sublimes; etiamsi lapsantibus plãtis frutecta prensando vel dumos, ad vertices venerint summos; inter arcta tamen & inuia nullas acies explicare permissi, nec firmare nisu valido gressus, hoste discursatore rupium abscisa voluente superne, periculose per prona discedunt: aut ex necessitate vltima fortiter dimicantes, ruinis ponderum immanium consternuntur. Quamobrem circumspecta cautela obseruatum est deinceps, & quum edita montium petere cœperint grassatores, loci iniquitate milites cedunt: vbi autem in planicie potuerint reperiri, quod contingit adsidue, nec exsertare lacertos, nec crispare permissi tela, quæ vehunt bina vel terna, pecudum ritu inertiuo trucidantur. Metuentes igitur iidem latrones Lycaoniam magna parte campestrem, quum se impares nostris fore congressione stataria documentis frequentibus scirent, tramitibus deuiis petiuere Pamphyliam diu quidem intactam, sed timore populationum & cædium, milite per omnia diffuso propinqua, magnis vndique præsidiis communitam. Raptim igitur properantes, vt motus sui rumorem celeritate nimia præuenirent, vigore corporum ac leuitate confisi, per flexuosas semitas ad summitates collium tardius euadebant. Et quum superatis difficultatibus arduis, ad supercilia venissent fluuii Melanis alti & verticosi, qui pro muro tuetur accolas circumfusos, vrgente nocte adulta temporeque, quieuere paulisper, lucem opperientes. Arbitrabantur enim, nullo impediente transgressi, inopino accursu opposita quæque vastare. Sed incassum labores pertulere grauissimos. Nam sole orto, magnitudine angusti gurgitis & profundi à transitu arcebantur: & dum piscatorios quærunt lenunculos, vel ionare temere contextis ratibus parant, effusæ legiones, quæ hiemabant tunc apud Sidenstam, impetu occurrere veloci: & signis prope ripam locatis ad manus comminus conserendas, densas scutorum compages scientissime præstruebant: ausos quoque aliquos fiducia nandi vel cauatis arborum truncis amnem permeare latenter, facillime trucidarunt. Vnde tentatis ad discrimen vltimum artibus multum, quum nihil impetraretur, pauore vique repellente extrusi, & quo tenderent ambigentes, venere prope oppidum Laranda. ibi victu recreati & quiete, postquam abierat timor, vicos opulentos adorti, equestrium adiumento cohortium, quæ casu propinquabant, nec resistere planicie porrecta conati, digressi sunt: retroque concedentes, omne iuuentutis robur relictum in sedibus acciuerunt. Et quoniam inedia graui adflictabantur, locum petiuere Paleas nomine, vergentem in mare, valido muro firmatum: vbi conduntur nunc vsque commeatus, distribui militibus omne latus Isauriæ defendentibus adsueti. Circumstetere igitur hoc monimentum per triduum & trinoctium: & quum neque accliuitas ipsa sine discrimine adiri letali, nec cuniculis quidquam geri posset, nec procedebat vllum obsidionale commentum, mœsti excedunt; postremo ira subeunte maiora viribus aggressuri. Proinde concepta rabie sæuiore, quam desperatio incendebat & fames, amplificatis viribus ardore incohibili in excidium vrbium matris Seleuciæ efferebantur, quam Comes tuebatur Castritius,

ſtritius, treſque legiones bellicis ſudoribus indu-
ratæ. Horum aduentum prædocti ſpeculationi-
bus fidis rectores militum, teſſera data ſolenni, ar-
matos omnes celeri eduxere procurſu: & agiliter
prætertio Calycadni fluminis ponte, cuius vnda-
rum magnitudo murorum alluit turres, in ſpecie
locauere pugnandi. Neque tamen exſiliuit quiſ-
quam, nec permiſſus eſt congredi. Formidabatur
enim flagrans veſania manus, & ſuperior nume-
ro, & ruitura ſine reſpectu ſalutis in ferrum. Viſo
itaque exercitu procul, auditoque liticinum cãtu,
repreſſo gradu parumper ſtetere prædones: exſer-
tanteſque minaces gladios, poſtea lentius incede-
bant. quibus occurrere bene pertinax miles ex-
plicatis ordinibus parans, haſtiſque feriens ſcuta,
(qui habitus iram pugnantium concitat & dolo-
rem) proximo iam geſtu terrebat. Sed eum in cer-
tamen alacriter conſurgentẽ reuocauere ductores
rati intempeſtiuum, anceps ſubire certamen, quũ
haud longe muri diſtarent, quorum tutela ſecuri-
tas poterat in ſolido locari cunctorum. Hac icti
perſuaſione, reducti intra mœnia bellatores, obſe-
ratis vndique portarum aditibus, propugnaculis
inſiſtebant & pinnis, congeſta vndique ſaxa tela-
que habentes in promptu: vt ſi quis ſeſe proripuiſ-
ſet vlterius, multitudine miſſilium ſterneretur &
lapidum. Illud tamen clauſos vehementer ange-
bat, quod captis nauigiis, quæ frumenta vehebant
per flumen, Iſauri quidem alimentorum copiis ad-
fluebant; ipſi vero ſolitarum rerum cibos iam cõ-
ſumendo, inediæ propinquantis ærumnas exitia-
les horrebant. Hæc vbi latius fama vulgaſſet, miſ-
ſæque relationes aſſiduæ Gallum Cæſarem permo-
uiſſent, quoniam magiſter equitum longius ea tẽ-
peſtate diſtinebatur, iuſſus Comes orientis Nebri-
dius, cõtractis vndique militaribus copiis, ad exi-
mendam periculo ciuitatem amplam & oppor-
tunam, ſtudio properabat ingenti, quo cognito ab-
ſceſſere latrones, nulla re amplius memorabili
geſta: diſperſique (vt ſolent) auia montium petie-
re celſorum. Eo adducta re per Iſauriam, rege Per-
ſarum bellis finitimis illigato, repellenteque à cõ-
limitiis ſuis ferociſſimas gentes, quæ mente qua-
dam verſabili hoſtiliter eum ſæpe inceſſunt, & in
nos arma mouentem aliquoties iuuant; Nohoda-
res quidam nomine, è numero optimatum, incur-
ſare Meſopotamiam, quoties copia dederit, ordi-
natus, explorabat noſtra ſollicite, ſi repeiſſet vſ-
quam locum, vi ſubita perrupturus. Et quia Me-
ſopotamiæ tractus omnes crebro inquietari ſue-
ti, prætenturis & ſtationibus ſeruabantur agra-
riis, læuorſum flexo itinere, Oſdruenæ ſubſede-
rat extimas partes, nouum parumque aliquando
tentatum commentum adgreſſus: quod ſi impe-
traſſet, fulminis modo cuncta vaſtaret. Erat autem
quod agitabat, huiuſmodi: Batne, municipium in
Anthemuſia conditum Macedonum manu priſ-
corum, ab Euphrate flumine breui ſpatio diſpara-
tur, refertum mercatoribus opulentis: vbi annua
ſollennitate, prope Septembris menſis initium, ad
nundinas magna promiſcuę fortunæ conuenit
multitudo, ad commercanda quæ Indi mittunt &
Seres, aliaque plurima vehi terra marique conſue-
ta. Hanc regionem præſtitutis celebritati diebus
inuadere parans dux ante dictus, per ſolitudines
Aboræque amnis herbidas ripas, ſuorum indicio
proditus, qui admiſſi flagitij metu exagitati, ad
præſidia diſcurrere Romana, abſque vllo egreſſus
effectu, deinde tabeſcebat immobilis. Saraceni ta-

A men, nec amici nobis vmquam, nec hoſtes optan-
di, vltro citroque diſcurſantes, quidquid inueniri
poterat, momento temporis parui vaſtabant, mil-
uorum rapaci vitæ ſimiles: qui ſi prædam diſpexe-
rint celſius, volatu rapiunt celeri, aut, ſi impetra-
rint, non immorantur. Super quorum moribus
licet in actibus principis Marci & poſtea aliquo-
ties meminerim retuliſſe, tamen nunc quoque
pauca de iiſdem expediam carptim. Apud has gen-
B tes, quarum exordiens initium ab Aſſyriis ad Ni-
li cataractas porrigitur & confinia Blemyarum,
omnes pari ſorte ſunt bellatores, ſeminudi, colo-
ratis ſagulis pube tenus amicti, equorum adiu-
mento pernicium, graciliumque camelorum, per
diuerſa reptantes in tranquillis vel turbidis re-
bus: nec eorum quiſquam aliquando ſtiuam ap-
prehendit, vel arborem colit, aut arua ſubigendo
quæritant victum: ſed errant ſemper per ſpatia
longe lateque diſtenta, ſine lare, ſine ſedibus fixis
C aut legibus: nec idem perferunt diutius cælum,
aut tractus vnius ſoli illis vmquam placet: vita eſt
illis ſemper in fuga, vxoreſque mercenariæ con-
ductæ ad tempus ex pacto: atque vt ſit ſpecies ma-
trimonij, dotis nomine futura coniux haſtam &
tabernaculum offert marito, poſt ſtatum diem, ſi
id elegerit, diſceſſura: & incredibile eſt quo ardo-
re apud eos in venerem vterque ſoluitur ſexus.
Ita autem, quoad vixerint, late palantur, vt alibi
mulier nubat, in loco pariat alio, liberoſque pro-
cul deducat, nulla copia quieſcendi permiſſa. Vi-
D ctus vniuerſis caro ferina eſt, lactiſque abundans
copia, qua ſuſtentantur, & herbæ multiplices, &
ſi quæ alites capi per aucupium poſſint: & pleroſ-
que nos vidimus frumenti vſum & vini penitus
ignorantes. Hactenus de natione pernicioſa: nunc
ad textum propoſitum reuertamur. Dum hæc in
oriente aguntur, Arelate hiemem agens Conſtan-
tius poſt theatrales ludos atque circenſes ambi-
tioſo editos apparatu, ad diem ſextũ idus Octobr.
qui imperij eius annum triceſimum terminabat,
E inſolentia pondera grauius librans, ſiquid dubiũ
deferebatur aut falſum, pro liquido accipiens &
comperto, inter alia excarnificatum Gerontium
Magnentianæ comitem partis, exſulari mœrore
multauit. Vtque *ægrum corpus quaſſari etiam leni-
bus ſolet offenſis*, ita animus eius anguſtus & tener,
quidquid increpuiſſet, ad ſalutis ſuæ diſpendium
exiſtimans factum aut cogitatum, inſontium cæ-
dibus fecit victoriam luctuoſam. Si quis enim
F militarium vel honoratorum, aut nobilis inter
ſuos, rumore tenus eſſet inſimulatus fouiſſet par-
tes hoſtiles, iniecto onere catenarum, in modum
beluæ trahebatur: & inimico vrgente vel nullo,
quaſi ſufficiente hoc ſolo quod nominatus eſſet
aut delatus aut poſtulatus, capite vel multatione
bonorum, aut inſulari ſolitudine, damnabatur.
Accendebant eius aſperitatem iactata vulgo cri-
mina, quibus imminui amplitudo imperij dice-
batur, & iracundiæ ſuſpicionem proximorum
G cruentæ blanditiæ, exaggerantium incidentia, &
dolere impendio ſimulantium, ſi principis perdi-
tur vita, à cuius ſalute velut filo pendere ſtatum
orbis terrarum fictis vocibus exclamabant. Ideo-
que fertur, neminem aliquando ob hæc vel ſimi-
lia pœnæ addictum, oblato de more elogio reuo-
cari iuſſiſſe, quod inexorabiles quoque principes
factitarunt: & exitiale hoc vitium, quod in aliis
nonnumquam intepeſcit, in illo ætatis progreſſu
efferueſcebat, obſtinatum eius propoſitum accen-

dente adulatorum cohorte. Inter quos Paulus e- A minebat notarius, ortus in Hispania, glabro quidem sub vultu latens, odorandi vias periculorum occultas perquam sagax. is in Britanniam missus vt militares quosdam perduceret ausos conspirasse Magnentio, quum reniti non possent, his licentius supergressus, fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit. & ferebatur per strages multiplices ac ruinas, vinculis membra ingenuorum affligens, & quosdam obterens manicis, crimina scilicet multa consarcinando à veritate longe discreta. B Vnde admissum est facinus impium, quod Constantij temporibus notam inusserat sempiternam. Martinus regens illas prouincias pro præfecto, ærumnas innocentium grauiter gemens, sæpeque obsecrans vt ab omni culpa immunibus parceretur, quum non impetraret, minabatur se discessurum: vt saltem id metuens perquisitor maleuolus, tandem desineret quieti coalitos homines in aperta pericula proiectare. Per hoc minui studium suum existimans Paulus, vt erat in complicandis negotiis artifex dirus, (vnde & Ca- C *tena* inditum est cognomentum) vicarium ipsum eos quibus praeerat adhuc defensantem, ad sortem periculorum communium traxit. & instabat vt eum quoque cum tribunis & aliis pluribus ad comitatum Imperatoris vinctum perduceret. quo percitus ille, exitio vrgente, abrepto ferro eundem adoritur Paulum. & quia languente dextera letaliter ferire non potuit, iam districtum mucronem in proprium latus impegit: hocque deformi genere mortis excessit è vita iustissimus, remora ausus miserabiles casus leuare multorum. Qui- D bus ita scelestè patratis, Paulus cruore perfusus, reuersus est ad principis castra, multos coopertos pene catenis adducens, in squalorem deiectos atque mœstitiam: quorum aduentu intendebantur eculei, vncosque parabat carnifex & tormenta. & ex iis proscripti sunt plures, actique in exsilium alij, nonnullos gladij consumpsere pœnales. Nec enim quisquam facile meminit sub Constantio, vbi susurro tenuis hæc mouebantur, quemquam absolutum. E Inter hæc Orphitus præfecti potestate regebat vrbem æternam, vltra modum delatæ dignitatis sese efferens insolenter: vir quidem prudens & forensium negotiorum oppido gnarus, sed splendore liberalium doctrinarum minus quam nobilem decuerat, institutus: quo administrante, seditiones sunt concitatæ graues ob inopiam vini. Huius auidis vsibus vulgus intentum ad motus asperos excitatur & crebros. Et quoniã mirari posse quosdam peregrinos existimo, hæc lecturos forsitan si contigerit: F quamobrem, quum oratio ad ea monstranda deflexerit quæ Romæ gererentur, nihil præter seditiones narratur, & tabernas & vilitates harum similes alias, summatim caussas præstringam, nusquam à veritate sponte propria digressurus. Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura dum erunt homines Roma, vt augeretur sublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, Virtus cõuenit atque Fortuna, plerumque dissidentes: G quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem. Eius populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fere trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingressus adultam, post multiplices bellorum ærumnas, Alpes transcendit & fretum: in iuuenem erectus & virum, ex omni plaga quam orbis ambit immensus, reportauit laureæ triumphos. Iamque vergens in senium, & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ discessit. Ideo vrbs venerabilis, post superbas efferatarum gentium ceruices oppressas, latasque leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, velut frugi parens, & prudens & diues, Cæsaribus, tamquam liberis suis regenda patrimonij iura permisit & olim, licet otiosæ sint tribus, pacata que centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliani redierit securitas temporis: per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, vt domina suspicitur & regina, & vbique Patrum reuerenda cum auctoritate canicies, populique Romani nomen circumspectum & verecundum. Sed læditur hic cœtuum magnificus splẽdor leuitate paucorum incondita, vbi nati sint nõ reputantium, sed, tamquam indulta licẽtia vitiis, ad errores lapsorum & lasciuiam. Vt enim Simonides lyricus docet, *Beate perfecta ratione victuro, ante alia patriam esse conuenit gloriosam.* Ex his quidam æternitati se commendari posse per statuas æstimantes, eas ardenter adfectant, quasi plus præmij ex figmentis æreis sensibus carentibus adepturi, quam ex conscientia honeste recteque factorum, easque auro curant imbracteari: quod Acilio Glabrioni delatum est primo, quum consiliis armisque regem superasset Antiochum. Quam autem sit pulchrum, exigua hæc spernentem & minima, ad ascensus veræ gloriæ tendere longos & arduos, vt memorat vates Ascræus, Censorius Cato monstrauit, qui interrogatus quamobrem inter multos nobiles statuam non haberet, *Malo, inquit, ambigere bonos quamobrem id nẽ meruerim, quam (quod est grauius) cur impetrauerim, mussitare.* Alij summum decus in carrucis solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum, quas in colli exserta fibulis ipsis adnectant, nimia subtegminum tenuitate peruia, filis exstantes crebris à locis omnibus, maximeque sinistra: vt longioris fimbriæ tunicæ perspicua luceant varietate liciorum, effigiatæ in species animalium multiformes. Alij nullo quærente, vultus seueritate adsimulata, patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum (vt putant) feracium multiplicantes annuos fructus, quæ à primo ad vltimum solem se abunde iactitant possidere: ignorãtes profecto maiores suos, per quos ista magnitudo Romana porrigitur, non diuitiis eluxisse, sed per bella sæuissima: nec opibus, nec victu, nec indumentorum vilitate à gregariis militibus discrepantes, opposita cuncta superasse virtute. Hinc ex collaticia stipe Valerius humatur ille Publicola: & subsidiis amicorum mariti inops cum liberis vxor alitur Reguli: dotatur ex ærario filia Scipionis, quum nobilitas florem adultæ virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret patris. At nunc si ad aliquem bene nummatum tumentemque loculis honestus aduena salutatum introieris, primitus tamquam exoptatus susciperis, & interrogatus multa, coactusque mentiri, miraris, numquam antea visus, summatim virum tenuem te sic enixius obseruantem: vt pœniteat hęc bona tamquam præcipua non vidisse ante decennium: Romanaque affabilitate confisus, quum eadem postridie feceris vt incognitus hæres & repẽtinus, hortatore illo, hesterna die mirando, qui sis vel vnde venias diutius ambigente. Agnitus vero tandem, & adscitus in amicitiam, si te salutandi adsidu-

adsiduitate dedecris triennio indiscretus, & per totidem defueris, reuerteris ad paria perferenda: nec vbi esses interrogatus, & num è medio discesseris, ætatem omnem frustra in stipite conteres submittendo. Quum autem interuallata temporibus conuiuia longa & noxia cœperint apparari, vel distributio solennium sportulatum, anxia deliberatione tractatur, an exceptis his quibus vicissitudo debetur, peregrinum inuitari conueniet: &, si digesto plene consilio id placuerit geri, is adhibetur qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem tesserariam profitetur, aut secretiora quædam se nosse confingit. Homines enim eruditos & sobrios, vt infaustos & inutiles, vitant quoque: eo accedente quod & nomenclatores adsueti hæc & talia venditare mercede accepta, cœnis quosdam & prandiis inserunt subditiuos, ignobiles, & obscuros. Mensarum enim voragines, & varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, prętermitto: illuc transiturus quod quidā per ampla spatia vrbis subuersasque silices, sine periculi metu properáter equos velut publicos signatis (quod dicitur) calceis agitant, familiarium agmina tamquam prædatorios globos post terga trahentes, ne Sannione quidem (vt ait comicus) domi relicto. quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus & basternis, per latera ciuitatis cuncta discurrunt, vtque prœliorum periti rectores, primo catetuas densas opponunt & fortes, deinde leues armaturas, post iaculatores, vltimasque subsidiales acies, si fors adegerit, inuasuras. ita præpositis vrbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, iuxta vehiculi frontem omne textrinum incedit. huic atratum coquinæ adiungitur ministerium, deinde totum promiscue seruitium, cum otiosis plebeis de vicinitate coniunctis. postrema multitudo spadonum, à senibus in pueros desinens, coloris obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis: vt, quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, detestetur memoriam Semiramidis reginæ illius veteris, quæ teneros mares castrauit omnium prima, velut vim iniectans naturæ, eamdemque instituto cursu retorquens, quæ inter ipsa oriundi crepundia, per primigenios seminis fontes, tacita quodammodo lege vias propagandæ posteritatis ostendit. Quod quum ita sit, paucæ domus studiorum seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignauiæ torrentes exundant, perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Denique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur: & bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque & histrionici gestus instrumenta non leuia. Postremo ad id indignitatis est ventum, vt quum peregrini, ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam, pellerentur ab vrbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione vlla extrusis, tenerentur mimarum asseclæ veri, quive id simularunt ad tempus: & tria millia saltatricum, ne interpellata quidem, cum choris totidemque remanerent magistris. Et licet, quocumque oculos flexeris, fœminas adfatim multas spectare cirratas, quibus, si nupsissent, per ætatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum, adusque tædium pedibus pauimenta terentes, iactati volubilibus gyris, dum exprimunt innumera simulacra quæ finxere fabulæ theatrales.

A

Illud autem non dubitatur, quod quum esset aliquando virtutum omnium domicilium Roma, ingenuos aduenas plerique nobilium (vt Homerici baccatum suauitate lotophagi) humanitatis multiformibus officiis retentabant. Nunc vero inanes flatus quorumdam, vile esse quidquid extra vrbis pomœrium nascitur æstimant, præter orbos & cælibes.

B

nec credi potest qua obsequiorum diuersitate coluntur homines sine liberis Romæ. Et quoniam apud eos, vt in capite mundi, morborum acerbitates celsius dominantur, ad quos vel sedandos omnis professio medendi torpescit, excogitatum est adminiculum sospitale, ne quis amicum perferentem similia videat. additumque est cautionibus paucis, remedium aliud satis validum: vt famulos percontatum missos, quemadmodum valeant noti hac ægritudine colligati, non ante recipiant domum quam lauacro purgauerint corpus.

C

Ita etiam alienis oculis visa metuitur labes. Sed tamen hæc quum ita tutius obseruētur, quidam vigore artuum imminuto rogati ad nuptias, vbi aurū dexteris manib. cauatis offertur, impigre vel vsque Spoletium pergunt. Hæc nobiliū instituta. Ex turba vero imæ sortis & paupertatis, in tabernis aliqui pernoctant vinariis: nōnulli velabris vmbraculorum theatralium latēt, quæ Campanam imitatus lasciuiam, Catulus in ædilitate sua suspendit omnium primus: aut pugnaciter aleis certant, turpi sono fragosis narib. introrsum reducto spiritu concrepantes:

D

aut (quod est studiorum omnium maximum) ab ortu ad vesperam sole fatiscunt vel pluuiis, præmia aurigarum equorumque præcipua, vel delicta, scrutantes. Et est admodum mirum videre plebem innumeram mentibus ardore quodam infuso, cum dimicationum curulium euentu pendentem. Hæc similiaque memorabile nihil vel serium agi Romæ permittunt. Ergo redeundum ad textum. Latius iam dissimulata licentia onerosus bonis omnibus Cę-

E

sar, nullum post hæc adhibens modum, orientis latera cuncta vexabat, nec honoratis parcens, nec vrbium primaribus, nec plebeiis. Denique Antiochiæ ordinis verendi duces sub vno elogio iussit occidi, ideo efferatus, quod ei celebrari vilitatem intempestiuam vrgenti, quum impenderet inopia, grauius rationabili responderunt. & perissent ad vnum, ni Comes orientis tunc Honoratus fixa constantia restitisset. Erat autem diritatis eius hoc quoque indicium, nec obscurum nec

F

latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex vel septem aliquoties vetitis certaminibus pugilum vicissim se concidentium, perfusorumque sanguine specie, vt lucratus ingentia, lætabatur. Accendebat super his incitatum propositum ad nocendū aliqua mulier vilis, quæ ad palatium vt poposcerat intromissa, insidias ei latenter obtēdi prodiderat ab militibus obscurissimis: quā Constantina exsultans, vt in tuto iam locata ma-

G

riti salute, muneratam vehiculoque impositam, per regiæ ianuas emisit in publicum, vt iis illecebris alios quoq; ad indicanda proliceret paria vel maiora. Post hæc Gallus Hierapolim profecturus, vt expeditioni specie tenus adesset, Antiochensi plebi suppliciter obsecranti vt inediæ dispelleret metum, quæ per multas difficilesque caussas affore iam sperabatur, non *(vt mos est principibus*

quorum diffusa potestas localibus subinde medetur ærumnis) disposuit quidquam statuit, vel ex prouinciis alimenta transferri conterminis, sed consularem Syriæ Theophilum prope adstantem, vltima metuenti multitudini dedit, adsidue replicando, quod inuito rectore nullus egere poterit victu. Auxerunt hæc vulgi sordidioris audaciam. Et quum ingrauesceret penuria commeatuum, fames & furor, impulsu Eubuli cuiusdam inter suos clari, domum ambitiosam ignibus subditis inflammauit: rectoremque, vt sibi iudicio imperiali addictum, calcibus incessens & pugnis conculcans, semineceim laniatu miserando discerpsit. Post cuius lacrymosum interitum *in vnius exitio quisque imaginem periculi sui considerans*, documento recenti similia formidabat. Eodem tempore Serenianus ex duce, cuius ignauia populatam in Phœnice Cœlen ante retulimus, pulsatæ maiestatis imperij reus iure postulatus à lege, incertum qua potuit suffragatione absolui, aperte conuictus, familiarem suum cum pileo quo caput operiebat, incantato vetitis artibus, ad templum misisse fatidicum, quæritatum expresse an ei firmum portenderetur imperium vt cupiebat. & iunctum duplexque iisdem diebus acciderat malum, quod & Theophilum insontem atrox interceptit casus, & Serenianus dignus exsecratione cunctorum, innoxius modo non reclamante publico vigore discessit. Hæc subinde Constantius audiens, & quædam referente Thalassio doctus, quem mortuisse iam compererat lege communi, scribens ad Cæsarem blandius, adiumenta paulatim illi subtraxit, sollicitari se simulans, ne quod *militare otium fere tumultuosum* in eius perniciem conspiraret: solisque scholis iussit esse contentum Palatinis, & protectorum cum scutariis & gentilibus: & mandabat Domitiano ex Comite largitionum præfecto, vt quum in Syriam venerit, Gallum, quem crebro acceperat ad Italiam properare, blande hortaretur & verecunde. Qui quum venisset ob hæc festinatis itineribus Antiochiam, præstrictis palatij ianuis, contempto Cęsare, quem videri decuerat, ad prætorium cum pompa solenni perrexit: morbosque diu caussatus, nec regiam introit, nec processit in publicum: sed abditus, multa in eius moliebatur exitium, addens quædam relationibus superuacua, quę subinde dimittebat ad principem. Rogatus ad vltimum, admissusque in cōsistorium, ambage nulla prægressa, inconsiderate & leuiter, *Proficiscere*, inquit, *vt præceptum est Cæsar, sciens quod si cessaueris, & tuas & palatij tui auferre iubeo propediem annonas.* Hocque solo contumaciter dicto, subiratus abscessit, nec in conspectum eius postea venit sæpius accersitus. Hinc ille commotus, vt iniusta perferens & indigna, præfecti custodiam protectoribus mandauerat fidis. Quo comperto, Montius tunc quæstor, asper quidem, sed ad lenitatem propensior, consulens in commune, aduocatos Palatinarum primo scholarum alloquutus est mollius, dicens nec decere hęc fieri, nec prodesse: addēsq; voces obiurgatorio sono, quod si id placeret, post statuas Cōstantini deiectas, super adimēda vita præfecto conueniet securius cogitari. His cognitis, Gallus vt serpens appetitus telo vel saxo, iamque spes extremas opperiens, & succurrens saluti suæ, quauis ratione colligi omnes iussit armatos: & quum starent attoniti, districta dentium acie stridens, *Adeste*, inquit, *viri fortes mihi periclitanti vobiscum. Montius nos*

A *tumore inusitato quodam & nouo, vt rebelles & Maiestati recalcitrantes augustæ, per hæc quæ strepit incusat: iratus nimirum quod contumacem præfectum, quid rerum ordo postulat ignorare dissimulantem, formidine tenus iusserim custodiri.* Nihil morati post hæc militares, auidi sæpe turbarum, adorti sunt Montium primum, qui diuertebat in proximo, leui corpore senem, atque morbosum: & hirsutis resticulis cruribus eius innexis, diuaricatum sine B spiramento vllo adusque prætorium traxere præfecti. Et eodem impetu Domitianum præcipitem per scalas itidem funibus constrinxerunt: eosque coniunctos per ampla spatia ciuitatis acri raptauere discursu. iamque artuum & membrorum diuulsa cōpage, superscandentes corpora mortuorū, ad vltimū truncata deformitatem, velut exsaturati, mox abiecerunt in flumen. Incenderat autem audaces vsque ad insaniam homines ad hæc quæ nefariis egere conatibus, Luscus quidam curator C vrbis subito visus: cumque eo Sthenelaus baiulorum præcentor, ad expediendum quod orsi sunt incitans vocibus crebris, qui haud longe postea ideo viuus exustus est. Et quia Montius inter dilaniantium manus spiritum efflaturus, Epigonum & Eusebium, nec professionem nec dignitatem ostēdens, aliquoties increpabat: qui sint hi, magna quærebatur industria. & ne quid intepesceret, Epigonus è Lycia philosophus ducitur, & Eusebius è Mysia pietatis cognomento concitatus orator: D quum quæstor non hos, sed tribunos fabricarum insimulasset, promittentes armorum si nouæ res agitari cœpissent. Iisdem diebus Apollinaris Domitiani gener, paulo ante agens palatij Cæsaris curam, ad Mesopotamiam missus à socero, per militares numeros immodice scrutabatur an quædā altiora meditantis iam Galli secreta susceperint scripta. Qui compertis Antiochiæ gestis, per minorem Armeniā lapsus, Constantinopolin petiit: exindeque per protectores retractus, arctissime teE nebatur. Quæ dum ista struuntur, indicatum est apud Tyrum indumentum regale textum occulte, incertum quo locante, vel cuius vsibus apparatū. Ideo rector prouinciæ, tunc pater Apollinaris, eiusdem nominis, vt conscius ductus est: aliique congregati sunt ex diuersis ciuitatibus multi, qui atrocium criminum ponderibus vrgebantur. Iamque lituis cladium concrepantibus internarum, non celate (vt antea) turbidum sæuiebat ingenium à veri consideratione detortum: & nullo impoF sitorum vel compositorum fidem solenniter inquirente, nec discernente à societate noxiorum insontes, velut exturbatum è iudiciis fas omne discessit: & caussarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, & obductio capitum, & bonorum vbique multatio versabatur per orientales prouincias: quas recensere puto nunc opportunum, absque Mesopotamia, digesta quum bella Parthica dicerētur: & Ægypto, quam necessario aliud reieci ad tempus. Superatis TauG ri montis verticibus, qui ad solis ortum sublimius attolluntur, Cilicia spatiis porrigitur late distentis, diues bonis omnibus terra: eiusque lateri dextro adnexa Isauria, pari sorte vberi palmite viret & frugibus multis, quam mediam nauigabile flumen Calycadnus interscindit. Et hanc quidem præter oppida multa, duæ ciuitates exornant, Seleucia opus Seleuci regis, & Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cęsar: Isauria enim antehac mœniū potens, olim subuer-

sa vt

sa vt rebellatrix interneciua, ægre vestigia claritudinis pristinæ monstrat admodum pauca: Ciliciam vero, quæ Cydno amne exsultat, Tarsus nobilitat, vrbs perspicabilis: (hanc condidisse Perseus memoratur, Iouis filius & Danaës: vel certe ex Æthiopia profectus Sandan quidam nomine, vir opulentus & nobilis) & Anazarbus, auctoris vocabulum referens: & Mopsuhestia, vatis illius domicilium Mopsi, quem à commilitio Argonautarum cum aureo vellere direpto reducem & errore abstractum, delatum ad Africæ littus mors repentina consumpsit: & ex eo cæspite Punico tecti manes eius heroici, dolorum varietati medentur plerumque sospitales. Hæ duæ prouinciæ bello quondam piratico cateruis mixtæ prædonum, à Seruilio proconsule missæ sub iugum, factæ sunt vectigales. Et hæ quidem regiones, velut in prominenti terrarum lingua positæ, ab orbe eo monte Amano disparantur. Orientis vero limes in lõgum protentus & rectum, ab Euphratis fluminis ripis adusque supercilia porrigitur Nili, læua Saracenis conterminans gentibus, dextra pelagi fragoribus patens: quam plagam Nicator Seleucus occupatam auxit magnum in modum, quum post Alexandri Macedonis obitum successorio iure teneret regna Persidis; efficaciæ impetrabilis rex vt indicat cognomentum. Abusus enim multitudine hominum, quam tranquillis in rebus diutius rexit, ex agrestibus habitaculis vrbes construxit multis opibus firmas & viribus quarum ad præsens pleræque licet Græcis nominibus appellentur, quæ iisdem ad arbitrium imposita sunt conditoris, primigenia tamen nomina non amittunt quæ eis Assyria lingua institutores veteres indiderunt. Et prima post Osdroënam, quam (vt dictũ est) ab hac descriptione discreuimus, Comagena nunc Euphratensis clementer adsurgit, Hierapoli, vetere Nino & Samosata ciuitatibus amplis illustris. Dein Syria per spatiosam interpatet diffusa planitiem. hanc nobilitat Antiochia, mundo cognita ciuitas, cui non certauerit alia aduectitiis ita affluere copiis & internis: & Laodicea, & Apamia, itidemque Seleucia, inde à primis auspiciis florentissimæ. Post hanc acclinis Libano monti Phœnice regio plena gratiarum & venustatis, vrbibus decorata magnis & pulchris: in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon, & Berytus, iisdemque pares Emissa & Damascus, seculis conditæ priscis. Has autem prouincias quas Orontes ambiens amnis, imosque pedes Cassij montis illius celsi prætermeans, funditur in Parthenium mare, Cn. Pompeius superato Tigrane, regnis Armeniorum abstractas dicioni Romanæ coniunxit. Vltima Syriarum est Palæstina, per interualla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & ciuitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorem Octauiani principis exædificauit Herodes, & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Ascalonem, Gazam & Iuliam, æuo superiore exstructas. In his tractibus nauigerum nusquam visitur flumen, & in locis plurimis aquę suapte natura calentes emergunt, ad vsus aptæ multiplicium medelarum. Verum has quoque regiones pari sorte Pompeius Iudæis domitis & Hierosolymis captis in prouinciarum speciem rectori delata iurisdictione formauit. Huic Arabia est conserta, ex alio latere Nabatæis contigua,

A opima varietate commerciorum, castrisque oppleta validis & castellis, quæ ad repellendos gentium vicinarum excursus, sollicitudo peruigil veterũ per opportunos saltus erexit & cautos. Hæc quoque ciuitates habet inter opida quædam ingentes, Bostram & Gerasam atque Philadelphiam, murorum firmitate cautissimas. Hanc, prouinciæ imposito nomine, rectoreque attributo, obtemperare legibus nostris Traianus compulit Impera-
B tor, incolarum tumore sæpe contuso, quum glorioso marte Mediam vrgeret & Parthos. Cyprum itidem insulam procul à continenti discretam & portuosam, inter municipia crebra vrbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus: altera Iouis delubris, altera Veneris templo insignis. tanta autem tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, à fundamento ipso carinæ ad supremos vsque carbasos, ædifi-
C cet onerariam nauem, omnibusque armamentis instructam mari committat. nec piget dicere, auide magis hanc insulam populum Romanum inuasisse quam iuste. Ptolemæo enim rege fœderato nobis & socio, ob ærarij nostri angustias iusso sine vlla culpa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta est, & velut hostiles eius exuuiæ classi impositæ, in vrbem aduectæ sunt per Catonem. Nũnc repetetur ordo gestorum. Inter has ruinarum varietates, à Nisibi quam tuebatur, accitus, cui nos obsecu-
D turos iunxerat imperiale pręceptum, displicere litis exitialis semina cogebatur, abnuens & reclamans adulatorum oblatrantibus turmis, bellicosus sane, milesque semper & militum ductor, sed forensibus iurgiis longe discretus: qui metu sui discriminis anxius, quum accusatores quæsitoresque subditicios sibi consociatos ex iisdem foueis cerneret emergentes, quæ clam palamve agitabantur, occultis Constantium litteris edocebat, implorans subsidia, quorum metu tumor notissi-
E mus Cęsaris exalaret. Sed cautela nimia in peiores hęserat plagas, vt narrabimus postea ęmulis cõsarcinantibus insidias graues apud Constantium, cetera medium principem, sed si quid auribus eius huiusmodi quiuis infudisset ignotus, acerbum & implacabilem, & in hoc caussarum titulo dissimilem sui. Proinde die funestis interrogationibus præstituto, imaginarius iudex equitum resedit magister, adhibitis aliis iam quæ essent agenda præ-
F doctis: & adsistebant hinc inde notarij, quid quęsitum esset quidve responsum, cursim ad Cęsarem perferentes. cuius imperio trucis tum à stimulis reginæ, exsertantis aurem subinde per aulæum, nec diluere obiecta permissi, nec defensi periere complures. Primi igitur omnium statuuntur Epigonus & Eusebius, ob nominum gentilitatem oppressi. Prædiximus enim Montium sub ipso viuẽdi termino, his vocabulis appellatos fabricarum culpasse tribunos, vt adminicula futuræ vltioni
G pollicitos. & Epigonus quidem amictu tenus philosophus, vt apparuit, prece frustra temptata, sulcatis lateribus mortisque metu admoto, turpi confessione cogitatorum socium, quæ nulla erant, fuisse firmauit, quum nec vidisset quidquam nec audisset, penitus expers forẽsium rerum: Eusebius vero, obiecta fidentius negans, suspensus in eodem gradu cunctatus est, latrocinium illud esse, non iudicium, clamans. Quumque pertinacius, vt legum gnarus: accusatorem flagitaret at-

que solennia doctus id Cæsar, libertatemque superbiam ratus, tamquam obtrectatorem audacem excarnificari præcepit. qui ita euisceratus vt cruciatibus membra deessent, implorans cælo iustitiam, tortum renidens, fundato pectore mansit immobilis, nec se incusare nec quemquam alium passus: & tandem nec confessus nec confutatus, cum abiecto cōsorte pœnali est morte multatus. & ducebatur intrepidus temporum iniquitati insultans, imitatus Zenonem illum veterem Stoicum, qui vt mentiretur quædam, laceratus diutius, auulsam sedibus linguam suam cum cruento sputamine in oculos interrogantis Cyprij regis impegit. Post hæc indumentum regale quærebatur: & ministris fucandæ purpuræ tortis confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est, (vt appellant Christiani) diaconus: cuius prolatæ litteræ scriptæ Græco sermone ad Tyrij textrini præpositum, celerari speciem perurgebat, quam autem, non indicabat. denique etiam idem vsque ad discrimen vitæ vexatus, nihil fateri compulsus est. Quæstione igitur per multiplices dilatata fortunas, quum ambigerentur quædam, nonnulla leuius actitata constaret, post multorum clades Apollinares ambo, pater & filius, in exsilium acti, quum ad locum Crateras nomine peruenissent, villam scilicet suam, quæ ab Antiochia vicesimo & quarto disiungitur lapide, vt mandatum est, fractis cruribus occiduntur. Post quorum necem nihilo lenius ferociens Gallus, vt leo cadaueribus pastus, multa huiusmodi scrutabatur: quæ singula narrare non refert, ne professionis modum (quòd euitandum est) excedamus. Hæc dum oriens diu perferret, cæli reserato tēpore, Constantius consulatu suo septies, & Cæsaris iterum, egressus Arelate Valentiam petit, in Gundomadum & Vadomarium fratres Alemannorum reges arma moturus; quorum crebris excursibus vastabantur confines limitibus terræ Gallorum. Dúmque ibi diu moratur, commeatus opperiens, quorum trāslationem ex Aquitania verni imbres solito crebriores prohibebant, auctique torrētes, Herculanus aduenit protector domesticus, Hermogenis ex magistro equitum filius, apud Constantinopolim (vt supra retulimus) populari quōdam turbella discerpti: quo verissime referente quæ Gallus egerat, damnis super præteritis mœrens, & futurorum timore suspensus, angorem animi quamdiu potuit emendabat. Miles tamen interea omnis apud Cabillona collectus, morarum impatiens sæuiebat, hoc irritatior quod nec subsidia viuendi suppeterent, alimentis nondum ex vsu translatis. Vnde Rufinus ea tempestate præfectus prætorio, ad discrimen trusus est vltimum. Ire enim ipse compellebatur ad militem quem exagitabat inopia simul & feritas, & alioquin coalito more in ordinarias dignitates asperum semper & sæuum, vt satisfaceret, atque monstraret quam ob caussam annonæ conuectio sit impedita, quod opera consulta cogitabatur astute, vt hoc insidiatum genere Galli periret auunculus, ne eum vt præpotens acueret ad fiduciam exitiosa cœptantem. Verum nauata est opera diligens. Eusebius præpositus cubiculi, missus est Cabillona aurum secum perferens: quo per turbulentos seditionum concitores occultius distributo, & tumor consenuit militum, & salus est in tuto locata præfecti. Deinde cibo abunde perlato, castra

A die prædicto sunt mota. Emensis itaque difficultatibus multis, & niue obrutis callibus pluribus, vbi prope Rauracum ventum est ad supercilia fluminis Rheni, resistente multitudine Alemanna, pontem suspendere nauium compage Romani vi nimia vetabantur, ritu grandinis vndique conuolantibus telis: & quum id impossibile videretur, Imperator cogitationibus magnis attonitus, quid capesceret ambigebat. Ecce autem ex improB uiso index quidam regionum gnarus aduenit, & mercede accepta, vadosum locum nocte monstrauit, vnde superari potuit flumen, & potuisset, alíorsum intentis hostibus, ni pauci ex eadem gente, quibus erat honoratioris militiæ cura commissa, populares suos hæc per nuntios docuissent occultos, vt quidam existimabant. Infamabat autem hæc suspicio Latinum domesticorum comitem, & Agilonem tribunum stabuli, atque Scudilonem scutariorum rectorem, qui tunc vt dextris suis geC stantes rempublicam colebantur. At barbari, suscepto pro instantium rerum ratione consilio, dirimentibus forte auspiciis, vel congredi prohibētibus, auctoritate sacrorum mollito rigore, quo fidentius resistebant, optimates misere delictorum veniam petituros & pacem. Tentis igitur regis vtriusque legatis, & negotio rectius diu pensato, quum pacem oporteret tribui, quæ iustis cōditionibus petebatur, eamque ex re tum fore sententiarum via concinens adprobasset, aduocato D in concionem exercitu, Imperator pro tempore pauca dicturus tribunali adsistens, circumdatus potestatum cœtu celsarum, ad hunc disseruit modum: *Nemo quæso miretur, si post exsudatos labores itinerum longos, congestosque adfatim commeatus, fiducia vestri ductante, barbaricos pagos aduentans, velut mutato repente consilio ad placidiora deuerti. Pro suo enim loco & animo quisque vestrum reputans, id inueniet verum quod* MILES *vbique, licet membris vigentibus firmus, se solum vitamque pro*E *priam circumspicit & defendit:* IMPERATOR *vero officiorum, dum æquus omnibus aliena custos salutis, nihil non ad sui spectare tutelam rationes populorum cognoscit, & remedia cuncta quæ status negotiorum admittit, arripere debet alacriter secunda numinis voluntate delata. Vt in breue igitur conferã, & ostendam qua ex caussa omnes vos simul adesse volui, commilitones mei fidissimi, accipite æquis auribus quæ succinctius explicabo,* VERITATIS *enim sermo est simplex. Arduos vestra gloria gradus, quos fama per*F *plagarum quoque accolas extremarum diffundit, excellenter accrescens, Alemanorũ reges & populi formidantes, per oratores quos videtis, summissis ceruicibus concessionem præteritorum poscunt & pacem: quam vt cunctator & cautus vtilisque monitor, si vestra voluntas adest, tribui debere censeo, multa contemplans. Primo, vt martis ambigua declinentur: dein, vt auxiliatores pro aduersariis adsciscamus, quod pollicentur: tum autem, vt incruentè mitigemus ferocia flatus perniciosos sæpe prouinciis:*G *postremo, id reputantes quod non ille hostis vincitur solus qui cadit in acie, pondere armorum oppressus & virium: sed multo tutius etiam tuba tacente, sub iugo mittitur voluntarius, qui sentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in supplices animos deesse. In summa, tamquam arbitros vos quid suadetis opperior, vt princeps trãquillus temperãter adhibere modum allapsa felicitate decernens. Non enim inertia, sed modestiæ humanitatique (mihi credite) hoc quod recte cõsultũ est adsignabitur.* Mox vt

dicta

dicta finierat, multitudo omnis ad quæ Imperator voluit promptior, laudato consilio, consensit in pacem, ea ratione maxime percita, quod norat expeditionibus crebris, fortunam eius in malis tantum ciuilibus vigilasse: quum autem bella mouerentur externa, accidisse plerumque luctuosa. Icto post hæc fœdere gentium ritu, perfectaque solennitate, Imperator Mediolanum ad hiberna discessit. vbi curarum abiectis ponderibus aliis, tamquam nodum & odium difficillimum, Cæsarem conuellere nisu valido cogitabat: eique deliberanti cum proximis clandestinis colloquiis & nocturnis, qua vi quibusue commentis id fieret, antequam effundendis rebus pertinacius incumberet confidentia, acciri molliotibus scriptis per simulationem tractatus publici, minis abiectis, eundem placuerat Gallum; vt auxilio destitutus, sine vllo interiret obstaculo. Huic sententiæ versabilium adulatorum refragantibus globis, inter quos erat Arbetio ad insidiandum acer & flagrás, & Eusebius tunc præpositus cubiculi, effusior ad nocendum: id occurrebat, Cæsare discedente Vrsicinum in oriente perniciose relinquendum, si nullus esset qui prohiberet altiora meditaturum. Iisdemque residui regij accessere spadones, quorum ea tempestate plus habendi cupiditas vltra mortalem modum adolescebat, inter ministeria vitæ secretioris per arcanos susurros nutrimenta fictis criminibus subserentes: qui ponderibus inuidiæ grauioris virum fortissimum opprimebant, subolescere imperio adultos eius filios mussitantes, decore corporum fauorabiles & ætate, per multiplicem armaturæ scientiam agilitatemque mēbrorum inter quotidiana proludia exercitos, consulto consilio cognitos: Gallum suopte ingenio trucem, per suppositos quosdam ad sæua facinora ideo animatum, vt eo digna omnium ordinum detestatione exoso, ad magistri equitum liberos principatus insignia transferantur. Quum hæc taliaque sollicitas eius aures euerberarent, ex positas semper huiusmodi rumoribus & patentes, vario animo tumescente, consilio tandem dato optimum factu elegit: & Vrsicinum primum ad se venire summo cum honore mandauit, ea specie vt pro rerum tunc vrgentium căptu disponeretur concordi consilio, quibus virium incrementis Parthicarum gentium arma minantium impetus frangerentur. Et ne quid suspicaretur aduersi venturus, vicarius eius, dum redit, Prosper missus est Comes: acceptisque litteris, & copia rei vehiculariæ data, Mediolanum itineribus properauit magnis. Restabat vt Cæsar post hæc properaret accitus: & abstergendæ caussa suspicionis sororem suam, eius vxorem, Constantius ad se tamdem desideratam venire multis fictisque blanditiis hortabatur. Quæ licet ambigeret, metuens sæpe cruentum: spe tamen, quod eum lenire poterat vt germanum, profecta, quum Bithyniam introisset, in statione quæ Cænos Gallicanos appellatur, absumpta est vi febrium repentina. Cuius post obitum maritus contemplans cecidisse fiduciam qua se fultum existimabat, anxia cogitatione quid moliretur hærebat. Inter res enim impeditas & turbidas, ad hoc vnum mentem sollicitam dirigebat: quod Constantius cuncta ad suam sententiam conferés, nec satisfactionem suscipiet aliquam, nec erratis ignoscet: sed, (vt erat in propinquitatis perniciem inclinatior) laqueos ei latenter obten-

A dens, si cepisset incautum, morte multaret. Eo necessitatis adductus, vltimaque, ni vigilasset, opperiens, principem locum, si qua patuisset copia, affectabat: sed perfidia proximorum, ratione bifaria deserebatur, quod eum vt truculentum horrebant & leuem, quodque altiorem Constantij fortunam in discordiis ciuilibus formidabant. Inter has curarum moles immensas, Imperatoris scripta suscipiebat assidua monentis orantisque vt ad se veniret, & mente monstrantis obliqua, remp.
B nec posse diuidi nec debere, sed pro viribus quemque ei ferre suppetias fluctuanti, nimirum Galliarum indicans vastitatem: quibus subserebat non adeo vetus exemplum, quod Diocletiano & eius collegæ, vt apparitores: Cæsares non resides, sed vltro citroque discurrentes obtemperabant: & in Syria Augusti vehiculum irascentis, per spatium mille passuum fere, pedes antegressus est Galerius purpuratus. Aduenit post multos Scudilo scutariorum tribunus, velamento subagrestis ingenij persuasionis opifex callidus, qui eum adulabili ser
C mone seriis admixto, solus omnium proficisci pellexit, vultu adsimulato, sæpius replicádo quod flagrantibus votis eum videre frater cuperet patruelis, quod per imprudentiam gestum est, remissurus vt mitis & clemens: participemque eum suę maiestatis adscitum, vt futurum laborum quoque socium, quos Arctoæ prouinciæ diu fessæ poscebant. Vtque *solent manum iniectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi*; his illecebris ad meliorum exspectationem erectus, egressusque Antiochia numine læuo ductante, prorsus
D *ire tendebat de fumo* (vt prouerbium loquitur vetus) *ad flammam*: & ingressus Constantinopolim, tamquam in rebus prosperis & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ imposuit coronam, vt victoris. Quo cognito, Constantius vltra mortalem modum exarsit: ac ne quo casu idem Gallus de futuris incertus, agitare quædam conducentia saluti suæ per itinera conaretur, remoti sunt omnes de industria milites agentes in
E ciuitatibus peruiis. Eoque tempore Taurus quæstor ad Armeniam missus, confidenter nec appellato eo nec viso transiuit. Venere tamen aliqui iussu Imperatoris, administrationum specie diuersarum, eumdem, ne commouere se posset, neve tentaret aliquid occulte, custodituri. inter quos Leontius erat, postea vrbi præfectus vt quæstor, & Lucillianus quasi domesticorum comes, & scutariorum tribunus nomine Bainobaudes. Emensis itaque longis interuallis & planis, quum Hadrianopolim introisset vrbem
F Hæmimontanam, Vscudumam antehac appellatam, fessasque labore diebus duodecim recreans vires, comperit Thebæas legiones in vicinis oppidis hiemantes, consortes suos misisse quosdam, cū vt remaneret promissis fidis hortaturos & firmis: fiducia sui abunde per stationes locat confines: sed obseruante cura peruigili proximorum, nullā dicendi vel audiendi quæ ferebant, furari potuit
G facultatem. Inde aliis super alias vrgentibus litteris exire, & decem vehiculis publicis, vt præceptū est, vsus, relicto palatio omni præter paucos tori ministros & mensæ, quos adiunxerat secum, squalore concretus, celerare gradum compellabatur, adigentibus multis, temeritati suæ subinde flebiliter imprecatus, quæ eum iam despectum & vilem arbitrio subdiderat infirmorum. Inter hęc tamen per inducias naturæ conquiescentis, saucia-

banrur eius sensus circumstridentium terrore lar-
uarum: interfectorumque cateruæ. Domitiano &
Montio præuiis, correptum eum, vt existimabat
in somnis, vncis furialibus obiectabant. *Solutis e-
nim corporeis nexib.u, animus semper vigēs motibus
indefessis, & cogitationibus subiectus & curis, quæ
mortalium sollicitant mentes, colligit visa nocturna,
quas phantasias nos appellamus.* Pandente itaq; viā
fatorum sorte tristissima, qua præstitutum erat eū
vita & imperio spoliari, itineribus interiectis per
mutationem iumentorum emensis, venit Peto-
bionem opidum Noricorum: vbi reseratæ sunt
insidiarum latebræ omnes, & Barbatio repente
apparuit comes, qui sub eo domesticis præfuit, cū
Apodemio agente in rebus, milites ducens quos
beneficiis suis oppigneratos elegerat Imperator,
certus nec præmiis nec miseratione vlla posse de-
flecti. Iamque non adumbratis fallaciis res ageba-
tur: sed qua palatium est extra muros, armatis om
ne circumsedit. Ingressusque obscuro iam die, ab-
latis regiis indumentis, Cæsarem tunica texit &
paludamento communi, cum post hæc nihil pas-
surum, velut mandato principis, iurandi crebrita-
te confirmans: & *statim*, inquit, *exsurge*. & inopi-
num carpento priuato impositum, ad Istriam du-
xit prope opidum Polam, vbi quondam perem-
ptum Constantini filium accepimus Crispum.
Et quum ibi seruaretur arctissime, terrore propin
quantis exitus iam præsepultus, accurrit Eusebius
cubili tunc præpositus, Pentadiusque notarius, &
Mellobaudes armaturarum tribunus, iussu Impe-
ratoris compulsuri eum singillatim docere quam
ob caussam quemque apud Antiochiam necato-
rum iusserat trucidari. Ad quæ Adrasteo pallore
perfusus, hactenus voluit loqui, quod plerosque
incitante coniuge iugulauerit Constantina, igno-
rans profecto Alexandrum Magnum vrgenti ma-
tri vt occideret quemdam insontem, & dictitanti
spe impetrandi postea quæ vellet, eum se per no-
uem menses vtero portasse prægnantem, ita re-
spondisse prudenter, *Aliam parens optima posce
mercedem: Hominis enim salus beneficio nullo pensa-
tur.* Quo comperto, irreuocabili ira princeps per-
citus & dolore, fiduciam omnem fundandæ secu-
ritatis in eodem posuit abolendo. Et misso Sere-
niano, quem in crimen maiestatis vocatum præ-
stigiis quibusdam absolutum esse monstrauimus
Pentadio quinetiam notario, & Apodemio agen-
te in rebus, eum capitali supplicio destinauit: &
ita colligatis manibus, in modum noxij cuiusdā
latronis ceruice abscissa, ereptaque vultus & capi-
tis dignitate, cadauer est relictum informe, paulo
ante vrbibus & prouinciis formidatum. Sed *vigi-
lauit vtrobique superni numinis æquitas.* Nam &
Gallum obitu oppressit crudeli, & non diu postea
ambo cruciabili morte absumpti sunt, qui eum, li-
cet nocentem, blandius palpantes, periuriis adus-
que plagas perduxere letales: quorum Scudilo di-
stillatione iecoris pulmones vomitans interiit:
Barbatio, qui in eum diu falsa composuerat cri-
mina, quum ex magisterio peditū altius niti quo-
rumdam susurris incusaretur, damnatus, exstincti
per fallacias Cæsaris manibus anima in ludibrio-
so obitu parentauit. Hæc & huiusmodi quædam
innumerabilia, vltrix facinorum impiorum, bo-

A norūque præmiatrix, aliquoties operatur ADRA-
STIA, atque vtinam semper, quam vocabulo du-
plici etiam NEMESIN appellamus: Ius quoddam
sublime numinis efficacis, humanarum mentium
opinione lunari circulo superpositum, vel (vt defi-
niunt alij) substantialis tutela, generali potentia
partilibus præsidens fatis: quam theologi veteres
fingentes Iustitiæ filiam, ex abdita quadam æter-
nitate tradunt omnia despectare terrena. Hæc vt
B regina caussarum, & arbitra rerum, hæc discepta-
trix, vrnam sortium temperat, accidentium vices
alternans: voluntatumque nostrarum exorsa in-
terdum alio, quam quo contendebant exitu ter-
minans, multiplices actus permutando conuol-
uit. Eademque necessitatis insolubili retinaculo
mortalitatis vinciens fastus tumentes incassum,
& incrementorum detrimentorumque momenta
versans, vt nouit, nunc erectas mentium ceruices
opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo susci-
C tans, ad bene viuendum extollit. Pinnas autē ideo
illi fabulosa vetustas aptauit, vt adesse velocitate
volucri cunctis existimetur: & prætendere guber-
naculum dedit, eique subdidit rotam, vt vniuersi-
tatem regere per elementa discurrens omnia non
ignoretur. Hoc immaturo interitu, ipse quoque
sui pertæsus, excessit è vita, ætatis nono anno atq;
vigesimo, quum quadriennio imperasset, natus a-
pud Tuscos in Massa Veternensi, patre Constan-
tio, Constantini fratre Imperatoris, matreque Gal
la sorore Rufini & Cerealis, quos trabeæ consu-
D lares nobilitarunt, & præfecturæ prouinciarum:
forma conspicuus bona, decente filo corporis,
membrorumque recti compage, flauo capillo &
molli barba, licet recens emergente lanugine te-
neras per genas; ita tamen vt maturius auctoritas
emineret: tantum à temperatis moribus Iuliani
differens fratris, quantum inter Vespasiani filios
fuit Domitianum & Titum. Assumptus autem in
amplissimum fortunæ fastigium, versabiles eius
motus expertus est, qui ludunt mortalitatem nūc
E euehentes quosdam in sidera, nunc ad Cocyti pro
funda mergentes. cuius rei quum innumera sint
exempla, pauca tactu summo transcurram. Hæc
fortuna mutabilis & inconstās fecit Agathoclem
Siculum ex figulo regem, & Dionysium, gentium
quondam terrorem, Corinthi literario ludo præ-
fecit. Hæc Adramyttenum Andriscum in fullonia
natum, ob Pseudophilippi nomen euexit: & Persei
legitimum filium artem ferrariam ob quærendū
F docuit victum. Eadem Mancinum post imperium
Numantinis summa atrocitate, Veturiū & Clau-
dium Corsis substrauit, feritati Carthaginis Regu
lum: istius iniquitate Pompeius, post quæsitum
Magni ex rerum gestarum amplitudine cognomē
rum, ad spadonum libidinem in Ægypto trucida-
tur. & Eunus quidam ergastularius seruus, ducta-
uit in Sicilia fugitiuos. Quam splēdido loco mul-
ti nati, eadem rerum domina conniuente, Viriati
genua sunt amplexi vel Spartaci? quot capita quæ
G horruere gentes, funesti carnifices absciderunt?
Alter in vincula ducitur, alter insperatæ præfici-
tur potestati, alius à summo culmine dignitatis
excutitur. Quæ omnia si scite quisquā velit quam
varia sint & adsidua, arenarū numerū idem iā desi-
piens, & montium pondera scrutari poterit.

AMMIA-

AMMIANI MARCELLINI

RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSQVINTVS.

VTcumque potuimus veritatem scrutari, quę A que videri non licuit per ętatem, vel perplexe interrogando versatos in medio scire, narrauimus, ordine casuum exposito diuersorum: residua quę sequuturus aperiet textus, pro virium captu limatius absoluemus, nihil obtrectatores longi (vt putant) operis formidantes. Tunc enim laudanda est breuitas quum moras rumpens intempestiuas, nihil subtrahit cognitioni iustorum. Nondum apud Noricum exuto penitus Gallo, A- B podemius, quoad vixerat igneus turbarum incentor; raptos eius calceos vehens equorum permutatione veloci, vt nimietate cogendi quosdam extingueret, præcursorius index Mediolanum aduenit: ingressusque regiam, ante pedes proiecit Constantij, velut spolia regis occisi Parthorum. & perlato nuntio repentino, docente rem insperatam & arduam, ad sententiam totam facilitate cópletam, hi qui summam aulam tenebant, omni placendi studio in adulationem ex more collato, C virtutem felicitatemque Imperatoris extollebant in cælum: cuius nutu in modum gregariorum militum, licet diuersis temporibus, duo exauctorati sunt principes, Veteranio nimirum & Gallus. Quo ille studio blanditiatum exquisito sublatus, fimmunemque se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim à iustitia declinauit ira intemperanter, vt æternitatem eam aliquoties assereret, & ipse dictando scribendoque propria manu Orbis totius se do- D minum appellaret, quod dicentibus aliis, indignanter admodum ferre deberet is qui ad æmulationem ciuilium principum vitam formare moresque suos, vt prædicabat, diligentia laborabat enixa. Namque etiamsi mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante magnus somniabat Alexander, id reputasset legens vel audiens, quod (vt docent mathematici concinentes) ambitus terræ totius, quæ nobis videtur immensa, ad magnitudinem vniuersitatis, instar breuis obtinet puncti. Iamque post horrendam E deleti Cæsaris cladem, sonante periculorum iudicialium turba in crimen læsæ maiestatis arcessebatur Vrsicinus, adolescéte magis magisque contra eius salutem liuore omnib. bonis infesto. Hac enim superabatur difficultate, quod ad suscipiédas defésiones æquas & probabiles Imperatoris aures occlusæ, patebant susurris insidiantium clandestinis: qui Constantij nomine pro orientis tractus omnes abolito, antedictum ducem domi forisque desiderari vt formidolosum Persicæ genti, finge- F bant. Sed contra accidentia vir magnanimus stabat immobilis, nesc proiiceret abiectius cavés, *parum tuto loco innocentiā stare* medullitus gemés, hocq; vno tristior quod amici ante hæc frequentes, ad potiores desciuerant, vt ad successores officiorū more poscente solent transire lictores. Impugnabat autem eū per fictæ benignitatis illecebras collega, & virum fortem propalā sæpe appellās Arbetio, ad innectēdas letales insidias virę simplici perquā callens, & ea tēpestate nimiū potens. Vt enim subterraneus serpens foramen subsidens A occultū, adsultu subito singulos trāsitores obseruās incessit: ita ille addēs etiā potestati lædēdi militiæ munus, nec læsus aliquādo nec lacessitus, inexplebili quodā lædendi proposito conscientiam polluebat. Cogitur, paucis arcanorū præf. cōsciis, latenter cū Imperatore sententiā retegere. Id sederat, vt nocte ventura procul à cōspectu militarium raptus Vrsicinus, indēnatus occideretur, vt quondā Domitius Corbulo dicitur cæsus in colluuione illa Neroniani seculi, prouinciarū fidus defen- B sor & cautus. Quib. ita cōpositis, quū ad hoc destinati prædictū tēpus opperirētur, cōsilio in lenitudinē flexo, facinus impiū ad deliberationē secundā differri præceptū est. Indeq; ad Iulianū recens perductū calūniarū vertitur machina, memorabilē postea principē, gemino crimine (vt iniquitas æstimabat) implicitum, quod à Marcelli fundo in Cappadocia posito, ad Asiā demigrarat liberalium desiderio doctrinarū, & per Cōstātinopolim trans- C euntem viderat fratrem. Qui quum obiecta dilueret, ostenderetque neutrum sine iussu fecisse, nefando adsentatorum cœtu vrgēte perisset, ni aspiratione superni numinis, Eusebia suffragāte regina, ductus ad Comū opidū, Mediolano vicinum, ibiq; paulisper moratus, pro colēdi ingenij caussa, vt cupidine flagrant, ad Græciā ire permissus esset. Nec defuere deinceps ex his emergētia casib. quæ displiceret secūdis auib. cōtigisse, dū punirētur ex iure, vel tāquā irrita diffluebāt & vana. Sed D accidebat nonnūquā vt opulenti pulsantes præsidia potiorū, iisdēq; tāquā hederæ celsis arboribus adhærentes, absolutionē pretiis mercarentur immensis: tenues vero, quibus exiguæ res erāt ad tuēdā salutē aut nullæ dānabātur abrupte. Ideoque & veritas mendaciis valebatur, & valuere pro veris aliquoties falsa. Perductus est iisdē diebus & Gorgonius, cui erat thalami Cæsariani cura cōmissa: quūq; cū ausorū fuisse participē cōcitoreq; interdū ex cōfesso pateret, cōspiratione spadonū, iustitia cōcinnatis mēdaciis obūbrata, periculo euolu- E tus abscessit. Hęc dū Mediolani agūtur, militariū catervæ ab oriēte perductę sunt Aquileiā, cū aulicis pluribus, mēbris inter catenas fluctibus, spiritū trahētes exiguū, vinēdiq; moras per ærūnas detestati multiplices. Arcessebantur enim ministri fuisse Galli ferocientis, perq; eos Domitianus discerptus credebatur, & Mōtius & alij post eos acti in exitium præceps. ad quos audiendos Arbetio missus est, & Eusebius cubiculi tunc præposi- F tus, ambo inconsideratæ iactantiæ, iniusti pariter & cruenti: qui nulla perspicacitate, sine innocentium sontiumque differentia, alios verberibus vel tormentis afflictos exsulari pœna damnarunt, quosdam ad infimam trusere militiam, residuos capitalibus addixere suppliciis. Impletisque funerum bustis, reuersi velut ouantes gesta retulerunt ad principem, erga hæc & similia palam obstinatum & grauem. Vehementius hinc & deinde Constantius, quasi præscriptum fatorum ordinem conuulsurus, recluso pectore patebat insidiantibus multis. vnde rumorum aucupes subito exstitere complures, honorum vertices

ipsos feriinis morsibus adpetentes: postea que pauperes & diuites indiscrete, non, vt Cibyratæ illi Verrini, tribunal viuius legati lambentes, sed reip. membra totius per occidentia mala vexantes. Inter quos facile Paulus & Mercurius eminebant: hic, origine Persa, ille, natus in Dacia: notarius hic, ille minister triclinij rationalis. Et Paulo quidem (vt relatum est supra) *Catenæ* inditum est cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, tetra venena ferens, varieque dispergens, vt in colluctationibus calce tenere quidam solent artifices palæstritæ. Mercurius solenniorum adpellatus comes, quod vt clam mordax canis interno vitio summissus, agitans caudam, epulis cœtibusque se crebris inserens, si per quietem quisquam, vbi fusius natura vagatur, vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in peius, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homo tamquam inexplicabili obuoxius culpæ, graui mole criminis pulsabatur. Hæc augēte vulgarius fama, tantum aberat vt proderet quisquam visa nocturna, vt ægre homines dormisse sese præsentibus faterentur externis: mœrebantque docti quidam quod apud Atlanteos nati non essent, vbi memorantur somnia nō videri: quod vnde eueniat, rerum scientissimis relinquamus. Inter has quæstionum suppliciorumque species diras in Illyrico exoritur alia clades, ad multorum pericula ex verborum inanitate progressa. In prouincia Africani Pannoniæ secundæ rectoris, apud Sirmium poculis amplioribus madefacti quidam, arbitrū adesse nullum existimantes, licenter imperium præsens vt molestissimum incusabant: è quibus alij optatam permutationem temporum aduentare veluti è præsagiis affirmabant: nonnulli maiorum auguria sibi portendi incogitabili dementia promittebant. E quorum numero Gaudentius magnis in rebus more præcipiti stolidus, rem vt sciam detulerat ad Rufinum apparitionis præfecturæ prætorianæ tunc principem, vltimorum semper auidum hominem, & coalita prauitate famosum. qui confestim, quasi pinnis alatus, ad comitatum principis aduolauit: eumque, ad suspiciones huiusmodi mollem & penetrabilem, ita acriter inflammauit, vt sine deliberatione vlla Africanus, & omnes letalis mensæ participes, iuberentur sublimes tolli. Quo facto delator funestus, vetita ex more humano validius cupiens, biennio id quod agebat, vt postularat, continuare præceptus est. Missus igitur ad eos corripiendos Teutomeres protector domesticus cum collega, onustos omnes catenis, vt mandatum est, perducebat. Sed vbi ventum est Aquileiam, Marinus ex campiductore eo tēpore vacans, auctor perniciosi sermonis, & alioquin natura feruentis, in taberna relictus, dum parantur itineri necessaria, lateri cultrum casu repertum impegit, statimque extractis vitalibus interiit. Residui ducti Mediolanum, excruciatique tormentis, & confessi vi quæstionis, inter epulas petulanter se quædam loquutos, iussi sunt retineri pœnalibus claustris sub absolutionis aliqua spe, licet incerta. Protectores vero, pronuntiati vertere solum exsilio, vt Marino iisdem conscciis mori permisso, veniam Arbetione merente precante. Re hoc modo finita, paulo post & Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum, collimitia sæpe Romana latius irrumpentibus. Ad quem procinctum Imperator egressus, in Rhætias camposque venit Caninos: & digestis diu consiliis, id visum est honestum & vtile omnibus, vt eo cum militis parte Arbetio magister equitum, cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiæ pergeret, protinus barbaris congressuris: cuius loci figuram breuiter, quantum ratio patitur, designabo. Inter montium celsorum anfractus impulsu immani Rhenus discurrens extenditur per Lepontios, perque deciduas cataractas inclinatione pernici funditur vt Nilus, torrente ab ortu protinus primigenio copiis aquarum propriis irruenti cursu simplici. iamque adiutus niuibus liquatis ac solutis, altaque diuortia riparum adradens, lacum inuadit rotundum & vastum, quem Brigantiā accola Rhætus appellat, perq; quadringenta & sexaginta stādia longum, parique pene stadio latē diffusum, horrore siluarū squalentium inaccessum, (nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit latum) barbaris & natura locorum & cæli inclementia refragante. Hanc ergo paludem spumosis strependo verticibus amnis irrumpens & vndarum quietem permeans pigram, mediam velut finali intersecat libramento: & tamquam elementum perenni discordia separatum, nec aucto nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus absolutur integris, nec contagia deinde vlla perpetiens, oceani gurgitibus intimatur. quodque est impendio mirum, nec stagnum aquarum rapido transcursu mouetur, nec limosa subluuie tardatur properans flumen, & confusum misceri non potest corpus: quod ni ita agi ipse doceret aspectus, nulla vi credebatur posse discerni. Sic Alpheus oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethusæ captus, scindens Ionium mare, vt fabulæ ferunt, adusque amatæ confinia progreditur. Arbetio, qui aduentus barbarorum nuntiarent non exspectans dum adessent, licet sciret aspera orsa bellorum, in occultas delatus insidias, veluti immobilis malo repentino perculsus est. Interea visi è latebris hostes exsiliunt, & sine aliqua intermissione, quidquid offendi poterat, telorum genere multiplici configebant. Nec enim resistere nostrorum quisquam potuit, nec aliud vitæ subsidium, nisi discessu sperare veloci. Quocirca vulneribus declinandis intenti, incompositο agmine milites huc & illuc dispalantes terga ferienda dederunt. Plerique tamen per angustas semitas sparsi, periculoque præsidio tenebrosæ noctis extracti, reuoluta iam luce redintegratis viribus, agmini quisque proprio sese consociauit. In quo casu ita tristi & inopino abundans numerus armatorum, & tribuni desiderati sunt decem. ob quæ Alemanni sublatis animis, ferocius incidentes quotidie prope munimenta Romana, adimente matutina nebula lucem, strictis mucronibus discurrebant, frendendo minas tumidas intentantes. Egressique repente scutarij, quum obiectu turmarum hostilium repercussi stetissent, omnes suos conspirantibus animis ciebant ad pugnam. Verum quum plerosque recentis ærumnæ documenta terrerent, & in tuto fore reliqua credens hæreret Arbetio, tres simul exsiluere tribuni, Arintheus, agens vicem armaturarum rectoris, & Seniauchus, qui equestrem turmam comitum tuebatur, & Bappo, ducens promotos, cum commissis sibi à principe. Vrgebat caussa communis, vel vt propria, vim cunctis arcentibus veterum exemplo

plo accolarum fluminis: hostibusque superfusi, non iusto prœlio, sed discursionibus prædatoriis, vniuersos in fugam coëgere fœdissimam. qui dispersi laxatis ordinibus, dumque elabi properant, impediti, corpora nudantes intecta, gladiorum hastarumque densis ictibus truncabantur. multique cum equis interfecti, iacentes etiam tum eorum dorsis videbantur innixi. quo viso omnes è castris effusi, qui prodire in prœlium cum sociis ambigebant, cauendi immemores, proterebãt barbaram plebem, nisi quos fuga exemerat morti, calcantes cadauerum strues, perfusi sanie peremptorum. Hocque exitu prœlio terminato, Imperator Mediolanum ad hiberna ouans reuertit & lætus. Exoritur iam hinc rebus afflictis, haud dispari prouinciarum malo, calamitatum turbo nouarum, destructurus omnia simul, ni fortuna moderatrix humanorum casuum, motum euentu celeri consummasset impendio formidatum. Quum diuturna incuria Galliæ cædes acerbas rapinasque & incendia, barbaris licenter grassantibus, nullo iuuante perferrent, Siluanus pedestris militiæ rector ratus, & efficax ad hæc corrigenda, primum ipsis superuenit, Arbetione id maturari modis quibus poterat adigente, vt absenti æmulo, quem quietum superesse adhuc grauabatur, periculosæ molis onus impingeret. Actuarius sarcinalium principis iumentorum, commendatitias ab eo petierat ad amicos, vt quasi familiaris eiusdem esset notissimus. Hoc impetrato, quum ille nihil suspicans simpliciter præstitisset, seruabat epistolas, vt perniciosum aliquid in tempore moliretur. Memorato itaque duce Gallias ex republ. discursante barbarosque propellente, iam sibi diffidentes & trepidantes, idem Dynamius inquietius agens, vt versutus & in fallendo exercitatus, fraudem comminiscitur impiam, subornatore & conscio (vt iactauere rumores incerti) Lampadio præfecto, & Eusebio ex comite rei priuatæ: cui cognomentum erat inditum Mattiocopæ, atque Ædesio ex magistro memoriæ, quos ad consulatum, vt amicos iunctissimos, idem curarat subrogari præfectus: & penicculo seriæ litterarum abstersa, sola incolumi relicta subscriptione, alter multum à vero illo dissonans superscribitur textus: velut Siluano rogante verbis obliquis, hortanteq; amicos agentes intra palatium, vel priuatos, inter quos & Tuscus erat Albinus, aliique plures, vt se altiora cœptantem, & propediem solium principis aditurum, iuuarent. Hunc fascem ad arbitrium figmenti commisit, vitam pulsaturus insontis. Dynamius præfectus est, vt hæc pro Imperatore scrutaretur. Hæc & similia quum astu texeret, consistorium solus ingressus intimum, captato tempore vincire sperans peruigilem salutis imperatoriæ custodem. Lectaque in consistorio astu callido consarcinata materia, tribuni iussi sunt custodiri, & de prouinciis duci priuati, quorum epistolæ nomina designabãt. Cõfestimque iniquitate rei percitus Malarichus gẽtilium rector, collegis adhibitis strepebat immaniter, circumueniri homines dicatos imperio per factiones & dolos minime debere proclamans, petebatque vt ipse, relictis obsidum loco necessitudinibus suis, Mallobaude armaturarum tribuno spondente quod remearet velocius, iuberetur ire ducturus Siluanum, aggredi nihil tale conatum quale insidiatores acerrimi concitarunt: vel contra, se paria promittente, Mallobau-

A dem orabat properare permitti, hæc quæ ipse pollicitus est impleturum. Testabatur enim id se proculdubio scire, quod si quis mitteretur externus, suopte ingenio Siluanus, etiam nulla re perterrente timidior, composita forte turbaret. Et quamquam vtilia moneret & necessaria, ventis tamen loquebatur incassum. Namque Arbetione auctore, Apodemius ad eum vocandum cum litteris mittitur, inimicus bonorum omnium diuturnus & grauis: qui incidens principi in Galliis, B diffidens à mandatis conuentis quæ proficiscenti sunt data, nec viso Siluano, nec oblatis scriptis vt veniret admonito, remansit: adscitoque rationali quasi proscripti iamque necandi magistri peditũ, clientes & seruos hostili tumore vexabat. Inter hæc tamen dum præsentia Siluani speratur, & Apodemius quieta perturbat, Dynamius vt argumento validiore impie structorum assereret fidẽ, compositas litteras, his concinentes quas obtule- C rat principi per præfectum, ad tribunum miserat fabricæ Cremonensis nomine Siluani & Malarichi, à quibus, vt arcanorum conscius, monebatur parare propere cuncta. Qui quum hæc legisset, hærens & ambigens diu quidnam id esset, (nec enim meminerat secum aliquando super negotio vllo interiore, hos quorum litteras acceperat, colloquutos) epistolas ipsas per baiulum qui portarat, iuncto milite ad Malarichum misit, obsecrans vt doceret aperte quæ vellet, non ita perplexe: nec D enim intellexisse firmabat, vt subagrestem & simplicem, quid significatum esset obscurius. Hæc Malarichus subito nactus, etiam tunc squalens & mœstus, suamque & popularis Siluani vicem grauiter ingemiscens, adhibitis Francis, quorum ea tempestate in palatio multitudo florebat, erectius iam loquebatur tumultuabaturque, factis insidiis, retectaque iam fallacia, per quam ex contesta salus eorum appetebatur. Hisque cognitis statuit Imperator, dispicientibus consistorianis & mili- E taribus vniuersis in negotium præterinquiri. Quumque iudices fastidissent, Florentius Nigriani filius, agens tunc pro magistro officiorum, cõtemplans diligentius scripta, apicumque pristinorum reliquias quasdam reperiens, animaduertit, tum factum ex priore textu interpolato longe alium quam dictarat Siluanus ex libidine consarcinatæ falsitatis adscriptum. Proinde fallaciarum nube discussa, Imperator doctus gesta rela- F tione fideli, abrogata potestate, præfectum statui sub quæstione præcipit: sed absolutus est enixa conspiratione multorum: suspensus autem Eusebius ex comite priuatarum, se conscio hæc dixerat concitata. Ædesius enim, nescisse quid actum sit pertinaci infitiatione contendens, abiit innoxius. & ita finito negotio, omnes sunt absoluti, quos exhiberi delatio compulit criminis. Dynamius vero, vt præclaris artib. illustratus, cũ correctoris dignitate abiit: nec non corrigere iussus est Tuscus reliquam principis creduli militiam. A- G gens inter hæc apud Agrippinam Siluanus assiduisque suorum compertis nuntiis, quæ Apodemius in labem suarum ageret fortunarũ, & sciens animum tenerum versabilis principis in dicta caussa, timens ne absens & indamnatus peragetur reus, in difficultate positus maxima, barbaricæ se fidei committere cogitabat. Sed Laniogaiso vetante, tunc tribuno, quem, dum militaret candidatus, solum adfuisse morituro Constanti supra scripsimus, docenteque, Francos, vnde oriebatur,

interfecturos eum, aut accepto præmio prodituros, nihil tutum ex præsentibus ratus, in consilia cogebatur extrema: & sensim cum principiorum verticibus secretius colloquutus, ijdemque magnitudine promissæ mercedis anisis, cultu purpureo, draconum & vexillorum insignibus ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit. Dumque hæc aguntur in Galliis, ad occasum inclinato iam die, perfertur Mediolanum insperabilis nuntius, aperte Siluanum demonstrans, dum ex magistro peditum altius nititur, sollicitato exercitu ad augustum culmen euectum. Hac mole casus inopini Constantio ictu, quasi fulmine fati, primates consilio secunda vigilia conuocato properarunt omnes in regiam. Quumque nulli ad eligendum quid agi deberet, mens suppetere posset aut lingua, summissis verbis fit Vrsicini mentio, vt consiliis rei bellicæ præstantissimi, frustraque graui iniuria lacessiti: & per admissionum magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso consistorium offertur purpura: atque ita ante principis pedes supplicem statuerunt, externorum regum ritu: quum semper antea ad similitudinem iudicum salutatos principes legerimus. Ita is qui paulo antea cum insectatione maleuola, orientis vorago, inuadendæque summæ rei per filios affectator compellabatur, tunc dux prudentissimus, & Constantini Magni fuerat commilito, solusque ad exstinguendum probis quidem, sed insidiosis rationibus petebatur. Diligens enim opera nauabatur Siluanum exstingui, vt fortissimum perduellem: aut, si secus accidisset, Vrsicinum exulceratum iam penitus aboleri, ne superesset scrupulus impendio formidandus. Igitur quum de profectione celeranda disponeretur, propulsationem obiectorum criminum eumdem ducem parantem prægressus oratione leni prohibet Imperator; non id esse memorans tempus vt controuersa defensio caussæ susciperetur; quum vicissim restitui in pristinam concordiam partes necessitas subigeret vrgentiū rerum, antequam cresceret, mollienda. Habita igitur deliberatione multiplici, potissimum tractabatur quo commento Siluanus gesta etiam tū Imperatorem ignorare existimaret: probabili argumento ad firmandam fidem reperto, monetur honorificis scriptis, vt accepto Vrsicino successore, cum potestate rediret intacta. Post hæc ita digesta protinus iubetur exire tribunus: & protectores domesticos decem, vt postularat, ad iuuandas necessitates publicas secum duxit: inter quos ego quoque eram cum Veriniano collega, residui omnes propioqui & familiares. Iāq; eū egressum solum, de se metu quisque per longa spatia deducebat. Et quamquam vt bestiarij obiiceremur intractabilibus feris: perpendentes tamen hoc bonum habere tristia præcedentia, quod in locis suis secunda substituunt, mirabamur illam sententiam Tullianam, ex æternis veritatis ipsius adytis promulgatam, quæ est talis, *Et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimā permanere: illa tamen qualitas vitæ non tantum habet sensum, quantum quum ex sauis & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur.* Festinamus itaque itineribus magnis, vt ambitiosus magister armorum ante allapsum per Italicos de tyrannide vllum rumorem, in suspectis finibus appareret. Verum cursim nos properantes erratica quædam anteuolans prodiderat fama: & Agrippi-

A nam ingressi, inuenimus cuncta nostris conatibus altiora. Namq; cōuena vndiq; multitudine trepide cœpta fundante, coactisque copiis multis, pro statu rei præsentis id aptius videbatur, vt ad imperatoris nouelli, per ludibriosa auspicia virium accessus firmantis, sensum ac voluntatem dux flebilis verteretur; quo variis assentandi figmentis in mollius vrgeore securitate, nihil metuens hostile deciperetur. Cuius rei finis arduus videbatur. Erat enim cautius obseruandum vt appetitus op-

B portunitati obtemperarent, nec præcurrētes eam nec deserentes: qui si eluxissent intempestiue, cōstabat nos omnes sub elogio vno morte multandos. Susceptus tamen idem dux leniter; adactusque, inclinante negotio ipso ceruices, adorare sollenniter anhelantem celsius purpuram, specialius colebatur: & intimus facilitate aditus honoreque mensæ regalis adeo antepositus aliis, vt iam secretius de rerum summa consultaretur. Ægre ferebat

C Siluanus, ad consulatum potestatesque sublimes claris indignis, se & Vrsicinum solos post exsudatos magnos pro rep. labores & crebros, ita fuisse despectos, vt ipse quidem per quæstiones familiarium sub disceptatione ignobili crudeliter agitatus, commisisse in maiestatem arcesseretur: alter vero ab oriente raptus, odiis inimicorum addiceretur: & hoc assidue clam querebatur & palam. Terrebant nos tamen, quum dicerentur hæc & similia, circumfrementia vndique murmura

D caussantis inopiam militis, & rapida celeritate ardentis angustias Alpium perrumpere Cottiarum. In hoc æstu mentis ancipiti, ad effectum tendens consilium occulta scrutabamur indagine: sederatque tandem, mutatis præ timore sæpe sententiis, vt quæsitis magna industria cautis ministris, obstricto religionū consecratione colloquio, Braccati sollicitarentur atque Cornuti, fluxioris fidei, & vbertate mercedis ad momentum omne versabiles. Firmato itaq; negotio, per sequestres quos-

E dam gregarios, obscuritate ipsa ad id patrandum idoneos, præmiorum exspectatione accensos, solis ortu iam rutilo, subitus armatorum globus erumpit, atque (vt solet in dubiis rebus) audentior cæsis custodibus regia penetrata, Siluanum extractum ædicula, quo exanimatus confugerat, ad cōuenticulum ritus Christiani tendentem, densis gladiorum ictibus trucidant. Ita dux haud exiliū meritorum, hoc genere oppetit mortis, metu calumniarum, quibus factione iniquorum irretitus

F est absens, vt tueri possit salutem, ad præsidia progressus extrema. Licet enim ob tempestiuam illā cum armaturis proditionem ante Mursense prœlium, obligatum gratia retineret Constantium, vt dubium tamen & mutabilem verebatur: licet patris quoque Bonitij prætenderet fortia facta, Frāci quidem, sed pro Constantini partibus in bello ciuili acriter contra Licinianos sæpe versati. Eue-

nerat autem, antequam huiusmodi aliquid agita-

G retur in Galliis, vt Romæ in circo maximo populus, incertum ratione quadam percitus an præsagio, *Siluanus deuictus est*, magnis vocibus exclamaret. Igitur Siluano Agrippinæ (vt relatum est) interfecto, inæstimabili gaudio re cognita, princeps insolentia coalitus & tumore, hoc quoque felicitatis suæ prosperis cursibus adsignabat: eo more quo semper oderat fortiter facientes, vt quondam Domitianus, superare tamen quacumque arte contraria cupiebat. Tantumque abfuit laudare industrie gesta, vt etiam quædam scriberet de

ret de Gallicanis intercepta thesauris, quos nemo attigerat. Idque scrutari iusserat arctius, interrogato Remigio etiam tum rationario apparitionis armorum magistri: cui multo postea Valentiniani temporibus laqueus vitam in caussa Tripolitanæ legationis rupit. Post quæ ita completa, Constantius, vt iam cælo contiguus, casibusque imperaturus humanis, magniloquentia fastuque sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse, spernendo proiiciẽdoque id genus parum callentes: vt Crœsum. legimus ideo regno suo Solonem expulisse præcipitem, quia blandiri nesciebat; & Dionysium intentasse poëtæ Philoxeno mortem, quum eum recitantem proprios versus absurdos & inconcinnos laudantibus cunctis, solus audiret immobilis: quæ res perniciosa vitiorum est altrix. *Ea demum enim laus grata esse potestati debet excelsæ, quum interdum & vituperationi secus gestorũ patet locus.* Iamque post securitatem quæstiones agitabantur de more; ex vinculis catenisque plures vt noxij plectebantur. Exsurgebat enim efferens lætitia Paulus, tartareus ille delator, ad venenatas artes suas licentius exercendas: & inquirentibus in negotium consistorianis atque militaribus, vt præceptum est, Proculus admouetur eculeo, Siluani domesticus, homo gracilis & morbosus: metuentibus cunctis ne vi nimia tormentorum leui corpore fatigato, reos atrocium criminum promiscue citari faceret multos. verũ contra quam speratum est contigit. Memor enim somnij quo veritus erat per quietem (vt ipse firmauit) pulsare quemquam insontem, vsque ad confinia mortis vexatus, nec nominauit nec prodidit aliquem: sed adserebat factum Siluani constanter, id eum cogitasse quod iniit, non cupiditate sed necessitate compulsum, argumento euidenti demonstrans. Caussam enim probabilem ponebat in medio, multorum testimoniis claram, quod die quinto antequam insulas susciperet principatus, donatum stipendio militem Constantij nomine adloquutus est, fortis esset & fidus. Vnde apparebat, quod si præsumere fortunæ superioris insignia conaretur, auri tam graue põdus expenderet vt suum. Post hunc damnatorum sorte Pœmenius raptus ad supplicium interiit: qui (vt supra retulimus) quum Treuiri ciuitatem Cæsari clausissent Decentio, ad defendendam plebem electus est. Tum Asclepiodotus & Lutto & Maudio Comites interempti sunt, aliique plures. Hæc & similia perplexe temporis obstinatione scrutante, dum has exitiorum communium clades suscitat turbo feralis, vrbem æternam Leontius regens, multa spectati iudicis documenta præbebat; in audiendo celer, in disceptando iustissimus, natura beneuolus; licet auctoritatis caussa seruandæ, acer quibusdam videbatur, & inclinatior ad amandum. Prima igitur ars seditionis in eum concitandæ vilissima fuit & leuis. Philoromum enim aurigam rapi præceptum, sequuta plebs omnis, velut defensura proprium pignus, terribili impetu præfectum incessebat vt timidum: sed ille stabilis & erectus, immissis apparitoribus correptos aliquot vexatosque tormentis, nec strepente vllo nec obsistente, insulari pœna multauit. Diebusque paucis sequutis, quum itidem plebs excita calore quo consueuit, vini caussando inopiam, ad Septizonium conuenisset, celebrem locum, vbi operis ambitiosi Nymphæum Marcus condidit Imperator, illuc de in-

A dustria pergens præfectus, ab omni toga apparitioneq; rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immitteret, & minacem ex commotione pristina sæuientem: difficilisque ad pauorẽ recti tetendit, adeo vt eum obsequentium pars desereret, licet in periculum festinantem abruptum. Insidens itaque vehiculo cum speciosa fiducia contuebatur acribus oculis tumultuantium vndique cuneorum, veluti serpentium, vultus: perpessusque multa dici probrosa, agnitum quẽdam inter alios eminentem, vasti corporis, rutilique capilli, interrogauit an ipse esset Petrus Valuomeres (vt audierat) cognomento: eumque, quũ
B esse sono respondisset obiurgatorio, vt seditiosorum antesignanum olim sibi compertum, reclamantibus multis, post terga manibus vinctis suspendi præcepit. Quo viso sublimi, tribuliumque adiumentum nequidquam implorante, vulgus omne paulo ante confertum, per varia vrbis membra diffusum ita euanuit, vt turbarum acerrimus
C concitor, tanquam in iudiciali secreto exaratis lateribus, ad Picenum eiiceretur: vbi postea ausus eripere virginis non obscuræ pudorem, Patruini consulari sententia supplicio ob id capitali addictus. Hoc administrante Leontio, Liberius Christianæ legis antistes à Constantio ad comitatum mitti præceptus est, tamquam Imperatoris iussis & plurimorum sui consortium decretis obsistens in re quam breui textu percurram. Athanasium episcopum, eo tempore apud Alexandriam vltra
D professionem altius se efferentem, sciscitarique conatum externa, vt prodidere rumores adsidui, cœtus in vnum quæsitus eiusdem loci multorum (synodus, vt appellant) remouit à sacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæue augurales portenderent alites, scientissime callens, aliquoties prædixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque à proposito legis abhorrentia cui præsidebat. Hunc per subscriptionem abiicere sede sacerdotali, paria
E sentiens ceteris, iubente principe Liberius monitus, perseueranter renitebatur; *nec visum hominem nec auditum damnare nefas vltimum* sæpe exclamans, aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate qua potiũtur æternæ vrbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre, populi metu qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari.
F Et hæc quidem Romæ (vt ostẽdit textus superior) agebantur. Constantium vero exagitabant assidui nuntij, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente ad internecionem barbaris vastantibus vniuersa. Æstuansque diu qua vi propulsaret ærumnas, ipse in Italia residens, vt cupiebat, (periculosum enim existimabat se in partem contrudere longe dimotam) reperit tamdem consilium rectum: & IVLIANVM patruelẽ fratrem, haud ita dudum ab Achaia contractum accitu, etiam tum
G palliatum, in societatem imperij adsciscere cogitabat. Id vbi vrgente malorum impendentium mole est confessus proximis, succumbere tot necessitatibus tamque crebris vnum se (quod numquam fecerat) aperte demonstrans: illi in adsentationem nimiam eruditi infatuabant hominem, nihil esse ita asperum dictitantes quod præpotẽs eius virtus fortunaque tam vicina sideribus, non superaret ex more. addebantque, noxarum con-

scientia stimulante complures, deinceps caueri debere Cæsaris nomen, replicantes gesta sub Gallo, Quîs adnitentibus obstinate, opponebat se sola regina, incertum migrationem ad longinqua pertimescens, an pro natiua prudentia consulens in commune, omnibusque memorans anteponi debere propinquum. Post multaque per deliberationes ambiguas actitata, stetit fixa sententia: abiectisque disputationibus irritis, ad imperium placuit Iulianum adsumere. Quum venisset accitus prædicto die, aduocato omni quod aderat commilitio, tribunali ad altiorem suggestum erecto, quod aquilæ circumdederunt & signa, augustus inscendens, cumque manu retinens dextera, hæc sermone placido peroravit: *Adsistimus apud vos, optimi reip. defensores, caussa communi vno pene omnium spiritu vindicanda, quam acturus tamquam apud æquos iudices succinctius edocebo. Post interitum rebellium tyrannorum, quos ad hæc tentanda quæ mouerunt, rabies egit & furor velut impiis eorum manibus Romano sanguine parentantes, insultant barbari Gallias rupta limitum pace; hac animati fiducia quod nos per disiunctissimas terras ardua necessitates adstringunt. Huic igitur malo vltra opposita iam proserpenti, dum patitur tempus, si occurrerit nostri vestrique consulti suffragium, & colla superbarum gentium detumescent, & imperij fines erunt intacti. Restat vt rerum spem quam gero secundo roboretis effectu. IVLIANVM hunc, fratrem meum patruelem, vt nostis, verecundia, qua nobis ita vt necessitudine carus est, recte spectatum, iamque elucentis industriæ iuuenem, in Cæsaris adhibere potestatem exopto, cœptis, si videntur vtilia, etiam vestra concessione firmandis.* Dicere super his plura conantem interpellans concio lenius prohibebat, arbitrium summi Iouis id esse, non mentis humanæ, velut præscia venturi prædicans. Stansque Imperator immobilis, dum silerent, residua fidentius explicauit. *Quia igitur vestrum quoque fauorem adesse fremitus indicat lætus, adulescens vigoris tranquilli, cuius temperati mores imitandi sunt potius quam prædicandi, ad honorem properatum exsurgat: cuius præclaram indolem bonis artibus institutam hoc ipso plene videor exposuisse quod elegi. Ego eum, præsente nutu Dei cœlestis, amictu principali velabo.* Dixit, moxque indutum auita purpura Iulianum, & Cæsarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur contractiore vultu submœstum: *Recepisti primæuus originis tuæ splendidum florem, amantissime mihi omnium frater: aucta gloria mea confiteor, qui iustius in deferenda superiori potestate nobilitati mihi propinquæ, quam ipsa potestate videor esse sublimis. Adesto igitur laborum periculorumque particeps, & tutelam ministerij suscipe Galliarum, omni beneficentia partes leuaturus adflictas: & si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consiste inter signiferos ipsos, audendi in tempore consideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautissime, turbatosque subsidiis fulciens, modeste increpans desides, verissimus testis adfuturus industriis & ignauis. Proin vrgente rei magnitudine, pergo vir fortis ducturus viros itidem fortes. Aderimus vobis vicissim amoris robusta constantia: militabimus simul, vna orbem pacatum (Deus modo velit quod oramus) pari moderatione pietateque recturi. Mecum vbique videberis præsens, & ego tibi quodcumque acturo non deero. Ad summa mihi propera sociis omnium votis, velut assignatam tibi ab ipsa rep. stationem cura peruigili defensurus.* Nemo post hæc

A finita reticuit: sed militares omnes horrendo fragore scuta genibus illidentes (quod est prosperitatis indicium plenum: nam contra, quum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est & doloris) immane quo quantoque gaudio præter paucos Augusti probauere iudicium: Cæsaremque admiratione digna suscipiebant, imperatorij muricis fulgore flagrantem: cuius oculos cum venustate terribiles, vultumque excitatius gratum, multum B diuque contuentes, qui futurus sit colligebant, velut scrutatis veteribus libris, quorum lectio *per corporum signa pandit animarum interna.* Eumque vt potiori reuerentia seruaretur, nec supra modum laudabant, nec infra quam decebat: atque ideo censorum voces sunt æstimatæ, non militum. susceptus denique ad consessum vehiculi, receptusque in regiam, hunc versum ex Homerico carmine susurrabat,

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

C Hæc die octauo iduum Nouemb. gesta sunt, quum Arbetionem consulem annus haberet & Lollianum. Deinde diebus paucis Helena virgine Constantij sorore, eidem Cæsari coniugali fœdere copulata, paratisque vniuersis quæ maturitas proficiscendi poscebat, comitatu paruo suscepto, calend. Decembrib. egressus est: deductusque ab Augusto adusque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interiacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos peruenit. Vbi nuntio D percellitur graui, qui nuper in comitatum Augusti perlatus, de industria silebatur, ne parata diffluerent. Indicabat autem, Coloniam Agrippinam ampli nominis vrbem in secunda Germania, pertinaci barbarorum obsidione reseratam, & magnis viribus deletam. Quo mœrore perculsus, velut primo aduentantium malorum auspicio, murmurans querulis vocibus sæpe audiebatur, nihil se plus assequutum quam vt occupatior interiret. Quumque Viennam venisset, ingredientem optaE tum quidem & imperatorem honorifice suscepturá omnis ætas concurrebat & dignitas: procul que visum plebs vniuersa cum vicinitate finitima Imperatorem clementem appellans & faustum, præuia consonis laudibus celebrabat, auidius pompam regiam in principe legitimo cernens: communiumque remedium ærumnarum in eius lucabat aduentu, salutarem quemdam genium adfulsisse conclamans, nec secius arbitrata. Tunc F anus quædam orbata luminibus, quum percontando quinam esset ingressus, Iulianum Cæsarem comperisset, exclamauit hunc deorum templa reparaturum. Proinde quoniam (vt Mantuanus vates prædixit excelsus) maius opus moueo, maiorque mihi rerum nascitur ordo, Galliarum tractus & situm ostendere puto nunc tempestiuum, ne inter procinctus vrgentes præliorumque varios casus ignota quibusdam expediens, imitari videar desides nauticos, attrita lintea cum rudentibus, quæ licuit parari securius, inter fluctus resarcire coa G ctos & tempestates. Ambigentes super origine prima Gallorum scriptores veteres, notitiam relinquere negotij semiplenam: sed postea Timagenes, & diligentia Græcus & lingua, quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem sequuti, obscuritate dimota, eadem distincte docebimus & aperte. *Aborigines* primos in his regionibus quidam visos esse firmarunt, *Celtas* nomine regis amabilis, & matris eius vocabulo *Galatas* dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat. Alij Do-

rienses,

rienses, antiquiorem sequutos Herculem, Oceani locos inhabitasse cōfines. Drasidæ memorant re-vera fuisse populi partem indigenam: sed alios quoque ab insulis extimis confluxisse & tractibus Transrhenanis, crebritate bellorum, & alluuione feruidi maris sedibus suis expulsos. Aiunt quidam, paucos post excidium Troiæ, fugitantes Græcos vbique dispersos, loca hæc occupasse tūc vacua. Regionum autem incolæ id magis omnibus adseuerant, (quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum) Amphitryonis filium Herculem ad Geryonis & Taurisci sæuorum tyrannorum perniciem festinasse, quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat: superatisque ambobus coisse cum generosis fœminis, suscepisseq; liberos plures, & eos partes quibus imperitabát, suis nominibus appellasse. A Phocæa vero Asiaticus populus, Harpali inclementiam vitans Cyri regis præfecti, Italiam nauigio petiit. cuius pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam. Dein sequutis ætatibus opida aucta virium copia, instituere non pauca; sed declinanda varietas sæpe satietati coniuncta. Per hæc loci hominibus paulatim excultis viguere studia laudabiliū doctrinarū, inchoata per Bardos & Eubages & Druidas. Et Bardi quidē fortia virorū illustrium facta heroicis cōposita versibus cū dulcib. lyræ modulis cantitarunt: Eubages vero, scrutātes summa & sublimia naturæ, pandere conabantur. Inter hos Druidæ, ingeniis celsiores, vt auctoritas Pythagoræ decreuit, sodalitiis adstricti consortiis; quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, & despectantes humana, pronunciarunt animas immortales. Hanc Galliarum plagam ob suggestus montium arduos, & horrore niuali semper obductos, orbis residui incolis antehac pene ignotam, nisi qua litoribus est vicina, munimina claudūt vndique natura velut arte circumdata. & à latere quidem australi Tyrrheno alluitur & Gallico mari: qua cæleste suspicit plaustrum, à feris gentibus fluentis distinguitur Rheni: vbi occidentali subiecta est sideri, Oceano & altitudine Pyrenei: vnde ad solis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum: quas rex Cottius perdomitis Galliis, solus in angustiis latens, inuiaque locorum asperitate confisus, lenito tandem tumore in amicitiā Octauiani receptus principis, molibus magnis exstruxit ad vicē memorabilis muneris compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas, super quibus comperta paulo postea referemus. In his Alpibus Cottiis, quarum initium à Segusione opido est, præcelsum erigitur iugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. Est enim è Galliis venientibus prona humilitate deuexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, præsertim verno tempore: quum liquente gelu niuibusque solutis flatu calidiore ventorum, per diruptas vtrimque angustias, & lacunas pruinarum congerie latebrosas, descendentes cunctantibus plantis homines & iumenta procidunt & carpenta: idque remedium ad arcendum exitium repertum solum, quod pleraque vehicula vastis funibus illigata, pone cohibente virorum vel boum nisu valido, vix gressu reptante paulo tutius deuoluūtur. Et hæc (vt diximus) anni verno contingunt. Hieme vero humus crustata frigoribus & tamquam læuigata, ideoque labilis, incessum præcipitantem impellit; & patulæ valles per spatia pla-

A na glacie perfidæ vorant nonnumquam transeūtes. ob quæ locorum callidi, eminentes ligneos stylos per cautiora loca defigunt, vt eorum series viatorem ducat innoxium: qui si niuibus operti latuerint, montanis defluentibus riuis euersi, agrestibus præuiis difficile peruadūntur. A summitate autem huius Italici cliui, planicies adusq; stationē nomine Martis, per septē extenditur millia: & hinc alia celsitudo erectior, ægreque superabilis ad Matronæ porrigitur verticem, cuius vocabu-

B lum casus fœminæ nobilis dedit. Vnde decliue quidem iter, sed expeditius adusque castellū Virgantiam patet. Huius sepulcrum reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est mœnibus proximum: manesque eius ratione gemina religiose coluntur; quod iusto moderamine rexerat suos; & adscitus in societatem rei Romanæ, quietem genti præstitit sempiternam. Et licet hæc quam diximus, via media sit, & compendiaria

C magisque celebris: tamen etiam aliæ multo antea temporibus sunt constructæ diuersis. Primam Thebanus Hercules ad Geryonem exstinguendum (vt relatum est) & Tauriscum lenius gradiens, prope maritimas composuit Alpes. hicque harum nomen indidit. Monœci similiter arcem & portum ad perennem sui memoriam consecrauit. Deinde emensis postea seculis multis, hac ex caussa sunt Alpes excogitatæ Pœninæ. Superioris Africani pater P. Cornelius Scipio, Sagun-

D tinis memorabilibus ærumnis & fide, pertinaci destinatione Afrorum obsessis, iturus auxilio in Hispaniam, traduxit onustam manu valida classem, sed ciuitate potiore marte deleta, Annibalem assequi nequiens, triduo ante transito Rhodano ad Italiæ partes contendentem, nauigatione veloci intercurso spatio maris haud longo, digressurum montibus apud Genuam obseruabat Liguriæ opidum; vt cum eo (si copiam fors dedisset) viarum asperitate fatigato decerneret in planicie.

E consulens tamen rei communi, Cn. Scipionem fratrem ire monuit in Hispanias, vt Asdrubalem exinde similiter erupturum arceret. quæ Annibal doctus à perfugis, vt erat expeditæ mentis & callidæ Taurinis ducentibus accolis, per Tricassinos & oram Vocontiorum extremam ad saltus Tricorios venit. Indeque exorsus, aliud iter antehac insuperabile fecit: excisaq; rupe in immēsum elatā, quam cremando vi magna flammarum acetoque infuso dissoluit, per Druentiam flumen

F gurgitibus vagis intortum regiones occupauit Hetruscas. Hactenus super Alpibus, nunc ad restantia veniamus. Temporibus priscis, quum laterent hæ partes vt barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in Celtas (eosdem Gallos) diuisæ, & Aquitanos, & Belgas, lingua, institutis legibusque discrepantes. Et *Gallos* quidem, qui sunt Celtæ, ab *Aquitanis* Garumna disterminat flumen, à Pyrenæis oriens collibus, postque opida multa trans-

G cursa in oceano delitescens. A *Belgis* vero eamdē gentem Matrona discindit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ, qui fluentes per Lugdunensem, post circumclausum ambitu insulari Parisiorum castellum, Lutetiam nomine, consociatim meant: meantesque protinus prope castra Constantia funduntur in mare. Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur esse fortissimi, ea propter quod ab humaniore cultu longe discreti, nec aduentitiis effœminati deliciis, diu cum Transrhenanis certauere Germanis. Aquitani

enim, ad quorum litora, vt proxima placidaque, merces aduenticiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis, facile in ditionẽ venere Romanam. Regebantur autem Galliæ omnes, iam inde vt crebritate bellorum vrgenti cessere Iulio dictatori, potestate in partes diuisa quatuor. quarum Narbonensis vna, Viennensem intra se continebat & Lugdunensem: altera, Aquitanis præerat vniuersis: superiorem & inferiorem Germaniam Belgasque duæ iurisdictiones iisdem rexere temporibus. At nunc numerantur prouinciæ per omnem ambitum Galliarum: secunda Germania, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, ciuitatibus amplis & copiosis. dein prima Germania; vbi præter alia municipia Magontiacus est, & Vangiones & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima Mediomatricos prætendit & Treuiros domicilium principum clarum. Huic adnexa est secunda Belgica: qua Ambiani sunt vrbs inter alias eminens, & Cathelauni & Remi. apud Sequanos Bisontios vidimus & Rauracos, aliis potiores oppidis multis. Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Augustuduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem Rothomagi, & Turini Mediolanum ostenduntur & Tricassiui, Alpes Graiæ & Pœninæ, exceptis obscurioribus habent & Auenticum, desertam quidem ciuitatem, sed non ignobilem quondam, vt ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hæ prouinciæ vrbesque sunt splendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Pyrenæos montes & eam partem spectat oceani quæ pertinet ad Hispanos, prima prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodum culta: omissis aliis multis, Burdegala, & Aruerni excellunt, & Santones, & Pictaui. Nouem populos Ausci cõmendãt & Vasatæ. In Narbonẽsi clusa est Narbona & Tolosa, quæ principatum vrbium tenent. Viennensis ciuitatum exsultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate & Valentia: quibus Massilia iungitur, cuius societate & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluuii sunt, & Nicæa & Antipolis, insulæque Stœchades. Et quoniam ad has partes opere contexto peruenimus, silere super Rhodano maximi nominis flumine incongruum est & absurdum. A Pœninis Alpibus effusiore copia fontiũ Rhodanus fluens, & procliui impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi sese ingurgitat nomine Lemano; eamque intermeans, nusquam aquis miscetur externis: sed altrinsecus summitates vndæ prætetlabens segniores, quæritans exitus, viam sibi impetu veloci molitur. Vnde sine iactura rerum per densa paludium fertur, & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem: & emensus spatia fluctuosa, Ararim, quem Sauconnam appellant inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit. qui locus exordium est Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur: vbi auctus Rhodanus aquis aduenis locupletior, vehit grandissimas naues, ventorum flatu iactari sæpius assuetas, finitusque inter valles, quas ei natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem vocant Ad gradus, ab

A Arelate octauodecimo ferme lapide disparatum. Sit satis de situ locorum, nunc figuras & mores hominum designabo. Celsioris staturæ & candidi pene Galli sunt omnes & rutili, luminumque toruitate terribiles, auidi iurgiorum, & sublatius insolescentes. Nec enim eorum quemquã, adhibita vxore rixantem, multo fortiore & glauca, peregrinorum ferre poterit globus; tum maxime quum illa inflata ceruice suffrendens, ponderansque niueas vlnas & vastas, admixtis calcibus B emittere cœperit pugnos, vt catapultas tortilibus neruis excussas. Metuendæ voces complurium & minaces, placatorum iuxta & irascentium. Tersi tamen pari diligentia cuncti & mundi; nec in tractibus illis maximeque apud Aquitaniam, poterit videri vel fœmina, licet per quam pauper, vt alibi, frostis squalere pannorum. Ad militandum omnis ætas aptissima: & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur, & adultus, C gelu duratis artubus & labore assiduo, multa contempturus & formidanda: nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos localiter *murcos* appellant. Vini auidum genus, adfectans ad vini similitudinem multiplices potus: & inter eos humiles quidam obtusis ebrietate continua sensibus (quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definiuit) raptantur discursibus vagis: vt verum illud videatur quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos post hæc dilutius D esse poturos, quod illi venenum esse arbitrabantur. Hæ regiones, præcipue quæ confines Italicis, paulatim leuius odere sub imperium venire Romanum: primo tentatæ per Fuluium, deinde prœliis paruis quassatæ per Sextium; ad vltimum per Fabium Maximum domitæ, cui negotij plenus effectus, asperiore Allobrogum gente deuicta, hoc indidit cognomentum. Nam omnes Gallias, nisi quæ paludibus inuiæ fuere, vt Sallustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades, E Cæsar societati nostræ fœderibus iunxit æternis. Euectus sum longius; sed remeabo tandem ad cœpta. Domitiano crudeli morte consumpto, Musonianus successor orientem prætoriani regebat potestate præfecti, facundia sermonis vtriusque clarus: vnde sublimius quam sperabatur eluxit. Constantinus enim quum limatius superstitionum quæreret sectas, Manichæorum & similium, nec interpres inueniretur idoneus, hunc sibi commendatum, vt sufficientem, elegit: F quem officio functum perite Musonianum voluit appellari, ante Strategium dictitatum: & ex eo percursis honorum gradibus multis, ascendit ad præfecturam, prudens alias tolerabilisque prouinciis, & mitis & blandus, sed ex qualibet occasione, maximeque ex controuersis litibus (quod nefandum est) & in totum lucrandi auiditate sordescens, vt inter alia multa euidenter apparuit in quæstionibus agitatis super morte Theophili Syriæ consularis, ob proditionem Cæsaris Galli imG petu plebis promiscuæ discerpti: vbi damnatis pauperibus, quos quum hæc agerentur peregre constabat fuisse, auctores diri facinoris exuti patrimoniis, absoluti sunt diuites. Hunc Prosper adæquabat, pro magistro equitum agente etiam tum in Galliis militem regens, abiecte ignauus, & (vt ait Comicus) arte despecta furtorum rapiẽs propalam. Quis concordantibus, mutuaque commercia vicissim sibi conciliando locupletatis,

Persici

Persici duces vicini fluminibus, rege in vltimis terrarum suarum terminis occupato, per prædatorios globos nostra vexabant, nunc Armeniam, aliquoties Mesopotamiam confidentius incursantes, Romanis ductoribus ad colligendas obeuntium exuuias occupatis.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSSEXTVS.

HÆc per orbem Romanum fatorum ordine contexto versante, Cæsar apud Viennam in collegium fastorum à consule octies Augusto adscitus, vrgente genuino vigore, pugnarum fragores cędesque barbaricas somniabat, colligere prouinciæ fragmenta iam parans, si adfuisset flatu tamdem secundo. Quia igitur res magnæ quas per Gallias virtute felicitateque correxit, multis veterum factis fortibus præstant, singula serie progrediente monstrabo, instrumenta omnia mediocris ingenij, si suffecerint, commoturus. Quidquid autem narrabitur, quod non falsitas arguta concinnat, sed fides integra rerum absoluit, documentis euidentibus fulta, ad laudatiuam pene materiem pertinebit. Videtur enim lex quædam vitæ melioris hunc iuuenem à mobilibus cunis, adusque spiritum comitata supremum. Namque incrementis velocibus ita domi forisq; colluxit, vt prudentia Vespasiani filius Titus alter æstimaretur: bellorum gloriosis cursibus Traiani simillimus; clemens vt Antoninus, rectæ perfectæque rationis indagine congruens Marco, ad cuius æmulationem actus effingebat & mores. Et quoniam (vt Tulliana docet auctoritas) *omniũ magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item:* sic præclaræ huius indolis rudimenta tunc multis obnubilantibus tegebantur, quæ anteferri gestis eius postea multis & miris hac ratione deberent, quod adolescēs primæuus vt Erechtheus in secessu Mineruæ nutritus, ex academiæ quietis vmbraculis, non è militari tabernaculo in puluerem martium tractus, strata Germania pacatisque rigentis Rheni motibus, cruenta spirantium regum hic sanguinem fudit, alibi manibus catenas affixit. Agens itaque negotiosam hiemem apud opidum ante dictum inter rumores qui volitabant adsidui, cōperit Augustuduni ciuitatis antiquæ muros, spaciosi quidem ambitus, sed carie vetustatis inualidos, barbarorum impetu repentino insessos, torpente præsentium militum manu veteranos cōcursatione peruigili defendisse, vt *solet abrupta sæpe discrimina salutis vltima desperatio propulsare.* Nihil itaque remittentibus curis, ancillari adulatione posthabita, qua eum proximi ad amœnitatem flectebant & luxum, satis omnibus comparatis VIII. Cal. Iulias Augustudunum peruenit, velut dux diuturnus, viribus eminens & consiliis, per diuersa palantes barbaros, vbi dedisset fors copiam, aggressurus. Habita itaque deliberatione, adsistentibus locorum peritis quodnā iter eligeretur vt tutum, multa vltro citroque dicebantur, aliis per Arborosam, quibusdam per sedes Leucorum iri debere firmantibus. sed quum subsererent quidam, Siluanum paulo ante magistrum peditum, per compendiosas vias, verum suspectas (quia tenebris multis vmbrantur (cum VIII auxiliarium millibus ægre transisse, fidentius Cæsar audaciam viri fortis imitari magnopere nitebatur cunctis viribus. Et nequa interueniret mora, adhibitis cataphractis solis & balistariis, parum ad tuendum rectorem idoneis, percurso eodem itinere, Autosidorum peruenit: vbi breui (sicut solebat) otio cum milite recreatus, ad Tricassinos tēdebat: & barbaros in se cateruatim ruētes, partim quũ timeretvr ampliores, cōfertis lateribus obseruabat, alios occupatis habilibus locis decursu facili proterēs, nōnullos pauore traditos cepit; residuos in curā celeritatis omne quod poterāt conferentes, quia sequi nō valebat grauitate præpeditus armorũ, innocuos abire perpessus est. Proinde certiori iam spe ad resistendum ingruētibus confirmatus, per multa discrimina venerat Tricassas, adeo insperatus vt eo portas pene pulsante, diffusæ multitudinis barbaræ metu aditus vrbis non sine anxia panderetur ambage: & paulisper moratus, dum fatigato consulit militi, ciuitatem Remos, nihil prolatandum existimans, petit: vbi in vnum congregatum exercitum Vesuntij iusserat opperiri præsentiam suam: cui pręsidebat Vrsicini successor Marcellus, & ipse Vrsicinus adusque expeditionis finem agere præceptus iisdem in locis. Post variatas itaque sententiás plures, quum placuisset per decem pagos Alemannam adgredi plebem, densatis agminibus tendebat illuc solito alacrior miles: & quia dies humectus & decolor vel contiguum eripiebat aspectum, iuuante locorum gnaritate, hostes tramite obliquo discurso post Cæsaris terga, legiones duas arma cogentes adorti pene delessent, ni subito concitus clamor sociorum auxilia coëgisset. Hinc & deinde nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat prouidus & cunctator: quod præcipuũ bonum in magnis ductoribus, opem ferre solet exercitibus & salutem. Audiens itaque Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, & Vangionas, & Magontiacum ciuitates barbaros possidentes, territoria eorum habitare, (nam ipsa opida vt circundata retibus lustra declinant) primam omnium Brotomagum occupauit: eique iam aduentanti Germanorum manus pugnam intentans occurrit. Quumque in bicornem figuram acie diuisa collato pede res agi cœpisset, exitioque hostes vrgerentur ancipiti, captis nonnullis, aliis in ipso prœlii furore trūcatis, residui discessere celeritatis pręsidio tecti. Nullo itaque posthac repugnante, ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Cæsaris in Gallias aduentum excisam; per quos tractus nec ciuitas vlla visitur, nec castellum: nisi quod apud Confluentes locum ita cognominatũ, vbi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigodulum opidum est, & vna prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, nō ante me-

rus eſt exinde quam Francorum regibus furore
miteſcente petterritis pacem reip. firmaret inte-
rim profuturam,& vrbem reciperet munitiſſimá.
Quibus vincendi primitiis lætus, per Treueros
hiematurus apud Senonas, opidum tunc oportu-
num, abſceſſit. vbi bellorum inundantium molé
humeris ſuis (quod dicitur) vehens, ſcindebatur
in multiplices curas: vt milites qui à ſolitis deſci-
uere præſidiis, reducerentur ad loca ſuſpecta, &
conſpiratas gentes in noxam Romani nominis
diſiectaret, ac præuideret ne alimenta deeſſent
exercitui per varia diſcurſuro. Hæc ſollicite per-
penſantem, hoſtilis aggreditur multitudo opidi
capiundi ſpe in maius accenſa: ideo confidentes
quod nec ſcutarios adeſſe prodentibus perfugis
didicerant, nec gentiles, per municipia diſtribu-
tos,vt commodius veſcerentur. Clauſa ergo vrbe
murorumque in tuta parte firmata, ipſe cum ar-
matis diu noctuque inter propugnacula viſeba-
tur & pinnas, ira exundante ſubſtridens, quum
erumpere ſæpe conatus, paucitate præſentis ma-
nus impediretur. Poſt tricesimum denique diem
abiere barbari triſtes, inaniter ſtulteque cogitaſſe
ciuitatis obſidium muſſitantes.& (quod indigni-
tati rerum eſt adſignandum) periclitanti Cæſa-
ri diſtulit ſuppetias ferre Marcellus magiſter e-
quitum, agens in ſtationibus proximis: quum,
etiamſi ciuitas abſque principe vexaretur, oppo-
ſita multitudine malis obſidionalibus expediri
deberet. Hoc metu ſolutus efficaciſſimus Cæſar,
prouidebat conſtanti ſollicitudine vt militum
diuturno labori quies ſuccederet aliqua, licet
breuis,ad recreandas tamen ſufficiens vires, quá-
quam vltima ſqualentes inopia terræ ſæpe vaſta-
tæ exigua quædam victui congrua ſuggerebant.
Verum hoc quoque diligentia curato peruigili,
affuſa lætiore ſpe proſperorum,ſublatq; animo ad
exſequenda plurima conſurgebat.Primum igitur
factuque difficile, temperantiam ipſe ſibi indixit
atque retinuit, tamquam adſtrictus ſumptuariis
legibus viueret: quas ex rhetris Lycurgi, id eſt
axonibus Romam tranſlatas, diuque obſeruatas
& ſeneſcentes, paulatim reparauit Sylla dictator;
reputans ex prædictis Democriti, quod *ambitio-
ſam menſam fortuna,parcã virtus adponit*. Id enim
etiam Tuſculanus Cato prudenter definiens, cui
Cenſorij cognomentum caſtior vita indidit.*Cul-
tus magna*,inquit,*cura tibi,magna virtutis incuria*.
Denique quum legeret libellum adſidue, quem
Conſtantius vt priuignum ad ſtudium mittens,
manu ſua conſcripſerat, prælicenter diſponens
quid in conuiuio Cæſaris impendi deberet, pha-
ſianum & vuluam & ſumen exigi vetuit & infer-
ri,munificis militis vili & fortuito cibo conten-
tus.Hinc contingebat vt noctes ad officia diuide-
ret tripartita,quietis,& publicæ rei,& muſarum,
quod factitaſſe Alexandrum legimus Magnum;
ſed multo hic fortius. Ille namque ænea concha
ſuppoſita, brachio extra cubile protẽto pilam te-
nebat argenteam; vt cum neruorum rigorem ſo-
por laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus ab-
rumperet ſomnum. Iulianus vero abſque inſtru-
mento quoties voluit euigilauit: & nocte dimi-
diata ſemper exſurgens, non è plumis vel ſtragu-
lis ſericis ambiguo fulgore nitentibus, ſed ex ta-
pete & ſiſyra,quam vulgaris ſimplicitas *ſuſurnam*
appellat, occulte Mercurio ſupplicabat; quem
mundi velociorem ſenſum eſſe,motum mentium
ſuſcitantem, theologicæ prodidere doctrinæ: at-

A que in tãto rerum defectu explorate curabat.Poſt
quæ vt ardua & ſeria terminata,ad procudendum
ingenium vertebatur:& incredibile quo & quá-
to ardore rerum principalium notitiam celſam
indagans, & quaſi pabula quædam animo ad ſu-
blimiora ſcandenti conquirens,per omnia philo-
ſophiæ membra prudenter diſputando currebat.
Sed tamen quum hæc effecte pleneque colli-
geret, nec humiliora deſpexit, poëticam mediocri-
ter & rhetoricam,(vt oſtendit orationum epiſto-
B larumque eius cum grauitate comitas incorru-
pta)& noſtrarum externarumque rerum hiſtoriã
multiformem. ſuper his aderat Latine quoque
diſſerendi ſufficiens ſermo. Si itaque verum eſt
quod ſcriptores varij memorant, Cyrum regem,
& Simonidem lyricum, & Hippiam Elêum ſo-
phiſtarum acerrimum, ideo valuiſſe memoria
quod epotis quibuſdam remediis id impetrarũt,
credendum eſt hunc etiam tum adultum totum
C memoriæ dolium, ſi vſquam reperiri potuit, ex-
hauſiſſe. Et hæc quidem pudicitiæ virtutumque
ſunt ſigna nocturna.De his vero quę ornate dixit
& facete,quæve in apparatu vel in ipſis egit con-
greſſibus prœliorum,aut in re ciuili,magnanimi-
tate correxit & libertate,ſuo quæque loco ſingu-
la demonſtrabuntur. Quum exercere præludia
diſciplinæ caſtrenſis philoſophus cogeretur vt
princeps, artemque modulatius incedendi per
pyrrhicham concinentibus diſceret fiſtulis, verus
D illud prouerbium,*Clitellæ boui impoſitæ ſunt, plane
non eſt noſtrum onus*, Platonem crebro nominans
exclamat. Inductis quadam ſolennitate agentibus
in rebus in conſiſtorium vt aurum acciperent,
inter alios quidam ex eorum conſortio, non (vt
moris eſt) expanſa chlamyde, ſed vtraque manu
cauata ſuſcepit.& Imperator, *Rapere*, inquit,*non
accipere ſciunt agentes in rebus*.Audito à parẽtibus
virgines raptas, eum qui violarat, conuictum re-
legari decreuit.Hiſque indigna pati querentibus,
E quod non ſit morte mulctatus, reſpondetat, *Ha-
ctenus incuſent iura clementiam, ſed Imperatorem
mitiſſimi animi legibus præſtare ceteris decet*.Egreſ-
ſurum eum ad expeditionem plures interpella-
bant, vt læſi:quos audiendos prouinciarum re-
ctoribus commendabat.Et reuerſus,quid egerint
ſinguli quærens, delictorum vindictas genuina
lenitudine mitigabat.Ad vltimum exceptis victo-
riis,per quas cadentes ſæpe incolumi contumacia
F barbaros fudit, quod profuerit anhelantibus ex-
trema penuria Galliis, hinc maxime claret, quod
primitus partes eas ingreſſus,pro capitibus ſingu-
lis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit
flagitari:diſcedens vero, ſeptenos tantum munera
vniuerſa complentes: ob quæ tamquam ſolem ſi-
bi ſerenum poſt ſqualentes tenebras adfulſiſſe cũ
alacritate & tripudiis lætabátur. Denique id eum
aduſque imperij finem & vitæ ſcimus vtiliter ob-
ſeruaſſe,ne per indulgentias quas appellant,tribu-
G tariæ rei concederet reliqua. Norat enim hoc fa-
cto ſe aliquid locupletibus additurum,quum cõ-
ſtet vbique,pauperes inter ipſa dictorum exordia
ſoluere vniuerſa ſine laxamento compelli. Inter
has tamen regendi moderandique vias, bonis
principibus æmulandas, barbarica rabies exatſe-
rat in maius. vtque beſtiæ cuſtodum negligentia
raptu viuere ſolitæ,ne his quidem remotis & ap-
poſitis fortioribus abſceſſerunt; ſed tumeſcentes
inedia ſine reſpectu ſaluris armenta vel greges in-
curſant: ita etiam illi,cunctis quæ diripuere con-
ſumptis,

sumptis, fame vrgente agebant aliquoties prædas: interdum antequam contingerent aliquid, oppetebant. Hæc per eum annum spe dubia, euentu tamen secundo, per Gallias agebantur. In comitatu vero Augusti circumlatrabat Arbetionem inuidia, velut summa mox adepturum, decora cultus imperatorij præstruxisse: instabatque ei strepens immania Comes Verissimus nomine, arguēs coram quod à gregario ad magnum militiæ culmē euectus: hoc quoque non contentus vt paruo, locum appeteret principalem: sed specialiter eum insectabatur Dorus quidam ex medico scutariorum, quem nitteriorum centurionem sub Magnentio Romæ prouectum retulimus accusasse Adelphium vrbi præfectum vt altiora cœptantē. Quumq; res in inquisitionem veniret, necessitissque negotio tentis, obiectorum probatio speraretur, tamquam per satyram subito cubiculariis suffragantibus (vt loquebatur pertinax rumor) & vinculis sunt exutæ personæ quæ stringebantur vt consciæ, & Dorus euanuit, & Verissimus ilico tacuit, velut aulæo deposito scenæ. Iisdem diebus adlapsorum ore Constantius doctus, obsesso apud Senonas Cæsari auxilium non tulisse Marcellum, eum sacramēto solutum abire iussit in larem: qui tamquam iniuria graui perculsus, quædam in Iulianum moliebatur, auribus Augusti confisus in omne patentibus crimen. Ideoque quum discederet, Eutherius præpositus cubiculi mittitur statim post eum, siquid finxerit conuicturus. Verum ille hoc nesciens, mox venit Mediolanum, strepens & tumultuans (vt erat vaniloquus, & amenti propior) admissus in consistorium, Iulianum vt procacem insimulat, iamque ad euagandum altius, validiores sibi pinnas aptare. Ita enim cum motu quodā corporis loquebatur ingenti. Hæc eo fingente licentius, Eutherius vt postulauit inductus, iussusque loqui quod vellet, verecunde & modice docet velari veritatem mendaciis. Magistro enim armorum (vt credebatur) cessante consulto, industria vigili Cæsarem diu obsessum apud Senonas, barbaros repulisse: apparitoremque fidum auctori suo, quoad vixerit, fore obligata ceruice sua spondebat. Res monuit super hoc eodem Eutherio pauca subserere, forsitan non credenda, ea re quod si Numa Pompilius, vel Socrates bona quędam dicerent de spadone, dictisque religionum adderent fidem, à veritate descuisse arguerentur. Sed *inter vepres rosæ nascuntur, & inter feras nonnulla mitescunt.* Itaque carptim præcipua quæ sunt comperta monstrabo. Natus in Armenia sanguine libero, captusque à finitimis hostibus, etiam tum paruulus abstractus, geminis Romanis mercatoribus venumdatus, ad palatium Constantini deducitur. vbi paulatim arte curaque rationē recte viuendi sollertiamque ostendebat, litteris quantum tali fortunæ satis esse poterat eruditus, cogitandi inueniendique dubia & scrupulosa acumine nimio præstans, immensum quantum memoria vigens, benefaciendi auidus, plenusque iusti consilij: quem si Constans Imperator olim ex adulto spectasset, pluraque tamquam maturū audiret honesta suadentem & recta, nulla, vel venia certe digna, peccasset. Is præpositus cubiculi, etiam Iulianum aliquoties corrigebat, Asiaticis coalitum moribus, ideoque leuem. Denique digressus ad otium, ascitusque postea in palatium, semper sobrius & in primis consistens, ita fidem continentiamque virtutes coluit amplas, vt nec

A prodidisse aliquando arcanum, nisi tuendæ caussa alienæ salutis, nec exarsisse cupidine plus habēdi arcesseretur, vt ceteri. Vnde factum est vt subinde Romam secedens, ibique fixo domicilio cōsenescens, comitem circumferens conscientiam bonam, colatur à cunctis ordinibus & ametur, quum soleant id genus homines post partas ex iniquitate diuitias, latebras captare secretas, vt lucifugæ vitantes multitudinis læsæ conspectus.
B Cui spadonum veterum hunc comparare debeā, antiquitatem replicando cōpluries, inuenire non potui. Fuerunt enim apud veteres, licet oppido pauci fideles & frugi, sed ob quædam vitia maculosi: inter pręcipua enim quæ eorum quisque studio possederat vel ingenio, aut rapax, aut feritate contentior fuit, aut propensior ad lædendum, vel diligentibus nimium blandus, aut potentiæ fastu superbior: ex omni latere autem ita peritum, neq; legisse me neque audisse confiteor, ætatis nostræ
C testimonio locupleti confisus. Verum si forte scrupulosus quidā lector antiquitatū, Menophilū Mithridatis Pontici regis eunuchum nobis opponat: hoc monitu recordetur, nihil super eo relatum præter id solum quod in supremo discrimine gloriose monstrauit. Ingenti prœlio superatus à Romanis & Pompeio rex prædictus, fugiēsque ad regna Colchorum auita, filiam nomine Dripetin, vexatam asperitate morborum, in castello Sinhorio huic Menophilo commissam re-
D liquit: qui virginē omni remediorum solatio plene curatam patri tutissime seruans, quum à Manlio Prisco imperatoris legato munimentum quo claudebatur obsideri cœpisset, defensoresque eius deditionē meditantes sentiret, veritus ne parentis opprobrio puella nobilis captiua superesset & violata, interfecta illa, mox gladium inviscera sua compegit. Nunc redeam vnde diuerti. Superato (vt dixi) Marcello, euersaque Serdica, (vnde oriebatur) in castris Augusti per simulationem tuendæ maiestatis imperatoriæ, multa & nefanda per-
E petrabantur. Nam siquis super occentu soricis vel occursu mustelæ, vel similis signi gratia cōsuluisset quemquam peritum, aut anile incantamentū ad leniendum adhibuisset dolorem, quod medicinæ quoque admittit auctoritas, reus vnde nō poterat opinari delatus, raptusque in iudicium pœnaliter interibat. Per id tempus fertur, fuisse virū quemdam nomine Danum, quem terrore tenus vxor rerum leuium iocusarat: certum an incertū
F reum non libet affirmare: indefensum inde Rufinus cluserat. quo indicante quædam cognita per Gaudentium agentem in rebus consulatem Panoniæ tunc Africanum, quum retulissent præfectum apparitionis præfecturæ prætorianæ. dum etiam princeps ob deuotionem bis, vt loquebantur, iactantius versabilem fœminam post nefandum concubitum periculosam in fraudem illexit: suasitque consarcinatis mendaciis læsæ maiestatis arcessere maritum insontem, & fingere quod velamen purpureum à Diocletia-
G ni sepulcro furatus, quibusdam consciis occultabat. Hisque ad multorum exitium ita formatis, ipse spe potiorum ad imperatoris peruolat castra. excitaturus calumnias consuetas. reque comperta iubetur Mauortius tunc præfectus prętorio, vir sublimis constantiæ, crimen acri inquisitione spectare, iuncto ad audiendi societatem Vrsulo largitionum comite, seueritatis itidem non improbandæ. Exaggerato itaq; negotio

ad arbitrium temporum, quum nihil post tormenta multorum inueniretur, iudicesque hærerent ambigui, tandem veritas respirauit oppressa, & in abrupto necessitatis mulier Rufinum totius machinæ confitetur auctorem: nec adulterij fœditate suppressa: statimq; legibus contemptis, multa vltro citroque discussa, tandem ordo & iustitia ambos sententia damnauere letali. Quo cognito Constantius fremens, & tamquam vindicem salutis suæ lugens exstinctum, missis equitibus citis, Vrsulum redire ad comitatum minaciter iussit. Et is spretis qui prohibebant, perrupit intrepidus: ingressusque consistorium, ore & pectore libero docuit gesta, atque fiducia linguis adulatorum occlusis, & præfectum & se discrimine graui subtraxit. Tunc illud apud Aquitanos euenit quod latior fama vulgarat. Veterator quidam ad lautum conuiuium rogatus & mundum, (qualia sunt in his regionibus plurima) quum vidisset linteorum toralium par, duos clauos ita latissimos vt sibi vicissim arte ministrantium cohærerent, mensamque operimentis paribus tectã, anteriorem chlamydis partem vtraque manu vehens, intrinsecus structuram omnem vt amictus adornauerat, principalésque rea, patrimonium diues, euertit. Malignitate simili quidam agens in rebus in Hispania, ad cœnam itidem inuitatus, quum inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex vsu, *Vincamus*, interpretatus atrociter deleuit nobilem domum. Hæc taliaque ideo magis magisque crescebant, quod Constantius impendio timidus semper se feriri sperabat, vt Dionysius tyrannus ille Siciliæ: qui ob hoc idẽ vitium, & tõstrices docuit filias, ne cui alieno ora committeret læuiganda: ædemque breuem vbi cubitare sueuerat, alta circumdedit fossa, eamque ponte solubili superstrauit: cuius disiectos asseres & axiculos secum in somnum abiens transferebat, eosdemque compaginabat lucis initio processurus. Inflabant itidem has malorum ciuilium buccinas potentes in regia, ea re, vt damnatorum petita bona suis accorporarent, essetque materia per vicinitates eorum late grassandi. Namque, vt documenta liquida prodiderunt, proximorũ fauces aperuit primus omnium Constantinus: sed eos medullis prouinciarum saginauit Constantius. Sub hoc enim ordinum singulorum auctores infinita cupidine diuitiarum arserunt sine iustitiæ distinctione vel recti, inter ordinarios iudices, Rufinus primus præfectus prætorio, & inter militares, equitum magister Arbetio præpositusque cubiculi, & Vrsicinus equestris ordinis præfectus: quæstor & in vrbe Anitius, qui in regiam æmulationem posteritate tendẽs, satiari numquã potuit cum possessione multo maiore. At Persæ in oriente per furta & latrocinia potius quam (vt solebant ante) per concursatorias pugnas hominum prædas agitabãt & pecorum: quis nonnumquam lucrabantur vt repentini, aliquoties superati multitudine militum, amittebant: interdum nihil prospicere prorsus quod poterat rapi, permittebantur. Musonianus tamen præfectus prætorio, multis (vt ante diximus) bonis artibus eruditus, sed venalis, & flecti à veritate pecunia facilis, per emissarios quosdam fallendi perstringendique gnaros Persarum sciscitabatur consilia, assumpto in deliberationes huiusmodi Cassiano Mesopotamiæ duce, stipendiis & discriminibus indurato diuersis. Qui quum fide concinente speculatorũ

A aperte cognoscerent, Saporem in extremis regni limitibus suorum sanguine fuso multiplici, ægre propulsare gentes infestas, tamen Saporem ducẽ parti nostræ contiguum, occultis per ignotos milites tentauere colloquiis, vt si copiam fors dedisset, suaderet regi per litteras pacem tandem aliquando cum principe Romano firmare, vt hoc facto latere ab omni securus, perduelles adbellaret adsiduos. Paruit tamen Sapor: hisque fretus B refert ad regem, quod bellis acerbissimis Constantius implicatus pacẽ postulat precariam. Dumq; ad Chionitas & Alanos hæc scripta mittuntur, in quorum confiniis agebat hiemem Sapor, tempus intercessit longum. Hæc dum per eoas partes & Gallias pro captu temporum disponuntur, Constantius cõcluso Iani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat visere, post Magnentij exitium absque nomine ex sanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentẽ vllam bella C cientem per se superauit, aut victam fortitudine suorũ comperit ducum, vel addidit quædam imperio, aut vsquam in necessitatibus summis primus, vel inter primos est visus: sed vt pompam nimis extẽtam, rigentiaque auro vexilla, & pulchritudinem stipatorum ostenderet agenti tranquillius populo, hæc vel simile quidquam videre nec speranti vmquam nec optanti: ignorans fortasse, quosdam veterum principum in pace quidem lictoribus fuisse contentos: vbi vero præliorum ardor nihil perpeti poterat segne, alium D anhelanter auido flatu ventorum lenunculo se cõmisisse piscantis, alium ad Deciorum exempla vouisse pro rep. spiritum, alium hostilia castra per semetipsum cum militibus infimis explorasse: diuersis denique actibus inclaruisse magnificis, vt gloriosas suas res posteritati celebri memoria cõmendarent. Vt igitur multa quæque consumpta sunt in apparatu regio, pro meritis cuilibet munera reddita: secunda Orphiti præfectura transcurso Ocriculo elatus honoribus magnis, E stipatusque agminibus formidandis, tamquam acie ducebatur instructa, omnium oculis in eo cõtuitu pertinaci intentis. Quumque vrbi propinquaret, senatus officia, reuerendasque patriciæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non (vt Cineas ille Pyrrhi legatus) in vnum coactam multitudinem regũ, sed asylum mundi totius adesse æstimabat. Vnde quum se vertisset ad plebẽ, stupebat qua celeritate omne quod vbique est hominũ genus F cõfluxerit Romam: & tamquã Euphratẽ armorũ specie territurus, aut Rhenũ, altrinsecus præeuntibus signis, insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidũ variorũ. Quo micãte, lux quædã misceri videbatur, alteruũque potestatis gressus multiplices: alios purpureis subtegminibus texti circũdedere dracones, hastarũ aureis gẽmatisq; summitatib. illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilãtes, caudarũq; volumina relinquẽtes in vẽtũ. Et incedebat hinc G inde ordo geminus armatorũ clypeatus atq; cristatus: corusco lumine radiãs, nitidis loricis indutus, sparsiq; cataphracti equites, quos clibanarios dictitãt Persæ, thoracũ muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti: vt Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros. quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: vt quocumque artus necessitas commouisset, vestitus cõgrueret iunctura cohærẽter aptata. Augustus itaq; faustis vocibus

appellatus

appellatus, vocum lituorumque intonante fragore cohorruit, talem se tamque immobilem, qualis in prouinciis suis visebatur, ostendens. Nam & corpus perhumile curuabat portas ingrediẽs celsas, & velut collo munito rectam aciem luminũ tendens, nec dextra vultum, nec læua flectebat, tamquam figmentum hominis: non quum tota concuteret, nutans, nec spuens, aut os aut nasum tergens vel fricans, manumve agitãs est visus vmquam. Quæ licet affectabat, erant tamen hæc & alia quædam in cetera vita patientiæ non mediocris indicia, vt existimari dabatur, vni illi cõcessa. Quod autem per omne tẽpus imperij, nec in consessum vehiculi quemquam suscepit, nec in trabea socium priuatum adsciuit, vt facere principes consueuerẽ, & similia multa, quæ elatus in arduũ supercilium, tamquam leges æquissimas obseruauit, prætereo, memor ea me retulisse quum inciderent. Proinde Romam ingressus, imperij virtutumq; omnium larem, quum venisset ad Rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit: perque omne latus quo se oculi contulissent miraculorum densitate præstrictus, alloquutus nobilitatem in curia, populumque pro tribunali in palatium receptus fauore multiplici, lætitia fruebatur optata: & sæpe quum equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbę nec à libertate coalita desciscentis, reuerenter modum ipse quoque debitum seruãs. Non enim, vt per ciuitates alias, ad arbitrium suum certamina finiri patiebatur, sed, vt mos est, variis casibus permittebat. Deinde intra septem montium culmina, per accliuitates planiciemque posita vrbis membra collustrans & suburbana, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat: Iouis Tarpei delubra, quantum terrenis diuina præcellunt, lauacra in modum prouinciarum exstructa, amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem ægre visio humana conscendit: Pantheon velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus consulũ & priorum principum imitamenta portantes, & Vrbis templum, forumque Pacis, & Pompeij theatrum, & odêum, & stadium, aliaque inter hæc decora vrbis æternæ. Verum quum ad Traiani forum venisset, singularem sub omni cælo structuram, vt opinamur, etiam numinum assensione mirabilẽ, hærebat attonitus per giganteos contextus circũferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe huiusmodi quidquam conãdi depulsa, Traiani equum solum locatum in atrij medio, qui ipsum principem vehit, imitari se velle dicebat, & posse. Cui prope adstans regalis Hormisda, cuius è Perside discessum supra monstrauimus, respondit gestu gentili. *Ante*, inquit, *Imperator stabulum tale condi iubeto, si vales: equus quem fabricare disponis, ita late succedat, vt iste quem videmus.* Is ipse interrogatus quid de Roma sentiret, id tantum sibi placuisse aiebat quod didicisset ibi quoque homines mori. Multis igitur cum stupore visis horrendo, Imperator de fama querebatur vt inualida vel maligna, quod augens omnia semper in maius, erga hæc explicanda quæ Romæ sunt obsolescit: deliberãsque diu quid ageret, vrbis addere statuit ornamentis, vt in proximo circo erigeret obeliscum, cuius originem formamque loco condecenti monstrabo. Inter hæc Helenæ sorori Con-

A st[illegible]ij, Iuliani coniugi Cæsaris, Romam affectio-
nis specie ductæ, regina tũc insidiabatur Eusebia,
ipsa quoad vixerat sterilis: quæsitumque venenũ
bibere per fraudem illexit, vt quotiescumque cõ-
cepisset, immaturum abiiceret partum. Nam &
pridem in Galliis quum marem genuisset infan-
tem, hoc perdidit dolo, quod obstetrix corrupta
mercede, mox natum præsecto plusquam conue-
nerat vmbilico necauit: tanta tãque diligens ope-
B ra nauabatur ne fortissimi viri soboles appareret.
Cupiens itaq; augustissima omnium sede morari
diutius Imperator, vt otio puriore frueretur &
voluptate, assiduis nuntiis terrebatur & certis, in-
dicantibus Sueuos Rhætias incursare, Quadosq;
Valeriã, & Sarmatas (latrocinandi peritissimũ ge-
nus) superiorẽ Mœsiã & secundã populari Pano-
niã. Quib⁹ percitus, xxx postquã est ingressus die,
IIII Cal. Iunias ab vrbe profectus, per Tridentum
iter in Illyricum festinauit. Vnde misso in locum
C Marcelli Seuero, bellorum vsu & maturitate fir-
mato, Vrsicinum ad se venire præcepit. Et ille lit-
teris gratanter acceptis, Sirmiũ venit, comitanti-
bus sociis: librarisque diu super pace cõsiliis, quã
fundari posse cũ Persis Musonianus retulerat, in
orientẽ cũ magisterij remittitur potestate: prouе-
ctis è consortio nostro ad regendos milites natu
maioribus, adolescẽtes eũ sequi iubemur, quid-
quid pro rep. mandauerit impleturi. At Cæsar exa-
cta apud Senonas hieme turbulenta, Augusto no-
D uies seque iterũ coss. Germanicis vndique circũ-
fremẽtibus minis, secundis ominibus motus Re-
mos properauit, alacrior magisq; lætus quod exer
citum regebat Seuerus, nec discors nec arrogans,
sed longa militiæ frugalitate compertus, & eum
recta præeuntem sequuturus vt ductorem mori-
gerum miles. Parte alia Barbatio post Siluani in-
teritum promotus ad peditum magisterium, ex
Italia iussu principis cum xxv millibus armatorũ
Rauracos venit. cogitatum est enim sollicitеque
E præstructum vt sæuientes vltra solitum Aleman-
ni, vagantesque fusius, multitudine geminata no-
strorum, forcipis specie, trusi in angustias cæde-
rentur. Dum hæc tamen rite disposita celerantur,
læti barbari, ad tempestiua furta sollertes, inter v-
triusque exercitus castra occulte transgressi, in-
uasere Lugdunum incautam: eamque populatam
nisu auido concremassent, ni clausis aditibus re-
percussi, quidquid extra opidum potuit inueniri,
F vastassent. Qua clade cognita, agili studio Cæsar
missis cuneis tribus equitum expeditorum & for-
tiũ, tria obseruauit itinera, sciẽs per ea erupturos
proculdubio grassatores: nec quod destinauerat,
irritũ fuit. Cũctis enim qui per eos tramites exie-
re trũcatis receptaq; præda omni intacta, hi solũ
innoxij absoluti sunt qui per vallum Barbationis
trãsiere securi: ideo labi permissi, quod Bainobau-
des tribunus, & Valentinianus postea Imperator,
cũ equestribus turmis quas regebãt ad exsequen-
dũ id ordinati, à Cella tribuno scutariorũ, qui Bar
G bationi sociatus venerat ad procinctum, iter obser
uare sunt vetiti, vnde redituros didicere Germa-
nos. Quo non contentus magister peditum igna-
uus, & gloriarum Iuliani peruicax obtrectator,
sciens se id contra vtilitatem Romanam iussisse,
(hoc enim quum argueretur, Cella confessus est)
relatione fefellit Constantium: finxitque hos eos-
dẽ tribunos ad sollicitãdos milites quos duxerat,
per speciem venisse negotij publici: qua caussa
abrogata potestate ad lares rediere priuati. Iisdem

diebus exercituum aduentu perterriti ba[r]bari, A
qui domicilia fixere cis Rhenum, partim dif[fi]ci-
les vias & suapte natura cliuosas & incommeabi-
les, clausere sollerter arboribus immensi roboris
cæsis. Alij occupatis insulis sparsis crebro per flu-
men Rhenum, vlulantes lugubre, conuitiis & Ro
manos incessebant & Cæsarem, qui grauiori mo-
tu animi percitus, ad corripiendos aliquos septé
à Barbatione petierat naues, ex his quas velut
transiturus amnem, ad compaginandos parauerat B
pontes: qui, ne quid per eum impetraretur, omnes
incendit. Doctus denique exploratorum delatio-
ne recens captorum, æstate iam torrida fluuium
vado posse trásiri, hortatus auxiliares velites cum
Bainobaude Cotontorum tribuno misit, facinus
memorabile si iuuisset fors, patraturos. qui nunc
incedendo per breuia, aliquoties scutis in mo-
dum alueorum suppositis, nando ad insulam ve-
nere propinquam: egressique promiscue virilis &
muliebris sexus sine ætatis vllo discrimine truci- C
dabant vt pecudes: nact[i]que vacuas lintres, per
eas, licet vacillantes, euecti, huiusmodi loca plu-
rima perruperunt: & vbi satietas cædendi cepit,
opimitate prædarum onusti, cuius partem vi flu-
minis amiserunt, redicre omnes incolumes. Hoc-
que comperto residui Germanj, vt infido præsi-
dio insularum relicto, ad vlteriora necessitudines
& fruges opesque barbaricas contulerunt. Con-
uersus hinc Iulianus ad reparandas Tres tabernas,
munimentum ita cognominatum, haud ita dudũ D
obstinatione subuersum hostili: quo ædificato,
constabat ad intima Galliarum (vt consueuerant)
adire Germanos arceri: & opus spe celerius con-
summauit, & victum defensoribus ibi locandis,
ex barbaricis messibus non sine discriminis metu
collectum, militis manu condidit in vsus anni to-
tius. Nec sane hoc solo contentus, sibi quoque vi-
ginti dierum alimenta parata collegit. Libentius
enim bellatores quæsito dextris propriis vteban-
tur, admodum indignati quoniam ex commeatu
qui eis recens aduectus est, ideo nihil sumere po- E
tuerunt, quod partem eius Barbatio, quum transi-
ret iuxta, superbe præsumpsit; residuum quod su-
perfuit congestum in aceruum exussit: quę vtrum
vt vanus gerebat & demens, an mandato princi-
pis confidenter nefanda multa tentabat, vsque in
id temporis latuit. Illud tamen rumore tenus vbi-
que iactabatur, quod Iulianus non leuaturus in-
commoda Galliarum electus est, sed vt possit per
bella deleri sæuissima, rudis etiam tum, vt æstima- F
batur, ac ne ad sonitum quidem duraturus armo-
rum. Dum castrorum opera mature consurgunt,
militisque pars stationes prætendit agrarias, alia
frumenta insidiarum metu colligit caute, multi-
tudo barbarica rumorem nimia velocitate præ-
uersa, Barbationem cum exercitu quem regebat
(vt dictum est) Gallico vallo discretum, impetu
repentino aggressa, sequensque fugientes ad-
usque Rauracos, & vltra quoad potuit, ra-
pta sarcinarum & iumentorum cum calonibus
parte maxima, redit ad sua. Et, ille, tamquam G
expeditione euentu prospero terminata, milite
disperso per stationes hibernas, ad comitatũ Im-
peratoris reuertit, crimen compositurus in Cæsa-
rem, vt solebat, grauiter semper incessens. Quo
dispalato fœdo terrore, Alemánorum reges Cho-
nodomarius & Vestralpus, Vrius quinctiá & Vr-
sicinus cum Serapione & Suomario & Hortario,
in vnum robore virium suarum omni collecto,

A consedere prope vrbem Argentoratum, extrema
metuentem Cæsarem arbitrati retrocessisse, quũ
ille etiá dum perficiendi munimenti studio strin-
geretur. Erexit autem confidentiam caput altius
adtollentem scutarius perfuga: qui commissi cri-
minis metuens pœnam, transgressus ad eos post
ducis fugati discessum, armatorum tredecim mil-
lia tantũ remansisse cũ Iuliano docebat. Is enim
numerus sequebatur, barbara feritate certaminũ
B rabiem vndique concitante. Cuius adseueratione
eadem subinde replicantis, ad maiora stimulati
fiducia, missis legatis satis pro imperio Cæsari
mandauerunt, vt terris abscederet virtute sibi
quæsitis & ferro. Qui ignarus pauendi, nec ira
nec dolore perculsus, sed fastus barbaricos ri-
dens, retentis legatis adusq; perfectũ opus castro-
rum, in eodem gradu constantiæ stetit immobi-
lis. Agitabat auté miscebatque omnia, sine modo
vbique sese diffunditans & princeps audendi pe-
C riculosa, rex Chonodomarius, ardua subrigens
supercilia, vt sæpe secundis rebus elatus. Nam &
Decentium Cæsarem superauit æquo marte con-
gressus, & ciuitates erutas multas vastauit & opu-
lentas, licentiusque diu nullo refragante Gallias
persultauit. Ad cuius roborandam fiduciam recẽs
quoque fuga ducis accessit, numero præstantis &
viribus. Alemanni enim scutorum insignia con-
tuentes, norant eos milites permisisse paucis suo-
rum latronibus terram: quorum metu aliquoties
D quum gradum conferrent, amissis pluribus abiere
dispersi. quæ anxie ferebat sollicitus Cæsar, quod
trudente ipsa necessitate digressus periculis, cum
paucis, licet fortibus, populosis gẽtibus occurre-
re cogebatur. Iamque solis radiis rutilantibus, tu
barumque concinente clangore, pedestres copiæ
lentis incessibus educũtur; earumque lateri eque-
stres coniunctæ sunt turmæ; inter quas cataphra-
cti erát & sagittarij, formidabile genus armatorũ.
Et quoniam à loco vnde Romana promota sunt
signa adusque vallum barbaricum quarta leuca
E signabatur & decima, id est vnum & xx millia
passuum, vtilitati securitatique recte consulens
Cæsar, reuocatis præcursoribus iam ante egressis,
indictaq; solitis vocibus quiete, cunctarum circũ-
sistẽtes alloquitur genuina placiditate sermonis,
*Vrget ratio salutis tuenda communis, (vt parcissime
dicam) non iacentis animi, Cæsarem vos hortari & o-
rare, commilitones mei, vt adulta robustaque virtute
confisi, cautiorem viam potius eligamus ad tolerãda
vel ad depellenda quæ sperãtur, quam præproperam
F & ancipitem. Vt enim in periculis* VIRTVTEM *impi
gram esse conuenit & audacem, ita quum res postu-
lat, regibilem & consultam. Quod igitur censeo, si ar
bitrium adfuerit vestrũ, iustaq; sustinet indignatio,
paucis absoluam. Iam dies in meridiem vergit; lassi-
tudine nos itineris fatigatos scrupulosi tramites exci
pient & obscuri, nox senescente luna nullis sideribus
adiuuanda, terra protinus æstu flagrãtes, nullis aqua
rum subsidiis fulta: quas si dederis quisquam commo
de posse transiri, ruentibus hostium examinibus post
G otium cibique refectionem & potus, quid nos agimus,
quo vigore, inedia, siti, laboreq; membris marcentib.
occurramus? Ergo quoniam negotiis difficillimis sæpe*
DISPOSITIO TEMPESTIVA *prospexit, & statum
nutantium rerum recto consilio in bonam partem
accepto aliquoties diuina remedia repararunt,
hic quasi vallo fossaque circumdati, dimissis vigi-
liis quiescamus, somnoque & victu congruis potiti
pro tempore, (pace Dei sit dictum) triumphaturas*

aquilas

aquilas & vexilla victricia, primo lucis moueamus exordio. Nec finiri perpessi quæ dicebantur, stridore dentium infrendentes, ardoremque pugnandi hastis illidendo scuta monstrantes, in hostem se duci iam conspicuum exorabant, cælitis Dei fauore fiduciaque sui, & fortunati rectoris expertis virtutibus freti: atque, vt exitus docuit, salutaris quidam genius præsens ad dimicandum eos, dum adesse potuit, incitabat. Accessit huic alacritati plenus celsarum potestatum assensus, maximeque Florentij præfecti prætorio, periculose quidem, sed ratione secunda pugnandum esse cõsentientibus, dum instarent barbari conglobati: qui si deflexissent, motum militis, in seditiones natiuo calore propensioris, ferri non posse aiebat, extortam sibi victoriam, vt putauit, non sine vltimorum conatu grauiter toleraturi. Addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina, recordantibus quod anno nuper emenso Romanis per Transrhenana spatia fusius volitantibus, nec visus est quisquam laris sui defensor, nec obuius stetit: sed cõcæde arborum densa vndique semitis clausis, sidere vrente brumali ægre vixere barbari longius amandati: quodque Imperatore terras eorum ingresso, nec resistere ausi, nec apparere, pacem impetrarunt suppliciter obsecrantes. Sed nullus mutatam rationem temporis aduertebat, quod tunc tripartito exitio premebantur, Imperatore vrgente per Rhætias, Cæsare proximo nusquam elabi permittente, finitimis quos hostes fecere discordiæ, modo non occipitia conculcantibus hinc indeque cinctorum. Postea vero pace data, discesserat Imperator: & sedata iurgiorum materia, vicinæ gentes iam concordabant: & turpissimus ducis Romani digressus, ferociam natura conceptam auxit in maius. Alio itidem modo res est aggrauata Romana ex negotio tali. Regij duo fratres vinculo pacis adstricti, quam anno præterito impetrauerant à Constantio, nec tumultuare nec commoueri sunt ausi. Sed paulo postea vno ex his Gundomado, qui potior erat fideique firmioris, per insidias interempto, omnis eius populus cum nostris hostibus conspirauit: & confestim Vadomarij plebs, vt asserebant, agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit. Cunctis igitur summis infimisque approbantibus tũc opportune congrediendum, nec de rigore animorum quidquam remittentibus, exclamauit subito signifer, *Perge felicissime omnium Cæsar, quo te fortuna prosperior ducit: tandem per te virtutem & consilia militaria sentimus. I præuius, vt faustus antesignanus & fortis, experieris quid miles sub conspectu bellicosi ductoris, testisque indiuidui gerendorum, modo adsit supernum numen, iis rebus efficiet excitatus.* His auditis, quum nullæ laxarentur induciæ, promotus exercitus prope collem aduenit, molliter editum, opertum segetibus iam maturis, à supercilijs Rheni haud longo interuallo distãtem. E cuius summitate speculatores hostium tres equites exciti, subito nunciaturi Romanum exercitum aduentare, festinarunt ad suos. Vnus vero pedes, qui sequi non potuit, captus agilitate nostrorũ, indicauit per triduum & trinoctiũ flumen transisse Germanos. Quos quum iam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores, steterũt vestigiis fixis, antepilanis hastatisque & ordinum primis velut insolubili muro fundatis: & pari cautela hostes stetere cunctati. Quumque, ita vt antedictus docuerat perfuga,

A) equitatum omnem à dextero latere sibi vidissent oppositum, quidquid apud eos per equestres copias præpollebat, in læuo cornu locauere confertum. Iisdemque sparsim pedites miscuere discursatores & leues, profecto ratione tuta poscente. Norant enim, licet prudentem, ex equo bellatorẽ cum clibanario nostro congressum, frena retinẽtem & scutum, hasta vna manu vibrata, tegminibus ferreis abscondito bellatori nocere non posse: peditem vero inter ipsos discriminum verti-
B) ces, quum nihil caueri solet præter id quod occurrit, humi occulte reptantem, latere forato iumenti, incautum rectorem præcipitem agere, leui negotio trucidandum. Hoc itaque disposito, dextrum sui latus struxere clandestinis insidiis & obscuris. Ductabant autem populos omnes pugnaces & sæuos Chonodomarius & Serapio, potestate excelsiores ante alios reges. Et Chonodomarius quidem, nefarius belli totius incentor,
C) cuius vertici flammeus torulus aptabatur, anteibat cornu sinistrum audax & fidens ingenti robore lacertorum: vbi ardor prœlij sperabatur immanis: equo spumante sublimior erectus in iaculum formidandæ vastitatis, armorumque nitore conspicuus, antea strenuus & miles, & vtilis præter ceteros ductor. Latus vero dextrum Serapio agebat, etiam tum adultæ lanuginis iuuenis, efficacia præcurrens ætatem, Mederici fratris Chonodomarij filius, hominis quoad vixerat perfidissimi, ideo sic appellatus, quod pater eius diu obsi-
D) datus pignore tentus in Gallijs, doctusque Græca quędam arcana, hunc filium suum Agenarichum genitali vocabulo dictitatum, ad Serapionis trãsftulit nomen. Hos sequebantur potestate proximi reges numero quinque, regalesq; decẽ, & optimatũ series magna, armatorũ millia triginta & quinque, ex variis nationibus partim mercede, partim pacto vicissitudinis reddendæ quæsita. Iamque horrendum increpantibus tubis, Seuerus dux Romanorum aciem dirigens læuam, quum prope fossas ar-
E) matorum refertas venisset, vnde dispositum erat vt abditi repente exorti cuncta turbarent, stetit impauidus: suspectiorque de obscuris, nec referre gradum, nec vlterius ire tentauit. Quo viso, animosus contra labores maximos Cæsar, ducentis equitibus septus, vt ardor negotij flagitabat, agmina peditum, impetu veloci discurrens, verbis hortabatur. Et quum alloqui pariter omnes, nec longitudo spatiorum extenta, nec in vnum coactæ
F) multitudinis permitteret crebritas: & alioquin vitabat grauioris inuidiæ pondus, ne videretur id affectasse quod sibi soli deberi Augustus existimabat: cautior sui hostium tela præteruolans, his & similibus notos pariter & ignotos ad faciendum fortiter accendebat: *Aduenit ô socij iustum pugnandi iam tempus, olim exoptatum mihi vobiscum, quod antehac arcessentes arma inquietis motibus poscebatis.* Item quum ad alios postsignanos in acie locatos extrema venisset, *En*, inquit, *commilitones,*
G) *diu speratus præsto est dies, compellens nos omnes elotis pristinis maculis Romanæ maiestati reddere proprium decus. Hi sunt barbari, quos rabies & immodicus furor ad perniciem rerum suarum coëgit occurrere nostris viribus opprimendos.* Alios item bellandi vsu diutino callentes aptius ordinans, his exhortationib. adiuuabat; *Exsurgamus viri fortes, propellamus fortitudine congrua, illisa nostris partibus probra, quæ contemplans Cæsaris nomẽ cunctãdo suscepi.* Quoscunq; autẽ pugnę signum inconsulte

poscentes, rupturosque imperiū irrequietis motibus præuideret; *Quæso*, inquit, *ne hostes vertendos in fugam sequentes, auidius futuræ victoriæ gloriam violetis, ne quis ante necessitatem vltimam cedat. Nam fugituros proculdubio deseram, hostium terga cæsuris adero indiscretus, si hoc pensatione moderata fiat & cauta.* Hæc aliaque in eumdem modum sæpius replicando, maiorem exercitus partē primæ barbarorum opposuit frōti: & subito Alemannorum peditum fremitus indignationi mixtus auditus est, vnanimi conspiratione vociferantium, relictis equis secum oportere versari regales: ne, siquid contigisset aduersum, deserta miserabili plebe facilem discedendi copiam repperirēt. Hoc comperto, Chonodomarius iumento actutum desiluit, & sequuti eum residui, idem facere nihil morati: nec enim eorum quisquam ambigebat partem suam fore victricem. Dato igitur ab æneatorum occentu sollenniter signo ad pugnandum, vtrimque magnis concursum est viribus. Præpilabantur missilia: & properantes cito quam considerato cursu Germani, telaque dextris explicantes, inuolauere nostrorum equitum turmas frendentes immania: eorumque vltra solitū sæuientium comæ fluentes horrebant, & elucebat quidam furor ex oculis: quos contra pertinax miles, scutorum obicibus vertices tegens, eiectansque gladios, vel tela concrispans mortem minantia, perterrebat. Quumque in ipso prœliorum articulo eques se fortiter conturmaret, & muniret latera sua firmius pedes frontem artissimis conserens parmis, erigebantur crassi pulueris nubes: variique fuere discursus, nunc resistentibus nunc cedentibus nostris: & obnixi genibus quidam barbari peritissimi bellatores, hostem propellere laborabant: sed destinatione nimia dextræ dextris miscebantur, & vmbo trudebat vmbonem: cælumque exsultantium cadentiumque resonabat vocibus magnis. Et quum cornu sinistrum altius gradiens, vrgentium tot agmina Germanorum vi nimia propulisset, iretque in barbaros fremens, equites nostri cornu tenentes dextrum, præter spem incondite discesserunt. dumque primi fugientium postremos impediunt, gremio legionū protecti, fixerunt integrato prœlio gradum. Hoc autem exinde acciderat, quod dum ordinum restituitur series, cataphracti equites viso rectore suo leuiter vulnerato, & consorte quodam per ceruicem equi labentis pondere armorum oppresso, dilapsi qua quisque poterat: peditesque calcando cuncta turbassent, ni conferti illi sibique vicissim innixi stetissent immobiles. Igitur quum equites nihil præter fugæ circumspectantes præsidia, vidisset longius Cæsar, concito equo eos velut repagulū quoddam cohibuit. Quo agnito per purpureum signum draconis summitati hastæ lōgioris aptatum, velut senectutis pendētis exuuias, stetit vnius turmæ tribunus, & pallore timoris perculsus, ad aciem integrandam recurrit. Vtque in rebus amat fieri dubiis, eosdē lenius increpans Cæsar, *Quo*, inquit, *cedimus viri fortissimi? an ignoratis,* FVGAM *quæ salutem numquam reperit, irriti conatus stultitiam indicare? Redeamus ad nostros, saltem gloriæ futuri participes, si eos pro rep. dimicātes relinquimus inconsulte.* Hæc reuerenter dicendo, reduxit omnes ad munia subeunda bellandi; imitatus veterem Syllam: qui quum contra Archelaum Mithridatis ducem educta acie prœlio fatigabatur ardenti, relictus à militibus cunctis,

A cucurrit in ordinem primum: raptoque & coniecto vexillo in partem hostilem: *Ite*, dixerat, *socij periculorum electi: & scitātibus vbi relictus sum Imperator, respondete nihil fallentes. Solus in Bœotia pro omnibus nobis cum dispēdio sanguinis sui decernens.* Proinde Alemanni pulsis dilectisq; equitibus nostris, primā aciem peditum incesserunt, eā abiecta resistēdi animositate pulsuri. Sed postquā cōminus ventū est, pugnabatur parib. diu momētis. Cornuti n. & Braccati, vsu prœliorū diuturno B firmati, excipiunt eos, iā gesturientes barritū ciere vel maximū: qui clamor ipso feruore certaminū à tenui susurro exoriēs, paulatimq; adolescēs, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. Iaculorum deinde stridentium crebritate hinc inde conuolante, puluis æquali motu assurgēs, & prospectum eripiens, arma armis, corpora corporibus obtrudebat. sed violentia iraque incompositi barbari in modum exarsere flammarum, nexamC que scutorum compagem, quæ nostros in modū testudinis tuebatur, scindebāt ictibus gladiorum assiduis. Quo cognito, opitulatum conturmalibus suis celeri cursu Bataui venere cum regibus, formidabilis manus, extremæ necessitatis articulo circumuentos, si iuuisset fors, ereptura: toruumq; canentibus classicis, adultis viribus certabatur. Verum Alemanni bellum acriter ineuntes, altius anhelabant, velut quodam furoris affectu opposita omnia deleturi. Spicula tamen verutaque missiD lia non cessabant, ferratæque arundines fundebātur: quamquam etiam comminus mucro feriebat contra mucronem, & loricæ gladiis findebantur, & vulnerati nondum effuso cruore ad audendum consurgebant. Pares enim quodammodo coiuere cum paribus; Alemanni robusti & celsiores, milites vsu nimio dociles: illi, feri & turbidi, hi, quieti & cauti: animis isti fidentes, grandissimis illi corporibus freti. Resurgebat tamen aliquoties armorum pondere pulsus loco Romanus; lassatisque E impressu genibus læuum reflectēs poplitem barbarus subsidebat, hostem vltro lacessens, quod indicium est obstinationis extremę. Exsiliuit itaque subito ardens optimatium globus, inter quos decernebant & reges: & sequente vulgo, ante alios agmina nostrorum interrupit, & iter sibi aperiēdo, adusque primanorum legionem peruenit locatam in medio: quæ confirmatio Castra prætoria dictitatur. vbi densior & ordinibus frequens F miles instar turrium fixa firmitate consistens, prœlium maiore spiritu repetiuit: & vulneribus declinandis intentus, seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera quæ nudabāt ira flagrantior, districtis gladiis perforabat. At illi prodigere vitam pro victoria contendentes, temtabant agminis nostri laxare compagem: sed continuata serie peremptorum, quos Romanus iam fidentior strauit, succedebant barbari superstites interfectis: auditoque ocG cumbentium gemitu crebro, pauore perfusi torpebant. Fessi denique tot ærumnis, & ad solam deinceps strenui fugam, per diuersos tramites toto celeritatis gradu festinabant: vt è mediis sæuientis pelagi fluctibus, quocumque auexerit ventus, eiici nautici properant. Victores (quod voti magis quam spei fuisse fatebitur quilibet tunc præsens) adorant propitiati numinis arbitrium. Inclemens & secans terga cedentium miles, quum interdum flexis ensibus feriendi nō supperterent instrumenta, ipsis barbaris tela corum

rum vitalibus immergebat;nec quiſquam vulnerantium ſanguine iram expleuit, nec ſatiauit cæde multiplici dexteram, vel miſeratus ſupplicantem abſceſſit. Iacebant itaque plurimi transfixi letaliter, remedia mortis compendio poſtulantes : alij ſemineces, labente iam ſpiritu, lucis vſuram oculis morientibus inquirebant : quorũdam capita diſciſſa trabalibus telis, & pendentia iugulis cohærebant : pars per lutoſum & lubricũ ſolum in ſociorum cruore lapſi, intactis ferro corporibus, aceruis ſuperruentium obruti necabantur. Quæ vbi ſatis euenere proſperrime, validius inſtante victore, acumina denſis ictibus hebeſcebãt, ſplendenteſq; galeæ ſub pedibus voluebãtur & ſcuta. Vltimo deniq; trudente diſcrimine, barbari, quum elati cadauerũ aggeres exitus impedirent, ſubſidia fluminis petiuere, quæ ſola reſtabant, eorũ terga iam perſtringẽtis. & quia curſu ab armis concito fugientes miles indefeſſus vrgebat, quidam nandi peritia eximi ſe poſſe diſcriminibus arbitrati, animas fluctibus commiſerũt. Qua cauſſa celeri corde futura præuidens Cæſar, cum tribunis & ducibus, clamore obiurgatorio prohibebat ne hoſtem auidius ſequens noſtrorũ quiſquã ſe gurgitibus cõmitteret verticoſis. Vnde id obſeruatũ eſt vt marginibus inſiſtentes confoderẽt telorum varietate Germanos : quorũ ſi quẽ morti velocitas ſubtraxiſſet, iacti corporis pondere ad ima fluminis ſubſidebat. & velut in quodam theatrali ſpectaculo aulæis mirandã monſtrantibus, multa licebat iam ſine metu videre : nandi ſtrenuis quoſdam neſcios adhærere, fluitãtes alios quũ expediti viribus linquerentur vt ſtipites, & velut luctante amnis violentia, vorari quoſdã fluctibus inuolutos, nonnullos clypeis vectos, præruptas vndarũ occurſantium moles obliquatis meatibus declinantes, ad ripas vlteriores poſt multa diſcrimina peruenire. Spumans deniq; cruore barbarico decolor alueus, inſueta ſtupebat augmenta. Dum hæc aguntur, rex Chonodomarius reperta copia diſcedendi, lapſus per funerum ſtrues, cũ ſatellitibus paucis celeritate rapida properabat ad caſtra; quæ prope Tribuncos & Concordiã munimẽta Romana fixit intrepidus, vt adſcenſis nauigiis, dudum paratis ad caſus ancipites in ſecretis ſeceſſibus, euaderet. Et quia non niſi Rheno tranſito ad territoria ſua poterat peruenire, vultum ne agnoſceretur operiens, ſenſim retulit pedem. Quũque propinquaret iam ripis, lacunam paluſtribus aquis interfuſam circũgrediens, vt tranſiret, calcata mollitie glutinoſa, equo eſt euolutus : & confeſtim, licet obeſo corpore grauior, ad ſubſidiũ vicini collis euaſit. quem agnitũ (nec enim potuit celari qui fuerat, fortunæ prioris magnitudine proditus) ſtatim anhelo curſu cohors cum tribuno ſequuta, armis circumdatũ aggerẽ nemoroſum cautius obſidebat, perrumpere verita, ne fraude latenti inter ramorũ tenebras exciperetur occultas. Quibus viſis compulſus ad vltimos metus, vltro ſe dedit, ſolus egreſſus : comiteſque eius ducenti numero, & tres amici iunctiſſimi, flagitium arbitrati poſt regem viuere, vel

A pro rege non mori, ſi ita tulerit caſus, tradidere ſe vinciendos. Vtque natiuo more ſunt barbari humiles in aduerſis, diſparteſque in ſecundis, ſeruus alienæ voluntatis trahebatur pallore confuſus, claudente noxarum conſcientia linguam, immẽſum quantum ab eo differens qui poſt feros lugubreſq; terrores cineribus Galliarum inſultans, multa minabatur & ſæua. Quibus ita fauore ſuperni numinis terminatis, poſt exactũ iam diem B occinente liticine, reuocatus inuictiſſimus miles, prope ſupercilia Rheni tendebat; ſcutorumque ordine multiplicato vallatus, victu fruebatur & ſomno. Ceciderunt autem in hac pugna Romani quidem CCXLIII; rectores vero quatuor, Bainobaudes Cornutorum tribunus, adæque Laipſo, & Innocentius cataphractarios ducens, & vacans quidam tribunus, cuius non ſuppetit nomen : ex Alemãnis vero ſex millia corporũ ſunt inuenta in campo conſtrata, & inæſtimabiles mortuorum acerui per vndas fluminis ferebantur. C Tunc Iulianus, vt erat fortuna ſui ſpectatior, meritiſque magis quam imperio potens, Auguſtus acclamatione concordi totius exercitus appellatus, vt agẽtes petulantius milites increpabat; id ſe nec ſperare, nec adipiſci velle iurando confirmans. Et vt augeret euentus ſecundi lætitiam, concilio Chonodomarium iuſſit offerri : qui primo curuatus, deinde humi ſuppliciter fuſus, gentilique pace veniam poſcens, bono animo eſſe eſt iuſſus. Et diebus poſtea paucis ductus ad comitatum Impera- D toris, miſſuſque exinde Romã, in Caſtris peregrinis, quæ in monte ſunt Cælio, morbo veterni cõſumptus eſt. His tot ac talibus proſpero peractis euentu, in palatio Cõſtantij quidã Iulianum culpantes, vt princeps ipſe delectaretur, Victorinũ ſiue Victorinum ideo nominabant, quod verecunde referens, quoties imperaret, ſuperatos indicabat ſæpe Germanos. Interque exaggerationem inanium laudum, oſtentationemque aperte lucentiũ, inflabant ex vſu Imperatorem ſuopte ingenio ni- E mium, quidquid per omnem terræ ambitum agebatur, felicibus auſpiciis eius aſſignantes. Quocirca magniloquentia elatus adulatorum, tunc & deinde edictis propoſitis arroganter ſatis multa mentiebatur, ſe ſolum, quum geſtis non adfuiſſet, & dimicaſſe & viciſſe, & ſupplices reges gentium erexiſſe aliquoties ſcribens : & ſi, verbi gratia, eo agente tunc in Italia, dux quidam egiſſet fortiter contra Perſas, nulla eius mentione per textum longiſſimum facta, laureatas litteras ad prouin- F ciarũ ſigna mittebat, ſe inter primores verſatũ cũ odioſa ſui iactatione ſignificans. Exſtant denique eius edicta in tabulariis principis publicis cõdigne ſcriptis, memoria delata narrãdi extollendiq; ſemet in cælum. Argentorato, quum pugnaretur, manſione quadrageſima diſparatus, deſcribens prœlium, aciem ordinaſſe, & ſtetiſſe inter ſigniferos, & barbaros fugaſſe præcipites, ſibique oblatũ falſo indicat Chonodomarium, proh rerum indignitas, ſuper Iuliani glorioſis actibus conticeſ- G cẽs : quos ſepelierat penitus, ni fama res maximas vel obumbrantibus plurimis, ſilere neſciret.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
DECIMVSSEPTIMVS.

HAc rerum quam iam digessimus varietate ita conclusa, Martius iuuenis, Rheno post Argentoratensem pugnam otiose fluente securus, sollicitusque ne diræ volucres consumerent corpora peremptorum, sine discretione cunctos humari mandauit: absolutisque legatis, quos ante certamen superba quædam portasse prædiximus, ad Tres tabernas reuertit. Vnde cum captiuis omnibus prædam Mediomatricos, seruandam ad reditum vsque suum, duci præcepit: & petiturus ipse Maguntiacum, vt ponte compacto transgressus, in suis requireret barbaros, quum nullum reliquisset, in nostris, refragante vetabatur exercitu: verum facundia iucunditateque sermonum allectum, in voluntatem traduxerat suam. Amor enim post documenta flagrantior, sequi libenter hortatus est omnis operæ contubernalem, auctoritate magnificum ducem, plus laboris indicere sibi quam militi (sicut perspicue contigit) adsuetum. Moxque vt ad locum prædictum est ventum, flumine pontibus constratis transmisso, occupauere terras hostiles. At barbari præstricti negotij magnitudine qui se in tranquillo positos otio, tunc parum inquietari posse sperabant, aliorum exitio quid fortunis suis immineret anxie cogitantes, simulata pacis petitione, vt primæ vertiginis impetum declinarent, miserunt legatos cum verbis compositis, quæ denuntiarent concordem fœderum firmitatem: incertumque quo consilio aut instituto mutata voluntate, per alios cursu celeri venire compulsos, acerrimum nostris minati sunt bellum, ni eorum regionibus excessissent. Quibus clara fide compertis, Cæsar prima noctis quiete nauigiis modicis & velocibus octingentos imposuit milites: eorum viginti sursum versus decurso egressi, quidquid inuenire potuerint, ferro violarent & flammis. Quo ita disposito, solis primo exortu visis per montium vertices barbaris, ad celsiora ducebatur alacrior miles: nemineque inuento (hoc siquidem opinati discessere) confestim eminus ingentis fumi volumina visebantur, indicantia nostros perruptas populari terras hostiles. Quæ res Germanorum perculit animos: atque desertis insidiis, quas per arta loca & latebrosa struxerant nostris, trans Mœnum nomine fluuium ad opitulandum suis necessitudinibus auolarunt. Vt enim rebus amat fieri dubiis & turbatis, hinc equitum nostrorum accursu, inde nauigiis vectorum militū impetu repentino perterrefacti, euadendi subsidium velox locorum inuenere prudentes. quorum digressu miles libere gradiens, opulentas pecore villas & frugibus rapiebat, nulli parcendo. extractisque captiuis, domicilia cuncta curatius ritu Romano constructa, flammis subditis exurebat. Emensisque æstimatione decimi lapidis, cum prope siluam venisset squalore tenebrarum horrendam, stetit diu cunctando; indicio perfugæ edoctus, per subterranea quædam occulta fossasque multifidas latere plurimos, vbi habile visum fuerit, erepturos. Ausi tamen omne accedere fidentissime; ilicibus incisis & fraxinis, roboreque obiecto magno, semitas inuenere constratas. Ideoque gradientes cautius retro, non nisi per anfractus longos & asperos vltra progredi posse, vix indignationem capientibus animis, aduertebant. Et quoniam aëris vrente sæuitia, cum discriminibus vltimis laborabatur incassum, (æquinoctio quippe autumnali exacto, per eos tractus superfusæ niues oppleuere montes simul & campos) opus arreptum est memorabile. Et dum nullus obsisteret, munimentum quod in Alemannorum solo conditum Traianus suo nomine voluit appellari, dudum violentius oppugnatum, tumultuario studio reparatum est: locatisq; ibi pro tempore defensoribus, ex barbarorum visceribus alimenta congesta sunt. quæ illi maturata ad suam perniciem cōtemplantes, metuque rei peractæ volucriter congregati, precibus & humilitate suprema petiere missis oratoribus pacem. quam Cæsar omni consiliorum via firmata, caussatus verisimilia plurima, per decem mensium tribuit interuallum: id nimirum solerti colligens mente, quod castra supra quam optari potuit occupata, sine obstaculo tormentis muralibus & apparatu deberent valido communiri. Hac fiducia tres immanissimi reges venerunt, tamdem aliquando iam trepidi, ex his qui misere victis apud Argentoratum auxilia; iurantes conceptis ritu patrio verbis, nihil inquietum acturos, sed fœdera ad præstitutum vsque diem (quia id nostris placuerat) cū munimento seruaturos intacto, frugesque portaturos humeris, si defuisse sibi docuerint defensores: quod vtrūq; metu perfidiā frenāte fecerūt. Hoc memorabili bello, cōparando quidē Punicis & Teutonicis, sed dispendio rei Romanę peracto leuissimo, vt faustus Cæsar exsultabat & felix. crediq; obtrectatorib. potuit, ideo fortiter eum vbiq; fecisse fingētibus, quod oppetere dimicando gloriose magis optabat, quā damnatorum sorte (sicut sperabāt) vt frater Gallus occidi, ni pari proposito post excessum quoq; Constantij actib. mirādis inclaruisset. Quibus (vt in tali re) cōpositis firmiter, ad sedes reuertens hibernas, sudorum reliquias reperit tales. Remos Seuerus magister equitū per Agrippinā petens & Iuliacū, Francorū validissimos cuneos in sexcentis velitibus (vt postea claruit) vacua præsidiis loca vastantes offendit: hac opportunitate in scelus audaciam exigente, quod Cæsare in Alemannorum secessibus occupato, nulloque vetante, expleri se posse prædarum opimitate sunt arbitrati: sed metu iam reuersi exercitus, munimentis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se, quoad fieri poterat, tuebantur. Hac Iulianus rei nouitate perculsus, & coniiciens quorsum erumperet, si iisdem transisset intactis, retento milite circumuallare disposuit Castellum oppidū, quod Mosa fluuius prærerlambit. & advique quartū & quinquasimū diē,

Decembri scilicet & Ianuario mense, obsidionales tractæ sunt moræ, destinatis barbarorum animis incredibili pertinacia reluctatis. Tunc pertimescens sollertissimus Cæsar, ne obseruata nocte illum, barbari gelu vinctum amnem peruaderent, quotidie à sole in vesperam flexo adusque lucis principium, lusoriis nauibus discurrentes flumen vltro citroque milites ordinauit, vt crustis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facile perueniret. Hocq; commento, inedia & vigiliis, & desperatione postrema lassati, sponte se propria dederunt: statimque ad comitatum Augusti sunt missi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egressa, quum captos comperisset & asportatos, nihil amplius ausa, repedauit ad sua: castris hisque perfectis acturus hiemem reuertit Parisios Cæsar. Quia igitur plurimæ gentes vi maiore collaturæ capita sperabantur, dolum bellorum coniectans sobrius rector, magnis curarum molibus stringebatur. Dumque per inducias, licet negotiosas & breues, ærumnosis possessorum damnis mederi posse credebat, tributi ratiocinia dispensauit. Quumque Florentius præfectus prætorio cuncta permensus, vt contendebat, quidquid in capitatione deesset, ex conquisitis se supplere firmaret, talium gnarus, animam prius amittere quam hoc sinere fieri memorabat. Norat enim huiusmodi prouisionum, immo euersionum, (vt verius dixerim) insanabilia vulnera sæpe ad vltimam egestatem prouincias contraxisse: quæ res (vt docebitur postea) penitus euertit Illyricum. Ob quæ præfecto prætorio ferre non posse clamante, se repente factum infidum, cui Augustus summam commiserit rerum: Iulianus eum sedatus leniens, scrupulose computando & vere, docuit nō sufficere solū, verum etiam exuberare capitationis calculū ad commeatuū necessarios apparatus. Nihilominus tamen diu postea indictionale augmentum oblatum sibi nec recitare nec subnotare perpessus, humi proiecit. Litterisque Augusti monitus ex relatione præfecti, non agere ita perplexe, vt videretur parum Florentio credi, rescripsit, gratandum esse, si prouincialis hinc inde vastatus, saltem sollemnia præbeat, nedum incrementa quæ nulla supplicia egenis possent hominibus extorquere. Factumque est tunc & deinde vnius animi firmitate, vt præter solita nemo Gallis quidquam exprimere conaretur camelasij nomine inique. Inusitato exemplo id petendo Cæsar impetrauerat à præfecto, vt secundæ Belgicæ multiformibus malis oppressæ dispositio sibi committeretur, ea videlicet lege vt nec præfectianus, nec præsidialis apparitor ad soluendum quemquam vrgeret. Quo leuati solatio cuncti, quos in curam æs alienum separat suam, nec interpellati, ante præstitutum tempus debita contulerunt. Inter hæc recreandarum exordia Galliarum administrante secundam adhuc Orphito præfecturam, obeliscus Romæ in circo erectus est maximo. Super quo nunc, quia tempestiuum est, pauca discurram. Vrbem priscis seculis conditam ambitiosa mœnium strue, & portarum centum quondam aditibus celebrem *Hecatompylos Thebas* institutores ex facto cognominarunt: cuius vocabulo prouincia nunc vsque Thebais appellatur. Hanc inter exordia pandentis se late Carthaginis, improuiso excursu duces oppressere Pœnorum: posteaque reparatam Persarum rex ille Cambyses, quoad vixerat alieni cupidus & immanis, Ægypto perrupta A aggressus est, vt opes exinde raperet inuidendas, ne deorum quidem donariis parcens. Qui dum inter prædatores turbulenter concursat, laxitate præpeditus indumentorum, concidit pronus: ac suomet pugione, quem aptatum femori dextro gestabat, subita vi ruinæ nudato, vulneratus pene letaliter interiisset. Longe autem postea Cornelius Gallus, Octauiano res tenente Romanas Ægypti procurator, exhausit ciuitatem plurimis intercep-B ptis: reuersusque quum furtorum arcesseretur & depopulatæ prouinciæ, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto incubuit ferro. Is est (si recte existimo) Gallus poëta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicorū parte Virgilius, carmine leni decantat. In hac vrbe inter labra ingentia, diuersasque moles figmenta Ægyptiorum numinū exprimentes, obeliscos vidimus plures, aliosque iacentes & comminutos, quos antiqui reges bel-C lo domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerū elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis, excisos erectosque, diis superis in religione dicarunt. Est autem *obeliscus*, asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam, sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtque radium imitetur, gracilescens paulisper, specie quadrata in verticem productus angustum, manu læuigatus artificis. Formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei vndique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insigni-D uit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiā alieni mundi, genera multa sculpentes, ad æui quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatius perueniente memoria, promissa vel soluta regum vota mōstrabant. Non enim, vt nunc litterarū numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mēs cōcipere potest, ita prisci quoq; scriptitarūt Ægyptij: sed singulæ litteræ singulis nominibus seruiebant, & verbis nonnumquam significabant integros sensus. Cuius rei scientiæ in his E interim sit duobus exemplum. Per vulturem naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has alites inueniri rationes memorant physicæ: perque speciem apis mella conficientis indicant regem, moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes, & similia plurima. Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id sine modo strepebant, quod quum Octauianus Augustus obeliscos F duos ab Heliopolitana ciuitate transtulisset Ægyptia, quorum vnus in circo maximo, alter in campo locatus est Martio, hunc recens aduectum, difficultate magnitudinis territus, nec contrectare ausus est nec mouere: discant qui ignorant, veterem principem translatis aliquibus hunc intactū ideo præteriisse, quod deo Soli speciali munere dicatus, fixusque intra ambitiosi templi delubra quæ contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parui du-G cens, auulsam hanc molem sedibus suis, nihilque committere in religionem recte existimans, si ablatum vno templo miraculum Romæ sacraret, id est in templo mundi totius, iacere diu perpessus est, dum translationi pararentur vtilia. Quo conuecto per alueum Nili, proiectoque Alexandriæ, nauis amplitudinis antehac inusitatæ ædificata est sub trecentis remigibus agitanda. Quibus ita prouisis, digressoque vita principe memorato, vrgens effectus intepuit: tandemque sero impositus

A naui, per maria fluentaq; Thybridis, velut pauentis ne quod pene ignotus miserat Nilus, ipse parum sub emeatus sui discrimine mœnibus alumnis inferret, defertur in vicum Alexandri, tertio lapide ab vrbe seiunctum: vnde chamulcis impositus, tractusque lenius per Ostiensem portam piscinamque publicam circo illatus est maximo. Sola post hæc restabat erectio, quæ vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri: erectisque vsque periculum altis trabibus, vt machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorum cælum densitate nimia subtexentes: quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque id per arduum inane protentus, diuque pensilis, hominum millibus multis, tamquã molendarias rotantibus metas, cauea locatur in media: eiq; sphæra superponitur ahena, aureis laminis nitens, qua confestim vi ignis diuini contacta, ideoque sublata, facis imitamentum in figura æreum, itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma candentis. Sequutæque ætates alios transtulerunt: quorum vnus in Vaticano, alter in hortis Sallustij, duo in Augusti monumento erecti sunt. Qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri, quem videmus in circo, Hermapionis librum sequuti, interpretatum litteris subiecimus Græcis:

Ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ νοτίου διερμηνευμένα ἔχει στίχος πρῶτος. Τάδε ἐστὶν ἃ βασιλεῖ Ῥαμέσῃ δεδωρήμεθα, ὃν D πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύειν Ἥλιος φιλεῖ καὶ Ἀπόλλων κρατερὸς, φιλαλήθης υἱὸς Ἥρωνος, θεογέννητος, κτίστης τῆς οἰκουμένης, ὃν Ἥλιος προέκρινεν· ἄλκιμος Ἄρεως βασιλεὺς Ῥαμέσης ᾧ πᾶσα ὑποτέτακται ἡ γῆ μετὰ ἀλκῆς καὶ θάρσους. Βασιλεὺς Ῥαμέσης Ἡλίου παῖς αἰωνόβιος. Στίχος δεύτερος. Ἀπόλλων κρατερὸς, ὁ ἑστὼς ἐπ' ἀληθείας δεσπότης διαδήματος τὴν Αἴγυπτον δοξάσας κεκτημένος, ὁ ἀγλαοποιήσας Ἡλίου πόλιν, καὶ κτίσας τὴν λοι- E πὴν οἰκουμένην, καὶ πολυτιμήσας τοὺς ἐν Ἡλίου πόλει θεοὺς ἀνιδρυμένους, ὃν Ἥλιος φιλεῖ. Τρίτος στίχος. Ἀπόλλων κρατερὸς Ἡλίου παῖς παμφεγγὴς, ὃν Ἥλιος προέκρινεν καὶ Ἄρης ἄλκιμος ἐδωρήσατο. οὗ τὰ ἀγαθὰ ἐν παντὶ διαμένει καιρῷ· ὃν Ἄμμων ἀγαπᾷ, πληρώσας τὸν νεὼν τοῦ φοίνικος ἀγαθῶν· ᾧ οἱ θεοὶ ζωῆς χρόνον ἐδωρήσαντο. Ἀπόλλων κρατερὸς υἱὸς Ἥρωνος, βασιλεὺς οἰκουμένης Ῥαμέσης, ὃς F ἐφύλαξεν Αἴγυπτον τοὺς ἀλλοεθνεῖς νικήσας· ὃν Ἥλιος φιλεῖ· ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο θεοί· δεσπότης οἰκουμένης Ῥαμέσης αἰωνόβιος. Ἄλλος στίχος δεύτερος. Ἥλιος θεὸς μέγας δεσπότης οὐρανοῦ· δεδώρημαί σοι βίον ἀπρόσκορον. Ἀπόλλων κρατερὸς, κύριος διαδήματος ἀνείκαστος· ᾧ ἀνδριάντας ἀνέθηκεν ἐν τῇδε τῇ βασιλείᾳ δεσπότης Αἰγύπτου, καὶ ἐκόσμησεν Ἡλίου πόλιν ὁμοίως καὶ αὐτὸν Ἥλιον δεσπότην οὐρανοῦ. συνετελεύτησεν ἔργον G ἀγαθὸν Ἡλίου παῖς βασιλεὺς αἰωνόβιος. Τρίτος στίχος. Ἥλιος θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ, Ῥαμέσῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν· ὃν Ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων, καὶ Ἥφαιστος ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινεν διὰ τὸν Ἄρεα· βασιλεὺς παγχαρὴς, Ἡλίου παῖς, καὶ ὑπὸ Ἡλίου φιλούμενος. Ἀφηλιώτης, πρῶτος στίχος. Ὁ ἀφ' Ἡλίου πόλεως μέγας θεὸς ἐνουράνιος Ἀπόλλων κρατερὸς

A Ἥρωνος υἱὸς, ὃν Ἥλιος ἠγάπησεν, ὃν οἱ θεοὶ ἐτίμησαν, ὁ πάσης γῆς βασιλεύων, ὃν Ἥλιος προέκρινεν, ὁ ἄλκιμος διὰ τὸν Ἄρεα βασιλεὺς, ὃν Ἄμμων φιλεῖ, καὶ ὁ παμφεγγὴς συγκρίνας αἰώνιον βασιλέα: & reliqua. Titiano & Cereali coss. quum vniuersa per Gallias studio cautiore disponerentur, formidoque præteritorum barbaricos hebetaret excursus, rex Persarum in confiniis agens adhuc gẽ- B tium extimarum, iamque cum Chionitis & Halanis omnium acerrimis bellatoribus pignore icto societatis, rediturus ad sua, tum Saporis scripta suscepit, pacem Romanum principem nuntiantis poscere precariam. Ideoque non nisi infirmato imperij robore tentari talia suspicatus, latius semet extentans, pacis amplectitur nomen, & conditiones proposuit graues: missoque cum muneribus Narseo quodam legato, litteras ad Constantium dedit, nusquam à genuino fastu declinans C quarum hunc fuisse accepimus sensum: *Rex regum Sapor particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico. Gaudeo tandemque mihi placet: ad optimam te viã reuertisse, & incorruptum æquitatis agnouisse suffragium, rebus ipsis expertum pertinax* ALIENI CVPIDITAS *quas aliquoties ediderit strages. Quia igitur* VERITATIS ORATIO *soluta esse debet & libera, & celsiores fortunas idem loqui decet atque sentire propositum meum in pauca conferam, reminiscens* D *hæc quæ dicturus sum, me sæpius replicasse. Adusque Strymona flumen & Macedonicos fines tenuisse maiores meos, antiquitates quoque vestra testantur. Hæc me conuenit flagitare, (ne sit arrogans quod affirmo) splendore virtutumque insignium serie vetustis regibus antistantem. Sed vbique mihi cordi est recordatio, cui cœlitus ab adolescentia prima, nihil vnquã pœnitendũ admisi. Ideoq; Armeniam recuperare cum Mesopotamia debeo, auo meo, composita fraude præreptam. Illud apud nos numquam acceptum* E *fuit quod adseritis vos exsultantes, nullo discrimine virtutis ac doli prosperos omnes laudari debere bellorum euentus. Postremo si morem gerere suadenti volueris recte, contemne partem exiguam semper luctificam & cruentam, vt cetera regas securus, ac prudenter reputans, medelarum quoque artifices vrere nonnumquam & secare, & partes corporum amputare, vt reliquis vti liceat integris: hocque bestias factitare: quæ quum aduertant cur maximopere capiãtur, illud propria sponte amittunt, vt viuere deinde* F *possint impauida. Id sane pronuntio, Quod si hac mea legatio redierit irrita, post tempus hiemalis quietis exemptum, viribus totis accinctus, fortuna conditionumq; æquitate spẽ successus secundi fundante, venire quoad ratio siuerit, festinabo.* His litteris diu libratis, recto pectore (quod dicitur) cõsiderateque responsum est hoc modo: *Victor terra mariq; Constantius semper augustus, fratri meo Sapori regi salutem plurimam dico. Sospitati quidem tuæ gratulor, vt futurus (si velis) amicus: cupiditatem vero semper indeflexam fusiusque vagantem, vehementer insimu-* G *lo. Mesopotamiam poscis vt tuam, perindeque Armeniam: & suades integro corpore adimere membra quædam, vt eius salus deinde locetur in solido: quod refutandum est potius quam vlla consensione firmandum. Accipe igitur veritatem non obtectam præstigiis, sed perspicuam, nullisque minis inanibus perterrendam. Præfectus prætorio meus, opinatus adgredi negotium publicæ vtilitati conducens, cum duce tuo per quosdam ignobiles me inconsulto, sermones conseruit super pace. Non refutamus hanc nec repelli-*

mus,

mus,adsit modo cum decore & honestate, nihil pudori nostro prærreptura vel maiestati. Est enim absonū & indecens, quum gestarum rerum ordine explicata sint aures, quas inuidiæ nobis multipliciter incluserunt, quum deletis tyrannis totus orbis Romanus nobis obtemperat, ea prodere quæ contracti in orientales angustias diu seruauimus illibata. Cessent autem quæso formidines quæ nobis intentantur ex more: quum ambigi nequeat, non inertia nos sed modestia, pugnas interdum excepisse potius quam intulisse: & nostra,quoties lacessimur,fortissimo beneuolentiæ spiritu defensare: id experiendo legendoque scientes, in prœliis quibusdam raro rem titubasse Romanam, in summa vero bellorum numquam ad deteriora prolapsam. Hanc legationem nullo impetrato remissam(nec enim effrenatæ regis cupiditati responderi amplius quidquā potuit) post paucissimos dies sequutus est Prosper Comes, & Spectatus tribunus & notarius; itemque Eustachius Musoniano suggerente philosopho,vt opifex suadendi,Imperatoris scripta perferentes & munera, enisuri apparatum interim Saporis arte quadam suspendere, vt supra humanum modum prouinciæ munirentur arctoæ. Inter quæ ita ambigua Iuthungi, Alemannorum pars Italicis conterminans tractibus, obliti pacis & fœderum quæ adepti sunt obsecrando, Rhætias turbulente vastabant,adeo vt etiam opidorum tentarent obsidia præter solitū. Ad quos repellendos cum valida manu missus Barbatio, in locum Siluani peditum promotus magister,ignauus,sed verbis effusior,alacritate militum vehementer erecta, prostrauit acerrime multos, ita vt exigua portio,quæ periculi metu se dedit in fugam, ægre dilapsa res suas non sine lacrymis reuiseret & lamentis.Huic pugnæ Neuita postea consul,equestris præpositus turmæ, & affuisse, & fortiter fecisse firmatur. Iisdem diebus terræmotus horrendi perMacedoniam Asiamque & Pontum assiduis pulsibus opida multa concusserunt & montes. Inter monumenta tamen multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades,Bithyniæ vrbium matris, cuius ruinarum euentum vere breuiterque absoluam. Primo lucis exortu ad diem nonum cal.Septembr.concreti nubium globi nigrantium, lætam paulo ante cæli speciem confuderunt:& amandato solis splēdore, nec contigua vel apposita cernebantur: ita oculorum obtutu præstricto, humo inuolutus crassæ caliginis squalor insedit.Dein velut numine summo fatales contorquente manubias, ventosque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum: cuius impetu pulsorum auditus est montium gemitus, & elisi litoris fragor:hæcque sequuti typhones atque presteres cum horrifico tremore terrarum,ciuitatem & suburbana funditus euerterunt. Et quoniam accliuitate collium ædes pleræque vehebantur,aliæ super alias concidebant, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso.Interim clamoribus variis excelsa culmina resultabant, queritantium coniugium liberosque, & si quid necessitudinis arcte constringit. Post horam denique secundam multo ante tertiam, aër iam sudus & liquidus latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium ruderum vi nimia cōstipati,sub ipsis interiere ponderibus.Quidam collo tenus aggeribus obruti, quum superesse possent siqui iuuissent, auxiliorum inopia necabantur. Alij lignorum exstantium acuminibus fixi pende-

A bant. Vno ictu cæsi complures paulo ante homi-
nes, tunc promiscuæ strages cadauerum cerne-
bantur.Quosdam domorum inclinata fastigia in-
trinsecus terebant intactos,angore & inedia con-
sumendo. inter quos Aristænetus affectatam re-
gens diœcesin,curans vicaria potestate,quam Cō-
stantius ad honorem vxoris Eusebiæ, Pietatis co-
gnominarat,animam hoc casu cruciatam diutius
exhalauit. Alij subita magnitudine oppressi,iisdē
B adhuc molibus conteguntur. Collisis quidam ca-
pitibus,vel humeris præfectis aut cruribus, inter
vitæ mortisque confinia, aliorum adiumenta pa-
ria perferentium implorantes, cum obtestatione
magna deserebantur. Et superesse potuit ædium
sacrarum & priuatarum hominumque pars ma-
ior, ni palantes abrupti flammarum ardores per
quinquaginta dies & noctes, quidquid consumi
poterat,exussissent. Adesse tempus existimo pauca
dicere, quæ de terræ pulsibus coniectura veteres
C collegerunt. Ad ipsius enim veritatis arcana non
modo hæc nostra vulgaris inscitia, sed ne sempi-
terna quidem lucubrationibus longis nondum ex
hausta physicorum ingenia penetrarunt. Vnde &
in ritualibus &pontificiis obtemperantibus sacer
dotiis, cautum ne alio deo pro alio nominato,
quum qui eorum terram concutiat sit in abstru-
so,piacula committantur. Accidunt autem(vt opi
niones æstimant, inter quas Aristoteles æstuat &
laborat)aut in cauernis minutis terrarum, quas
D syringas appellamus, in pulsu crebriori aquis vn-
dabūdis:aut certe(vt Anaxagoras affirmat) vento-
rum vi subeuntinm ima terrarum:qui quum soli-
ditatibus concrustatis inciderint, eruptiones nul-
las reperientes, eas partes soli conuibrant: quas
subrepserint humidi. Vnde plerumque obserua-
tur,terra tremente, ventorum apud nos spirami-
na nulla sentiri, quod in vltimis secessibus occu-
pantur. Anaximander ait arescentem nimia æstuū
siccitate,aut post madores imbrium terram rimas
E pandere grandiores, quas penetrat supernus aër
violentus & nimius, ac per eas vehementi spiritu
quassatam cieri propriis sedibus. Qua de caussa
terrores huiusmodi vaporatis temporibus,aut ni-
mia aquarum cælestium superfusione contingūt.
Ideoque Neptunum,humentis substantiæ potesta
tem, *ennosigæon* & *sisicthona* poëtæ veteres &
theologi nuncupauerunt. Fiunt autem terrarum
motus modis quatuor. aut enim brasmatiæ sunt,
qui humum intus suscitantes, sursum propellunt
F immanissimas moles: vt in Asia Delos emersit &
Hiera,& Anaphe,& Rhodus Ophiūsa & Pelagia
prioribus seculis dictitata, aureo quondam imbri
perfusa,& Eleusin in Bœotia, & apud Tyrrhenos
Vulcani,insulæque plures.aut climatiæ,qui limes
ruentes & obliqui,vrbes,ædificia, montesque cō-
planant.aut chasmatiæ, qui grandiori motu patē-
factis subito voratrinis, terrarum partes absorbēt:
vt in Atlantico mari, Europæo orbe potior insu-
la,& in Crisæo sinu Helice & Bura,& in Ciminia
G Italiæ parte opidum Succiniense profondo hiatu
absorpta æternis tenebris occultantur. Inter hæc
tria genera terræ motuum Mycematiæ sonitu au-
diuntur minatorio:quum dissolutis elementa cō-
pagibus vltro adsiliunt,vel relabuntur considenti
bus terris. Tunc enim necesse est velut taurinis
reboare mugitibus fragores fremitusque terre-
nos. Sed hinc ad exorsa. At Cæsar hiemem apud
Parisios agens, Alemannos præuenire studio ma-
turabat ingenti,nondum in vnum coactos,sed ad

insaniam post Argentoratum audaces omnes &
sæuos: opperiensque Iulium mensem, vnde sumût
Gallicani procinctus exordia, diutius angebatur.
Nec enim egredi poterat, antequam ex Aquitania,
æstatis remissione solutis frigoribus & pruinis,
veheretur annona. Sed, vt est difficultatum pene
omnium diligens RATIO victrix, multa mente
versans & varia, id tantum reperit solum, vt anni
maturitate non exspectata, barbaris occurreret in
speratus. firmatoque consilio, xx. dierum frumen-
tum ex eo quod erat in sedibus consumendum, ad
vsus diuturnitatem excoctum, buccellatum, (vt
vulgo appellant) humeris imposuit libentium mi
litum: hocque subsidio fretus, secundis (vt ante)
auspiciis profectus est, intra mensem quintum vel
sextum duas expeditiones consummari posse vr-
gentes & necessarias arbitratus. Quibus paratis,
petit primos omnium Francos, eos videlicet quos
consuetudo Salios appellauit, ausos olim in Ro-
mano solo apud Toxiandriam locum habitacula
sibi figere prælicenter. Cui, quum Tungros venis-
set, occurrit legatio prædictorum, opinantium re-
periri Imperatorem etiã tum in hibernis, pacem
sub hac lege prætendens, vt quiescentes eos, tan-
quam in suis, nec lacesseret quisquam nec vexa-
ret. Hos legatos, negotio plene digesto, opposita-
que conditionum perplexitate, vt in iisdem tra-
ctibus motatutus dum redeunt, muneratos absol
uit. Dictoque citius sequutus profectos, Seuero
duce misso, per ripam subito cunctos adgressus,
tamquam fulminis turbo perculsit. iamque pre-
cantes potius quam resistentes, in opportunam
clementiæ partem effectu victoriæ flexo, deden-
tes se cum opibus liberisque suscepit. Chamauos
itidem ausos similia adortus, eadem celeritate par
tim cecidit, partim acriter repugnantes viuosque
captos compegit in vincula: alios præcipiti fuga
trepidantes, ad sua, ne militem spatio longo defa-
tigaret, abire interim permisit innocuos: quorum
legatis, paulo postea missis precatum consultum-
que rebus suis, humi prostratis sub obtutibus e-
ius, pacem hoc tribuit pacto vt ad sua redirent in-
columes. Cunctis igitur ex voto currentibus, stu-
dio peruigili properans modis omnibus vtilitatẽ
fundare prouinciarum, munimenta tria recta se-
rie superciliis imposita fluminis Mosæ, subuersa
dudum obstinatione barbarica, reparare pro tem-
pore cogitabat: & ilico sunt instaurata procinctu
paulisper omisso. atque vt consilium prudens ce-
leritas faceret tutum, ex annona decem dierum &
septem, quam in expeditionem pergens vehebat
ceruicibus miles, portionem subtractam in iisdẽ
condidit castris, sperans ex Chamauorum segeti-
bus id suppleri posse quod ablatum est. Longe au-
tem aliter accidit. Frugibus enim nondum etiam
maturis, miles expensis quæ portauit, nusquam
repetiens victus, extrema minitans Iulianum cõ-
pellationibus incessebat & probris, Asianum ap-
pellans Græculum & fallacem, & specie sapientiæ
stolidum. Vtque inueniri solent quidam inter ar-
matos verborum volubilitate conspicui, hæc &
similia multa strepebant, *Quo trahimur spe melio-*
rum abolita, olim quidem dura & perpessu asperri-
ma per niues tolerantes & acumina crudelium prui-
narum: sed nunc, proh nefas, quum vltimis hostium sa
tis instamus, fame, ignauissimo mortis genere, tabescẽ-
tes? & nequis nos turbarum existimet concitores, pro
vita loqui sola testamur, non aurum neque argentum
potentes, quæ olim nec contrectare potuimus nec vide

A *re, ita nobis negata, velut contra rempublicam tot*
suscepisse labores & pericula confutatus. Et erat ra-
tio iusta querelarum. Inter tot enim rerum proba
bilium cursus articulosque necessitatum ancipi-
tes, sudoribus Gallicanis miles exhaustus, nec do-
natiuum meruit nec stipendium, iam inde, vt Iu-
lianus illo est missus, ea re quod nec ipsi quod da-
ret suppetere poterat vsquam, nec Constantius e-
rogari more solito permittebat. Hocque exinde
claruit, fraude potius quam tenacitate committi,
B quod quum idem Cæsar petenti ex vsu gregario
cuidam vt barbas detonderet, dedisset aliquid vi-
le, contumeliosis calumniis appetitus est à Gau-
dentio tunc notario, ad explorandos eius actus
diu morato per Gallias, quem postea ipse interfici
iussit, vt loco monstrabitur competenti. Lenito
tandem tumultu non sine blanditiarum genere
vario, contexoque nauali ponte Rheno transito,
& terris Alemannorum calcatis, Seuerus magi-
ster equitum, bellicosus ante hæc & industrius, re
pente commarcuit. & qui sæpe vniuersos ad for-
C titer faciendum hortabatur & singulos, tunc dis-
suasor pugnandi contemptus videbatur & timi-
dus: mortem fortasse metuens aduentantem: vt in
Tagetis Tusci libris legitur, Veiouis fulmine mox
tangendos adeo hebetari, vt nec tonitrum nec
maiores aliquos possint audire fragores. & iter
ignauiter egerat præter solitum, vt ductores via-
rum præeuntes alacri gradu vltima minitando
terreret, ni omnes conspirantes in vnum se loca
penitus ignorare firmarent. Qui interdicti metuẽ-
tes auctoritatem, nusquã deinde sunt progressi. In
D ter has tamen moras Alemannorũ rex Suomarius
vltro cum suis improuisus occurrit, ferox antesæ-
uiensque in damna Romana, & tum lucrum exi-
stimans insperatum, si propria retinere permitte-
retur. Et quia vultus incessusque supplicem indi-
cabat, susceptus, bonoque animo esse iussus & pla-
cidu, nihil arbitrio suo relinquens, pacem geni-
bus curuatis orabat. Et eam cum concessione præ
teritorum sub hac meruit lege, vt captiuos redde-
E ret nostros, & quoties sit necesse, militibus ali-
menta præberet, susceptorum vilium more securi
tatem accipiens pro illatis: quam si non ostendis-
set in tempore, sciret se rursus eadefatigandum.
Quod ita recte dispositum, est impræpedite com-
pletum. Hortarij nomine petendus erat regis alte-
rius pagus: & quia nihil videbatur deesse præter
ductores, Nesticæ tribuno scutariorum, & Cha-
ritoni viro fortitudinis miræ, imperauerat Cæsar
vt magna quæsitum industria comprehensumque
offerrent sibi captiuum: & correptus velociter a-
F dolescens ducitur Alemannus, pacto obtinendæ
salutis pollicitus itinera se monstraturum. Hoc
prægresso sequutus, exercitus celsarum arborum
obsistente concæde ire protinus vetabatur. Ve-
rum per circuitus longos & flexuosos ventum est
tamdem ad loca: & ita quisque percitus armato-
rum vrebat agros, pecora diripiebat & homines,
resistentesque sine vlla parcimonia contrunca-
G bat. His malis perculsus rex, quum multiplices re-
giones, vicorumque reliquias cerneret exusto-
rum, vltimas fortunarum iacturas adesse iam cõ-
templatus, orauit ipse quoque veniam, facturum
se imperanda, iurandi exsecratione restituere vni-
uersos promisit: id enim cura agebatur impensio-
re: detentisque plurimis, reddidit paucos. Quo
cognito, ad indignationem iustam Iulianus ere-
ctus, quum munerandus venisset ex more, qua-
tuor

tuor comites eius, quorum ope & fide maxime
nitebatur, non ante absoluit dum omnes redicre
captiui. Ad colloquium tamen accitus à Cæsare
trementibus oculis adorato, victorisque supera-
tus aspectu, condirione difficili premebatur: hac
scilicet, vt quoniam consentaneum erat, post tot
secundos euentus ciuitates quoque reparari vi
barbarorum excisas, carpenta & materias ex opi-
bus suis suorumque præberet, & hoc pollicitus,
imprecatusque, si perfidum quidquam egisset, luē-
da sibi cruore supplicia, ad propria remeare per-
missus est. Annonam enim transferre, ita vt
Suomarius, ea re compelli non potuit, quod ad in
ternecionem regione eius vastata, nihil inueniri
poterat quod daretur. Ita reges illi rumentes quō-
dam immaniter, rapinisque ditescere adsueti no-
strorum, Romanæ potentiæ iugo subdidere colla
iam domita, & velut inter tributarios nati & edu-
cati, obsecundabant imperio ingrauate. Quibus
hoc modo peractis, disperso per stationes milite,
consueta ad hiberna regressus est Cæsar. Hæc quū
in comitatu Constantij subinde noscerentur, (erat
enim necesse tamquam apparitorem Cæsarem su-
per omnibus gestis ad Augusti referre scientiam)
omnes qui plus poterant in palatio, adulandi pro
fessores iam docti, recte consulta prospereque cō-
pleta vertebant in deridiculum: talia sine modo
strepentes insulse, *In odium venit cum victoriis suis
capella, non homo:* vt hirsutum Iulianum carpentes
appellantesque loquacem talpam, & purpuratam
simiam, & literionem Græcum: & his congruen-
tia plurima atque vernacula principi resonantes
audire hæc taliaque gestienti, virtutes eius obrue-
re verbis impudentibus conabantur, vt segnem in
cessentes & timidum & vmbratilem, gestaque se-
cus verbis comptioribus exornantem: quod non
tunc primitus accidit. Namque, vt *solet amplissima
gloria obiecta esse semper inuidia*, legimus in vete-
res quoque magnificos duces vitia criminaque
(etiamsi inueniri non poterant) finxisse malignita
tem, spectatissimis actibus eorum offensam: vt
Cimonem Miltiadis filium insimulatum incesti,
qui prope Eurymedonta Pamphylium flumen
Persarum populum deleuit innumerum: coëgitq;
gentem insolentia regis elatam, obsecrare suppli-
citer pacem: Æmilianum itidem Scipionem, vt
somniculosum, æmulorum incusari maleuolen-
tia, cuius impetrabili vigilantia obstinatæ in per-
niciem Romæ duæ sunt potentissimæ vrbes exci-
sæ. nec non etiam in Pompeium obtrectatores ini
qui multa scrutantes, quum nihil vnde vituperari
deberet, inueniretur, duo hæc obseruauerunt lu-
dibriosa & irrita: quod genuino quodam more
caput digito vno scalpebat, quodque aliquamdiu
tegendi vlceris caussa deformis, fasciola candida
crus colligabat: quorum alterum factitare vt dis-
solutum, alterum, vt nouarum rerum cupi-
dum, asserebant, nihil interesse oblatrantes argu-
mento subfrigido, quam partem corporis redimi-
ret regiæ maiestatis insigni, in eum virum quo
nec fortior nec cautior quisquam patriæ fuit. vt
documenta præclara testantur. Dum hæc ita agū-
tur, Romæ Artemius curans vicariam præfectu-
ram, pro Basso quoque agebat, qui recens promo-
tus vrbi præfectus, fatali decesserat sorte. Cuius ad
ministratio seditiones perpessa est turbulentas nec
memorabile quidquam habuit quod narrari sit di
gnum. Augusto inter hæc quiescenti per hiemem
apud Sirmium, indicabant nūtij graues & crebri,

A permixtos Sarmatas & Quados, vicinitate & simi
litudine morum armaturæque concordes, Panno-
nias Mœsiarumque alteram cuneis incursare dis-
persis. quibus ad latrocinia magis quam aperto
habilibus Marti, hastæ sunt longiores, & loricæ
ex cornibus rasis & læuigatis, plumarum specie
linteis indumentis innexæ: equorumque plurimi
ex vsu castrati, ne aut fœminarum visu exagitari
raptentur, aut in subsidiis ferocientes, prodant
B hinnitu densiore vectores. & per spatia discurrunt
amplissima sequentes alios, vel ipsi terga vertētes
insidendo velocibus equis & morigeris; trahen-
tesque singulos, interdum & binos, vti permuta-
tio vires foueat iumentorum, vigorque otio inte-
gretur alterno. Æquinoctio itaque temporis ver-
ni confecto, Imperator coacta militum valida ma
nu, ductu lenioris fortunæ profectus, quum ad
locum aptissimum peruenisset, flumen Istrum ex-
undantem pruinarum iam resoluta congerie, su-
C per nauium foros ponte contexto transgressus,
populandis barbarorum incubuit terris. Qui iti-
nere festinato præuenti, cateruasque bellatoris ex
ercitus iugulis suis imminere cernentes, quem
nondum per anni tempus colligi posse rebantur,
nec spirare ausi, nec stare, sed vitantes exitium in-
speratum, semet omnes effuderunt in fugam. Stra-
tisque plurimis, quorum gressus vinxerat timor,
ij quos exemit celeritas morti, inter latebrosas
conualles montium occultati; videbant patriam
D ferro pereuntem: quam vindicassent profecto, si
vigore quo discesserant, restitissent. Gerebantur
hæc in ea parte Sarmatiæ quæ secundam prospe-
ctat Pannoniam: parique fortitudine contra Va-
leriam, opes barbaricas ferendo rapiendoque, oc-
currentia militaris turbo vastabat. Cuius cladis
immensitate permoti, post habito consilio laten-
di, armati petendæ specie pacis agmine tripertito,
agentes securius nostros aggredi cogitarunt: vt
nec expedire tela, nec vim vulnerum declinare,
E nec (quod est in rebus arctissimis vltimum) verti
possent in fugam. Aderant autem ilico Sarmatis
periculorum Quadi participes, qui noxarum sæpe
socij fuerant indiscreti: sed ne eos quidem prom-
pta iuuit audacia in discrimina ruentes aperta.
Cæsis enim compluribus, pars quæ potuit super-
esse, per notos calles euasit. Quo euentu vires &
animos incitante, iunctis densius cuneis ad Qua-
dorum regna properabat exercitus. qui ex præte-
F rito casu impendentia formidantes, rogaturi sup-
pliciter pacem fidentes ad principis venere con-
spectum. Ergo hæc & similia lenituris, dictoque
die statuendis conditionibus, Zizais quoque etiā
tum regalis, haud parui corporis iuuenis, ordines
Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces:
visoque Imperatore, abiectis armis pectore toto
procubuit exanimis stratus: & amisso vocis offi-
cio præ timore, tum quum orare deberet, maio-
rem misericordiam mouit, conatus aliquoties,
parumque impediente singultu, permissus explica
G re quæ poscebat. Recreatus denique tamdem, ius-
susque exsurgere, genibus nixus, vsu linguæ recu-
perato, concessionem delictorum sibi tribui sup-
plicauit & veniam. Eoque ad precandum admissa
multitudo, cuius ora formido muta claudebat, pe-
riculo adhuc præstantioris ambiguo, vbi ille solo
iussus attolli, orandi signum expectantibus diu
monstrauit, omnes clypeis telisque proiectis ma-
nus precibus dederunt, plura excogitantes vt vin-
cerent humilitate supplicandi regalem. Duxerat

potior cum ceteris armatis etiam Rumonem & A
Zinafrum & Fragiledum subregulos, plurimosq;
optimates cum impetrandi spe similia petituros.
Qui licet clari gaudio salutis indultæ, conditionũ
sarcina compensare inimice facta pollicebantur,
seque cum facultatibus & liberis & coniugibus,
terrarumque suarum ambitu, Romanæ potentiæ
libenter offerre: præualuit tamen æquitati iuncta
benignitas: iussique obtinere sedes impauidi, nostros
reddidere captiuos. Duxeruntque obsides
postulatos, & obedire præceptis deinde promptis- B
sime spoponderunt. Hortante hoc exemplo clementiæ,
aduolarunt regales cum suis omnibus Arabarius
& Vsafer, inter optimates excellentes agminum
gentilium duces: quorum alter transiugitanorum
Quadorum parti, alter quibusdam Sarmatis
præerat, locorum confiniis & feritate iunctissimis,
quorum plebem arcuit Imperator, ne
ferire fœdera simulans, in arma repente consurgeret.
Discreto consortio, pro Sarmatis obsecrantes C
iussi paulisper abscedere, dum Arabarij & Quadorum
negotium spectaretur. Qui quum eorum ritu
oblati, stantes curuatis corporibus, facinora
grauia purgare non possent, vltimæ sortis infortunia
metuentes, dederunt obsides imperatos, numquam
antea pignora fœderis exhibere compulsi.
His ex æquo bonoque compositis, Vsafer in preces
admissus est, Arabario pertinaciter obstrepente,
firmanteque, pacem quam ipse meruit, ei quoque
debere proficere, vt participi, (licet infe- D
riori) & obtemperare suis imperiis consueto. Verum
quæstione discussa, aliena potestate eripi Sarmatæ
iussi, vt semper Romanorum clientes, offerre
obsides quietis vincula conseruandę, grataanter
amplexi sunt. Ingerebat autem se post hæc maximus
numerus cateruarum confluentium nationũ
& regum, suspendi à iugulis suis gladios obsecrãtium,
postquam Arabarium impune competerant
abscessisse. Et pari modo ipsi quoq; adepti pacem
quam poscebant, accitos ex intimis regni proce- E
rum filios obsidatus sorte opinione celerius obtulerunt:
itidemque captiuos (vt placuerat) nostros,
quos haud minori gemitu perdidere quam suos.
Quibus ordinatis, translata est in Sarmatas cura
miseratione dignos potius quam simultate: quibus
incredibile quantum prosperitatis hæc attulit
caussa: vt verum illud æstimaretur quod opinatur
quidã, fatũ vinci principis potestate, vel fieri.
Potentes olim ignobiles erãt huius indigenæ re- F
gni: sed coniuratio clandestina seruos armauit in
facinus: atque vt barbaris esse omne ius in viribus
assueuit, vicerunt dominos ferocia pares, & numero
præminentes. Qui confundente mẽtu consilia,
ad Victobalos discretos longius confugerunt, obsequi
defensoribus, vt in malis optabile, quam seruire
suis mancipiis arbitrati. quæ deplorãtes, post
impetratam veniam recepti in fidem, poscebant
præsidia libertati. eoque iniquitate rei permotus,
inspectante omni exercitu conuocatos alloqu- G
tus verbis mollioribus Imperator, nulli nisi sibi
ducibusque Romanis parere præcepit. Atque vt
restitutio libertatis haberet dignitatis augmentũ,
Zizaim regem iisdem præfecit conspicuæ fortunæ,
tum insignibus aptum profecto (vt res docuit)
& fidelem. nec discedere quisquam post hæc gloriosa
gesta permissus est, antequam (vt placuerat)
remearent nostri captiui. His in barbarico gestis,
Bregetionẽ castra commota sunt: vt etiã ibi belli
Quadorũ reliquias, circa illos agitantiũ tractus la-

A crymæ vel sanguis exstingueret. quorũ regalis Vitrodorus
Viduarij filius regis, & Agilimundus
subregulus, aliique optimates & iudices variis populis
præsidentes, viso exercitu, in gremio regni
solique genitalis, sub gressibus iacuere militum,
& adepti veniam, iussa fecerunt: sobolemque suam
obsidatus pignore, vt obsequuturi conditionibus
impositis, tradiderunt: eductisque mucronibus,
quos pro numinibus colunt, iurauere se permansuros
in fide. His (vt narratum est) secundo finitis
B euentu, ad Limigantes Sarmatas seruos ocius signa
transferri vtilitas publica flagitabat, quos erat
admodum nefas impune multa & nefaria perpetrasse.
Nam velut obliti priorum, tum erumpẽtibus
liberis, ipsi quoque tempus aptissimum nacti,
limitem perrupere Romanum, ad hanc solam
fraudem dominis suis hostibusque concordes. De
liberatum est tamen id quoque lenius vindicari,
quam criminum magnitudo poscebat: hactenus
C vltione porrecta, vt ad longinqua translati, amitterent
copiam nostra vexandi: quos pericula formidare
mouebat scelerum conscientia diutius
commissorum. Ideoque in se pugnę molem suspicati
vertendam, dolos parabãt, & ferrum, & preces.
Verum aspectu primo exercitus tamquam fulminis
ictu percussi, vltimaque cogitantes, vitam
precati, tributum annuum delectumque validæ
iuuentutis, & seruitium spoponderunt: annuere
parati, si iuberentur, aliorsum migrare, (vt gesti-
D bus indicabant & vultibus) locorum confisi præsidio,
vbi lares, post exactos inde dominos, fixere
securi. Has enim terras Parthiscus irruẽs obliquatis
meatibus Istro miscetur. Sed dum solus licentius
fluit, spatia longa & lata sensim præterlabens,
& ea coarctans prope exitum in angustias, accolas
ab impetu Romanorum alueo Danubij defendit,
à barbaricis vero excursibus suo tutos præstat
obstaculo: vbi pleraque humidioris soli natura &
incrementis fluminum redundantia, stagnosa
E sunt & referta salicibus, ideoque inuia, nisi perquam
gnaris: & super his insulatem anfractum,
aditu Parthisci pene contiguũ, amnis potior ambiens,
terræ consortio separauit. Hortante igitur
principe, cum genuino fastu ad citeriorem venere
fluminis ripam, vt exitus docuit, nõ iussa facturi,
sed ne viderẽtur militis præsentiam formidasse:
stabantque contumaciter: ideoque propinquasse
monstrantes, vt iubenda repudiarent. Quæ Impe-
F rator accidere posse contemplans, in agmina plurima
clam distributo exercitu, celeritate volucri
migrantes intra suorum acies clausit. Stansque in
aggere celsiore cum paucis, & stipatorum præsidio
tectus, eos, ne ferocirent, lenius admonebat.
Sed fluctuantes ambiguitate mentium, in diuersa
rapiebantur, & furori mixta versutia tentabant
cum precibus prœlium: vicinumque sibi in nostros
parantes excursum, proiecere consulto longius
scuta, vt ad ea recuperanda sensim progressi,
G sine vllo fraudis indicio spatia furarentur. Iamque
vergente in vesperum die, quum moras rumpere
lux moneret, incedens erectis vexillis, in eos igneo
miles impetu ferebatur. Qui conferti, acieque
densiore cõtracta, aduersus ipsum principem
stantem (vt dictum est) altius, omnem impetum
contulerant, cum oculis incessentibus & vocibus
truculentis. Cuius furoris amentiam exercitus ira
ferre non potuit: eosque Imperatori (vt dictum
est) acriter imminentes, desinente in angustum
fronte, quem habitum *caput porci* simplicitas militaris

litatis appellat, impetu disiecit ardenti: & dextra pedites cateruas peditum obtruncabant, equites læua equitum se turmis agilibus infuderunt. Cohors prætoria ex aduerso Augustum cautius stipans, resistentium pectora, moxque terga fugientium, cædebat: & cadentes insuperabili contumacia barbarj, non tam mortem dolere, quam nostrorũ lætitiam, horrendo stridore monstrabant: & iacentes absque mortuis plurimi succisis poplitibus, ideoque adempto fugiendi subsidio, alij dexteris amputatis, nonnulli ferro quidem intacti, sed superruentium collisi ponderibus, cruciatus alto silentio perferebãt: nec eorum quisquam inter diuersa supplicia veniam petiit, aut ferrum proiecit, aut exorauit celerem mortem, sed arma iugiter retinentes, licet afflicti, minus criminis æstimabant alienis viribus quam conscientiæ suæ iudicio vinci, mussantesque audiebantur interdũ, fortunæ non meriti, fuisse quod euenit. Ita in semihoræ curriculo discrimine prœliorum emenso, tot procubuere subito barbari, vt pugnam fuisse sola victoria declararet. Vix dum populis hostilibus stratis, gregatim peremptorum necessitudines ducebantur humilibus extractæ tuguriis, ætatis sexusque promiscui: & fastu vitæ prioris abolito, ad infimitatem obsequiorum venere seruilium: & exiguo temporis interuallo decurso, cæsorum aggeres, & captiuorum agmina cernebantur. Incitante itaque feruore certaminum, fructuque vincendi, consurrectum est in perniciem eorum qui deseruere prœlia, vel in tuguriis latitantes occultabantur. Hos, quum ad loca venisset auidus barbarici sanguinis miles, disiectis culmis lenibus obtruncabat: nec quemquam casa, vel trabibus compacta firmissimis, periculo mortis extraxit. Denique quum inflammarentur omnia, non vllusque latere iam posset, cunctis vitæ præsidiis circumcisis, aut obstinate igni peribat absumptus, aut incendium vitans, egressus vno supplicio declinato, ferro sternebatur hostili. Fugientes tamen aliqui tela incendiorumque magnitudinem, amnis vicini se commisere gurgitibus, peritia nandi ripas vlteriores occupare posse sperantes: quorum plerique submersi necatique sunt, alij iaculis periere confixi: adeò vt abunde cruore diffuso meatus fluminis spumaret tumens: ita per elementum vtrumque armata vincentium ira virtusque deleuit. Placuerat igitur post hunc rerum ordinem cunctis adimi spem omnem vitæque solatium: & post lares incensos raptasque familias, nauigia iussa sunt colligi, ad indagandos quos à nostrorum acie vlterior discreuerat ripa: statimque, ne alacritas intepesceret pugnatorum, impositi lintribus per abdita ducti velites expediti, occuparunt latibula Sarmatarum: quos repentinus fefellit aspectus, gentiles lembos & nota remigia conspicantes. Vbi vero procul micantibus telis, quod verebantur, propinquare senserunt, ad suffugia locorum palustrium se contulerunt: eosque sequutus infestius miles, cæsis plurimis ibi victoriam reperit vbi nec caute posse consistere, nec audere aliquid credebatur. Post absumptos pene diffusos Amicenses, petiti sunt sine mora Picenses, ita ex regionibus appellati conterminis: quos tutiores fecere sociorum ærumnæ, rumorum assiduitate compertæ. Ad quos opprimendos (erat enim arduum, sequi per diuersa sparsos, imprudentia viarum arcente) Taifalorum auxilium, & liberorum adæque Sarmatarum adsumptum est. Quumque auxiliorum agmina locorum ratio separaret, tractus contiguos Mœsiæ sibi miles elegit, Taifali, proxima suis sedibus obtinebant, liberi, terras occupauerant è regione sibi oppositas. Limigantes, territi recentibus subactorum exemplis & prostratorum, diu hæsitabant ambiguis mentibus, vtrum oppeterent an rogarent, quum vtriusque rei suppeterent documenta non leuia. Vicit tamen ad vltimum, cœtu seniorum vrgente, dedendi se consilium: variæq; palmæ victoriarum, accessit eorum quoque supplicatio, qui armis libertatem inuaserant: & reliqui eorum cum precibus, vt superatos & imbelles dominos aspernati, fortioribus vtiis inclinauere ceruices. Accepta itaque publica fide, & deserto montium propugnaculo, ad castra Romana conuolauit eorum pars maior, diffusa per spatia ampla camporum, cum parentibus & natis atque coniugibus, opumque vilitate quam eis celeritatis ratio furari permisit. & qui animas amittere potius quam cogi solum vertere putabantur, dum licentem amentiam libertatem existimarent, parere imperiis, & sedes alias suscipere sunt adsensi, trãquillas & fidas, vt nec bellis vexari, nec mutari seditionibus possint. Iisdemque ex sententia (vt credebatur) acceptis, quieuere paulisper, post feritate natiua in exitiabile scelus erecti, vt congruo docebitur textu. Hoc rerum prospero currente successu, tutela Illyrico competens gemina est ratione firmata: cuius negotij duplicem magnitudinem Imperator aggressus, vtramque perfecit. Exsules populos licet inobilitate suspectos, arcturos tamen paulo verecundius, tandem reductos in auitis sedibus collocauit. Iisdemque ad gratiæ cumulum, non ignobilem quempiam regem, sed quem ipsi antea sibi præfecere, regalem imposuit, bonis animi corporisque præstantem. Tali textu recte factorum Constantius iam metuente sublimior, militatique consensu secundo *Sarmaticus* appellatus ex vocabulo subactorum, iamque discessurus, conuocatis cohortibus & centuriis & manipulis omnibus, tribunal insistens, signisque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium potestatum, his exercitum alloquutus est, ore omniũ fauorabilis, vt solebat, *Hortatur recordatio rerum gloriose gestarum, omni incunditate viris fortibus gratior, admodum verecunde replicare quæ diuinitus delata sorte vincendi & ante prœlia, & in ipso correximus feruore pugnarum, Romanæ rei fidissimi defensores. Quid enim tam pulcrum tamque posteritatis memoriæ iusta ratione mandandum, quam vt* MILES *strenue factis,* DVCTOR *prudenter consultis exsultet? Persultabat Illyricum furor hostilis, absentiam nostram inanitate tumenti despiciens, dum Italos tueremur & Gallos: variisque discursibus vastabat extima limitum, nunc cauatis roboribus, aliquoties peragrans pedibus flumina, non congressibus nec armis fretus aut viribus, sed latrociniis assuetus occultis, astu & ludificandi varietate, iam inde ab instituta gente nostris quoque maioribus formidatus: quæ longius disparati, quæ ferri poterant tulimus, leniores iniurias efficacia ducum vetari posse sperantes. Vbi vero per licentiam scandens in maius, ad funestas prouinciarum clades erepsit & crebras, communitis aditibus Rhæticis, tutelaque peruigili Galliarum securitate fundata, terrore nullo relicto post terga venimus in Pannoniam, vt placuit numini sempiterno, labentia firmaturi: cunctisque paratis (vt nostri) vere adulto egressi, arripuimus negotiorum* [illegible]

ximas moles: primum, ne struendo textis compagibus A *ponts telorum officeret multitudo, quo operu leus perfecto, visis terris hostilibus & calcatis, obstinatis ad mortem animis conatos resistere Sarmatas absque nostrorum dispendio strauimus: parique petulantia ruentes in agmina nobilium legionum Quados Sarmatis adiumentu ferentes, attriuimus. Qui post arumnosa dispendia inter discursus & repugnandi minaces anhelitus, quid nostra valeat virtus experti, manus ad dimicandum aptatas, armorum ubiectio munimine* B *pone terga vinxerunt: restareque solam salutem contemplantes in precibus, affusi sunt vestigiis Augusti clementis, cuius prælia sæpe compererunt exitus habuisse felices. His sequestratis, Limigantes quoque fortitudine superauimus pari: interfectisque pluribus, alios periculi declinatio adegit suffugia petere latebrarū palustrium. Hisque secundo finitis euentu, lenitatis tempus aderat tempestiua. Limigantes ad loca migrare compulimus longe discreta, ne in perniciē* C *nostrorum se commouere possent vlterius: & pepercimus plurimis: & Zizaim præfecimus liberis, dicatum nobis futurum & fidum, plus æstimantes creare quam afferre barbaris regem: hoc decore augente solennitatem, quod iisdem quoque rector tributus, antehac electus est & acceptus. Quadruplex igitur præmium, quod vnus procinctus absoluit, nos quæsiuimus & resp. primo vltione partu de grassatoribus noxiis, deinde quot vobis abunde sufficient ex hostibus captiuis: (his enim virtutem oportet esse contentam, quæ sudo* D *re quæsiuit & dexteris) nobis amplas facultates opū, quæ sunt magni thesauri, integra omnium patrimonia, nostri labores & fortitudo seruauerint. hoc enim boni principis menti, hoc successibus congruit prosperis. Postremo ego quoque hostilis vocabuli spolium prae me fero, SECVNDI SARMATICI cognomentum quod vos vnum idemque sentientes mihi (ne sit arrogans dicere) merito tribuistis.* Post hunc dicendi finem, concio omnis alacrior solito, aucta spe potiorum & lucri, vocibus festis in laudes Imperatoris assurgens, deumque ex vsu testata non posse Constantium vinci, tentoria repetit læta. Et redu- B ctus Imperator ad regiam, otioque bidui recreatus, Sirmium cum pōpa triumphali regressus est, & militares numeri destinatas remearunt sedes. Hisce iisdem diebus Prosper & Spectatus atque Eustachius, legati ad Persas, vt supra docuimus, missi, Ctesiphonta reuersum regem adiere, litteras proferentes Imperatoris & munera: poscebantque rebus integris pacem, & mandatorum memores, nusquam ab vtilitate Romanæ rei maiestateque C discedebant, amicitiæ fœdus sub hac lege firmari debere asseuerantes, ne super turbando Armeniæ vel Mesopotamiæ statu quidquam moueretur. Diu igitur ibi morati, quum obstinatissimū regem, nisi harum regionum dominio sibi adiudicatu, obdurescentem ad suscipiendam cernerent pacem, negotio redierunt infecto. Post quod, id ipsum conditionum robore pari impetraturi, Lucillianus missus Comes, & Procopius tunc nota- D rius, qui postea, nodo quodam violentæ necessitatis adstrictus, ad res consurrexit nouas.

AMMIANI MARCELLINI

RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSOCTAVVS.

HÆc per orbis varias partes vno eodemq; an- E no sunt gesta. At in Galliis, quū in meliore statu res esset, & Eusebium atque Hypatium fratres sublimarent vocabula consulum, Iulianus contextis successibus clarus, apud hiberna, sequestratis interim sollicitudinibus bellicis, haud minore cura prouinciarū fortunis multa conducentia disponebat, diligenter obseruans ne quem tributorum sarcina prægrauaret, neve potentia premeret aliena, aut hi versarētur in medio quorum patrimonia publicæ clades augebant, vel iudicum F quisquam ab æquitate deuiaret impune. Idque ea re leui labore correxit, quod ipse iurgia dirimens, vbi caussarum cogebat magnitudo vel personarum, erat indeclinabilis iustorum, iniustorumque distinctor. Et licet multa sint eius laudanda in huiusmodi controuersiis, vnum tamen sufficiet poni, ad cuius similitudinem acta vel dicta sunt. Numerium, Narbonensis paulo ante rectorem, accusatum vt furem, inusitato censorio rigore pro tribunali palam admissis volentibus audiebat: qui G quum infitiatione defenderet obiecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamauit, *Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit vsquam, si negare sufficerit?* Circa quem Iulianus prudenter motus ex tempore, *Ecquis*, ait, *innocēs esse poterit, si accusasse sufficiet?* Et hæc quidem, & huiusmodi multa, ciuilia. Egressurus autem ad procinctum vrgentem, quum Alemannorum pagos aliquos esse reputaret hostiles, & ausuros immania, ni ipse quoque ad ceterorum sternerentur exempla, hærebat anxius qua vi, qua celeritate (quū primum ratio copiam tribuisset) rumore præcurso terras eorum inuaderet repentinus. Sedit tandem multa & varia cogitanti, id tentare, quod vtile probauit euentus. Hariobaudem vacantem tribunum fidei fortitudinisque notæ, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium miserat regem iam pacatum, vt exinde facile ad collimitia progressus eorum, in quos erant arma protinus commouenda, scitari posset quid molirentur, sermonis barbarici perquam gnarus. quo fidenter ad hæc patranda digresso, ipse anni tempore opportuno, ad expeditionem vndique milite conuocato profectus, id inter potissima mature duxit implendum, vt ante prœliorum feruorem ciuitates multo ante excisas introiret, receptasque communiret: horrea quinetiam exstrueret pro incensis, vbi condi posset annona à Britannis sueta transferri. Et vtrumque perfectum est spe omnium citius. nam & horrea veloci opere surrexerunt, alimentorumque in iisdem satis condita: & ciuitates occupatæ sunt septem: Castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimæ, Niuesio, Bonna, Antennacum, & Biogio: vbi læto quodam euentu etiam Florentius præfectus apparuit subito, partem militum ducens, & commeatuum

tuum

tuum perferens copiam sufficientem vsibus longis. Post hæc impetrata, restabat, adigente necessitatum articulo, receptarum vrbium mœnia reparari, nullo etiam tum interturbante: idque claris indiciis apparet, ea tempestate vtilitati publicæ metu barbaros obedisse, non rectoris amore. Romanis reges ex pacto superioris anni, ædificiis habilia multa suis misere carpentis: & auxiliarij milites semper munia spernentes huiusmodi, ad obsequendi sedulitatem Iuliani blanditiis deflexi quinquagenarias longioresque materias vexere ceruicibus ingrauare, & fabricandi ministeriis opem maximam contulerunt. Quæ dum diligenti maturantur effectu, Hariobaudes exploratis omnibus rediit, docuitque comperta. Post cuius aduentum incitatis viribus, omnes venere Mogontiacum. vbi Florentio & Lupicino Seueri successore destinare certantibus, per pontem illic constitutum transiri debere, renitebatur firmissime Cæsar, asserens pacatorum terras non debere calcari, ne (vt sæpe contingit) per inciuilitatem militis occurrentia vastantis, abrupte fœdera frangerentur. Alemanni tamen omnes, quos petebat exercitus confine periculum cogitantes, Suomarium regem amicum nobis ex pactione præterita, monuerunt minaciter, vt à transitu Romanos arceret. Eius enim pagi, Rheni ripis vlterioribus adhærebant. Quo restante solum non posse, in vnum coacta barbarica multitudo venit prope Mogontiacum, prohibitura viribus magnis exercitum ne transmitterent flumen. Gemina itaque ratione visum est habile quod suaserat Cæsar, ne pacatorum terræ corrumperentur, neue renitente pugnacissima gente, pons cum multorum discrimine iungeretur in locum ad compaginandum pontem aptissimum. Quod hostes sollertissime contemplati, per contrarias ripas leniter incedentes, vbi nostros figere tentoria procul cernebant, ipsi quoque noctes agebant exsomnes, custodientes peruigili studio ne transitus tentaretur. Verum quum nostri locum aduentarent prouisum, vallo fossaque quieuere circumdati. & accito Lupicino in consilium, Cæsar certis imperauit tribunis vt trecentenos pararent cum sudibus milites expeditos, quid agi quoue iri deberet penitus ignorantes. Et collecti nocte prouecta, impositique omnes quos lusoriæ naues quadraginta, quæ tunc aderant solæ, ceperunt, decurrere iubentur per flumen adeo taciti vt etiam remi suspenderentur, ne barbaros sonitus excitaret vndarum: atque mentis agilitate & corporum, dum hostes nostrorum ignes obseruant, aduersas perrumpere limitis ripas. Dum hæc celerantur, Hortarius rex, nobis ante fœderatus, non nouaturus quædam, sed amicus finitimis quoque suis, reges omnes & regales & regulos, ad conuiuium corrogatos, retinuit epulis, adusque vigiliam tertiam more gentili extentis: quos discedentes inde, casu nostri ex improuiso adorti, nec interficere, nec corripere vllo modo potuerunt, tenebrarum equorumque adiumento, quo dubius impetus trusit abreptus. Lixas vero vel seruos qui eos pedibus sequebantur, nisi quos exemit discrimine temporis obscuritas, occiderunt. Cognito denique Romanorum transitu, qui tunc perque expeditiones præteritas ibi leuamen sumere laborum opinabantur, vbi hostem contingeret inueniri, perculsi reges eorumque populi, qui pontem, ne strueretur, studio seruabant intento, metu exhorrescentes diffu-

A se vertuntur in pedes: & indomito furore sedato, necessitudines opesque suas transferre longius festinabant. Statimque difficultate omni depulsa, ponte constrato sollicitarum gentium opinione præuenta, visus in barbarico miles, per Hortarij regna transibat intacta. Vbi vero terras infestorum etiam tum tetigit regum, vrens omnia rapiensque, per medium rebellium solum grassabatur intrepidus. Postque sepimenta fragilium penatium in-
B flammata, & obtruncatam hominum multitudinem, visosque cadentes multos aliosque supplicantes, quum ventum fuisset ad regionem cui Capellatij, vel Palas, nomen est, vbi terminales lapides Alemannorum & Burgundorum confinia distinguebant, castra sunt posita: ea propter vt Macrianus & Hariobaudus germani fratres & reges, susciperentur impauidi: qui propinquare sibi perniciem sentientes, venerant pacem anxiis animis precaturi. Post quos statim rex quoque Vadoma-
C rius venit, cuius erat domicilium contra Rauracos: scriptisque Constantij principis, quibus commendatus est, arctius allegatis, leniter susceptus est olim ab Augusto in clientelam rei Romanæ susceptus. Et Macrianus quidem cum fratre inter aquilas admissus & signa, stupebat armorum viriumque varium decus, visa tunc primitus, proque suis orabat. Vadomarius vero nostris coalitus, vtpote vicinus limiti, mirabatur quidem apparatum ambitiosi procinctus, sed vidisse se talia sæpe adules-
D centia meminerat prima. Libratis denique diu consiliis, concordi assensione cunctorum, Macriano quidem & Hariobaudo pax est attributa: Vadomario vero, qui suam locaturus securitatem in tuto, & legationis nomine precator venerat pro Vrio & Vrsicino & Versalpo regibus, pacem itidem obsecrans, interim responderi non poterat, ne (vt sunt fluxioris fidei barbari) post abitum recordati nostrorum, parum adquiescerent per alios impetratis. Sed quum ipsi quoque missis legatis post messes in-
E censas & habitacula, captosque plures & interfectos, ita supplicarent tanquam ipsi hæc deliquissent in nostros, pacem conditionum similitudine meruerunt. Inter quas id festinatum est maxime vt captiuos restituerent omnes, quos rapuerant excursibus crebris. Hæc dum in Galliis cælestis corrigit cura, in comitatu Augusti turbo nouatum exoritur rerum, à primordiis leuibus ad luctus & lamenta progressus. In domo Barbationis, pedestris
F militiæ tunc rectoris, examen apes fecere perspicuum. Superque hoc ei prodigiorum gnaros sollicite consulenti, discrimen magnum portendi responsum est, coniectura videlicet tali, quod hæ volucres post compositas sedes opesque congestas, fumo pelluntur, & turbulento sonitu cymbalorum. Huic vxor erat Assyria nomine, nec taciturna nec prudens: quæ eo ad expeditionem profecto & multiplici metu suspenso, ob ea quæ meminerat sibi prædicta, perculsa vanitate muliebri, ancilla adscita notarum perita, quam è patrimonio
G Siluani possederat, ad maritum scripsit intempestiue, velut flens, obtestansque ne post obitum Constantij propinquantem, in imperium ipse (vt sperabat) admissus, despecta se anteponeret Eusebiæ matrimonium, tunc reginæ, decore corporis inter multas fœminas excellentis. Quibus litteris occulte, quantum fieri potuit, missis ancilla quæ domina dictante perscripserat, reuersis omnibus è procinctu, exemplum ferens ad Arbetionem noctis prima quiete confugit:

auideque suscepta, chartulam prodidit. Hocque indicio ille confisus, vt erat ad criminãdum aptissimus, principi detulit atque ex vsu, nec mora vlla negotio tributa nec quiete, Barbatio epistolam suscepisse confessus, & mulier scripsisse documento conuicta non leui, ceruicibus interiere præcisis. Hisque punitis, quæstiones longe serpebant, vexatique multi nocentes sunt & innocentes. Inter quos etiam Valentinus ex primicerio protectorum tribunus, vt conscius inter complures alios tortus aliquoties, superuixit, penitus quid erat gestum ignorans: ideoque ad iniuriæ periculique compensationem, ducis in Illyrico meruit potestatem. Erat autem idem Barbatio subagrestis arrogantisque propositi, ea re multis exosus, quod & dum domesticos protectores sub Gallo regeret Cæsare, proditor erat & perfidus: & post eius excessum nobilioris militiæ statu elatus, in Iulianum itidem Cæsarem paria confingebat, crebroque, detestantibus bonis, sub Augusti patulis auribus multa garriebat & sæua, ignorans profecto notum Aristotelis sapiens dictum, qui Callisthenem sectatorem & propinquum suum ad regem Alexandrum mittens, ei sæpe mandabat vt quam rarissime & iucunde apud hominem loqueretur, vitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem. Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnumquam & decentia, quorum mentes cognatas cælestibus arbitramur, animalia ratione carentia, salutem suam interdum alto tueri silentio solent, vt exemplum est hoc perquam notum: linquentes orientem grues ob calorem, plagamque petentes occiduam, quum montem penetrare cœperint Taurum aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres, rostra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel necessitas extrema clangorem: iisdemque collibus agiliore volatu transcursis, proiiciunt calculos: atque ita securius pergunt. Dum apud Sirmium hæc diligentia quæruntur impensa, orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat. Rex enim Persidis, ferarum gentium quas placarat adiumentis accinctus, augendique regni cupiditate super homines flagrans, arma viresque parabat & commeatus, consilia tartareis manibus miscens, & præstigiatores omnes consulens de futuris: hisque satis collectis, peruadere cuncta prima verni temperie cogitabat. Et quum hæc primo rumores, deinde nuntii certi perferrent omnesque suspensos aduentantium calamitatum complicaret magna formido, Comitensis fabrica, eamdem incudem (vt dicitur) diu noctuque tundendo ad spadonum arbitrium, Imperatori suspicanti ac timido intendebat Vrsicinum, velut vultus Gorgonei toruitatem, hæc sæpe taliaque replicans, quod interempto Siluano, quasi penuria meliorum ad tuendas partes eoas denuo missus, altius anhelabat. Hac autem assentandi nimia fœditate mercari complures nitebantur Eusebii fauorem, cubiculi tunc præpositi, (apud quem, si vera dici debent, multa Constantius potuit) antedicti magistri equitum salutem acriter impugnãtis ratione bifaria: quod omnium solus nec opis eius egebat, vt ceteri, & domo sua non cederet Antiochiæ, quam molestissime flagitabat: qui vt coluber copia virus exuberans, natorum multitudinem etiam tum ægre serpentem excitans, ad nocendum emittebat cubicularios iam adultos: vt inter ministeria vitæ secretioris, gracilitate vocis semper puerilis & blandæ, apud principis aures

A nimium patulas, existimationẽ viri fortis inuidia graui pulsarent: & breui iussa fecerunt. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri fratrique dissimilis, memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, tamen receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum: quod ni contigisset, quis eorum ferret examina quorum paucitas difficile tolleratur? Actum est tamen

B cautius, ne (vt fingebat) rursus accitus idem Vrsicinus metu cuncta turbaret, sed, quum sors copiam detulisset, raperetur ad mortem. Hæc operientibus illis, & ancipiti cogitatione districtis, nobis apud Samosatam Comageni quondam regni clarissimã sedẽ parumper morantibus, repente noui motus rumoribus densis audiuntur & concretis: quos docebit orationis progrediens textus. Antoninus quidam, ex mercatore opulento ratio-

C narius apparitor, Mesopotamiæ ducis tunc protector, exercitatus & prudens, perque omnes illas notissimus terras, auiditate quorumdam nexus ingentibus damnis, quum iurgando contra potentes se magis magisque iniustitia frangi contemplaretur, ad deferendam potentioribus gratiam qui spectabant negotium, inclinatis, ne contra acumina calcitraret, flexit se in blanditias molliores: confessusque debitum per colludia in nomen fisci translatum, iamque ausurus immania, rimaba-

D tur tectius reipublicæ membra totius: & vtriusque linguæ litteras sciens, circa ratiocinia versabatur, qui vel quarum virium milites vbi agant, vel procinctus tempore quos tuerentur, describens: itidem armorum & commeatuum copiæ, aliaque vsui bello futura, an abunde suppetant, indefessa scitatione percontans. Et quum totius orientis didicisset interna, virorum stipendiique parte maxima per Illyricum distributa, vbi distinebatur ex negotiis seriis Imperator: adlapsuro iam præstituto

E die soluendæ pecuniæ, quam per syngrapham debere se confiteri vi metuque compulsus est, quum omnibus se prospiceret vndique periculis opprimendum, largitionum comite ad alterius gratiam infestius perurgente, fugam ad Persas cum coniuge liberisque & omni vinculo caritatum, ingenti molimine conabatur. Atque vt lateret stationarios milites, fundum in Hiaspide, qui locus Tigridis fluentis alluitur, pretio non magno merca-

F tur. Hocque commento, quum nullus caussam veniendi ad extremas Romani limitis partes, iam possessorem cum plurimis auderet exigere, per familiares fidos peritosque nandi occultis sæpe colloquiis cum Sapore habitis, qui tractus omnes aduersos ducis potestate tunc tuebatur, & antea cognitus, misso a Persicis castris auxilio virorum permensum, lembis impositus, cum omni penatium dulcedine nocte concubia transfretat, re contraria, specie Zopyri illius similis Babylonii pro-

G ditoris. Rebus per Mesopotamiam in hunc statum deductis, palatina cohors palinodiam in exitium concinens nostrum, inuenit tamdem ausam nocendi fortissimo viro, auctore & incitatore cœtu spadonũ: qui feri & auidi semper, carentesque necessitudinibus ceteris, diuitias solas vt filiolas iucundissimas amplectuntur. Stetitque sententia vt Sabinianus, vietus quidem senex & bene nummatus, sed imbellis & ignauus, & ab impetranda magisterii dignitate per obscuritatem adhuc lõge discretus, præficiendus eois partibus mitteretur,

Vrsici-

Vrsicinus vero curaturus pedestrem militiam, & successurus Barbationi ad comitatum reuerteretur, quo præscius rerum nouarum auidus concitor, (vt iactabant) à grauibus inimicis & metuendis incesseretur. Dum hæc in castris Constantij quasi per lustra aguntur & scenam, & diribitores venumdatæ subito potestatis pretium per potiores diffunditant domos, Antoninus ad regis hibernaperductus, auenter suscipitur: apicis nobilitatis auctoritate: (quo honore participantur mensæ regales; & meritorum apud Persas ad suadendum ferendasque sententias in concionibus ora panduntur) non contis nec remulco, (vt aiunt) id est, non flexilo quis ambagibus, vel obscuris, sed velificatione plena in rempub. ferebatur: eundemque incitans regem, vt quondam Maharbal lenitudinis increpans Annibalem, posse eum vincere, sed victoria vti nescire, assidue prædicabat. eductus enim in medio, vt rerum omnium gnárus, auditorum nactus vigiles sensus & aurium delimenta captantes, nec laudantium, sed secundum Homéricos Phæacas cum silentio admirantium, iam inde quadragesimi anni memoriam replicabat; post bellorum assiduos casus, & maxime apud Hileiam & Singaram, vbi acerrima illa nocturna concertatione, pugnatum est, nostrorum copiis ingenti strage confossis, quasi dirimente quodam medio fetiali, Persas nondum Edessam, nec pontes Euphratis tetigisse victores: quos armipotentia fretos successibusque magnificis, ita dilatasse decuerat rem, eo maxime tempore quo diuturnis bellorum ciuilium motibus sanguis vtrimque Romani roboris fundebatur. His ac talibus subinde inter epulas sobrius perfuga, vbi de apparatu bellorum & seriis rebus apud eos Graiorum more veterum consultatur, regem incendebat ardentem, vt exacta hieme statim arma fretus fortunæ suæ magnitudine concitaret, ipse quoque in multis ac necessariis operam suam fidenter promittens. Sub iisdem fere diebus Sabinianus adepta repentina potestate sufflatus, & Ciliciæ fines ingressus, decessori suo principis litteras dedit, hortantis vt ad comitatum dignitate afficiendus superiore citius properaret: eo necessitatum articulo quo, etiamsi apud Thulen moraretur Vrsicinus, acciri eum magnitudo rerum ratione probabili flagitabat: vtpote disciplinæ veteris, & longo vsu bellandi artis Persicæ scientissimum. Quo rumore prouinciis perciτis, ordines ciuitatum & populi decretis & acclamationibus densis, iniecta manu detinebant penes se publicum defensorem: memores quod relictus ad sui tutelam, cum inerti & vmbratili milite, nihil amiserat per decennium, simul metuentes saluti, quod tempore dubio, remoto illo, aduenisse hominem compererant inertissimú. Credimus (neq; enim dubium est) per aërios tramites famam præpetem volitare: cuius indicio hæc gesta pandente, consiliorum apud Persas summa præponebatur: & multis vltro citroque deliberatis, placuit, Antonino suadente, vt Vrsicino procul amoto, despectoque nouello duce, posthabitis ciuitatum perniciosis obsidiis, perrumperetur Euphrates, iteturque prorsus, vt occupari possint prouinciæ: fama celeritate præuenta, omnibus ante bellis (nisi temporibus Gallieni) intactæ; paceque longissima locupletes: cuius rei, prosperante Deo, ductorem commodissimum fore spondebat. Laudato firmatoque concordi omnium voluntate consilio, conuersisque

A vniuersis ad ea quę erant citius congerenda, commeatus, milites, arma, ceteraque instrumenta quæ poscebat procinctus aduentans, perpetua hieme parabantur. Nos interea paulisper cis Taurum morati, ex imperso ad partes Italiæ venientes, festinantes prope flumen venimus Hebrum, ex Odrysarum montibus decurrentem: ibique principis scripta suscepimus, iubentia omni caussatione posthabita reuerti Mesopotamiam sine apparitio**B** ne, nullam expeditionem curaturi periculosam ad alium omni potestate translata. quod ideo per molestos formatores imperij struebatur, vt si Persæ frustra habiti redissent ad sua, ducis noui facinus assignaretur egregium: si fortuna sequior ingruisset, Vrsicinus reus proditor reipublicę deferretur. Agitati ita sine rationibus, diu cunctati reuersique fastidij plenum Sabinianú inuenimus, hominem mediocris staturæ, & parui angustique animi, vix sine turpi metu sufficientem ad leuem conuiuij, **C** nedum prœlij strepitum perferendum: tamen quoniam speculatores apparatus omnes apud hostes feruere constanti adseueratione perfugis concinentibus affirmabant, oscitante homunculo Nisibin prope venimus, vtilia paraturi, ne dissimulantes obsidium Persæ, ciuitati superuenirent incautæ. Dumque intra muros maturanda perurgentur, fumus micantesque ignes assidui a Tigride per castra Maurorum, & Sisara & conlimitia reliqua, adusque ciuitatem continui perlucebant solito crebriores, erupisse hostium vastatorias manus su**D** perato flumine permonstrantes. Qua caussa ne occuparentur itinera, celeri cursu prægressi, quum ad secundum lapidem venissemus, liberali forma puerum torquatum, vt coniectabamus, octennem in aggeris medio vidimus eiulantem, ingenui cuiusdam filium, vt aiebat: quem mater dum imminentium hostium terrore percita fugeret, impeditior trepidando reliquerat solum. Hunc dum imperatu ducis miserati commotique, impositum equo præ me ferens ad ciuitatem reduco, circum**E** uallato murorum ambitu, prædatores latius vagabantur. Et quia me obsidionales ærumnæ terrebant, intra semiclausam posticam exposito puero, nostrorum agmen agilitate volucri repetebam exanimis: nec multum fuit quin caperer. Nam quum Abdigidum quemdam tribunum fugientem cum calone ala sequeretur hostilis, lapsoque per fugam domino seruum deprehensum, quum ego rapido ictu transirem, interrogassent, quisnā **F** præfectus sit iudex, audissentque Vrsicinum paulo ante vrbem ingressum, montem Izalam petere, occiso indice minimum quæsiti, complures nos irrequietis cursibus sectabantur. Quos quum iumenti agilitate prægressus, apud Amudum munimentum infirmum dispersis per pabulum equis recubantes nostros securius inuenissem, porrecto extensius brachio, & summitatibus sagi contortis elatius, adesse hostes signo solito demonstrabam: iisdemque iunctus, impe**G** tu communi ferebar, equo iam fatiscente. Terrebat autem nos plenilunium noctis, & planicies supina camporum, nulla, si occupasset arctior casus, latibula præbere sufficiens, vbi nec arbores, nec frutecta, nec quidquam præter herbas humiles visebatur. Excogitatum est ergo, vt ardente superposita lampade, & circumligata, ne rueret, iumentum solum quod eam vehebat, solutū sine rectore lęuorsus ire permitteretur, quū nos ad montanos excessus dextera positos téderemus;

A vt prælucere sebalem facem duci lenius gradienti
Persæ credentes, cum tenerent potissimũ cursum:
quod nisi fuisset præinsum, circumuenti & capti
sub ditionem venissemus hostilem. Hoc extracti
periculo, quum ad nemorosum quemdam locum
vineis arbustisque pomiferis consitum, Meiacari-
re nomine, venissemus, cui fontes dedere vocabu-
lum gelidi, lapsis accolis omnibus, solum in re
moto secessu latentem inuenimus militem. Qui
B oblatus duci, & loquutus varia præ timore, ideo-
que suspectus, adigente metu qui intentabatur,
pandit rerum integram fidem: docetque quod a-
pud Parisios natus in Galliis, & equestri militans
turma, vindictam quondam commissi facinoris
timens, ad Persas abierat profugus: exindeque mo
rum probitate spectata, sortita coniuge liberisque
susceptis, speculatorem se missum ad nostra,
sæpe veros nuntios reportasse. at nunc se à Sapore
& Nohodare optimatibus missum, qui cateruas
C ductauerant prædatorum, ad eos redire quæ didi-
cerat perlaturum. Post hæc, adiectis quæ agi in
parte diuersa norat, occiditur. Proinde curarum
crescente sollicitudine, inde passibus citis Ami-
dam pro temporis copia venimus, ciuitatem po-
stea sequutis cladibus inclytam. Quo reuersis ex-
ploratoribus nostris, in vaginæ internis figuris
notarum membranam reperimus scriptam à Pro-
copio ad nos perferri mandatam, quem legatum
ad Persas antea missum cum comite Lucilliano,
D prædixi, hæc consulto obscurius indicantem, ne
captis baiulis, sensuque intellecto scriptorum, ex-
citaretur materia funestissima: *Amandatis procul
Græcorum legatis, forsitan & necandis, rex longæuus
non contentus Hellesponto, iunctis Granici & Rhyn-
daci pontibus, Asiam cum numerosis populis perua-
surus adueniet, suopte ingenio irritabilis & asperri-
mus, auctore & incensore Hadriani quondam Roma
ni principis successore actum & conclamatum est, ni
caueris Græcia.* Qui textus significabat Persarum
E regem, transitis fluminibus Anzaba & Tigride,
Antonino hortante dominium orientis affectare
totius. His ob perplexitatem nimiam ægerrime
lectis, consilium suscipitur prudens. Erat eo tem-
pore satrapa Corduenæ, quæ obtemperabat pote-
stati Persarum, Iouinianus nomine appellatus in
solo Romano adolescens, nobiscum occulte sen-
tiens, ea gratia quod obsidatus sorte in Syria de-
tentus, & dulcedine liberalium studiorum ille-
ctus, remeare ad nostra ardenti desiderio gestie-
F bat. Ad hunc missus ego cum centurione quodam
fidissimo, exploratius noscendi gratia quæ gere-
bantur, per auios montes angustiasque præcipi-
tes veni. Visusque & agnitus, comiterque susce-
ptus caussam præsentiæ meæ vni illi confessus, ad-
iuncto taciturno aliquo locorum perito, mittor
ad præcelsas rupes exinde longe distantes: vnde
nisi oculorum deficeret acies, ad quinquagesi-
mum vsque lapidem, quoduis etiam minutissi-
mum apparebat. Ibi morati integrum biduum,
G quum sol tertius affulsisset, cernebamus terrarum
omnes ambitus subiectos, quos horizontas
appellamus, agminibus oppletos innumeris, &
antegressum regem vestis claritudine rutilantem.
Quem iuxta læuus incedebat Grumbates Chioni-
tarum rex ætate quidem media, rugosisque mem-
bris, sed mente quadam grandifica, multisque vi-
ctoriarum insignibus nobilis: dextera rex Alba-
norum pari loco atque honore sublimis: post, du-
ces varij auctoritate & potestatibus eminentes:

quos ordinum omnium multitudo sequebatur,
ex vicinarum gentium roboribus lecta, ad tole-
randam rerum asperitatem diuturnis casibus eru-
dita. Quousque nobis Doriscum Thraciæ oppi-
dum, & agminatim intra consepta exercitus re-
censitos Græcia fabulosa narrabis? quum nos cau
ti, vel (vt verius dixerim) timidi, nihil exaggere-
mus, præter ea quæ fidei testimonia neque dubia
neque incerta monstrarunt. Postquam reges Ni-
neue Adiabenæ ingenti ciuitate transmissa, in me
dio pontis Anzabæ hostiis cæsis extisque prospe-
rantibus transiere lætissimi, coniectantes nos re-
siduam plebem omnem ægre penetrare post tri-
duum posse, citius exinde ad satrapen reuersi quie
uimus, hospitalibus officiis recreati. Vnde per lo-
ca itidem deserta & sola, magno necessitatis du-
cente solatio, celerius quam potuit sperari reuersi,
confirmauimus animos hæsitantium, vnum è na-
ualibus pontem transisse reges absque vlla circui-
tione perdoctos. Extemplo igitur equites citi mit-
tuntur ad Cassianum Mesopotamiæ ducem, recto-
remque prouinciæ tunc Euphronium, compul-
suri agrestes cum familiis & pecoribus vniuersis
ad tutiora transire, & agiliter deseri Carras oppi-
dum inualidis circumdatum muris, super his cam
pos omnes incendi, ne pabulorum suppeteret co-
pia: & imperatis sine mora completis, iniecto i-
gne, furentis elementi vis maxima, frumenta om-
nia, quum iam stipula flauenti turgerent, herbas-
que pubentes ita contorruit, vt adusque Euphra-
tem ab ipsis marginibus Tigridis nihil viride cer-
neretur. Tunc exustæ sunt feræ complures, maxi-
meque leones per ea loca sæuientes, immaniter
consumi vel cæcari sueti paullatim hoc modo: In-
ter harundineta Mesopotamiæ fluminum & fru-
tecta, leones vagantur innumeri, clementia hie-
mis ibi mollissimæ semper innocui. At vbi so-
lis radiis exarserit tempus, in regionibus æstu am
bustis, vapore sideris & magnitudine culicum agi
tantur, quorum examinibus per eas terras referta
sunt omnia. Et quoniam oculos, quasi humida &
lucentia membra, eædem appetunt volucres, pal-
pebrarum libramentis mordicus insidẽtes, iidem
leones cruciati diutius, aut fluminibus mersi sor-
bentur, ad quæ remedij caussa confugiunt, aut a-
missis oculis, quos vnguibus crebro lacerantes ef
fodiunt, immanius efferescunt: quod ni fieret, vni
uersus oriens huiusmodi bestiis abundaret. Dum
campi cremantur, (vt dictum est) tribuni cum pro
tectoribus missi, citeriores ripas Euphratis castel-
lis & præacutis sudibus, omnique præsidiorum
genere communiebant, tormenta, qua non erat
voraginosum, locis opportunis aptantes. Dum
hęc celerantur, Sabinianus inter rapienda momẽ-
ta periculorum communium lectissimus mode-
rator belli interneciui, per Edessena sepulcra, qua-
si fundata cum mortuis pace nihil formidans, mo
re vitæ remissioris fluxius agẽs, militari pyrrichio
sonantibus modulis, pro histrionicis gestibus in
silentio summo delectabatur, ominoso sane &
incepto loco. Quum hæc & huiusmodi facta
dictaque tristia futuros pronuntiant motus, vi-
tare optimum quemque debere seculi progres-
sione discamus. Interea reges Nisibi pro statio-
ne vili transmissa, incendiis arida nutrimento-
rum varietate crescentibus, fugitantes inopiam
pabuli, sub montium pedibus per valles grami-
neas incedebant. Quúque Bebasen villá venissent
vnde ad Constantiam vsque opidum, quod cen-
tesimo

tesimo lapide disparatur, arescunt omnia siti perpetua, nisi quod in puteis aqua reperitur exilis, quid agerent diu contati, iamque suorum duritiæ fiducia transituri, exploratore fido docête, cognoscunt Euphratem niuibus tabefactis inflatum, late fusis gurgitibus euagari; ideoque vado nequaquam posse transiri. Conuertũtur ergo ad ea quæ amplectenda fortuita daret occasio, spe concepta præter opinionem excussi. Ac proposito pro abrupto rerum præsentium statu vrgenti consilio, Antoninus dicere quid sentiat iussus, orditur, flecti iter suadens in dexterum latus, vt per longiorem circuitum, omnium rerum vsu regionem feracium, & consideratione ea qua rectus pergeret hostis adhuc intactarum, castra duo præsidiaria Barzala & Laudias peterentur sese ductante: vbi tenuis fluuius prope originem & angustus, nullisque adhuc aquis aduenis adolescens, facile pene trari poterit vt vadosus. His auditis, laudatoque suasore & iusso ducere qua norat, agmina cuncta ab instituto itinere conuersa per auium sequebãtur. Quo certis speculationibus cognito, nos disposuimus properare Samosata, vt superato exinde flumine, pontiumque apud Zeugma & Capersana iuncturis abscisis, hostiles impetus, si iuuisset fors vlla, repelleremus. Sed contigit atrox & silentio omni dedecus obruendum. Namque duarum turmarum equites circiter septingenti ad subsidium Mesopotamiæ recens ex Illyrico missi enerues & timidi, præsidium per eos traductus agentes, nocturnasque pauentes insidias, ab aggeribus publicis vesperi, quando custodiri magis omnes tramites conueniret, longius discedebant. Hocque obseruato, eos vino oppressos & somno, viginti millia fere Persarum, Sapore & Nohodare ductantibus, nullo prospiciente trãsgressa, post tumulos celsos vicinos Amidæ occultabantur armata. Moxque (vt dictum est) quum abituri Samosatam luce etiam tum dubia pergeremus, ab alta quadam specula radiantium armorum splendore præstricti, hostesque adesse excitatius clamitantes, signo dato quod ad prœlium solet hortari, restitimus conglobati, nec fugam capessere, quũ essent iam in conruitu qui sectarentur, nec congredi cum hoste, equitatu & numero præualente, metu indubitatæ mortis cautum existimantes. Denique ex vltima necessitate manibus iam conserendis, quum quid agi oporteat cunctaremur, occiduntur quidam nostrorum temere procursantes: & vrgente vtraque parte, Antoninus ambitiose prægrediens agmina, ab Vrsicino agnitus, & obiurgatorio sono vocis increpitus, proditorque & nefarius appellatus, sublata tiara quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiluit equo: curuatisque membris humum vultu pene contingens, salutauit, patronum appellans & dominum, manus post tergum connectens: quod apud Assyrios supplicis indicat formam: &, *Ignosce mihi, inquit, amplissime comes, necessitate non voluntate ad hæc quæ noui scelesta prolapso. Egere me præcipitem flagitatores, (vt nosti) quorum auaritiæ ne tua quidem excelsa illa fortuna propugnans, miseriis meis potuit refragari.* Simul hæc dicens, è medio prospectu abscessit non auersus, sed, dum euanesceret, verecunde retrogradiens & pectus ostentans. Quæ dum in curriculo semihoræ aguntur, postsignani nostri qui tenebant editiora collis, exclamant, aliam cataphractorum multitudinem equitum pone visam celeritate quam maxi-

A ma propinquare. Atque vt in rebus solet afflictis, ambigentes cuinam deberet aut posset occurri, trudente pondere plebis immensæ, passim qua cuique proximum videbatur, diffundimur vniuersi. Dumque se quisque expedire discrimine magno conatur, sparsim disiecti hosti concursatori miscemur. Itaque spreta iam viuendi cupiditate fortiter decernentes, ad ripas pellimur Tigridis alte excisas. Vnde quidam præcipites pulsi implicantibus armis hæserunt, vbi vadosus est amnis:
B alij lacunarum hausti vertigine vorabantur: nonnulli cum hoste congressi, vario euentu certabant quidã cuneorum densitate perterriti, petebant proximos Tauri montis excessus. Inter quos dux ipse agnitus, pugnatorumque mole circumdatus, cum Aiadalthe tribuno, caloneque vno, equi celeritate ereptus abscessit. Mihi, dum auius ab itinere comitum quid agerem circumspicio, Verennianus domesticus protector occurrit femur sagitta confixus: quam dum auellere obtestante collega conarer, cinctus vndique antecedentibus Persis, ci-
C uitatem petebam anhelo cursu rependo, ex eo latere quo incessebamur in arduo sitam, vnoque adscensu perangusto meabilem, quem scissis callibus molinæ ad calles artandas ædificatæ densius constringebant. Hic mixti cum Persis eodem ictu procurrentibus ad superiora nobiscum, adusque ortum alterius solis immobiles stetimus, ita conferti vt cæsorum cadauera multitudine fulta, reperire ruendi spatium nusquam possent: vtque miles ante me quidam discriminato capite, quod in æquas partes ictus gladij fiderat validissimus, in
D stipitis modum vndique coartatus hæreret. & licet multiplicia tela per tormentorum omnia genera volarent è propugnaculis, hoc tamen periculo murorum nos propinquitas eximebat: tandemque per posticam ingressus, refertam inueni confluente ex finitimis virili & muliebri sexu. Nam & casu illis ipsis diebus in suburbanis peregrina commercia circumacto anno solita celebrare multitudo conuenarum augebat agrestium. In-
E terea sonitu vario cuncta miscentur, partim amissos gementibus, aliis cum exitio sauciis, multis caritates diuersas, quas præ angustiis videre non poterant, inuocantibus. Hanc ciuitatem olim perquam breuem, Cæsar etiam tum Constantius, vt accolæ suffugium possint habere tutissimum, eo tempore quo Antoninupolim opidum aliud struxit, turribus circumdedit amplis & mœnibus: locatoque ibi conditorio muralium tormentorum fecit hostibus formidatam, suoque nomine voluit appellari. Et latere quidem australi, geniculato Ti-
F gridis meatu subluitur propius emergentis: qua euri opponitur flatibus, Mesopotamiæ plana despectat: vnde aquiloni obnoxia est, Nymphæo amni vicina, verticibus Taurinis vmbratur, gentes Transtigritanas dirimentibus & Armeniam: spiranti zephyro controuersa, Gumathenam contingit, regionem vberem & cultu iuxta fœcundam: in qua vicus est Abarne nomine, sospitalium aquarum lauacris calentibus
G notus. In ipso autem Amidæ meditullio sub arce fons diues exsudat, potabilis quidem, sed vaporatis æstibus nonnumquam fœtens. Cuius opidi præsidio erat semper quinta Parthica legio destinata, cum indigenarum turma non contemnenda. Sed tunc ingruentem Persarum multitudinem sex legiones partim percursis itineribus antegressæ, muris astitere

firmissimis : Magnentiaci & Decentiaci, (quos A post consummatos ciuiles procinctus, vt fallaces & turbidos, ad orientem venire compulit Imperator, vbi nihil praeter bella timetur externa) & Tricesimani, Decimique Fortenses, & Superuentores atque Praeuentores cum Æliano iam comite : quos tyrones tum etiam nouellos hortante memorato adhuc protectore erupisse Singara, Persasque fusos in somnum retulimus trucidasse cōplures. Aderat comitum quoque sagittariorum pars maior, equestres videlicet turmae ita cognominatae, vbi merent omnes ingenui barbari armorum viriumque firmitudine inter alios eminentes. Haec dum primi impetus turbo conatibus agitat inspexatis, rex cum populo suo gentibusque quas ductabat, à Bebase loco itinere flexo dextrorsus, vt monuerat Antoninus, per Horren & Meiacarire & Charcha vt transiturus Amidam, quum prope castella Romana venisset, quorum vnum Reman, alterum Busan appellatur, perfugarum indicio didicit multorum opes illuc translatas seruari, vt in munimentis praecelsis & fidis additumque est, ibi cum supellectili pretiosa inueniri foeminam pulchram cum filia paruula, Craugasij Nisibeni cuiusdam vxorem, municipali ordine, genere, fama, potentiaque circumspecti. A-uiditate itaque rapiendi aliena festinans, petit impetu fidenti castella. vnde subita animi consternatione defensores, armorum varietate praestricti, cunctos prodidere qui ad praesidia confugerant, & digredi iussis, confestim claues obtulere portarum : patefactisque aditibus, quidquid ibi congestum erat, eruitur : & productae sunt attonitae sonitu mulieres, & infantes matribus implicari, graues aerumnas inter initia tenerioris aetatis experti. B Quumque rex percontando cuiusnam coniux esset, Craugasij competisset, vim in se metuentem prope venire permisit intrepidam : & visam opertamque, absque labra ipsa, atro velamine, certiore iam spe mariti recipiendi & pudoris inuiolati mansuri, benignius confirmauit. Audiens enim coniugem miro eius amore flagrare, hoc praemio Nisibenam se proditione mercari posse arbitrabatur. C Inuentas tamen alias quoque virgines, Christiano ritu, cultui diuino sacratas, custodiri intactas, & religiosi seruire solito more, nullo vetante praecepit : lenitudinem profecto in tempore simulans, vt omnes quos ante hac diritate crudelitateque terrebat, sponte sua, metu remoto venirent, exemplis recentibus docti, humanitate eum & moribus iam placidis magnitudinem temperasse fortunae.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
DECIMVSNONVS.

HOc miserae nostrorum captiuitatis euentu D laetus successusque opperiens similes, egressus exinde paulatimque incedens, Amidam die tertio venit. Quumque primum aurora surgeret, vniuersa quae videri poterant, armis stellantibus coruscabant, ac ferreus equitatus campos oppleuit & colles. Insidens autem equo, ante alios celsior ipse praeibat agminibus cunctis, aureum capitis arietini figmentum interstinctum lapillis pro diademate gestans, multiplici vertice dignitarum & gentium diuersarum comitatu sublimis. E Satisque eum constabat colloquio tenus defensores moenium tentaturum, aliorsum Antonini cōsilio festinantem. Verum caeleste numen, vt Romanae rei totius aerumnas intra vnius regionis concluderet ambitum, adegerat in immensum se extollentem, credentemque quod viso statim obsessi omnes, metu exanimati, supplices venirent in preces. Portis obequitabat, comitante cohorte regali, F qui dum se prope confidentius inferit, vt etiam vultus eius posset aperte cognosci, sagittis missilibusque ceteris ob decora petitus insignia corruisset, ni puluere iaculantium adimente conspectum, parte indumenti tragulae ictu discissa, eliturus postea strages innumeras euasisset. Hinc quasi in sacrilegos violati saeuiens templi, temeratumque tot regum & gentium dominum praedicans, eruendae vrbis apparatu nisibus magnis instabat : & orantibus potissimis ducibus ne profusus in iram à gloriosis desisceret coeptis, lenissima eorum petitione placatus, postridie quoque super deditione moneri decreuerat defensores.

Ideoque quum prima lux aduenisset, rex Chionitarum Grumbates fidenter operam nauaturus tēdebat ad moenia cum manu promptissima stipatorum. quem vbi venientem iam telo forte contiguum contemplator peritissimus aduertisset, contorta balista filium eius primae pubis adolescentem, lateri paterno haerentem, thorace cum pectore perforato perfodit, proceritate & decore corporis aequalibus antestantem. Cuius occasu in fugam dilapsi populares eius omnes, moxque, ne raperetur, ratione iusta regressi, numerosas gentes ad arma clamoribus dissonis concitarunt : quarum concursu ritu grandinis hinc inde conuolantibus telis, atrox committitur pugna : & post internecina certamina adusque finem diei protenta, quum iam noctis esset initium, per aceruos caesorum & scaturigines sanguinis aegre defensum caligine tenebrarum extrahitur corpus : vt apud Troiam quondam super comite Thessali ducis exanimi, acies marte acerrimo conflixerunt. Quo funere regia moesta, & optimatibus vniuersis cum parente subita clade perculsis, indicto iustitio iuuenis nobilitate commēdabilis & dilectus, ritu nationis propriae lugebatur. Itaque vt armari solebat elatus, in amplo quodam suggestu locatur & celso : circaq; eum lectuli x. sternuntur, figmēta vehentes hominū mortuorū, ita curate pollincta vt & imagines essent corporibus similes iam sepultis. Ac per dierum spatium septem viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant, saltando & cantando tristia quaedam genera naeniarum regiū iuuenem

uenem lamentantes: fœminæ vero miserabili plāctu in primæuo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant, vt lacrymare cultrices Venereæ sæpe spectantur in solennibus Adonidis sacris, quod simulacrum aliquod esse frugum adultarum religiones mysticæ docent. Post incensum corpus, ossaque in argenteam vrnam contecta, quæ ad gentem humo mandanda portari statuerat pater, agitata summa consiliorum, placuerat busto vrbis subuersæ expiare perempti iuuenis manes: nec enim Grumbates multa vnici pignoris vmbra ire vltra patiebatur. biduoque ad otium dato, ac missis abunde qui pacis modo patentes agros pingues cultosque vastarent, quinquies ordine multiplicato scutorum cingitur ciuitas: ac tertiæ principio, lucis corusci globi turmarum impleuerant cuncta quæ prospectus humanus potuit vndique contueri: & forte loca diuisa clementi gradu incedentes ordines occuparunt. Persæ omnes murorum ambitus obsidebant. Pars quæ orientem spectabat, Chionitis euenit, qua funestus nobis ceciderat adolescens: Vertæ, meridiano lateri sunt destinati: tractum seruabant septemtrionis Albani: occidentali portæ oppositi sunt Segestani, acerrimi omnium bellatores: cum quibus elata in arduum specie elephantorum agmina, rugosis horrenda corporibus, leniter incedebant armatis onusta, vltra omnem diritatem tetri spectaculi formidanda, vt retulimus sæpe. Cernentes populos tam immensos, ad orbis Romani incendium diu quæsitos, in nostrum conuersos exitium, salutis rata desperatione, gloriosos vitæ exitus deinde curabamus, iamque omnibus nobis optatos. A sole itaque orto vsque diei vltimum, acies immobiles stabant vt fixæ, nullo variato vestigio, nec sonitu vel equorum audito hinnitu: eademque figura digressi qua venerant, cibo recreati & somno, quum superesset exiguum noctis, æneatorum clangore ducente, vrbem vt mox casuram terribili corona cinxerunt. Vixque ibi Grumbates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique more coniecerat fetialis, armis exercitus concrepans inuolat in muros: confestimque lacrymabilis belli turba crudescit, rapido turmalium procursu in procinctum alacritate omni tendentium, & contra acri intentaque occursatione nostrorum. Proinde diffractis capitibus multos hostium scorpionum iactu moles saxeæ colliserunt, alij traiecti sagittis, pars confixi tragulis humum corporibus obsternebant vulnerati: alij socios fuga præcipiti repetebant. Nec minores in ciuitate luctus aut mortes, sagittarum creberrima nube auras spissa multitudine obumbrante, tormentorumque machinis, quæ direpta in Singara possederant Persæ, vulnera inferentibus plura. Namque viribus collectis propugnatores, omissa vicissim certamina repetentes, in maximo defendendi ardore saucij perniciose cadebant, aut laniati voluendo stantes proxime subuertebant, aut certe spicula membris infixa viuentes adhuc vellendi peritos quæritabant. Ita strages stragibus implicitas, & ad extremum vsque diei productas ne vespertinæ quidem hebetauerant tenebræ, ea re quod obstinatione vtrimque magna decernebatur. Agitatis itaque sub onere armorum vigiliis, resultabant altrinsecus exortis clamoribus colles: nostris virtutes Constantij Cæsaris extollentibus, vt domini rerum & mundi, Persis Saporem & Achæmenem appellantibus & Artaxer-

A xem, quod *Regibus imperans & bellorum victor* interpretatur. Ac priusquam lux occiperet, signo per lituos dato, ad feruorem similium prœliorum excitæ vndique inæstimabiles copiæ in modum alitum ferebantur: vnde longe & late prospici poterat, campis & conuallibus nihil præter arma micantia feratum gentium demonstrantibus. Moxque clamore sublato, cunctis temere prorumpentibus, telorum vis ingens volabat è moris: vtque opinari dabatur, nulla frustra
B mittebantur inter humanum cadentia densitatem. Tot enim nos circumstantibus malis, non obtinendæ caussa salutis, vt dixi, sed fortiter moriendi studio flagrabamus. & à diei principio adusque lucem obscuram, neutrobi prœlio inclinato, ferocius quam consultius pugnabatur. Exsurgebant enim terrentium clamores, vt præ alacritate consistere sine vulnere quisquam vix posset. Tandemque nox finem cædibus fecit, & satias ærum-
C narum inducias partibus dederat longiores. Vbi enim quiescendi nobis tempus est datum, exiguas quæ supererant vires, continuus cum insomnia labor absumpsit, sanguine & pallente exspirantium facie perterrente, quibus ne suprema quidem humandi solatia tribui sinebant angustiæ spatiorum, intra ciuitatis ambitum non nimium amplæ, legionibus septem & promiscua aduenarum ciuiumque sexus vtriusque plebe, & militibus aliis paucis adusque numerum millium xx. con-
D citis inclusis. Medebatur ergo suis quisque vulneribus pro possibilitate, vel curantium copia: quum quidam grauiter saucij cruore exhausto spiritus reluctantes efflarent: alij confossi mucronibus prostrati in terram, animis in ventum solutis proiiciebantur exstincti: aliquorum foratis vndique membris mederi periti vetabant, ne offensionibus cassis animæ vexarentur afflictæ: nonnulli vellendis sagittis in ancipiti curatione grauiora morte supplicia perferebant. Dum apud Amidam hac
E partium destinatione pugnatur, Vrsicinus mœrens quod ex alterius pendebat arbitrio auctoritatis, tunc in regendo milite potiorem Sabinianum etiam tum sepulchris hærentem, crebro monebat vt compositis velitaribus cunctis, per imos pedes montium occultis itineribus properaretur: quo leuium armorum auxilio, si qua fors iuuisset, stationibus interceptis, nocturnas hostium adgredetentur excubias, quæ ingenti circuitu vallauerant
F muros, aut lacessitionibus crebris occuparent obsidioni fortiter adhærentes. Quibus Sabinianus renitebatur, vt noxiis, palam quidem litteras imperiales prætendens, intacto vbique milite, quidquid geri potuisset, impleri debere aperte iubentes: clam vero corde altissimo retinens, sæpe in comitatu sibi mandatum vt ansam omnem adipiscendæ laudis decessori suo ardenti studio gloriæ circumcideret, etiam ex republica procesforam. adeo vel cum exitio prouinciarum festinabatur,
G ne bellicosus homo memorabilis alicuius facinoris auctor nunciaretur aut socius. Ideoque his attonitus malis, exploratores ad nos sæpe mittendo, licet ob custodias artas nullus facile opidum poterat introire & vtilia agitando complura, nihil proficiens, viscebatur vt leo magnitudine corporis & toruitate terribilis, inclusos intra retia catulos periculo ereptum ire non audens, vnguibus ademptis & dentibus. Sed in ciuitate, vbi spatiorū per vias cadauerum multitudo humandi officia superarēt, pestilentia tot malis

accessit, verminantium corporum lue tabifica, vaporatis æstibus; varioque plebis languore nutrita. quæ genera morborum vnde oriri solent, breuiter explicabo. Nimietatem frigoris aut caloris, vel humoris vel siccitatis, pestilentias gignere, philosophi & illustres medici tradiderunt. Vnde accolentes loca palustria vel humecta, tusses, io oculares casus & similia perferunt: contra confines caloribus, tepore febrium aresCunt. sed quanto ignis materies ceteris efficacior, tāto ad perimēdū celerior siccitas. Hinc quū decennali bello Græcia desudaret, ne peregrinus pœnas dissociati regalis matrimonij lucraretur, huiusmodi grassata pernicie, telis Apollinis periere cōplures, qui Sol æstimatur atque, vt Thucydides exponit; clades illa quæ in Peloponnesiaci belli principiis Atheoienses acerbo genere morbi vexauit, abusque feruenti Æthiopiæ plaga paulatim proserpens, Atticam occupauit. Aliis placet, auras (vt solent aquæ) viriatas fœtore cadauerum, vel similibus, salubritatis violare maximam partem: vel certe aëris permutationem subitam, ægritudines parere leuiores. Affirmaut etiam aliqui, terrarum halitu densiore crassatum aëra, emittendis corporis spiraminibus resistentem necare nonnullos: qua caussa animalia præter homines cetera iugiter prona, Homero auctore, & experimentis deinceps multis, quum talis incesserit labes, ante nouimus interire. & prima species luis *pandemos* appellatur, quæ efficit in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari: secunda, *epidemos*, quæ tempore ingruens aciem hebetat luminum, & concitat periculosos humores: tertia, *læmodes*, quæ itidem temporaria est, sed volucri velocitate letabilis. Hac exitiali peste quassari, paucis intemperati æstu consumptis, quos multitudo angebat, tandem nocte quæ diē consequuta est decimum, exiguis imbribus disiecto concreto spiritu & crassato, sospitas retenta est corporum firma. Verum inter hæc inquies Persa vimineis ciuitatem pluteis circumdabat, & eri gi aggeres cœpti: turresque fabricabantur frontibus ferratis excelsæ; quarum fastigiis balistæ locatæ sunt singulis, vt à propugnaculis propellerent defensores. leuia tamen per funditores & sagittarios prœlia ne puncto quidem cessabant. Erant nobiscum duæ legiones Magnentiacæ recens è Galliis ductæ (vel prædiximus) virorum fortium & pernicium, ad planarios conflictus aptorum, ad eas vero belli artes quibus stringebamur, non modo inhabiles, sed contra nimij turbatores. qui quum neque machinis, neque in operū constructione iuuarent aliquem, stolidius erumpentes dimicantesque fidentissime, minuto numero reuertebant, tantum proficientes quantum in publico (vt aiunt) incendio aqua vnius hominis manu adgesta. Postremo obseratis portis precantibusque tribunis egredi nequeuntes frendebant vt bestiæ. Verum sequutis diebus efficacia eorum eminuit, vt docebimus. In summoto loco partis meridianæ murorum, quæ despectat fluuium Tigrim, turris fuit in sublimitatem exsurgens, sub qua hiabant rupes abscissæ, vt despici sine vertigine horrenda non possent: vnde cauatis fornicibus subterraneis per radices montis, scalæ adusque ciuitatis ducebat planiciem, quo ex amnis alueo hauriretur aquæ furtim, (vt in omnibus per eas regiones munimentis quæ contingunt flumina, vidimus) affabre politæ. per has tenebras ob ditupta neglectas, oppidano transfuga quodam du-

A ctante, qui ad diuersam partem desciuerat, LXX. sagittarij Persæ ex agmine regio, arte fiduciaque præstantes, silentio summoti loci defensi, subito singuli nocte media ad contignationem turris tertiam ascenderunt. ibique occultati, mane sago Punici coloris elato, quod erat subeundæ indicium pugnæ, quum ex omni parte circumueniri vrbem, suis copiis inundantibus aduertissent, exinanitis proiectisque ante pedes pharetris, clamosis vlulatibus incendio tela summa pe-
B ritia dispergebant. moxque acies omnes densæ perrebant multo infestius quam antea ciuitatem. Inter incertos nos & ancipites quibus occurri deberet, instantibus supra, an multitudini transcensu scalarum iam propugnacula ipsa prensanti, diuiditur opera: & translatæ leuiores quinque balistæ contra turrim locantur. quæ ocius lignea tela fundentes, nonnumquam binos forabant: è quibus pars grauiter vulnerati rue-
C bant, alij machinarum metu stridentium præcipites acti, laniatis corporibus interibant. Quibus hac celeritate confectis, relatisque ad loca sueta tormentis, paulo securius mœnia omnium concursu defendebantur. Et quoniam augebat curas militum scelestum facinus perfugæ, quasi decurrentes in planum, ita iaculantes diuersa missilia lacertis fortibus incumbebant, vt Vertæ in meridiem degentes, vulnerum acri repulsa disiecti, lacrymantes complurium mortes, ten-
D toria repeterent metu. Adspirauit autem quamdam salutis fortuna, innoxio die cum hostili clade emenso: cuius reliquo tempore ad quietem reficiendis corporibus dato, posterae lucis initio ex arce innumeram cernimus plebem, quæ Ziata capto castello ad hosticum ducebatur. ad quem locum, vt capacissimum & munitum (spatio quippe x. stadiorum ambitur) promiscua confugerat multitudo. Nam etiam alia munimenta
E iisdem diebus capta sunt & incensa, vnde hominum millia extracta complura seruituri sequebantur: inter quos multi senecta infirmi, & mulieres iam grandæuæ, quum ex variis deficerent caussis, itineris longinquitate offensæ, abiecta viuendi cupiditate, suris vel suffraginibus relinquebantur excisis. Has miserabiles turmas Galli milites contuentes, rationabili quidem sed intempestiuo motu, conferendæ cum hostibus manus copiam sibi dari poscebant, mortem tribunis vetantibus primisque ordinibus minitantes, si
F deinceps prohiberent, vtque dentatæ in caueis bestiæ, tetro pedore acerbius efferatæ, euadendi spe repagulis versabilibus illiduntur: ita gladiis portas cædebant, quas supra diximus obseratas, admodum anxij ne vrbe excisa ipsi quoque sine vllo specioso facinore delerentur, aut exuti periculis, nihil egisse operæ pretium pro magnanimitate Gallica memorentur: licet antea
G sæpe egressi, structoresque aggerum confossis quibusdam impedire conati, paria pertulerunt. Inopes nos consilij, & quid opponi deberet sæuientibus ambigentes, id potissimum ægre iisdem adsentientibus, tandem elegimus, vt quoniam vltra ferri non poterant, paulisper morati, custodias aggredi permitterentur hostiles, quæ non procul erant à coniectu locatæ telorum, vt cis perruptis pergerent prorsus. apparebat enim, eos, si impetrassent, strages maximas edituros. Quæ dum parantur, per varia certaminum genera defensabantur acriter muri, laboribus, &

vigi-

vigiliis, & tormentis ad mittenda vndique saxa
telaque dispositis. duo tamen aggeres celsi Persa-
rum peditum manu erecti, & expugnatio ciuita-
tis struebatur operibus lentis. cõtra quos nostro-
rum quoque impensiore cura moles excitaban-
tur altissimæ, fastigio aduersæ celsitudinis æqua-
tæ, propugnatorum vel nimia pondera duraturæ.
Inter hæc Galli moratum impatientes, securibus
gladiisque succincti, patefacta sunt egressi postí-
ca, obseruata nocte squalida & interluni, orantes
cæleste præsidium vt propitium adesset & libens:
atque ipsum spiritum reprimentes, quum prope
venissent, cõferti valido cursu quibusdam statio-
nariis interfectis, exteriores castrorum vigiles, vt
in nullo tali metu sopitos obtruncantes, superue-
nire ipsi regi, si prosperior illuxisset euentus, oc-
culte meditabantur. Verum audito ruentium so-
nitu, gemituque cæsorum discusso somno, exci-
tatis multis, & ad arma pro se quoque clamitan-
te, steterunt milites vestigiis fixis, progredi vltra
non ausi: nec enim cautum deinde, expergefactis
quos petebant insidiæ, in apertum properare di-
scrimen. Quum iam vndique fremdentium cater-
uæ Persarum in prœlia venirent accensæ, contra
Galli corporum robore audaciaque quoad pote-
rant inconcussis gladiis secantes aduersos, parte
suorum strata vel sagittarum vndique volantium
crebritate confixa, quum vnum in locum totam
periculi molem conuersam, & currentium ho-
stium agmina aduentasse, nullo terga vertente
euadere testimabant: & velut repedantes sub mo-
dulis sensim extra vallum protrusi, quum mani-
pulos confertius inuadentes sustinere non pos-
sent, tubarum perciti clangore castrensium disce-
debant: & retaliantibus e ciuitate lituis multis,
portæ panduntur receptura nostros, si peruenire
illuc vsque valuissent: tormentorumque machinę
stridebant sine iaculatione vlla telorum, vt statio-
nibus præsidentes, post interemptos socios pone
agerentur, ignari vrbis oppositi mœnibus nuda-
tis vt viri fortes, susciperentur innoxii. Hacque
arte Galli portam prope confinia lucis introiere
minuto numero, quidam perniciose, pars leuiter
vulnerati, quadringentis ea nocte desideratis: qui
non Rhesum nec cubitantes pro muris Iliacis
Thracas, sed Persarum regem armatorum c mili-
bus circumspectum, ni obstitisset violentior ca-
sus, in ipsis tentoriis obtruncârant. Horum cam-
piductoribus, vt fortium factorum antesignanis,
post ciuitatis excidiũ armatas statuas apud Edes-
sam in regione celebri locari iusserat Imperator,
quæ ad præsens seruantur intactæ. Retectis se-
quenti luce funeribus, quum inter cæsorum
cadauera optimates inuenirentur & satrapæ, cla-
mores dissoni fortunã aliam, alibi cũ lacrymis in-
dicabãt, luctus vbiq; & indignatio regũ audieba-
tur, arbitrantium per stationes muris obiectas ir-
rupisse Romanos: induciisque ob hoc tridui datis
adsensu cõmuni, nos quoque spatiũ ad respirãdũ
accepimus. Perculsæ deinde nouitate rei efferatæ-
que gentes, omissa omni cunctatione, operibus,
quoniam vis minime procedebat, decernere iam
censebant: & concito extremo belli ardore, om-
nes oppetere gloriose iam properabant, aut rui-
na vrbis animis litare cæsorum: iamque appara-
tu cunctorum alacritate perfecto, exsiliente luci-
fero, operum variæ species cum turribus ferra-
tis admouebantur: quorum in verticibus cel-
sis aptatæ balistæ, propugnatores agitantes hu-

A milios disiectabant. Et albescente iam die ferrea
munimenta membrorum cælum omne subtexe-
runt: densatæque acies non inordinatim, vt antea,
sed tubarum sonitu leni ductante nullis procur-
santibus incedebant, machinarum opertæ tegmi-
nibus, cratesque vimineas prætendentes. Quum-
que propinquantes ad coniectum venere telorũ,
oppositis scutis Persæ pedites sagittas tormentis
excussas è muris ęgrius euitantes, laxarunt aciem:
B nulloque pene iaculi genere in vanum cadẽte, et-
iam cataphracti hebetati & cedentes, animos au-
xere nostrorum. Tamen quia hostiles balistæ fer-
ratis impositæ turribus, in humiliora ex supernis
valentes, vt loco dispari, ita euentu dissimili, no-
stra multo cruore fœdabant: ingruente iã vespera
quum requiescerent partes, noctis spatium maius
consumptum est vt excogitari posset quid exitio
ita atroci obiectaretur. Et tamdem multa versan-
tibus sedit nobis consilium, quod tutius celeritas
C fecit, quatuor iisdem balistis scorpiones opponi.
Qui dum translati è regione caute, quod artis est
difficillimæ, collocantur, lux nobis aduenit mœ-
stissima, Persarum manipulos formidatos osten-
tans, adiectis elephantorum agminibus, quorum
stridore immanitateque corporum, nihil huma-
næ mentes terribilius cernunt. Quumque omni
ex latere armorum & operum belluarumque mo-
libus vrgeremur, per scorpionum ferreas fundas
è propugnaculis subinde rotundi lapides acti, dis-
D solutis turrium coagmentis, balistas earumque
tortores ita fudere præcipites, vt quidã citra vul-
nerum noxas, alij obtriti magnitudine ponderum
interirent: elephantis vi magna propulsis, quos
flammis coniectis vndique circum nexos, iã cor-
poribus tactis, gradientesque retrorsus, retinere
magistri non poterant. postque exustis operibus,
nulla quies certaminibus data. Rex enim ipse
Persarum, qui numquam adesse certaminibus co-
gitur, his turbinum infortuniis percitus, nouo &
E nusquam antea cognito more, prœliatoris militis
ritu prosiluit in confertos: & quia conspectior te-
gentium multitudine procul speculantibus vise-
batur, petitus crebritate telorum multis stipato-
ribus stratis abscessit, alternãs regibiles acies: & ad
extremum diei, nec morientium truci visu, nec
vulnerum territus, tamdem tempus exiguum
tribui quieti permisit. Verum nocte prœlia diri-
mente: somno per breue otium capto, nitescentę
F iam luce ad poriunda sperata ira & dolore exun-
dans, nec fas vllum præ oculis habiturus, gentes
in nos excitabat. Quumque crematis operibus, vt
docueram, pugna per aggeres celsos muris pro-
ximos tentaretur, ex aggestis erectis intrinsecus,
quantum facere vtique poterant, nostri æquis
viribus per ardua resistebant. Et diu cruentum
prœlium stetit. nec metu mortis quisquam ex ali-
qua parte à studio propugnandi remouebatur.
Eoque producta cõtentione, quum sors partium
euentu regeretur indeclinabili, diu laborata mo-
G les illa nostrorum velut terræ quodam tremore
quassata procubuit: & tamquam itinerario agge-
re vel superposito ponte complanatum spatium,
quod inter murum congestamque forinsecus
struem hiabat, patefecit hostibus transitum, nul-
lis obicibus impeditum: & pars pleraque militũ
deiectorum oppressa vel debilitata, cessabat. Con-
cursum est tamen vndiq; ad propulsationem
periculi tam abrupti: & festinandi studio aliis ir-
retientibus alios, audacia hostium ipso successu

crescebat. Accitis igitur regis imperio prædatoribus vniuersis, strictoque comminus ferro, quum sanguis vtrobique nimiis cædibus funderetur, repletæ sunt corporibus fossæ, latiórque via inde pandebatur: & concursu copiarum ardentium ciuitate oppleta, quum omnis defendendi vel fugiendi spes esset abscissa, pecorum ritu armati & imbelles sine sexus discrimine truncabantur. Itaque vespera tenebrante, quum adhuc, licet iniqua reluctante fortuna, multitudo nostrorum manu conserta distringeretur, in abstrusa quadam parte opidi cum duobus aliis latens obscuræ præsidio noctis, postica per quam nihil seruabatur euado: & squalentium peritia locorum comitumque adiutus celeritate ad decimum lapidem tandem perueni: in qua statione lenius recreati, quum ire protinus pergeremus, & incedendi nimietate iam superarer vt insuetus ingenuus, offendi dirum aspectu, sed fatigato mihi lassitudine graui leuamen impendio tempestiuum. Fugaci equo nudo & infreni calonum quidam sedens, ne labi possit, ex more habenam qua ductabatur, sinistra manu artius illigauit: moxq; decussus, vinculi nodum abrumpere nequiens, per auia saltusque membratim discerptus, iumentum exhaustum cursu, pondere cadaueris detinebat: cuius dorsualis comprehensi seruitio vsus in tempore, cum iisdem sociis ad fontes sulphureos aquarum suapte natura calentium ægre perueni. Et quia per æstum arida siti teptantes aquam diu quæritando, profundum pene vidimus puteum, & neque descendendi pro altitudine nec restium aderat copia, necessitate docente postrema, indumenta lintea quibus tegebamur in oblongos discidimus pannulos: vnde explicato fune ingenti, cento etiam quem sub galea vnus ferebat è nostris, vltimæ aptauimus summitati: qui per funem coniectus aquasque hauriens ad peniculi modum, facile sitim qua vrebamur exstinxit. Vnde citi ferebamur ad flumen Euphraten, vlteriorem ripam petituri per nauem quam transfretandi caussa iumenta & homines, in eo tractu diuturna consuetudo locarat. Ecce autem Romanum agmen cum equestribus signis disiectum eminus cernimus; quod persequebatur multitudo Persarum, incertum vnde impetu tam repentino terga viantum aggressa. Quo exemplo terrigenas illos, non finibus terræ emersos, sed exuberanti pernicitate credimus natos: qui quoniam inopini per varia visebantur, *Sparti* vocitati, humo exsiluisse, vetustate vt cetera fabulosius extollente, sunt æstimati. Hoc malo conciti, quum omne iam esset in celeritate salutis præsidium, per dumeta & siluas montes petimus celsiores: exindeque Melitinam minoris Armeniæ opidum venimus: nos, repertum ducem comitati iam profecturum, Antiochiam reuisimus. Interea Sapor & Persæ, quia tendere iam introrsus autumno præcipiti hædorumque sidere exorto prohibebantur, captiuos agentes & prædas, remeare cogitabant ad sua. Inter hæc tamen funera direptionesque ciuitatis excisæ, Æliano comite & tribunis, quorum efficacia diu defensa sunt mœnia, stragesque multiplicatæ Persarum, patibulis sceleste suffixis, Iacobus & Cæsius numerarij apparitionis magistri equitum, aliique protectores, post terga vinctis manibus ducebantur, Transtigritanis, qui sollicita quærebantur industria, nullo infimi summique discrimine ad v-

A num omnibus contruncatis. Vxor vero Craugasij, quæ retinens pudorem inuiolatum, vt matrona nobilis colebatur, mœrebat velut orbem aliũ sine marito visura, quamquam sperabat documentis præsentibus altiora. In rem itaque consulens suam, & accidentia longe ante prospiciens, anxietate bifaria stringebatur, viduitatem detestans & nuptias. Ideo familiarem suum perquam fidũ, regionumque Mesopotamiæ gnarum, per Zagiũ B montem inter castella præsidiaria duo Miride & Lorne, introiturum Nisibin occulte dimisit, mandatis arcanisque vitæ secretioris maritum exorans vt auditis quæ contigerint, veniret secũ beate victurus. Quibus contentus expeditus viator, per saltuosos tramites & frutecta Nisibin passibus citis ingressus; caussatusque se dominam nusquam visam, & forsitan interemptam, data euadendi copia castris hostilibus abscessisse, & ideo vt vilis neglectus, docet Craugasium gesta: moxque C accepta fide quod, si tuto licuerit, sequetur coniugem, liber euasit, exoptatum mulieri nuntium ferens. Quæ hoc cognito, per Saporem ducem supplicauerat regi, vt si daretur facultas, antequã Romanis excederet finibus, in potestatem suam iuberet propius maritum adsciscit. Præter spem itaque omnium digresso aduena repentino, qui postliminio reuersus statim sine vllius euanuit conscientia, perculsus suspicione dux Cassianus, præsidentesque ibi proceres alij, minitantes vltima Craugasium incessebant, non sine eius voluntate D vel venisse vel abisse hominem clamitantes. Qui vero, proditoris metuens crimen, impendioque sollicitus ne transitione perfugæ vxor eius superesse doceretur, & tractari piissime, per simulationem matrimonium alterius splendidæ virginis affectauit: & velut paraturus necessaria conuiuio nuptiali, egressus ad villam octauo lapide ab vrbe distantem, concito cursu ad Persarum vastatorium globum quem didicerat aduentare, confugit: susceptúsque libenter, qui esset ex his cognitus E quæ loquebatur; Sapori post diem traditur quintum, pérque eum regi, ablatis opibus & necessitudine omni recuperata cum coniuge, quam paucos per menses amiserat, secũdi loci post Antoninum, vt ait poëta præclarus, longo proximus interuallo. Ille enim, ingenio & vsu rerum diuturno firmatus, consiliis validis sufficiebat in cũcta quæ conabatur: hic, natura simplicior, nominis tamẽ itidem peruulgati. Et hæc quidem haud F diu postea contigerunt. Rex vero, licet securitatem referens vultu exsultansque specie tenus vrbis excidio videbatur, profundo tamen animo grauiter æstuabat, reputans in obsidionalibus malis sæpe luctuosas se pertulisse iacturas, multoque ampliores seipsum populos perdidisse, quã è nostris ceperat viuos, vel certe per diuersas fuderat pugnas, vt apud Nisibin aliquoties euenit & Singara: parique modo quum LXX tresque dies Amidam multitudine circumsedisset armatorũ, G XXX millia perdidit bellatorũ, quæ paulo postea per Discenem tribunum & notarium numerata sunt hac discretione facilius, quod nostrorum cadauera mox cæsorum fatiscunt & defluunt, adeo vt nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur: interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora, vt nec liquentibus membris nec sanie perfusa madescant: quod vita parcior facit, & vbi nascuntur exustæ caloribus terræ. Dum hæc per varios turbines in orientis

extimo festinantur, difficultatem aduentantis i-
nopiæ frumentorum vrbs verebatur æterna: vi-
que minacissimæ plebis, saniem vltimum malo-
rum omnium exspectantis, subinde Tertullus
vexabatur ea tempestate præfectus, irrationabiliter
plane: nec enim per eum steterat quominus tem-
pore congruo alimenta nauibus veherentur; quas
maris catus asperioris solito, ventorumque pro-
cellæ reflantium, delatas in proximos sinus in-
troire portum Augusti discriminum magnitu-
dine perterrebant. Quocirca idem sæpe præfectus
seditionibus agitatus, ac plebe iam sæuiente im-
manius quam vrebat impendens exitium, ab o-
mni spe tuendæ salutis exclusus, vt existimabat,
tumultuanti acriter populo, sed accidentia consi-
derare sueto prudenter, obiecit paruulos filios: &
lacrymans, *En, inquit, ciues vestri, (procul omen
dij cælestes auertant) eadem perlaturi vobiscum, ni
fortuna adfulserit lætior. Si itaque his abolitis, ni-
hil triste accidere posse existimatis, præsto in potesta-
te sum vestra.* Qua miseratione vulgus ad clemen-
tiam suapte natura procliue, lenitum conticuit,
æquanimiter venturam opperiens sortem. Mox-
que diuini arbitrio numinis, quod auxit ab incu-
nabulis Romam, perpetuamque fore respondit,
dum Tertullus apud Ostiam in æde sacrificat Ca-
storum, tranquillitas mare molliuit: mutatoque
in austrum placidum vento, velificatione plena
portum naues ingressæ, frumentis horrea referse-
runt. Inter hæc ita ambiguum Constantium, Sir-
mij etiam tum hiberna quiete curantem, permo-
uebant nuntij metuendi & graues; indicantes id
quod tunc magnopere formidabat, Limigantes
Sarmatas, quos expulisse paternis auitisque sedi-
bus dominos suos ante monstrauimus, paulatim
posthabitis locis, quæ eis anno præterito vtiliter
sunt destinata, ne (vt sunt versabiles) aliquid moli-
rentur, regiones confines limitibus occupasse; va-
garique licentius, genuino more, ni pellerentur,
omnia turbaturos. Quæ superbius incitanda pro-
pediem Imperator dilato negotio credens, coacta
vndique multitudine militis ad bella promptissi-
mi, nec dum adulto vere ad procinctum egressus
est, gemina consideratione alacrior: quod exple-
tus prædarum opimitate exercitus, æstate nuper
emensa, simili in spe fidenter in effectus anima-
batur prosperos: quodque Anatolio regente tunc
per Illyricum præfecturam, necessaria cuncta,
vel ante tempus coacta, sine vllius dispendiis af-
fluebant. nec enim dispositionibus vmquam alte-
rius præfecturæ (vt inter omnes constat) ad præ-
sens arctoæ prouinciæ bonis omnibus floruerunt,
correctione titubantium beneuola & solerti, ve-
hiculariæ rei iacturis ingentibus, quæ clausere
domus innumeras; & censuali professione specio-
sa fiducia releuatæ: indemnésque deinde & inno-
xij earum incolæ partium, querelarum sopitis
marcetis viuerent; ni postea exquisitorum dete-
standa nomina titulorum, per offerentes susci-
pientesque criminosè in maius exaggerata, his
propagari sibi nitentibus potestates, illis attenua-
tis omnium opibus se fore sperantibus tutos, ad-
usque proscriptiones miserorumque suspendia
peruenerant. Rem igitur emendaturus vrgen-
tem, profectus cum instrumentis ambitiosus Im-
perator, (vt dictum est) Valeriam venit, partem
quondam Pannoniæ, sed ad honorem Valeriæ
Diocletiani filiæ, & institutam & ita cognomi-
natam: sub pellibusque exercitu diffuso, per Istri

A fluminis margines barbaros obseruabat, ante ad-
uentum suum amicitiæ velamento Pannoniam
furtim vastandam inuadere hiemia durissimo co-
gitantes, quum necdum solutæ vernis caloribus
niues amnem vndique peruium faciunt, nostri-
que pruinis subdiuales moras difficile tolerabant.
Confestim itaque missis ad Limigantes duobus
tribunis cum interpretibus singulis, explorabat
modestius percontando, quamobrem relictis la-
B ribus, post pacem & fœdera petentibus attributis,
ita palarentur varij, limitesque contra interdicta
pulsarent. Qui vana quædam causantes & irrita,
pauore adigente mentiri, principem exorabant
veniam obsecrantes, vt simultate abolita, trans-
misso flumine ad eum venire permitterentur, do-
cturi quæ sustinerent incommoda; paratique in-
tra spatia orbis Romani, si id placuerit, terras sus-
cipere longe discretas; vt diuturno otio inuoluti,
& quietem colentes tamquam salutarem deam,
C tributariorum onera subirent & nomen. His post
reditum tribunorum compertis, Imperator exsul-
tans, vt negotio quod rebatur inexplicabile, sine
vllo puluere consummando, cunctos admisit, cu-
piditate plus habendi incensus: quam adulato-
rum cohors augebat, id sine modo strepentium,
quod externis sopitis, & vbique pace composita,
proletarios lucrabitur plures, & tirocinia cogere
poterit validissima; aurum quippe gratanter pro-
uinciales corporibus dabunt: quæ spes rem Ro-
manam aliquoties aggrauauit. Proinde vallo
D prope Acumincum locatu, celsoque aggere in
speciem tribunalis erecto; naues vehentes quos-
dam legionarios expeditos, alueum fluminis pro-
ximum ripis obseruare sunt iussæ, cum Innocen-
tio quodam agrimensore huius auctore consilij:
vt si barbaros tumultuare sensissent aliorsum in-
tentos post terga peruaderent. Improuisique Li-
migantes, licet properari sentirent, nihil tamen
præceps fingentes, stabant incurui, longe alia
quam quæ gestu præferebant & verbis, altis men-
E tibus perpensantes. Visóque Imperatore ex alto
suggestu iam sermonem parante lenissimum, me-
ditanteque adloqui velut morigeros iam futuros,
quidam ex illis furore percitus truci, calceo suo
in tribunal contorto, *marha marha*, quod est si-
gnum apud eos bellicum, exclamauit. Eumque
sequuta incondita multitudo, vexillo elato re-
pente Barbarico, vlulans ferum, in ipsum princi-
pem ferebatur. Qui quum ex alto despiciens ple-
na omnia discurrentis turbæ cum missilibus vi-
F disset, retectisque gladiis & verutis iam propin-
quam perniciem, externis mixtus & suis, ignotus-
que dux esset an miles, quia neque cunctandi ad-
erat tempus neque cessandi, equo veloci imposi-
tus cursu effuso euasit. Stipatores tamen pauci,
dum ignis more inundantes conabantur arcere,
interierunt, ponderibus superruentium solis ad-
flicti: sellaque regalis cum aureo puluinari, nullo
vetante direpta est. Mox autem audito quod vlti-
mum pene tractus in exitium, in abrupto staret
G adhuc Imperator, antiquissimum omnium exer-
citus ratus eum iuuare, (nondum enim exem-
ptum periculis existimauit) salutis fastu fidentior,
licet ob procursionem subitam semitectus, sono-
rum & martium frendens, barbarorum mori ob-
stinatorum cateruis semet immersit. Et quia vir-
tute dedecus purgatura ardens copia nostrorum
erupit, iras in hostem perfidum parans, obuia
quæque obtruncabat sine parcimonia viuos con-

culcans & feminecces ac peremptos:& antequam exsatiaret cædibus barbaricis manus, acerui constipati sunt mortuorum. Vrgebantur enim rebelles,aliis trucidatis,aliis terrore disiectis: quorum pars spem vitæ cassis precibus vsurpando, multiplicatis ictibus cædebantur. Postque deletos omnes,receptum canentibus lituis,nostri quoque, licet rari videbantur exanimes; quos impetus conculcauerat vehemens, aut furori resistentes hostili, lateraque nudantes incœpta: ordo fatalis absumpsit. Mors tamen eminuit inter alios Cellæ scutatiorum tribuni; qui inter confligendi exordia primum omnium in medios Sarmatarum globos se immisit. Post quæ tã sæua, digestis pro securitate quæ limitum rationes monebant vrgentes, Constantius Sirmium redit ferens de hoste fallaci vindictã: & maturatis quæ necessitates temporis poscebant instantes, egressus exinde Constantinopolim petit: vt oriẽti iam proximus, cladibus apud Amidam mederetur acceptis; & reintegrato supplementis exercitu, impetus regis Persarum pari virium robore cohiberet: quem, constabat (ni cælestis ratio impensiórque repelleret cura multorum) Mẽsopotamia relicta post terga, per extenta spacia signa moturum. Inter has tamen sollicitudines, velut ex recepto quodam antiquitus more, ad vicem bellorum ciuilium inflabant litui quædam colorata læsæ crimina maiestatis: quorum exsequutor & administer sæpe dicendus ille notarius, missus est, Paulus: qui peritus artium cruentarum, vt lanista ex commerciis libitinæ vel ludi, ipse quoque ex equuleo vel carnifice quæstum fructumque captabat. Vt enim erat obstinatũ fixumq; eius propositum ad lædendum, ita nec furtis abstinuit, innocentibus exitiales caussas adfingens, dum in calamitosis stipendiis versaretur. Materiam autem in infinitum quæstionibus extentis dedit occasio vilis & parua. Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema. Hic Besæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat, priscis circumiacentium regionum ceremoniis solitum coli. Et quoniam quidam præsentes, pars per alios desideriorum indice missa, scriptura, supplicationibus expresse conceptis consulta numinum scitabantur, chartulæ seu membranæ, continentes quæ petebantur, post data quoque responsa, interdum remanebant in fano. Ex his aliqua ad imperatorem maligne sunt missa: qui vt erat angusti pectoris, obsurdescens in aliis etiam nimiũ seriis in hoc titulo ima (quod aiunt) auricula mollior & suspicax, & munitus acri felle concaluit. Statimque ad orientem ocius ire monuit Paulum, potestate delata, vt instar ducis rerum experientia clari, ad arbitrium suum auditi efficeret caussas. Datumque est negotium Modesto etiam tum per orientem comiti, apto ad hæc & similia. Hermogenes enim Ponticus, ea tempestate præfectus prætorio, vt lenioris ingenij spernebatur. Perrexit vt præceptum est Paulus, funesti furoris & anhelitus plenus: dataque calumniæ indulgentia, plurimi ducebantur ab orbe prope terrarum iuxta nobiles & obscuri: quorum aliquos vincenlorum adstrixerunt nexus, alios claustra pœnalia consumpserunt. Et electa est spectatrix suppliciorum feralium ciuitas in Palæstina Scythopolis, gemina ratione visa magis omnibus opportuna, quod secretior, & inter Antiochiam Alexandriamque media, vnde multi plerumque ad crimina

A trahebantur. Ductus est itaque inter primos Simplicius Philippi filius ex præfecto & consule, reus hac gratia postulatus, quod super adipiscendo interrogasse dicebatur imperio: perque elogium principis torqueri præceptus, qui in his casibus nec peccatum aliquãdo pietati dederat nec erratum, fato quodam arcente corpore immaculato fuga damnatus est. Dein Parnasius ex præfecto AEgypti, homo simplicium morum, eo de- B ductus periculi vt pronuntiaretur capitis reos, itidẽ pulsus est in exilium; sæpe auditus multo antehac rettulisse quod, quum Patras Achaicum oppidum, vbi genitus habuit larem, impetrandæ caussa cuiusdam relinqueret potestatis, per quietem deducentia se habitus tragici figmenta viderat multa. Andronicus post, à studiis liberalibus & claritudine carminum notus, in iudicium introductus, quum secura mente nullis suspicionibus vrgeretur, purgando semper & fidentius ab- C solutus est. Demetrius item Cythras cognomento philosophus, grandæuus quidem, sed corpore duratus & animo, sacrificasse aliquoties confutatus infitiari non potuit, adserens propitiandi caussa numinis hæc à prima adolescentia factitasse, non tentandi sublimiora scrutatus: nec enim quemquam id nouerat adfectare. Diu itaque adhærens eculeo, quum fiducia graui fundatus, nequaquam varians, eadem oraret intrepidus, Alexandriam, vnde oriebatur, innoxius abire permissus est. Et D hos quidem aliosque paucos æqua sors, veritatis adiutrix, periculis exemit abruptis: criminibus vero serpentibus latius per implicatos nexus sine fine distentos, quidam corporibus laniatis exstinguebantur, alij pœnis vlterioribus damnati sunt bonis ereptis, Paulo succentore fabularum crudelium, quas è promptuaria cella fallaciarum extulit nocendi specie, egitque complures: cuius ex nutu (prope dixerim) pendebat incedentium omnium salus. Nam siqui remedia quartanæ vel E doloris alterius collo gestaret, siue per monumentum transisse vespere maleuolorum argueretur indiciis, vt veneficus, sepulcrorumque horrores, & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capitis interibat. & prorsus ita res agebatur, quasi Clarum, Dodoneas arbores, & effata Delphorum olim sollennia, in Imperatoris exitium sollicitauerint multi: vnde blanditiarum tetra commenta palatina cohors exquisitè confingens, immunem eum fore malo- F rum communium adferebat; fatum eius ingens semper & præsens in abolendis aduersa conantibus eluxisse, vocibus magnis exclamans. Et inquisitum in hæc negotia fortius, nemo, qui quidem rectè sapiat, reprehendit. Nec enim abnuimus, *salutem legitimi principis*, propugnatoris bonorum & defensoris, vnde salus quæritur aliis, consociato studio muniri debere cunctorum: cuius redimendæ caussa validius, vbi maiestas pulsata G defenditur, à quæstionibus vel cruentis, nullam Corneliæ leges exemere fortunam. Sed *exsultare mæstis casibus* effrenate, non decet, ne videantur licentia regi subiecti, non potestate. Imitandus sit Tullius, quum parcere vel lædere potuisset, (vt ipse adfirmat) ignoscendi quærens caussas, non puniendi occasiones: quod iudicis lenti & considerati est proprium. Tunc apud Daphnen, amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum, visu relatuque horrendum natum est monstrum, infans ore gemino, cum dentibus binis & barba,

barba, quatuorque oculis, & breuissimis duabus auriculis: qui partus ita distortus, præmonebat rempublicam in statum verti deformem. Nascuntur huiuscemodi sæpe portenta, indicantia tetrum variatum euentus: quæ quoniam non expiantur (vt apud veteres) publice, inaudita prætereunt & incognita. His temporibus Isauri diu quieti, post gesta quæ superior continet textus, tentatumque Seleuciæ ciuitates obsidium, paulatim reuiuiscentes, (vt solent verno tempore foueis exsilire serpentes) saltibus degressi scrupulo-

A sis & inuiis, confertique in cuneos densos, per furta & latrocinia finitimos adflictabant, & eo prætenturas militum, vt montani, fallentes, perque rupes & dumeta ex vsu facile discurrentes. Ad quos vi vel ratione sedandos Lauritius adiecta comitis dignitate missus est rector, homo ciuilis prudentiæ, qui minis potius quam acerbitate pleraque correxit: adeo vt eo diu prouinciam obtinente, nihil accideret quod animaduersione dignum æstimaretur.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVS.

HÆC per Illyricum perque orientem rerum series fuit. Consulatu vero Constantij decies, terque Iuliani, in Britanniis quum Scotorum Pictorumque gentium ferarum excursu, rupta quiete, condicta loca limitibus vicina vastarentur, & implicaret formido prouincias præteritarum cladium congerie fessas, hiemem agens apud Parisios Cæsar, distractusque in sollicitudines varias, verebatur ire subsidio transmarinis, vt retulimus ante fecisse Constantium; ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alemannis ad sæuitiam etiam tum incitatis & bella. Mittere igitur ad hæc loca ad rationes componendas Lupicinum placuit, ea tempestate magistrum armorum, bellicosum sane & castrensis rei peritum, sed supercilia erigentem vt cornua, & de tragico (quod aiuot) cothurno strepentem: super quo diu ambigebatur, auarus esset potius an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Herulis scilicet & Batauis, numerisque Mœsiacorum pluribus, adulta hieme dux antedictus Bononiam venit: quæsitisque nauigiis, & omni imposito milite, obseruato flatu secundo ventorum, ad Rutupias sitas ex aduerso defertur, petitque Lundinium; vt exinde suscepto pro rei qualitate consilio, festinaret ocius ad procinctum. Quæ quum ita geruntur, post Amidæ oppugnationem in Vrsicinum ad commilitium principis & peditum magisterium reuersum (successisse enim eum Barbationi prædiximus) obtrectatores excipiunt: primo disseminantes mordaces susurros, dein propalam ficta crimina subnectentes. Quibus Imperator adsensus, ex opinione pleraque æstimans & insidiantibus patens, Arbetionem & Florentium officiorum magistrum quæsitores dederat, spectaturos quas ob res opidum sit excisum. Quibus apertas probabilesque refutantibus caussas, veritique ne offenderetur Eusebius cubiculi tunc præpositus, si documenta suscepissent perspicue demonstrantia, Sabiniani pertinaci ignauia hæc accidisse quæ contigerunt: à veritate detorti, inania quædam longeque à negotio distantia scrutabantur. Qua iniquitate percitus qui audiebat, *Etsi me*, inquit, *despicit Imperator, negotii est tamen magnitudo, vt non nisi iudicio principis nosci possit & vindicari. sciat tamen velut quodam præsagio, quod dum mæret super his quæ apud Amidam gesta emendata didicit fide, dumque ad spadonum arbitrium trahitur, defen-*

B *sanda Mesopotamia proximo vere ne ipse quidem cum exercitus robore omni opitulari poterit præsens.* Relatis adiectisque cum interpretatione maligna compluribus, iratus vltra modum Constantius, nec discusso negotio, nec patefieri quæ scientiam eius latebant permissis, adpetitum calumniis, deposita militia digredi iussit ad otium, Agilone ad eius locum immodico saltu promoto ex gentilium scutariorum tribuno. Eodem tempore per C Eoos tractus cælum subtextum caligine cernebatur obscura, & à primo auroræ exortu vsque ad meridiem intermicabant iugiter stellæ. Hisque terroribus accedebat quod quum lux cælestis operiretur, è mundi conspectu penitus luce abrepta, defecisse diutius solem pauidæ mentes hominum æstimabant: primo attenuatum in lunæ corniculantis effigiem, deinde in speciem auctum semestrem, postcaque in integrum restitutum: D quod alias non euenit ita perspicue, nisi quum post inæquales cursus intermenstruum lunæ ad idem reuocatur initium certis temporum interuallis: id est, quum domicilio eiusdem signi tota reperitur luna sub sole liniamentis obiecta rectissimis, atque in his paulisper consistit minutis, quas geometrica ratio partiũ partes appellat. Ac licet vtriusque sideris conuersiones & motus, vt scrutatores caussarum intelligibilium aduerterant, in vnum eumdemque finem lunari cursu impleto, perenni distinctione conueniunt: ta- E men sol non semper his diebus obducitur: sed quum luna è regione velut libramento quodam igneo orbi & aspectui nostro opponitur media ad summam, tum sol occultatur splendore suppresso, quum ipse & lunaris globus, astrorum omnium infimus, parili comitatu obtinentes circulos proprios, saluaque ratione altitudinis interiectæ iunctim locati, vt scienter & decore Ptolemeus exponit, ad dimẽsiones venerint, quos ἀναβιβάζοντας & καταβιβάζοντας ἐκλειπτικοὺς συνδέσμους F coagmenta videlicet defectiua, Græco dictitant sermone. Et si contigua iisdem iuncturis præstrinxerint spatia, dilutior erit defectus: si vero articulis ipsis inhæserint, qui coactius adscensus, vinciunt & descensus, offunditur densioribus tenebris cælum, vt crassato aëre, ne proxima quidẽ & apposita cernere queamus. Sol autem geminus ita videri existimatur, si erecta celsius solito nubes æternorumque ignium propinquitate collu-

cens, orbis alterius claritudinem tamquam è speculo putiore formauerit. Nunc veniamus ad lunam. Apertum & euidentem ita demum sustinet luna defectum, quum pleno lumine rotunda, solique contrària, ab eius orbe centum octoginta partibus, id est signo septimo, disparatur. Et quamquam huc per omne plenilunium semper eueniat, non semper deficit tamen. sed quoniam circa terrenā mobilitatem locata, & à cælo totius pulchritudinis extima, nonnumquam ferienti se subserit luci, obiectu metæ noctis in conum desinentis angustum, latet parumper, vmbratumq; nigrantibus inuoluitur globis, si sol sphæræ inferioris curuamine circumfusus, mole obsistente terrena, radiis eam suis illustrare non possit: quam numquam habere proprium lumen, opiniones variæ collegerunt. Et quum ad idem signum æquis partibus soli concurrerit, obscuratur (vt dictum est) penitus hebetato candore; *ubi* Græce *σύνοδος* dicitur. Nasci autem putatur, quum parua declinatione velut à perpendiculo super erectum gerit solem. Exortus vero eius adhuc gracilescēs primitus mortalitati videtur, quum ad secundum relicto sole migrauerit signum. Progressa itaque porrectius, iamque abunde nitens cornutæ habitu, *μηνοειδὴς* est appellata: quum autem sole longo cœperit instertitio summoueri, & ad quintum peruenit signum, radiis eius ad se conuersis, maius concipit lumen; & fit Græco sermone *διχόμηνος*: quæ forma semiorbem ostendit. Procedens deinde iam disiunctissimoque signo accepto, figuram mōstrat *ἀμφίκυρτον*, vtrimque prominentibus gibbis. E regione vero quum normaliter steterit, contra lumine pleno fulgebit, domicilium septimi retinens signi. & in eodem tum etiam agens paululumque progressa, minuitur: quem habitum vocamus *πανσέληνον*: atque easdem formas repetit senescendo: traditurque doctrina multiplici congruente, nonnisi tempore intermenstrui deficere visam vsquam lunam. Quod autem solem nunc in æthere, nunc in mundo inferiore cursare prædiximus, sciendum est siderea corpora, quantum ad vniuersitatem pertinet, nec occidere nec oriri: sed ita videri nostris obtutibus constitutis in terra, spiritus cuiusdam interni motu suspensa, rerumque magnitudini instar exigui subdita puncti, nunc cælo infixas suspicere stellas, quarum ordo est sempiternus; aliquoties humana visione languente, discedere suis sedibus arbitrari. Verum ad instituta iam reuertamur. Properantem Constantium orienti ferre suppetias turbando propediem excursibus Persicis, vt perfugæ concinentes exploratoribus indicabant, vrebant Iuliani virtutes, quas per ora gentium diuersarum fama celebrior effundebat, magnorum eius laborum factorumque vehens adoreas celsas, post Alemanniæ quædam regna prostrata, receptaque opida Gallicana ante direpta à barbaris & excisa, quos tributarios ipse fecit & vectigales. Ob hæc & similia percitus, metuensque ne augerentur in maius, stimulante (vt ferebatur) prefecto Florentio, Decentium tribunum & notarium misit, auxiliares exinde protinus abstracturum Herulos & Batauos, cumque Petulantibus Celtas, & lectos ex numeris aliis trecentenos, hac specie iussos accelerare, vt adesse possint armis primo vere mouendis in Parthos. Et super auxiliariis quidem & trecentenis cogendis ocius proficisci Lupicinus conuentus est solus, transisse ad Britannias nondum com-

A pertus: de scutariis autem & gentilibus excerpere quemque promptissimum, & ipse perducere Sintula iubetur, Cæsaris stabuli tunc tribunus. Conticuit, hisque adquieuerat Iulianus, potioris arbitrio cuncta concedens. Illud tamen nec dissimulare potuit nec silere, vt illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus transrheuanis, sub hoc venerant pacto, ne ducerentur ad partes vmquam transalpinas: verendum esse affirmans, ne

B voluntarij barbari militares, sæpe sub eiusmodi legibus adsueti transire ad nostra, hoc cognito deinceps arcerentur. Sed loquebatur incassum. Tribunus enim, parui querelas Cæsaris ducens, Augusti iussis obtemperabat. & lecta expeditiore manu, vigore corporumque leuitate præstanti, cum iisdem profectus est, ipse potiorum erectus. Et quia sollicitus Cæsar quid de residuis mitti præceptis agi deberet, perque varias curas animum versans, attente negotium tractari oportere

C censebat, quum hinc barbara feritas, inde iussorum vrgeret auctoritas, maximeque absentiā magistri equitum faciente dubietatem; redire ad se præfectum hortatus est olim Viennam specie annonæ parandæ digressum, vt se militari eximeret turba. Perpendebat enim ad relationem suam, quam olim putabatur misisse, abstrahendos à Galliarum defensione pugnaces numeros: barbarisque iam formidatos. Qui quum suscepisset Cæsaris litteras, monentis petentisque vt venire accelerarer, rempublicam consiliis iuuaturus, obstina-

D tissime detrectabat: ea ratione pauore mente confusa, quod aperte scripta significabant, ab Imperatore nusquam disiungi debere præfectum in ardore terribilium rerum: adiectumque est, quod si procurare dissimulasset, ipse propria sponte proiiceret insignia principatus; gloriosum esse existimans iussa morte oppetere quam prouinciarum interitum sibi assignari. Sed vicit præfecti propositum pertinax, his quæ rationabiliter poscebantur, parere contentione maxima reluctantis.

E Inter hos tamen moras absentis Lupicini, motusque militares timentis præfecti, Iulianus consiliorum adminiculo destitutus, ancipitique sententia fluctuans, id optimum factu existimans, via solenni cunctos ex stationibus egressos, in quibus hiemabant, maturare disposuit. Hocque comperto, apud Petulantium signa famosum quidam libellum humi proiecit occulte, inter alia multa etiam id continentem; *Nos quidem ad orbis terrarum extrema vt noxij pellimur & damnati:*

F *caritates vero nostræ Alemannis denuo seruient, quas captiuitate prima post internecinas liberauimus pugnas.* Quo textu ad comitatum perlato lectoque, Iulianus contemplans rationabiles querelas, cum familiis eos ad orientem proficisci præcepit, clauularis cursus facultate permissa: & quum ambigeretur diutius qua pergerent via, placuit notario suggerente Decentio, per Parisios homines transire; vbi morabatur adhuc Cæsar nusquàm motus. Et ita factum est. Iisdemque ad-

G uentantibus in suburbanis princeps occurrit, ex more laudans quos agnoscebat: factorumque fortium singulos mouens, animabat lenibus verbis vt ad Augustum alacri gradu pergerent, vbi potestas & amplepatens & larga, præmia laborum adepturi dignissima. Vtque honoratius procul abituros tractaret, ad conuiuium proceribus corrogatis, petere iure si quid in promptu esset edixit. Qui liberaliter ita suscepti, dolore duplici,

suspensi

suspensi discesserunt & mœsti, quod eos fortuna quædam inclemens & moderato rectore & terris genitalibus dispararet. Hocque angore implicati, in statiua solita recesserant. nocte vero cœptante, in apertum erupere dissidium: incitatisq; animis, vt quemque insperata res adflictabat, ad tela conuertuntur & manus: fremituque ingenti omnes petiuerunt palatium; & spatiis eius ambitis, ne ad euadendi copiam quisquam perueniret, Augustum Iulianum horrendis clamoribus concrepabant eum ad se prodire festinatius adigentes: expectareque coacti dum lux promicaret, tandem progredi compulerunt. Quo viso iterata magnitudine soni Augustum appellauere consentione firmissima. & ille mente fundata vniuersis resistebat & singulis; nunc indignari semet ostendens, nunc manus tendens, oransque & obsecrans ne post multas felicissimasque victorias agatur aliquid indecorum, neue intempestiua temeritas & prolapsio, discordiarum materias excitaret. Hæcque adiiciebat tandem sedatos leniter adloquutus, *Cesset ira quæso, paulisper: absque dissensione vel rerum appetitu nouarum, impetrabitur facile quod postulatis: quoniam dulcedo vos patriæ retinet, & insueta peregrinaque metuitis loca, redite iam nunc ad sedes, nihil visuri, quia displicet transalpinum. hocque apud Augustum capacem rationis & prudentissimum, ego competenti satisfactione purgabo.* Conclamabatur post hæc ex omni parte, nihilominus vno parique ardore nitentibus vniuersis: maximoque contentionis fragore, probro & conuitiis mixto, Cæsar adsentire coactus est. Impositusque scuto pedestri, & sublatius eminens, populo silente Augustus renuntiatus, iubebatur diadema proferre: negásque vmquam se habuisse, vxoris colli vel capitis poscebatur. Eoque adfirmante, primis auspiciis non congruere aptari mulíebri mundo, equi phalera quærebatur; vti coronatus speciem saltem obscuram superioris prætenderet potestatis. Sed quum id quoque turpe esse adseueraret, Maurus nomine quidam, postea comes, qui rem male gessit apud Succorum angustias speculantium, tunc hastatus, abstractum sibi torquem, quo vt draconarius vtebatur, capiti Iuliani imposuit confidenter. qui trusus ad necessitatem extremam, iamque periculum præsens vitare non posse aduertens, si renisus perseuerasset, quinos omnibus aureos argentique singula pondo promisit. Hisque gestis haud minore quam antea cura constrictus, futuraque celeri prouidens corde, nec diadema gestauit, nec procedere ausus est vsquam, nec agere seria quæ nimis vrgebant. Sed quum ad latebras secessisset occultas, accidentium varietate perterritus Iulianus, aliquis palatii decurio, qui ordo est dignitatis, pleniore gradu signa Petulantium ingressus atque Celtarum, facinus indignum turbulente exclamat, pridie Augustum eorum arbitrio declaratum clam interemptum. Hocque comperito, milites quos ignota pari sollicitudine mouebant & nota, pars crispantes missilia, alii minitantes nudatis gladiis, diuerso vagoque (vt in repentino solet) excursu occupauere velociter regiam: strepituque immani excubitores perculsi & tribuni, & domesticorum comes Excubitor nomine, veritique versabilem perfidiam militis, euanuere metu mortis subitæ dispalati. Viso tamen orio summo, quieti stetere paulisper armati: & interrogati quæ caussa esset inconsulti motus & repe-

A rini, diu tacendo hæsitantes super salute principis, non antea discesserunt quam acciti in consistorium: fulgentem cum augusto habitu conspexissent. His tamen auditis, etiam illi quos ante gressos retulimus duce Sintula, cum eo iam securi Parisios reuerterunt: edictoq; vt futura luce cuncti conuenirent in campo, progressus princeps ambitiosius solito tribunal adscendit, signis aquilisque circumdatus & vexillis, septusque tutis armatarum

B cohortium globis. Quumq; interquieuisset paululum, dum alte contemplatur præsentium vultus, alacres omnes visos & lætos, quasi lituis verbis (vt intelligi possit) simplicibus incendebat. *Res ardua poscit & flagitat, propugnatores mei reique publicæ fortes & fidi, qui mecum pro statu prouinciarum vitam sæpius obiecistis, quoniam Cæsarem vestrum firmo iudicio ad potestatum omnium culmen sustulistis, perstringere pauca summatim, vt remedia permutata res iusta colligantur & cauta.*

C *Vixdum adolescens specie tenus purpuratus, (vt nostis) vestra tutela nutu cælesti commissus, numquã à proposito recte viuendi deiectus sum: vobiscum in omni labore perspicuus: quum dispersa gentium confidentia, post ciuitatum excidia, peremptaque innumera hominum millia, pauca quæ semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultaret. & retexere superfluum puto quoties hieme cruda rigentique cælo, quo tempore terra ac maria opere martio vacant, indomitos antea cum iactura virium suarum*

D *repulimus Alemannos. Id sane nec prætermitti est æquum nec taceri, quod quum prope Argentoratum illuxisset ille beatissimus dies, vehens quodammodo Gallis perpetuam libertatem, inter confertissima tela me discurrente, vos vigore vsuque diuturnitate fundati, velut incitatos torrentes hostes abruptius inundantes, superastis ferro prostratos, vel fluminis profundo submersos, paucis relictis nostrorum, quorum exsequias honestauimus celebri potius laude quam luctu. Post quæ opinor, tanta & talia, nec po-*

E *steritatem tacituram de vestris in rempublicam meritis in gentibus cunctis, si plene, quem altiore fastigio maiestatis ornastis, virtute grauitateque, si quid aduersum ingruerit, defendatis. Vt autem rerum integer ordo seruetur, præmiaque virorum fortium maneant incorrupta; nec honores ambitio præripiat clandestina; vel sub reuerenda consilii vestri facie statuo, vt neque ciuilis quisquam iudex, nec militiæ rector, alio quodam præter merita suffragante, ad*

F *potiorem veniat gradum, non sine detrimento pudoris eo qui pro quolibet petere tentauerit, discessuro.* Hac fiducia spei maioris animatus inferior miles, dignitatum iamdiu expers & præmiorum, hastis feriendo clypeos sonitu adsurgens ingenti, vno propemodum ore dictis fauebat & cœptis. statimque, ne turbandæ dispositioni consultæ tempus saltem breue concederetur, pro actuariis obsecrauere Petulantes & Celtæ, recturi quas placuisset prouincias mitterentur: quo non impetrato, abiere nec offensi nec tristes. Nocte tamen

G quæ declarationis augustæ præcesserat diem, iunctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem visum vt formari Genius publicus solet, hæc obiurgando dixisse; *Olim Iuliane vestibulum ædium tuarum obseruo latenter, augere tuam gestiens dignitatem: & aliquoties tamquam repudiatus abscessi. Sed si ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum, ibo demissus & mœstus. Id tamen retineto imo corde, quod tecum diutius non habitabo.* Hæc dum per Gallias agerentur,

intente truculentus rex ille Persarum, incentiuo Antonini aduentu Crangasij duplicato, ardore obtinendæ Mesopotamiæ flagrans, dum ageret cum exercitu procul Constantius, armis multiplicatis & viribus transmisso solenniter Tigride, oppugnandam adoritur Singaram, milite vsuique congruis omnibus, vt existimauere qui regionibus præerant, abunde munitam. Cuius propugnatores viso hoste longissime, clausis ocius portis, ingentibus animis per turres discurrebant; & minas, saxa, tormentaque bellica congerentes: cunctisque præstructis stabant omnes armati, multitudinem parati propellere, si mœnia subire tentasset. Aduentans itaque rex, quum per optimates suos propius admissos, pacatiore colloquio flectere defensores ad suum non potuisset arbitrium, & diem integrum dedit, & matutinæ lucis exordio, signo per flammeum erecto vexillum, circumuaditur ciuitas à quibusdam vehentibus scalas, aliis componentibus machinas; plerisque obiectu vinearum pluteorumque tectis, iter ad fundamenta parietum quærentibus subuertenda. Contra hæc opidani superstantes propugnaculis celsis, lapidibus eminus telorumque genere omni ad interiora ferocius se proripientes arcebant. & pugnabatur euentu ancipiti diebus aliquot, hinc inde multis amissis & vulneratis. Postremo feruente certaminum mole, & propinquante iam vespera, inter machinas plures admotus aries robustissimus, orbiculatam turrim feriebat ictibus densis; vnde reseratam vrbem obsidio superiore docuimus. Ad quam conuersa plebe, dimicabatur artissime: facesque cum tædis ardentibus & malleolis ad exurendum imminens malum vndique conuolabant, nec sagittarum crebritate, nec glāde hinc inde cessante. Vicit tamen omne prohibendi commentum acumen arietis, coagmenta fodiens lapidum recens structorum, madoreque etiam tum infirmium. Dumque adhuc ferro certatur & ignibus, turri collapsa quum patuisset iter in vrbem, nudato propugnatoribus loco, quos periculi disiecerat magnitudo, Persarum agmina vndique vlulabili clamore sublato, nullo cohibente, cuncta opidi membra compleuerunt: cæsisque promiscue paucissimis, residui omnes mādato Saporis viui comprehensi, ad regiones Persidis vltimas sunt asportati. Tuebantur autem hanc ciuitatem legiones duæ, prima Flauia, primaque Parthica, & indigenæ plures, cum auxilio equitum illico ob repentinum malum inclusorum: qui omnes (vt dixi) vinctis manibus ducebantur, nullo iuuante nostrorum. Nisibin enim sub pellibus agens pars maior exercitus custodiebat, interuallo perquam lōgo discretam, alioquin numquam labenti Singaræ, vel temporibus priscis quisquam ferre auxilium potuit aquarum penuria cunctis circumarentibus locis. Et licet ad præscissendos aduersos subitosque motus, id munimentum opportune locauit antiquitas, dispendio tamen fuit rei Romanæ, cum defensorum iactura aliquoties interceptum. Exciso itaque opido, rex Nisibin prudenti consilio vitans, memor nimirum quæ sæpius ibi pertulerat) dextrum latus itineribus petit obliquis, Bezabden, quam Phœnicham quoque institutores veteres appellarunt, vi vel promissorum dulcedine illectis defensoribus retenturus; munimentum impendio validum in colle mediocriter edito positum, vergensque in margines Tigridis; atque vbi loca suspecta sunt

A & humilia, duplici muro vallatum: ad cuius tutelam tres legiones sunt deputatæ: secunda Flauia, secundaque Armeniaca, & Parthica itidem secunda, cum sagittariis pluribus Zabdicenis, in quorum solo tunc nobis obtemperantium hoc est municipium positum. Primo igitur impetu cum agmine cataphractorum fulgentium rex ipse sublimior ceteris, castrorum ambitum circūcursans, prope labra ipsa fossarum venit audentius: petitusque balistarum ictibus certis & sa-

B gittarum densitate, opertura armorum in modum testudinis contextorum abscessit innoxius. Ita tamen tum sequestrata, caduceatoribus missis ex more, clausos blandius hortabatur, vt vitæ speique consulturi obsidium deditione soluerent opportuna, reseratisque portis egressi supplices victori gentium semet offerrent. Quibus adire propius ausis defensores mœnium ideo pepercerunt, quod cohærenter sibi iunctos duxerant insidem notos ingenuos Singaræ captos. Eorum enim miseratiune telum nemo contorsit, nec su-

C per pace respondit. Deinde datis induciis diei totius & noctis, ante alterius lucis initium Persarum populus omnis adortus auide vallum, acriterque minans ac fremens, vbi ad ipsa mœnia confidenter accessit, instabat vi magna resistentibus opidanis. Quare sauciabantur plerique Parthorum, quod pars scalas vehentes, alij opponentes vimineas crates, veluti cæci pergebant introrsus; incè nostris innocuis. sagittarum enim nimbi crebrius volitantes, stantes confertius perforabant. Partibusque post solis occasum æqua iactu-

D ra digressis, apparente postridie luce, ardentius multo quam antea pugnabatur, hinc inde concinentibus tubis: nec minores strages vtrobique visæ sunt, ambobus obstinatissime colluctatis. Verum sequuto die otio communi assensu post ærumnas multiplices attributo, quum magnus terror circumsisteret muros, Persæque paria formidarent, Christianæ legis antistes exire se velle gestibus ostendebat & nutu: acceptaque fide quod

E redire permitteretur incolumis, vsque ad tentoria regis accessit. vbi data copia dicendi quæ vellet; suadebat placido sermone discedere Persas ad sua; post communes partis vtriusque luctus, formidati etiam maiores affirmans forsitan aduenturos. Sed peritabat incassum hæc multaque similia differendo, efferata vesania regis obstante, non ante castrorum excidium digredi pertinaciter adiurantis. Perstrinxit tamen suspicio quędam episcopum; vana, vt opinor, licet assueuratione

F vulgata multorum; quod clandestino colloquio Saporem docuerat; quę mœnium appeteret membra, vt fragilia intrinsecus & inualida. Hocq; exinde verisimile visum est, quod postea in tuta loca carieque nutantia cum exsultatione magna, velut regentibus penetralium callidis, contemplabiliter machinæ feriebant hostiles. Et quamquam angusti calles difficiliorem aditum dabant ad muros, aptatique arietes ęgre promouebantur,

G manualium saxorum sagittarumque metu arcente: nec balistæ tamen cessauere, nec scorpiones: illæ, tela torquentes: hi, lapides crebros: qualique simul ardentes, pice & bitumine illiti: quorum assiduitate per procliue labentium machinæ hærebant, velut altis radicibus fixæ: easque malleoli & faces iactæ destinatius, exurebant. Sed quum hæc ita essent, caderentq; altrinsecus multi, ardebant magis oppugnatores naturali situ & ingenti op-

ri opere munitum opidum ante brumale sidus A exscindere, rabiem regis non ante sedari credentes. Quocirca nec multa cruoris effusio, nec confixi mortiferis vulneribus plurimi, ceteros ab audacia parili reuocabant. Sed diu cum exitio decernentes, postremo periculis obiectauere semet abruptis: & agitantes arietes denso saxorum pondere molarium, fomentisque ignium variis ire protinus vetabantur. Verum vnus aries residuis celsior, humectis taurinis opertus exuuiis; ideoque minus casus flammeos pertimescens aut tela, antegressus omnes, cepit nisibus magnis ad murum: vastoque acumine coagmenta lapidum fodiens, B turrim laxatam euertit. Qua sonitu lapsa ingenti, superstantes quoque repentina ruina deiecti, diffractique vel obruti, mortibus interiere diuersis & inspectatis: inuentoque tutiore adscensu, armata irruit multitudo. Trepidis deinde superatorum auribus vlulantium vndique Persarum intonante fragore, artius prœlium intra muros exarsit hostium nostrorum ceteris certantibus comminus, quum confertis inter se corporibus, hinc indeque C stricto mucrone nulli occurrentium parceretur: magna denique mole ancipiti diu exitio renitentes obsessi, postremo plebis immensæ ponderibus effusæ disiecti sunt: & post hæc iratorum hostium gladij, quidquid inueniri poterat concidebant, abreptique sinibus matrum paruuli, ipsæ quoque matres trucidabantur, nullo quid ageret respectante. Interea tamen furiosa gens rapiendi cupidior, onusta spoliorum genere omni, captiuorumque examen maximum ducens, tentoria repetiuit exsultans. D Rex tamen gaudio insolenti elatus, diuque desiderio capiendæ Phœnichæ flagrans, munimenti perquam tempestiui, non ante discessit quam labefactata murorum parte reparata firmissime, alimentisque affatim conditis, armatos ibi locaret insignes origine bellique artibus claros. Verebatur enim, quod accidit, ne amissionem castrorum ingentium ferentes ægre Romani, ad eadem obsidenda viribus magnis accingerentur. Latius se proinde iactans, additaque spe quidquid E aggredi posset adipiscendi, interceptis castellis aliis vilioribus, Virtam adoriri disposuit, munimentum valde vetustum, vt ædificatum credatur à Macedone Alexandro: in extremo quidem Mesopotamiæ situm, sed muris velut sinuosis circumdatum & cornutis, instructioneque varia inaccessum. Quod quum omni tentaret arte, nunc pollicitationibus defensores alliciens, nunc pœnas cruciabiles minitans, aliquoties struere aggeres parans, obsidionalesque mouens machinas, multis F acceptis vulneribus quàm illatis, omisso vano incepto, tandem abscessit. Hæc eo anno inter Tigrim gesta sunt & Euphratem. Quæ quum frequentibus nuntiis didicisset Constantius, metuens expeditiones Parthicas, hiemem apud Constantinopolim agens, impensiore cura limitem instruebat cum omni apparatu bellorum. Arma quoque & tirocinia cogens, legionesque augens iuuentutis validæ supplementis, quarum stataria pugnę per orientales sępius emicuere procinctus, G auxilia super his Scytharũ poscebat mercede vel gratia, vt adulto vere profectus è Thraciis, loca suspecta protinus occuparet. Inter quæ Iulianus apud Parisios hibernis locatis, summa cœptorum quorsum euaderet pertimescens, erat anxius; nusquam adsensurum Constantium factis multa voluendo considerans; apud quem sordebat vt infimus & contemptus. Circumspectis itaque trepidis rerum nouarum exordiis, legatos ad eum mittere statuit gesta docturos, eisque congruentes litteras dedit, quid factũ sit, quidve fieri oporteat deinceps, monens apertius & demonstrans. quamquam eum hæc dudum comperisse opinabatur, relatu Decentij olim reuersi, & cubiculariorũ recẽs de Gallijs regressorũ, qui ad Cæsarem aliqua portauere solennia. Et quãquã non repugnãter, tamẽ nec arrogãtibus verbis quidquã scripsit, ne videretur subito declinasse. Erat autẽ litterarũ sensus huiusmodi: *Ego quidẽ propositi mei fidẽ, non minus moribus quã fœderum pactis, quoad fuit, vnũ semper atque idẽ sentiẽs cõseruaui, vt effectu multiplici claruit euidenter. Iamque inde vt me creatum Cæsarem pugnarum horrendis fragoribus obiecisti, potestate delata contentus, currentium ex voto prosperitatum nuntiis crebris, vt apparitor fidus, tuas aures impleui: nihil vsquam periculis meis adsignans: quum documentis assiduis constet, diffusis permixtisque passim Germanis, in laboribus me semper visum omnium primum, in refectione postremum. Sed bona tua venia dixerim, si quid nouatum est nunc, vt æstimas, in multis bellis & asperis ætatem sine fructu conterens miles, olim decretum implens fremens, secundique impatiens loci rectorem, quippe nullas sibi vices à Cæsare diuturni sudoris & victoriarum frequẽtium rependi posse contemplaretur. Cuius iracundiæ, nec dignitatum augmenta nec annuum merentis stipendium, id quoq; inopinum accessit, quod ad partes orbis Eoi postremas venire iussi homines adsueti glacialibus terris, separandique liberis & coniugibus, egẽtes trahebantur & nudi. Vnde solito sæuius efferati, nocte in vnum collecti, palatium obsedere, Augustum Iulianũ vocibus magnis appellantes & crebris. Cohorrui, fateor, & secessi: amandatusque dum potui, salutem mussatione quæritabam & latebris. Quumque nullæ darentur induciæ, libero pectoris muro (vt ita dixerim) septus, progressus ante conspectum omnium steti, molliri posse tumultum auctoritate ratus vel sermonibus blandis. Exarsere mirum in modum, eousque prouecti, vt quoniam precibus vincere peruicaciam conabar, instanter mortem contiguis adsultibus intentarent. Victus denique, mecumque ipse contestans, quod alter confosso me forsitan libens declarabitur princeps, assensus sum, vim lenire sperans armatam. Gestorum hic textus est: quem mente quæso accipito placida. Nec aliud quidquam secus existimes, vel susurrantes perniciosa malignos admittas, ad compendia sua excitare secessiones principum adsuetos: sed adulatione vitiorum altrice depulsa excellentissimam virtutum omnium aduerte iustitiam: & conditionum æquitatem quam propono, bona fide suscipito, cum animo disputans, hæc Romano statui prodesse, nobisque, qui caritate sanguinis & fortunæ superioris culmine sociamur. Ignosce enim. Quæ cum ratione poscuntur, non tã fieri cupio, quã à te vtilia probari & recta, auide tua præcepta deinde quoque suscepturus, quæ necesse sit fieri. In cõpendium redigam breue: equos præbebo curules Hispanos, & miscendos gentilibus atque scutariis adolescentes lectos: quosdã cis Rhenum editã barbarorum progeniem, vel certe ex deditiis qui ad nostra desciscunt. Et hæc adusque exitũ vitæ me spondeo nõ modo grato animo, verũ cupido quoq; facturum. Præfectos prætorio, æquitate & meritis notos, tua nobis dabit clemẽtia, residuos ordinarios iudices, militiæq; moderatores, promouendos arbitrio meo cõcedi est cõsentaneũ, itidemque stipatores. Stultũ n. quũ ante caueri possit ne fiat, ad latus Impe-*

A *ratoris adsciſci quorum mores ignorantur & volun-*
tates. Hoc ſane ſine vlla dubitatione firmauerim:ti-
rones ad peregrina & longinqua Galli mittere, diu-
turna perturbatione caſibuſquè vexati grauiſſimis,
nec ſponte ſua poterunt nec coacti; ne conſumpta pe-
nitus iuuentute adfligantur, præterita recordan-
tes ita deſperatione pereunt, impendentium. Nec
Parthicis gentibus opponenda auxilia hinc acciri
conueniet, quum adhuc nec barbarici ſint impetus
interclusi, &(ſi dici quod verum eſt pateris)hæ prò-
B *uinciæ malis iactatæ continuis, externis indigeant*
adiumentis & fortibus. Hæc hortando(vt æſtimo)
ſalutariter ſcripſi, poſcens & rogans. Scio enim,ſcio
(ne quid ſublatius dicam tum imperio congruens)
quas rerum acerbitates iam conclamatas & perdi-
tas CONCORDIA *viciſſim ſibi cedentium principum*
meliorem reuocauit in ſtatum: quum appareat ma-
iorum exemplo noſtrorum, moderatores hæc & ſimi-
lia cogitantes, fortunatè beateque viuendi reperire
quodammodo viam, & vltimo tempori poſteritatique
C *iucundam ſui memoriam commendare.* His litteris
iunctas ſecretiores alias Conſtantio offerendas
clanculo miſit, obiurgatorias & mordaces: qua-
rum ſeriem nec ſcrutari licuit, nec, ſi licuiſſet, pro
ferre decebat in publicum. Ad id munus implen-
dum electi ſunt viri graues, Pentadius officiorum
magiſter, & Eutherius cubiculi tunc præpoſitus
poſt oblatas litteras relaturi nullo ſuppreſſo quæ
viderunt, & ſuper ordine futurorum fidenter actu
ri. Auxerat inter hæc cœptorum inuidiam Flo-
D rentij fuga præfecti, qui velut præſagiens conci-
tandos motus ob militem, vt ſermone tenus ia-
ctabatur, accitum, conſulto diſceſſerat Viennam,
alimentariæ rei gratia diuelli cauſatus à Cæſare,
quem ſæpe tractatum aſperius formidabat. Dein
quum comperiſſet eum ad auguſtum culmen e-
uectum, exigua ac prope nulla viuendi ſpe verſus
in metum, vt longe disiunctus, malis ſe, quæ ſuſpi
cabatur, exemit, & neceſſitudine omni relicta di-
greſſus, venit ad Conſtantium itineribus lentis: vt
E que ſe nulli obnoxium culpæ monſtraret, Iulia-
num vt perduellem multis criminibus appetebat.
Cuius poſt abitum bene Iulianus cogitans & pru
denter, ſcirique volens quod præſenti quoque pe-
percisset, caritates eius cum re familiari intacta,
publico curſos vſu permiſſo, ad orientem redire
tutius imperauit. Nec minore ſtudio ſequuti lega-
ti, hæc ſecum ferentes quæ prædiximus, intentiq;
ad viandum, quum venirent ad iudices celſiores,
F oblique retinebantur: moraſque per Italiam & Illy-
ricum perpeſſi diuturnas & graues, tandem trans-
fretati Boſphorum, itineribusque lentis progreſſi,
pud Cæſaream Cappadociæ etiam tum degentem
inuenere Conſtantium; Mazacam antehac nomi-
natam; opportunam vrbem & celebrem, ſub Ar-
gei montis pedibus ſitam. Qui intromiſſi, data
poteſtate offerunt ſcripta. Hiſque recitatis, vltra
modum ſolitæ indignationis excanduit Impera-
tor, limiſque oculis eos adviſque metum contuens
G mortis, egredi iuſſit, nihil poſt hæc percontatus
vel audire perpeſſus. Perculſus tamen ardenter
contatione ſtringebatur ambigua, vtrum in Per-
ſas an contra Iulianum moueri iuberet acies qui-
bus fidebat: hæſitanſque diu perpenſis conſiliis,
flexus eſt quorumdam ſententia vtilia ſuaden-
tium, & iter orientem verſus edixit. Statim ta-
men & legatos abſoluit, & Leonam quæſtorem
ſuum in Gallias, cum litteris datis ad Iulianum,
pergere celeri ſtatuit gradu, nihil nouaturum

A ſe adſerens ſuſcepiſſe, ſed eum(ſi ſaluti ſuæ proxi-
morumque conſulit)tumenti ſtatu depoſito, intra
Cæſaris ſe poteſtatem continere præcipiens. Vt-
que id facile formido intentatorum efficeret, ve-
lut magnis viribus fretus, in locum Florentij præ-
fectum prætorio Nebridium, tum quæſtorem e-
iuſdem Cæſaris, promouerat, & Felicem nota-
rium officiorum magiſtrum, & quoſdam alios.
Gumohatium enim ſucceſſorem Lupicini, ante-
quam ſciretur huiuſmodi quidquam, magiſtrum
B prouexit armorum. Ingreſſus itaque Pariſios Leo
nas, ſuſceptus vt honoratus & prudens, poſtridie
principi progreſſo in campum cum multitudine
armata pariter & plebeia, quam de induſtria con-
uocarat, è tribunali vt emineret altius ſuperſtanti
ſcripta iubetur offerre. Replicatoque volumine
edicti quod miſſum eſt, & legi ab exordio cœp-
to, quum ventum fuiſſet ad locum id continen-
tem quod geſta omnia Conſtantius improbans,
Cæſaris poteſtatem ſufficere Iuliano cenſebat, ex-
C clamabat vndique vocum terribilium ſonus *Au-*
guſte Iuliane, vt prouincialis & miles, & reipublica
decreuit auctoritas, recreata quidem ſed adhuc me-
tuentis redivivos barbarorum excurſus. Quibus au-
ditis Leonas cum Iuliani litteris hæc eadem indi-
cantibus reuertit incolumis; ſoluſque admiſſus
eſt ad præfecturam Nebridius: id enim Cæſar quo
que ſcribens, ex ſententia ſua fore apertè prędixit.
Magiſtrum enim officiorum iam pridem ipſe A-
natolium ordinauit, libellis antea reſpondentem,
D & quoſdam alios, vt ſibi vtile videbatur & tutum.
Et quoniam, quum hæc ita procederent, timeba-
tur Lupicinus, licet abſens, agenſque etiam tum
apud Britannos, homo ſuperbæ mentis & turgi-
dus; eratque ſuſpicio quod, ſi hæc trans mare didi-
ciſſet, nouarum rerum materias excitaret: notari-
us Bononiam mittitur, obſeruaturus ſollicite ne
quiſquam fretum Oceani tranſire permitteretur.
Quo vetito, reuerſus Lupicinus antequam horum
E quicquam ſciret, nullas ciere potuit turbas. Iulia-
nus tamen, iam celſiore fortuna militiſque fidu-
cia lætior, ne intepeſceret, neve vt remiſſus argue-
retur & deſes, legatis ad Conſtantium miſſis, ad li-
mitem Germaniæ ſecundæ eſt egreſſus: omnique
apparatu quem flagitabat inſtans negotium, com-
munitus, Tricenſimæ oppido propinquabat.
Rheno deinde tranſmiſſo, regionem ſubito pervaſit
ſit Francorum quos Atthoarios vocant, inquieto-
rum hominum, licentius etiam tum percurſan-
F tium extima Galliarum. quos adortus ſubito nihil
metuentes hoſtile, nimiumque ſecuros, quod ſcru
poſa viarum difficultate arcente, nullum ad ſuos
pagos introiſſe meminerant principem, ſuperauit
negotio leni: captiſque plurimis & occiſis, oranti-
bus aliis qui ſuperfuere, pacem ex arbitrio dedit,
hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus.
Vnde reuerſus pari celeritate per flumen, præſidi-
aque limitis explorans diligenter & corrigens, ad
vſque Rauracos venit: locisque recuperatis quæ
G olim barbari intercepta retinebant vt propria, iiſ-
demque pleniore cura firmatis; per Beſantionem
Viennam hiematurus abſceſſit. Hic per Gallias
erat ordo geſtorum. Quæ dum ita proſpere ſucce-
dunt & caute, Conſtantius accitum Arſacem Ar-
meniæ regem, ſummaque liberalitate ſuſceptum,
præmonebat & hortabatur vt nobis amicus eſſe
perſeueraret & fidus: audiebat n. ſæpius eũ tentatũ
à rege Perſarum fallaciis, & minis, & dolis, vt Ro-
manorũ ſocietate poſthabita, ſuis rationib. iũgere-
tur.

tur. Qui crebro aditus, animam prius posse amit- A tere quam sententiam, muneratus cum comitibus quos duxerat, rediit ad regnum, nihil ausus temerare postea promissorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Constantio: inter quas illud potius excellebat, quod Olympiada Ablabij filiam, præfecti quondam prætorio, ei copulauerat coniugem, sponsam fratris sui Constantis. Quo dimisso à Cappadocia ipse per Melitinam minoris Armeniæ opidum, & Lacotena & Samosata trans- B misso Euphrate Edessam venit. Ibique dum agmina vndique conuenientium militum, & rei cibariæ abundantes copias opperitur, diu moratus, post æquinoctium egreditur autumnale, Amidam petens. Cuius quum prope venisset mœnia, fauillis oppleta collustrans, flebat cum gemitu, reputans quales miseranda ciuitas pertulerat clades. Ibi tunc forte Vrsulus præsens, qui ærarium tuebatur, dolore percitus exclamauit, *En quibus animis vrbes à milite defenduntur, cui vt abundare stipendium possit, imperij opes iam fatiscunt.* Quod dictum ita amarũ militaris multitudo po- C stea apud Chalcedona recordata, ad eius exitium consurrexit. Exinde cunctis confectis insedens, quum Bezabden aduentaret, fixis tentoriis, vallo fossarumque altitudine circumseptis, obequitans castrorum ambitum longius, docebatur relatione multorum instaurata esse firmius loca, quæ antehac iniuria corruperat vetustatis. Et ne quid omitteret quod ante feruorem certaminum erat ne- D cessario præstruendum, viris prudentibus missis conditione posita dupla, cogebat mœnium defensores redire ad suos, alienis sine cruore concessis: aut in dicionem venire Romanam dignitatibus augendos & præmiis. Atque quum illi destinatione natiua renitrentur vt clare nati, periculisque & laboribus, in cuncta obsidioni congrua parabãtur. Densis itaque ordinibus cum tubarum incitamentis latera opidi cũcta adortus, alacris miles legionibus in testudines varias conglobatis, paulatim tuto progrediẽs, subruere mœnia conabatur: & quia telorum omne genus in subeuntes effunde- E batur, nexu clypeorum soluto discessum est, in receptum canentibus signis. Laxatis deinde ad diem vnum animis, tertia luce curiosius tecti, elatis passim clamoribus adscensus vndique tentabant. Et licet defensores obtentis ciliciis, ne conspicerentur ab hostibus, latebant intrinsecus, tamen quoties flagitabat necessitas, lacertos fortiter exserentes, lapidibus subiectos incessebant & telis. Et viminea crates quum procederent confidenter, es- F sentque parietibus contiguæ, dolia desuper cadebant, molæ, & columnarum fragmenta: quorum ponderibus nimiis obruebantur pugnatores, hiatuque violento disiectis operimentis cum periculis vltimis euadebant. Decimo itaque postquam oppugnari cœptum est die, quum spes nostrorum inferior cuncta mœrore compleret, transferri placuerat molem arietis magnam, quam Persæ quondam, Antiochia pulsibus eius excisa, G relatam reliquerant apud Carras: quæ subito visa, aptataque fabrerrime, clausorum hebetauerat mentes adusque deditionis remedia pene prolapsas, ni resumptis viribus opponenda minaci machinæ præparassent. Nec temeritas post hæc cessauerat, nec consilium. Namque dum instrueretur aries vetustus, & dissolutus vt facile veheretur, omni arte omnique virium nixu, & propugnatorum vi & firmitudine summa defensabantur tormenta. Nihilominus & lapidum crebritas atque fundarum ex vtraque parte plurimos consumebant, & aggerum moles incrementis celeribus consurgebant: acriorque indies adolescebat obsidio, multis nostrorum idcirco cadentibus, quod decernentes sub Imperatoris conspectu spe præmiorum, vt possint facile qui essent agnosci, nudantes galeis capita, sagittariorum hostilium peritia fundebantur. Proin dies & noctes intenti vigiliis, cautiores stantes vtrobique faciebant. Et Persæ aggerum altitudine iam in sublime porrecta, machinæque ingentis horrore perculsi, quam minores quoque sequebantur, omnes exurere vi maxima nitebantur: & assidue malleolos atque incendiaria tela torquentes, laborabant incassum, ea re quod humectis scortis & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ vnctæ alumine diligẽter, vt ignis per eas laberetur innoxius. Verum has admouentes fortitudine magna Romani, licet difficile, defensabant tamen, & cupiditate potiundi opidi, ne prompta quidem pericula contemnebant: & contra propugnatores, quum iam discussurus turrim oppositam aries maximus aduentaret, prominentem eius ferream frontem, quæ reuera formam effingit arietis arte subtili illaqueatam altrinsecus laciniis retinuere longis, ne retrogradiẽs resumeret vires, neve ferire muros adsultibus densis contemplabiliter posset, fundentes quoque feruentissimam picem. Et diu promotæ machinæ stabant, saxa muralia perferentes & tela. Iamque aggeribus cumulatius excitatis, defensores, ni vigilassent, exitium adfore iam sperantes, in audaciam ruere præcipitem: & repentino decursu portis effusi, primosque adorti nostrorum, faces litellasque ferreas onustas ignibus in arietem magnis viribus iaciebant. Verum post ambiguam prœlij virtutem plurimi nihil impetrato intra mœnia repelluntur: moxque ex aggeribus quos erexerant Romani, iidem Persæ propugnaculis insistentes, sagittis incessebantur & fundis, telisque igniferis: quæ per tegumenta turrium volitãtia, paratis qui restinguerent, plerumque irrita labebantur. Quũque pauciores vtrobique fierent bellatores, & Persæ truderentur ad vltima, ni potior ratio succurrisset, impensiore opera procursus tentabatur ex castris: & eruptione subita multitudinis facta, inter armatos qui portabãt ignes, ampliores prioribus ordinati, iaciebãt corbes in materias ferreos plenos flammarum, & sarmenta, aliaque ad ignes concipiendos aptissima. Et quia conspectum abstulerant fumi nigerrimæ nubes, classico excitante in pugnam, legiones procinctæ celeri gradu venerunt, & subcrescente paulatim ardore bellandi, quum ventum fuisset ad manus, repente machinæ omnes effusis ignibus vrebantur præter maiorem: quam direptis restibus, quibus è muro iactis implicabatur, virorum fortium acrior nisus ægre semiustam extraxit. At vbi nocturnæ tenebræ finem prœliis attulerunt, non in longum miles quieuit. cibo enim exiguo refectus & somno, rectorum monitu excitus, munitiones longe à muro dimouit, dimicare succinctius parans per sublimes aggestus, qui iam consummati muris altius imminebant, vtque facile defensores mœnibus pellerentur, in ipsis aggerum summitatibus binæ sunt locatæ balistæ, quarum metu ne prospicere quidem posse hostium quisquam crederetur. His satis prouisis, prope ipsum crepusculũ triplex

acies nostrorum instructa, conisque galearum mi- A nacius nutans, scalas vehentibus multis impetum conabatur in muros. Iamque resultantibus armis & tubis, vno patique ardore hinc inde pugnabatur audaci conflictu: latiusque sese pandente, Romani, quum Persas occultari viderent pauore in posteriorum aggeribus tormentorum, pulsabant turrim ariete, & cum ligonibus & dolabris & vectibus scalisque appropinquabant, vtrimque coúolante missilium crebritate. Adflictabant tamen multo vehementius Persas ictus varij balistarum, B tanquam per transennam à cliuis structilibus decurrentes. vnde fortunas suas sitas in extremo iam cogitantes, destinatam ruebant in mortem. & partiti munera dimicandi inter necessitatis articulos relictis qui mœnia tuerentur, reserata latenter postica, strictis gladiis valida manus erupit, pone sequentibus aliis qui flammas occulte portabant. Dumque Romani nunc instant cedentibus, nunc vltro incessentes excipiunt, qui vehebant focolos, repentes incurui, prunas vnius aggesti inseruere C iuncturis, ramis arborum diuersarum, & iunco, & manipulis coostructi cannarum. qui conceptis incendiorum aridis nutrimentis, iam cremabantur, militibus cum intactis tormentis exinde periculose digressis. Vt vero certaminibus finem vespera dedit, partesque discesserunt ad otium breue, Imperator in varia sese consilia diducens & versans, quum excidio Phœnichæ diutius imminere necessariæ rationes vrgerent, quod munimentum velut insolubile claustrum hostium excursibus D erat obiectum, & serum repelleret tempus, certaturus leuiter ibi statuit immorari, alimentis destituendos forsitan cedere existimans Persas. quod secus atque rebatur euenit. Quum enim remissius pugnaretur, humente cœlo vndantes nubes cum tenebris aduenere minacibus: assiduisque imbribus ita immaduerat solum vt luti glutinosa mollities per eas regiones pinguissimi cespi tis omnia perturbaret: & super his iugi fragore tonitrua fulguraque mentes hominum pauidas pertertebant. Accedebant arcus cælestis conspectus E assidui: quæ species vnde ita figurari soleat, expositio de rebus ostendet. Halitus terræ calidiores, & humoris spiramina conglobata in nubes, exindeque disiecta in aspergines paruas, ac radiorum fusione splendida facta, supinantur voluibiliter contra ipsum igneum orbem, trimque conformaot: ideoque spatioso curuamine sinuosam: quod in nostro panditur mundo, quem sphæræ dimidiæ parti rationes physicę superponunt. Cuius species quantum mortalis oculus contuetur, prima lutea visitur, secunda flauescens vel fulua, punicea tertia, quarta purpurea, postrema cæruleo concreta & viridi. Hac autem mixta pulchritudine temperatur ideo, (vt terrenæ existimant mentes) quod prima eius para diluctior cernitur, aëri concolor circumfuso: sequens, fulua, id est paulo excitatior quam lutea: punicea tertia, quod solis obnoxia claritudini, receptatione spiritus fulgores eius purissimos è regione deflorat. Quarta ideo purpurat, quod intermicante aspergmuio densitate per quas oritur, radiorum splendorem conspuens, ostendit aspectum flammeo propiorem: qui color quanto magis diffunditur, concedit in cærulum & viridem. Arbitrantur alij tunc iridis formam rebus apparere mundanis, quum altius dilatę nubi crassæ radij solis infusi, lucem inteuerint liquidam: quæ non repetiens exitum, in se conglobata, nimio splendescit attritu: & proximos quidem albo colores à sole sublimiore decerpit: subuirides vero à nubis similitudine superiecta, vt in mari solet vsu venire, vbi candidæ sunt vndæ quæ litoribus illiduntur, interiores, sine vlla coocretione cæruleæ. Et quoniam indicium est permutationis auræ, (vt diximus) à sudo aëre nubium concitans globos, aut contra ex concreto immutans in serenam lætitiam cælum: ideo apud poëtas legimus sæpe Irim de cælo mitti, quum præsentium rerum fit status mutatio. Suppetunt aliæ multæ opiniones & variæ: quas dinumerare nunc est superuacuum, narratione redire vnde digressa est, festinante. His ac talibus Imperator inter spem metúmque iactabatur, ingrauescente hiemis magnitudine, suspectásque per auios tractus insidiis: inter quę etiam tumultum exasperati militis verebatur. Super his vrebat eius anxiam mētem, quod velut patefacta ianua diuitis domus, irritus propositi reuerteretur. Quas ob res, omisso vano incepto, hic maturus Antiochiæ redit in Syriā, ærūnosā per pessus æstatē & atrocem, diuque desiendā. Eueniebat enim hoc, quasi fatali constellatione ita regente diuersos euentus, vt ipsum Constantium dimicantem cum Persis fortuna semper sequeretur afflictior: vnde vincere saltem per duces optabat: quod aliquoties meminimus contigisse.

AMMIANI MARCELLINI

RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

INterclusō hac bellorum difficili sorte Constātio trans flumen Euphratem, Iulianus agens apud Viennam, formandis in futura consiliis dies impendebat & noctes, quantum opes patiebantur angustæ, altius semet attollens, sempérque ambigens vtrum Constantium modis omnibus alliceret in concordiam, an terroris incutiendi gratia lacesseret prior. quæ sollicite reputans, vtrumque formidabat, & amicum cruentum, & in ærumnis ciuilibus sæpe victorem. maximeque Galli fratris exemplum mentem eius anxiam suspende- F bat, quem inertia mixtæque periuriis fraudes prodidere quorumdam. Erigebat tamen aliquoties animum ad multa & vrgentia, tutissimum ratus inimicum se ex confesso monstrare ei cuius ex præteritis motus coniectabat vt prudens, ni per amicitias fictas insidiis falleretur occultis. Parui igitur habitis quæ per Leonam Constantius scripserat, nulloque arbitrio eius promotorum suscepto pręter Nebridium, quinquennalia Augustus iam edidit, & ambitioso diademate vtebatur, lapidū fulgore distincto: quū inter exordia principatus adsi

PP

pta visi corona circumdaretur xystarchæ similis purpurato. Inter quæ Helenæ coniugis defunctæ suprema miserat Romam, in suburbano viæ Nomentanæ condenda, vbi vxor quoque Galli quondam, soror eius sepulta est Constantina. Accidebat autem, incendebatque eius cupiditatem, pacatis iam Gallis incessere vltro Constantium, conijciens eum per vaticinandi præsagia multa quæ callebat, & somnia, è vita protinus excessurum. Et quoniam erudito & studioso cognitionum omnium principi, maleuoli prænoscendi futura prauas artes adsignant, aduertendum est breuiter vnde sapienti viro hoc quoque accidere poterit doctrinæ genus haud leue. Elemẽtorum omnium spiritus, vtpote perennium corporum, præsentienti motu semper & vbique vigens, ex his quæ per disciplinas varias adfectamus, participat nobiscum munera diuinandi: & substantiales potestates, ritu diuerso placatæ, velut ex perpetuis fontium venis, vaticina mortalitati suppeditant verba: quibus numen præesse dicitur Themidis: quam ex eo quod fixa fatali lege decreta præscire fas sit in posterum quæ τεθειμένα sermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili solioque Iouis, vigoris viuifici, theologi veteres collocarunt. Auguria & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur, (nec enim hoc vel insipiens quisquam diceret) sed volatus auium dirigit Deus: vt rostrum souãs, aut præteruolans pinna turbido meatu vel leni futura præmonstret. Amat enim Benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere quæ impendent. Extis item pecudum attenti fatidicis, in species conuerti suetis innumeras, accidentia sciunt. Cuius disciplinæ Tages nomine quidam monstrator, (vt fabulantur) in Etruriæ partibus emersisse subito visus è terra. Aperiunt tunc quoque ventura, quum æstuant hominum corda, sed loquuntur diuina. Sol enim (vt aiunt Physici) mens mundi, nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans, quum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit. vnde Sybillæ crebro se dicunt ardere, torrente vi magna flammarum. Multa significant super his crepitus vocũ & occurrentia signa; tonitrua quinetiam, & fulgura, & fulmina; itidemque siderum sulci. Somniorum autem rata fides & indubitabilis foret, ni ratiocinantes coniectura fallerentur. interdumque (vt Aristoteles affirmat) infixa sunt & stabilia: quũ animantis altius quiescentis ocularis pupilla, neutrobi inclinata, rectissime cernit. Et quia vanities aliquoties plebeia strepit, hęc imperitè mussãdo, *Si esset præsentiendi notitia quædã, cur ille se casurum in bello, vel alius hoc se passurum ignorauit aut illud:* sufficit dici, quod & grammaticus loquutus interdum est barbare, & absurde cecinit musicus, & ignorauit remedium medicus: & non ideo nec grammatica, nec musica, nec medicina subsistit. Vnde præclare hoc quoque, vt alia, Tullius, *Signa ostenduntur*, ait, *à diis rerum futurarum: in his siquis errauerit, non deorum natura, sed hominum coniectura peccauit.* Ne igitur extra calcem (quod dicitur) sermo decurrens lecturo fastidium ferat, ad explicanda prospecta reuertamur. Quum apud Parisios adhuc Cæsar Iulianus quatiens scutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis queis orbis erat compaginatus in vanum excussis, ansa remanserat sola. quam retinens valida manu stringebat. Territisque vt omine di-

A ro præsentibus cunctis, *Nemo*, inquit, *vereatur: habeo firmiter quod tenebam.* Item quum apud Viennam postea quiesceret sobrius, hora media noctis, imago quædam visa splendidior, hos ei versus heroos modo non vigilanti aperte dixit, eadem sæpius replicando, quibus fretus, nihil asperum sibi superesse existimabat. Ζεὺς ὅταν ἐς πλατὺ τέρμα μόλῃ κλυτοῦ ὑδροχόοιο, Παρθένου δὲ Κρόνος μοίρῃ βαίνῃ ἐπὶ πέμπτῃ Εἰκοστῇ, βασιλεὺς Κωνστάντιος Ἀσίδος

B αἴης Τέρμα φίλου βιότου στυγερὸν καὶ ἐπώδυνον ἕξει. Agebat itaque nihil interim de statu rerum præsentium mutans, sed animo tranquillo & quieto incidentia cuncta disponens, paulatimque sese corroborans, vt dignitatis augmento virium quoque congruerent incrementa. Vtque omnes nullo impediente ad sui fauorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, à quo iam pridem occulte desciuerat, arcanorum participibus paucis aruspicinæ augurijsque intentus, & cete-

C ris quæ deorum semper fecere cultores. Et vt hæc interim celarentur, feriarum die quem celebrantes mense Ianuario Christiani Epiphaniam dictitant, progressus in eorum ecclesiam, solenniter numine orato discessit. Dum hæc ita aguntur, propinquante iam vere, nuntio percitus inopino ad tristitiam versus est & mœrorem. Didicit enim Alemannos à pago Vadomarij exorsos, vnde nihil post ictum fœdus sperabatur incommodum, vastare confines Rhætus tractus: nihilque sinere intentatum manus prædatorias fusius dis-

D currentes. Quod ne dissimulatum rediuiuas bellorum materias excitaret, Libinonem quemdam comitem cum Celtis & Petulantibus misit hiemantibus secum; negotium vt poscebat ratio correcturum. Qui quum mature prope opidum Sanctionem venisset, longe visus à barbaris, qui iam certamina meditantes sese per valles abdiderant: hortatusque milites, licet numero impares, cupidine tamen pugnandi vehementius irritatos, aggreditur inconsulte Ger-

E manos: interque dimicandi exordia ipse concidit omnium primus. Cuius interitu erecta barbarorum fiducia, Romanisque ad ducis vindictam accensis, certamen committitur obstinatum: & vrgente magnitudinis mole disiecti sunt nostri, occisis paucis & vulneratis. Cum hoc Vadomario & Gundomado eius fratre itidem rege, Constantius (vt iam relatum est) firmauerat pacem. Post quæ mortuo Gundomado, hunc sibi fore existimans fidum, secretorumque taciturnum

F exsequutorem, fetialem mandauerat, si famæ solius admittenda est fides: scribebatque vt tamquam rupto concordiæ pacto, subinde collimitia sibi vicina vexaret, quo Iulianus id metuens, nusquam à tutela discederet Galliarum. Quibus (vt dignum est credere) obtemperans Vadomarius, hæc & similia perpetrabat, ad perstringendum fallendumque miris modis ab ætatis primitiis callens, vt postea quoque ducatum per Phœnicem regens ostendit. Sed re

G ipsa conuictus abstinuit. Capto enim à stationariis militibus notario, quem miserat ad Constantium, scrutatoque siquid portaret, epistola eius reperta est, in qua præter alia multa id quoque scripserat, *Cæsar tuus disciplinam non habet.* Iulianum autem adsidue per litteras Dominum & Augustum appellabat & Deum. Hæc, vt erant periculosa & dubia, Iulianus in exitiale malũ eruptura considerans, in vnũ omni cogitatione

inuenta, vi incautum rapere festinabat, vt securitatem suam prouinciarumque locaret in tuto: & iniit consilium tale. Philagrium notarium, orientis postea comitem, ad eas miserat partes, cuius prudentiæ fidebat, olim sibi compertæ: eique inter multa quæ pro captu instantium rerum erat acturus, signatam quoque chartulam tradidit, mandauitque ne aperiret vel recitaret, nisi Vadomario viso cis Rhenum. Perrexit Philagrius, vt præceptum est: eoque præsente, & negotiis adstricto diuersis, transgressus Vadomarius flumen, vt nihil in profunda metuens pace, nihilque secus gestorum simulans scire, viso præposito militum ibi degentium pauca loquutus, ex more altro semet, vt suspicionis nihil relinqueret abiturus, ad conuiuium eius venire promisit, ad quod erat etiam Philagrius inuitatus. Qui statim ingressus, rege conspecto, Imperatoris recordatus est verba: causatusque rem seriam & vrgentem, ad diuersorium rediit: scriptisque lectis doctus quid agi conueniret, confestim reuersus discubuit inter ceteros. Finitisque epulis, Vadomarium fortiter apprehensum, rectori militum arcte custodiendum apud signa commisit, textu lecto iussorum, comitibus eius ad sua redire compulsis, super quibus nihil fuerat imperatum. Exhibitus tamen idem rex ad principis castra, iamque spe veniæ omni præclusa, quum interceptum notarium, & quæ scripserat ad Constantium, comperisset iam publicata, ne conuitio quidem tenus compellatus, missus est ad Hispanias. Id enim studio curabatur ingenti, ne Iuliano discedente à Galliis, immanissimus homo prouinciarum statum ægre compositum licentius conturbaret. Hoc casu elatior Iulianus regis opinione citius intercepti, quē profecturus ad longinqua formidabat, nihil remittentibus curis barbaros adoriri disposuit, quos peremisse Libinoœm comitem in congressu cum militibus docuimus paucis. Et ne rumor aduentus sui eos ad remotiora traduceret, superato Rheno noctis alto silentio, cum auxiliorum expeditissimis globis, nihil metuentes huiusmodi circumuenit: excitatosque hostilium fragore armorum, dum gladios circumspectant & tela, celeriter inuolauit; & quosdā occidit; orantes alios, prædāq; offerentes, dedititios cepit: reliquis qui remanserant, pacē precantibus dedit, quietem pollicitis firmā. Quæ dum mentibus aguntur erectis, coniectans quantas intestinæ cladis excitauerat moles, nihilque tam conuenire conatibus subitis quam celeritatem sagaci præuidens mente; professa palam defectione se tutiorem fore existimauit: incertusque de militum fide, placata ritu secretiore Bellona, classico ad concionem exercitu conuocato, saxeo suggestu insistens, iamque (vt apparebat) fidentior hæc clarius solito disserebat: *Iamdudum tacita deliberatione vos æstimo, magni commilitones, rerum gestarum excitos amplitudine, hoc opperiri consilium vt euentus qui sperantur, perpendi possint & præcaueri. Plus enim audire quam loqui militem decet actibus coalitum gloriosis: nec alium spectata æquitate sentire rectorem, quam eum qui & laudari digne potuerit & probari. Vt igitur quæ proposui abiectis absoluam, aduertite oro beneuole, quæ sermone breui percurram. Arbitrio Dei cælestis vobis inter ipsa iuuentæ rudimenta permixtus, irruptiones Alemannorum assiduas & Francorum, populandique ingentem licentiam fregi, & vigore communi Romanis agminibus quoties libet Rhenum peruium feci, contra rumo-* A *rum fremitus gentiumque validarum violentos excursus stando immobilis, virtutis vestræ nimirum firmamēto confisus. Et hæc laborum quos exhausimus, Galliæ spectatrices, post funera multa iacturasque recrente diuturnas & graues, posteritati per ætatum examina, commendabunt. At nunc, quum auctoritate vestri iudicij, rerumque necessitate compulsus, ad augustum elatus sim culmen, Deo vobisque fautoribus, si fortuna cœptis adfuerit, altius adfectabo maiora, id præ me ferens, quod exercitus, cuius æquitas armo* B *rumque inclaruit magnitudo, & domi moderatus visus sum & tranquillus, & in crebritate bellorum contra conspiratas gentium copias consideratus & cautus. Vt igitur aduersa præueniamus mentium societate iunctissima, sequimini viam, consiliumque salutare, (vt puto) quum integritas rerum intentioni nostræ voluntatique respondeat: & dum maioribus vacant præsidiis regiones Illyricæ, impræpedito cursu tendentes, Daciarum interim fines extimos occupemus, exinde quid agi oporteat bonis successibus instruendi: vtque est mos fidentium ducum, iuramento* C *quæso concordiam spondete mansuram & fidem, operā nauaturo sedulam & solitā nequid agatur incōsultū & segne, & producturo, siquis exegerit, incorruptā cōscientiam meā, quod nihil voluntate præter ea quæ in commune conducunt, aggrediar aut tentabo. Illud sane obtestor & rogo, obseruate ne impetu gliscentis ardoris in priuatorum damna quisquam vestrum exsiliat, id cogitans, quod ita nos illustrarunt hostium innumeræ strages, vt indemnitas prouinciarum & salus, exemplis virtutum peruulgata.* Hoc sermone Imperatoris vice alicuius oraculi comprobato, D mota est incitatius concio: & rerum cupida nouandarum, vnanimi consensu voces horrendas immani scutorum fragore miscebat, magnum elatumque ducem, &, vt experta est, fortunatum domatorem gentium appellans & regum. Iussique vniuersi in eius nomen iurare solenniter, gladiis ceruicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris verbis iurauere conceptis, omnes pro eo casus quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, E perlaturos. quæ sequuti rectores, omnesque principis proximi, fidem simili religione firmarunt. Solus omnium, licet proposito stabilis, audacter tamen præfectus repugnauit Nebridius, iurisiurandi nexu contra Constantium nequaquam se constringi posse commemorans, cuius beneficiis obligatus erat crebris & multis. Quibus auditis, quum stantes propius milites acriter inflammati, eum appeterent trucidandum, ad genua sua prolapsum Imperator paludamento proF texit. Inde reuersus in regiam, quum aute gressum eum vidisset, supplicemque iacentem orare, vt leuandi caussa timoris ei porrigeret dexteram: *Et quid, ait, præcipuum amicis seruabitur, si tu manum tetigeris meam? Sed hinc quo libet abi securus.* Hocque audito, ille innoxius ad larem suum recessit in Tusciam. His Iulianus vt poscebat negotij magnitudo, præstructis, expertus quid in rebus tumultuosis anteuertio vaG leat & prægressus, per tesseram edicto itinere in Pannonias, castris promotis & signis, temere se fortunæ commisit ambiguæ. Replicare nunc conuenit tempora, & narrare summatim quæ, dum aguntur in Galliis antedicta, Constantius hiemans Antiochiæ, domi militiæque perfecit. Inter complures alios honore conspicuos, adoraturi Imperatorem peregre venientem ordinantur etiam ex tribunis insignibus. Quum

igitur

A igitur à Mesopotamia reuersus Constantius hoc exciperetur officio. Amphilochius quidam ex tribuno Paphlago, quem dudum sub Constante militantem discordiarum seuisse caussas inter priores fratres suspiciones contiguæ veritati pulsabant, ausus paulo petulantius stare, vt ipse quoque ad patile obsequium admittendus, agnitus est & prohibitus: strepentibusq; multis, & intueri lucem vlterius non debere clamantibus, vt perduellem & obstinatum, Constantius circa hæc lenior B solito, *Desinite:* ait, *vrgere hominem, vt existimo, sontem, sed nondum aperte conuictum: & mementote quod si quid admisit huiusmodi, sub obtutibus meis conscientia ipsius sententia punietur, quam latere non poterit:* & ita discessum est. Postridie ludis circensibus idem ex aduerso Imperatoris vbi consueuerat spectans, repentino clamore sublato, quum certamen opinatum emitteretur, diffractis cancellis quibus vna cum pluribus incumbebat, C cunctis cuneo in vanum excussis, læsisque leuiter paucis, interna compage disrupta exhalasse spiritum repertus est solus. vnde Constantius futurorum quoque præscius exsultabat. Eodem tempore Faustinam nomine sortitus est coniugem, amissa iam pridem Eusebia, (cuius fratres erant Eusebius & Hypatius consulares) corporis morumque pulchritudine pluribus antestante, & in culmine tam celso humana; cuius fauore iustissimo exemptum periculis declaratumque Cæsarem retulimus Iu-D lianum. Habita isdem diebus etiam Florentij ratio, è Gallia nouitatis metu digressi, & Anatolio recens mortuo præfecto prætorio per Illyricum, ad eius mittitur locum: cumque Tauro itidem præfecto prætorio per Italiam amplissimi susceptæ insignia magistratus. Parabantur nihilominus externorum atque ciuilium instrumenta bellorum, & augebatur turmarum equestrium numerus: parique studio supplementa legionibus scripta sunt, indictis per prouincias tirociniis: omnisque ordo E & professio vexabatur, vestem armaque exhibens & tormenta, aurum quinetiam & argentum, multiplicesque rei cibariæ copias; & diuersa genera iumentorum. Et quia Persarum rege ob difficultatem hiberni temporis ægre retruso, reserata cæli temperie validior impetus timebatur, ad Transtigritanos reges & satrapas legati cum muneribus missi sunt amplis, monituri cunctos & hortaturi nostra sentirent, nihil fallax temptarent vel fraudu-F lentum: ante omnia tamen Arsaces & Meribanes, Armeniæ & Hiberiæ reges, cultu ambitioso indumentorum emercabantur & multiformibus donis, damna negotiis Romanis illaturi, si rebus etiam dubiis defecissent ad Persas. Inter tot vrgentia Hermogene defuncto, ad præfecturam promouetur Elpidius, ortus in Paphlagonia, adspectu vilis & lingua, sed simplicioris ingenij, incruentus & mitis: adeo vt quum ei coram innocentem quendam torquere Constantius præcepisset, æquo ani-G mo abrogari sibi potestatem oraret, hæcque potioribus aliis ex sententia principis agēda permitti. Rigore itaque instantium negotiorum anceps Constantius, quid capesceret ambigebat, diu multumque anxius vtrum Iulianum peteret & longinqua, an Parthos repelleret iam transituros, vt minabantur, Euphratem: hærensque, tamdem cum ducibus communicato sæpe consilio, in id flexus est vt finito propiore bello, vel certe mollito, nullo post terga relicto quem formidaret, Illyriis percursis & Italia, vt rebatur, Iulianum inter exordia ipsa, cœptorum tamquam venaticam prædam caperet. hoc enim ad leniendum suorum metum subinde prædicabat. Tamen ne intepescere, aut omisisse belli videretur aliud latus, aduentus sui terrorem vbique dispergens, veritusque ne Africa absente eo perrumperetur, ad omnes casus principibus opportuna, velut finibus orientis egressus, per mare notarium misit Gaudentium: quum exploratorem actuum Iuliani per Gallias aliquandiu fuisse, perstrinximus. Hunc enim obsequio celeri cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat, quod aduersam partem metuere offensam, & properabat, nactus hanc opportunitatem, commendari Constantio, quem credebat proculdubio fore victorem: nemo enim omnium tunc ab hac constanti sententia discrepabat. Qui quum eo venisset, mandatorum principis memor, per litteras Cretione comite quid ageretur edocto, reliquisque rectoribus, lecto vndique milite fortiore, translatisque ab vtraque Mauritania discursatoribus expeditis, Aquitaniæ & Galliæ obiecta litora tuebatur artissime. Neque id consilium fefellit Constantium. Eo enim superstite nullus aduersorum illas tetigit terras, licet oram Siciliensem à Lilybæo protentam & Pachyno, multitudo seruabat armata, si patuisset facultas, ocius transitura. His pro rerum ratione, vt sibi prodesse existimabat Constantius, aliisque minutis & leuioribus ordinatis, ducum nuntiis docebatur & litteris, Persarum copias in vnum coactas, rege turgido præeunte, iam prope margines tendere Tigridis, incertum quonam erumpere cogitantes. Quibus percitus, vt propius agens futuros possit anteuenire conatus, quamprimum hibernis egressus, accito vndique equitatu, peditumque robore quo fidebat, per Capessauam Euphrate nauali ponte transeutio, Edessam petit vberem commeatibus & munitam, ibi paulumper opperiens dum exploratores aut perfugæ motum castrorum hostilium indicarent. Discedens inter hæc Iulianus à Rauracis, peractis quæ docuimus dudum, Sallustium præfectum promotum remisit in Gallias, Germaniano iusso vicem tueri Nebridij. Itidemque Neuitæ magisterium commisit armorum, Gumoarium proditorem antiquum timens, quem quum scutarios regeret, latenter prodidisse Veteranionem suum principem audiebat: & Iouio quæsturam, cuius in actibus Magnentij meminimus: & Mamertino largitiones curandas. Et Dagalaiphum præfecit domesticis: aliosque ex arbitrio suo militibus regendis apposuit, quorum merita norat & fidem. Profecturus itaque per Martianas siluas, viasque iunctas Istri fluminis ripis, inter subita vehementer incertus id verebatur, ne contemptus vt comitatib. paucis, multitudinē offenderet repugnātē. Quod ne fieret, consilio sollerti præuidit: & agminibus distributis, per itinera Italiæ nota quosdā properaturos cū Iouino misit & Iouio, alios per mediterranea Rhætiarū, magistro equitū Neuitæ cōmissos, quo diffusi per varia, opinionē numeri præberent immensi, formidineque cuncta complerēt. Id enim & Alexander Magnus, & deinde alij plures, negotio ita poscente, periti fecere ductores. Mandabat tamen egressis, vt tamquā hoste protinus occursuro tutius graderentur, stationesque nocturnas agerent & vigilias, ne improuiso inuaderētur excursu. Quib. ita vt videbatur apte dispositis, more quo tractꝰ perruperat sæpe barbaricos, cōtextis

A successibus fides, porrectius ire pergebat. Quumque ad locum venisset vnde nauigari posse didicit flumen, lembis ascensis, quos opportune fors dederat plurimos, per alueum, quantum fieri potuit, ferebatur occulte, ideo latens, quod tolerater & fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus & vilibus, opida forinsecus transibat incaute; imitatus egregium illud Cyri veteris dictum, qui quum delatus ad hospitem, interrogaretur ab eo qui ad conuiuium parari B deberet, Panem responderat solum: sperare enim aiebat prope riuum cœnaturũ. Fama vero, quæ mille (vt aiunt) linguis rerum mistere exaggerat fidem, per Illyricos omnes celebrior fundebatur, Iulianum strata per Gallias multitudine regum & gentium, numeroso exercitu & successibus tumidum variis aduentare. Quo rumore perculsus præfectus prætorio Taurus, vt hostem vitans externum mature discessit, vectusque mutatione celeri cursus publici, transitis Alpibus Iuliis, eodem ictu C Florentium itidem præfectum secum abduxit. Leuibus tamen indiciis super Iuliani motu Lucillianus percitus comes, qui per illas regiones rem curabat ea tempestate castrensem, agens apud Sirmium, militesque congregans quos ex stationibus propriis acciri celeritatis ratio permittebat, venturo resistere cogitabat. Sed ille, vt fax vel incensus mallecolus volucriter ad destinata festinans, quum venisset Bononiam, à Sirmio milliario nono disparatam & decimo, senescente luna, ideoque obscurante noctis maximam partem, è D naui exsiluit improuisus: statimque Dagalaiphum misit cum expeditis ad Lucillianum vocandum, trahendumque si reniteretur. Qui eum etiam quiescens, quum strepitu excitus turbulento vidisset ignotorum hominum se circulo circumseptum, cuncepto negotio, & imperatorij nominis metu præstrictus, præceptis paruit inuitissimus: sequutusque alienum arbitrium magister equitum paulo ante superbus & ferox, iumentoque impositus repentino, principi vt captiuus offertur ignobi- E lis, oppressam terrore vix colligens mentem. Verum quum primitus visus, adorandæ purpuræ datam sibi copiam aduertisset, recreatus tandem suique securus, *Incaute*, inquit, *Imperator, & temere cum paucis alienis partibus te commisisti.* Cui amarum Iulianus subridens, *Hæc verba prudentia serua*, inquit, *Constantio: maiestatis enim insigne non vt consiliario tibi, sed vt desinas pauere, porrexi.* F Nihil deinde amoto Lucilliano differendum nec agendum segne ratus, vt erat in rebus trepidis audax & confidentior, ciuitatem vt præsumebat deditiam petens, citis passibus incedebat: cumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo, & floribus, votisque faustis, Augustum appellans & Dominum, duxit in regiam. Vbi euentu lætus & omine, firmata spe venturi ò- G rum quod ad exemplum vrbium matris & populosæ & celebris, per alias quoque ciuitates vt sidus salutare susciperetur, edicto postridie curuli certamine cum gaudio plebis, vbi lux excanduit tertia, morarum impatiens, percursis aggeribus publicis, Succos nemine auso resistere præsidiis occupauit. iisdemque tuendis Neuitam præfecit vt fidum: cuius loci situm nunc conueniet ostendi. Coosertæ celsorum montium summitates Hæmi & Rhodopes, quorum alter ex ipsis Istri marginibus, alter ab Axii fluminis citerio-

A ri parte consurgit, in angustias tumulosis collibus desinentes, per Illyricos interscindũt & Thracas, hinc vicinæ mediterraneis Dacis & Serdicæ, inde Tracias despectantes & Philippopolim, ciuitates amplas & nobiles. & tamquam natura in dicionem Romanam redigendas nationes circumsitas prænoscente, ita figuratæ consulto, inter artos colles quondam hiantes obscurius, ad magnitudinem splendoremque postea urbis claris B patefactæ sunt & carpentis: aditibusque aliquoties clausis magnorum ducum populorumque repulere conatus, & pars quæ Illyricum spectat mollius edita, velut incauta subinde superatur. Latus vero è regione oppositum Thraciis, prona humilitate diruptum, hincque & inde fragosis tramitibus impeditum, difficile scanditur etiam nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum, vtrobique spatiosa camporum planicies iacet, superior, adusque Iulias Alpes extenta, inferior, ita resupina & C panda, vt nullis habitetur obstaculis adusque fretum & Propontidem. His vt in re tali tamque vrgenti compositis, magistro equitum illic relicto, Imperator reuertitur Nessum copiosum opidum, quo inde expedite cuncta disponeret suis vtilitatibus profutura. Vbi Victorem apud Sirmium visum scriptorem historicum, exinde venire præceptum, Pannoniæ secundæ consularem præfecit, & & honorauit ænea statua, virum sobrietatis gratia multilaudum, multo post vrbi præfectum. Iamque altius se extollens, & numquam credens D ad concordiam prouocari posse Constantium, orationem acrem & inoectiuam, probra quædam in eum explanantem & vitia, scripserat ad senatũ. Quæ quum Tertullo administrante adhuc præfecturam recitarentur in curia, imminuit nobilitatis cum speciosa fiducia benignitas grata; Exclamatum est enim, in vnum cunctorum sententia congruente, *Auctori tuo reuerentiam rogamus.* Tũc & memoriam Constantini, vt nouatoris turbatorisque priscarum legum & moris antiquitus rece- E pti, vexauit, cum aperte incusans quod barbaros omnium primus adusque fasces auxerat & trabeas consulares: insulse nimirum & leuiter: qui quum vitare deberet id quod infestius obiurgauit, breui postea Mamertinum ad consulatum euexit, nec vita, nec splendore, nec vsu, nec gloria horum cuiusquam similem quibus magistratum detulerat amplissimum Constantinus, contra inconsummatum & subagrestem, & (quod minus F erat ferendum) celsa in potestate crudelem. Hæc & talia cogitanti sollicitoque super maximis rebus & seriis, nuntius metuendus intimatur & insperatus, ausa indicans quorundam immania, impeditura cursus eius ardentes, ni vigilanter hæc quoque antequam adolescerent habetasset: quæ breuiter exponentur. Duas legiones Constantiacas, addita vna sagittariorum cohorte, quas inuenerat apud Sirmium, vt suspectæ adhuc fidei, per speciem necessitatum vrgentium misit in Gallias. G Quæ pigrius motæ, spatiaq; itinerũ longa & Germanos hostes truces & assiduos formidantes, nouare quædam moliebantur, auctore & incitatore Nigrino equitum turmæ tribuno, in Mesopotamia genito: eaque digesta per secreta colloquia, & alto roborata silentio, quum Aquileiam peruenissent, vrbem situ & opibus murisque circumdatam validis, eam hostiliter repente clausere, iuuante indigena plebe tumultus horrorem, cui Constantij nomen erat tum etiam amicum. & obseratis aditi-

aditibus, turribusque armatis & propognaculis, futuræ concertationi præparabant vtilia, interim soluti & liberi: hocque facinore ita audaci ad fauendum Constantij partibus, vt superstitis, Italicos incolas excitabant. Quibus Iulianus acceptis, agens tunc apud Nessum, nihil à tergo timens aduersum, legensque & audiens hanc ciuitatem circumsessam quidem aliquoties, numquam tamen excisam aut deditam: impensiore studio sibi sociare, vel fraude vel diuersis adulationum generibus, antequam maius oriretur aliquid, properabat. Idcoque Iouinum magistrum equitum venientem per Alpes, Noricosque ingressum ad id quod exarserat quoquo modo corrigendum redire citius imperauit. Et quid deesset, milites omnes qui comitatum sequebantur aut signa, retineri iussit per idem opidum transeuntes, pro viribus laturos auxilium. Hisque dispositis, ipse haud diu postea cognita morte Constantij, discursis Thraciis Constantinopolim introiuit: ac sæpe doctus certius fore id obsidium quam verendum, Immone cum comitibus aliis ad hoc destinato, remouit exinde Iouinum, alia quæ potiores flagitabant necessitates, acturum. Ordine itaque scutorum gemino Aquileia circumsepta, concinentibus sententiis ducum conueniens visum est ad deditionem allicere defensores, minacium blandorumque varietate sermonum. & multis vltrò citroque dictitatis, in immensum obstinatione gliscente, ex colloquio re infecta disceditur. Et quia nihil præter pugnam iam exspectabatur, curatis vtrobique cibis somnoque corporibus, aurora iam surgente, concrepante sonitu buccinorum, partes accensæ in clades mutuas, ferocius magis quam consultius datis clamoribus ferebantur. Pluteos igitur præferentes oppugnatores, cratesque densius textas, sensim incedentes & caute, murorum ima suffodere ferramentorum multitudine conabantur, factas pleriique vehentes ad mensuram mœnium scalas. Iamque parietibus pene contigui, pars lapidibus volutis in pronum collisi, pars confixi stridentibus iaculis retroque gradientes, auerterunt secum omnes alios, metu similium à proposito pugnandi deterritos. Hoc primo congressu erecti in audaciam clausi, adsumpta fiducia meliorum, parui ducebant restantia: mentibusque fundatis & compositis, per opportuna torrentis indefesso labore vigilias & cetera subsidia securitatis implebant. Contra inuasores, licet pauore discriminum anxij, pudore tamen ne socordes viderentur & segnes, vbi parum vis procedebat marte aperto tentata, ad instrumenta obsidionalium artium transtulerunt. Et quia nec arietibus admouendis, nec intentandis machinis, vel vt possint forari cuniculi, inueniebatur vsquam habilis, disparatione breui ciuitatem Natisone amni præterlabente, commentum excogitatum est cum veteribus admirandum. Constructas veloci studio ligneas turres, propugnaculis hostium celsiores, imposuere trigeminis nauibus valide sibi connexis: quibus insistentes armati, vno parique ardore prohibitores dispellere collatis ex propinquo viribus nitebantur: subterque expediti velites è turrium cauernis egressi, iniectis ponticulis quos ante compaginarant, transgredi festinarunt indiuiso negotio: vt dum vicissim missilibus se petunt & saxis vtrinque secus alte locati, hi qui transiere per pontes, nullo interpellante, ædificij parte con-

A uulsa, aditus in penetralia reserarent. Iterum summa cœpti prudentis aliorsum euasit. Quum enim adpropinquarent iam turres, contortis malleolis madentibus pice, arundine quinetiam, sarmentis, ac vario fomite flammarum incessebantur: quæ quoniam incendio celeri ponderibusque trepide superstantium inclinatæ prociderunt in flumen, armatorum aliqui per earum fastigia interibant, eminus confixi tormentis. Inter quæ destituti pe-
B dites, post naualium sociorum occasum obtriti sunt saxis immanibus, præter paucos, quos morti licet per impedita suffugia velocitas exemerat pedum. Ad vltimum certamine producto in vesperam, datoque signo receptui, ex more ambo digressi, diei residuum animis egere disparibus. Munitorum enim mœrores funera lugentium propria, prohibitores spe iam superandi inflammabant, licet ipsi quoque paucos gemebant amissos. Properabatur tamen nihilominus: & quantum
C recreandis viribus quiete & cibo satis fuit tributo per noctis integræ spatium, reparatur lucis exordio prœlium incitamento tubarum. & quidam elatis super capita scutis vt pugnaturi leuius; alij vehentes humeris vt antea scalas, feruentique impetu procurrentes, pectora multiformium telorum ictibus exponebant. Alij ferratos portarum obices effringendos adorti, vltrò ignibus petebantur, vel saxis muralibus, oppetebant, quidam fossas silentius transire conati, repentinis eo-
D rum adsultibus, qui erumpebant clanculo per posticas, ruentes incaute, saucij discedebant. Recursus enim ad mœnia tutior, vallumque antemuranum cæspitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat. Et quamquam prohibitores peritia bellorumque artibus antestarent, quibus nihil præter mœnium supererat adiumentum: collectus tamen ex potioribus numeris miles, diuturnas ferre nequiens moras, suburbana omnia circumibat; diligenter inquirens qua vi vel machinis possit patefactam irrumpere ciuitatem.
E Quod vbi patrare non poterat magnitudine vetante difficultatum: obsideri remissius cœpta est: & excubiis stationibusque relictis, præsidiarij milites vastantes agros propinquos, omnibus cōgruentibus abundabant, raptorum pleraque contubernalibus suis impertientes: vnde largiori potu saginisque admodum distenti marcebant. His relatione communi consortiumque cognitis, Iulianus Constantinopoli etiam tum hibernans, sollerti remedio turbatis consuluit rebus: mox-
F que Agilonem magistrum peditum ea tempestate probe cognitum miserat, vt viso honoratissimo viro, compertaque per eum morte Constantij, solueretur obsidium. Inter quæ, ne cessaret Aquileiæ oppugnatio, quum in reliquis opera consumerentur incassum placuit resistentes acriter ad deditionem siti compelli. & vbi aquarum ductibus intersectis nihilominus celsiore fiducia repugnarent, flumen laboribus auertitur magnis: quod itidem frustra est factum. Attenuatis enim
G auidioribus bibendi subsidiis, hi quos temeritas clauserat, contenti putealibus aquis, parce vixerūt. quę dū agitantur casibus antedictis, superuenit vt præceptum est Agilo: scutorumque densitate contectus, prope fidenter accessit: multaque loquutus & vera, quibus Constantij obitum firmatumque Iuliani docebat imperium, non sine conuiciis reputabatur vt fallax. Nec ei quisquam credidit gesta narranti, antequam pacta salute susceptus ad

pugnaculū suis, fide religiosi⁹ reddita, ea quæ docuerat replicaret. His auditis, ex diuturno angore portis reclusis, omnes effusi suscepere læti pacificum ducem: seq; purgantes, Nigrinum totius furoris auctorem, paucosq; alios obtulerunt, eorum supplicio crimen læsæ maiestatis & vrbis ærumnas expiari poscentes. Paucis deinque post diebus exploratius spectato negotio, Mamertino tum iudicante præfecto prætorio, Nigrinus, vt acerrimus belli instinctor, exustus est viuus. Romulus vero post eum & Sabostius curiales, conuicti sine respectu periculi studia seuisse discordiarum, pœnali consumpti sunt ferro. Residui omnes abiere innoxij, quos in certaminum rabiem necessitas egerat, non voluntas. Id enim æquitate pensata statuerat placabilis Imperator & clemens. Et hæc quidem postea gesta sunt. Iulianus vero, agens prius tum apud Nessum curis altioribus stringebatur, multa vtrimque pertimescens: formidabat enim ne clausorum militum apud Aquileiam repentino adsultu obseratis angustiis Alpium Iuliarum, prouincias & adminicula perderet quæ exinde sperabat in dies. Iidemque opes orientis magnopere verebatur; audiens dispersum per Thracias militem contra vim subitam, cito coactum aduentare Succorum confinia, comite Martiano ducente. sed tamen congrua instantium sollicitudinum mole ipse quoque agitans efficaciter, Illyricum contrahebat exercitum, puluere coalitum Martio, promptumque in certaminibus bellicoso iungi rectori: nec priuatorum vtilitates in tempore afflagranti despiciens litesque audiēs controuersas, maxime municipalium ordinum; ad quorum fauorem propensior, iniuste plures muneribus publicis adnectebat. Ibi Symmachum repertum & Maximum, senatores conspicuos, à nobilitate legatos ad Constantium missos, exinde reuersos honorifice vidit; & potiore posthabito, in locum Tertulli Maximum vrbi præfecit æternæ, ad Rufini Vulcatij gratiam, cuius sororis eum filium norat: hoc administrante, alimentaria res abundauit, & querelæ plebis excitari crebro solitæ cessauerunt. Tunc vt securitatem trepidis rebus adferret, & obedientium nutriret fiduciam, Mamertinum præfectum pretorio per Illyricum, designauit consulem, & Neuitam: qui nuper, vt primum augendæ barbaricæ vilitatis auctorem, immoderate notauerat Constantinum. His ac talibus inter spem metumque noua negotia commouente, Constantius apud Edessam exploratorum relationibus variis anxius, in rationes ducebatur ancipites, nunc ad concursatorias pugnas militem struens; nunc, si copia patuisset, obsidione gemina Bezabden aggressurus; consultans prudenter ne mox partes petiturus arctoas, improtectum Mesopotamiæ relinqueret latus. Verum cōsiliorum ambiguum, retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem rege, dum moueri permitterent sacra: nam si permeato flumine nullum qui resisteret inuenisset, absque difficultate penetraret Euphratem. alioquin ad ciuilia bella custodiens militem, timebat cum periculis obiectare circummuranis; firmitatem mœnium munimenti defensorumque alacritatem expertus. ne quiesceret tamen, neve contemneretur inertiæ, Arbetionem & Agilonem, equestrisque militiæ ministros, cum agminibus maximis properare coēgit non vt lacesserent Persas in prœlia, sed prætenturis iuncturos citeriores Tigridis ripas, & specu-

A latūros quonam rex eorum erumperet violentus. addebatque monendo sæpius & scribendo, vt simulatque multitudo transire cœpisset hostilis, referrent citius pedem. Dumque conlimitia iussa custodiunt duces, & occulta fallacissimæ gentis obseruantur, agens ipse cum parte validiori exercitus, curabat vrgentia, velut propugnaturus oppida quæ tuebatur excursu. Speculatores vero & transfugæ subinde venientes, repugnantia prode-
B bant; ideo futurorum incerti, quod apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentij quoque colitur numen. Accersebatur autem à memoratis ducibus Imperator adsidue, orantibus ferri sibi suppetias. Testabantur enim, se non nisi coactis in vnum viribus cunctis, posse impetum regis ardētissimi sustinere. Quæ dum aguntur ita sollicitē, nuntij percrebuere certissimi: quorum clara fide compertum est Iulianum Italiam & Illyricum
C cursu celeri prætergressum, claustra interim occupasse Succorum accita vndique præstolantem auxilia, vt multitudine stipatus armorum peruaderet Thracias. Quo cognito, mœrore offusus Constantius solatio vno sustentabatur, quod intestinos semper superauerat motus. tentamen magnam difficultatem ad capessendum consilium adserente delegit potissimum, vt vehiculis publicis impositum paulatim præmitteret militem imminenti casus atrocitati velocius occursurum. O-
D mniumque consensu approbata sententia pergebant vt præceptum est expediti. Eique hæc disponenti luce postera nuntiatur regem cum omni manu quam duxerat ad propria reuertisse, auspiciis dirimentibus: leuitoque metu, reuocatis omnibus præter eos quos consuetudo præsidio Mesopotamiæ destinarat, reuersus est Hierapolim. Summa itaque cœptorum quorsum euaderet ambigens, quum in vnum exercitus conuenisset, omnes centurias & manipulos & cohortes in con-
E cionem vocauit concinentibus tubis: oppletoque multitudinis campo, vt eam ad firmanda promptius adigeret imperanda, tribunali celso sistens stipatoque solito densius, hæc prosequutus est, ad serenitatis speciem fiduciæ vultu formato: *Sollicitus semper, ne quid re leui vel verbo commissum inculpata parum congruens honestati, vtque cautus nauigandi magister clauos pro fluctuum motu erigens vel inclinans, compellor nunc apud vos, amantissimi viri, confiteri meos errores, quin potius*
F *(si dici liceat verum) humanitatem, quam credidi negotiis communibus profuturam. Proinde vt facilius sciri possit quæ sit huius concilij conuocandi materia, accipite quæso æquis auribus & secundis. Gallum patruelem meum tempore quo confundendis rebus pertinaciter Magnentius inhærebat, quem obruere vestræ virtutes, potestate Cæsaris sublimatum ad orientis præsidium misi. qui quum à iustitia per multa visu relatuque nefaria defecisset, arbitrio punitus est legum. Atque vtinam hoc contenta esset in-*
G *uidia, turbarum acerrima concitatrix: & angebat nos vna, sed secura doloris præteriti recordatio. At nunc aliud accidit, ausim dicere præteritis mæstius, quod per fortitudinem vobis ingenitam adiumenta cœlestia coercebunt. Iulianus, quem dum circumfrementes Illyricum nationes exteras, oppugnatis tuendis præfecimus Gallus, leuium cōfidentia præliorum quæ cum Germanis gessit semermibus, vt vecors elatus, adscitis in societatem superbam auxiliaribus paucis, feritate spequè postrema ad perniciosam au-*

daciam

daciam promptis,in noxam publicam conspiraust,æ-
quitate calcata parente nutriceque orbis Romani,
quam tumentes spiritus tamquam fauillas effecturam
deinde. vt scelestè laterum vltricem, & ipse exper-
tus,& docente antiquitate,facile credo. Quid igitur
superest nisi vt turbinibus excitis occurramus , sub-
crescentis rabiem pelli,antequam pubescat validius,
celeritatis remedius oppressuri. Nec enim dubium,fa-
uore numinis summi præsente, cuius perenni suffragio
damnantur ingrati,ferrum impie præparatum ad eo-
rum interitum esse vertendum , qui non lacessiti, sed
auctis beneficiis pluribus , ad insontium pericula sur-
rexerunt. Vt enim mea mens auguratur , iustitiaque
rectis consiliis affutura promittit,spodeo quod si ven-
tum fuerit comminus,ita pauore torpescent,vt nec o-
culorum vestrorum vibrata lucis ardorem , nec bar-
ritus sonum perferant primum. Omnes post hæc di-
cta traxerat in sententiam suam: hastasque vibran
tes irati , post multa quæ beneuole responderant,
petebant se duci protinus in rebellem. Qua gra-
tia in lætitiam lmp. eratur versus ex metu,concio-
ne mox absoluta, Arbetionem ante alios faustum
ad intestina bella sedanda ex anteactis iam sciens,
iter suum præire cum lancearis & mattiariis &
catervis expeditorum præcepit , &. cum lætis iti-
dem Gumoarium venturis in Succorum angusti-
as opponêdum;ea re aliis antelatum, quod,vt con
temptus in Galliis,erat Iuliano infestus. In hoc re
rum aduersarum tumultu hæres eius fortuna iam
& subsitleus , aduentare casum vitæ difficilem,
modo non loquentibus signis aperte monstrabat.
Namque & nocturnis temporibus terrebatur ; &
nondum penitus mersus in somnum vmbram vi-
derat patris obtulisse pulchrum infantem ; eumq;
susceptum & locatum in gremio suo,excussam si-
bi proiecisse longius sphæram quam ipse dextera
manu gestabat. Id autem permutationem tempo-
rum indicabat , licet interpretantes placentia re-
spouderent. Post hæc confessus est coniunctiori-
bus proximis,quod tamquam desolatus secretum
aliquid videre desierit, quod interdum adfuisse si-
bi squalidius æstimabat:& putabatur genius qui-
dam tutelæ salutis appositus,eum reliquisse,mun-
do citius digressurum. Ferunt enim theologi,in
lucem editis hominibus cunctis , salua firmitate
fatali,huiusmodi quædam velut actus rectura nu
mina sociari , admodum tamen paucissimis visa,
quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracu-
la & auctores docuerunt præclari. inter quos est
etiam Menander comicus , apud quem hi senarij
duo leguntur: *Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ, Ἅπαν-*
τι δαίμων μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Itidem ex sempiternis Home
ri carminibus intelligi datur , non deos cælestes
cum viris fortibus colloquutos , nec adfuisse pu-
gnantibus vel iuuisse , sed familiares genios cum
iisdem versatos : quorum adminiculis præcipuis
Pythagoras enituisse dicitur & Socrates, Numa-
que Pompilius , & superior Scipio,& (vt quidam
existimant) Marius , & Octauianus , cui Augusti
vocabulū delatum est primo; Hermesq; ter maxi-
mus, & Tyaneus Apollonius atque Plotinus , au-
sus quædam super hac re disserere mystica , alteq;
monstrare quibus primordiis hi genii animis con
nexi mortalium ,quas tamquam gremiis suis sus-
ceptas tuentur,quoad licitum est , docentque ma-
iora , si senserint puras & à colluuione peccandi
immaculata corporis societate discretas . Ingres-
sus itaque Antiochiam festinando Constantius,
ad motum certaminum ciuilium,vt solebat,auide

A surrecturus , paratis omnibus exire properabat,
immodice renitentibus plurimis murmure tenus:
nec enim dissuadere palam audebat quisquam vel
vetare. Autumno iam senescente profectus , quū
ad suburbanum venisset disiunctum exinde ter-
tio lapide,Hippocephalum nomine , lucente iam
die,cadauer hominis interfecti dextra iacens capi
te auulso conspexit contra occiduum latus exten-
sum: territusque omine , finem parantibus fatis
B destinatius ipse tendebat,venitque Tarsum:vbi le-
uitre febri contactus ratusque itinerario motu
imminutæ valetudinis excuti posse discrimen ,pe
tiit per vias difficiles Mopsuestiam ,Ciliciæ vlti-
mam hac pergentibus stationem,sub Tauri mon-
tis radicibus positam:egredique sequuto die cona
rus,vi labente morbi grauitate detentus est: paula
timque vrente calore nimio venas,vt ne tāgi qui-
dem corpus eius posset in modum foculi feruens,
quum vsus deficeret medelarum , vltimum spi-
C rans deflebat exitium:mentisque sensu tum etiam
integro , successorem suæ potestatis statuisse dici-
tur Iulianum. Deinde anhelitu iam pulsatus leta-
li,conticuit : diuque cum anima colluctatus iam
discessura,abiit è vita tertio Nonarum Octobriū,
imperij vitæque anno quadragesimo,& mensibus
paucis. Post quæ supremis cum gemitu conclama
tis,excitisque lamentis & luctu , deliberabant lo-
cum obtinentes in aula regia primum , quid age-
rent,quidue moliri deberent. Paucisque occulte
D super eligendo Imperatore tentatis , incitante(vt
ferebatur)Eusebio , quem noxarum conscientia
stimulabat , quū nouandis rebus imminens obsi-
steret Iulianus,mittuntur ad eum Theolaiphus &
Aligildus, tunc comites,mortem indicantes pro-
pinqui,& oraturi vt mora omni depulsa ad obti-
nendum obtemperare sibi paratum tenderet oriē-
tem. Fama tamen rumorque loquebatur ,interim
Constantium voluntatem ordinasse postremam,
in qua Iulianum(vt prędiximus)scripsit heredem:
E & his quos diligebat,fidei commissa detulit & le-
gata. Vxorem autem prægnantem reliquit:vnde
edita Posthuma,eiusque nomine appellata,quum
adoleuisset , matrimonij iure copulata est Gratia-
no. Bonorum igitur vitiorumque eius differentia
vere seruata, præcipua prima conueniet expediri.
Imperatoriæ auctoritatis cothurnum vbique cu-
stodiens, popularitatem elato animo cōtemnebat
& magno:erga tribuēdas celsiores dignitates im-
pendio parcus :nihil circa administrationum au-
F gmenta præter pauca nouari perpessus:numquam
erigens cornua militaria. nec sub eo dux quisquā
cum clarissimatu prouectus est:erant enim , vt
nos quoq; meminimus,perfectissimi. Nec occur-
rebat magistro equitum prouinciæ rector : nec
contingi ab eo ciuile negotium permittebat . sed
cunctæ castrenses & ordinariæ potestates , vt ho-
norum omnium apicem priscæ reuerentiæ more
præfectos semper suspexere prætorianos. In con-
seruando milite nimium cautus ,examinator me-
G ritorum nonnumquam scrupulosus. Palatinas di-
gnitates velut ex quodam tribuens perpendiculo;
& sub eo nemo celsum aliquid acturus in regia,
repentinus adhibitus est vel incognitus : sed qui
post decennium officiorum magisterium, vel lar-
gitiones,vel simile quidquam esset recturus,aper
tissime noscebatur. Valdeque raro contigerat vt
militarium aliquis ad ciuilia regenda transiret:
contraque non nisi puluere bellico indurati præ-
ficiebantur armatis. Doctrinarum diligens adfe-

ctator: ſed cum à rhetorica per ingenium deſerere A
tur obtuſum, ad verificandum tranſgreſſus, nihil
operæpretium fecit. In vita parca & ſobria edendi
potandiq; moderatione valetudinem ita retinuit
firmã, vt raros colligeret morbos, ſed eos non pro
cul à vitæ periculis: id enim euenire corporibus à
laſciuia dimotis & luxu, diuturna experimenta &
probationes medendi monſtrarunt. Somno con-
tentus exiguo, quum id poſceret tempus & ratio:
perque ſpatia ita longiſſima impendio caſtus, vt B
nec mare miniſtro ſaltem ſuſpicione tenus poſſet
redargui; quod crimen etiamſi non inuenit malig
nitas, fingit in ſummarum licentia poteſtatum. E-
quitandi & iaculandi, maximeque perite dirigen-
di ſagittas, artiumque armaturæ pedeſtris perquã
ſcientiſſimus. Quod autem nec extersiſſe vnquam
nares in publico, nec ſpuiſſe, nec tranſtuliſſe in
partem alterutram vultum aliquãdo viſus eſt, nec
pomorum quidquam quoad vixerat, guſtauerit, vt
dicta ſæpius prætermitto. Dinumeratis carptim C
bonis quæ ſcire potuimus, nunc ad explanãda eius
vitia veniamus. Quũ eſſet in negotiis aliis princi-
pibus mediis comparandus, ſi adfectatę domina-
tionis anſam quamdam falſam reperiſſet aut le-
uęm, hanc ſine fine ſcrutando, faſque eodem loco
ducens & nefas, Caligulæ & Domitiani & Com-
modi immanitatem facile ſuperabat: quorum æ-
mulatus ſæuitiam inter imperandi exordia, cun-
ctos ſanguine & genere ſe contingentes ſtirpitus
interemit. Addebatur miſerorum ærumnis, qui rei
maieſtatis imminutæ vel læſæ deferebantur, acer- D
bitas eius & iracundæ ſuſpiciones in huiuſmodi
cuncta diſtentæ. Et ſiquid tale increpuiſſet, in quę-
ſtiones acrius exſurgens quam ciuiliter, ſpectato-
res apponebat his litibus truces: mortemque lon-
gius in puniendis quibuſdam, ſi natura permitte-
ret, conabatur extendi, in huiuſmodi controuer-
ſiarum partibus etiam Gallieno ferocior. ille enim
perduellionum crebris veriſque appetitus inſidiis
Aureoli, & Poſthumi, & Ingenui, & Valentis co-
gnomento Theſſalonici, aliorumque plurium, E
mortem factura crimina aliquoties lenius vindi-
cabat: hic, etiam facta vel dubia adigebat videri
certiſſima, vi tormentorum. Tumque in eiuſmo-
di titulis capitaliter oderat, quum maxime id a-
gerçt vt iuſtus æſtimaretur & clemens. Et tam-
quam ex arida ſilua volantes ſcintillæ, flatu leni
vẽtorum aduſque diſcrimina vicorum agreſtium
incohibili curſu perueniunt, ita ille quoque ex
minimis cauſſis malorum congeries excitabat, F
Marci illius diſſimilis principis verecundi, qui
quum ad Imperiale culmen in Syria Caſſius ſur-
rexiſſet, epiſtolarum faſcem ab eo ad conſcios miſ
ſum perlatore capto ſibi oblatum, illico ſignatum
exuri præcepit, agens adhuc in Illyrico, ne inſidia
toribus cognitis, inuitus quoſdam habere poſſet
offenſos. Vtque recte ſentientes quidam arbitra-
bantur, virtutis erat potius indicium magnæ, im-
perio eumdem comitantium ſine cruore ceſſiſſe,
quam vindicaſſe tam inclementer: vt Tullius quo

que docet, crudelitatis increpans Cęſarem in qua-
dam ad Nepotem epiſtola: *Neque enim quidquam
aliud eſt felicitas, (inquit) niſi honeſtarum rerum
proſperitas. vel, vt alio modo definiam, Felicitas eſt
fortuna, adiutrix conſiliorum bonorum: quibus qui
non vtitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Ergo in perdi-
tis impiiſque conſiliis quibus Cęſar vſus erat, nulla
potuit eſſe felicitas: feliciorque, meo iudicio, Camillus
exſulans, quam temporibus iiſdem Manlius, etiamſi,
id quod cupierat, regnare potuiſſet.* Id Epheſius
quoque Heraclitus adſerens monet, & ab inerti-
bus & ignauis, euentus variante fortuna, ſupera-
tos aliquoties viros fuiſſe præſtantes: illud vero e-
minere inter præcipuas laudes, quum poteſtas in
gradu, velut ſub iugum miſſa nocendi ſæuiendiq;
cupiditate & iraſcendi, in arce victoris animi tro
pæum erexit glorioſum. Vt autem in externis bel-
lis hic princeps fuit ſaucius & adflictus, ita proſ-
pere ſuccedentibus pugnis ciuilibus tumidus, &
inteſtinis vlceribus reipub. ſanie perfuſus horren
da. quo prauo propoſito magis quam recto vel vſi
tato, triumphales arcus ex clade prouinciarum
ſumptibus magnis erexit in Galliis & Pannoniis
titulis geſtorum adfixis quoad ſtare poterunt mo
numenta lecturis. Vxoribus ac ſpadonum graci-
lentis vocibus, & Palatinis quibuſdam, nimium
quantum addictus, ad ſingula eius verba plauden
tibus, & quid ille aiat vel neget, vt adſentiri
poſſint, obſeruantibus. Augebat etiam amaritudi-
nem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta,
plus odiorũ ei quã pecuniæ conferentiũ. Hocque
multis intoleratius videbatur, quod nec cauſſã ali-
quãdo audiuit, nec prouinciarũ indẽnitati proſpe
xit, quũ multiplicatis tributis & vectigalibus ve-
xarentur. Eratq; ſuper his adimere facilis quæ do-
nabat, Chriſtianã religionẽ abſolutã & ſimplicem
anili ſuperſtitione confundens: in qua ſcrutanda
perplexius quam componenda grauius, excitauit
diſſidia plurima, quæ progreſſa fuſius aluit con-
certatione verborum: vt cateruis antiſtitum iu-
mentis publicis vltro citroque diſcurrentibus per
ſynodos quas appellant, dum ritum omnem ad
ſuum trahere conantur arbitrium, rei vehicularię
ſuccideret neruos. Figura tali ſituque membrorũ
ſubniger, luce oculorum edita, cernenſque acu-
tum, molli capillo, raſis aſſidue genis lucentibus
ad decorem, vſque ad pubem ab ipſis colli confi-
niis longior, breuiſſimis cruribus & incuruis, vn-
de ſaltu valebat & curſu. Pollinctum igitur cor-
pus defuncti, conditumque in loculis, Iouianus
etiam tum protector domeſticus, cum regia pro-
ſequi pompa Conſtantinopolim vſque iuſſus eſt,
prope neceſſitudines eius humandum: eique vehi-
culo inſidenti quod portabat reliquias, vt prin-
cipibus ſolet, annonę militaris offerebantur indi-
cia, (vt ipſi nominant) proba, & animalia publica
monſtrabantur, & ex vſu crebreſcebant: occurſuſ-
que; & alia ſimilia, eidem Iouiano imperium qui-
dem, ſed caſſum & vmbratile, vt miniſtro rerum
funebrium, portendebant.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVS SECVNDVS.

DVm hæc in diuersa parte terrarum fortunæ A
struūt volubiles casus, Iulianus inter multa
quæ per Illyricum agitabat, exta rimabatur adsi-
due; auesque suspiciens præscire festinabat accidē-
tium finem: sed responsis ambiguis & obscuris
hærebat futurorum incertis. Eique tandem aruf-
picinæ peritus Apruniculus Gallus orator, promo-
tus rector postea Narbonensis, nuntiauit euentus
inspectu iecoris (vt aiebat ipse) prædoctus, quod o
perimento duplici viderat tectum. Quumq; ille ti-
meret ne cupiditati suæ congruentia fingerentur, B
atque ideo mœstus, omen multo præsentius ipse
conspexit, quod excessum Constantii clare mon-
strabat. Eodem enim puncto quo idem obierat
in Cilicia, lapso milite qui se incessurum equo
dextra manu erexit, humique prostrato, exclama-
uit ilico audientibus multis, cecidisse qui eum ad
culmen extulerat celsum. Etquamquam hæc leti-
fica sciret: velut fixa tamen firmitate consistens, in-
tra terminos Daciæ se continebat; sic quoque plu
rima pertimescens. Nec enim cautum ducebat cō C
iectutis credere, forsitan in contrarium erupturis.
Inter quæ tam suspensa aduenere subito missi ad
eum legati, Theolaiphus atque Aligildus defun-
ctum Constantium nuntiantes, addentesque
quod eum voce suprema successorem suæ fecerit
potestatis. Qua re cognita, post exemptos pericu-
lorum æstus, & bellicatum sollicitudinum turbas
in immensum elatus, iamque vaticiniis credens, &
celeritatem negotiis suis aliquoties profuisse ex-
pertus, edixit iter in Trasias: monisque propere si- D
gnis emensa decliuitate Succorum, Philippopolim
petiit Eumolpiada veterem, alacri gradu sequenti
bus quos duxerat cunctis. Aduertebant enim im-
perium quod ceptum ibant cum vltimorum me-
tu discriminum, præter spem ordinario iure con-
cessum. Vtque solet fama nouitates augere, prope
rabat inde sublimior, vt quodam Triptolemi cur-
ru, quem ob rapidos circumgressus aeris, serpen-
tibus pinnigeris fabulosa vetustas imponit: perq;
terras & maria formidatus, nullis obstantibus E
muris, Heracleam ingressus est Perinthum. Quo
apud Constantinopolim mox comperto, effun-
debatur ætas omnis & sexus, tamquam demis-
sum aliquem visura de cælo. Exceptus igitur
tertio iduum Decembrium verecundis senatus
officiis, & popularium consonis plausibus, sti-
patusque armatorum & togatorum agminibus,
velut acie ducebatur instructa, omnium oculis
in eum non modo contuitu destinato, sed cum
admiratione magna defixis. Omini enim pro-
pius videbatur adultum adhuc iuuenem, exi- F
guo corpore, factis præstantem ingentibus, post
cruentos exitus regum & gentium, ab vrbe in vr-
bem inopina velocitate transgressum, quaqua in-
cederet, accessione opum & virium flammę instar
cuncta faciliusoccupasse; principatum denique de
ferēte nutu cælesti absq; vlla publicæ rei suscepis-
se iactura. Breui deinde Secūdo Salustio promoto
præfecto prætorio, summam quæstionum agitan-
darum, vt fido, commisit: Mamertino & Arbetio-

ne & Agilone atque Neuita adiunctis: itidem Io-
uino magistro equitum per Illyricum recens pro-
uecto. Qui omnes transgressi Chalcedona, præsē-
tibus Iouianorum Herculianorumque principiis
& tribunis, caussas vehementius æquo bonoque
spectauerunt. præter paucas, in quibus veritas re-
os nocentissimos offerebat. Et Palladium primū
ex magistro officiorum in Britannos extermina-
runt, suspicione tenus insimulatum quædam in
Gallum composuisse apud Constantium, dum sub
eodem Cæsare officiorū esset magister. Dein Tau-
rum ex præfecto prætorio, in exsilium egere Ver-
cellum: cuius factum apud iudices iustorum iniu
storumque distinctiones videri potuit veniæ ple-
num. Quid enim deliquit, si ortum turbinem veri-
tus, ad tutelam principis sui confugit? Et acta su-
per eo gesta non sine magno legebantur horrore,
quum id voluminis publici contineret exordium
*Consulatu Tauri & Florentij, inducto sub præconi-
bus Tauro.* Ad exitium itidem tale Pentadius tra-
hebatur: cui id obiectum est, quod à Constantio
missus, notis excepit quæ propinquante perni-
cie super multis interrogatus responderat Gal-
lus. Sed quum se iuste defenderet, tandem
ociit innoxius. Iniquitate simili Florentius tunc
magister officiorū, Nigriniani filius, contrusus
est in insulam Dalmatiæ Boas. Alter enim Floren-
tius ex præfecto prætorio consul etiam tum, rerū
mutatione subita territus, cum coniuge periculis
exemptus diu delituit; nec redire ante mortem po
tuit Iuliani. capitis crimine tamen damnatus est
absens. Pari sorte Euagrius comes rei priuatæ, &
Saturninus ex cura palatii, & Cyrinus ex notario,
transportati sunt in exsilium. Vrsuli vero necem
largitionum comitis, ipsa mihi videtur flesse Iu-
stitia, Imperatorem arguens vt ingratum. Quum
enim Cæsar in partes mitteretur occiduas omni
tenacitate stringendus, nullaque potestate militi
quidquam donandi delata, vt pareret ad motus as-
perior exercitus, hic idem Vrsulus datis litteris ad
eum qui Gallicanos tuebatur thesauros, quidquid
posceret Cæsar, proculdubio iusserat dari. Quo
exstincto, quum maledictis exsecrationibusque
multorum se Iulianus sentiret expositum, impur-
gabile crimen excusari posse existimans, absque
conscientia sua hominem adfirmabat occisum,
prætendens quod eum militaris ira deleuit, me-
mor quæ dixerat, vt ante retulimus, quum Ami-
dam vidisset excisam. Ideoque timidus videbatur
vel parum intelligens quid conueniret, quum Ar-
betionem semper ambiguum & prætumidum his
quæstionibus præfecisset, aliis specie tenus cum
principiis legionum præsentibus: quem primum
omnium saluti suæ nouerat obiectum, vt decuit
victoriarum ciuilium participem futurum. Et quā
quam hęc quæ retulimus, eius displicuere fautori-
bus, sequentia tamen seueritatis recto vigore sunt
gesta. Apodemium enim ex agēte in rebus, quem
in Siluani necem & Galli effrenatius adfuisse docui
mus, Paulumque notarium cognomento Cate-
nam, cum multorum gemitu nominandū, viuos

exustos, qui sperari debuit, oppressit euentus. Eu-
sebium super his, cui erat Constantiani thalami
cura commissa, alte spirantem & dirum, addixere
pœnæ letali: quem ab ima sorte adusque iuben-
dum Imperatori pene elatum, ideoque intolera-
bilem, humanorum spectatrix Adrastia, aurem
(quod dicitur) vellens, monensque vt castigatius
viueret, reluctantem, præcipitem tanquam è ru-
pe quadam egit excelsa. Conuersus post hęc prio-
ceps ad palatinos omnes omnino qui sunt, quiq;
esse possunt; noo vt philosophus indagandæ veri-
tatis professor. Laudari enim poterat, si saltem mo
deratos quosdam, licet paucos, retinuisset, morum
que probitate compertos. Namque fatendum est
pleramque eorum partem vitiorum omnium se-
minarium fusius aluisse, ita vt rempubl. inficerent
cupiditatibus prauis; plusque exemplis quam pec-
candi licentia læderent multos. Pasti enim ex his
quidam templorum spoliis, & lucra ex omni odo
rantes occasione, ab egestate infima ad saltum sub
lati diuitiarum ingentium, nec largiendi nec ra-
piendi nec absumendi tenuere aliquem modum,
aliena inuadere semper adsuefacti. Vnde fluxio-
ris vitæ initia pullularunt & periuria: & nullus e-
xistimationis respectus, demensque superbia fi-
dem suam probrosis quæstibus polluebat. Inter
quæ eluuies & gurgites creuere prærupti conui-
uiorum, & pro victorialibus epulares triumphi v-
susque abundantis serici, & textiles auctæ sunt ar
tes, & culinarum sollicitior cura: & ambitiosa or-
natarum domorum exquisita sunt spatia, quorũ
mensuram si in agris coosul Quintius possedisset,
amiserat etiam post dictaturam gloriam pauper-
tatis. Quibus tam maculosis accessere flagiria dis-
ciplinæ castrensis, quum miles cantilenas medita-
retur pro iubilo molliores: & non saxum erat, vt
antehac, armato cubile, sed pluma & flexiles lectu-
li, & grauiora gladiis pocula. testa enim bibere iam
pudebat. Et quærebantur ædes marmoreæ; quum
scriptum sit in antiquitatibus, Spartanum mili-
rem coërcitum acriter, quod procinctus tempo-
re ausus sit videri sub tecto. Adeo autem ferox e-
rat in suos illis temporibus miles & rapax, igna-
uus vero in hostes & fractus, vt per ambitionem
otiumque opibus partis, auri & lapillorum vari-
etates discerneret scientissime, contra quam re-
cens memoria tradidit. Notum est enim, sub Ma-
ximiano Cæsare vallo regis Persarum direpto, gre
garium quendam post sacculum Parthicum, in
quo erant margaritæ, repertum, proiectis imperi-
tia gemmis, abisse pellis nitore solo contentum.
Euenerat iisdem diebus vt ad demendum Impera
toris capillum tonsor venire præceptus introiret
quidam ambitiose vestitus. Quo viso, Iulianus ob
stupuit: *Ego* (inquit) *non rationalem iussi, sed tonso-
rem acciri.* Interrogatus tamen ille quid haberet
ex arte compendij, vicenas diurnas respondit an-
nonas, totidemque pabula iumentorum, (quæ
vulgo dictitant capita) & annuum stipendium
graue absque fructuosis petitionibus multis. Vn-
de motus, omnes huiusmodi cum cocis similibus-
que aliis, eadem accipere pene consuetos, vt pa-
rum sibi necessarios, data quo velint eundi pote-
state, proiecit. Et quanquam à rudimentis pueri-
tiæ primis inclinatior erat erga numinum cultũ,
paulatimque adolescens desiderio rei flagrabat
multa metuens, tamen agitabat quædam ad id per
tinentia, quantum fieri poterat occultissime. Vbi
vero abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum
A tempus faciundi quæ vellet aduertit, sui pectoris
patefecit arcana, & plane absolutis decretis, aperi-
ri templa, arisque hostias admoueri, & reparari
deorum statuit cultum. Vtque dispositorum ro-
boraret effectum, dissidentes Christianorum an-
tistites cum plebe discissa in palatium intromis-
sos monebat vt ciuilibus discordiis consopitis,
quisque nullo vetante religioni suæ seruiret in-
trepidus: quod agebat ideo obstinate, vt dissensio-
nes augente licentia, non timeret vnanimantem
B postea plebem, nullas infestas hominibus bestias
vt sunt sibi feralibus plerisque Christianorum ex-
pertus. Sæpeque dictitabat, *Audite me quem Ale-
manni audierunt & Franci:* imitari putans Marci
principis veteris dictum. Sed parum aduertit hoc
ab eo nimium discrepare. Ille enim quum Palæ-
stinam transiret Ægyptum petens, fœtentium Iu-
dæorum & tumultuantium sæpe tædio percitus,
dolēter dicitur exclamasse, *ô Marcomanni, ô Qua-
C di, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inue-
ni.* Per hoc idem tempus rumoribus exciti variis,
Ægyptij venere complures, genus hominum con
trouersum, & adsuetudine perplexius litigandi
semper lætissimum, maximeque auidum multipli
catum reposcere, si compulsori quidquam dede-
rit, vt leuari debito possit, vel certe commodius
per dilationem inferre quæ flagitantur, aut crimi
nis vitandi formidine, diuites pecuniarum repe-
tundarum interrogare. Hi omnes densati in vnũ,
D principem ipsum & præfectos prætorio gratulo-
rum more strepentes interpellabant incondite;
modo non ante septuagesimum aonum extorquē
tes quæ dedisse se iure vel secus plurimis adsit ma-
bant. Quumque nihil aliud agi permitterent, edi-
cto proposito, vniuersos iussit transire Chalcedo-
na, pollicitus quod ipse quoque protinus veniret,
eorum negotia finiturus. Quibus transgressis,
mandatum est nauigiorum magistris vltrocitro-
que discurrentium, nequis transfretare auderet
E Ægyptium. hocque obseruato cura propeosiore,
euanuit pertinax calumniandi propositum, & o-
mnes spe præsumpta frustrati redierunt in lares:
vnde velut æquitate ipsa dictante, lex est promul-
gata, qua cauetur nullum interpellari suffragato-
rem super his quę eum recte constiterit accepisse.
Allapso itaque calendarum Ianuariũm die, quum
Mamertini & Neuitæ nomina suscepissent pagi-
næ consulares, huumilior princeps visus est in of-
ficio pedibus gradiendo cum hoooratis: quod lau-
F dabant alij, quidam vt adfectatum & vile carpe-
bant. Dein Mamertino ludos edente circenses,
manumittendis ex more inductis per admissionũ
proximum, ipse lege agi dixerat, vt solebat: statim
que admonitus iurisdictionem eo die ad alterum
pertinere, vt errato obnoxiam Decembris auro-
tam & ipse mutauit. Frequentabant inter hæc cu-
riam aggere diuerso, diuersasque occasiones mul-
tiplices ingerebant. Et quum die quodam caussa
eius spectandi venisse nuntiatus esset ex Asia phi-
G losophus Maximus, exiliuit indecore; & qui esset
oblitus, effuso cursu à vestibulo longe progressus,
exosculatum susceptumque reuerenter secum in-
duxit, per ostentationem intempestiuam nimius
captator inanis gloriæ visus, pręclarique illius di-
cti immemor Tulliani, quo tales notando ita re-
latum est: *Ipsi illi philosophi, etiam in his libris quos
de contemnenda gloria scribunt, nomen suum in-scri-
bunt, vt in eo ipso quo prædicationem nobilitatemque
despiciunt, prædicari de se ac se nominari velint.*

Haud

Haud multo deinceps, duo agentes in rebus ex his A
qui proiecti sunt, eum adiere fidentius, promittentes latebras monstrare Florentij, si eis gradus militiæ redderetur. quos incessens delatoresque appellans, addebat non esse Imperatorium obliquis flectis indiciis ad retrahendum hominem mortis metu absconditum, qui forte non diu latitare citra spé veniæ permitteretur. Aderat his omnibus Prætextatus, præclaræ indolis grauitatisque priscæ senator, ex negotio proprio forte repertus apud Cóstantinopolim, quem arbitrio suo Achaiæ proconsulari præfecerat potestate. Nec tamen quum corrigendis ciuilibus ita diligenter instaret, omitit castrensia, rectores militibus diu exploratos adponens; vrbes quinetiam per Thracias omnes cum munimentis reparans extimis, curansque sollicite ne arma vel indumenta vel stipendium vel alimenta deessent his quos per supercilia Istri dispersos, excursibusque barbarorum oppositos, agere vigilanter audiebat & fortiter. Quæ quum ita diuideret, nihil segnius agi permittens suadentibus proximis vt aggrederetur propinquos Gotthos sæpe fallaces & perfidos, hostes quærere se meliores aiebat. Illis enim sufficere mercatores Galatas, per quos vbique sine conditionis discrimine venumdantur. Hæc cum curantem & talia, commendabat externis nationibus fama, vt fortitudine, sobrietate, rei militaris scientia, virtutumque omnium incrementis excellum: paulatimque progrediens, ambitum oppleuerat mundi. Proinde timore eius aduentus per finitimos longeque distantes latius explicato, legationes vndique sollicite ad eum concurrebant: hinc Transtigritanis pacem obsecrantibus & Armeniis, inde nationibus Indicis certatim cum donis optimates mittentibus ante tempus abusque Indis & Serindis: ab Australi plaga ad famulandum rei Romanæ semet offerentibus Mauris: ab aquilone & regionibus solis, per quas in mare Phasis accipitur, Bosphoranis aliisque antehac ignotis legationes vehentibus supplices, vt annua complentes solennia intra terrarum genitalium terminos otiosé viuere sinerentur. Appositum est (vt existimo.) tempus ad has partes nos occasione magni principis deuolutos, super Thraciarum extimis, situque Pontici sinus visa vel lecta quædam perspicua fide monstrare. Athos in Macedonia mons ille præcelsus, nauibus quondam Medicis peruius, & Caphareus Euboicus scopulus, vbi Nauplius Palamedis pater classem coneidit Argiuam, licet longo spatio controuersi, à Thessalo mari distinguunt Ægæum: quod paulatim fusius adolescens, dextra qua late protenditur, per Sporadas est insulosum atque Cycladas, ideo sic appellatas, quod omnes ambiunt Delon patriam deorum insignem: læua Imbrum & Tenedum circumluens, & Lemnum & Thasum, quando perflatur, Lesbo illiditur violentius. Vnde gurgitibus refluis, Apollinis Sminthij templum & Troada perstringit, & Ilium heroicis casibus clarum: efficitque Melana sinum oppositum zephyro: cuius apud principiū Abdera visitur Protagoræ domicilium & Democriti, cruentæque Diomedis Tracij sedes, & conualles per quas Hebrus sibi miscetur, & Maronea ac Ænus; qua diris auspiciis cœpta moxque relicta, ad Ausoniam veterem ductu numinum properauit Æneas. Hinc gracilescens paulatim, & velut naturali quodam commercio ruens in pontum, eiusque partem ad se iungens, in speciem

Græcæ litteræ formatur: & Hellesponton à Rhodopa scindens, Cynossema, vbi sepulta creditur Hecuba, & Cœla præterlabitur & Seston & Callipolin: contra per Achillis Aiacisque sepulcra Dardanum contingit & Abydon, vnde iunctis pontibus Xerxes maria pedibus peragrauit: deinde Lápsacum Themistocli dono datam à rege Persarū, & Parion quàm condidit Iasonis filius Parius. Vnde semiorbe turgéscens altrinsecus, lataque aperiens terrarum diuortia, circumfluis spatiis Pro
B pontidos respergit ex eo latere Cyzicum & Dindyma religiosa Matris magnæ delubra, & Apamiam Ciumque, & Astacum sequuto tempore Nicomediam à rege cognominatam: qua in occasum procedit, Cherronesum pulsat & Ægospotamus, in quo loco lapides casuros ex cælo prædixit Anaxagoras: & Lysimachiam, & ciuitatem quam Hercules conditam Perinthum comitis sui memoriæ dedicauit. Et vt effectæ plenæque litteræ figura
C seruetur, in meditullio ipso rotunditatis Proconnesus insula est oblonga, & Besbicus. Post cuius summitatem in angustias rursus extenuatum, Europam & Bithyniam intercurrens, per Chalcedona, Chrysopolin & stationes transit obscuras. Nā supercilia eius sinistra Athyras portus despectat & Selymbria, & Constantinopolis vetus Byzantium, Atticorum colonia; & promontorium Ceras, prælucentem nauibus vehens constructam celsius turrim; quapropter Pharos appellatur: & vetus inde fons Euripis prægelidus. Hoc modo
D fractum & participatione maris vtriusque finitū, iamque mitescens, in æquoream panditur faciem, quantum potest cadere sub aspectum, late diffusum & longe. Omnis autem eius velut insularis circuitus litorea nauigatio, viginti tribus dimensa millibus stadiorum, vt Eratosthenes affirmat & Hecatæus & Ptolemæus; aliique huiusmodi cognitionum scientissimi scitatores, in speciem Scythici arcus neruo coagmentati geographiæ totius adsensione formatur. Et qua sol oceano exsurgit
E eoo, paludibus clauditur Mæotidos: qua declinat in vesperum, Romanis prouinciis terminatur: vnde suspicit sidus arctoum, homines alit linguis & moribus dispares: latus eius austrinum molli deuexitate subductum. Per hæc amplissima spatia opida sunt dispersa Græcorum: quæ cuncta ætatibus variis præter pauca, Atheniensium coloni cōdidere Milesij, inter Ionas alios in Asia per Nileū multo ante locati, Codri illius filium, qui se pro
F patria bello fertur Dorico deuouisse. Extremitates autem arcus vtrimque tenues duo exprimunt Bosphori, è regione sibi oppositi, Thracius & Cimmerius: hac caussa Bospori vocati, quod per eos quondam Inachi filiá mutata (vt poëtæ loquuntur) in bouem, ad mare Ionium permeauit. Dextrum igitur ad inflexionem Bospori Thracij excepit Bithynia latus, quam veteres dixere Mygdoniam: in qua Thynia & Mariandena sunt regiones, & Amyci sæuicia Bebryces exempti virtute Pollucis, remotaque statio, in qua volitantes mi
G naciter harpyas Phineus vates horrebat: per quæ litora in sinus oblongos curuata Sangarius & Psyllis, Byzes & Rhebas fluuij funduntur in maria: quibus controuersæ extraneæ sunt Symplegades, gemini scopuli in vertices vndique porrecti diruptos, adsueti priscis seculis obuiam sibi cum horrendo fragore collisis molibus ferri, cedentesque retrorsus acri adsultu ad ea reuerti quæ pulsarant. Per has saxorum dehiscentium concursantiumq;

crebxitarcs, si etiam ales interuolasset, nulla celeritate pinnarum eripi poterat quin interiret oppressa. Hi scopuli, quum eos Argo prima omnium nauis Colchos ad direptionem aurei properans velleris, præterisset innoxia, immobiles turbine circumfracto stetere concorporati, vt eos aliquando fuisse diremptos nulli nunc conspicantium credant, nisi super hoc congruerent omnes priscorum carminum cantus. Post Bythyniæ partem, prouinciȩ Pontus & Paphlagonia protenduntur, in quibus Heraclea & Sinope & Polemonion & Amisos amplæ sunt ciuitates, & Tios & Amastris omnes ab auspicio, diligentia fundatæ Græcorũ, & Cerasûs, vnde aduexit huiusmodi poma Lucullus, insulæque arduæ Trapezunta & Pityunta cõtinentes, opida non obscura. Vltrà hæc loca Acherusium specus est, quod accolæ μυχοπόντιον appellant, & portus Acone, fluuij diuersi, Acheron itẽmque Archadius, & Iris & Tenbrius, & iuxta Parthenius, omnes in mare ictu rapido decurrentes. Thermodon his est proximus, ab Armonio defluens monte, & Themiscyræos interlabens lucos: ad quos Amazonas quondam migrare necessitas subegerat talis. Attritis damnorum assiduitate finitimis, Amazones veteres quæ eos cruentis populabantur incursibus, altiora spirabant: viresque suas circumspectantes hisque propinqua, sæpius appetebant validiores, raptæ præcipiti cupiditatis ardore. Et perruptis nationibus plurimis, manus Atheniensibus intulerunt, acrique concertatione fusæ ac disiectæ, omnes nudatis equitatus sui lateribus corruere. Harum interitu cognito, residuæ imbelles domi relictæ, extrema perpessæ, vicinitatis repensantis similia funestos impetus declinantes, ad pacatiorem sedem transiere Thermodoontis: quarum progenies longe deinde propagata per numerosam sobolem, manu firmissima ad loca reuerterat genitalia, sequuto tempore populis diuersarum originum formidabilis. Haud procul inde attollitur Carambis placidi collis cõtra septemtrionem Elicẽ exsurgens, cuius è regione est Criumetopon Tauricæ promontorium, duobus millibus & quingentis stadiis disparatum. Hocque ex loco omnis ora maritima, cuius initiũ Halys est amnis, velut longitudine lineali directa, nerui efficit speciem, duabus arcus summitatibus complicati. His regionibus Dahæ confines sunt, acerrimi omnium bellatores, & Chalybes, per quos erutum & domitum est primitus ferrum. Post quos terras patentes Byzares obtinent, & Sapires, & Tibareni, & Mossynœci, & Macrones, & Philyres, populi nulla nobis adsuetudine cogniti: à quibus breui spatio distant virorum monumenta nobilium, in quibus Sthenelus est humatus & Idmon & Tiphys: primus, Herculis socius Amazonico bello letaliter vulneratus, alter, augur Argonautarum, tertius, eiusdem nauis cautissimus rector. Prætercursis partibus memoratis, Aulium antrum est, & fluenta Callichori ex facto cognominati, quod superatis post triennium Indicis nationibus, ad eos tractus Liber reuersus, circa huius ripas virides & opacas orgia pristina reparauit & choros. Trieterica huiusmodi sacra quidam existimant appellari. Post hæc confinia Camaritarum pagi sunt celebres, & Phasis fremibundis cursibus Colchos attingit, Ægyptiorum antiquam sobolem: vbi inter ciuitates alias Phasis est nomine fluuij dictitata, & Dioscurias nunc vsque nota; cuius auctores Amphitus & Telchius Spartani tra-

A duntur, aurigæ Castoris & Pollucis, à quibus Heniochorum natio est instituta. Paulum ab his secernuntur Achæi; qui bello anteriore quodam apud Troiam consummato, non quum super Helena certaretur, vt auctores prodidere nonnulli, in Pontum reflantibus ventis errore delati, cunctisque hostilibus stabilem domiciliis sedem nusquam reperientes, verticibus montium insedere semper niualium: & horrore cæli districti, victum sibi cum periculis rapto parare adsuefacti sunt: at-
B que eo vltra omnem deinde ferociam sæuierunt. Super Cercetis, qui iisdem annexi sunt, nihil memoratu traditur dignum. Quorum post terga Cimmerici agitant incolæ Bospori; vbi Milesiæ sunt ciuitates, harumque velut mater omnium Panticapæum: quam prætexit Hypanis fluuius, genuinis intumescens aquis & externis. Itineribus hinc extensis, Amazones adusque Caspium mare porrectæ circumcolunt Tanaim: qui inter Caucasias oriens rupes, per sinuosos labitur circumflexus,
C Asiamque disterminans ab Europa, in stagnis Mæoticis delitescit. Huic Rha vicinus est amnis; in cuius superciliis quædam vegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad vsus multiplices medelarum. Vltra Tanain panduntur in latitudinem Sauromatæ; per quos amnes fluunt perpetui, Maraceus & Rhombites & Theophanes & Totordanes. Licet alia quoque distans immanibus interuallis Sauromatarum prætenditur natio, litori iuncta quod Coracem suscipiens fluuium, in æquor eiectat extremum. Prope palus est Mæ-
D otis amplissimi circumgressus: ex cuius vberrimis venis per Patares angustias vndarum magnitudo prorumpit in Pontum: cuius in dextro latere insulæ sunt Phanagorus & Hermonassa, studio constructæ Grȩcorũ. Circa hȩc stagna vltima extimaque plures habitant gentes, sermonũ institutorũq; varietate dispariles: Iaxamatæ & Mæotæ & Iazyges, Rhoxolanique & Alani & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathyrsi, apud quos adamantis est copia lapidis: aliique vltra latentes, quod sunt om-
E nium penitissimi. Sed Mæotidos lateri læuo Chersonesus est propinqua, colonarium plena Græcorum. Vnde quieti sunt homines & sedati, adhibẽtes vomeri curã, & prouentibus fructuariis victitantes. A quib. per varia regna diducti itineribus modicis Tauri dissociãtur. inter quos immani diritate terribiles Arinchi, & Sinchi & Napæi, intẽdente sæuitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali, & à contrario per cauillationẽ pontus Euxinus appellatur; vt euethem Græcè di-
F cimus stultum, & noctem euphronen, & furias eumenidas. Diis enim hostiis litantes humanis, & immolantes aduenas Dianæ, quæ apud eos dicitur Orsiloche, cæsorum capita fani parietibus præfigebant, velut fortium perpetua monumenta facinorum. In hac Taurica, insula Leuce sine habitatoribus vllis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam forte delati, visis antiquitatis vestigiis temploque & donariis eidem heroi consecratis, vespera repetunt naues: aiunt enim non sine
G discrimine vitæ illic quẽquam pernoctare. Ibi & aquæ sunt, & candidæ aues nascuntur halcyonib. similes: super quarum origine & Hellespontiacis prœliis suo tempore disseremus. Sunt autem quædam per Tauricam ciuitates, inter quas eminet Eupatoria & Dandace & Theodosia, & minores aliæ nullis humanis hostiis impiatæ. Hactenus arcus apex protendi existimatur. Eius nunc resi-

dua

dua leniter sinuata, subiectaque vrsæ cęlesti, aduf- A
que læuú Bospori Thracij latus (ut ordo postulat)
exsequemur, id admouentes quod quú arcus om-
nio géti flexis curuétur hastilib. Scythici soli vel
Parthici circúductis vtrimq; introrsus pádis & pa
tulis cornib. effigié lunę decrescentis ostédút me-
dietaté recta & rotúda regula diuidéte. Ergo in i-
pso hui⁹ cópagis exordio, vbi Riphęi deficiút mó-
tes, habitant Arimaspi iusti homines placiditateq;
cogniti, quos amnes Chronius & Bisula præter-
fluunt: iuxtaq; Massagetæ, Alani & Sarmatæ, aliiq; B
complures obscuri, quorum nec vocabula nobis
sunt nota nec mores. Interiectu deinde nó medio-
cri, Carcinites panditur sinus, eiusdemque nomi-
nis fluuius, & religiosus per eas terras Triuiæ lu-
cus. Dein Borysthenes à montibus oriens Neuro-
rum, primigeniis fontibus copiosus, concursuque
multorum amnium adolescens, mari præruptis
vndarum verticibus intimatur: cuius in margini-
bus nemorosis Borysthenes est ciuitas & Cepha-
lonesus, & aræ Alexandro Magno Cæsarique Au- C
gusto sacratæ. Longo exinde interuallo pene est
insula, quam incolunt Sindi ignobiles, post heri-
les in Asia casus coniugiis potiti dominorum &
rebus: quibus subiectú gracile litus, Achilleos vo-
cant indigenæ dromon, exercitiis ducis quondam
Thessali memorabilé. Eique proxima est ciuitas
Tyros colonia Phœnicú, quam pręstringit fluuius
Tyras. In medio autem spatio arcus, quod prolixæ
rotunditatis esse prædiximus, quodque expedito
viatori diebus cóficitur quindecim, Europæi, sunt
Alani & Costobocæ, gentesq; Scytharú innume-
ræ, quæ porrigútur adusq; terras sine cognito fine D
distétas: quarú pars exigua frugibus alitur; residuæ
omnes, palátes per solitudines vastas, nec stiná, ali-
quádo nec semeté expertas, sed squalétes & pruino
sas ferarú tetro ritu vescútur: eisq; caritates & ha-
bitacula vilesque supellectiles, plaustris impositæ
sút corticibus tectis: & quú placuerit, sine obstacu
lo migrát, eadé carpenta quo libuerit cóuoluétes.
Quú autem ad aliú portuosú ambitú fuerit ventú
qui arcus figuram determinat vltimam, Peuce pro
minet insula: quam circumcolunt Troglodytæ & E
Peucini, minoresque aliæ gentes, & Istros quon-
dá potentissima ciuitas, & Tomi, & Apollonia, &
Anchialos, & Odissos: aliæ præterea multæ, quas
litora cótinent Thraciarú. Amnis vero Danubius
oriens prope Rauracos montes, confines limitib.
Rhæticis, per latiorem orbem protentus, ac sexa-
ginta nauigabiles pene recipiens fluuios, septem
ostiis per hoc Scythicum litus erumpit in mare.
Quorum primum est Peuce insula supra dicta, vt
interpretata sunt vocabula Græco sermone, secun F
dum Naracustoma, tertium Calóstoma, quartum
Pseudostoma. Nam Boreonstoma ac deinde Steno
stoma longe minora sunt ceteris: septimum in-
gens & palustri specie nigrum. Omnis autem cir-
cumfluo ambitu Pontus, & nebulosus est, & dul-
cior æquoribus ceteris, & vadosus: quod concres-
cit aër ex humorum spiramine sæpe densatus, &
irruentium vndarum multitudine temperatur, &
consurgit in breuia dorsuosa, limum globosque
aggerente multitudine circumuenientium fluen- G
torum. Et constat ab vltimis nostri finibus maris
agminatim ad hunc secessum pariendi gratia pete
re pisces, vt aquarum suauitate salubrius fœtum
educant, in receptaculis cauis quæ sunt ibi densis-
sima, securi voracium belluarum: nihil enim in
Ponto huiusmodi aliquando est visum, præter

A innoxios delphinas & paruos. Quidquid autem
eiusdem Pontici sinus Aquilone cæditur & prui-
nis, ita perstringitur gelu, vt nec amnium cursus
subteruolui credantur, nec per infidum & labile
solum gressus hominis possit vel iumenti firmari,
quod vitium numquam mare sincerum, sed per-
mixtum aquis amnicis tentat. Prolati aliquanto
longius quam sperabamus, pergamus ad reliqua.
Accesserat aliud ad gaudiorum præsentium cu-
mulum, diu quidem speratum, sed dilationum am
B bage multiplici tractum. Nuntiatum est enim per
Agilonem & Iouium postea quæstorem, Aquileię
defensores longiore obsidij tædio, cognitoque
Constantij excessu, patefactis portis egressos, au-
ctores prodidisse turbarum: iisdemque viuis exu-
stis (vt supra relatum est) omnes concessionem im
petrasse delictorum & veniam. At prosperis Iulia-
nus elatior, vltra homines iam spirabat, periculis
expertus adsiduis quod ei vrbem Romanam pla-
cide iam regenti, velut mundanam cornucopiam
C fortuna gestans propitia, cuncta gloriosa defere-
bat & prospera, antegressis victoriarum titulis
hæc quoque adiiciens, quod dum teneret imperiú
solus, nec motibus internis est concitus, nec bar-
barorum quisquam vltra suos exsiluit fines: &
populi omnes auiditate semper insectandi præte-
rita, vt damnosa & noxia, in laudes eius studiis mi
ris accendebantur. Omnibus igitur, quæ res di-
uersæ poscebant & tempora, perpensa deliberatio-
ne dispositis, & militibus orationibus crebris sti-
pendioque competenti ad ea expedienda oscitan-
ti promptius animatis, cúctorum fauore sublimis
D Antiochiam ire contendens, reliquit Constanti-
nopolim incrementis maximis fultam: natus e-
nim illic, diligebat eam vt genitalem patriam &
colebat. Transgressus itaque fretum, prætercursa
Chalcedona & Libyssa, vbi sepultus est Annibal
Pœnus, inde Nicomediam venit vrbem antehac
inclytam, ita magnis retro principum amplifica-
tam impensis, vt ædium multitudine priuatarum
& publicarum recte noscentibus regio quædam
vrbis æstimaretur æternæ. Cuius mœnia quum vi
E disset in fauillas miserabiles consedisse, angorem
animi tacitis fletibus indicans, pigriori gradu per
gebat ad regiam, hoc maxime ærumnis eius illa-
crymans, quod ordo squalens occurrit populi, ni-
mium quantum antehac florentissimus: & agnos-
cebat quosdam ibidem ab Eusebio educatus epi-
scopo, quem genere longius cótingebat. Hic quo-
que pari modo ad reparanda quæ terræ subuerte-
rat tremor, abunde præstitis plurimis, per Ni-
cæam venit ad Gallogræciæ fines: vnde dextror-
F sus itinere declinato, Pessinunta conuertit, vi-
surus vetusta Matris magnæ delubra. à quo o-
pido bello Punico secundo, carmine Comano
monente, per Scipionem Nasicam simulacrum
translatum est Romam. cuius super aduentu in
Italiam, pauca cum aliis huic materiæ congru-
tibus in actibus Commodi principis digessimus
per excessum. quamobrem autem hoc nomi-
ne opidum sit appellatum, variant rerum scri-
ptores. Quidam enim figmento deæ cælitus la-
G pso, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod *cadere* nos dicimus,
vrbem adseruere cognominatam. Alij memo-
rant Ilum Trois filium Dardaniæ regem, lo-
cum sic appellasse. Theopompus non Ilum id e-
gisse, sed Midam affirmat, Phrygiæ quondam po-
tentissimum regem. Venerato igitur numine, ho-
stiisque litato & votis, Ancyram redit: eumque

exinde progredientem vlterius multitudo inquie- A tabat, pars violenter erepta reddi sibi poscens, alij querentes consortiis se curiarum addictos iniuste, nonnulli sine respectu periculi agentes advsq; rabiem, vt aduersarios suos læsæ maiestatis criminibus illigarent. Verum ille iudicibus Cassiis tristior & Lycurgis, caussarum momenta æquo iure perpendens, suum cuique tribuebat, nusquam à vero abductus, acrius in calumniatores exsurgens, quos oderat; multorum huiusmodi petulantem sæ- B pe dementiam advsque discrimen expertus, dum esset adhuc humilis & priuatus: exemplumque patientiæ eius in tali negotio, licet sint alia plurima, id vnum sufficiet poni. Inimicum quidam suum, cum quo discordabat, asperrime dixisse in maiestatem turbulentius deferebat. Imperatoreque dissimulante, eadem diebus continuis replicans, interrogatus ad vltimum qui esset quem argueret, respondit municipem locupletem. Quo audito, princeps renidens, *Quib. indiciis*, ait *ad hoc peruenisti?* C Et ille, *Purpureum*, inquit, *sibi indumentum ex serico pallio parat*. Iussusque post hæc, vt vilis arduæ rei vilem incusans, abire tacitus & innoxius, nihilominus instabat. Quo tædio Iulianus defatigatus, ad largitionum comitem visum propius, *Iube*, inquit, *periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea ad aduersarium perferenda, quem (vt datur intelligi) chlamydem huius coloris memorat sibi consarcinasse: vt sciri possit, sine viribus maximis quid panniculi proficiant leues.* Sed vt hæc laudauda D & bonis moderatoribus æmulanda, ita illud amarum & notabile fuit, quod ægre sub eo à curialibus quisquam appetitus, licet priuilegiis & stipendiorum numero & originis penitus alienæ fortitudine communitus, obtinebat æquissimum: adeo vt plerique territi emercarentur molestias pretiis clandestinis. Itineribus itaque emensis, quum ad Pylas venisset, (qui locus Cappadocas discernit & Cilicas) osculo susceptum rectorem prouinciæ nomine Celsum, iam inde à studiis E cognitum Atticis, adscitumque in concessum vehiculi, Tarsum secum induxit. At hinc videre properans Antiochiam, orientis apicem pulchrum, vsus itineribus sulitis venit: vrbique propinquans, in speciem alicuius numinis votis excipitur, publicas miratus voces multitudinis magnæ, salutare sidus inluxisse eois partibus adclamantis. Euenerat autem iisdem diebus annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, vt fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum. Et F visum est triste, quod amplam vrbem principumque domicilium introeunte Imperatore nunc primum, vlulabiles vndique planctus & lugubres sonitus audiebantur. Hic patientiæ eius & lenitudinis documentum leue quidem apparuit, sed mirandum. Thalassium quemdam ex proximo libellorum insidiatorem fratris oderat Galli. Quo adorare adesseque officio inter honoratos prohibito, aduersarij cum quibus litigabat in foro, po- G stridie turba congregata superflua, adito Imperatore, *Thalassius*, clamitabant, *inimicus pietatis tuæ, nostra violenter eripuit.* Et ille hac occasione hominem opprimi posse coniiciens, *Agnosco*, respondit, *quem dicitis offendisse me iusta de caussa: & silere vos interim consentaneum est, dum mihi inimico potiori faciat satis.* Mandauitque adsidenti præfecto ne audiretur eorum negotium antequam ipse cum Thalassio rediret in gratiam: quod breui eue-

A nit. Ibi hiemans ex sententia, nullis interim voluptatum potiebatur illecebris, quibus abundant Syriæ omnes: verum per speciem quietis iudicialibus caussis intentus, non minus arduis quam bellicis, distrahebatur multiformibus curis, exquisita docilitate librans quibus modis suum cuique tribueret, iustisque sententiis & improbi modicis coërcerentur suppliciis, & innocentes fortunis defenderentur intactis. Et quamquam in disceptãdo aliquoties erat intempestiuus, quid quisq; iurgan- B tium coleret tempore alieno interrogans, tamen nulla eius definitio litis à vero dissonãs reperitur nec argui vmquam potuit ob religioné vel quodcumque aliud ab æquitatis recto tramite deuiasse. Iudicium enim hoc est optandum & rectum, vbi per varia negotiorum examina, iustum id est & iniustum: à quo ille ne aberraret, tamquam scopulos cauebat abruptos. Hoc auté ideo consequi potuit, quod leuitatem agnoscens commotioris ingenij C sui, præfectis proximisque permittebat vt fidenter impetus suos aliorsum tendentes, ad quæ decebat monitu oportuno frenarent: monstrabatque subinde, se dolere delictis & gaudere correctione. Quumque eum defensores caussarum, vt consciũ rationis perfectæ, plausibus maximis celebrarent, fertur id dixisse permotus, *Gaudebam planeque me efferebam, si ab his laudarer quos & vituperare posse aduerterem, siquid secus factum sit aut dictum.* Sufficiet autem pro multis, quæ clementer egit in liti- D bus cognoscendis, hoc vnum ponere nec abhorrens à proposito nec absurdum. Inducta in iudicium fœmina quædam, quum palatinum aduersarium suum è numero protectorum cinctum præter spem conspexisset, hoc factum insolens tumultuando querebatur. Et Imperator, *Prosequere*, ait, *mulier, siquid te læsam existimas. hic enim sic cinctus est vt expeditius per lutum incedat: parum nocere tuis partibus potest.* Et æstimabatur per hæc & similia (vt ipse dicebat adsidue) vetus illa Iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in cæ- E lum imperante eo reuersa ad terras, ni quædam suo ageret, non legum arbitrio, erratisque aliquoties obnubilaret gloriarũ multiplices cursus. Post multa enim, etiam iura quædam correxit in melius ambagibus circũcisis, indicantia liquide quid iuberent fieri vel vetarent. Illud autem inclemens obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros rhetoricos & grãmaticos, ritus Christiani cultores. Iisdem diebus Gaudentius ille notarius quem opponendũ per Africam missum su- F pra diximus à Constantio, Iulianus quinetiam ex vicario, earumdem partium nimius fautor, retracti sub vinculis morte perierẽ pœnali. Tũc & Artemius ex duce Ægypti, Alexandrinis vrgentibus atrocium criminum mole, supplicio capitali mulctatus est. Post quem Marcelli ex magistro equitũ & peditum filius, vt iniectans imperio manus publica deletus est morte. Romanus quinetiam & Vincentius, scutariorum scholæ primæ secundæ- G que tribuni, agitasse conuicti quædam suis viribus altiora, acti sunt in exsilium. Quumque tempus interstetisset exiguum, Alexandrini Artemij comperto interitu, quem verebantur ne cum potestate reuersus, (id enim minatus est) multos læderet vt offensus, iram in Georgium verterunt episcopum, vipereis (vt ita dixerim) morsibus ab eo sæpius appetiti. In fullonio natus, vt ferebatur, apud Epiphaniam Ciliciæ opidum, auctusque in damna complurium, contra vtilitatem suã reique com-

communis, episcopus Alexandriæ est ordinatus,
in ciuitate quæ suopte motu & vbi caussæ non
suppetunt, seditionibus crebris agitatur & turbu-
lentis, vt oraculorum quoque loquitur fides. His
efferatis hominum mentibus, Georgius quoque
ipse graue accesserat incentiuum, apud patulas au
res Constantij multos exinde incusans, vt eius re-
calcitrantes imperiis: professionisque suę oblitus,
quæ nihil nisi iustum suadet & lene, ad delato-
rum ausa feralia desciscebat. & inter cetera diceba
tur id quoque maligne docuisse Constantium,
quod in vrbe prædicta ædificia cuncta solo cohę-
rentia, à conditore Alexandro magnitudine impē
sarum publicarum exstructa, emolimentis ærarij
proficere debent ex iure. ad hæc mala id quoque
addiderat, vnde paulo post trusus est in exitium
præceps. Reuersus ex comitatu principis, quum
transiret per speciosum Genij templum, multitu-
dine stipatus ex more, flexis ad ædem ipsam lumi-
nibus, *Quandiu,* inquit, *sepulcrum hoc stabit?* Quo
audito velut fulmine multi perculsi, metuentesq;
ne illud quoque tentaret euertere, quidquid pote-
rant, in eius perniciem clandestinis insidiis conci
tabant. Ecce autem repente perlato lætabili nun-
tio indicante exstinctum Artemium, plebs omnis
elata gaudio insperato, vocibus horrendis infren-
dens, Georgium petit; raptumque diuersis mulctā
ri generibus proterens, & conculcans diuaricatis
pedibus. Cumque eo Dracontios monetæ præpo-
situs, & Diodorus quidam veluti comes, iniectis
per crura funibus simul exanimati sunt: ille, quod
aram in moneta quam regebat recens locatam e-
uertit: alter, quod dum ædificandæ præesset eccle-
siæ, cirros puerorum licentius detondebat; id quo
que ad deorum cultum existimās pertinere. Quo
non contenta multitudo immanis, dilaniata cada-
uera peremptorum camelis imposita vexit ad la-
cus: iisdemque subito igne crematis, cinerēs proie
cit in mare; id metuens, vt clamabat, ne collectis
supremis, ædes illis exstruerentur vt reliquis, qui
deuiare à religione compulsi, pertulere cruciabi-
les pœnas, adusque gloriosam mortem intemerata
fide progressi, & nunc martyres appellantur. Pote
rantque miserandi homines ad crudele suppliciū
ducti, Christianorum adiumento defendi, ni Ge-
orgij odio omnes indiscrete flagrassent. Hoc com
perto, Imperator ad vindicandum facinus nefan-
dum erectus, iamque expetiturus pœnas à noxiis
vltimas, mitigatus est lenientibus proximis: mis-
soque edicto, acri oratione scelus detestabatur ad-
missum, minatus extrema si deinde tentatum fue-
rit aliquid quod iustitia vetet & leges. Inter hæc
expeditionem parans in Persas, quam dudum ani
mi robore conceperat celso, ad vltionem præteri-
torum vehementer elatus est; sciēs & audiens gen
tem asperrimam per sexaginta ferme annos inus-
sisse orienti cædium & direptionum monumenta
sæuissima, ad internecionem exercitibus nostris
sæpe deletis. Vrebatur autem bellandi gemino de-
siderio: primo, quod impatiens otij lituos somnia
bat & prœlia: dein, quod in ætatis flore primæuo
obiectus efferarum gentium armis, recentibus e-
tiam tum regum precibus & regalium, qui vinci
magis posse quā supplices manus tēdere crederen
tur, ornamentis illustriū gloriarū inserere Parthi-
ci cognomentum ardebat. Quæ maximis molibus
festinari cernentes obtrectatores desides & malig-
ni, vnius corporis permutatione tot cieri turbas
intempestiuas indignum & perniciosum esse stre-
A pebant, studium omne in differendo procinctu
ponentes: & dictitabant his præsentibus, quos au-
dita referre ad Imperatorem posse rebantur, eum,
ni sedatius ageret, immodica rerum secundarum
prosperitate, velut luxuriantes vbertate nimia fru
ges, bonis suis protinus occasurum. Et hæc diu
multumque agitantes, frustra virum circumlatra-
bant immobilem occultis iniuriis, vt Pygmæi vel
Thiodamas agrestis homo Lindius Herculem. Il-
le tamen, vt maioris præter ceteros spiritus, ni-
B hilo lentius magnitudinē expeditionis secum cō-
mentans, in præparandis congruis operam naua-
bat enixam. Hostiarum tamen sanguine plurimo
aras crebritate nimia perfundebat, tauros aliquo-
ties immolando centenos, & innumeros varij pe-
coris greges, ouesque candidas terra quæsitas &
mari: adeo vt in dies pene singulos milites carnis
distensiore sagina victitantes incultius, potusque
auiditate corrupti, humeris impositi transeuntiū,
C per plateas ex publicis ædibus, vbi vindicandis po
tius quam edendis conuiuiis indulgebant, ad sua
diuersoria portarentur, Petulantes ante omnes &
Celtæ; quorum ea tempestate confidentia creue-
rat vltra modum. Augebantur autem ceremonia-
rum ritus immodice, cum impensarum amplitu-
dine, antehac inusitata & graui: & quisque, quum
impræpedite liceret, scientiam vaticinandi pro-
fessus, iuxtà imperitus & docilis, sine fine vel præ-
stitutis ordinibus, oraculorum permittebatur sci
tari responsa & extispicia nonunquam futurā
D pandentia: oscinumque & auguriorum & ominū
fides, si reperiri vsquam posset, adfectata varietatę
quęrebatur. Hæcque dum ita procedunt more pa-
cis, multorum curiosior Iulianus nouam consilii
viam ingressus est, venas fatidicas Castalij reclu-
dere cogitans fontis: quem obstruxisse Cæsar dici-
tur Hadrianus mole saxorum ingenti; veritus ne,
vt ipse pręcinentibus aquis capessendam rempub.
comperit, etiam alii similia docerentur: ac statim
circumhumata corpora statuit exinde transferri
E eo ritu quo Athenienses insulam purgauerant De
lon. Eodem tempore die xi cal. Nouembrium am
plissimum Daphnęi Apollinis fanum, quod Epi-
phanes Antiochus rex ille condidit iracundus &
sæuus, & simulacrum in eo Olympiaci Iouis, imi-
tamenti, æquiparans magnitudinem, subita vi flā-
marum exustum est. Quo tam atroci casu repente
consumpto ad id vsq; Imperatorē ita pronexit, vt
quęstiones agitari iuberet solito acriores, & maio
rē ecclesiā Antiochię claudi. Suspicabatur enim id
F Christianos egisse, stimulatos inuidia, quod idem
tēplū inuiti videbant ambitioso circūdari peristy-
lio. Ferebatur autē, licet rumore leuissimo, hac ex
caussa cōflagrasse delubrū: quod Asclepiades philo
sophus, cuius in actib. Magnētij meminimus, quū
visendi gratia Iuliani peregre ad id suburbanū ve-
nisset, deęCęlestis argēteū breue figmētū quocūq;
ibat secū solitus afferre, ante pedes statuit simula-
cri sublime, accēsisq; cereis ex vsu cessit: vnde me-
dietate noctis emensa, quū nec adesse quisquā po-
G tuit nec iuuare, volitātes scintillæ adhæsere mate-
riis vetustissimis, ignesq; aridis nutrimētis erecti,
omne quidquid cōtingi potuit, licet ardua discre-
tū celsitudine, cōcremarūt. Eo anno, sidere etiātū
instāte brumali, aquarū incessit inopia metuenda,
vt & riui cessarent quidā, & fontes antehac aqua-
rum copiosis pulsibus abundātes: sed in integrum
postea restituti sunt. Et quarto nonas Decembres
vergente ad vesperam die, reliqua Nicomedia col

lapsa est terræmotu, Itidemque Nicæ portio non mediocris. Quæ tametsi mœstitiam sollicito meu terent principi, residua tamen non contemnebat vrgentia, dum pugnandi tempus ei veniret optatum. Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluum videbatur, quod nulla probabili ratione susceptæ popularitatis amore, vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnomquam secus quam conuenit ordinata, inopiam gignere solet & famem. & Antiochensi ordine id tunc fieri quum ille iuberet, non posse aperte monstrante, nusquã à proposito declinabat, Galli similis fratris, licet incruentus. Quocirca in eos deinceps sæuiens, vt obtrectatores & contumaces, volumen composuit inuectiuum, quod Antiochense vel Misopogonem appellauit, probra ciuitatis infensa mente dinumerans, addensque veritati complura: post quæ multa in se facete dicta comperiens, coactus dissimulare pro tempore, ira suffl abatur interna. Ridebatur enim vt cercops, homo breuis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam, grandiaque incedens tamquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit. Idemque victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis: culpabatur hinc oportune, quum ostentationis gratia vehens licenter pro sacerdotibus sacra, stipatusque mulierculis, lætabatur. Et quamquam his paribusque de caussis indignaretur, tacens tamen motumque in animi retinens potestate, solennia celebrabat. Denique præstituto feriarum die Casium montem ascendit nemorosum, & tereti ambitu in sublime porrectum, vnde secũdis galliciniis videtur primi solis exortus. Quumque Ioui faceret rem diuinam, repente conspexit quemdam humi prostratum, supplici voce vitam precantem & veniam. Interroganti que ei qui esset, responsum est præsidalem esse Theodotum Hierapolitanum: qui profectum à ciuitate sua Constantium inter honoratos deducens, adulando deformiter, tamquam futurum sine dubietate victorem, orabat lacrymas fingens & gemitum, vt Iuliani ad eos mitteret caput perduellis ingrati, specie illa qua Magnentij circumlatum meminerat membrum. Quibus auditis, *Accepi olim*, inquit, *hoc dictum relatione multorum: sed abi securus ad lares, exutus omni metu clementia principis, qui, vt prudens, definiuit inimicorum minuere numerum, augereque amicorum sponte sua contendit ac libens.* Exin sacrorum perfecto ritu digressio, offeruntur rectoris Ægyptij scripta, Apim bouem operosa quęsitum industria, tamen post tempus inueniri potuisse firmantis, quod, vt earum regionum existimant incolæ, faustum, & vbertatem frugum diuersaque indicat bona. Super qua re pauca conueniet expediri. Inter animalia antiquis obseruationibus consecrata, Mneuis & Apis sunt notiora: Mneuis, Soli sacratur, super quo nihil dicitur memorabile: sequens, Lunæ. Est enim Apis bos diuersis genitalium notarum figuris expressus, maxime que omnium corniculantis lunæ specie latere dextro insignis: qui quum post viuendi spatium præstitutum sacro fonte immersus è vita abierit, (nec enim vltra eum trahere licet ætatem quam secreta librorum præscribit auctoritas mysticorum: nec nisi semel ei in anno bos fœmina inuecta cum notis certis offertur) alter cum publico quæritur luctu: & si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, defertur Memphim vrbem præstantem, pręsentiaque nominis Æsculapij claram. Quumque initiatore antistitum numero centum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, coniecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare; & adeuntes quosdam indiciis auerti videtur obliquis; vt offerentem cibum aliquando Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, auersatus, portenderat paulo post euentura. Strictim itaque, quoniam tempus videtur hoc flagitare, res Ægyptiacæ tangantur; quarum notitiam in actibus Hadriani & Seueri principum digessimus late, visa pleraq; narrantes. Ægyptiam gentem omnium vetustissimam, nisi quod super antiquitate certat cum Scythis, meridiali latere Syrtes maiores & Phycũs promontorium, & Borium, & Garamantes, nationesq; variæ claudunt: qua Orientem è regione prospicit, Elephantinam & Meroën vrbes Æthyopum, & Catadupos rubrũque pelagus & Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus, Septentrioni opposita, terrarum situ cohærent immenso, vnde exordium Asia Syriarumque prouinciæ sumunt: à vespera Issiaco diffũgitur mari, quod quidam nominauere Parthenium. Pauca itaque super beniuolo omniũ flumine Nilo (quem Ægyptum Homerus appellat) præstringi cõueniet, mox ostendendis aliis quæ sunt in his regionibus admiranda. Origines fontium Nili, vt mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoque ignorabunt ætates. Verum quoniam fabulantes poetæ variantesq; geographi in diuersa latentem notitiã scindunt, opiniones eorum, veritati confines (vt arbitror) expediam paucis. Adfirmant aliqui physicorum in subiectis Septentrioni spatiis, quum hiemes frigidæ cuncta constringunt, magnitudines niuium congelascere: easque postea vi flagrantis sideris resolutas, fluxis humoribus nubes efficere grauidas; quæ in meridianam plagam etesiis flãtibus pulsæ expressæque, tẽpore nimio incrementa vbertim suggerere Nilo creduntur. Ex Æthiopicis imbribus, qui abundantes in tractibus illis per æstus torridos cadere memorantur, exundationes eius erigi anni temporibus adserunt alii præstitutis. quod vtrumque dissonare videtur à veritate. Imbres enim apud Æthiopas, aut non vmquam, aut per interualla temporum longa cadere memorantur. Opinio est celebrior alia, quod spirantibus prodromis, perq; dies quadraginta & quinq; etesiarum continuis flatibus repellẽtibus eius meatum, velocitate cohibita, superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controuerso adolescens in maius, hinc vi reuerberante ventorum, inde vrgente cursu venarum perennium, progrediẽs in sublime regit omnia, & humo suppressa, per supina camporum speciem exhibet maris. Rex autẽ Iuba Punicorum confisus textu librorum, à monte quodam oriri eum exponit, qui situs in Mauritania despectat oceanum: hisque indiciis hoc proditum ait, quod pisces & herbæ & belluæ similes per eas paludes gignuntur. Æthiopiæ autem partes prætermeans Nilus nominũ diuersitate decursa, quæ cum orbẽ peragranti nationes indidere cõplures, æstuans exundatione ditissima ad cataractas (id est præruptos scopulos) venit, è quibus pręcipitãs ruit potius quã fluit. vnde olim accolas vsu auriũ fragore assiduo diminuto, necessitas vertere solũ ad editiora coẽgit. Exinde lenius means, per ostia septem, quorũ singula perpetuorũ amniũ vsum & faciem præbent, nullis per Ægyptum aquis externis adiutus dilatatur. Et præter amnes pluri-

A plurimos ex alueo deriuatos auctore, cadentesque in suppares eius, septem nauigabiles sunt & vndosi, quibus subiecta vocabula veteres indiderunt, Heracleoticus, Sebenniticus, Bolbiticus, Phatniticus, Mendesius, Taniticus, & Pelusiacus. Oriens autem vnde dictum est, propellitur à paludibus adusque cataractas, insulasque efficit plures: quarum aliquæ ita porrectis aquis dicuntur extentæ vt singulas ægre tertio die relinquat. inter quas duæ sunt claræ, Meroë, & Delta, à triquetræ litteræ forma hoc vocabulo signatius appellata. Quum autem sol per cancri sidus cœperit vehi, augescens adusque transitum eius in libram, diebusque B centum sublatius fluens, minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarum, nauibus antea peruius equitabiles campos ostendit. Abunde itaque luxurians, ita est noxius, vt infructuosus, si venerit parcior: gurgitum enim nimietate humectans diutius terras, culturas moratur agrorum, paruitate autem minatur steriles segetes. Eumque nemo aliquando extolli cubitis altius sexdecim possessor optauit. Et si inciderit moderatius, aliquo- C ties iactæ sementes in loco pinguis cæspitis, cum augmento fere septuagesimo renascuntur: solusque fluminum auras nullas inspirat. Exuberat Ægyptus etiam pecudibus multis, inter quas terrestres sunt & aquatiles, aliæque quæ & humi & in humoribus viuunt, vnde *amphibia* nominantur. Et in aridis quidem capreoli vescuntur, & bucali, & bisturnitia omni deformitate ridicula, aliaque monstra quæ numerare non refert. Inter aquati- D les autem bestias crocodilus vbique per eos tractus abundat, exitiale quadrupes, malum adsuctum elementis ambobus, lingua carens, maxillam superiorem commouens solam, ordine dentium pectinato, perniciosis morsibus quidquid tetigerit pertinaciter tenens, oua edens fœtus anserini similia: vtque armatus est vnguibus, si haberet etiam pollices, ad euertendas quoque naues sufficeret viribus magnis: (ad cubitorum enim longitudinem decem interdū extentus) noctibus quiescens per vndas, diebus humi vescitur, confidentia E cutis, quam ita validam gerit, vt eius tergo cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur. Et sæuientes semper eædem feræ, quasi pacto fœdere quodam castrensi, per septem ceremoniosos dies mitescunt ab omni sæuitia desciscentes, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis. Præter eos autem qui fortuita pereunt morte, alij disrumpuntur suffossis aluis mollibus, certis ferarum dorsualibus crustis, quas delphinis similes nutrit flu- F uius antedictus: alij exitio intereunt tali. Trochilos auicula breuis, dum escarum minutias captat, circa cubantem volitans blande, gingiuasque eius irritatius titillando, peruenit adusque ipsam viciniam gutturis. quod factum contuens hydrus ichneumonis genus, oris aditum penetrat alite præuia patefactum, & populato ventre vitalibus dilaniatis erumpit. Audax tamen crocodilus monstrum fugacibus, vbi audacem sense- G rit, timidissimum: & in terra acutius cernens, per quatuor menses hibernos nullo vesci dicitur cibo. Hippopotami quoque generantur in illis partibus, vltra animalia cuncta ratione carentia sagacissimi, ad speciem equorum bifidas habentes vngulas, caudasque breues: quorum sollertiæ duo ostendere documenta sufficiet. Inter arundines celsas & squalentes nimia densitate hæc bellua cubilibus positis, otium peruigili

A studio circumspectat, laxataque copia, ad segetes depascendas egreditur. Quumque iam cœperit redire distenta, auersis vestigiis distinguit tramites multos, ne vnius plani itineris lineas insidiatores sequuti, repertam sine difficultate confodiant. Item quum auiditate nimia extuberato ventre pigrescit, super calamos recens exsectos femora conuoluit & crura, vt pedibus vulneratis cruor egestus, sagina distentum faciat leuem: & carnes saucias cœno oblinit, quamdiu in cicatrices conueniant plagæ. Has monstruosas antehac raritates in belluis, in ædilitate Scauri vidit B Romanus populus primitus, patris illius Scauri, quem defendens Tullius, imperat Sardis vt de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentirent: & per ætates exinde plures sæpe huc ducti, nunc inueniri nusquam possunt, vt coniectantes regionum incolæ dicunt, insectantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrasse compulsi. Inter Ægyptias alites, quarum varietas nullo comprehendi numero potest, ibis sacra C est, & amabilis, & innocua, ideo quod nidulis suis ad cibum suggerens oua serpentum, efficit vt rarescant mortiferæ pestes absumptæ. Occurrunt eædem volucres pennatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus venena malignantes: eosque, antequam finibus suis excedant, prœliis superatos aeriis vorant: quas aues per rostra edere fœtus accepimus. Serpentes quoque Ægyptus alit innumeras: vltra omnem D perniciem sæuientes basiliscos & amphisbænas, & scytalas, & acontias, & dipsadas, & viperas, aliasque complures quas omnes magnitudine & decore aspis facile supereminens, numquam sponte sua fluenta egreditur Nili. Multa in illis tractibus pretium est operæ maximum legere: è quibus pauca conueniet explicari. Sunt therma lutra quæ *cythrus* indigenæ vocant. Templa vbiq; molibus magnis exstructa. Pyramides ad miracula septem prouectæ; quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet. vltra omnem E omnino altitudinem, quæ humanis confici potest, erectæ sunt turres, ab imo latissimæ, in summitates acutissimas desinentes: quæ figura apud Geometras ideo sic appellatur, quod ad ignis speciem, τὸ πῦρ vt nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo quoniam in celsitudinem nimiam scandens, gracilescit paulatim, vmbras quoque mechanica ratione consumit. Sunt & syringes, subterranei quidam & flexuosi seces- F sus, quos (vt fertur) periti rituum vetustorum, aduentare diluuium præscij, metuentesque ne ceremoniarum obliteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diuersa struxerunt: & excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras multas, quas *hieroglyphicas literas* appellarunt Latinis ignorabiles. Dein Syene, in qua solstitij tempore, quo sol G æstiuum austrinus cursum extendit, recta omnia ambientes radij excedere ipsis corporibus vmbras non sinunt. Inde si stipitem quisquam fixerit rectum, vel hominem aut arborem viderit stantem, circa lineamentorum ipsas extremitates contemplabitur vmbras absumi: sicut apud Meroën, Æthiopiæ partem æquinoctiali circulo proximam, dicitur euenire, vbi per nonaginta dies vmbræ nostris in contrarium cadunt: vnde *Antiscios* eius incolas vo-

cant. Quæ quoniam miracula multa sunt, opuscu- A
li nostri propositum excedentia, ad ingenia celsa
reiiciamus, pauca super prouinciis narraturi.
Tres prouincias Ægyptus fertur habuisse tempo-
ribus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, &
Libyam: quibus duas adiecit posteritas, ab Ægy-
pto Augustamnicam, & Pentapolim à Libya sic-
ciore disparatam. Igitur Thebais multas inter vr-
bes clariores aliis Hermopolim habet & Copton,
& Antinoon quam Hadrianus in honorem An-
tinoi ephebi condidit sui. Hecatonpylos enim
Thebas nemo non nouit. In Augustamnica Pe-
lusium opidum est nobile, (quod Peleus Achillis B
pater dicitur condidisse, lustrari deorum monitu
iussus in lacu, qui eiusdem ciuitatis alluit mœnia,
quum post interfectum fratrem nomine Phocum
horrendis furiarum imaginibus raptaretur) &
Cassium, vbi Pompeij sepulcrum est Magni, & O-
straeine, & Rhinocorura. In Pentapoli Libya Cy-
rene posita est, vrbs antiqua, sed deserta, quam
Spartanus condidit Battus: & Ptolemais, & Arsi-
noe, eadem quæ Tauchira: & Daruis, & Berenice,
quas Hesperidas appellant: in sicciore vero Lybia, C
Parætonion, & Chereela, & Neapolis, inter muni
cipia pauca & breuia. Ægyptus ipsa, quæ iam inde
vt Romano imperio iuncta est, regitur à præfe-
ctis, exceptis minoribus multis, Athribi, & Oxy-
ryncho, & Thmui, & Memphi maximis vrbibus
nitet. Alexandria enim vertex omnium est ciuita-
tum; quam multa nobilitant, & magnificentia
conditoris altissimi, & architecti sollertia Dino-
cratis; qui quum ampla mœnia fundaret & pul-
chra, penuria calcis id momentum parum reper- D
tæ, omnes ambitus liniales farina respersit: quod
ciuitatem post hæc alimentorum vberi copia cir-
cumfluere fortuito monstrauit indicio. ibi auræ
salubriter spirantes, aër tranquillus & clemens;
atque vt periculum docuit per varias collectum
ætates, nullo pene die incolentes hanc ciuitatem
solem serenum non vident. Hoc littus ne fallaci-
bus & insidiosis accessibus affligeret vt antehac
nauigantes discriminibus plurimis, excogitauit
in portu Cleopatra turrim excelsam, quæ *Pharos* E
à loco ipso cognominatur, prælucendi nauibus
nocturna suggerens ministeria: quum quondam
ex Parthenio pelago venientes aut Libyco, per
pandas oras & vacuas montium nullas speculas
vel collium signa cernẽtes, harenarum inlisæ glu-
tinosæ mollitiæ, frangerentur. Hæc eadem regina
heptastadium sicut vix credenda celeritate, ita
magnitudine mira construxit, ob caussam notam
& necessariam. Insula Pharos, vbi Protea cum
phocarum gregibus diuersarum Homerus fabu- F
latur inflatius, à ciuitatis litore mille passibus dis-
parata, Rhodiorum erat obnoxia vectigali. quod
quum inde quidam nimium quantum perituri
venissent, fœmina callida semper in fraudes, so-
lennium specie feriarum iisdem publicanis se-
cum ad suburbana perductis, opus iusserat irre-
quietis laboribus consummari, & septem diebus
totidem stadia molibus iactis in mare solo pro-
pinquanti terræ sunt vindicatæ. Quo cum vehicu G
lo ingressa, errare ait Rhodios, insularum non cõ-
tinentis portorium flagitantes. His accedunt altis
sufflata fastigiis templa. Inter quæ eminet Sera-
pium, quod licet minuatur exilitate verborum, a-
triis tamen columnariis amplissimis, & spiranti-
bus signorum figmentis, & reliqua operum mul-
titudine ita est exornatum, vt post Capitolium,
quo se venerabilis Roma in æternum attollit, ni-
hil orbis terrarum ambitiosius cernat. in quo bi-
bliothecæ fuerunt inæstimabiles: & loquitur mo-
nimentorum veterum concinens fides, septingen
ta voluminum millia, Ptolemæis regibus vigiliis
intentis composita, bello Alexandrino, dum diri-
pitur ciuitas sub dictatore Cæsare, conflagrasse.
Canopus inde duodecimo disiungitur lapide:
quem, vt priscæ memoriæ tradunt, Menelai gu-
bernator sepultus ibi cognominauit: hactenus im
pendio locus fanis & diuersotiis lætis exstructus,
auris & salutari temperamento perflabilis, ita vt
extra mundum nostrum morari se quisquam arbi
tretur in illis tractibus agens, quum sæpe aprico
spiritu immurmurantes audierit ventos. Sed Ale-
xandria ipsa non sensim, vt aliæ vrbes, sed inter
initia prima aucta per spatiosos ambitus, internis-
que seditionibus diu aspere fatigata, ad vltimum
multis, post annis Aureliano imperium agente,
ciuilibus iurgiis ad certamina interneciua prola-
psis, diruptisque mœnibus, amisit regionum ma-
ximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diu-
turdum præstantium hominum domicilium. Vn-
de Aristarchus grammaticæ rei doctrinia excel-
lens, & Herodianus artium minotissimus scisci-
tator, & Saccas Ammonius Plotini magister, aliique
plurimi scriptores multorum in litteris nobiliũ
studiorum: inter quos Chalcenterus emicuit Di-
dymus, multiplicis scientiæ copia memorabilis:
qui in illis sex libris, vbi nonnumquam imperfe-
cte Tullium reprehendit, sillographos imitatus
scriptores maledicos, iudicia doctarum aurium
incusat, vt immania frementem leonem putidu-
lis vocibus vanus catulus longius circumlatrans.
Et quamquam veteres cum his quorum memini,
floruere complures, tamen ne nunc quidem in
eadem vrbe doctrinæ variæ silent. nam & disci-
plinarum magistri quodammodo spirant, & nu-
datur ibi geometrico radio quidquid reconditum
latet: nondumque apud eos penitus exaruit musi-
ca, nec harmonia conticuit: & recalet apud quos-
dam adhuc, licet raros, consideratio mundani mo
tus & siderum, doctique sunt haud numero pauci.
super his scientiam callent quæ fatorum vias o-
stendit. Medicinæ autem, cuius in hac vita nostra,
nec parca nec sobria, desiderantur adminicula cre
bra, ita studia augentur in dies, vt licet opus i-
psum redoleat, pro omni tamen experimento suf-
ficiat medico ad commendandam artis auctori-
tatem, si Alexandriæ se dixerit eruditum. & hæc
quidem hactenus. Sed si intelligendi diuini aditio
nem multiplicem, & præsensionum originem,
mente vegeta quisquam voluerit replicare, per
mundum omnem inueniet mathemata huiusmo-
di ab Ægypto circumlata. Hic primum homines
longe ante alios ad varia religionum incunabula
(vt dicitur) peruenerunt, & initia prima sacrorum
caute tuentur cõdita sacris arcanis. Hac institutus
prudentia Pythagoras colens secretius deos, quid-
quid dixit aut voluit, auctoritatẽ esse instituit ra-
tam, & femur suum aureum apud Olympiam sæpe
monstrabat, & cum aquila colloquens subinde vi
sebatur. Hinc Anaxagoras lapides è cælo lapsuros,
& putealem limum contrectans, tremores futuros
prædixerat terræ. Et Solon sententiis adiutus Ægy-
pti sacerdotum, latis iusto moderamine legibus,
Romano quoque iuri maximum addidit firma-
mentum. ex his fontibus per sublimia gradiens
sermonum amplitudine Iouis æmulus non visa

Ægypto

Ægypto militauit sapientia gloriosa. Homines A
autem Ægyptij plerique subfusculi sunt & atrati,
magisque mœstiores, graciles ti & aridi, ad singu-
los motus excandescentes, controuersi & reposco
nes acerrimi. Erubescit apud eos si quis non infici
ando tributa, plurimas in corpore vibices osten-
dat: & nulla tormentorum vis inueniri adhuc po-
tuit quæ obduratum vllius pectus latrocinijs inui
tum elicere potuit vt nomen proprium dicat. Id
autem notum est, vt annales veteres monstrant,
quod Ægyptus omnis sub amicis erat antea regi-
bus; sed superatis apud Actium bello nauali Anto
nio & Cleopatra, prouinciæ nomen accepit, ab
Octauiano Augusto possessa. Aridam Libyam su-
premo Apionis regis consequuti sumus arbitrio:
Cyrenas cum residuis ciuitatibus Libyæ Pentapo
leos, Ptolemæi liberalitate suscepimus. Euectus
longius ad ordinem remeabo cœptorum.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVSTERTIVS.

HÆc eo anno, vt prætereamus negotiorum
minutias, agebantur per prouincias. Iulia-
nus vero iam ter consule adscito in collegio tra-
beæ Sallustio præfecto per Gallias, quater ipse am
plissimum inierat magistratum: & videbatur no-
uum adiunctum esse Augusto priuatum, quod post
Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat
gestum. Et licet accidentium varietatem sollicita
mente præcipiens, multiplicatos expeditionis ap-
paratus flagranti studio perurgeret; diligentiæ ta-
men vbique diffidens, imperijque sui memoriam
magnitudine operum gestiens propagare ambiti- C
osum quondam apud Hierosolymam templum,
quod post multa & internecina certamina obsidē
te Vespasiano posteaque Tito ægre est expugna-
tum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis;
negotiumque maturandum Alypio dederat An-
tiochensi, qui olim Britannias curauerat pro præ-
fectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Aly
pius, iuuaretque prouinciæ rector, metuendi glo-
bi flammarum prope fundamenta crebris adsulti-
bus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties D
operantibus inaccessum: hocque modo elemento
destinatius repellente cessauit inceptum. Iisdem
diebus legatos ad se missos ab vrbe æterna, clare
natos, meritisque probabilis vitæ compertos, Im-
perator honoribus diuersis adfecit: & Apronianū
Romæ decreuit esse præfectum, Octauianum pro
consulem Africæ; Venusto vicariam commisit
Hispaniæ: Rufinum Arabium comitem orientis,
in locum auunculi sui Iuliani recens defuncti pro
uexit. Quibus vt conuenerat ordinatis, terrebatur E
omine quodam (vt docuit exitus) præsentissimo.
Felice enim largitionum comite profluuio sangui
nis repente exstincto, eumque comite Iuliano se-
quuto, vulgus publicos contuens titulos, Felicem
Iulianum Augustumque pronuntiabat. Præcesse-
rat aliud sæuum. Namque calendis ipsis Ianuariis
adscendente eo gradile Genij templum, è sacerdo
tum consortio quidam ceteris diuturnior nullo
pulsante repente concidit, animamque inspetato
casu efflauit: quod adstantes, incertum per imperi- F
tiam an adulandi cupiditate, memorabant consu-
lum seniori portendi, nimirum Sallustio: sed, vt
apparuit, non ætati sed potestati maiori interitum
propinquare monstrabatur. Soper his alia quoq;
minora signa subinde quod acciderat ostendebāt.
Inter ipsa enim exordia procinctus Parthici dispo
nendi nuntiatum est Constantinopolim terræ pul
su vibratam: quod horum periti minus lætum
B esse pronuntiabant aliena peruadere molienti re-
ctori. Ideoque intempestiuo conatu desistere sua-
debant: ita demum hæc & similia contemni opor-
tere firmantes, quum irruentibus armis externis
lex vna sit & perpetua, salutem omni ratione de-
fendere, nihil renitente vi moris. Iisdem diebus
nuntiatum est ei per litteras, Romæ super hoc bel
lo libros Sibyllæ consultos, vt iusserat, Imperato-
rem eo anno discedere à limitibus suis aperto pro
hibuisse responso. Inter hæc tamen legationes
C gentium plurimarum, auxilia pollicentium, libe-
raliter susceptæ remittebantur, speciosa fiducia
principe respondente, nequaquam decere aduen-
titiis adiumentis rem vindicari Romanam, cuius
opibus fouere conueniret amicos & socios, si au-
xilium eos adegerit necessitas implorare. Solum
Arsacem monuerat Armeniæ regem, vt collectis
copiis validis iubenda operiretur, quo tenderet,
quid deberet vrgere, propere cogniturus. Proinde
quum primam cōsultæ rationes copiam præbuis-
sent, rumore præcurso hostiles occupare prope-
D rans terras, nondum adulto vere missa per milita-
res numeros expeditionali tessera, cunctos tran-
sire iussit Euphratem. Quo comperto omnes euo-
lant ex hibernis: transmissoque, vt textus doce-
bat scriptorum, dispersi per stationes varias, ad-
uentum principis exspectabant. Ipse autem An-
tiochiam egressurus, Heliopoliten quemdam
Alexādrum Syriacæ iurisdictioni præfecit, turbu-
lentum & sæuum: dicebatque non illum meruis-
se, sed Antiochensibus auaris & contumeliosis
E huiusmodi iudicem conuenire. Quumque eum
profecturum deduceret multitudo promiscua, i-
tum felicem reditumque gloriosum exoptans, o-
ransque vt deinde placabilis esset & lenior, non-
dum ira quam ex compellationibus & probris
conceperat emollita, loquebatur asperius, se
eos asserens postea non visurum. Disposuisse e-
nim aiebat, hiemandi gratia per compendiariam
viam consummato procinctu. Tarsum Ciliciæ
reuersurum; scripsisseque ad Memorium præsi-
F dem, vt in eadem vrbe cuncta sibi congrua pa-
rarentur: & hoc haud diu postea contigit. Cor-
pus namque eius illuc relatum exsequiarum
humili pompa in suburbano sepultum est, vt i-
pse mandarat. Iamque apricante cœlo, tertio
nonas Martias profectus, Hierapolim solitis i-
tineribus venit: vbi quū introiret ciuitatis capacis
simæ portas, sinistra porticus subito lapsa, subter-
tēdentes quinquaginta milites, exceptis plurimis

vulneratis, tignorum tegularumque pondere ma- A
gno collisit. Vnde contractis copiis omnibus, Me
sopotamiam tam propere signa commouit, vt fa-
ma de se nulla præuersa (id enim accuratius obser
uarat) improuisus Assyrios occuparet. Denique
cum exercitu & Scytharum auxiliis Euphrate na-
uali ponte transmisso, venit ad Batnas municipiũ
Osdroënæ, ibique illætabile portentum offendit.
Quum enim calonum frequens multitudo ad suf
cipiendum consuete pabulum prope aceruum pa-
learum stetisset impendio celsum, (hoc enim mo- B
do per regiones illas tales species construuntur)
rapientibus multis quassata congeries inclinata
est, parique exitio quinquaginta obruit homines,
mole maxima ruinarum. Mœstus exinde digres-
sus, venit cursu propero Carras, antiquum opidũ,
Crassorum & Romani exercitus ærumnis insi-
gne: vnde duæ ducentes Persidem viæ regiæ distin
guuntur: læua, per Adiabenam & Tigridem, dex-
tera, per Assyrios & Euphratem. Ibi moratus ali- C
quot dies, dum necessaria parat, & lunæ, quæ reli-
giose per eos colitur tractus, ritu locorum fert sa-
cra, dicitur ante aras nullo arbitrorum admisso,
occulte paludamentum purpureum propinquo
suo tradidisse Procopio, mandasseque arripere fi-
dentius principatum, si se interisse didicerit apud
Parthos. Hic Iuliani quiescentis animus agitatus
insomniis, euenturum triste aliquid præsagiebat.
Quocirca & ipse & visorum interpretes, præsen-
tia contemplantes, diem sequuturũ, qui erat quar- D
tumdecimum cal. Apriles, obseruari debere pro-
nuntiabant. Verum, vt compertum est postea, ea-
dem nocte palatini Apollinis templum, præfectu-
ram regente Aproniano, in vrbe conflagrauit æ-
terna: vbi ni multiplex iuuisset auxilium etiam Cu
mana carmina consumpserat magnitudo flamma-
rum. Postque ita digesta agmina, & commeatus
omnis generis disponendi, procursatorum aduen
tu anhelantium etiamtum indicatur, equestres ho
stium turmas vicino limite quodam perrupto a- E
uertisse subito prædas. Cuius atrocitate mali per-
culsus illico, vt ante cogitauerat, triginta millia le
ctorum militum eidem commisit Procopio, iun-
cto ad parilem potestatem Sebastiano comite ex
duce Ægypti: iisdemque præcepit, vt intra Tigri-
dem interim agerent, vigilanter omnia seruaturi,
nequid inopinum ex incauto latere oriretur, qua-
lia multa sæpe dixerat euenisse, mandabatque eis
vt, si fieri potius possit, regi sociarentur Arsaci:
cumque eo per Corduenam & Moxoënam Chi- F
liocomo vberi Mediç tractu, partibusque aliis prę
stricto cursu vastatis, apud Assyrios adhuc agenti
sibi accurrerent, necessitatum articulis adfuturi.
His ita ordinatis ipse exitu simulato per Tigrim,
quod iter etiam rebus variis de industria iusserat
instrui, flexit dextrorsus: & quieta nocte emensa,
mane iumentum quo veheretur ex vsu poposcit:
oblatusque ei equus Babylonius nomine, ictu tor
minis consternatus, dum dolorum impatiens vol
uitur, auro lapillisque ornamenta distincta con- G
spersit. Quo ostento lętior clamauit, plaudentibus
proximis, Babylona humi procidisse ornamentis
omnibus spoliatam; & paulisper detentus, vt o-
meo per hostias litando firmaret, Dauanam venit
castra præsidiaria, vnde ortus Belias fluuius fundi-
tur in Euphratem. Hic corporibus cibo accurate
refectis, postridie ventum est ad Callinisum, mu-
nimentum robustum, commercãdi opimate gra-
tissimum: vbi ad diem sextum Calend. quo Romæ

Matri deorum pompæ celebrantur annales, & car
pentum quo vehitur simulachrum, Almonis vn-
dis ablui perhibetur. Sacrorum solennitate prisco
more completa, somno per otium capto exsultans
pernoctauit & lætus. Luce vero sequuta profe-
ctus exinde per supercilia riparum fluuialium, a-
q̃ois adolescentibus vndique conuenis, cum armi
gera gradiens manu, in statione quadam sub pelli
bus mansit: vbi Saracenorum reguli genibus sup-
plices nixi, oblata auri corona, tamquam mundi
nationumque suarum dominum adorarunt; sus-
cepti gratãter, vt ad furta bellorum adpositi. Dum
que hos alloquitur, Xerxis illius potentissimi re-
gis instar classis aduenit, tribuno Constantiano
cum comite Lucilliano ductante, quæ latissimum
flumen Euphratem artabat: in qua mille erant o-
nerariæ naues ex diuersa trabe contextæ, comme-
atus abunde ferentes & tela & obsidionales ma-
chinas: quinquaginta aliæ bellatrices, totidemque
ad compaginandos necessariæ pontes. Re ipsa ad-
moneor breuiter, quantum mediocre potest inge-
nium, hæc instrumentorum genera ignorantibus
circumscripta monstrare: & *balistæ* figura docebi-
tur prima. Ferrum inter axiculos duos firmum
compaginatur & vastum, in modum regulæ ma-
ioris extentum: cuius ex volumine tereti, quod in
medio ars polita componit, quadratus eminet sty-
lus extensis recto canalis angusti meatu cauatus,
& hac multiplici chorda neruorum tortilium il-
ligatus: eique cochleæ duæ ligneæ coniunguntur
aptissime; quarum prope vnam adsistit artifex cõ-
templabilis, & subtiliter adponit in temonis caua
mine sagittam ligneam spiculo maiore congluti-
natam: hocque facto hinc inde validi iuuenes ver
sant agiliter rotabilem flexum. quum ad extremi-
tatem neruorum acumen venerit summum, perci
tã interno pulsu à balista ex oculis euolat, inter-
dum nimio ardore scintillans: & euenit sæpius vt
antequam telum cernatur, dolor letale vulnus a-
gnoscat. *Scorpionis* autem, quem appellant nunc
onagrum, huiusmodi forma est. Dolantur axes duo
quernei vel ilicei, curuanturque mediocriter, vt
prominere videantur in gibbas: hique in modum
serratoriæ machinæ connectuntur, ex vtroque la
tere patentius perforati: quos inter per cauernas
funes colligantur robusti, compagem ne dissiliat,
continentes. Ab hac medietate restium ligneus
stylus exsurgens obliquus, & in modum iugalis
temonis erectus, ita neruorum nodulis implica-
tur, vt altius tolli possit & inclinari: summitatiq;
eius vnci ferrei copulantur, è quibus pendet stu-
pea vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum pro-
sternitur ingens cilicium, paleis consertum mi-
nutis, validis nexibus illigatum, & locatum super
congestos cæspites vel lateritios aggeres. Nam
muro saxeo huiusmodi moles imposita, disiectat
quidquid inuenerit subter, concussione violenta,
non pondere. Quum igitur ad concertationem
ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito,
quaterni altrinsecus iuuenes repagula quibus in-
corporati sunt funes, explicantes, retrorsus stylum
penes vncinum inclinant: itaque demum subli-
mis adstans magister, claustrum quod totius ope-
ris continet vincula, reserat malleo forti percus-
sum. Vnde absolutus ictu volucri stylus, & molli-
tudine offensus cilicij, saxum contorquet quid-
quid incurrerit collisurum. Et *Tormentum* quidẽ
appellatur, quod ex eo omnis explicatio torque-
tur: *Sorpio* autẽ, quoniam aculeum desuper habet
erectus:

erectus: cui etiam *onagri* vocabulum indidit ætas nouella, ea re quod asini feri quum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrandu emittunt, vt perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Hinc ad *arietem* veniemus. Eligitur abies vel ornus excelsa; cuius summitas duro ferro concluditur & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem, quæ forma huic machinamento vocabulum indidit: & sic suspensa vtrimque transuersis asseribus & ferratis quasi ex lance vinculis trabis alterius continetur: eamque quantum mensuræ ratio patitur, multitudo retro repellens, rursus ad obuia quæq; rumpenda protrudit ictibus validissimis, instar adsurgentis & cædentis armati. Qua crebritate velut reciproci fulminis impetu ædificiis scissis in rimas, concidunt structuræ laxatæ murorum. Hoc genere operis, si fuerit exserto vigore discussum, nudato vallo defensoribus, solutisque obsidiis, ciuitates munitissimæ recluduntur. Pro his arietum machinamentis iam crebritate despectis conditur machina scriptoribus historicis nota, quam *helepolin* Græci cognominamus: cuius opera diuturna Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque vrbibus oppugnatis, Poliorcetes est appellatus. Ædificatur autem hoc modo. Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clauis aptata: & contegitur coriis bubulis virgarumque recenti textura: atque limo asperguntur eius suprema, vt flammeos detrectet & missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores: vt quidquid petierit, aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem, rotis & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admouet concitis: & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes. *Malleoli* autem teli genus, figurantur hac specie. Sagitta est cannea inter spiculum & arundinem multiplici ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concauatur ventre subtiliter, & plurifariam patens, atque in aluco ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. Et sic emissa lentius arcu inualido, (ictu enim rapidiore exstinguitur) si hæserit vsquam tenaciter, cremat: aquisque conspersa, acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio vllo quam super iacto puluere consopitur. Hactenus de instrumentis muralibus, è quibus pauca sunt dicta. Nunc ad rerum ordinem reuertamur. Adscitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promptissimis, tendens Imperator agili gradu Cercusium, principio mensis Aprilis ingressus est munimentum tutissimum, & fabre politum: cuius mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentes. Quod Diocletianus exiguum antehac & suspectum, muris turribusque circumdedit celsis, quum in ipsis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Persæ, ita vt paucis ante annis cum magnis prouinciarũ contigerat damnis. Namque quum Antiochiæ in alto silentio scenicis ludis mimus cum vxore immissus è medio sumpta quædam imitaretur, populo venustate attonito, coniux, *Nisi somnus est*, inquit, *en Persæ*. Et retortis plebs vniuersa ceruicibus, exaceruantia in se tela declinans, spargitur

A passim. Ita ciuitate incensa, & obtruncatis pluribus, qui pacis more palabantur effusius, incensisque locis finitimis & vastatis, onusti præda hostes ad sua remearunt innoxij, Mareade viuo exusto, qui eos ad suorum interitum ciuium duxerat inconsulte. Et hæc quidem Gallieni temporibus euenerunt. Iulianus vero dum moratur apud Cercusium, vt per naualem Aboræ pontem exercitus & omnes sequelæ transirent, litteras tristes Sallustij Galliarum præfecti suscepit, orantis suspendi expeditionem in Parthos, obtestantisque ne ita intempestiue, nondum pace numinum exorata, irre-
B uocabile subiret exitium. Posthabito tamen suasore cautissimo, fidentius vltra tendebat, quoniam *nulla vis humana vel virtus meruisse vmquam potuit vt quod præscripsit fatalis ordo, non fiat.* Statimque transgressus, pontem auelli præcepit, nequa militum ab agminibus propriis reuertendi fiducia remaneret. Pari sorte hic quoque omen illætabile visum est, apparitoris cuiusdam cadauer extentum carnificis manu deleti, quem præfectus
C Sallustius præsens ea re supplicio capitali damnauerat, quod intra præstitutum diem alimentorum augmentum exhibere pollicitus, caussa impediente frustratus est. Sed miserando homine trucidato postridie aduenit (vt ille promiserat) alia classis abunde vehens annonam. Profecti exinde Zaitam venimus, locum qui olea arbor interpretatur. Hic Gordiani Imperatoris lōge conspicuum vidimus tumulum, cuius actus à pueritia prima, exercituũ-
D que felicissimos ductus, & insidiosum interitum, digessimus tempore competenti. Vbi quum pro ingenita pietate consecrato principi parentasset, pergeretque ad Duram desertum opidum, procul militarem cuneum conspicatus stetit immobilis: eique dubitanti quid ferrent, offertur ab eis immanissimi corporis leo, quum aciem peteret, multiplici telorum iactu confossus. Quo omine velut certiore iam spectaculi prosperioris elatus, exsultantius incedebat. Sed incerto flato, fortunæ aliorsum prorupit euentus. Obitus
E enim regis portendebatur: sed cuius, erat incertum. Nam & oracula dubia legimus: quæ non nisi casus discreuere postremi: vt fidem vaticinij Delphici, quæ post Halyn flumen transmissum, maximum regnum dilecturum prædixerat Crœsum: & aliam, quæ Atheniensibus ad certandum contra Medos oblique destinauerat mare: fortemque his posteriorem, veram quidem, sed non minus ambiguam, *Aio te Æacida Romanos vin-*
F *cere posse.* Hetrusci tamen aruspices qui comitabātur, gnari prodigialiũ rerũ, quũ illis procinctũ hũc sæpe arcentibus non crederetur, prolatis libris ritualibus ostendebant signum hoc esse prohibitorium, principique aliena, licet iuste, inuadendi cōtrarium. Sed calcabantur philosophis refragantibus, quorum reuerenda tunc erat auctoritas, errantium subinde, & in parum cognitis perseuerantium diu. Etenim vt probabile argumentum
G ad fidem implendam scientiæ suæ id prætendebāt, quod & Maximiano antehac Cæsari cum Narse Persarum rege iam congressuro, itidem leo & aper ingens trucidati simul oblati sunt, & superata gente discessit incolumis: illo minime contemplato, quod aliena petenti portendebatur exitium, & Narses primus Armeniam Romano iuri obnoxiam occuparat. Sequuto itidem die qui erat VII idus April. sole vergente iam in occasum, ex par-

ua nubecula subito aëre crassato visus adimitur lucis: & post minacem tonitruú crebritatem & fulgurum, Iouianus omine miles de cælo tactus, cum duobus equis concidit, quos potu satiatos à flumine reducebat. Quo viso harum rerum interpretes accersiti interrogatique, etiam id vetare procinctum fidentius adfirmabant, fulmen consiliarium esse monstrantes: (ita enim appellantur quæ dissuadent aliquid fieri vel suadent). Ideoq; hoc nimis cauendum, quod militem celsi nominis cum bellatoriis iumentis exstinxit: & hoc modo contacta loca, nec intueri nec calcari debere, fulgurales pronuntiant libri. Contra philosophi candorem ignis sacri repente conspecti nihil significare aiebant, sed esse acrioris spiritus cursum ex æthere aliqua via ad inferiora detrusum: aut si exinde prænoscitur aliquid, incrementa claritudinis Imperatori portendi gloriosa cœptanti, quum constet flammas suapte natura nullo obstante ad sublimia conuolare. Peracto igitur, vt ante dictú est, ponte, cunctisque transgressis, imperator antiquissimum omnium ratus est militem alloqui, sui rectorisque fiducia properantem intrepide. Signo itaque per lituos dato, quum centuriæ omnes & cohortes & manipuli conuenissent, ipsi aggere glebali adsistens, coronaque celsarum circumdatus potestatum, talia ore sereno disseruit, fauorabilis studio concordi cunctorum. *Contemplans maximis viribus & alacritate vos vigere, fortissimi milites, concionari disposui, docturus ratione multiplici non nunc primitus, vt maledici mussitant, Romanos penetrasse regna Persidis. Namque, vt Lucullum transeam vel Pompeium, qui per Albanos, & Massagetas, quos Alanos nunc appellamus, hac quoque natione perrupta vidit Caspios lacus, Ventidium nouimus Antonij legatum strages per hos tractus innumeras edidisse. Sed vt à vetustate discedam, hæc quæ tradidit recens memoria, replicabo. Traianus, & rursus Seuerus, hinc sunt digressi victores & tropæati: redissetque pari splendore iunior Gordianus, cuius monumentum nunc vidimus honorate, apud Resainam superato fugatoque rege Persarum, ni factione Philippi præfecti prætorio, scelestè iuuantibus paucis, in hoc vbi sepultus est loco, vulnere impio cecidisset: nec errauere diu manes eius inulti, quod, velut clarente iustitia, omnes qui in eum conspirauere, cruciabilibus interiere suppliciis. Et illos quidem voluntas ad altiora propensior subire impulit facinora memoranda: nos vero miseranda recens captarum vrbium, & inulta cæsorum exercituum vmbra, & damnorum magnitudines, carorumque amissiones, ad hæc quæ proposuimus hortantur, vt solemur socios, vt medeamur præteritis, & honorata huius lateris securitate republica quæ de nobis magnifice loquatur posteritas, relinquamus. adero vbique vobis adiumento numinis sempiterni Imperator, & antesignanus, & conturmalis omnibus secundis, vt reor. At si fortuna versabilis in pugna me vsquam fuderit, mihi vero pro Romano orbe memet vouisse sufficiet, vt Curtij Muciique veteres, & clara prosapia Deciorum. Abolenda nobis natio molestissima, cuius in gladiis nondum nostræ propinquitatis exaruit cruor. Plures absumptæ sunt maioribus nostris ætates, vt interirent radicitus quæ vexabant. Deuicta est perplexo & diuturno marte Carthago: sed eam dum inclytus timuit superesse victor, euertit funditus. Numantiam Scipio post multiplices casus obsidionis emensos; Fidenas, ne imperio subcrescerent æmula, Roma subuertit: & Faliscos ita oppressit & Veios, vt suadere nobis laboret monumentorum*

A *veterum fides, vt hæ ciuitates aliquando valuisse credamus. Hæc vt antiquitatum peritus exposui: superest vt* AVIDITATE RAPIENDI *posthabita, quæ insidiatrix sæpe Romani militis fuit, quisque agmini cohærens incedat, quum ad necessitatem congrediendi fuerit ventum, signa propria sequuturus, sciens quod si remanserit vsquam, exsectis cruribus relinquetur. nihil enim præter dolos & insidias hostium vereor nimium callidorum. Ad summam polliceor vniuersis, rebus posthac prospere mitigatis, absque om-*
B *ni prærogatiua principum, qui quod dixerint vel censuerint pro potestate auctoritatis iustum esse existimant, rationem recte consiliorum vel secus, siquis exegerit, redditurum. Quocirca erigite iam nunc quæso, erigite animos vestros multa præsumentes bona, & æquata sorte nobiscum quidquid occurrerit difficile subituri, & contestantes* ÆQVITATI *semper solere iungi victoriam.* Conclusa oratione ad hunc grauissimum finem, ductoris gloria prœliator miles exultans, ipseque in prosperum elatior, subla-
C tis altius scutis, nihil periculosum fore vel arduú clamitabat sub Imperatore plus sibi laboris quam gregariis indicente. maxime omnium id numeri Gallicani fremitu lætiore monstrabant, memores aliquoties eo ductante, perque ordines discurrente, cadentes vidisse gentes aliquas, alias supplicantes. Res adegit huc prolapsa, vt in excessu celeri, situm mõstrare Persidis, descriptoribus gentium curiose digestum, è quibus ægre vera dixere paucissimi. Quod autem erit paulo prolixior textus,
D ad scientiam proficiet plenam. Quisquis enim adfectat nimiam breuitatem vbi narrantur incognita, non quid signatius explicet, sed quid debeat præteriri, scrutatur. Hoc regnum quondam exiguum, multisque antea nominibus appellatum, ob caussas quas sæpe retulimus, quum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum, in vocabulum *Parthi* concessit Arsacis, obscure geniti, latronum inter adolescentiæ rudimenta
E ductoris; verum paulatim in melius mutato proposito, clarorum contextu factorum aucti sublimius. Qui post multa gloriose & fortiter gesta, superato Nicatore Seleuco eiusdem Alexandri successore, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum, præsidiisque Macedonum pulsis, ipse tranquillius agens, temperator obedientium fuit & arbiter lenis. Denique post finitima cuncta, vi vel æquitatis consideratione vel metu subacta, ciuitatum & castrorum castellorumque mu-
F nimentis oppleta Perside, adsuefactaque timori esse accolis omnibus, quos antea formidabat, ipse medium agens cursum ætatis, placida morte decessit. Certatimque summatum & vulgi sententiis concinentibus, astris (vt ipsi existimant) ritus sui consecratione permixtus est omnium primus. Vnde ad id tempus reges eiusdem gentis prætumidi, appellari se patiuntur Solis fratres & Lunæ: vtque Imperatoribus nostris Augusta nuncupatio amabilis est & optata, ita regibus Parthicis abie-
G ctis & ignobilibus antea, incrementa dignitatum felicibus Arsacis auspiciis accessere vel maxima. Quamobrem numinis eum vice venerantur & colunt, eousque propagatis honoribus, vt ad nostrã memoriam non, nisi Arsacides sit, quisquam in suscipiendo regno cunctis anteponatur: & in quálibet ciuili concertatione, quæ quotidie apud eos eueniunt, velut sacrilegium quisque caueat, ne dextra sua Arsacidem arma gestantem feriat vel priuatum. Satisque constat hanc gentem regna,

populi-

populis vi superatis compluribus, dilatasse advsq; Propontidem & Thracias: sed alte spirantium ducum superbia, licenter grassantium per longinqua ærumnis maximis imminutam. Primo per Cyrũ quem Bospori fretum cum multitudine fabulosa transgressum, ad internecionem deleuit Tomyris regina Scytharum, vltrix acerrima filiorum. Deinde quum Darius, postea que Xerxes Græciam elementorum vsu mutato aggressi, cunctis pene copiis terra marique consumptis, vix ipsi tutum inuenere discessum: vt bella prætereamus Alexandrina, & testamento nationem omnem in successoris vnius iura translatam. Quibus peractis transcursisque temporibus longis sub consulibus, & deinceps in potestatem Cæsarum redacta republica, nobiscum eæ nationes subinde dimicarunt, paribusque momentis interdum, aliquoties superatæ, nonnumquam abiere victrices. Nunc locorum situm, quantum ratio sinit, carptim breuiterque absoluam. Hæ regiones in amplitudines diffusæ longas & latas, ex omni latere insulosum & celebre Persicum ambiunt mare: cuius ostia adeo esse perhibentur angusta, vt ex Harmozonta Carmaniæ promontorio, contra oppositum aliud promontorium, quod appellant incolæ Maces, sine impedimento cernatur. Quibus angustiis permeatis, quum latitudo patuerit nimis extenta, nauigatio advsque vrbem Teredona porrigitur, vbi post iacturas multiplices pelago miscetur Euphrates: omnisque sinus dimensione liorea in numerum viginti millium stadiorum, velut spatio detornato finitur: cuius per oras omnes, oppidorum est densitas & vicorum, nauiumque crebri discursus. Ergo permeatis angustiis antedictis, venitur ad Armeniæ sinum, orienti obiectum: interuallo Canichus nomine panditur sinus australis: haud procul inde alius quem vocant Chaliten, occiduo obnoxius sideri. Hinc præstrictis pluribus insulis, è quibus paucæ sunt notæ, Indorum mari iunguntur oceano, qui feruentem solis exortum suscipit omnium primus, ipse quoque nimium calens. Vtque geographici styli formauint, hac specie distinguitur omnis circuitus antedictus. Ab arctoo cardine adusque Caspias portas, Cadusiis conterminat & Scytharum gentibus multis, & Arimaspis hominibus luscis & feris: ab occidua plaga contingit Armenios & Niphatem, & in Asia sitos Albanos, mare rubrum, & Scenitas Arabas quos Saracenos posteritas appellauit: Mesopotamiam sub axe meridionali despectat: orienti a fronte contrarius, ad Gangen extenditur flumen, quod Indorum intersecans terras, in pelagus eiectatur australe. Sunt autem in omni Perside hæ regiones maximæ, quas vitaxæ (id est magistri equitum) curant, & reges, & satrapæ: (nam minores plurimas recensere difficile est & superfluum) Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania maior, Hyrcania, Margiana, Bactriani, Sogdiani, Sacæ, Scythia vltra Emodem montem, Serica. Aria, Paropamisadæ, Drangiana, Arachosia, & Gedrosia. Citra omnes propinqua est nobilis *Assyria* celebritate & magnitudine, & multiformi feracitate ditissima: quæ per populos pagosque amplos diffusa quondam & copiosa, ad vnum concessit vocabulum, & nunc omnis appellatur Assyria: vbi inter baccarum vulgariumque abundantiam frugum bitumen nascitur, prope lacum nomine Sosingiten, cuius alueo Tigris voratus, fluensque subterraneus, percursis spatiis longis emergit. Hic & na-

A phtha gignitur picea, specie glutinosa, similis ipsa
quoque bitumini: cui etiam si auicula insederit
breuis, præpedito volatu submersa penitus euanescit. Et quum hoc liquoris ardere cœperit genus, nullum inueniet humana mens præter puluerem extinguendi commentum. In his pagis hiatus quoque conspicitur terræ, vnde halitus letalis exsurgens, quodcumque animal proxime steterit, odore graui consumit. Quæ lues oriens à profundo quodam puteo, quum os eius excesserit latum,
B antequam sublimius vagaretur, terras circumsitas
inhabitabiles acerbitate fecisset. Cuius simile foramen apud Hierap olim Phrygiæ antehac, vt adserunt aliqui, videbatur: vnde emergens itidem noxius spiritus, perseueranti odore, quidquid prope venerat, corrumpebat, absque spadonibus solis: quod qua caussa eueniat, rationibus physicis permittatur. Apud Asbamei quoque Iouis templum in Cappadocia, vbi amplissimus ille philosophus
C Apollonius traditur natus apud oppidum Tyana,
stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus seseque resorbens, numquam extra margines intumescit. Iuxta hunc circuitum *Adiabena* est, Assyria priscis temporibus vocitata, longaque adsuetudine ad hoc translata vocabulum, ea re quod inter Œnam & Tigridem sita nauigeros fluuios, adiri vado numquam potuit: transire enim διαβαίνειν dicimus Græci. & veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem didicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos
D & transiuimus, Diauas & Adiauas, iuncti naualibus pontibus: ideoque intelligi *Adiauenam* cognominatam, vt à fluminibus maximis Ægyptus, Homero auctore, & India, & Euphratensis, antehac Commagena: itidemque Iberia ex Ibero, nunc Hispania, & a Bæti amne insignis prouincia Bætica. In hac Adiabena Ninus est ciuitas, (quæ olim Persidis regna possederat, nomen Nini potentissimi regis quondam Semiramidis mariti declarãs) & Ecbatana, & Arbela, & Gaugamela, vbi Darium
E Alexander post discrimina varia præliorum incitato marte prostrauit. In omni autem *Assyria* mul
tæ sunt vrbes: inter quas Apamia eminet, Mesene cognominata, & Teredon, & Apollonia, & Vologessia, hisque similes multæ. Splendidissimæ vero & peruulgatæ hæ solæ sunt tres: Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit, (arcem enim antiquissimus rex condidit Belus) & Ctesiphon, quam Vardanes priscis temporibus instituit, postea que rex Pacorus incolarum viribus amplifica-
F tam & mœnibus Græco indito nomine, Persidis
effecit specimen summum: post hanc Seleucia, ambitiosum opus Nicatoris Seleuci. Qua per duces Veri Cæsaris, vt ante retulimus, expulsata, auulsum sedibus simulacrum Comei Apollinis, perlatumque Romam, in æde Apollinis palatini deorum antistites collocarunt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmentum, incensa ciuitate, milites fanum scrutantes inuenere foramen angustum: quo reserato vt pretiosum aliquid in-
G uenirent, ex adyto quodam concluso à Chaldæo-
rum arcanis labes primordialis exsiliuit, quæ insanabilium vi concepta morborum, eiusdem Veri & Marci Antonini temporibus, ab ipsis Persarum finibus advsque Rhenum & Gallias, cuncta contagiis polluebat & mortibus. Hic prope *Chaldæorum* est regio: altrix philosophiæ veteris, vt memorant ipsi, apud quos veridica vaticinandi fides eluxit. Perfluunt autem has easdem terras potiores

ante alios amnes hi quos prædiximus, & Marsias; A
& flumen regium,& Euphrates cunctis excellens
qui tripartitus, nauigabilis per omnes est riuos,
insulasque circumfluens, & arua cultorum indu-
stria diligeotius rigans, vomeri & gignẽdis arbu-
stis habilia facit. His tractibus *Susiani* iunguntur,
apud quos non multa sunt opida, inter alia tamen
eminet Susa, sæpe domiciliom regum,& Arsiana,
& Sela,& Arecha: cetera, breuia sunt & obscura.
Fluuij vero multi per hæc loca discurrunt, quibus
præstantior Oates,& Harax & Meseus, per areno- B
sas angustias, quæ à rubro prohibent Caspium
mare, æquoream multitudinem inundantes. At
in læua, *Media* confinis Hyrcano panditur mari:
quam ante regnum Cyri superioris & incremen-
ta Persidos, legimus Asiæ reginam totius, Assyriis
domitis: quorum plurimos pagos in Atropatenæ
vocabulum permotatos belli iure possedit: pugna
trix natio,& formidanda post Parthos, quibus vin
citur solis, regiones inhabitans ad speciem qua- C
dratæ figuræ formatas. Harum terrarum incolæ
omnes ad latitudinem nimiam extenduntur, eis-
que maximæ celsitudines imminent montium;
quos Zagrum & Orontem & Iasonium vocant.
Coroni quoque montis altissimi partem habitan
tes occiduam, frumentariis agris adfluunt & vi-
nariis, pingui fœcunditate lætissimi, fluminibus
fontiumque venis liquidis locupletes. Sunt apud
eos prata virentia, fœtus equorum nobilium, qui-
bus(vt scriptores antiqui docẽt, nosque vidimus) D
ineuntes prœlia viri, summa vi vehi exsultantes
solent, quos Nysæos appellant. Abundant æque
ciuitatibus quibus Media,& vicis in modum opi-
dorum exstructis, & multitudine incolarum. vt-
que absolute dicatur, vberrimum est habitaculum
regum. In his tractibus *Magorum agri* sunt ferti-
les: super quorum secta studiisque, quoniam huc
incidimus, pauca conueniet expediri. Magiam o-
pinionum insignium anctor amplissimus Plato
Machagistiam esse verbo mystico docet, diuino- E
rum incorruptissimum cultum. cui scientiæ secu-
lis priscis multa ex Chaldæorum arcanis Bactria-
nus addidit Zoroastes: deinde Hystaspes rex pru-
dentissimos, Darij paret, qui quum superioris In-
diæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam
quamdam venerat solitudinem, cuius tranquillis
silentiis præcelsa Bracmanorum ingenia potiun-
tur: eorumque monitu rationes mundani motus
& siderum, purosque sacrorum ritus, quantum
colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit, ali-
qua sensibus magorum infudit: quæ illi cum dis- F
ciplinis præsentiendi futura, per suam quisq; pro-
geniem posteris ætatibus tradunt. Ex eo per secu-
la multa ad præsens, vna eademque prosapia mul-
titudo creata, deorum cultibus dedicatur. Fefunt-
que etiam, si iustum est credi, ignem cœlitus la-
psum apud se sempiternis foculis custodiri: cuius
portionem exiguam, vt faustam, præisse quondam
Asiaticis regibus dicunt. Huius originis apud ve-
teres numerus erat exilis, eiusque mysteriis Persi-
cę potestates in rebus faciendis diuinis solenniter G
vtebantor. Eratque piaculum aras adire vel ho-
stiam contrectare, antequam magus conceptis
precationibus libamenta diffuoderet precursoria.
Verum aucti paulatim, in amplitudinem gentis
solidæ concesserunt & nomen: villasque inhabi-
tantes nulla murorum firmitudine communitas,
& legibus suis vti permissi, religionis respectu
sunt honorati. Ex hoc magorum semine septem

post mortem Cambysis regnum inisse Persidos, an-
tiqui memorant libri, docentes eos Darii factio-
ne oppressos, imperitandi initium equino hinni-
tu sortiri. In hac regione oleum conficitur medi-
cum; quoillitum telum si emissum lentius laxiore
arcu(nam ictu exstinguitur rapido) hæserit vs-
quam, tenaciter cremat: & si aqua voluerit ablue-
re quisquam, æstus excitat acriores incendiorum,
nec remedio vllo quam iactu pulueris consopi-
tur. Paratur autem hoc modo: Oleum vsus com-
munis herba quadam infectum condiunt harum
rerum periti, ad diuturnitatem seruantes; & coa-
lescens durant ex materia venæ naturalis, similis
oleo crassiori: quæ species gignitur apud Persas,
quam (vt diximus) naphtham vocabulo appella-
uere gentili. Per hæc loca ciuitates dispersæ sunt
plures, queis omnibus præstant Zombis, & Pati-
gra,& Gazaca: inter quas opibus & magnitudine
mœnium conspicuæ sunt Heraclia.& Arsacia, &
Europos, & Cyropolis, & Ecbatana sub Iasonio
monte in terris sitæ Syromedorum. Amnes has
regiones prætereunt multi, quorum maximi sunt
Choaspes,& Gyndes & Armadus,& Charinda,&
Cambyses,& Cyrus; cui magno & spatioso Cyrus
ille superior rex amabilis, abolito vetere, id voca-
bulum dedit, quum ereptum ire regna Scythica
destinaret, quod & fortis esset, vt ipse ferebatur,
& vias sibi vt ille impetu ingenti molitus, in Cas-
pium dilabitur mare. Per tractus meridianos ex-
pansa, post hæc confinia, litoribus proxima *Persis*
habitatur *antiqua*, minutis frugibus diues & pal-
mite, aquarumque copia iucundissima. Amnes
quippe multi per eam in antedictum fluũt sinum:
quorum maximi sunt Vatrachites, Rogomanis,
& Brisoana, atque Bagrada. Opida vero mediterra
nea sunt ampliora: (incertum enim qua ratione
per oras maritimas nihil condiderunt insigne)
inter quæ Persepolis est clara,& Ardea & Oroba-
tis atque Tragonica. Insulæ vero visuntur ibi tres
tantum, Tibiana,& Phara,& Alexandria. His pro-
pinquant *Parthi*, siti sub aquilone, colentes niua-
les terras & pruinosas: quorum regiones Choa-
tres fluuius interscindit ceteris abundantior. Et
hęc potiora residuis sunt opida: Genonia, Charax,
Apamia, Artacana,& Hecatompylos; à cuius fini-
bus per Caspia littora adusque portarum angu-
stias, stadia quadraginta numerantur & mille. Fe-
ri sunt illic habitatores pagorum omnium, atque
pugnaces: eosque ita certamina iuuant & bella, vt
iudicetur inter alios omnes beatus qui in prœlio
fuderit animam. Excedentes enim è vita morte
fortuita, conuitiis insectantur vt degeneres & i-
gnauos. Quibus ab orientali australique plaga *A-
rabes Beati* conterminant, ideo sic appellati, quod
frugibus iuxta & fœtibus & palmite, odorumque
suauitate multiplici sunt locupletes: magnæque
eorum partes rubrum mare à latere dextro con-
tingunt: læua Persico mari collimitant: ele-
menti vtriusque potiri bonis omnibus adsueti.
Vbi & stationes & portus tranquilli sunt complu-
res,& emporia densa, & diuersoria regum ambi-
tiosa nimium & decora, aquarumque suapte na-
tura calentium saluberrimi fontes,& riuorum flu
minumque multitudo perspicua, sospitalisque
cœli temperies: vt rectè spectantibus, nihil eis vi-
deatur ad felicitatem deesse supremam. Ac licet
abundet vrbibus mediterraneis atque maritimis,
campisque copiosis & vallibus; has tamen ciuita-
tes habet eximias, Geapolim,& Nascum, & Bara-
ba: iti-

basitidemque & Nagara,& Mephram,& Taphrō, A
& Dioscuriada. Iusulas autem complures habet
per vtrumque proximas mare, quas dinumerare
non refert. Insignior tamen aliis Turgana est,in
qua Serapidis maximum esse dicitur templum.
Post huius terminos ingentea, *Carmania maior*
verticibus celsis erigitur, advsque Indicum perti-
nens mare, fructuariis arboreisque fœtibus culta,
sed obscurior Arabum terris multo & minor,flu-
minibus tamen ipsa quoque non minus abundās,
cæspitisque vbere iuxta fœcunda. Amnes autem B
sunt hic ceteris notiores Sagareus, & Saganis, &
Hydriacus. Sunt etiam ciuitates, licet numero
paucæ,victu tamen & cultu perquam copiosæ,in-
ter quas nitet Carmanaa omnium mater,& Or-
tospana,& Alexandria,& Hermupolis. Interius
vero pergenti occurrunt *Hircani*, quos eiusdem
nominis alluit mare: apud quos glebæ maximæ
auro micantes,ruris colendi cura est leuior:sed ve
scuntur venatibus, quorum varietate immane
quantum exuberant. vbi etiam tigridum millia C
multa cernuntur, feræque bestiæ plures, quæ cu-
iusmodi solent capi commentis, dudum nos me-
minimus retulisse. Nec ideo tamen stiuam igno-
rant,sed seminibus teguntur aliquæ partes,vbi so-
lum est pinguius,nec arbusta desunt in locis habi
libus ad plantandum, & marinis mercibus pleri-
que sustentantur. Hic amnes duo peruulgati sunt
nominis,Oxus & Maxeraquos vegente media su
perantes natatu aliquoties tigres, improuisæ fini-
tima populantur.Habēt etiam ciuitates inter mu-
nicipia minora validas, duas quidem maritimas,
Socunda & Saramanna,mediterraneas alias, Az- D
mornam & Solen, & his nobiliorem Hyrcanam.
Contra hanc gentem sub aquilone dicuntur *Aby*
versari,genus piissimum, calcare cuncta mortalia
consuetum: quos(vt Homerus fabulosius canit)
Iupiter ab Idæis montibus contuetur. Sedes vici-
nas post Hyrcanos sortiti sunt *Margiani*, omnes
pene collibus altis vndique circumsepti, ideo à
à mari discreti. Et quamquam pleraque sunt ibi
deserta aquarum penuria, quædam tamen ha-
bent opida, sed Iasonion, & Antiochia, & E
Nisca,sunt aliis notiora.Proximos his limites pos
sident *Bactriani*,natio antehac bellatrix & poten-
tissima,Persisque semper infesta,antequam circū-
sitos populos omnes ad dicionem gentilitatem-
que traherent nominis sui:quam rexere veteribus
seculis etiam Arsaci formidabiles reges. Eius ple-
ræque partes,ita vt Margiana, procul à litoribus
sunt disparatæ, sed humi gignentium fertiles: &
pecus quod illic per campestria loca vescitur &
montana,membris est magnis compactum & va- F
lidis: vt indicio sunt cameli à Mithridate exinde
perducti, & primitus in obsidione Cyzicena Ro-
manis visi.Gentes isdem Bactrianis obediunt plu
res,quæ arua plana arant,&ad Italiæ speciem cre-
bris fluminibus inundantur:è quibus Artamis &
Zariaspes ante sibi consociati, itidemque Ochus
& Orgomanes iuncti conuenis aquis,augent im-
mania Oxi fluenta.Sunt &hic ciuitates quas am-
nes diuersi perstringunt, his cedentes vt meliori-
bus: Chatra & Charte, & Alicodra,& Astacia,& G
Menapila,& Bactra ipsa, (vnde regnum & voca-
bulum nationis est institutum)sub imis mōtium
pedibus quos appellant Sogdios. Inter quos am-
nes duo fluunt nauium capacissimi, Araxates &
Dymas,qui per iuga vallesque præcipites in cam-
pestrem planitiem decurrentes, Oxiam nomine

A paludem efficiunt longe lateque diffusam.Hic in-
ter alia opida celebrantur, Alexandria, & Triba-
tra,& Drepsa metropolis.His contigui sunt *Sacæ*,
natio fera, squalentia incolens loca, solo pecore
fructuosa, ideo nec ciuitatibus culta: cui Ascan-
mia mons imminet & Comedus.Præter quorum
radices, & vicum quem Lithinoo pyrgon appel-
lant, iter longissimum patet mercatoribus per-
uium,ad Seras subinde commeantibus. Circa de-
fectus & crepidines montium, quos Imauos &
B Tapurios vocant,*Scythæ* sunt intra Persicos fines,
Asianis cōtermini Sarmatis,Alanorumq; latus tā-
gentes extremum. Qui velut agentes quodam se-
cessu coalitique solitudine, per interualla dispersi
sunt longa,adsueti victu vili & paupertino.Et gē-
tes quidem variæ hos incolunt tractus,quas nunc
recensere,alio properans, superfluum puto.Illud
tamen sciendum,inter has nationes pene ob aspe-
ritatē nimiam inaccessas, homines esse quosdam
mites & pios, vt Iaxartæ sunt & Galactophagi,
C quorum meminit vates Homerus in hoc versu,
Γλακτοφάγων Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων. Inter flu-
mina vero multa quæ per has terras vel potiorib.
iūgit natura,vel lapsu post trahit in mare,Roëm-
nus celebris est,& Iaxartes,& Talicus. Ciuitates
autem non nisi tres solas habere noscuntur, Aspa-
bota, & Cauriana, & Saga. Vltra hæc vtriusque
Scythiæ loca,contra Orientalem plagam,in orbis
speciem consertæ celsiorum aggerum summitates
ambiunt *Seras*, vbertate regionum & amplitudi-
ne circumspectos: ab occidentali latere Scythis
adnexos,à Septemtrione & orientali niuosæ soli-
D tudini cohærentes: qua meridiem spectant, advs-
que Indiam porrectos & Gangem. Appellantur
autem iidem montes, Aria & Nazauitium,& As-
mira,& Emodus, & Opurocarra.Hanc itaque pla
nitiem,vndique prona decliuitate præruptam,ter
rasque lato situ distentas,duo famosi nominis flu-
mina Occhardes & Banthisis lentiore meatu per-
currunt, & dispar est tractuum diuersorum inge-
nium,hic patulum, alibi molli deuexitate subdu-
ctum. ideoque satietate frugum,& pecoribus,&
E arbustis exuberant. Incolunt autem fœcundissi-
mam glebam variæ gentes,è quibus Alitrophagi,
& Catambusi,& Sizyges,& Chardi, aquilonibus
obiecti sunt & pruinis. exortum vero solis suspi-
ciunt Rabannæ,& Asmiræ,& Essedones omnium
splendidissimi:quibus Atharæ ab occidentali par-
te cohærent:& Asparatæ: Betæ vero australi celsi-
tudini montium acclinati,vrbibus licet non mul-
tis,magnis tamen celebrantur & opulentis: inter
quas maxime Asmira, & Essedon & Asparata &
F Pheræ,nitidæ sunt & notissimæ.Agunt autem ipsi
quietius Seres, armorum semper & præliorum
expertes, vtque hominibus sedatis & placidis est
otium voluptabile,nulli finitimorum molesti:cę-
li apud eos iucunda salubrisque temperies, aëris
facies munda,leniumque ventorum commodissi-
mus flatus, & abundæ siluæ sublucidæ: à quibus
arborum fœtus aquarum asperginibus crebris ve-
lut quædam vellera mollientes, ex lanugine & li-
quore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt:
G nentesque subtegmina, conficiunt sericum,ad v-
sua antehac nobilium, nunc etiam infimorum si-
ne vlla discretione proficiens.Ipsi præter alios fru
galissimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reli-
quorum mortalium cœtus.Quumque ad coemen
da fila vel quædam alia fluuium transierint adue-
næ, nulla sermonum vice propositarum rerum

pretia solis oculis æstimantur. Et ita sunt absti- A nentes, vt apud se tradentes gignentia, nihil ipsi comparent aduectitium. *Arians* viuunt post Seras, Boreæ obnoxij flatibus: quorum terras amnis vehendis sufficiens nauibus Arias perfluit nomine, faciens lacum ingentem eodem vocabulo dictitatum. Abundat autem hæc eadem Aria opidis: inter quæ sunt celebres Bitaxa, Orbitana, & Sotera, & Nisibis, & Alexandria, vnde nauigatur ad Caspium mare quingenta stadia numerantur & mille. His locis *Paropanisadæ* sunt proximi, Indos ab oriente, Caucasumque ab occidentali latere prospectantes, ipsi quoque montium decliuibus B acclinati: quos residuis omnibus maior Ortogordomaris interluit fluuius, à Bactrianis exsurgens. Habent autem etiam ciuitates aliquas, quibus clariores sunt Gazaca, & Naulibis, & Ortospana, vnde litorea nauigatio adusque Mediæ fines portis proximos Caspiis, stadiorum sunt duo millia ducenta. Antedictis contigui sunt *Drangiani*, collibus cohærentes, *Arabum* nomine ideo appellati, quod inde exorti, inter quos alia duobus municipiis exsultantes, Prophthasia & Ariaspe, opulentis & claris. Post quos ex aduerso *Arachosia* C visitur, dextrum vergens in latus Indis obiecta: quam ab Indo fluuiorum maximo, vnde regiones cognominatæ sunt, amnis multo minor exsurgens aquarum alluit amplitudine, efficitque paludem Arachotoscrenen appellatam. Hic quoque ciuitates sunt inter alias viles, Alexandria, & Arbaca, & Coaspa. In penitissima parte Persidos, *Gedrosia* est, dextra terminos contingens Indorum, inter minores alios Artabio vberior flumine: vbi D montes deficiunt Barbitani, quorum ex pedibus imis emergentes alij fluuij, Indo miscentur, amittentes nomina magnitudine potioris. Ciuitates autem etiam hic sunt. Inter ciuitates præter insulas Sedratyra, & Γυναικῶν λιμὴν meliores æstimantur. Ne igitur oræ maritimæ spatia alluentia Persidis extremitates per minutias demonstrantes, à proposito longius aberremus, id sufficiet dici, quod mare prætentum à Caspiis montibus per Boreum latus adusque memoratas angu- E stias, nouem millium stadiorum: australe vero, ab ostiis Nili fluminis adusque principia Carmanorum, quatuordecim millium stadiorum numero definitur. Per has nationes dissonas & multiplices, hominum quoque diuersitates sunt, vt locorum. Sed vt generaliter corpora describamus & mores, graciles pene sunt omnes, subnigri vel liuido colore pallentes, caprinis oculis torui, & F superciliis in semiorbium speciem curuatis iunctisque, non indecoris barbis, capillisque prolixis hirsuti. Omnes tamen promiscue, vel inter epulas festosque dies, gladiis cincti cernuntur. Quem Græcorum veterū morem abiecisse primos Athenienses, Thucydides est auctor amplissimus. Effusius plerique soluti in venerem, ægreque contenti multitudine pellicum, puerilium stuprorum expertes, pro opibus quisque adsciscens matrimonia, plura vel pauca. vnde apud eos per libidines varias caritas dispersa torpescit. Munditias con- G uiuiorum & luxum, maximeque potandi auiditatem vitantes, vt luem. Nec apud eos extra regales mensas hora est præstituta prandendi, sed venter vnicuique velut solarium est, eoque monente quod inciderit, editur. Nec quisquam post satietatem superfluos sibi ingerit cibos. Immane quantum restricti & cauti: vt inter hostiles hortos gradientes nonnumquam & vineta, nec cupiant aliquid nec contingant, venenorum & secretarum artium metu. Super his, nec stando mingens, nec ad requisita naturæ secedens facile visitur Persa: ita obseruantius hæc aliaque pudenda declinat. Adeo autem dissoluti sunt, & artuum laxitate vagoque incessu iactitantes se, vt effeminatos existimes, quum sint acerrimi bellatores, sed magis artifices quam fortes, eminusque terribiles: abundantes inanibus verbis, insanumque loquentes & ferum, magnidici, graues & tetri, minaces iuxta in aduersis rebus & prosperis, callidi, superbi, crudeles, vitæ necisque potestatem & in seruos & in plebeios vindicantes obscuros. Cutes viuis hominibus detrahunt particulatim vel solidas. Nec ministranti apud eos famulo mensæque adstanti hiscere vel loqui licet, vel spuere: ita rostratis pellibus labra omnium vinciuntur. Leges apud eos impendio formidatæ. Inter quas diritate exsuperant latæ contra ingratos & desertores, & abominandæ aliæ, per quas ob noxam vnius omnis propinquitas perit. Ad iudicandum autem vsu rerum spectati destinantur & integri, parum alienis consiliis indigentes: vnde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos, iurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga. Nam quod supersedere corio damnati ob iniquitatem iudicis iudex alius cogebatur, aut finxit vetustas, aut olim recepta consuetudo cessauit. Militari cultu ac disciplina, prælusionibusque continuis rei castrensis & armaturæ, quam sæpius formauimus, metuendi vel exercitibus maximis, equitatus virtute confisi, vbi desudat nobilitas omnis & splendor. Pedites enim in speciem myrmillonum contecti, iussa faciunt vt calones. Sequiturque semper hæc turba tamquam addicta perenni seruitio, nec stipendiis aliquando fulta nec donis. Et gentes plurimas præter eas quas abunde perdomuit, sub iugum hæc natio miserat, ita audax & ad pulueres Martios erudita, vt bellis ciuilibus externisque assidue vexaretur. Indumentis plerique eorum ita operiuntur lumine colorum fulgentibus vario, vt licet sinus lateraque dissura relinquant flatibus agitari ventorum, inter calceos tamen & verticem nihil videatur intectum. Armillis vti monilibusque aureis, & gemmis, præcipue margaritis, quibus abundant, adsuefacti post Indiam victam & Crœsum. Res statuit vt super ortu lapidis huius pauca succinctis explicentur. Apud Indos & Persas *margaritæ* reperiuntur in testis marinis robustis & candidis, permixtione roris anni tempore præstituto conceptæ. Cupientes enim velut coitum quemdam humoris, ex lunari aspergine capiunt densius oscitando. Exindeque grauidæ, edunt minutas binas aut ternas, vel *vniones* ideo sic appellatas quod eius terræ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed maiores. Idque indicium est ætheria potius deriuatione quam saginis pelagi hos oriri fœtus & vesci, quod guttæ matutini roris iisdem infusæ, claros efficiunt lapillos & teretes: vespertini vero, fluxuosos contra & rutilos, & maculosos interdum. Minima autem vel magna pro qualitate haustuum, figurantur casibus variatis. Concussæ vero sæpissime metu fulgurum inanescunt aut debilia pariunt, aut certe vitiis defluunt abortiuis. Capturas autem difficiles & periculosas, & amplitudines pretiorum, illa efficit ratio, quod fre-

frequentari sueta litora propter piscantiom insi-
dias declinantes, vt quidam coniiciunt, circa de-
uios scopulos, & marinorum canum receptacula
A delitescunt. Quod genus gemmæ etiam in Britan-
nici secessibus maris gigni legique, licet dignita-
te dispari, non ignoramus.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVSQVARTVS.

POst exploratam alacritatem exercitus, vno pa-
rique ardore impenetrabilem principem su-
perari non posse, vsitato clamore testantis, Iulia-
nus summæ rei finem imponendum maturius cre
dens, extracta quiete nocturna itineratium sona-
re lituos iubet: præstructisque omnibus quę diffi-
cultates arduæ belli poscebant, candente iam luce
Assyrios fines ingressus, celso præter alios spiritu
obequitans ordinibus, æmulatione sui cunctos ad
officia fortudinis incendebat. Vtque ductor vsu &
docilitate firmatus, metuens ne per locorum inso
lentiam insidiis caperetur occultis, agminibus in-
cedere quadratis exorsus est. Excursatores siquidem
quingentos & mille sensim præire disposuit, qui
cautius gradientes ex vtroque latere, itidemque à
fronte, nequis repentinus irrueret, prospectabant.
Ipse vero medios pedites regens, quod erat totius
roboris firmamentum, dextra legiones aliquas
cum Neuita supercilia fluminis perstringere iussit
Euphratis. Cornu vero læuum cum equitum co-
piis Arintheo tradidit & Ormisdæ, ducendum
confertius per plana camporum & mollia. Agmi-
na vero postrema Dagalaiphus cogebat & Victor,
vltimusque omnium Osdruenæ dux Secundinus.
Deinde vt hostibus, si erupissent vsquam, vel con-
spicantibus procul timorem multidinis maioris
incuteret, laxatis cuneis iumenta dilatauit & ho-
mines, vt decimo pene lapide postremi disparat-
entur à signiferis primis: quod arte mira sæpe fe-
cisse Pyrrhus ille rex dicitur Epirotes, opportunis
in locis castrametandi, armorumque speciem dif-
fundendi ex industria vel attenuandi perquam
scientissimus, vt vbi venisset, plures æstimarentur,
aut pauci. Sarcinas vero & calones, & apparitio-
nem imbellem, impedimentorumque genus om-
ne, inter vtrumque latus instituit procedentium
ordinum, nequa vi subita raperentur, vt sæpe cô-
tingit, improtecta. Classis autem, licet per flumen
ferebatur adsiduis flexibus tortuosum, nec reside-
re nec præcurrere sinebatur. Emenso itaque iti-
nere bidui, prope ciuitatem venimus Dotam, de-
sertam marginibus amnis impositam, in quo lo-
co greges ceruorum plures inuenti sunt: quorum
alij confixi missilibus, alij ponderibus elisi remo-
rum, ad satietatem omnes pauerunt: pars maxima
natatu adsueta, veloci alueo penetrato, incohibili
cursu coasit ad solitudines notas. Exin itinere die-
rum quatuor leui peracto, vespera incedente, cum
expeditis mille impositis nauibus, Lucillianus co-
mes imperitia principis mittitur Anathan muni-
mentum expugnaturus, quod, vt pleraque alia, cir
cumluitur fluentis Euphratis: & nauibus, vt præ-
ceptum est, per opportuna dispersis, obsidebatur
insula, nebulosa nocte obumbrante impetum clâ
destinum. Sed postquam venit lux certa, aqua-
tum quidam egressus, visis subito hostibus, vlula-
B bili clamore sublato excitos tumultuosis vocibus
propugnatores armauit. Et mox specula quadam
altissima explorato situ castrorum, quam ocissime
duarum præsidio nauium amnem supermeat Im-
perator, pone sequentibus nauigiis multis, quæ
obsidionales machinas aduehebant. Iamque mu-
ris propinquans, quum non absque discrimini-
bus multis consideraret esse certandum, sermone
cum leni, tum aspero & minaci hortabatur ad de-
ditionem defensores: qui ad colloquium petito
C Ormisda, promissis eius & iuramentis illecti, mul
ta sibi de lenitudine Romana spoodebant. Deni-
que præ se bouem coronatum agentes, (quod est
apud eos susceptæ pacis indicium) descendere sup
pliciter: & statim omni munimento incenso, Pu-
sæus eius præfectus, dux Ægypti postea, honore
tribunatus adfectus est. Reliqui vero cum caritati
bus suis & suppellectile, humiliori cultu ad Sy-
riacam ciuitatem Chalcida transmissi sunt. Inter
hos miles quidam, quum Maximianus perrupis-
D set quondam Persicos fines, in his locis æger reli-
ctus, prima tum etiam lanugine iuuenis, (vt aie-
bat) vxores sortitus gentis ritu complures, cum nu
merosa sobole tunc senex incuruus, exsultâs pro-
ditionisque auctor, ducebatur ad nostra, testibus
adfirmans, & præscisse se olim, & prædixisse, qood
centenario iam contigous sepelietur in solo Ro-
mano. Post quæ Saraceni procorsatores quosdam
partis hostium obtulere lætissimo principi, & ite-
rum ad agenda similia sunt remissi. Acciderat a-
E liud postridie dirum. Ventorum enim turbo exor
tus, pluresque vertigines concitans, ita confuderat
omnia recta, vt tabernacula multa conciderent,
& supini plerique milites sternerentur vel proni,
spiritu stabilitatem vestigiis subuertente. Nec mi-
nus eodem die aliud periculosum euenit. Amne
enim repente extra margines euagato, mersæ sunt
quædam frumentariæ naues, cataractis auulsis, ad
diffundendas reprimendasque aquas rigare suetas
opere saxeo structis: quod vtrum per insidias an
F magnitudine acciderit fluentorum, sciri non po-
tuit. Post præruptam incensamque vrbem omniû
primam, & captiuos transmissos, certiore iam spe
prouectus exercitus ad fiduciam, elatis vocibus in
fauores principis consurgebat, adfore sibi etiam
deinde cælestem existimans curam: & quia per re-
giones ignotas de obscuris erat suspectior cura,
astus gentis & ludificandi varietas timebatur. Ideo
Imperator nunc antesignanus, nunc agminibus
G cogendis insistens cû expeditis velitibus, ne quid
lateret abstrusum, frutecta squalida vallesque scru
tabatur, licentiores militum per longinqua dis-
cursus adfabilitate natiua prohibendo vel minis:
hostiles tamen agros omni frugum genere diui-
tes, cum segetibus & tuguriis inflammari permi-
sit, ita demum quum vsui necessaria abunde sibi

A quisque collegisset: & hoc modo sauciabatur sa-lus hostium nesciorum. Bellatores enim libenter quæsitis dextris propriis vtebantur, alia virtutis suæ horrea reperisse existimantes, & læti quod vitæ quoque subsidiis adfluentes, alimenta seruabát quæ nauigiis vehebantur. Hic vino grauis quidam temerarius miles, & ad vlteriorem ripam nullo vrgente transgressus, in cóspectu nostro ab hostibus captus, occisus est. Quibus tali casu patratis, ad castra peruenimus nomine Thilutha, in medio fluminis sita, locum immenso quodam vertice tumescentem, & potestate naturæ velut manu circumseptum humana: cuius ad deditionem incolæ tentati mollius, (vt decebat) quoniam asperitas edita vim superabat armorum, intempestiuá tunc defectionem esse firmabant. sed hactenus responderunt, quum interiora occupauerint protinus gradientes Romani, se quoque, vtpote regnorum sequelas, victoribus accessuros. Et post hæc prætermeantes in ipsa mœnia, naues nostras cum verecundia quiete spectabant immobiles. Quo transito, quum ad munimentum aliud Achaiacha lam nomine venissemus, fluminis circúitione vallatum, arduumque transcensu, consutati pari responso discessimus. Alia postridie castra ob mu-ros inualidos derelicta prætereuntes incensa. Postera vero & insequenti die stadiis ducentis emésis, ventú est ad locum Baraxmalcha. Vnde amne transito milliario septimo disparata Diacira inuaditur ciuitas habitatoribus vacua, frumento & salibus nitidis plena, in qua templum alti culminis arci vidimus superpositum. qua incensa cæsisque mulieribus paucis quæ repertæ sunt, traiecto fonte scatente bitumine, Ozogardanam occupauimus opidum, quod formidine aduenientis exercitus itidem deseruere cultores, in quo principis Traiani tribunal ostentabatur. Hac quoque exusta, biduo ad refectionem corporum dato, prope extremum noctis quæ secundum diem sequuta est, Surena post regem apud Persas promeritæ dignitatis, & Malechus Podosaces nomine, phylarchus Saracenorum Assanitarum, famosi nominis latro, omni sæuiria per nostros limites diu grassatus, structis Ormisdæ insidiis, (quem ad speculandum exiturum, incertum vnde præsenserant) ideo sunt tentamento frustrati, quod angusta fluminis inter luuies & prælta transiti vado non potuit. Et primo lucis exordio, quum essent hostes iam in contuitu, visi tunc primitus, coruscí galeis & horrentes induribus rigidis, milites in procinctum impetu veloci tendentes, eos inuolauere fortissime. Et quamuis arcus validis viribus flecterentur, & splé dor ferri intermicans Romanorum metum augeret, ita tamen acuente virtutem, clypeorum densitate contecti, ne possint emittere coëgerunt. Animatus huiuscemodi primitiis miles, ad vicum Macebracta peruenit, in quo semiruta muri vestigia videbantur: qui priscis temporibus in spatia longa protentus, munire ab externis incursibus Assyriam dicebatur. Hinc pars fluminis scinditur largis aquarum agminibus, ducens ad tractus Babylonios interiores, vsui agris futura & ciuitatibus circumiectis alia, Naarmalcha nomine, quod *flu-uius regum* interpretatur, Ctesiphóta prætermeat: cuius in exordio turris in modum phari celsior surgit. Hanc peditatus omnis pontibus caute dige stis transiuit. Equites vero cum iumentis armati, clementiores gurgites fluminis obliquati transna runt, alij multitudine subita petiti telorum hostilium: quos egressi auxiliares ad cursuram leuissimi, fugientiumque ceruicibus insistentes, laniatu auium prostrauerunt. Quo negotio itidem gloriose perfecto, ad ciuitatem Pyrisaboram ventum est, amplam & populosam, ambitu insulari circumuallatam. Cuius obequitans mœnia Imperator & situm, obsidium omni cautela cœptabat, quasi sola formidine opidanos à propugnandi studio submoturus. Quibus per colloquia sæpe tentatis, quum nec promissis quisquam flecte-

B retur nec minis, suscipitur oppugnádi exordium. Et armatorum triplici corona circumdatis muris, die primo advsque noctis initium missilibus certabatur. Tum defensores animo præstantes & viribus per propugnacula ciliciis vndique laxius pansis, quæ telorum impetus cohiberent, obtecti scutis vimine firmissimo textis, & crudorú tergorum densitate vestitis, valsissime resistebant, ferrea nimirum facie omni: quia laminę singulis membrorum lineamentis cohærenter aptatæ, fido

C operimento totam hominis speciem contegebát. Et aliquoties Ormisdæ & indigenæ & regalis colloquia petentes obnixe, propinquantem probris atque conuitiis vt male fidum incessebant & desertorem: ac lenta cauillatione diei maxima parte exempta, tenebrarum silentio primo multiformes admotæ sunt machinæ, cœptaque altitudo complanari fossarum. Quæ vixdum ambigua luce defensores intente contemplati, eo accedente quod angularem turrim ictus forauit arietis violentior,

D relictis ciuitatibus duplicibus muris continétem occupát arcem, aperti montis interrupta planitie superpositam: cuius medietas in sublime consurgens, tereti ambitu Argolici scuti speciem ostendebat; nisi quod à septemtrione id quod rotunditati deerat, in Euphratis fluenta proiectæ cautes eminentius tuebantur: in qua excellebant minæ murorum, bitumine & coctilibus laterculis fabricatæ, quo ædificij genere nihil tutius esse constat.

E Iamque ferocior miles peruasa vrbe quam videtat vacuam, aduersus opidanos ab arce multimoda tela fundentes acri contentione pugnabat. Quú enim iidem prohibitores catapultis nostrorú vrgerentur atque balistis, ipsi quoque ex edito arcus erigebant, fortiter tensos: quibus páda vtrinq; surgentia cornua ita lentius flectebantur, vt neruí digitorum acti pulsibus violentis, arúdines ferratas emitterent, quæ corporibus illisæ contrariis letaliter figebantur. Dimicabatur nihilominus v-

F trobique saxorum manualium nimbis: & nentrobi inclinato momento, prœlium atrox à lucis ortu ad initium noctis destinatione magna protractum, pari sorte diremptum est. Proinde die sequuto, quú certaretur asperrime, multique fluderentur altrinsecus, & æquæ vires gesta librarét, Imperator omnes alea casus inter mutuas clades experiri festinans, cuneatim stipatus, densatisq; clypeis ab ictu sagittarum defensus, veloci saltu comitantibus promptis, prope portam venit hostilem crassso ferro crustatam. Et licet saxis & glande ceterís-

G que telis cum periculo salutis premeretur, fodicare, tamen paratos valuarum latera, vt aditú patefacerent vocibus increpans crebris, non ante discessit quam telorum congerie quæ superiaciebátur se iam cerueret obruendum. Euasit cum omnibus tamen, paucis leuius vulneratis, ipse innoxius verecundo rubore perfusus. Legerat enim Æmilianum Scipionem, cum historiarum conditore Polybio Megalopolitano Arcade, & triginta millibus,

bus, portam Carthaginis impetu simili subfodisse. Sed fides recepta scriptorum veterum recens factum defendit. Æmilianus enim testudine lapidea tectam successerat portam, sub qua tutus & latens, dum moles saxeas detegunt hostes, vrbem nudatam irrupit. Iulianus vero locum patentem ingressus, obumbrata cæli facie fragmentis montium & missilibus, ægre inde repulsus abscessit. His raptim ac tumultuarie agitatis, quum operositas vinearum & aggerum impeditissima à ceteris vrgentibus cerneretur, machinam quæ cognominatur helepolis, iussit expeditius fabricari, qua, vt supra docuimus, rex vsus Demetrius, superatis opidis pluribus Poliorcetes appellatus est. Ad hanc molem ingentem superaturam celsarum turrium minas, prohibitores oculorum acies intentius conferentes, itidemque instantiam obsidentium perpensantes, subito vertuntur ad preces, circumfusi per turres ac mœnium minas: & fidem Romanam pansis manibus protestantes, vitam cum venia postulabant. Quumque cessasse opera & munitores nihil viderent tentare vlterius, (quod quietis erat indicium certum) copiam sibi conferendi sermonis cum Ormisda poscebant. Hocque impetrato Mamersides præsidiorum præfectus, demissus per funem, deductusque ad Imperatorem, vt obsecrauit, vita cum impunitate sibi consortibusque suis firmiter pacta, redire est permissus. Gestisque nuntiatis, plebs omnis vtriusque sexus, ad sententiam suam cunctis acceptis pace fœderata, cum religionum consecrationibus fidis, patefactis egreditur portis, salutarem genium adfulsisse sibi clamitans Cæsarem magnum & lenem. Numerata sunt autem deditiriorum duo millia & quingenti: nam cetera multitudo, obsidium ante inspectans, nauigiis paruis permeato amne decessit. In hac arce armorum alimentorumque copia reperta est maxima: vnde necessariis sumptis, reliqua cum loco ipso exussere victores. Postera die quam hæc acta erant, perfertur ad Imperatorem cibus per otium capientem nuntius grauis, Surenam Persicum ducem, procursatorum partis nostræ tres turmas inopinum aggressum, paucissimos trucidasse: inter quos strato tribuno vnum rapuisse vexillum. Statimque concitus ira immani, cum armigera manu festinatione ipsa tutissimus peruolauit: & grassatoribus fœda consternatione depulsis, residuos duos tribunos sacramento soluit, vt desides & ignauos. Decem vero milites ex his qui fugerant, exauctoratos capitali addixit supplicio, sequutus veteres leges. Incensa denique vrbe, vt memoratum est, constructo tribunali insistens, actis gratiis conuocato exercitu cunctos ad paria facienda deinceps hortabatur: & argenteos nummos centenos viritim pollicitus, quum ea parcitate promissi perciros tumultuare sensisset, ad indignationem plenam grauitatis erectus, *En*, inquit, *Persæ circumfluentes rerum omnium copiis. Ditare nos poterit opimitas gentis, si vnum spirantibus animis, fortiter fecerimus. Ex immensis opibus egentissima est tandem, credite, Romana respublica, per eos qui, vt augere t diuitias, docuerunt principes auro quiete à barbaris redempta redire. Imperitum ærarium est, vrbes exinanitæ, populatæ prouinciæ: mihi nec facultates, nec propinquitas generis suppetit, quamuis ortus sim nobilis, præter pectus omni liberum metu: nec pudebit Imperatorem, cuncta bona in animi cultu ponentem, profiteri paupertatem honestam. Nam & Fabricij familiari re pauperes, rexere bella grauissima, gloria locupletes. Hæc nobis cuncta poterunt abundare, si imperterriti, Deo meque, quantum humana ratio patitur, caute ductante, mitius egeritis. Sin resistitis, ad seditionum reuoluti dedecora pristinarum pergite. Vt Imperatorem decet, ego solus confecto tantorum munerum cursu moriar stando, contempturus animam quam mihi febricula eripiet vna: aut certe discedam. nec enim ita vixi, vt non possim aliquando esse priuatus: praque me fero & lator ductores spectatissimos esse nobiscum, perfectos bellicarum omni genere doctrinarum.* Hac modesta Imperatoris oratione, inter secunda & aspera meante, miles pro tempore delinitus, adsumpta cum meliorum exspectatione fiducia, regibilem se fore pollicitus & morigerum, cunctorum adspirante consensu, auctoritatem eius sublimitatemque cordis extollebat in cælum: quod quum vere atque ex animo dicitur, solet amor ex crepitu leui monstrari. Repetitis post hæc tentoriis, pro copia rei præsentis, victu se recreauit & quiete nocturna. Animabat autem Iulianus exercitum, quum non per caritates, sed per incohatam negotiorum magnitudinem deieraret adsidue, Sic sub iugum mitteret Persas, Ita quassatum recrearet orbem Romanum: vt Traianus fertur aliquoties iurando dicta consueuisse firmare, *Sic in prouinciarum speciem redactam videam Daciam, Sic pontibus Istrum aut Euphratem superem*, & similia plurima. Post hæc decursis millibus passuum quatuordecim, ad locum quemdam ventum est, arua aquis abundantibus fœcundantem. Quo itinere nos ituros Persæ prædocti, sublatis cataractis vndas euagari fusius permiserunt. Itaque humo late stagnante, altero die militi requie data, Imperator ipse progressus, constraria ponticulis multis & vtribus, sublicijsque nauibus, itidem confectis palmarum trabibus, exercitum non sine difficultate traduxit. In his regionibus agri sunt plures consiti vineis, varioque pomorum genere: vbi oriri arborea adsuetæ palmarum, per spatia ampla adusque Mesenen & mare pertinent magnum, instar ingentium nemorum. & quaqua incesserit quisquam, termites & spadica cernit adsidua, quorum ex fructu mellia & vini conficitur abundantia: & maritari palmæ ipsæ dicuntur, facileq; sexus posse discerni: additur etiã, generare fœmineas seminib. illitas mariũ: feruntq. eas amore mutuo delectari, hocq; inde clarere, quod cõtra se vicissim nutãtes, ne turgidis quidẽ flatibus auertũtur. & si ex more fœmina maris nõ illita fuerit semine, abortus vitio fœtus amittit intẽpestiuos. & siqua fœmina cuius arboris amore perculsa sit ignoretur, vnguẽto ipsius a inficitur trũcus, & arbor alia naturaliter odoris dulcedinẽ concipit, hisq; indiciis velut coeũdi quędã proditur fidẽs. Qua cibi copia satur exercitus, plures prętergressus est insulas, & vbi formidabatur inopia, ibi timor saginę grauis incessit. Sagittariorũ denique hostilium impetu latenter tẽtatus, neque inultus, prope locũ venit vbi pars maior Euphratis in riuos diffinditur multifidos. In hoc tractu ciuitas ob muros humiles ab incolis Iudęis deserta, iratorũ manu militũ cõflagrauit. Quib. actis pergebat vlterius Imperator, placida ope numinis (vt arbitrabatur) erectior. Quumque Maiozamalcham venisset, vrbem magnam & validis cir-

cumdatam mœnibus, tentoriis fixis prouidit (A) sollicite ne castra repentino equitatus Persici turbarentur accursu: cuius fortitudo in locis patentibus immane quantum gentibus est formidata. Et hoc disposito, stipatus velitibus paucis, ipse quoque pedes, ciuitatis situm diligenti inquisitione exploraturus, in perniciosas præcipitatus insidias, ex ipso vitæ discrimine tamdem emersit. Namque per latentem opidi portam Persæ decem armati digressi, imaque cliuorum peruadentes poplitibus subsidendo, re- (B) pentino impetu nostros aggressi sunt. E quibus duo conspectiorem habitu principem gladiis petiere districtis: sed occurrit ictibus erectum latius scutum: quo coontectus, magna claraque fiducia vnius lateri ferrum infixit: alterum stipatores multiplicatis ictibus occiderunt. residuis, è quibus vulnerati sunt aliqui, disiectis in fugam, spoliatisque ambobus, reducens incolumes socios cum exuuiis remeauit ad castra, omnium lætitia magna susceptus. Sustulit ab (C) hoste prostrato aureum colli monile Torquatus: fudit confidentissimum Gallum alitis propugnatione Valerius postea cognomento Coruinus: hacque gloria posteritati sunt commendati: non inuidemus: accedat hoc quoque monumentis veteribus facinus pulchrum. Constratis postridie pontibus exercituque traiecto, & metatis alibi salubrius castris vallo duplici circumductis, quoniam (vt diximus) timebantur solitudines planæ, opidi suscepit obsidium, periculosum fore existimans si gradiens prorsus à tergo relinqueret quos timeret. Hæc dum magno molimine (D) comparantur, Surena hostium dux, iumenta adortus quæ in lucis palmatibus vescebantur, à cohortibus nostris repulsoriis cum paucorum exitio habitus frustra, discessit: & duarum incolæ ciuitatum, quas amnes amplexi faciunt insulas, pars sui fiducia trepidi ad Ctesiphontis mœnia se contulerunt: pars per siluarum densa, alij per paludes vicinas alueis arborum cauatarum inuecti, ad vnicum auxilium & potissimum itineris longi, quod superetat, dilabuntur, vlte- (E) riora petituri terrarum. E quibus resistentes aliquos nostri milites trucidabant, ipsi quoque lintribus & cymbis per varia discurrentes: captiuos alios subinde perducebant. Id enim erat librata ratione dispositum, vt dum copiæ pedestres muros oppugnant, equestres turmæ diuisæ per globos abigendis insisterent prædis. Hocque prouiso, nullo prouincialium damno miles visceribus hostium pascebatur. Iamque Imperator muris duplicibus opidum, ordine cir- (F) cumdatum triplo scutorum, spe patrandi incepti maximis viribus oppugnabat. Sed, vt erat necessarius appetitus, ita effectu res difficillima nam accessus vndique rupibus anfractu celsiore discessis, flexuosisque excessibus ob periculum anceps, adeundi copiam denegabat, maxime quoniam turres crebritate & altitudine formidandæ, montem saxeum arcis naturaliter editum æquabant, & procliuis planities flumini imminens propugnaculorum firmitate munie- (G) batur. Accidebat his haud leuius malum, quod lecta manus & copiosa quæ obsidebatur, nullis ad deditionem illecebris flectebatur, sed tamquam superatura, vel deuota cineribus patriæ, resistebat aduersis. Iam ægrè retentabatur inferens se proteruius miles, & pugnam vel æquo cam-

po iustoque prœlio poscens: quumque receptui caneretur, assidue animosis hostem vrgendi conatibus vrebatur. Vicit tamen nostrorum concilium contentionem virium maximam: diuisisque operibus, officia quisque distributa capessit ocissime. Hinc etenim ardui suggestus erigebantur, inde fossarum altitudines alij complanabant: terrarum latibula concaua oblongis tramitibus alibi struebantur. Locabant etiam artifices tormenta muralia, in funestos sonitus proruptura. Et cuniculos quidem cum vineis Neuita & Dagalaiphus curabant: incendiis autem conflictibus, & defendendis ab incendio vel eruptionibus machinis, præerat Imperator. Quumque apparatu omni excindendæ vrbis labore multiplici consummato pugna flagitaretur, Victor nomine dux reuersus est adusque Ctesiphonta itineribus exploratis, nulla obstacula nuntians ostendisse. Quo efferati gaudio milites omnes, elatique firmioribus animis ad certandum, signum opperiebantur armati. Iamque clangore martio sonantibus tubis strepebant vtrimque partes: & primi Romani [illegible]tem vndique laminis ferreis in modum tenuis plumæ contectum, fidentemque quod tela rigentis ferri lapsibus impacta resiliebant, crebris procursationibus & minaci murmure lacessebant, nonnumquam compage scutorum, qua velut testudine infigurabilium fornicum operiebantur aptissime, assiduis motibus laxius dehiscente. Contra Persæ muris obstinatius adhærentes, quantum facere nitique poterant, claudere & frustrari exitiales impetus conabantur. Verum vbi vimineas crates præ se ferentes oppugnatores iam mœnia perurgerent, cum sagittariis funditores, alij quinetiam saxa voluentes ingentia, cum facibus & malleolis eos longius propulsabant: tum aptatæ lineis sagittis balistæ flexu, stridore torquebantur, creberrima spicula fundirantes: & scorpiones, quocumque manus petere duxissent, rotundos lapides eiiiciebant. Iterum deinde ac sæpe geminatis congressibus, æstus in meridiem crescens, efferuescente vaporatius sole, apparatu operum & studio prœliandi intentos cunctos, reuocauerat fatigatos & sudore perfusos. Eodem mentis proposito sequuto quoque die per varia certaminum genera controuersæ partes dimicantes instanter, æquis manibus & pari fortuna discedunt. Verum in omni discrimine armatis proximus princeps, ciuitatis vrgebat excidium, ne circa muros diu excubans, omitteret maiora quæ tentabat. Sed in districtis necessitatibus nihil tam leue est quod non interdum etiam contra sperata rerum afferat momenta magnarum. Quum enim ita vt sæpe discessura partes leuius concertarent, abusiuo incusso ariete, qui paulo ante erat admotus, sternitur residuis omnibus altior turris latere coctili firmissime structa, cuius ruina muri contiguum latus secum immani fragore protraxit. Ibi tum varietate casuum, obsidentium labor obsessorumque industria, vicissim facinoribus speciosis inclaruit. Nihil enim asperum, ita & dolore succenso militi videbatur: nihil munitoribus erat pro salute currentibus metuendum aut dirum. Nam quum anceps pugna diutius feruens, sanguine vtrimque multis cædibus fuso, diei finisset occasu, tandem fatigationi consulitur. Dumque hæc luce agerentur ac palam, nuntiatur Imperatori peruigili cura distento, legionarios milites, quibus cuniculorum erant fodinæ mandatæ, cauatis

tra-

tramitibus subterraneis, sublicisque suspensis,
ima penetrasse fundamentorum, iam si ipse dis-
posuerit, euasuros. Quum itaque noctis plerum-
que processisset, æneatorum occentu signo dato
progrediendi, ad pugnam & ad arma concursum
est: & consulto murorum inuaduntur vtrimque
frontes; vt dum propulsaturi pericula defensores
vltro citroque discurrunt, nec proxima fodien-
tis audiretur ferri tinnitus, nec quoquam in-
trinsecus obsistéte, cunicularioru subita manus
emergeret. Quibus ita vt conuenerat ordinatis,&
occupatis prohibitoribus, patefactisque latebris,
euolat ex superius deuictorũ numero miles, post
quem Magnus tribunus, & Iouianus notarius:
quos audax multitudo sequuta, his prius confossis
quos in æde per quam in lucem prodierant in-
uenerunt, suspensis gradibus procedentes, ob-
truncarunt vigiles omnes, ex vsu moris genti-
ci iustitiam felicitatemque regis sui canoris voci-
bus extollentes. Existimabatur Mars ipse(si mis-
ceri hominibus numina maiestatis iura permit-
tunt) adfuisse castra Lucanorum inuadenti Lus-
cino. Hocque ideoque creditum est, quod
in congressu flagranti scalas vehens visus formi-
dandæ vastitatis armatus, postridie quum re-
censeretur exercitus, præcipuo studio quæsi-
tus, reperiri non potuit: quum se vltro offer-
ret, si miles fuisset, memorabilis conscius fa-
cti: sed vt tunc qui esset pulchri facinoris au-
ctor, penitus est ignoratum, ita nunc enitue-
sunt hi qui fecere fortissime, obsidionalibus
coronis donari, & pro concione laudati ve-
terum more. Tamdem nudata reseratis aditibus
multis, lapsura inuaditur ciuitas: & sine sexus
discrimine vel ætatis, quidquid impetus repe-
rit, potestas iratorum absumpsit. Alij exitij im-
minentis timore, quum hinc ignis, inde mu-
crones vrgerent, vltimum flentes, è muris a-
cti sua sponte præcipites, membrisque omni-
bus infirmati, morte funestiorem vitam paulis-
per dum cæderentur, egerunt. Extractus autem
est viuus cum satellitibus LXXX. Nabdates præsi-
diorum magister: quem oblatum sibi cum aliis
seruari iussit intactum serenus Imperator & cle-
mens. Diuisa itaque, perpensis meritis & la-
boribus, præda, ipse (vt erat paruo contentus)
mutum puerum oblatum sibi suscepit gesticula-
tium, multa quæ callebat nutibus venustissimis
explicantem, & tribus aureis nummis partæ vi-
ctoriæ præmium iucundum (vt existimabat &
gratum. Ex virginibus autem quæ speciosæ sunt
captæ, vt in Perside, vbi fœminarum pulchri-
tudo excellit, nec contrectare aliquam voluit,
nec videre, Alexandrum imitatus & Africa-
num, qui hæc declinabant, ne frangerentur
cupiditate qui se inuictos à laboribus vbique
præstiterunt. Inter hæc certamina nostræ partia
architectus, cuius nomen non suppetit, post
machinam scorpionis forte adsistens, reuerbe-
rato lapide quem artifex titubanter aptauerat fun-
dæ, obliso pectore supinatus profudit animam,
disiecta compage membrorum, adeo vt ne si-
gna quidem totius corporis noscerentur. Exin
profecto Imperatori index nuntiauerat certus,
circa muros subuersi opidi fallaces foueas & ob-
scuras (quales in tractibus illis sunt plurimæ)sub-
sedisse manum insidiatricem latentet, vt impro-
uiso inde adorta agminis nostri terga feriret ex-
trema: confestimque ad extrahendam eam missi

A sunt compertæ fortitudinis pedites. Qui quum
neque peruadere foraminum aditus, nec amanda-
tos intus prolicere possent ad decernendum, col-
lectam stipulam & sarmenta specuum faucibus
aggesserunt. Vnde fumus angustius panetrans,
ideoque spissior, quosdam vitalibus obstructis ne-
cauit: alios ignium afflatus immixtus prodire in
perniciem coëgit abruptam. Et ita omnibus in-
cendio ferroque consumptis, ad signa repedauit
ocius miles. Hoc modo ciuitas ampla & populosa
B virtute roboris excisa Romani, in puluerem con-
cidit & ruinas. Post quæ tam gloriosa transitia
pontibus multorum amnium concursu continua
ris, ad munimenta gemina venimus, ædificiis ca-
u.:is exstructa. Vbi Victorem comitem exercitus
præuium, à transitu fluminis regis filius progres-
sus à Ctesiphonte cum optimatibus & multitudi-
ne armata prohibere conatus, cateruis sequẽtium
militum visis abscessit. Pergentes itaque protinus
ad lucos venimus, agrosque pube variorum semi-
C num lætos: vbi reperta regia Romano more ædi-
ficata, quoniam id placuerat, mansit intacta. Erat
enim in hac eadem regione extentum spatium &
rotundum, loricæ ambitu circumclausum, desti-
natas regiis voluptatibus continens feras, ceruici-
bus iubatis leones, armisque hispidos apros &
vrsos(vt sunt Persici) vltra omnem rabiem sæuien
tes, & alia lecta immania corpora bestiarum: quas
omnes diffractis portarum obicibus, equites no-
stri venatoriis lanceis & missilium multitudine
D confoderunt. Quæ loca pingui situ & cultu: qui-
bus Coche, quam Seleuciam nominant, haud lon
gius disparatur. vbi vallatis opere tumultuario ca
stris, & exercitu omni per aquarum & pabuli op-
portuna biduo recreato, antegressus cum procur-
satoribus princeps, & ciuitatem desertam collu-
strans, sacro principe quondam excisam, in qua
perpetuus fons stagnum ingens eiectat, in Ti-
gridem defluens, corpora vidit suffixa patibulis
multa necessariorum eius quem prodidisse ciui-
E tatem Pyrisaboram retulimus supra. Hic & Nab-
dates viuus exustus est, quem extractum cum
LXXX. latebris expugnatæ docui ciuitatis, eo
quod inter exordia obsidij cœpti clam pollicitus
prodere, dimicauit acerrime, adeptusque ve-
niam insperatam, ad id proruperat insolentiæ,
vt Ormisdam laceraret omnibus probris. Ita
aliquantum progressi, tristi percellimur facto.
Dum enim tres procursatorum cohortes expedi-
F tius cum cuneo Persico decertarent, quem pa-
tefactis subito portis profuderat ciuitas, proru-
ptores alij ex contraria fluminis ripa, iumenta
nos sequentia, cum pabulatoribus paucis li-
center palantibus, intercipiunt & obtruncant
Vnde profectus imperator iratus & frendens,
iamque regionibus Ctesiphontis propinquans,
celsum castellum offendit & munitissimum: ad
quod explorandum ausus accedere, obscurior
(vt ipse rebatur) cum paucis obequitans mu-
G ros, pauloque auidius intra iactum telorum re-
pertus, latere non potuit: statimque diuerso-
rum missilium nube exagitatus oppetisset tor-
mento murali, ni vulnerato armigero qui late-
ri eius hærebat, ipse scutorum densitate cõtectus,
euitato magno discrimine discessisset. Qua caussa
concitus, immane munimentum disposuit ob-
sidere, prohibitoribus acriter ad resistendum
intentis, quod loco fidebant propemodum inac-
cesso, quodq; rex cũ ambitiosis copiis passibus ci-

tis incedens propediem adfore credebatur. Iamque vineis & residuis omnibus quæ poscebat obsidium paratis, vigilia secunda præcipiti, quum nox casu tunc lunari splendore nitens, his qui propugnaculis insistebant aperte cuncta monstraret, repente in vnum pondus coacta multitudo, patefactis subito portis erupit: cohortemque nec opinantem adorta nostrorum, cecidit complures: inter quos etiam tribunus peremptus, periculum propulsare conatus. Quæ dum ita aguntur, pari modo, vt antea, Persæ ex aduersa fluminis ripa partem adorti nostrorum, interfectis quibusdam, viuos cepere nonnullos. & timore, simul quia venisse in maiorem numerum copiæ putabantur hostiles, egere tunc nostri segnius. sed vbi animis in audaciam restitutis armisque raptis inter tumultuo, exercitus cantu concitus buccinarum, minaci murmure festinaret, eruptores perterriti, reuerterunt intacti: & Imperator ira graui permotus, reliquos ex ea cohorte qui abiecte sustinuerant impetum grassatorum, ad pedestrem compegit militiam, quæ onerosior est, dignitatibus imminutis. Flagrans post hæc ad eruendum castellum, vbi periclitatus est, operam conuertit & curam, nusquam ab antesignanis ipse digrediens, vt inter primos dimicans, militi ad fortiter faciendum esset exemplo, spectator probatorque gestorum. Quo inter discriminum vertices diu multumque versato, varietate munitionum atque telorum & conspiratione pugnatorum, idem castellum incenditur captum. Postque consideratis asperitatibus antegestarum rerum & impendentium, requieuit exercitus labore nimio quassatus, multis victui congruis adfatim distributis. Vallum tamen sudibus densis & fossarum altitudine cautius deinde struebatur, quum à vicina iam Ctesiphonte repentini excursus, & alia formidarentur occulta. Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod *amnis regum* interpretatur, tunc aridum. Id ante hac Traianus, posteaque Seuerus, egesto solo fodiri in modum canalis amplissimi, studio curauerat summo, vt aquis illuc ab Euphrate transfusis, naues ad Tigridem commigrarent: tutissimumque ad omnia visum est eadem loca purgari, quæ quondam similia Persæ timentes, mole saxorum obruere multorum: hacque valle purgata, auulsis cataractis, vndarum multitudine classis secura stadiis xxx. repulsa, in alueum eiecta est Tigridis: & contextis illico pontibus, transgressus exercitus iter Cocheo versus promouit. Vtque lassitudini succederet quies oportuna, in agro consedimus opulento, arbustis & vitibus, & cupressorum viriditate lætissimo: cuius in medio diuersorium opacum est & amœnum, gentiles picturas per omnes ædium partes ostendens, regis bestias venatione multiplici trucidantis: nec enim apud eos pingitur vel fingitur aliud præter varias cædes & bella. Proinde cunctis ex sententia terminatis, Augustus altius iam contra difficultates omnes incedens, tantumque à fortuna sperans nondum adflicta, vt propius temeritatem multa crebro auderet, validiores naues ex his quæ alimenta portabant & machinas, deoneratas octogenis impleuit armatis: retentoque secum classis robore firmiore, quam in tres diuiserat partes, vnam cum Victore comite quiete prima noctis emitti disposuit, vt flumine raptim transmisso ripæ occuparentur hostiles. Quod quum scri metu territi duces concordi precatu fieri prohibere tentarent, neque destinationem flecterent principis, sublato vexillo (vt iussum est) euolante conspectu quinque subito naues: & quum ripas iam aduentarent, facibus & omni materia qua alitur ignis, petitæ adsiduis iactibus, cum militibus iam conflagrassent, ni veloci frigore pectoris excitus Imperator, signum sibi datum nostros, quod margines iam tenerent, vt mandatum est erexisse proclamans, classem omnem properare citis remigiis adegisset. Quo facto, & naues incolumes sunt receptæ, & residuus miles, quamquam saxis & varietate telorum ex edito vexaretur, post concertationem acerrimam, præaltas ripas & arduas supergressus, stabat immobilis. Et miratur historia Rhodanum arma & loricam retinente Sertorio transnatatum, quum eo momento turbati quidam milites, veritique ne remanerent post signum erectum, scutis quæ patula sunt & incurua proni firmius adhærentes, eaque licet imperite regendo, per voraginosum amnem velocitatem comitati sint nauium. Contra hæc Persæ obiecerunt instructas cataphractorum equitum turmas, sic confertas vt laminis aptati corporum flexus splendore præstringerent occursantes obtutus, operimentis scorteis equorum multitudine omni densa: quorum in subsidiis locati manipuli peditum, contecti scutis oblongis & curuis, quæ texta vimine & coriis crudis gestant, densius se commouebant. Post hos elephanti gradientium collium specie, motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant, documentis præteritis formidati. Hinc Imperator cateruis peditum firmis medium inter acies spatium secundum Homericam dispositionem præstituit, ne locati priores, cedentesque, deformiter cunctos auerterent secum, aut postsignani pone omnes reiecti centurias, nullo retinente, licentius verterent terga, ipse cum leuis armaturæ auxiliis per prima postremaque discurrens. Ergo vbi vicissim contiguas esse cernerent partes, cristatis galeis corusci Romani, vibrantesque clypeos, velut pedis anapæsti præcinentibus modulis, lenius procedebant: & præpilatis missilibus per procursatores principiis pugnæ temptatis, excita vndique humus rapido turbine portabatur. Et quum vndique solito more conclamaretur, virorumque alacritatem sonantia classica iuuarent, hastis & mucronibus strictis, hinc inde comminus pugnabatur: sagittarum periculo miles erat immunis, quantum interiora festinatius occupabat. Inter quæ Iulianus pulsos fulcire subsidiis, incitareque tardantes, quasi conturmalis strenuus properabat & rector. Laxata itaque acies prima Persarum, leni & incitato gradu calefactis armis retrorsus gradiens, propinquam vrbem petebat quam sequebatur miles itidem fessus, in campis torridis advsque diei finem à lucis ortu decernens: eiusque occipitiis pertinacius hærens, omnem cum Tigrane & Surena & Narse potissimis ducibus, advsque Ctesiphontis muros egit præcipitem, auersorum feriens suras & terga. Perrupissetque ciuitatis aditus lapsorum agminibus mixtus, ni dux Victor nomine, manibus erectis prohibuisset & vocibus, ipse & humerum sagitta præstrictus, & timens ne intra mœnium ambitus rapidus miles inconsulte repertus, nullosque inueniens exitus, multitudinis pondere circumueniretur.

Sonent

Sonent Hectoreas poëtæ veteres pugnas, fortitu-
dinem Thessali ducis extollant: longæ loquantur
ætates Sophanem & Aminiam & Callimachum,
& Cynegirum, Medicorum in Græcia fulmina
illa bellorum: non minus illo die quorumdam ex
nostris inclaruisse virtutem, omnium confessione
monstratur. Post timorem depositum, calcatasque
ruinas hostilium corporum, iusto sanguine miles
etiamtum cruentus ad Imperatoris tentoria con-
gregatus, laudes ei perhibebat & gratias, quod vbi
que ignoratus dux esset an miles magis, tum rem
ita prospere gesserat, vt cæsis Persarum plus minus
ue duobus millibus & quingentis, LXX. caderent
soli nostrorum: qui appellans plerosque nomina-
tim, quos stabili mente aliquid clarum fecisse ipse
arbiter prospexit, nauallibus coronis donauit, ci-
uicis, & castrensibus. Abunde ratus post hæc pro-
speritates similes aduentare, complures hostias
Marti parabat vltori: & ex tauris pulcherrimis de
cem ad hoc perductis, nondum aris admoti vo-
lūtate sua nouem procubuere tristissimi: decimus
vero, qui diffractis vinculis lapsus, ægre reductus
est, mactatus ominosa signa monstrauit. Quibus
visis exclamauit indignatus acriter Iulianus, Io-
uemque testatus est, nulla Marti iam sacra facturū:
nec resecrauit celeri morte præreptus. Digesto ita-
que consilio cum primatibus super Ctesiphon-
tis obsidio, itum est in voluntatem quorumdā, fa-
cinus audax & importunū esse noscentium id ag-
gredi: quod & ciuitas situ ipso inexpugnabili de-
fendebatur, & cum metuenda multitudine proti-
nus rex adfore credebatur. Vicit sententia melior.
cuius vtilitate princeps sollertissimus adprobata,
Arinthæum cum manu peditum expedita ad popu
landas regiones circumsitas misit, armentis lætas
& frugibus hostes pari persequututum industria:
quos dispalatos nuper densi tramites & latebræ te
xere notissimę...... Sed ille, auidæ semper ad vl
teriora cupiditatis, paruihabitis vetantiū dictis, &
increpitis optimatibus quod ob inertiam otiique
desiderium amitti suaderent prope iam parta re-
gna Persidis: flumine læua relicto, infaustis ducto-
ribus præuiis, mediterraneas vias arripere cito
proposuit gradu, & tamquam funesta face Bello-
næ subiectis ignibus, exuri cunctas iusserat naues,
præter minores duodecim, quas profuturas pan-
gendis pontibus disposuit vehi carpentis: idque
putabat vtiliter ordinasse, ne relicta classis vsui ho
stibus foret, aut certe, vt ab expeditionis primor-
dio factum est, armatorum fere viginti millia in
trahendis occuparentur iisdem nauibus & regen-
dis. Dein quum metuens sibi quisque mussaret,
monstraretque perspicua veritas, quod repulsus
forsitan ariditate vel altitudine mōtium ad aquas
redire non poterit miles, tortique perfugæ aperte
faterentur se fefellisse, concursu maximo exstin-
gui iussæ sunt flammæ. Et quoniam ignis auctus
immaniter plærasque consumpsit, duodecim tan-
tummodo naues potuerunt intactæ seruari, quæ,
vt possint custodiri, discretæ sunt. Hoc casu classe
quum non oporteret, abolita, Iulianus consociato
fretus exercitu, quum armatorum nulli per diuer
sa distinerentur, numero potior ad interiora ten-
debat, alimenta adfatim opulentis suggerentibus

A locis. Quo cognito, hostes, vt inedia nos cruciā
rent, herbas cum adultis segetibus incenderunt: &
conflagratione procedere vetiti, statiuis castris, dū
flammæ senescerent, nitebamur: insultantesque
nobis longius Persæ, nunc de industria se diffun-
debant, aliquoties consertius resistentes: vt procul
conspicantibus viderentur aduenisse iam regis au
xilia, ideoque eos æstimaremus erupisse ad auda-
ces excursus & insolita tentamenta. Mœrebat ta-
men ob hæc Imperator & miles, quod nec conta-
B bulandi pontis erat facultas amissis nauibus teme
re, nec occurri poterat hostis aduentitij motibus,
quem adesse coruscans nitor indicabat armorum
arte pro singulis membris inflexus. Hisque acci-
debat aliud haud exiguum malum, quod admini-
cula quæ præstolabamur cum Arsace & nostris
ducibus, apparebant ob caussas impedita prædi-
ctas. Has ob res vt solaretur anxios milites prin-
ceps, captiuos graciles suapte natura, vt omnes pe-
ne sunt Persæ, & macie iam cōfectos, iussit in me-
C dium duci, nostrosque respiciens, *En, inquit, quos*
martia ista pectora viros existimant, deformes illuuie
capellas & tetras, vtque crebri docuerunt euentus
antequam manus conferant, abiectis armis vertentes
semet in fugam. Quibus dictis, remotisque capti-
uis, super rerum summa consultabatur: & multis
vltro citroque dictitatis, quum reuerti debere per
loca quæ venimus, plebs vociferaretur imprudēs,
resistebat intētius princeps, multis cum eo nequa-
quam fieri posse monstrantibus, per effusam pla-
D nitiem pabulo absumpto & frugibus, vicorumq;
reliquiis exustorum inopia squalentibus vltima:
quodque liquentibus iam brumæ pruinis omne
immaduerat solum, & ruptis riparum terminis
aucti inhorruere torrentes. Ergo etiam ad difficul
tatem accedente negotij, quod per eas terras vapo
re sideris calescentes, muscarum & culicum mul-
titudine referta sunt omnia, earumque volatu dies
& astrorum noctu micantium facies obumbratur:
quum nihil humani proficerent sensus, diu flu-
E ctuantes & dubij, exstructis aris cæsisque hostiis
consulta numinum scitabamur, vtrum nos per
Assyriā reuerti censerent, an præter radices mon-
tium lenius gradientes, Chiliocomum prope Cor
duenam sitam ex improuiso vastare: quorum neu-
trum extis inspectis consore dicebatur. Sedit ta-
men sententia, vt omni spe meliorum succisa, Cor
duenam arriperemus: & XVI. cal. Iulias promotis
iam signis, progresso iam lucis exordio, fumus vel
F vis quædā turbinata pulueris apparebat, vt opina-
ri daretur, asinorū esse greges agrestium, quorum
multitudo in tractibus est illis innumera, ideo si-
mul incedens, vt constipatione densa feroces leo-
num frustraretur adsultus. quidam arbitrabantur
Sacenę duces aduentare, iā nostris rumoribus per-
citos, quod Imperator Ctesiphōta magnis viribus
oppugnaret: nonnulli, Persas nostris motibus incu
buisse firmabant. Ideo inter hæc ita ambigua, ne-
quid aduersum accideret reuocantibus agmina
classicis, in valle graminea prope riuum, multi-
plicato scutorum ordine, in orbiculatam figuram
metatis tutius quieuimus castris. nec enim adusq;
vesperam aëre concreto discerni potuit quidnam
esset quod his squalidius videbatur.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVSQVINTVS.

ET hanc quidem noctem nullo siderum fulgo re splendentem, vt solet in arctis rebus & dubiis, exegimus, nec sedere quoquam auso, nec flectere in quietem lumina præ timore. Vbi vero primum dies inclaruit, radiantes loricæ niueis lymbis circumdatæ, ferrei & corusci thoraces longe prospecti, adesse regis copias indicabāt. Hocq; viso accensum properantem congredi militem, dirimente fluuio breui, prohibuit Imperator: & non procul à vallo ipso inter excursatores nostros & Persicos prœlio acri conserto, Machameus cecidit, ductor vnius agminis nostri. cui propugnaturus Maurus frater, dux postea Phœnices, quum germani trucidasset interfectorem, obuiū quęque perterrēs infirmatus & ipse humerum telo, pallescentem morte propinqua Machameum extrahere pugna viribus valuit magnis: & quum satiscerent vix toleranda æstuum magnitudine crebrisque congressibus partes, ad vltimum hostiles turmæ graui sunt repulsa discussæ. Hinc recedentibus nobis longius, Saraceni nostrorum metu peditum repedare compulsi, paulo postea innexi Persarum multitudine, ocius irruębant, Romana impedimenta rapturi. verum viso Imperatore, ad alas subsidiarias reuerterunt. Qua ex regione profecti ad Hucumbram nomine villam peruenimus. vbi per biduum omnibus ad vsum congruis, & satietate quæsita frumenti, vltra spem recreati discessimus: & confestim, absque his quæ tempus vehi permisit, reliqua flammis exusta sunt. Postridie exercitu sedatius procedente, extremos qui eo die forte cogendorum agminum officia sustinebant, nec opinantes Persæ adorti, negotio leui interfecissent, ni proximus equitatus noster patulas valles late diffusus, tantam molem discriminis vulneratis qui superuenerant repulisset. In hac cecidit pugna Adaces nobilis satrapa, legatus quondam ad Constantium principem missus, ac benigne susceptus: cuius exuuiis interfector Iuliano oblatis, remuneratus est, vt decebat. Eodem die Tertiacorum equestris numerus à legionibus incusatus est, quod quum ipse hostium aduersas irrumperent acies, illi paulatim dilapsi, alacritatem pene totius minuissent exercitus. Vnde ad indignationem iustam Imperator erectus, ademptis signis hastisque diffractis, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captiuos agere iter imposuit, ductore eorum qui solus fortiter decertarat, aliæ turmæ apposito cuius tribunus turpiter prœlium deseruisse conuincebatur. Abiecti sunt autem sacramento etiam alij quatuor, ob flagitium simile vexillationum tribuni. Hoc enim correctionis moderamine leniori, impendentium consideratione difficultatum, contentus est Imperator. Progressi itaque stadia LXX. attenuata rerum omnium copia, herbis frumentisque crematis, ex flammis ipsis raptas fruges & pabula, vt quisque vehere potuit, conseruauit. Hoc etiam loco relicto, quum ad tractum maranga appellatum omnis venisset exercitus, prope lucis confinia immensa Persarum apparuit multitudo, cum Merene equestris magistro militiæ, filiisque regis duobus, & optimatibus plurimis. Erant autem omnes cateruæ ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, vt iuncturæ rigentes compagibus artuum conuenirent: humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter aptata, vt imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint hærere qua per cauernas minutas, & orbibus oculorum affixas, parcius visitur, vel per supremitates narium angusti spiritus emittuntur. quorum pars contis dimicatura stabat immobilis, vt retinaculis æreis fixam existimares: iuxtaque sagittarij (cuius artis fiducia ab incunabulis ipsis gens præualuit maxima) tendebant diuaricatis brachiis flexiles arcus, vt nerui mammas perstringerent dextera, spicula sinistris manibus cohærerent: summaque peritia digitorum pulsibus argutum sonantes arundines euolabant, vulnera perniciosa portantes. Post hos elephantorum fulgentium formidandam speciem & truculentos hiatus vix mentes pauidæ perferebant: ad quorum stridorem odoremque & insuetum aspectum magis equi terrebantur: quibus insidentes magistri, manubriatos cultros dexteris manibus illigatos gestabant, acceptæ apud Nisibin memores cladis: & si ferociens animal vires exsuperasset regentis, ne reuersum per suos, vt tunc acciderat, collisam sterneret plebem, vertebram quæ caput à ceruice disterminat, ictu maximo terebrabant. Exploratum est enim aliquando ab Hasdrubale Annibalis fratre, ita citius vitam huiusmodi adimi beluarum. Quibus non sine magno terrore perspectis, stipatus armatarum cohortium globis cum primatibus fidentissimus Imperator, vt flagitabat maior vis & trucior, lunari acie, sinuatisque lateribus occursuros hosti manipulos instruebat. Et ne sagittariorum procursus nostrorum cuneos disiectaret, illatis concitatius signis, spiculorum impetum fregit: datoque ad decernendum solenniter signo, densati Romani pedites confertas hostium frontes nisu protruserunt acerrimo. & feruente certaminum mole, clypeorum sonitus & virorum armorumque lugubre sibilantium fragor, nihil perpetiens iam remissum, campos cruore & corporum strage contexit, effusius cadentibus Persis; quibus sæpe languidis in conflictu artius pes pede collatus grauiter obsistebat, pugnare fortiter eminus consuetis, & si inclinatas suorum copias senserint, cedendo

in mo-

in modum imbrium pone versus directis sagittis A hostes à persequendi fiducia deterrere. Pulsis igitur pondere magnarum virium Parthis, miles solis cursu flammeo diu lassatus, signo in receptum dato, teutoria repetit, ad audenda deinceps maiora sublatus. In hoc prœlio Persarum maior (vt dictum est) apparuit strages, nostrorum admodum leuis. Eminuit tamen inter varios certaminum casus Vetranionis mors, viri pugnacis, qui legionem Zianorum regebat. Postque triduo induciis destinato, dum suo quisque vulneri medetur vel B proximi, commeatibus nos destitutos inedia cruciabat iam non ferenda: & quoniam frugibus exustis & pabulis homines in discrimen vltimum venerant & iumenta, ex eo cibo quem animalia tribunorum vehebant & comitum, imæ quoque militum plebi penitus indigenti pars distributa est magna. Et Imperatori cui non cupediæ ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi parcius cœnaturo, pultis portio parabatur exigua, etiam munifici fastidienda gregario, quidquid ad ministeria parabatur, per contubernia pauperrima sui securus egessit. Ipse autem ad sollicitam suspensamque quietem paulisper protractus, quum somno (vt solebat) depulso, ad æmulationem Cæsaris Iulij quædam sub pellibus scriberetis, obscuræ noctis altitudine sententiis cuiusdam Philosophi teneretur: vidit squalidius (vt confessus est proximis) speciem illam genij publici, quam quum ad augustum surgeret culmen, con- C spexit in Galliis, velata cum capite cornu copia per aulæa tristius discedentem. Et quamquam ad momentum hæsit stupore defixus, omni tamen D superior metu, ventura decretis cælestibus commendabat: relictoque humi strato cubili, adulta iam excitus nocte, numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem visam, aëris parte sulcata euanuisse existimauit: horroreque perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuerit sidus. Erat autem nitor igneus iste quē *διάττοντα* nos appellamus, nec cadens vnquam, nec terram contingens. Corpora enim qui credit cælitus posse labi, profanus me- E rito iudicatur & demens. Fit autem hic habitus modis compluribus, è quibus sufficiet pauca mōstrare. Scintillas quidam putant ab æthereo candentes vigore, parumque porrectius tendere sufficientes, extingui, vel certe radiorum flammas iniectas nubibus densis acri scintillare contactu, aut quum lumen aliquod cohæserit nubi. Id enim in stellę speciem figuratum, decurrit quidem dum viribus ignium sustentatur: amplitudine vero spatiorum exinanitum, in æstum soluitur corpus, F ad substantiam migrans cuius attritu incaluit nimio. Confestim itaque ante lucis primitias Etrusci aruspices accersiti, consulti quid astri species portenderet noua, vitandum esse cautissime responderunt, nequid tunc temptaretur, ex Tarquitianis libris in titulo De rebus diuinis, id relatum esse demonstrantes, quod face in cælo visa, committi prœlium vel simile quidquam non oportet. Quo etiam id inter multa alia spernente, orabant aruspices saltem aliquot horis profe- G ctionem differri. Et ne hoc quidem sunt adepti, Imperatore omni vaticinandi scientiæ reluctante: sed exorto iam die, promota sunt castra. Hinc nos egressos, Persæ, quum sæpe afflicti peditum stabilem pugnam horrerent, structis insidiis, occulte comitabantur, altrinsecus viantes catervas à celsis collibus explorando: vt id suspicans miles adusque perpetuum diem nec vallum erigeret, nec sudibus se communiret. Dumque teguntur firmiter latera, & exercitus pro locorum situ quadratis quidem sed laxis incedit agminibus, inuasa subito terga pone versus arma cogentium, principi indicatur, etiamtum inermi ad speculanda anteriora progresso. Qua concitus clade, oblitus loricæ, scuto inter tumultum adrepto, properans vltimis ferre suppetias, reuocatur alio motu, qui etiam antesignanos, vnde decesserat, paria perpeti nuntiabat. Quæ dum sine respectu periculi sui redintegrare festinat, ex alia parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias: ac sinistro cornu inclinato acriter superfusus, fœtorem elephantorum stridoremque impatienter tolerantibus nostris, contis & multiplicatis missilibus decernebat. Verum principe volitante inter prima discrimina prœliorum, exsiluit nostra succinctior armatura, auersorumque Persarum & belluarum suffragines concidebat & dorsa. Quos quum Iulianus cauendi immemor, diffluxisse trepidos elatis vociferando manibus aperte demonstrans, irasque sequentium excitans, audenter effunderet semet in pugnam, clamabant hinc inde candidati quos disiecerat terror, vt fugientium molem, tamquam ruinam male compositi culminis, declinaret: & incertum subita equestris hasta, cute brachij eius præstricta, costis perfossis hæsit in ima iecoris fibra. Quam dum auellere dextera manu conatur, acuto vtrimque ferro digitorum neruos secuit excisos: & prouolutus iumento, præsentiumque veloci concursu relatus in castra, medicinæ ministeriis fouebatur. Moxque vbi lenito paulisper dolore timere desiit, magno spiritu contra exitium certans, arma poscebat & equum: vt reuiso prœlio suorum fiduciam repararet, ac videretur, sui securus, alienæ salutis sollicitudine vehementer adstringi: eo vigore, licet in negotio dispari, quo Epaminondas ille dux inclytus, letaliter apud Mantineam saucius & reuersus ex acie, conquirebat sollicite scutum: quod quum vidisset propius, lætior vi vulneris interiit, & qui animam intrepidus amittebat, iacturam clypei formidauit. Sed quum vires parum sufficerent voluntati, sanguinisque profluuio vexaretur, mansit immobilis: ideo spe deinceps viuendi absumpta, quod percontando Phrygiam appellari locum vbi ceciderat comperit. Hic enim obiturum se, præscripta audierat sorte. Reducto ad tentoria principe, incredibile dictu est quanto ardore miles ad vindictam ira & dolore feruentior inuolabat, hastas ad scuta concrepans, etiam mori, si tulisset fors, obstinatus. Et quamuis offundebatur oculis altitudo pulueris, & æstus calescens officeret alacritati membrorum, tamen velut exauctoratus, amisso ductore sine parcimonia ruebat in ferrum. Contra animosius Persæ sagittarum volantium crebritate conspectum solis rapiebant, oppositis elephantis: qui tardius gradientes, magnitudine corporum cristarumque horrore pauorem iumentis incutiebant & viris. Concursus itaque armatorum & cadentium gemitus, equorum flatus, tinnitus ferri, procul audiebatur, quamdiu satietate vulnerum partibus fessis, nox diremit certamina iam tenebrosa. Quinquaginta tum Persarum optimates & satrapæ cū plebe maxima ceciderūt,

inter has turbas Merenę & Nohodare potissimis ducibus interfectis. Obstupescat magniloquentia vetustatis diuersis in locis prœlia xx. Marcelli: Sicinium Dentatum adiiciat ornatū militariū multitudine coronarum: miretur super his Sergium, qui vicies & ter vulneratus est in variis pugnis, vt fertur, cuius posteritatis vltimus Catilina claras gloriarum adoreas sempiternis maculis obumbrauit. Deformabat tamē tristitia lætiores euentus. Dum enim hæc post discessum ducis vbique aguntur, exercitus cornu dextro defatigato, & Anatolio interfecto, qui tunc erat officiorum magister, Sallustius præfectus actus in exitium præceps, & opera sui apparitoris ereptus, Phosphorio amisso consiliario, qui ei aderat, casu euasit & fuga: quidamque milites, per multa discrimina occupato castelli vicini præsidio, post diem denique tertium iungi exercitui potuerunt. Quæ dum ita aguntur, Iulianus in tabernaculo iacens, circumstantes alloquutus est demissos & tristes: *Aduenit, ô socij, nunc abeundi tempus è vita, impendio tempestiuum, quam reposcenti naturæ, vt debitor bona fide, redditurus exsulto, non (vt quidam opinantur) afflictus & mærens, philosophorum sententia generali perdoctus quantum corpore sit beatior animus, & contemplans, quoties conditio melior à deteriore secernitur, lætandum esse potius quam dolendum: illud quoque aduertens, quod etiam dij cælestes quibusdam piissimis mortem tamquam summum præmium persoluerunt. Munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus succumberem arduis, neue me proijciam vmquam aut prosternam, expertus quod dolores omnes vt insultant ignauis, ita persistentibus cedunt. Nec me gestorum pœnitet, aut grauis flagitij recordatio stringit, vel quum in vmbra & angulis amendarer, vel post principatum susceptum: tamquam à cognatione cælitum defluentem, immaculatum (vt existimo) conseruaui, & ciuilia moderatius regens, & examinatis rationibus bella inferens & repellens: tametsi prosperitas simul vtilitasque consultorum non vbique concordent, quoniam cœptorum euentus superæ sibi vindicant potestates. Reputans autem iusti esse finem imperij, obedientium commodum & salutem, ad tranquilliora semper (vt nostis) propensior fui, licentiam omnem actibus meis exterminans, rerum corruptricem & morum, gaudensque, nedum sciens, vbicumque velut imperiosa parens consideratis periculis obiecit respublica, steti fundatus, turbines calcare fortuitorum adsuefactus. Nec fateri pudebit, interiturum me ferro dudum didici, fide fatidica præcinente. Ideoque sempiternum veneror numen, quod non clandestinis insidiis, nec longa morborum asperitate, vel deliciatorum fine decedo, sed in medio cursu florentium gloriarum, hunc merui clarum è mundo digressum. Æquo enim iudicio iuxta timidus est & ignauus, qui quum non oportet, mori desiderat, & qui refugiat quum sit oportunum. Hactenus loqui, vigore virium labente sufficiat. Super Imperatore vero creando, caute reticeo, ne per imprudentiam dignum præteream, aut nominatum quē habilem reor, anteposito forsitan alio, in discrimen vltimum trudam: vt alumnus autem reipublicæ frugi, opto bonum post me reperiri rectorem.* Post hæc placide dicta, familiares opes iunctioribus velut supremo distribuens studio, Anatolium quæsiuit officiorum magistrum: quem quum beatum fuisse Sallustius respondisset præfectus, intellexit occisum: acriterque amici casum ingemuit, qui clare ante consumpserat suum. Et flentes inter hæc

A omnes qui aderant, auctoritate etiam tum integra increpabat, humile esse, cælo sideribusque conciliatum lugeri principem, dicens. Quibus ideo iam silentibus, ipse cum Maximo & Prisco philosophis super animorum sublimitate perplexius disputans, hiante latius suffossi lateris vulnere, & spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua, quam petiit medio noctis horrore, vita facilius est absolutus, anno ætatis altero & trigesimo: natus apud Constantinopolim, à pueritia vs-

B que parentis obitu destitutus Constantij, quem post fratris Constantini excessum, inter complures alios turba consumpsit imperij successorem, & Basilina matre, iam inde à maioribus nobili: vir profecto heroicis connumerandus ingeniis, claritudine rerum & coalita maiestate conspicuus. Quum enim sint, vt sapientes definiunt, virtutes quatuor præcipuæ, temperantia, prudentia, iustitia, fortitudo, eisque accedentes extrinse-

C cus aliæ, scientia rei militaris, auctoritas, felicitas atque liberalitas: intento studio coluit omnes vt singulas. Et primum ita inuiolata castitate enituit: vt post amissam coniugem, nihil vmquam venereum attingeret: illud aduertens quod apud Platonem legitur, Sophoclem tragœdiarum scriptorē ætate grandæuum interrogatum, ecquid adhuc fœminis misceretur, negātem id adiecisse, quod gauderet harum rerum amorem vt rabiosum quemdam effugisse dominum & crudelem. Item vt hoc propositum validius confirmaret, recolebat sæpe

D dictum lyrici Bachylidis, quem legebat iucunde, id asserentis quod, vt egregius pictor vultum speciosum effingit, ita pudicitia celsius consurgentē vitam exornat. Quam labem in adulto robore iuuentutis ita caute vitauit, vt ne suspicione quidē tenus libidinis vllius, vel secretioris vitę ministris incusaretur, vt sæpe contingit. Hoc autem temperantię genus immanis iuuit parcimonia ciborum & somni, quibus domi forisq; tenacius vtebatur. Namque in pace eius mensarum tenuitas erat re-

E cte noscentibus admiranda, velut ad pallium mox reuersuri. Per varios autem procinctus, stans interdum, more militiæ, cibum breuem vilemque sumere visebatur. Vbi vero exigua dormiēdi quiete recreasset corpus laboribus induratū, expergefactus explorabat per semetipsum vigiliarum vices & stationum, post hęc seria ad arces confugiēs doctrinarum. Et si nocturna lumina inter quæ lucubrabat, potuissent voce vlla testari, profecto ostenderant inter hunc & quosdam principes mul-

F tum interesse, quem notant voluptatibus ne ad necessitatem quidem indulsisse naturæ. Dein prudentiæ eius indicia fuere vel plurima, è quibus explicari sufficiet pauca. Armatæ rei scientissimus, & togatæ ciuilitati admodum studens, tantum sibi arrogans quantum à contemptu & insolentia distare existimabat: virtute senior quam ætate, studiosus cognitionum omnium, & indeclinabilis aliquoties iudex censor moribus regendis acerrimus, placidus opum contemptor, mortalia cun-

G cta despiciens. Postremo id prædicabat, Turpe esse sapienti, quum habeat animum, captare laudes ex corpore. Quibus autē iustitiæ inclaruit bonis, multa significant: primo, quod erat pro rerum omnium distinctione sine crudelitate terribilis: deinde quod paucorum discrimine vitia cohibebat, tum autem, quod minabatur ferro potius quam vtebatur. Postremo, vt multa prætercam, constat eum in apertos aliquos inimicos insidiatores

tores suos, ita consurexisse mitissime, vt pœnarum asperitatem genuina lenitudine castigaret. Fortitudinem certaminum crebritas vsusque bellorum ostendit, & patientia frigorum immanium & feruoris quoque Corporis munus, à milite, ab Imperatore vero, animi poscitur. Ipse trucem hostem ictu confecit, audacter congressus: ac nostros cedentes, obiecto pectore suo aliquoties cohibuit solus: regnaque furentium Germanorum exscindens, & in puluere vaporato Persidis, augebat fiduciam militis dimicans inter primos. Castrensium negotiorum scientiam plura declarant & nota, ciuitatum oppugnationes & castellorum, inter ipsos discriminum vertices acies figura multiformi compositæ, salubriter & caute castra metata, prætenturæ stationesque agrariæ totis rationibus ordinatæ. Auctoritas adeo valuit, vt dilectus artissime, dum timetur, ac si periculorum socius & laborum, & inter concertationes acerrimas animaduerti iuberet in desides, & Cæsar adhuc sine stipendio regeret militem feris oppositum gentibus, vt dudum est dictum, alloquutusque tumentes armatos, discessurum ad vitam minaretur priuatam, ni tumultuari desisterent. Denique id pro multis nosse sufficiet, exhortatum eum supplici concione militem Gallicanum pruinis adsuetum & Rheno, peragratis spatiis regionum extentis, per tepentem Assyriam advsque confinia traxisse Medorum. Felicitas ita eminuit, vt ipsis quodammodo ceruicibus fortunæ aliquamdiu bonæ gubernatricis euectus, victoriosis cursibus difficultates superaret immensas. Et postquam ex occidua plaga digressus est, quoad fuit in terris, quieuere nationes omnes immobiles, ac si quodam caduceo leniente mundano. Liberalitatis eius testimonia plurima sunt & verissima: inter quæ indicta sunt tributorum admodum leuia, coronarium indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci iurgia cum priuatis, vectigalia ciuitatibus restituta cum fundis, absque his quos velut iure vẽdidere præteritæ potestates: quodque numquam augendę pecunię cupidus fuit, quam cautius apud dominos seruari existimabat, id aliquoties prædicans, Alexandrum Magnum, vbi haberet thesauros interrogatum, *apud amicos*, beneuole respondisse. Digestis bonis quæ scire potuimus, nunc ad explicanda eius vitia veniamus, licet dicta sunt carptim. Leuioris ingenij: verum hoc instituto rectissimo temperabat, emendari se quum deuiaret à fruge bona, permittens. Linguæ fusioris, & admodum raro silentis: præsagiorum sciscitationi nimiæ deditus: vt æquiparare videretur in hac parte principẽ Hadrianũ: superstitiosus magis quã sacrorum legitimus obseruator, innumeras sine parcimonia pecudes mactans: vt æstimaretur, si reuertisset de Parthis, boues iam defuturos: Marci illius similis Cęsaris, in quem id accepimus dictũ, *Οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι· ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα.* Vulgi plausibus lætus: laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetitor, popularitatis cupiditate cum indignis loqui sæpe adfectans. Verumtamen quum hæc essent, æstimari poterat (vt ipse aiebat) vetus illa iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in cælum, eo imperante redisse rursus ad terras, ni quædam ad arbitrium agens, interdum ostenderet se dissimilem sui. Namque & iura condidit non molesta, absolutæ quædam iubentia fieri vel arcen-

A tia, præter pauca. inter quæ erat inclemens, quod docere vetuit magistros rhetoricos & grammaticos Christianos, ne transirent à numinum cultu. Illud quoque itidem parum ferendum, quod municipalium ordinum cœtibus patiebatur iniuste quosdam adnecti, vel peregrinos, vel ab his consortiis priuilegiis aut origine longe discretos. Figura talis vtique membrorum: Mediocris erat staturæ; capillis, tamquam pexisset, mollibus; hirsuta barba in acutum desinente vestitus; venustate oculorum micantium flagrans, qui mentis eius angustias indicabant; superciliis decoris, & naso

B rectissimo; ore paulo maiore, labro inferiore diuiso opima & incurua ceruice, humeris vastis & latis; ab ipso capite vsque ad vnguium summitates, liniamentorum recta compage; vnde viribus valebat & cursu. Et quoniam eum obtrectatores nouos bellorum tumultus ad perniciem rei communis insimulant concitasse, sciant docente veritate perspicue, non Iulianum sed Constantium ardores Parthicos succendisse, quum Metrodori mendaciis auidius acquiescit, (vt dudum retulimus plene)

C vindictæ siti ad indignationem excitum: vbi nostri capti militares aliquoties numeri, vrbes excisæ, rapta munimenta vel diruta, prouinciæ grauibus impensis exhaustæ, & ad effectũ tendentibus minis cuncta petebantur à Persis advsque Bithynos & litora Propontidis. At in Galliis bellorum tenore gliscente, diffusis per nostra Germanis, iamque Alpibus ad vastandam Italiam perrumpendis, multa & nefanda perpessis hominibus nihil præter lacrymas supererat & terrores: vbi & præteri-

D torum recordatio erat acerba, & exspectatio tristior impendentium. Quæ omnia iuuenis iste, ad occiduam plagam specie Cæsaris missus, regesq; pro mancipiis agitans ignobilibus, cuncta pene mira dictu celeritate correxit. Itaque vt orientem pari studio recrearet, adortus est Persas; triumphum exinde relaturus & cognomentum, si consiliis eius & factis illustribus decreta cœlestia congruissent. Et cum sciamus experimento adeo quosdã ruere improuidos, vt bella interdum victi, & nau

E fragi repetãt maria, & ad difficultates redeãt quibus succubuere sæpissime, sunt qui reprehendant paria repetisse principem vbique victorem. Nec fuit post hæc lamentis aut fletibus locus. Corpore enim curato pro copia rerum & temporis, vt vbi olim ipse statuerat, conderetur: principio lucis sequutæ, quæ erat quintum calend. Iulias, hostibus ex omni latere circumfusis, collecti duces exercitus, aduocatisque legionum principiis & turmarum, super creando principe consultabant.

F Discissisque studiis turbulentis, Arintheus & Victor, & è palatio Constantii residui, de parte sua quemdam habilem scrutabantur: contra Neuita & Dagalaiphus proceresque Gallorum, virum talem ex commilitio suo quæritabant. Quæ dum ambiguntur, nulla variante sententia, itum est voluntate omnium ad Sallustium. Eoque caussante morbos & senectutem honoratam, aliquis miles aduertens destinatius reluctantem, *Et quid agere-*

G *tis, ait, si id bellum vobis commisisset absens, vt sæpe factum est, Imperator? Nonne post habitis ceteris, militem instantibus ærumnis eriperetis? Id nunc agite: & si Mesopotamiam videre licuerit, vtriusque exercitus consociata suffragia legitimum principem declarabunt.* Inter has exiguas ad tantam rem moras, nondum pensatis sententiis, stimulantibus paucis, vt in rebus extremis est factũ sæpe, IOVIA-

NVS eligitur imperator, domesticorum ordinis primus, paternis meritis mediocriter commendabilis. Erat enim Varroniani notissimi comitis filius, haud dudum post depositum militiæ munus ad tranquilliora vitæ digressi. Et confestim indumentis circundatus principalibus, subitoque productus è tabernaculo, per agmina iam discurrebat proficisci parantia. Et quoniam acies adusque lapidem quartum porrigebatur, antesignani, clamare quosdam Iouianum audientes Augustum, eadē multo magis sonabant: gentilitate enim prope percitti nominis, quod vna littera discernebat, Iulianū recreatum arbitrati sunt deduci magnis fauoribus vt solebat. Verum quum incuruus ille visus & lōgior aduentaret, suspicati quod acciderat, in lacrymas effusi sunt omnes atque luctum. Quod si grauis quidam æquitatis præuaricator in vltimo rerum spiritu factum criminatur improuide, nauticos idem iustius incusabit, amisso perito nauigandi magistro, sæuientibus flabris & mari, quod clauos regendæ nauis cuilibet periculi socio commiserunt. His ita cæco quodam iudicio fortunæ peractis, Iouianorum signifer, quos Varronianus rexerat, dudum cum nouo dissidens principe, etiam tum priuato, vt patris eius obtrectator immoderatus, periculum ex inimico metuens iam communia supergresso, discessit ad Persas: ac data dicendi copia quæ sciret, docet Saporem iam propinquantem, extincto quem verebatur, turbine concitato calonū ad vmbram imperij Iouianum adhuc protectorem adscitum, inertem quemdam & mollē. Hoc ille audito, quod semper trepidis votis expetebat, & inopina prosperitate elatus, multitudine ex regio equitatu adiuncta his qui dimicauere nobiscum, celeri disposuit gradu agminis nostri inuadi terga. Postremumque, dum vltro citroque ordinantur hostiæ pro Iouiano, extis inspectis pronuntiatum, eum omnia perditurū si intra vallum remansisset, vt cogitabat, superiorem vero fore, profectum. Proinde egredi iam cœptantes adoriuntur nos elephantis præuiis Persæ. Ad quorum fremitum accessumque terribilem equis inter initia turbatis & viris, Iouiani & Herculani occisis belluis paucis, cataphractis equitibus acriter restiterunt. Deinde legiones Iouiorum atque Victorū, laborantibus suis ferentes auxilium, elephantes duos strauerunt cum hostium plebe oon parua. Et in læuo prœlio viri periere fortissimi, Iulianus & Macrobius & Maximus legionum tribuni, quæ tunc primas exercitus obtinebant. Hisque sepultis, vt rerum angustiæ permiserunt, prope confinia noctis, quum ad castellum Sumere nomine citis passibus tenderemus, iacens Anatolij corpus est agnitum, quod tumultuaria opera terræ mandatum est. Hic & milites sexaginta cum palatinis recepimus, quos in munimentum Vaccatum confugisse retulimus. Sequuto inde die pro captu locorum aperta in valle castra ponuntur, velut murali ambitu circumclausa præter vnum exitum, eumdemque patentem, vndique in modum mucronum præacutis sudibus fixis. Hocque viso, è saltibus nos hostes diuersitate telorum, ac verbis turpibus incessebant vt perfidos, & lectissimi principis peremptores: audierant enim, ipsis quoque referentibus transfugis, rumore iactato incerto, Iulianum telo cecidisse Romano. Ausi denique inter hæc equitum cunei, porta perrupta prætoria, prope ipsum tabernaculum principis aduenire, occisis multis suorum & vulneratis, vi repulsi

A sunt magna. Egressi exinde, proxima nocte Charcham occupauimus, locum ideo tutum quod riparum aggeribus humana manu destructis, ne Saraceni deinceps Assyriam persultarent, nostrorum agmina nullus vt ante vexabat. Quumque his cal. Iulijs stadiis triginta confectis, ciuitatem nomine Duram aduentaremus, fatigatis iumentis, vectores eorum nouissimi pedibus incedentes, à Saracena multitudine circumsepti protinus interissent, ni expeditiores turmæ nostrorum opem B laborantibus attulissent. Hos autem Saracenos ideo patiebamur infestos, quod salaria muneraque plurima Iuliano ad similitudinem præteriti temporis accipere vetiti, questique apud eum, solum audierant, Imperatorem bellicosum & vigilantem ferrum habere, non aurum. In hoc locu Persarum obstinatione tritum est quatriduum. Nam progredientes nos sequebantur, crebris lacessitionibus retrahentes: quum staremus vt pugnaturi, gradum sensim referentes, moris diuturnis excruciabant. C Iamque (vt solent extrema metuentibus etiam ficta placere) fama circumlata, fines haud procul limitum esse nostrorum, exercitus vociferans immodeste, dari sibi copiam transeundi Tigridis flagitabat. Quibus oppositus cum rectoribus Imperator, tumentemque iam canis exortu sideris amnem ostendens, ne se periculosis committerent gurgitibus, exorabat: nandi imperitos esse complures adserens, simulque adiiciens, hostiles manus hinc inde margines superfusi fluminis D occupasse. Sed quum hæc sæpe congeminando refragaretur incassum, milesque conclamans magno cōtentionis fragore minaretur extrema, edicit Imperator vt sistatur agmen, & adsueti nare Galli amnem primi omniū penetrarēt: vt iis magnitudine fluentorum abreptis, residuorum pertinacia frangeretur, aut, si id perfecissent innocui, transitus fidentior tentaretur. Electique sunt ad id negotium habiles, qui maxima præ ceteris flumina transE meare in regionibus genuinis à prima pueritia sunt instituti: & quum latendi copiam nocturna quies daret tamquam è transenna simul emissi, spe citius ripas occupauere contrarias: Persarumque conculcatis pluribus & truncatis, quos loca seruare dispositos, securitas placido vinxerat somno, efficacis audaciæ signum elatis manibus contortisque spiculis ostendebant. Hoc longe conspecto, ardens ad transitum miles ea mora tātummodo tenebatur, quod vtribus è cæsorum animalium F coriis coagmentare pontem architecti promittebant. Quæ dum vanis conatibus agitantur, rex Sapor & procul absens, & quum prope venisset, exploratorum perfugarumque veris vocibus docebatur fortia facta nostrorum, fœdas suorum strages, & elephantes quot numquam rex ante meminerat, interfectos: exercitumque Romanum, continuis laboribus induratum, post casum gloriosi rectoris non saluti suæ, vt memorabat consulere, sed vindictæ, difficultatemque rerum instantium aut victoria summa aut morte memora- G bili finiturum. Ob quæ reputabat multa & formidanda: diffusum abunde militem per prouinciales leui tessera colligi posse expertus, & sciens populum suum post amissam maximam plebem vltimis terroribus deformatum, simul comperiens, in Mesopotamia relictum haud multo minorem exercitum. Quæ super omnia, hebetarunt eius anxiam mentem vno parique natatu quingenti viri transgressi tumidum flumen incolumes, custodi-

A busque confossis reliquos consortes suos ad similem fiduciam concitantes. Hæc inter, quum neque pontes compaginari paterentur vndæ torrentes, & absumptis omnibus quæ mandi poterant vtilibus, exacto miserabiliter biduo, furebat inedia itaque percitus miles, potiusque ferro properans quam fame ignauissimo genere mortis absumi. Erat tamen pro nobis æternum Dei cælestis numen: & Persæ præter sperata priores super fundãda pace oratores Surenam & optimatem alium mittunt, B animos ipsi quoque despondentes, quos omnibus pene prœliis pars Romana superior grauius quassabat in dies. Conditiones autem ferebant difficiles & perplexas, fingentes, humanorum respectu, reliquias exercitus redire sinere clementissimum regem, quę iubet, si impleuerit cum primatibus Cæsar. Contra hos cum Sallustio præfecto mittitur Arintheus: & dũ deliberatur examinatius quid fieri deberet, dies quatuor sunt euoluti inedia cruciabiles, & omni supplicio tristiores. C Quo temporis spatio, antequam hi mitterentur, si abusus princeps paulatim terris hostilibus excessisset, profecto venisset ad præsidia Corduenæ, & vberis regionis & nostræ, ex eo loco in quo hæc agebantur centesimo lapide disparatæ. Petebat autem rex obstinatius (vt ipse aiebat) sua, dudum à Maximiano erepta; vt docebat autem negotium, pro redemptione nostra; quinque regiones Transtigritanas, Arzanenam & Moxoenam & Zabdicenam, itidemque Rhehimenam & Corduenam D cum castellis quindecim, & Nisibin & Singaram, & castra Maurorum, munimentum perquam opportunum. Et quum pugnari decies expediret, ne horum quidquam dederetur, adulatorum globus instabat timido principi, Procopij metuendum subserens nomen, eumque adfirmãs, nisi rediret, cognito Iuliani interitu, cum intacto milite quem regebat, nouas res nullo renitente facile moliturum. Hac perniciosa verborum ille adsiduitate nimia succensus, sine contatione tradidit E omnia quæ petebantur, difficile hoc adeptus vt Nisibis & Singara sine incolis transirent in iura Persarum, à munimentis vero alienandis reuerti ad nostra præsidia & Romana permitterentur. Quibus exitiale aliud accessit & impium, ne post hæc ita composita, Arsaci poscenti contra Persas ferretur auxilium, amico nobis semper & fido: quod ratione gemina cogitatum est, vt puniretur homo qui Chiliocomum mandato vastauerat principis, & vt remaneret occasio per quam subinde F licenter inuaderetur Armenia. Vnde postea contigit vt viuus caperetur idem Arsaces, & Armeniæ maximum latus Medis conterminans, & Artaxata, inter dissensiones & turbamenta raperent Parthi. Quo ignobili decreto firmato, nequid committeretur per inducias contrarium pactis, obsidatus specie viri celebres altrinsecus dantur, Neuita & Victor ex parte nostrorum, & Mellobaudes, insignium numerorum tribuni: ex parte vero diuersa Bineses, è numero nobilium optimatum, G tresque alii satrapæ non obscuri. Fœderata ita pace annorum triginta, eaque iurisiurandi religionibus consecrata, reuersi itineribus aliis, quoniam loca contigua flumini vt confragosa vitabantur & aspera, potus inopia premebamur & cibi. Et pax specie humanitatis indulta, in perniciem est versa multorum, qui fame advsque spiritum lacerati postremum, ideoque latẽter progressi, aut imperitia nandi gurgite fluminis absorbebantur, aut si vndarum vi superata venirent ad ripas, à Saracenis vel Persis, quos (vt diximus) paulo ante exturbauere Germani, cædebantur vt pecora, vel longius amandati sunt veoumdandi. Vbi vero transeundi amnis aperte signum dedere buccinæ concrepantes, immane quo quantoque ardore temere rapiendo momenta periculorum, semet quisque reliquis omnibus anteponens, vitare multa & terribilia festinabat: & pars cratibus temere textis iumenta retinentes hinc inde natantia, alij B supersidentes vtribus, quidam diuersa in necessitatis abrupto versantes, vndarum occursantium fluctus obliquis meatibus penetrabant. Imperator ipse breuibus lembis, quos post exustam classem docuimus remansisse, cum paucis transuectus, eadem nauigia vltro citroque discurrere statuit, dũ omnes conueheremur. Tandemque vniuersi, pręter mersos, ad vlteriores venimus margines, fauore superi numinis, discrimine per difficiles casus exstracti. C Dum nos pendentium ærumnarum opprimit timor, compertum est procursatorum indicio, Persas pontem iungere procul è nostro cõspectu, vt post firmatam pacem & fœdera, sopitis belli turbinibus, incuriosius gradientes ægros, & animalia peterent diu defatigata. Verum quum se proditos aduertissent, à conatu nefario destiterũt. Hac etiam suspicione iam liberi, properantesque itineribus magnis, prope Hatram venimus, vetus opidum in media solitudine positum, olimque desertum: D quod eruendum adorti temporibus variis Traianus & Seuerus principes bellicosi, cum exercitibus pene deleti sunt, vt in eorum actibus has quoque digessimus partes. Vnde cognito per porrectam planitiẽ advsque lapidem septuagesimũ, in regionibus aridis nec aquam inueniri posse præter salsam & fœtidam, nec ad victum aliquid nisi abrotonum & absinthium & dracontion, aliaque herbarum genera tristissima, vasa quæ portabantur, aquis impleta sunt dulcibus: & mactatis camelis iumentisque aliis, E alimenta quæsita sunt, licet noxia. Et via sex dierum emensa, quum ne gramina quidem inuenirentur solaria necessitatis extremæ, dux Mesopotamiæ Cassianus, & tribunus Mauricius pridem ob hoc missus, ad Vr nomine Persicum venere castellum, cibos ferentes ex his quos relictus cum Procopio & Sebastiano exercitus parcius victitans conseruarat. Hinc Procopius alter notarius, & Memorius militaris tribunus, ad tractus Illyricos mittuntur & Galliarum, nunciaturi Iuliani mortem, & Iouianum F post eius obitum ad culmen augustum euectum. Quibus mandauerat princeps, vt Lucillianum socerum suum, post depositum militiæ munus digressum ad otium, morantemque eo tempore apud Sirmium, oblatis magisterij equitum & peditum codicillis, quos iisdem tradiderat, properare Mediolanum vrgerent, res firmaturum ancipites, &, quod magis metuebatur, si casus quidam noui exsurgerent, opponendum. Quibus secretiores addiderat litteras, Lucillianum itidem monẽs G vt quosdam lectos exploratæ industriæ fideique duceret secum, adminiculis eorum vsurus pro incidentium captu negotiorum. Prudentique consilio Malarichum ex familiaribus negotiis agentem etiamtum in Italia, missis insignibus Iouino iussit succedere armorum magistro per Gallias, gemina vtilitate præspeculata, vt & dux meriti celsioris, ideoque suspectus, abiret è medio, & homo inferioris spei ad sublimiora prouectus, au-

saburbio Tarsensi. Qui ad exsequendum profe-
ctus, confestim corpore sepulto discessit: nec inue-
niri vsquam potuit studio quæsitus ingenti, nisi
quod multo postea apud Constantinopolim visus
est subito purpuratus. His hoc modo peractis dis-
cursisq; itineribus, Antiochiam venimus: vbi per
continuos dies, velut offenso numine, multa vise-
bantur & dira: quorum euentus fore luctificos,
gnati rerum prodigialium præcinebant. Nam &
Maximiani statua Cæsaris, locata in vestibulo re-
giæ, amisit repente sphæram æream formatam in
speciem poli, quam gestabat: & cum horrēdo stri-
dore sonuerunt in consistorio trabes: & visa sunt
interdiu sidera cometarum: super quorum natura
ratiocinantes physici variant. Quidam enim eos
hoc nomine ideo existimant appellari, quod per
tortos ignes sparguntur crines, in vnū stellis mul-
tiplicibus congregatis. Alii eos arbitrantur ex ha-
litu sicciore terrarum ignescere, paulatim in su-
blimiora surgente. Quidam currentes radios so-
lis, densiore nube obiecta digredi ad inferiora pro
hibitos, splendore infuso corpori crasso, lucem ve
lut stellis distinctam mortali conspectu monstra-
re. Sedit quorumdam opinioni, hanc speciem tūc
apparere quum tracta solito celsius nubes æterno
rum ignium vicinitate colluceat: vel certe stellas
esse quasdam ceteris similes, quarum ortus obitus
que quibus sint temporibus præstituti, humanis
mentibus ignorati. Plura alia de cometis apud pe-
ritos mundanæ rationis sunt lecta: quæ digerere
nunc vetat aliorsum oratio properans. Moratum
paulisper Antiochiæ principem, curarumque di-
uersis ponderibus adflictum, exeundi mira cupi-
ditas agitabat. proinde nec iumento parcens nec
militi, flagranti hieme inde profectus, signis (vt di
ctum est) vetantibus plurimis, Tarsum vrbem Ci-
licum nobilem introiit, cuius originem docuimus
supra. Exindeque egredi nimium properans, exor-
nari sepulcrum statuit Iuliani, in pomœrio situm
itineris quod ad Tauri montis angustias ducit: cu-
ius suprema & cineres, siquid tunc iuste consule-
ret, non Cydnus videre deberet, quamuis gratissi-
mus amnis & liquidus: sed ad perpetuandam glo-
riam recte factorum præterlaberetur Tiberis in-
tersecans vrbem æternam, diuorumque veterum
monumenta perstringens. Inde Tarso profectus
extentis itineribus, venit opidum Cappadociæ
Tyana: vbi ei reuersi Procopius notarius & Me-
morius tribunus occurrunt, gestorumque aperiūt
textum, hinc (vt ordo poscebat) exorsi, quod Lu-
cillianus Mediolanum ingressus cum Seniaucho
& Valentiniano tribunis, quos duxerat secum, co-
gnito quod Malarichus recusauit suscipere magi-
sterium, effuso cursu petierat Remos: & tamquam
in alto gentis silētio, extra calcem (vt dicitur) pro-
currebat, & intempestiue, parum etiam tum firma
tis omnibus, ex Acturio ratiociniis scrutandis in-
cubuit. Qui fraudum conscius & noxarum, ad mi
litaria signa confugit: finxitque, Iuliano supersti-
te, in res nouas quemdam medium surrexisse. Cu-
ius fallaciis turbo militaris acerrime concitus, Lu
cillianum & Seniauchum occidit. Valentinianum

A enim, paulo postea principem, trepidum & quo
confugeret ambigentem, Primitiuus hospes tu-
tius amandarat. His ita tristibus lætum aliud adde
batur, missos à Iouino milites aduentare, quos ca-
pita scholarum ordo castrensis appellat, nuntian-
tes æquo animo Iouiani imperium amplecti exer
citum Gallicanum. Quibus compertis, Valentinia
no qui cum his redierat, regenda scutariorum se-
cunda committitur schola, & Vitalianus consor-
tio domesticorum iungitur, Herulorum è nume-
ro miles, qui multo postea auctus comitis digni-
tate, male rem per Illyricum gessit. Confestimque
B mittitur in Gallias Arintheus, ferens litteras ad Io
uianum, vt constanter ageret suum obtinens lo-
cum: eique mandatum est vt animaduerteretur
in concitorem tumultus, auctoresque seditionis
ad comitatum vincti transmitterentur. Post quæ
vt videbatur expedire disposita, apud Aspuna Ga-
latię municipiū breue, Gallicani milites visi prin-
cipi: ingressique consistorium, post audita gratan-
ter quæ pertulerant, munerati redire iubentur ad
signa. Et quum introisset Ancyram Imperator, pa-
C ratis ad pompam pro tempore necessariis, consu-
latum iniit, adhibito in societatem trabeæ Varro-
niano filio suo admodum paruulo: cuius vagitus,
pertinaciter reluctans ne in curuli sella veheretur
ex more, id quod mox accidit portendebat. Hinc
quoque Iouianum celeri gradu præscriptus vitæ
finiendæ dies exegit. Quum enim venisset Dada-
stanam, qui locus Bithyniam distinguit & Gala-
tas, exanimatus inuentus est nocte: super cuius o-
bitu dubitationes emersere complures. Fertur e-
D nim recente calce cubiculi illiti ferre odorem no-
xium nequiuisse, vel exuberato capite periisse
succensione prunarum immensa, aut certe ex col-
luuione ciborum auida cruditate distentus. Deces
sit autem anno tricesimo ætatis & tertio. Quum-
que huic & Æmiliano Scipioni vitæ exitus simi-
lis euenisset, super neutrius morte quæstionē cō-
perimus agitatam. Incedebat autem motu corpo-
ris graui, vultu lætissimo, oculis cæsiis, vasta pro-
ceritate & ardua, adeo vt diu nullum indumen-
E tum regium ad mensuram eius aptum inuenire-
tur: & æmulari malebat Constantium, agens seria
quædam aliquoties post meridiem: iocarique pa-
lam cum proximis adsuetus. Christianæ legis i-
dem studiosus, & nonnumquam honorificus, me-
diocriter eruditus, magisque beneuolus, & perpē-
sius, vt apparebat ex paucis quos promouerat, iu-
dices electurus: edax tamen & vino venerique in-
dulgens: quæ vitia imperiali verecundia forsitan
correxisset. Dicebatur autem Varronianus pater
F eius monitu cuiusdam somnij dudum præscisse
quod euenit: idque duobus amicis commisisse fi-
dissimis, illo adiecto quod ipsi quoque deferretur
trabea consulatis. Sed impetrato vno, adipisci nō
potuit aliud. Audita enim filij celsiore fortuna, an
tequam eum videret, fatali præuentus est morte.
Et quia huic nomini amplissimum magistratum
protendi, per quietē prædictum est seni, Varronia
nus nepos eius, infans etiam tum, cū Iouiano pa-
tre declaratus est, vt supra retulimus, consul.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVSSEXTVS.

Dictis impensiore cura rerum ordinibus ad- A vsque memoriæ confinia propioris, conuenerat iam referre à notioribus pedem, vt & pericula declinentur veritatis sæpe contigua, & examinatores contexendi operis deinde non perferamus intempestiuos, strepentes vt læsos, si prætèritum sit quod loquutus est Imperator in cœna, vel omissum quam ob caussam gregarij milites coerciti sunt apud signa, & quod non decuerat in descriptione multiplici regionum super exiguis silere castellis, quodque cunctorum nomina qui B ad vrbani prætoris officium conuenere, non sunt expressa, & similia plurima præceptis historiæ dissonantia, discurrere per negotiorum celsitudines adsuctæ, non humilium minutias indagare caussarum: quas si scitari voluerit quispiam, indiuidua illa corpuscula volitantia per inane, atomos, (vt nos appellamus) numerari posse sperabit. Hæc quidam veterum formidantes, cognitiones actuum variorum stylis vberibus explicatas, non edidere superstites, vt in quadam ad Cornelium Nepotem C epistola Tullius quoque testis reuerendus adfirmat. Proinde inscitia vulgari contempta, ad residua narranda pergamus. Hac volubilium casuum diritate exitu luctuoso finita obituque, interuallato breui tempore, principis corpore curato defuncti, missoque Constantinopolim vt inter Augustorum reliquias conderetur, progresso Nicæam versus exercitu, quæ in Bithynia mater est vrbium, potestatum ciuilium militiæque rectores magnitudine curarum adstricti communium, in- D terque eos quidam spe vana sufflati, moderatorem quæritabant diu exploratum & grauem: & rumore tenus obscuris paucorum susurris nomen perstringebatur Equitij, scholæ primæ scutariorum etiam tum tribuni. Qui quum potiorum auctoritate displicuisset, vt asper & subagrestis, translata est suffragatio leuis in Ianuarium Iouiani adfinem, curantem summitatem necessitatum castrēsium per Illyricum. Quo itidem spreto, quia procul iacebat, vt aptus ad id quod quærebatur atque conueniens. VALENTINIANVS, nulla discordan- E te sententia, numinis adspiratione cælestis electus est, agens scholam scutariorum secundam, relictusque apud Ancyram, postea sequuturus, vt ordinatum est. Et quia nullo renitente hoc è rep. videbatur, missis qui eum venire ocius admonerent, diebus decem nullus imperij tenuit gubernacula: quod tunc euenisse, extis Romæ inspectis aruspex dixerat Marcus. Inter hæc tamen, nequid nauaretur contrarium placitis, neue armaturum mobilitas sæpe versabilis ad præsentium quendā F inclinaret arbitrium, attente prouidebat Equitius, & cum eo Leo, adhuc sub Dagalaipho magistro equitum rationes numerorum militarium tractās, exitialis postea magister officiorum, exercitus vniuersi iudicium, quantum facere nitique poterant, vt Pannonij fautoresque principiis designati, formantes. Qui cum venisset accitus, implendique negotij prælagus, vt subodorari dabatur, vel somniorum adsiduitate, nec videri die secundo nec prodire in medium voluit, bissextū vitans Februarij mensis tunc illucescēs, quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognorat infaustum; cuius notitiam certam designabo. Spatium anni vertentis id esse periti mundani motus & siderum definiunt veteres, (inter quos Meton & Eudæmon & Hipparchus & Archimedes excelluut) quum sol perenni rerum sublimium lege polo percurso signifero, quem Zodiacum sermo Græcus appellat, trecentis & sexaginta quinque diebus emensis & noctibus, ad eumdem redierit cardinem: vt verbo tenus, si à secunda particula clarus arietis, ad eam dimensione redierit terminata. Sed anni interuallum verissimum memoratis diebus & horis sex advsque meridiem concluditur plenam: annique sequentis erit post horam sextam initium, porrectum ad vesperam. tertius, à prima vigilia sumens exordiū, ad horam noctis extēditur sextam. Quartus, à media noctis vsque ad claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio variantibus annorum principiis, & quodam post horam sextam diei, alio post sextam excurso nocturnam, scientiam omnem squalida diuisione confundat, & autumnalis mensis inueniatur quandoque vernalis, placuit senas illas horas, quæ quadriennio viginti colliguntur atque quatuor, in vnius diei noctisque adiectæ transire mensuram. Hocque alte considerato, eruditis concinentibus multis, effectum est vt ad vnum distinctumque exitum conuersio cursus anni reuoluta, nec vaga sit nec incerta, nulloque errore deinceps obumbrata ratio cælestis appareat, & menses tempora retineant præstituta. Hæc, nondum extentis fusius regnis, diu ignorauere Romani, perque secula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi, qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora vel augebant. Hocque excepto emerserunt alia plurima quæ fallebant, quorum meminisse nunc superuacuum puto. Quibus abolitis, Octauianus Augustus Græcos sequutus, hanc inconstantiam correcta turbatione composuit, spatiis duodecim mensium & sex horarum magna deliberatione collectis: perque duodecim siderum domicilia sol discurrens motibus sempiternis, anni totius interualla concludit. Quam rationem bissexti probatam, etiam victura cum seculis Roma adiumento numinis diuinis fandauit. Proinde pergamus ad reliqua. Elapso die parum apto ad inchoandam rerum magnitudinem, vt quidam existimant, propinquante iam vespera, monitu præfecti Sallustij sub exitij denuntiatione statutum est prompta consensione cunctorum, ne potioris quisquam auctoritatis, vel suspectus altiora conari, procederet postridie mane. Quumque multorum tædio, quos votorum inanitas cruciabat, tamdem finita nocte lux aduenisset, in vnum quæsito milite omni, progressus Valentinianus in

cam

A campum, permissusque tribunal adscendere celsius structum, comitiorum specie & voluntate præsentium secundissima, vt vir serius, rector pronuntiatur imperij. Mox principali habitu circumdatus & corona, Augustusque nuncupatus cum laudibus amplis, quas nouitatis potuit excogitare dulcedo, præmeditata dicere iam parabat. Eoque vt expeditius loqueretur brachiom exsertante obmurmuratio grauis exoritur, concrepantibus centuriis & manipulis, cohortiumque omnium plebe, vrgentium destinate confestim Impe- B ratorem alterum declarari. Quod licet nonnulli existimarunt paucis corruptis ad gratiam fieri despectorum, ex eo tamen id frustra creditum videbatur, quod non emercati, sed consoni totius multitudinis paria volentis; clamores audiebantur, documento recenti fragilitatem pertimescentis sublimium fortunatum. Deinde ex susurris immanitter strepentis exercitus cieri tumultus violentiot apparebat, & confidentia militis erumpentis interdum ad perniciosa facinora, ti- C mebatur. Quod Valentinianus magis præ cunctis ne fieret extimescens, elata prospere dextera, vt princeps fiducia plenus, ausus increpare quosdam vt seditiosos & pertinaces, cogitata nullis interpellantibus absoluebat: *Exsulto prouinciarum fortissimi defensores & præ me fero, semperque laturus sum, nec speranti, nec adpetenti moderamina orbis Romani mihi, vt potissimo omnium, vestras detulisse virtutes. Quod erat igitur in manu positum vestra, nondum electo im-* D *perij formatore, vtiliter & gloriose complestis, adscito in honorum verticem eo quem ab ineunte adolescentia ad hanc vsque ætatis maturitatem splendide integreque vixisse experiundo cognostis. Proinde pacatis auribus accipite quæso simplicioribus verbis quod conducere arbitror in commune. Adhiberi oportere in omnes casus socia potestate collegam, contemplatione poscente multiplici, nec ambigo nec repugno, curarum acernos & mutationes varias accidentium ipse quoque vt homo formidans. Sed studendum est* E CONCORDIÆ *viribus totis, per quam res quoque minimæ conualescunt. Quod impetrabitur facile, si patientia vestra cum æquitate consentiens, id mihi quod mearum est partium concesserit libens. Dabit enim (vt spero) fortuna consiliorum adiutrix bonorũ, quantum efficere & consequi possum, diligenter scrutanti temperamentum. Vt enim sapientes definiunt, non modo in imperio, vbi pericula maxima sunt & creberrima: verumetiam in priuatis quotidianisque rationibus, alienum ad amicitiam, quum iudica-* F *uerit quisquam prudens, adiungere sibi debebit, non, quum adiunxerit, indicare. Hæc cum lætiorum spe polliceor: vos firmitatem factorum retinentes & fidẽ, dum hiberna patitur quies, animorum reparate vigorem atque membrorum, ob nuncupationem augustam debita protinus accepturi.* Finita oratione, quam auctoritas erexerat inopina, flexit Imperator in suam sententiam vniuersos, consiliique eius viam sequuti qui paulo ante flagrantissimis vocibus aliud postulabant, circumseptum aquilis & vexil- G lis, agminibusque diuersorum ordinum ambitiose stipatum, iamque terribilem, duxerunt in regiã. Dum hæc in oriente volubiles fatorum explicant sortes, Apronianus regens vrbem æternam, iudex integer & seuerus, inter curarum pręcipua quibus hæc præfectura sæpe sollicitatur, id primum opera curabat enixa, vt veneficos, qui tunc rarescebãt capi captos, postque agitatas quæstiones nocuisse quibusdam aperte confutatos, indicatis consciis morte mulctaret, atque ita paucorum discrimine reliquos, siqui laterent, formidine pariũ exturbaret. Hæc egisse ideo efficaciter fertur, quod Iuliani promotus arbitrio, agentis etiam tum per Syrias, in itinere vnum amiserat oculum, suspicatusque artibus se nefariis adpetitum iusto quidem sed inusitato dolore, hæc & alia magna quæritabat industria. Vnde quibusdam atrox visus est, in amphitheatrali curriculo vndatim coëunte aliquoties plebe, caussas dispiciens criminum maximorum. B Denique post huiusmodi vindicata complura, Hilarium aurigam conuictum atque confessum, vix dum pubescentem filium suum venefico tradidisse docendum secretiora quædam legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit: qui, laxius retinente carnifice, subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium, extractusque exinde, ilico abscissa ceruice consumptus est. Verum hæc similiaque tum etiam vt coercenda mox cauebantur, C & nulli vel admodum pauci, in his versati flagitiis, vigori publico insultarunt: sed tempore sequuto, longęua impunitas nutriuit immania, vsque eo grassante licentia, vt imitatus Hilarium quidam senator, seruumque suum, modo non per syngrapham arcanis piacularibus inducendum, commisisse doctori malarum artium confutatus, supplicium redimeret opima mercede, vt crebrior fama vulgarat, isque ipse hoc genere quo iactatum est absolutus, quum vitæ pudere deberet & culpæ, nõ D abolendæ incubuit maculæ, sed tamquam inter multos probrosos solus vacuus ab omni delicto, equo phalerato insidens discurrensque per silices, multa post se vnicus trahit agmina seruulorum, per nouum quoddam insigne curiosius spectari affectans: vt Duillium accepimus veterem, post gloriosa illa naualis rei certamina, id sibi sumpsisse, vt tibicine lenius præcinente rediret ad sua post cœnam. Sub hoc tamen Aproniano ita iugiter copia necessariorum exuberauit, vt nulla saltem le- E uia murmura super inopia victui congruentium orirentur, quod assidue Romę contingit. At in Bithynia Valentinianus princeps (vt prædiximus) declaratus, dato in perendinum diem signo proficiscendi, conuocatis primoribus, quasi tota consilia quam sibi placentia sequuturus, percontabatur quemnam ad imperij consortium oporteret adsumi. Silentibusque cunctis, Dagalaiphus tunc equestris militiæ rector, respondit fidentius, *Si tuos* (inquit) *amas Imperator optime, habes fratrem: si rem-* F *publicam, quære quem vestigas.* Quo dicto asperatus ille, sed tacitus, & occultans quæ cogitabat, Nicomediã itineribus citis ingressus, cal. Martiis Valentem fratrẽ stabulo suo cũ tribunatus dignitate prę fecit. Indeque quum venisset Constantinopolim, multa secũ ipse diuoluens, & magnitudini vrgenti negotiorum iam sese parare considerans, nihil morandum ratus, calendis Aprilis productũ eundem VALENTEM in suburbanum, vniuersorum sententiis concinentibus (nec enim audebat quis- G quam refragari) Augustum pronuntiauit: decoreque imperatorij cultus ornatum, & tempora diademate redimitum, in eodem vehiculo secum reduxit, participem quidem legitimum potestatis, sed in modum apparitoris morigerum, vt progrediens aperiet textus. Quibus ita nullo interturbante perfectis, constricti rapidis febribus Imperatores ambo diu, spe viuendi firmata, vt erant inquirendis rebus grauiores quam componendis, sus-

A pectas morborum caussas inuestigandas acerrime Vrsatio officiorum magistro Dalmatæ crudo, & Iuuentio Sisciano questori tunc, commiserunt: vt loquebatur pertinax rumor, inuidiam cientes Iuliani memoriæ principis, amicisque eius tamquã clandestinis præstigiis læsi. Sed hoc euanuit facile ne verbo quidem tenus insidiarũ indicio vllo reperto. Hoc tempore, velut per vniuersum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sæuissimæ limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhætiasque simul Alemanni popula-

B bantur, Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti Saxones, & Scoti, & Attacotti, Britannos ærumnis vexauere continuis: Austoriani Mauricæque aliæ gentes, Africam solito acrius incursabant: Thracias diripiebant prædatorij globi Gotthorũ: Persarũ rex manus Armeniis iniectabat, eos ad suam dicionem ex integro vocare vi nimia properans, sed iniuste, caussãdo quod post Iouiani excessum, cum quo fœdus firmarat & pacem, nihil obstare debebat quo minus ea recuperaret quæ ante ad maiores suos pertinuisse monstrabat. Acta igitur

C tranquillius hieme, concordissimi principes, vnus nuncupatione prælatus, alter honore speciẽ tenus adiunctus, percursis Thraciis Nessum aduenerũt: vbi in suburbano, quod appellatum Mediana à ciuitate tertio lapide disparatur, quasi mox separandi, partiti sunt comites. Et Valentiniano quidem, cuius arbitrio res gerebatur, Iouinus euenit, dudũ promotus à Iuliano per Gallias magister armorũ, & Dagalaiphus, quem militiæ rectorem prouexerat Iouianus: in orientem vero sequuturus Valen-

D tem, ordinatus est Victor, ipse quoq; iudicio principis antedicti prouectus, cui iunctus est Arintheus. Lupicinus enim pridem à Iouiano pari modo promotus magister equitum, partes tuebatur Eoas. Tunc & Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum magister, sed comes: & Serenianus olim sacramento digessus, recinctus est vt Pannonius, sociatusque Valenti, domesticorum præfuit scholæ. Quibus ita digestis, & militares partiti numeri: & post hæc quũ ambo fratres Sir-

E mium introissent, diuiso palatio, vt potiori placuerat, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit. Et orientem quidem regebat potestate præfecti Sallustius: Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias prouincias Germanus. Agentes igitur in memoratis vrbibus principes, sumpserunt primitus trabeas cõsulates, omnisque hic annus dispendiis grauibus rem Romanam adflixit. Alemanni enim perrupere Germaniæ limites, hac ex caussa solito infestius

F moti. Quum legatis eorum missis ad comitatum, certa & præstituta ex more munera præberi deberent, minora & viliora sunt attributa: quæ illi suscepta, furenter agentes, vt indignissima proiecere: tractatique asperius ab Vrsatio tunc magistro officiorum iracundo quodam & sæuo, regressi, factũque exaggerantes, vt contumeliose despectas, gentes immanissimas concitarunt. Et circa id tempus aut non multo posterius, in oriente Procopius in res surrexerat nouas. Quæ prope cal. Nouembris

G venturo Valentiniano Parisios, eodemque nuntiata sunt die. Et Alemannis quidem occursurum Dagalaiphum pergere mature præcepit: qui vastatis propinquioribus locis, longius discesserant incruenti. Super appetitu vero Procopii antequam adolesceret reprimendo, curis diducebatur ambiguis, ea potissimũ ratione sollicitus, quod ignora-

bat vtrum Valente superstite an exstincto memoratum imperiũ adfectarat. Equitius enim, relatione Antonij tribuni accepta, regentis in Dacia mediterranea militem, qui nihil præter negotium ipsum auditum obscure significabat, ipse quoque, nondum liquida fide comperta, simplicibus verbis principem gestorum conscium fecit. His cognitis Valentinianus eodem Equitio aucto magisterij dignitate, repedare ad Illyricum destinabat, ne persultatis Thraciis perduellis iam formidatus inuaderet hostili excursu Pannonias. Documento enim recenti impendio terrebatur, reputans paulo antea Iulianum, cõtempto Imperatore bellorũ ciuiliũ vbique victore, nec speratum ante nec expectatum ab vrbe in vrbem incredibili velocitate transisse. Verum ardens ad redeundum eius impetus molliebatur consiliis proximorum, suadentiũ & orantium ne internecitua minantibus barbaris exponeret Gallias, neue hac caussatione prouincias desereret egentes adminiculis eius: iisque legationes vrbium accessere nobilium, precãtes ne in rebus duris & dubiis impropugnatas eas relinqueret, quas præsens eripere poterit discriminibus maximis, metu ambitiosi nominis sui Germanis incusso. Tamdem denique vtilitate rei perpensius cogitata, in multorum sententias flexus, replicabat aliquoties hostem suum fratrisque solius esse Procopiũ: Alemannos vero, totius orbis Romani statuitque nusquã interim extra confinia moueri Gallorũ, adusque Remos progressus: sollicitosque super Africa, ne repente perrũperetur, Vulcerium postea cos. tunc notariũ, ad eamdẽ tuendam ire disposuit, & Masaucionem domesticum protectorẽ, ea consideratione, quod ibi sub patre Cretione comite quondã educatus, suspecta nouerat loca: hisque scutariũ adiunxit Gaudentiũ, olim sibi cognitum & fidelẽ. Quia igitur vno eodemq; tempore vtrobique turbines exarsere mœstissimi, cõpetenti loco singula digeremus, nũc partem in oriente gestorũ, deinde bella barbarica narraturi: quoniã pleraque & occidentali, & in Eoo orbe iisdẽ mensibus sut actitata, ne, dũ ex loco sobindẽ saltuatim redire festinamus in locum, omnia confundentes squaliditate maxima rerũ ordinem implicemus. Insigni genere Procopius in Cilicia natus & educatus, ea consideratione qua propinquitate Iulianũ postea principem contingebat, à primo gradu eluxit: & vt vita moribusq; castigatior, (licet occultus erat & taciturnus) notarius diu perspicaciter militans & tribunus, iamque summatibus proximus, post Constantij obitũ in rerum conuersione velut Imperatoris cognatus altius anhelabat, admixtus consortio comitum: & apparebat enim, si vmquam potuisset, fore quietis publicæ turbatorem. Hunc Iulianus Persidem ingrediens, consociato pari potestatis iure Sebastiano, in Mesopotamia cum manu militum reliquerat valida: mandatatque, vt susurrauit obscurior fama, (nemo enim dicti auctor exstitit verus) pro cognitorum ageret textu, & si subsidia rei Romanæ languisse sensisset, Imperatorem. ipse se prouideret ocius nuncupari. Qui iniuncta ciuiliter agens & caute, Iuliani letaliter vulnerati funus, & ad regenda communia comperit Iouianum euectum, falsoque rumore disperso, inter obeuntis anhelitus animæ eumdem Iulianum mandasse, placere sibi Procopio clauos summæ rei gerendæ cõmitti, veritus ne hac ex caussa indemnatus occideretur, è medio se conspectu differuit, maxime post

Iouianni

Iouiani tetritus necem, notatiorum omnium primi: quem Iuliano petempto veluti dignum imperio paucis militibus nominatum, nouaque exinde cœptare suspectum, cruciabiliter didicerat interfectum. & quia se quæri iudustria didicerat magna, vitans grauioris inuidiæ pondus, ad abdita longiusque remota discessit. Quumque à Iouiano exploratius indagari latibula sua sentiret, & formæ vitæ iam fuisset pertæsum:) quippe à celsiore statu deiectus ad inferiora, etiam edendi penuria in locis squalentibus stringebatur, hominumque egebat colloquiis) postremæ necessitatis impulsu, deuiis itineribus ad Chalcedonium agrum peruenit. vbi, quoniam illud firmius visum est receptaculum; apud, fidissimuo amicorum delitescebat, Strategium quendam ex palatino milite senatorem; Constantinopolim, quantum fieri poterat, clanculo sæpe intermeans, vt indicio eiusdem Strategij patuit, postquam sæpius in factionis consciua est inquisitum. Ritu itaque sollertissimi cuiusdam speculatoris, ignotus vultu ob squalorem & maciem, rumusculos colligebat tunc crebrescentes (vt sunt acerba semper instantia) incusantium multorum Valētem, quasi cupiditate aliena rapiendi succensum. cuius diritati adiectum erat incentiuum exitiale socer Petronius, ex præposito Martensium militum promotus repentino saltu patricius, animo deformis & habitu. Qui ad nudandos sine discretione cūctos immaniter flagrans,* innocētes pariter & sontes post exquisita tormenta * quadruplicibus nexibus vinciebat, debita iam inde a temporibus principis Aureliani perscrutans, & impendio mœrens si quemquam absoluisset indemnem. Cuius morum intolerantiæ hæc quoque pernicies accedebat, quod quum ditaretur luctibus alienis, erat inexorabilis & crudelis, & in rabido corde rudissimus, nec reddendæ nec accipiendæ cationis vnquam capax: inuisior Cleandro, quem agentem sub Imperatore Commodo præfecturam, sublata vecordia diuersas legimus vexasse fortunas, & onerosior Plautiano, qui præfectus itidem sub Seuero, vltra mortale tumens cuncta confuderat, ni gladio perisset vltore. Hæc lacrymosa quæ incitante Petronio sub Valente clausere multas paupertinas & nobiles domos, impendentiumque spes atrocior, prouincialium & militum paria gementium sensibus imis hærebant: & votis, licet obscuris & tacitis, permutatio status præsentis ope numinis summi concordi gemitu poscebatur. Quæ Procopius latenter accipiens, arbitratusque vbi felicius acciderit fatū, negotio leui ad apicem summæ potestatis adsurgi, subsidebat vt prædatrix bestia, viso quod capi poterat protinus eruptura. Cui hæc quæ maturabat ardenti, fors hanc materiam dedit impendio tempestiuam. Consumpta hieme, festinans ad Syriam Valens, iam[que] fines Bithynorum ingressus, docetur relationibus ducum, gentem Gotthorum ea tempestate intactam, * eamdemque sæuissime conspirantem in vnum, ad peruadenda parari collimitia Thraciarum. Hocque cognito, vt impræpedito ipse pergeret quo tendebat, sufficiens equitum adiumentum & peditum mitti iussit ad loca, in quibus barbarici timebantur excursus. Dimoto itaque longius principe, Procopius ærumnis diuturnis attritus, vel atrocem mortem clementiorem ratus malis quibus adflictabatur, aleam periculorum om-

A nium iecit abrupte: extremaque iam perpeti nequaquam timens, præeunte perdita ratione, facinus adoritur audacissimum. Diuitenses Tungricanosque iuniores, ad procinctum vrgentem per Thracias inter alios celerare dispositos, & Constantinopoli moraturos solenniter biduum, per quosdam ex iisdem numeris notos sollicitare properans, quia cum omnibus loqui periculosum erat & arduum, fidem paucorum elegit: qui pellecti * per spem præmiorum ingentium,
B sub consecratione iurisiurandi promisere se quæ vellent cuncta facturos; fauorem quoque polliciti contubernalium, inter quos ipsi potiorem locum obtinebant in suadendo, stipendiis excellentes & meritis. Vtque condictum, & vbi excanduit radiis dies, idem Procopius diductus in cogitationes varias,* Anastasianas balneas petit, à sorore Constantini cognominatas, vbi locata nouerat signa: doctusque per arcanorum conscios, omnes in eius studium consensisse socie-
C tate coita nocturna, fide salutis data libenter admissus, constipatione vendibilium militum cum honore quidem, sed in modum tenebatur obsessi; qui, vt prætoriani quondam post Pertinacis necem, licitantem imperij * præmia Iulianum susceperant, ipsi quoque Procopium infausti dominatus exordia molientem, attenti ad omne compendium defenderunt. Stetit itaque subtabidus, (excitum putares ab inferis) nusquam reperto paludamento, tunica auro distincta, vt regius mini-
D ster, indutus, à calce ad pubem in * pædagogiani pueri speciem purpureis opertus tegminibus pedum: hastatusque purpureum itidem pannulum læua manu gestabat: vt in theatrali scena simulacrum quoddam insigne per aulæum vel mimicam cauillationem subito putares emersum. Ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriose sublatus, & ancillari adulatione beneficij alloquutus auctores, opesque pollicitus amplas & dignitates ob principatus primi-
E tias, processit in publicum multitudine stipatus armorum, signisque sublatis erectius ire pergebat, circumclausus horrendo fragore scutorum lugubre concrepantium: quæ, metuentes ne a celsioribus tectis saxis vel tegularum fragmentis conflictarentur, densius ipsius galearum cristis aptabant. * Huic timidius incedenti, nec resistebat populus, nec fauebat: accendebatur tamen insita plerisque vulgarium nouitatis repentina iucunditate; ea re potius incitante quod Petro-
F nium (vt prædiximus) diuitias violenter augentem, omnes eadem mente detestabantur, qui sepulta iam dudum negotia & rediuiuas * tabulas debitorum in diuersos ordines excitabat. Quum itaque tribunal idem adscendisset Procopius, & cunctis stupore defixis timeretur silentium triste, procliuiorem viam ad mortem (vt sperabat) existimans aduenisse, per artus tremore diffuso implicatior ad loquendum, diu tacitus stetit: pauca tamen interrupta & moribunda voce dicere iam
G exorsus, quibus stirpis propinquitatem imperatoriæ prætendebat, leni paucorum susurro pretio allectorum, deinde tumultuariis succlamationibus plebis Imperator appellatus, incondite petit curiam raptim: vbi nullo clarissimorum, sed ignobili paucitate inuenta, palatium pessimo pede festinatis passibus introit. Mirantur quidam profecto irrisione digna principia, incaute cœpta & temere, ad ingemiscendas erupisse reip. clades

ignari fursitan exemplorum, id accidisse primitus arbitrantes. Sic Adramytenus Andriscus degener quidam infimæ sortis, adusque Pseudophilippi nomen * euectus, bellis Macedonicis tertium addidit graue. Sic Antiochiæ Macrino Imperatore agente, ab Emesa Heliogabalus exiuit Antoninus. Ita inopino impetu Maximini Alexander cũ Mammæa matre cõsossus est. In Africa superior Gordianus in imperium raptus, aduentantiũ periculorum angoribus implicatus, vitam laqueo spiritu intercluso profudit. Igitur cupediarum vilium mercatores, & qui intra regiam apparebant aut parere desierãt, quique cœtu militarium nexi ad pacatiora iam vitæ discesserãt, ad insoliti casus ambigua partim inuiti, alij volentes adsciscebantur: nonnulli omnia tutiora præsentibus rati, à ciuitate occulte dilapsi, Imperatoris castra petiuere itineribus festinatis. Hos omnes Sophronius viuacissimo cursu prægressus, tũc notarius, præfectus postea Cõstantinopoleos, Valentem à Cæsarea Cappadocum iam profecturũ, vt vaporatis æstibus Ciliciæ iam lenitis ad Antiochiæ percurreret sedes, textu narrato gestorum: spe dubia (vt in talibus) percitum & stupentem, auertit Galatiam, res adhuc trepidas arrepturum. Qui dum itineribus properat magnis, attentissima cura Procopius in dies agitabat noctes, subditiuos quosdam ostentans, qui astutia confidenti, partim ab oriente, alij è Galliis se venisse, & Valentinianum obisse fingentes cuncta patere nouo & fauorabili principi memorabant. Et quia res nouæ petulanter arreptæ, celeritate muniri solent interdum, nequid formidandum omitteretur, * confestim Nebridius in locum Sallustij præfectus prætorio factione Petronij recens promotus, & Cæsarius Constantinopolitanæ vrbis præfectus, in vincula compinguntur: & iubetur ciuitatem curare solita potestate * Phronemius, esseque magister officiorum Euphrasius, ambo Galli institutis bonarum artium spectatissimi: & administratio negotiorum castrensium Gomoario & Agiloni reuocatis in sacramentum committitur inconsulte, vt docuit rerum exitus proditor. Quia igitur Iulius comes per Thracias copiis militaribus præsidens, oppressurus rebelles, si comperisset conata, ex propinquis stationibus timebatur, commentum excogitatum est validũ: & quasi iussu Valentis, seria super barbaricis morib. tractaturus, Nebridij litteris adhuc clausi violenter expressis accitus Constantinopolim, strictius tenebatur. Hacque callida fraude bellatrices Thraciæ gentes sine cruore acquisitæ, adminicula ausis tumultuariis maxima compararunt. Post quæ ita euentu * lætiore completa, * Araxius ex ambita regia prætorio præfectus accessit, velut Agilone genero suffragante: aliique plures ad aulæ varios actus & administrandas prouincias sunt admissi, quidam inuiti, alij vltro semet offerentes cum præmiis. Vtque in certaminibus intestinis vsu venire contingit, emergebant ex vulgari fæce nonnulli desperatione consiliisque ductantibus cæcis: contraque quidam orti splendide, à culminibus summis ad vsque mortes & exsilia corruebant. Vbi per hæc & similia factio firmiter videbatur esse composita, restabat vt abundans cogeretur militum manus: & impetratum est facile, id quod in publicis turbamentis aliquoties ausa ingentia vel iustis exorsa primordiis impediuit. Transeuntes

A ad expeditionem per Thracias concitatæ equitum peditumque turmæ, blandeque acceptæ & liberaliter quum essent, omnésque in vnum sitæ, iamque exercitus species appareret, promissis vberrimis inhiantes, sub exsecrationibus diris in verba iurauere Procopij; hanc polliciti pertinaciam, quod eum suis armis defensabunt. Inuenta est enim occasio ad alliciendos eos perquam opportuna: quod Constantii filiam paruulam, cuius recordatio colebatur, sinu ipse circumferens, B necessitudinem prætendebat, & Iuliani. Adeptusque est aliud tempori congruum, quod Faustina matre puellæ casu præsente quodam, acceperat habitus insignia principalis. Adiungit his aliud veloci diligentia maturandum: & electi quidam stoliditate præcipites ad capessendum Illyricum missi sunt, nullo præter petulantiam adiumento confisi, aureos scilicet nummos effigiatos in vultum noui principis, aliaque ad illecebras aptantes: quos correptos Equitius per eas C regiones militum rector, exstinxit genere diuerso pœnarum. Pariaque deinde metuens, obstruxit tres aditus angustissimos, per quos prouinciæ tentantur arctoæ: vnum, per ripensem Daciam: alterum, per Succos notissimum: tertium, per Macedonas, quem appellant ἀκόντισμα. Hacque cautela vana persuasione rapiendi Illyrici destitutus, vsurpator indebitæ potestatis magna perdidit instrumenta bellorum. Dum hæc ita agũtur, atrocitate nuntii Valens perculsus, iamque re- D uertens per Gallogræciam, auditis apud Constantinopolim gestis, diffidenter incedebat & trepide: ac repentino pauore vias prouidendi turbãte, eousque desponderat animum vt augustos amictus abiicere tamquam grauem sarcinam cogitaret. Fecissetque profecto, ni vetantibus proximis detractus à deformi proposito, firmatusque meliorũ sententiis, agmina duo præire iussisset, quibus nomina sunt Iouii atque Victores: castra perduellium * irruptura. His iam propinquantibus i- E pse Procopius à Nicæa regressus, quo nuper aduenerat, cum Diuitensibus desertorumque plebe promiscua quam dierum fere sex spatio congregarat, Mygdum accelerauit: qui locus Sangario alluitur flumine. Vbi quum legiones iam pugnaturæ congrederentur, inter reciprocantes missilia, quasi procursatione hostem lacessens, solus prorupit in medium. & secundioris ductu fortunæ, ex contraria acie velut agnitum quendam Vitalianum, quem si norat ambigitur, Latine sa- F lute data blande produxit. Eumque porrecta dextra suauiatus, omnibus hinc inde attonitis: *En*, inquit, *cana Romanorum exercituum fides, & religionibus firmis iuramenta constricta. Placet, fortissimi viri, pro ignotis tot suorum consurrexisse mucrones. vtque Pannonius degener, labefactans cuncta & proterens, imperio, quod ne votis quidem concipere ausus est vmquam, potiatur, ingemiscere nos vestris nostrisque vulneribus. Quin potius sequimini culminis summi prosapiam, non vt rapiat aliena, sed in in-* G *tegrum maiestatis auitæ restituatur, arma iustissima commouentem.* Hac sermonis placiditate molliti omnes qui acriter venerant pugnaturi, signorum apicibus aquilisque summissis, desciuere libentes ad eum: & pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum, nuncupatum Imperatorem stipatumque de more consentientes in vnum, reduxerunt ad castra, testati more militiæ Iouem, inuictum Procopium fore. Huic perduellium

prospe-

proſperitati lætior acceſsit. Rumitalca enim tribunus in ſocietatem Procopianorum adſcitus, & ſuſcepta cura palatij, digeſto mature côſilio permixtoque cum militibus, mari ad Drepanum antea nunc Helenopolim, venit; exindeque Nicæã ſpe celerius occupauit. Ad quam obſidendam cum huiuſmodi pugnarum peritis Vadomario miſſo ex duce & rege Alemannorum, Valens Nicomediam pergit. Exinde[que] profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis viribus inſiſtebat: cuius è muris probra in eum iaciebantur, & iniuriose compellabatur vt ſabaiarius. eſt autem Sabaia, ex hordeo vel frumento in liquorem conuerſus paupertinus in Illyrico potus. Feſſus denique inopia commeatuum, & obſtinatione nimia defenſorum, diſcedere iam parabat: quum inter hæc clauſi apud Nicæam, patefactis ſubito portis egreſſi, munitorum magna parte proſtrata, ductore fidentiſsimo Rumitalca properabant ardentes, circumuenturi Valentem à tergo, nondum à Chalcedonos ſuburbano digreſſum. Et patraſſent conata, ni rumore quodam præuerſo, imminens exitium ille perdoctus, inſtantem veſtigiis hoſtem per Sunonenſem lacum & fluminis Galli ſinuoſos anfractus propere diſcedendo fruſtra ſequentem iuſiſſet. & hoc caſu Bithynia quoque in Procopii ditionem redacta eſt. Vnde quum Ancyram Valens citis itineribus reuertiſſet, comperiſſetque Lupicinum ad orientem cum cateruis aduentare non contemnendis, ſpe proſperorum erectior, Arintheum lectiſsimum ducem occurſurum hoſtibus miſit. Qui vbi Dadaſtanam tetigit, in qua ſtatione periſſe diximus Iouianum, Hyperechium ſibi oppoſitum repente vidit cum copiis, antehac recte gaſtrenſis apparitorem, id eſt ventris miniſtrum & gutturis: cui vt amico Procopius auxilia ductanda commiſit. Et dedignatus hominem ſuperare certamine deſpicabilem, auctoritatis & celſi fiducia corporis, ipſis hoſtibus iuſſit ſuum vincire rectorem. atque ita turmarum anteſignanus vmbratilis, comprenſus ſuorum manibus. Quæ dum hoc modo procedunt, Venuſtus quidam largitionum apparitor ſub Valente, multo ante Nicomediam miſſus vt aurum ſuſceptum ſtipendii nomine militibus per orientem diffuſis viritim tribueret, hac triſtitia cognita, alienum peruidens tempus, Cyzicum cum his quæ ſuſceperat ſe citius contulit: vbi forte Serenianus repertus domeſticorum tunc comes, miſſus ad theſauros tuendos, vrbem inexſuperabili mœnium ambitu monumentis quoque veteribus cognitam, fretus tumultuario præſidio cuſtodiebat: ad quam expugnandam Procopius, vt poſſeſſa Bithynia ſibi etiam Helleſpontum iungeret, validam deſtinauerat manum. Morabantur autem effectum ſagittis & glandibus ceteriſque iaculis obſidentium ſæpe globi* confuſi, & propugnatorum ſollertia clauſtrum per catenam ferream valde robuſtam ori portus inſertam; quæ, ne roſtratæ irruerent naues hoſtiles, erat altrinſecus colligata. Hanc poſt varios militum labores & ducum, fatigatorum acerrimis prœliis, Aliſo quidam tribunus abſcidit, exercitiis bellorum prudens, hoc modo: Coniunctis tribus nauigiis, teſtudinem hac ſpecie ſuperſtruxit. Denſatis cohærentes ſupra capita ſcutis, primis tranſtris inſtabant armati: alii poſt hos ſemet curuantes humilius, tertiis gradatim inclinatis ſummiſſe: ita

A vt nouiſſimi ſuffraginibus inſidentes, formam ædificii fornicati monſtrarent. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac ſpecie, vt miſſilium ictus atque ſaxorum, per decurſus cadentes, labiles inſtar imbrium euaneſcant. Itaque coniectu telorum Aliſo pauliſper defenſus, ingenti corporis robore, ſuppoſito ſtipite eamdem catenam fortius bipenni contundens ita confregit, vt diſiecta patefaceret aditum latum: hocque exitu ciuitas hoſtili impetu

B patuit improtecta. Qua cauſſa extincto poſtea proteruiæ totius auctore, quum in factionis participes ſæuiretur, hic idem tribunus contemplatione facinoris clari vitam cum militia retinens, diu poſt in Iſauria oppetiit vaſtatoria manu confoſſus. Hoc marte Cyzico reſerata, Procopius ad eam propere feſtinauit: veniaque vniuerſis qui repugnauere donatis, Serenianum ſolum iniectis vinculis iuſsit duci Nicæam, ſeruandum artiſsime. Statimque Hormiſdæ maturo

C iuueni, Hormiſdæ regalis illius filio, poteſtatem proconſulis detulit, & ciuilia more veterum & bella recturo. Qui agens pro moribus lenius, à militibus quos per deuia Phrygiæ miſerat Valens, ſubito corripiendus incurſu, tanto vigore euaſit, vt adſcenſa naui nuſquam ad caſus pateret ancipites, ſequentemque ac pene captam vxorem, ſagittarum nube diffuſa defenſam auerteret ſecum, matronam opulentam & nobilem: cuius verecundia & deſtinatio glorioſa, abruptis poſtea

D diſcriminibus maritum exemit. Ea victoria vltra homines Procopius ſeſe efferens, & ignorans quod quiuis beatus verſa rota fortunæ ante veſperum poteſt eſſe miſerrimus, Arbetionis domum, cui antea tanquam eadem ſibi ſentienti parcebat vt propriæ, iuſsit * exinaniri, ob illos caſus inæſtimabiles plenam: ideo indignatus quod venire ad eum accitus aliquoties diſtulit, cauſſatus incommoda ſenectutis & morbi. Et li-

E cet hac ex cauſſa præſumptor momentum pertimeſceret graue, tamen quum obſiſtente nullo ſeſe in orientales prouincias effundere libenti cunctorum adſenſione iam licentius poſſet, auidas nouitatem quandam viſere, tædio aſperioris imperii quo nunc tenebantur: erga alliciendas quaſdam ciuitates Aſiæ, legendoſque eruendi peritos auri, vt ſibi profuturos prœliis quæ magna expectabat & crebra, ſegnius commoratus, in modum acuti mucronis obtuſus eſt: vt quondam Peſcennius Niger ad ſubueniendum ſpei rerum extre-

F mæ à populo Romano ſæpe accitus, dum diu * contatur in Syrias irruere, ſuperatus in ſinu *Iſsien (qui eſt in Cilicia, vbi Darium Alexander fudit) fugatuſque in ſuburbano quodam Antiochiæ gregarii manu militis interiit. Hæc adulta hieme Valentiniano & Valente coss. agebantur. Tranſlato vero in Gratianum adhuc * priuatum & Dagalaiphum ampliſsimo magiſtratu, aperto iam vere ſuſcitatis viribus, Valens iuncto ſibi Lupicino cum robuſtis auxiliis

G Peſsinunta ſigna propere tulit, Phrygiæ quondam, nunc Galatiæ opidum. Quo præſidiis ocius communito, nequid inopinum per eos emergeret tractus, præter radices Olympi montis excelſi tramiteſque fragoſos ire tendebat ad Lyciam, oſcitantem Gomoarium adgreſſurus. Cui pertinaci conſpiratione multorum hac * maxima conſideratione reſiſtebatur, quod hoſtis eius, vt ante relatum eſt, Conſtantii filiam paruulam

cum matre Faustina & in agminibus & quum
* propinquę acies starent, lectica circumferens
secum, vt pro imperiali germine, cui se
quoque iunctum addebat, pugnarent audentius,
iras militum accendebat: sicut aliquando
dimicaturi Macedones cum Illyriis, regem
adhuc infantem in cunis locauere post
aciem, cuius metu, ne traheretur captiuus, aduersos
fortius oppresserunt. Contra has calliditatis
argutias sagaci opitulatione nutanti negotio
consuluit Imperator: & Arbetionem ex
consule agentem iamdudum in otio, ad se venire
hortatus est, vt Constantiani ducis verecundia
truces animi lenirentur. Neque secus
euenit. Nam quum omnibus prouectior natu
& dignitate sublimior, caniciem reuerendam
ostenderet, multis ad perfidiam inclinatis
publicum grassatorem Procopium, milites
vero sequutos eius errorem, filios & laborum
participes pristinorum appellans, orabat vt se
ac si parentem magis sequerentur felicissimis
ducibus cognitum, quam profligato morem
gererent nebuloni, destituendo iam & casuro.
Quibus cognitis Gomoarius quum elusis hostibus
vnde venerat, redire posset innoxius, ad
castra Imperatoris oportunitate interualli proximi
captiui colore transiuit, velut accursu multitudinis
visæ subito circumseptus. Qua successus
alacritate Valens castra promouit ad Phrygiã:
& prope * Nacoliam collatis manibus, partium
dux in ancipiti * Agilo rem excursu prodidit
repentino: eumque sequuti complures iam pila
quatientes & gladios, ad Imperatorem transeunt
cum vexillis scuta peruersa gestantes, quod
defectionis signum est apertissimum. Hoc præter
spem omnium viso, Procopius fatatis interclusis*
suffragio, versus in pedes, circumiectorum
nemorum secreta & montium petebat,
Florentio sequente & Barchalba tribuno, quem
per sæuissima bella iam inde à Constantii temporibus
notum, necessitas in crimen traxerat,
non voluntas. Maiore itaque noctis parte consumpta,
quum à vespertino ortu luna prælucens
in diem metum augeret, vndique facultate
euadendi exempta, consiliorum inops Procopius,
vt in arduis necessitatibus solet, cum
fortuna expostulabat luctuosa & graui: mersisque
multiformibus curis, subito à comitibus suis
arctius vinctus, relato iam die ductus ad castra,
Imperatori offertur reticens adque defixus: statimque
abscissa ceruice, discordiarum ciuilium
gliscentes turbines sepeliuit, ad veteris Perpennæ
exemplum: qui post Sertorium inter epulas
obtruncatum dominatione paulisper potitus, è
* frutectis sub quibus latebat extractus, oblatusque
Pompeio, eius iussu est interfectus. Parique
indignationis impetu Florentius & Barchalba
qui eum duxerunt, confestim non pensata ratione,
sunt interfecti. Nam si principem legitimum
prodidissent, vel ipsa iustitia iure cæsos pronuntiaret:
si rebellem & oppugnatorem internę quietis,
vt ferebatur, amplas eis memorabilis facti
oportuerat deferri mercedes. Excessit autem vita
Procopius anno quadragesimo, amplius mensibus
decem, corpore non indecoro, nec mediocris
staturæ, subcuruus, humumque intuendo
semper incedens, perque morum tristium
latebras illius similis Crassi, quem in vita
semel risisse Lucillius adfirmat & Tullius: &,

A quod est mirandum, quoad vixerat, incruentus.
Iisdem fere diebus protector Marcellus eiusdem
cognatus, agens apud Nicæam pręsidium, proditione
militum & interitu Procopii cognito, Serenianum
intra palatium clausum medio noctis
horrore incautum adortus occidit. Cuius
mors saluti plurimis fuit: nam si victoriæ superfuisset,
incultis moribus homo & nocendi acerbitate
conflagrans, Valentique ob similitudinem
morum & genitalis patriæ vicinitatem
B acceptus, occultas voluntates principis introspiciens
ad crudelitatem propensioris, multas innocentium
edidisset strages. Quo interfecto idem
Marcellus occupata celeri cursu Chalcedone, cõcrepantibus
paucis quos vilitas & desperatio trudebat
in scelus, vmbram principatus funesti
capessit, gemina ratione fallente, quod & Gothorum
tria millia regibus iam lenitis ad auxiliũ
erant missa Procopio Constantianam prætendenti
necessitudinem, quæ ad societatem suam
C parua mercede traduci posse existimabat, quodque
gesta in Illyrico etiam tum latebant. Inter quæ
tam trepida speculationibus fidis Equitius doctus
conuersam molem belli totius in Asiam, digressus
per fuccos Philippopolim clausam præsidiis
hostium, * Eumolpiadam veterem, reserare
magna vi conabatur, vrbem ad modum oportunam,
& impedituram eius * aduentus, si pone
relicta adiumenta Valenti laterus (nondum enim
apud Nacoliam gesta compererat) festinare ad
D Æminontum cogeretur. Verum paulo postea
cognita leui presumptione Marcelli, milites missi
sunt audaces & prompti, qui eum raptum vt
deditum noxæ mancipium in custodiam compegerunt.
vnde * postridie productus, lateribus
sulcatis acerrime, pariaque perpessis consortibus,
interiit, hoc fauorabilis solum, quod
abstulit Serenianum è medio, crudelem vt Phalarim,
illi & illi similem ad doctrinarum diritatem,
[quam] causis manibus prætexebat. Ex-
E stirpatis occasu ducis funeribus belli, sæuitum
est in multos acrius quam errata flagitauerant vel
delicta, maximeque in Philippopoleos defensores,
qui vrbem seque ipsos non nisi capite viso
Procopii, quod ad Gallias portabatur, ægerrime
dediderunt. Ad gratiam tamen precantium coercitisunt
aliqui lenius: inter quos eminebat Araxius,
in ipso rerum exustarum ardore adeptus
ambitu pręfecturam, & Agilone intercedente
genero supplicio insulari mulctatus, breue post
F tempus euasit. Euphrasius vero itemque Phronemius
missi ad occiduas partes, arbitrio obiecti
sunt Valentiniani: & absoluto Euphrasio Phronemius
Cherrhonesum deportatur, inclementius
in eodem punitus negotio, ea re quod diuo Iuliano
fuit acceptus: cuius memorandis virtutibus
ambo fratres principes obtrectabant, nec similes
eius nec suppares. His accedebant alia grauiora,
& multo magis quam in prœliis formidãda.
Carnifex enim & vnci & cruentæ quęstio-
G nes, sine discrimine vllo ætatum & dignitatum,
per fortunas omnes & ordines grassabantur, &
pacis obtentu vitium detestandum agitabatur,
infaustam victoriam exsecrantibus vniuersis,
interneciuo bello quouis grauiorem. Nam inter
arma & lituos conditionis ęquatio leuiora
facit pericula: & Martiæ virtutis potestas aut
id quod ausum occupat, aut inopinata mors
si acciderit, nullum ignominiæ continet sensum,

sum, finemque secum vincodi simul & dolendi perducit: vbi vero consiliis impiis iura quidem prætenduntur & leges, & Catonianæ vel * Cassianæ sententiæ fuco perliti resident iudices, agitur autem quod agitur ad voluntatem prætumidæ potestatis, & ex eius libidine vitæ incidentium necisque momenta pensantur, ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta. Nam vt quisque ea tempestate ob quamlibet valuerat caussam, regiæ prope accedens & aliena rapiendi auiditate exustus, licet aperte insontem B arcessens, vt familiaris suscipiebatur & fidus, ditandus casibus alienis. Imperator enim promptior ad nocendum, criminantibus patens, & funereas delationes adsciscens, per suppliciorum diuersitates effrenatius exsultauit: sententiæ illius Tullianæ ignarus, docentis, infelices esse eos qui omnia sibi licere existimarunt. Hæc implacabilitas caussæ quidem pulsima, sed * victoriam fœdantis, innocentes tortoribus exposuit multos, vel sub eculeo * caput incuruos aut ictu car- C nificis toruo substrauit: quibus, si pateretur natura, vel denas animas profundere præstabat in pugna, quam lateribus fodicatis omni culpa immunes fortunis gementibus vniuersis, quasi læsæ maiestatis luere pœnas, dilaniatis ante corporibus, quod omni est tristius morte. Exin quum superata luctibus ferocia deflagrasset, proscriptiones & exsilia, & quæ leuiora quibusdam videntur, quamquam sint aspera, viri pertulere luminates: & vt ditaretur alius, ge- D nere nobilis & forte meritis locupletior, actus patrimonio præceps, trususque in exsilium, consumebatur angore, aut stipe precaria victitabat: nec modus vllus exitialibus malis impositos, quamdiu principem & proximos opum satietas cæpit & cædis. Hoc nuuatore adhuc superstite, cuius actus multiplices docuimus & interitum, diem duodecimum Calend. Augustas, Cos. Valentiniano primum cum fratre, horrendi tremores per omnem orbis ambitum grassati sunt subito: quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulo enim post lucis exortum, densitate præuia fulgurum acrius vibratorum, tremefacta concutitur omnis terreni stabilitas ponderis, mareque dispulsum retro fluctibus euolutis abscessit, vt retecta voragine profundorum, species natantium multiformes limo cernerentur hærentes, valliumque vastitates & montium tunc, vt opinari dabatur, suspicerent radios solis, quos primigenia rerum sub immensis gurgitibus amandauit. Multis igitur nauibus velut arida humo connexis, & licenter per exiguas vndarum reliquias palantibus plurimis, vt pisces manibus colligerent & similia, marini * fluctus, velut grauati repulsam, versa vice consurgunt, perque vada feruentia insulis & continentis terræ porrectis spatiis violenter illisi, innumera quædam in ciuitatibus, & vbi reperts sunt ædificia, complanarunt. Proinde vt elementorum furente discordia, inuoluta facies mundi, miraculorum species ostendebat. Relapsa enim æquorum magnitudo quum minime speraretur, millia multa necauit hominum & submersit, recurrentiumque æstuum incitata vertigine, quædam naues postquam humentis substātiæ consenuit tumor, pessumdatæ visæ sunt, exanimataque naufragiis corpora supina iacebāt aut prona. Ingentes aliæ naues extrusæ rapidis flatibus, culminibus * insidere tectorū, vt Alexandriæ contigit: & ad secundum lapidem fere procul à littore contortæ sunt aliquæ, vt Laconicam prope Methonem, opidum nos trāseundo, prospeximus diuturna carie fatiscentem.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVSSEPTIMVS.

DVM per Eoum orbem hæc quæ narrauimus, diuersi rerum expediunt casus, Alemanni post ærumnosas iacturas & vulnera, quæ congressi sæpe Iuliano * Cæsari pertulerant, viribus tamdem resumptis, licet imparibus pristinis, ob caussam expositam supra, Gallicanos limites formidati iam persultabant. Statimque post cal. Ianuarii, quum per glaciales tractus hiemis rigidum inhorresceret sidus, cuneatim egressa multitudo licentius vagabatur. Horum portioni primæ, Carietto tunc per vtramque Germaniam comes, occursurus cum milite egreditur ad bella ineunda promptissimo, adscito in societatem laboris Seueriano, itidem comite, inualido & longæuo; qui apud Calidona Diuitensibus præsidebat & Tungritanis. Proinde confertius agmine in vnum coacto, pouteque breuioris aquæ firma celeritate transmisso, visos eminus barbaros Romani sagittis aliisque leuibus iaculis incessebant: quæ illi reciprocis iactibus valide contorquebant. Vbi vero turmæ congressæ strictis conflixere mucronibus, nostrorum acies impetu hostium acriore concussa, nec resistendi nec faciendi fortiter copiam reperit, cunctis metu compulsis in fugam, quum Seuerianum vidissent equo deturbatum, missilique telo * per os fixum. Ipse denique Carietto, dum cedentes obiectu corporis & vocis iurgatorio sono audentius * retinet, pudendúmque diluere dedecus fiducia diu standi conatur, oppetiit telo letali confixus. Post cuius interitum, Erulorum Bataiuorumque vexillum direptum, quod insultando tripudiantes barbari crebro sublatum altius ostendebant, post certamina receptum est magna. Qua clade cum vltimo mœrore comperta, correcturus huiusmodi gesta Dagalaiphus à Parisiis mittitur. Eoque diu cunctante, caussanteque diffusos per varia barbaros semet adoriri non posse, accitoque paulo post vt cum Gratiano etiam tum priuato susciperet insignia consulatus, Iouinus equitum magister accingitur: & instructus paratusque, cautissime obseruans vtrumque sui

agminis latus, venit prope locum Searpona: vbi inopinus maiorem barbarorum plebem, antequam armaretur, temporis breui puncto præuentam ad internecionem exstinxit. Exsultantes innoxii prœlii gloria milites ad alterius globi perniciem ducens, sensimque incedens tecture ximius, speculatione didicit fida, direptis propius villis vastatoriam manum quiescere prope flumen: iámque aduentás, abditusque in valle densitate arbustorum obscura, videbat lauátes alios, quosdam comas rutilantes ex more, potantesque nonnullos. Et nactus horam impendio tempestiuam, signo repente per lituos dato, latrocinalia castra perrupit: contraque Germani nihil prætet inefficaces minas iactanter sonantes & fremitum, nee expedire arma dispersa, nec cõponere aciem, nec resurgere in vires permittebantur vrgente instanter victore. Quocirca forati pilis & gladiis cecidere complures, absque his quos versos in pedes texere flexuosi tramites & angusti. Hoc prospero rerum effectu, quem virtus peregerat & fortuna, aucta fiducia Iouinus militem ducens, diligenti speculatione præmissa in tertium cuneum qui restabat, propere castra cõmouit. Et maturato itinere omnem prope Carelaunos inuenit ad congrediendum promptissimum: & vallo oportune metato, suisque pro temporis copia cibo recreatis & somno, primo autoræ exortu in apetta planitie composuit aciem dilatatam arte sollerti: vt spatiis amplioribus occupatis, æquiparare Romani hostium multitudinem apparerent, inferiores numero licet, viribus pares. Signo igitur per buccinas dato, quum pede collato res agi cœpisset insueta vexillorum splendentium facie, territi stetere Germani. Quibus hebetatis parumper reparatisque confestim, adusque diei extremum concertatione protenta, validius imminens miles fructum rei bene gestæ sine dispendio quæsisset, ni Balcobaudes armaturarum tribunus, magniloquentia socordi coalitus, propinquante iam vespera cessisset incondite. Quem si sequutæ residuæ cohortes abiissent, ad tristes exitus eousque negotium venerat, vt nec acta nuntiaturus quisquam posset superesse nostrorum. Sed resistens animorum acri robore miles, ita lacertis eminuit vt hostium quatuor millibus sauciis, sex altera interficeret millia: ipse vero non amplius ducentis amitteret, ducentis tantummodo vulneratis. Noctis itaque aduentu prœlio iam dirempto, refectisque viribus fessis, prope confinia lucis ductor egregius, in agminis quadrati figuram producto exercitu, quum comperisset occultantibus tenebris barbaros lapsos, securus insidiarum, per aperta camporum sequebatur & mollia, calcando femineces constratos, quos vulneribus frigorum asperitate contractis dolorum absumpserat magnitudo. Exin progressus vlterius, reuertens vbi nullum repeterat, didicit regem hostilium agminum, cum paucis captum ab hastariis, quos ipse per iter aliud miserat ad diripienda tentoria Alemannica, suffixum patibulo. Ideoque iratus in tribunum animaduertere statuit, ansum hoc inconsulta potestate superiore fecisse: eumque damnasset, ni militari impetu commissum facinus atrox documentis euidentibus constitisset. Et post hæc redeunti Parisios post claritudinem rectè gestorum Imperator lætus occurrit: eumque postea consulem designauit, illo videlicet ad gaudii cumu-

A lum accedente quod iisdem diebus Procopij susceperat caput à Valente transmissum. Præter hæc, alia multa narratu minus digna conserta sunt prœlia, per tractus varios Galliarum: quæ superfluum est explicare, quoniam neque operæpretium aliquod eorum habuere prouentus, nec historiam producere per minutias ignobiles decet. Hoc tempore vel paulo ante, noua portenti species per annonariam apparuit Tusciam: idque quorsum euaderet, prodigialium rerum
B periti penitus ignorarunt. In opido enim Pistoriensi prope horam diei tertiam spectantibus multis, asinus tribunali adscenso, audiebatur destinatius rugiens: & stupefactis omnibus qui aderant, quique didicerant referentibus aliis, nulloque coniectante ventura, postea quod portendebatur euenit. Terentius enim, humili genere in vrbe natus & pistor, ad vicem præmii, quia peculatus reum detulerat officium ex præfecto, hanc eamdem prouinciam correctoris ad-
C ministrauerat potestate: eaque * confidentia deinceps inquietius agitans, multi in nauicula riorum negotio falso admisisse conuictus, vt ferebatur, petiit carnificis manu, regente Claudio Romam. Multo tamen ante quam hoc contingeret, Symmachus Aproniano successit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ: quo instante, vrbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebantur: & ambitioso ponte exsultabat atque firmissimo,
D quem condidit ipse & magna ciuium lætitia dedicauit, ingratorum, vt res docuit apertissima: qui consumptis aliquot annis, domum eius in Transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti quod vilis quidam plebeius * finxerat illum dixisse, sine indice vllo vel teste, * libentius se vino proprio calcarias exstincturum, quam id venditurum pretiis quibus sperabatur. Aduenit post hunc vrbis moderator Lampadius ex præfecto prætorio, homo indi-
E gnanter admodum sustinens si, etiam quum spueret, non laudaretur, vt id quoque prudenter præter alios faciens: sed nonnunquam seuerus & frugi. Hic quum magnificos prætor ederet ludos & vbertime largiretur, plebis nequiens tolerare tumultum, indignis multa donari sæpe vrgentis, vt liberalem se & multitudinis ostenderet contemptorem, accitos à Vaticano quosdam egentes opibus ditauerat magnis. Vanitatis autem eius exemplum, ne latius euagemur, hoc vnum
F sufficiet poni: leue quidem, sed cauendum iudicibus. Per omnia enim ciuitatis membra quæ diuersorum principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat, non vt veterum instaurator, sed conditor. Quo vitio laborasse Traianus dicitur princeps: vnde eum herbā * parietinam iocando cognominarunt. Hic præfectus exagitatus est motibus crebris: vno omnium maximo, quum collecta plebs infima, domum eius prope Constantinianum lauacrum iniectis fa-
G cibus incenderat & malleolis, ni seruitiorum & & familiarium veloci concursu à summis tectorum culminibus petita saxis & tegulis abscessisset. Eaque vi territus ipse, fremituque crebrescentis seditionis in maius, secessit ad * Miluium pontem: quem struxisse superior dicitur Scaurus: * ad lenimenta ibidem tumultus opperiens, quem caussa concitauerat grauis. Ædificia erigere exoriens noua, vel vetusta quædam instaurans,

rans, non ex titulis solitis parari iubebat impensas: & si ferrum quærebatur aut plumbum aut æs, aut quidquam simile, apparitores immittebantur: qui velut ementes, diuersas raperent species, nulla pretia persoluendo: vnde accensorum iracundiam pauperum, crebra deflentium damna, ægre potuit celeri vitare digressu. Aduenit successor eius ex * quæsitore palatii * Viuentius, integer & prudens, Pannonius: cuius administratio quieta fuit & placida, copia rerum omnium fluens. Et hunc quoque discordantis populi seditiones terruere cruentæ: quæ tale negotium excitauere. Damasus & Vrsicinus, supra humanum modum ad rapiendam episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina adiumentis vtriusque progressis. quæ nec corrigere sufficiens Viuentius nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanum: & in concertatione superauerat Damasus, parte quæ ei fauebat instante. Constatque in basilica Sicinini, vbi ritus Christiani est conuenticulum, vno die centum triginta septem reperta cadauera peremptorum: efferatamque diu plebem ægre postea delinitam. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans vrbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: quum id adepti, futuri sint ita securi vt ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo vt eorum conuiuia regales superent mensas. qui esse poterant beati reuera, si magnitudine vrbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem antistitum quorundam prouincialium viuerent: quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque eius cultoribus vt puros commendant & verecundos. Hactenus deuiasse sufficiet: nunc ad rerum ordines reuertamur. Dum aguntur antedicta per Gallias & Italiam, noui per Thracias exciti sunt procinctus. Valens enim, vt consulto placuerat fratri, cuius regebatur arbitrio, arma concussit in Gothos ratione iusta permotus: quod auxilia misere Procopio ciuilia bella cœptanti. Ergo conuenit pauca super horum origine & regionum situ trãscurrere per breuem excessum. Erat Thraciarum descriptio facilis, si veteres concinerent styli: quorum obscura varietas quoniam opus veritatem professum non iuuat, sufficiet ea quæ vidisse meminimus expedire. Has terras immensa quondam camporum placiditate aggerumque altitudine fuisse porrectas, Homeri perennis auctoritas docet, aquilonem & zephyrum ventos exinde flare fingentis. Quod aut fabulosum est: aut tractus antehac diffusi latissime destinatique nationibus feris, cuncti Thraciarum vocabulo censebantur. Et partem earum habitauere *Scordisci*, longe nunc ab iisdem prouinciis disparati: sæui quondam & truces, vt antiquitas docet, hostiis captiuorum Bellonæ litantes & Marti, humanumque sanguinem in ossibus capitum * humanis bibentes auidius. Quorum asperitate post multiplices pugnarum ærumnas sæpe res Romana vexata, postremo omnem amisit exercitum cum rectore. Sed vt nunc cernimus, eadem loca formata in cornuti sideris modum, effingunt theatri faciem speciosam. Cuius in

A summitate occidentali, montibus præruptis densatæ *Succorum* patescunt angustiæ, Thracias dirimentes & Daciam. Partem vero sinistram arctois obnoxiam stellis, *Hæmimontanæ celsitudines* claudunt, & Hister, qua Romanum cæspitem lambit vrbibus multis & castris contigua & castellis. Per dextrum quod australe est latus, scopuli tenduntur Rhodopei: vnde Eoum iubar exsurgit, finitur in fretum: cui vndosius ab Euxino ponto labenti, pergentique fluctibus reciprocis ad Ægæum, B discidium panditur terrarum angustum. Ea angulo tamen orientali Macedonicis iungitur collimitiis per artas præcipitesque vias, quæ cognominantur Acontisma; cui proxima Arethusa conuallis & statio, in qua visitur Euripidis sepulcrum tragœdiarum sublimitate conspicui: & Stagira, vbi Aristotelem (vt Tullius ait) fundentem aureum flumen, natum accepimus. Hæc quoque priscis temporibus loca barbari tenuere, C moribus sermonumque varietate dissimiles. E quibus præter alios vt immaniter efferati memorantur *Odrysæ*, ita humanum fundere sanguinem adsueti, vt quum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas post cibi satietatem & potus, suis velut alienis corporibus imprimerent ferrum. Verum aucta repub. dum consulare vigeret imperium, hæ gentes antehac semper indomitas vagantesque sine cultu vel legibus, Marcus Didius ingenti destinatione D pressit, Drusus intra fines continuit proprios, Minucius prope amnem Hebrum, à celsis Odrysarum montibus fluentem, superatos prœlio strauit: post quos residui ab Appio Claudio proconsule sunt infesta concertatione deleti. Opida enim in Bosporo sita & Propontide, classes obtinuere Romanæ. Aduenit post hos imperator Lucullus, qui cum audacissima gente *Bessorum* conflixit omnium primus: eodemque impetu *Hæmimontanos* acriter resistentes op- E pressit. Quo imminente Thraciæ omnes in ditionem veterum transiuere nostrorum. Hocque modo post procinctus ancipites, reipub. sex prouinciæ sunt quæsitæ. Inter quas prima, quæ ea fronte Illyriis est confinis, *Thracia* speciali nomine appellatur: quam Philippopolis Eumolpias vetus & Berœa amplæ ciuitates exornant. Post hanc *Hæmimontus* Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Vscudama, & Anchialon, ciuitates magnas. Dein * *Mysia*, vbi Marcianopolis est, F à sorore Traiani principis ita cognominata: & & Dorostorus & Nicopolis & Odyssus. Iuxtaque *Scythia*: in qua celebriora sunt opida Dionysopolis, & Tomi, & * Calatis. *Europa* omnium vltima, præter municipia vrbibus aret duabus, Apris & Perintho, quam Heracleam posteritas dixit. *Rhodopa* huic annexa, Maximianopolim habet & Maroneam & Ænum: post quam conditam & relictam, Æneas Italiam auspiciorum prosperitate perpetua post diuturnos occupauit G errores. Constat autem, vt vulgauere rumores adsidui, omnes pene agrestes, qui per regiones prædictas montium circumcolunt altitudines, salubritate virium & prærogatiua quadam vitæ longius propagandæ nos anteire: idque contingere arbitrantur, quod colluuione ciborum abstinent calidis; & perenni viriditate roris aspergínibus gelidis corpora constringente, auræ potiora dulcedine potiuntur: radiosque solis suapte

natura vitales primi omnium sentiunt, nullis adhuc maculis rerum humanarum infectos. His ita digestis pedem referamus ad cœpta. Procopio superato in Phrygia, internarumque dissensionum materia consopita, Victor magister equitum ad Gotthos est missus, cogniturus aperte quam ob caussam gens amica Romanis, fœderibusque ingenuæ pacis obstricta, armorum dederat adminicula bellum principibus legitimis inferenti. Qui vt factum prima defensione purgarent, literas eiusdem obtulere Procopij: vt generis * Constantiani propinquo imperium sibi debitum sumpsisse commemorantis: veniaque dignum adserentes errorē. Quibus eodē referēte Victore compertis, Valens paruipendens excusationem vanissimam, in eos signa commouit, motus aduentantis iam præscios: & pubescente vere, quæsito in vnum exercitu, prope Daphnen nomine munimentum est castrametatus: ponteque contabulato, supra nauium foros flumen transgressus est Histrum, resistentibus nullis. Iamque sublatus fiducia, quum vltro citroque discurrēs nullum inueniret quem superare posset vel terrere, (omnes enim formidine perciti multis cum apparatu ambitioso propinquantis, montes petiuere Serrorum, arduos & inaccessos nisi perquam gnaris) ne æstate omni consumpta sine vllo remearet effectu, Arintheo magistro peditum misso cum prædatoriis globis, familiarum rapuit partem, quæ antequam ad dirupta venirent & flexuosa, capi potuerunt, per plana camporum errantes. Hocque tantum quod * fors dederat impetrato, rediit cum suis innoxius, nec illato graui vulnere nec accepto. Anno sequuto ingredi terras hostiles pari alacritate conatus, fusius Danubij gurgitibus vagatis impeditus, mansit immobilis, prope Carporum vicum statiuis castris vsque ad autumnum locatis emensum. Vnde, quia nihil agi potuit, dirimente magnitudine fluentorum, Marcianopolim ad hiberna discessit. Simili pertinacia tertio quoque anno per Nouidunum nauibus ad transmittendum amnem connexis perrupto barbarico, continuatis itineribus longius agentes * Grutungos, bellicosam gentem, adgressus est: postque leuiora certamina Athanaricum ea tempestate iudicem potentissimum, ausum resistere cum manu quam sibi crediderit abundare, extremorum metu coegit in fugam: ipseque cum omnibus suis Marcianopolim rediuit ad hiemem agendam, vt in illis tractibus habilem. Aderant post diuersos triennij casus finiendi belli materiæ tempestiuæ. Prima, quod ex principis diuturna permansione, metus augebatur hostilis. Dein, quod commerciis vetitis vltima necessariorum inopia barbari stringebantur: adeo vt legatos supplices sæpe mittentes, venialem poscerent pacem. Quibus Imperator rudis quidem, verum spectator adhuc æquissimus rerum, antequam adulationum perniciosis illecebris captus rempublicam funeribus perpetuo deflendis adfligeret, in commune consultans, pacem dare oportere decreuit: emisitque vicissim Victorem & Arintheum, qui tunc equestrem militiam agerent. Qui quum propositis conditionibus adsentiri Gotthos docuissent literis veris, præstituitur componendæ paci conueniens locus. Et quoniam asserebat Athanaricus sub timenda exsecratione iurisiurandi, se esse obstrictum mandatisque prohibitum patris ne solum aliquando calcaret Romanorū, & adigi non poterat, indecorumque erat & vile ad eum Imperatorem transire: recte noscentibus placuit, nauibus remigio directis in medium flumen, quæ vehebant cum armigeris principem, gentisque iudicem, inde eum suis fœderari, vt statutum est, pacem. Hocque composito & acceptis obsidibus, Valens Constantinopolim rediit: vbi postea Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus, fatali sorte decessit, & ambitiosis exsequiis ritu sepultus est nostro. Inter hæc Valentiniano magnitudine quassato morborum, agitanteque extrema, conuiuio occultiore Gallorum qui aderant in comitatu principis, ad imperium Rusticus Iulianus tunc magister memoriæ poscebatur, quasi adflatu quodam furoris, bestiarum more humani sanguinis auidus, vt ostenderat quum proconsulari potestate regeret Africam: in præfectura enim vrbana, quam adhuc administrans exstinctus est, tempus ancepa metuens tyrannidis, cuius arbitrio tamquam inter dignorum inopiam ad id ascenderat culmen, lenis videri cogebatur & mollior. Contra hos nitebantur aliqui studiis altioribus in fauorem Seueri magistri tunc peditum, vt apti ad hoc impetrandum: qui licet asper esset & formidatus, tolerabilior tamen fuit, & modis omnibus præferendus antedicto. Sed quum hæc cogitantur incassum, Imperator remediis multiplicib. recreatus, vixque se mortis periculo contemplans extractum, Gratianum filium suum adulto iā proximum insignibus principatus ornare meditabatur: & paratis omnibus, militeque firmato vt animis id acciperet promptis, quum Gratianus venisset, progressus in campum, tribunal adscendit: splēdoreque nobilium circumdatus potestatum, dextera puerum adprehensum productumque in medium, oratione concionaria destinatum Imperatorem exercitui * commendabat: *Auctum erga me vestri fauoris indicium hunc loci principalis circumferens habitum, quo potior aliis iudicatus sum multis & claris, consiliorum socios votorumque auspicibus vobis, pietatis officijs adgrediar tempestiuis, prospera Deo spondente: cuius sempiternis auxilijs stabit Romana res inconcussa. Accipite igitur quæso placidis mentib. viri fortissimi desideriū nostrū id reputātes, quod hæc quæ fieri caritatis functiū iura, non tantum transire volumus per conscientiam vestram, verum & probata firmari, vt congrua nobis & profutura. Gratianum hunc meum adultum, quem diu versatum inter liberos vestros * commune diligitis pignus, vndique muniendæ tranquillitatis publicæ caussa, in augustum sumere commilitium paro, si propitia cælestis numinis vestraque maiestatis voluntas parentis amorem iuuerit præeuntem, non rigido cultu ab incunabulis ipsis vt nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum asperarum, nec capacem adhuc Martij pulueris, vt videtis: sed familiæ suæ laudibus maiorumque factis præstantibus concinentem, paucioribus studia meis, vt dicitur, protinus surrepturum. Vt enim mihi videri solet, mores eius & appetitus licet nondum maturos sæpe pensanti ineunte adolescentia, quoniam humanitate & studiis disciplinarum sollertium expolitus librabit suffragijs puris merita recte secusve factorum, faciet vt sciant se boni intelligi: in pulchra facinora procursabit signis militaribus & aquilis adhæsurus: solem niuesque & pruinas &*

situm

stium perferet & vigilias, castris, si necessitas adegerit, aliquotiens propugnabit, salutem pro periculorum sociis abiectabit: &, quod pietatis summum primumque munus est, remp. ut domum paternam diligere poterit & auitam. Nondum finita oratione, dictis cum adsensu læto auditis, pro suo quisque loco animo læto milites alius alium anteire festinans, tanquam vtilitatis & gaudiorum participes, GRATIANVM declararunt Augustum, classicorum amplissimo sono blandum fragorem miscentes armorum. Quo viso, maiore B fiducia Valentinianus exsultans, corona indumetisque supremæ fortunę ornatū filium osculatus, iamque fulgore conspicuū alloquitur aduertentem quæ dicebat: *En (inquit) habes mi Gratiane amictus, vt sperauimus omnes, augustos, meo commilitonumque nostrorum arbitria delatas ominibus faustis. Accingere igitur pro rerum vrgentium pondere ut patris & patrui collega. & adsuesce impauidus penetrare cum agminibus peditum gelu peruios Histrum & Rhenum, armatis tuis C proximus stare, sanguinem spiritumque considerate pro his impendere quos regis, nihil alienum putare quod ad Romani imperii pertinet latus. Hæc pro tempore præcepisse sufficiat, cetera monere non desinam. Nunc reliqui vos estis rerum maxime defensores: quos rogo & obtestor, vt ad Crescentem Imperatorem fides vestra commissum seruetis adiectione fundata.* His dictis solennitate omni firmatis Eupraxius Cæsariensis Maurus, magister ea tempestate memoriæ, primus omnium exclamauit, *Familia Gratiani hoc meretur*: statimque promotus D quæstor, multa & prudentibus æmulanda bonæ fiduciæ reliquit exempla, nusquam à statu naturæ discedens intrepidæ, sed constans semper legumque similis, quas omnibus vna eademque voce loqui, in multiplicibus aduertimus caussis: qui tunc magis in suscepta parte iustitiæ permanebat, quum eum recta mouentem exagitaret minax Imperator & nimius. Consurrectum est post hæc in laudes maioris principis & nouelli, maxime- E que pueri, quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultusque & reliqui corporis iucundissimus nitor, & egregia pectoris indoles: quæ Imperatorem implesset, cum veterum lectissimis comparandum, si per fata proximosque licuisset, & qui virtutem eius etiam tum instabilem adoubilabant actibus prauis. In hoc tamen negotio Valentinianus morum institutum antiquitus supergressus, non Cæsares sed Augustos germanum nuncupauit & filium, beniuole satis. F Nec enim quisquam antehac adsciuit sibi pari potestate collegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptiuum fratrem absque diminutione aliqua maiestatis imperatoriæ socium fecit. His ex sententia tectorum & militum ordinatis, vix dies intercessere pauci, quum Mamertinum præfectum prætorio ab vrbe regressum, quo quædam perrexerat correcturus, Auitianus ex vicario peculatus detulerat reum. Cui ideo Vulcatius successit Rufinus, omni ex G parte perfectus, & velut apicem senectutis honoratæ prætendens, sed lucrandi opportunas occasiones occultioris spe numquam prætermittens. Qui nactus copiam principis, Orfitum ex præfecto vrbis solutum exsilio, patrimonii redintegrata iactura remitti fecit in lares. Et quamquam Valentinianus homo propalam ferus, inter imperitandi exordia, vt aspectatis opi-

A nionem molliret, impetus truces retinere nonnumquam in potestate animi nitebatur, serpens tamen vitium & dilatum aliquandiu licentius erupit ad perniciem plurimorum, quod auxit ira acerbius efferuescens. Hanc enim esse vlcus animi diuturnum, interdumque perpetuum, prudentes definiunt, nasci ex mentis mollicie cōsuetum, id adserentes argumento probali, quod iracundiores sunt incolumibus languidi, & fœminæ maribus, & iuuenibus senes, & felicibus ærumnosi. E-

B minuit tamen per id tempus inter alias humiliū neces mors Dioclis ex comite largitionum Illyrici, quem ob delicta leuia flammis iussit exuri, & Diodori ex agente in rebus, triumque apparitorum potestatis vicariæ per Italiam, ob id vexatorum atrociter, quod apud eum questus est comes, Diodorum quidem, aduersus se * ciuiliter implorasse iuris auxilium, officiales vero iussu iudicis ausos monere proficiscentem vt responderet ex lege. Quorum memoriam apud Mediolanum co-

C lentes nunc vsque Christiani, locum vbi sepulti sunt, *Ad innocentes* appellant. Dein quum in negotio Maxentii cuiusdam Pannonii ab exsequutione à iudice recte maturari præcepta, trium oppidorum ordines mactari iussisset, interpellauit Eupraxius tunc quæstor, & *Parcius*, inquit, *agito piissime principum: hos enim quos interfici tanquam noxios iubes, vt martyras, id est diuinitati acceptos, colit religio Christiana.* Cuius salutarem fiduciam

D præfectus imitatus Florentius, quum in re quadā venia digna audisset, eum percitum ira iussisse ternos per ordines vrbium interfici plurimarum, *Et quid agetur, ait, si apidum aliquod curiales nō haberet tantos? Inter reliqua id quoque suspendi debet, vt quum habuerint occidantur.* Ad hanc inclementiam illud quoque accedebat, dictu dirum & factu, quod si quis eum adisset iudicium potentia inimici declinans aliumque sibi postulans dari, hoc non impetrato, ad eundem quem metuebat, licet multa prætenderet iusta, remittebatur. Item-

E que aliud audiebatur horrendum, quod vbi debitorum aliquem egestate obstrictum nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronuntiabat. Hæc autē & similia licēter ideo altiore fastu quidam principes agunt, quod amicis emendādi secus cogitata vel gesta copiam negant, inimicos loqui terrent amplitudine potestatis. Nulla vacat* quæstio prauitatum apud eos qui quod volunt, maximas putant esse virtutes. Profectus itaque ab Ambianis Treuerosque festinans, nuntio percellitur

F graui, qui Britannias indicabat barbarica conspiratione ad vltimam vexatas inopiam, Nectaridiumque comitem maritimi tractus occisum, & Bulchobaudem ducem hostilibus insidiis circumuentum. Quibus magno cum horrore compertis, Seuerum etiam tum domesticorum comitem misit, si * fors casum dedisset optatum, correcturum * secius gesta: quo paulo postea reuocato, Iouinus eadem loca profectus, * Prouentusidem celeri gradu præmisit, adminicula petiturus e-

G xercitus validi. id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremo ob multa & metuenda quę super eadem insula rumores adsidui perferebant, electus Theodosius illuc properare disponitur, officiis martiis felicissime cognitus: adscitaque animosa legionum & cohortium pube, tendebat præeunte fiducia speciosa. Et quoniam quum Constantis principis actus componetem, motus adulescentis & senescen-

tia oceani tractumque Britanniæ pro captu vi- A
rium explanaui, ad ea quę digesta suot semel, re-
uolui superfluum doai, vt Vlyxes Homericus a-
pud Phęacas ob difficultatem nimiam replicare
formidat. Illod tamen sufficiet dici, quod eo
tempore Picti in duas gentes diuisi, Dicalidonas
& Vecturiones, itidemque Attacotti bellicosa
hominum natio, & Scotri, per diuersa vagan-
tes multa populabanrur. Gallicanos vero tra-
ctus Franci & Saxones iisdem confines, qoo
quisque erumpere potuit terra vel mari, prædis B
acerbis incendiisque & captiuotum funeribus ho
minum violabant. Ad hæc prohibenda, si eo-
piam dedisset fortuna prosperior, orbis extrema
dux efficacissimus petens, quum venisset ad Bo-
nooiæ litus, quod à spatio controuerso terrarum
angustia reciproci distinguitur maris, attolli
horrendis æstibus adsueti, rursusque sine vlla na-
uigantium noxa in speciem complanari campo-
rum; exinde traosmeato lentius freto, defertur
* Rutupias stationem ex aduerso tranquillam. C
Vode quum consequuti Batauí venissent & Heru-
li, Iouiique & Victores fidentes viribus numeri,
egressus tendensque ad * Lundonium vetus upi-
dum, quod Augustam posteritas appellauit: di-
uisis plurifariam globis, adortus est vagantes ho-
stium vastatorias manua, graues onere sarcina-
rum. Et propere fusis qui vinctos homines age-
bant & pecora, prædam excussit, quam tribu-
tarii perdidere miserrimi. Denique restituta
omni, preter partem exiguam impensam mili- D
tibus fessis, mersam difficultatibus suis antehac
ciuitarem, sed subito qua salus sperati potuit re-
creatam, oaantis speciem lætissimus inttoiit.
Vbi ad aodenda maiora prospero successu elatus,
tutaque scrutando consilia, futuri morabatur
ambiguus, diffusam variarum gentium plebem
& ferocientem immaniter, non nisi per
dolos occultiores & improuisos excursus supe-
rari posse, captiuorum confessionibus & trans-
fugarum indiciis doctos. Denique edictis pro- E
positis impunitateque promissa, desertores ad
procinctum vocabat, & multos [alios] per
diuersa libero commeatu dispersos. Quo mo-
nitu vt rediere plerique, incentiuo percitus,
retentusque anxiis curis, Ciuilem nomine re-
cturum Britannias pro præfectis, ad se popos-
cerat mitti, virum acrioris ingenii, sed iusti
tenacem & recti: itidemqoe Dolcitium, du-
cem scientia rei militaris insignem. Hæc in Bri-
taoniis agebantur. Africaoi vero iam inde ab F
exordio Valeotiniani imperii exurebat barbarica
rabies, per procursus audeotiores & crebris cę-
dibus & rapinis intenta. Quam rem militatis
augebat socordia, & aliena inuadendi cupidi-
tas, maximeque Romani nomine comitis. Qui
venturi prouidus, transferendæque in alios in-
uidiæ artifex, sæuitia morum multis erat exo-
sus, hac præcipue caussa, quod superare hostes
in vastandis prouinciis festinabat, affinitate Re-
migii tūc magistri officiorum confisus: quo praua G
& contraria referente, princeps (vt præ se fere-
bat ipse) causissimus, lacrymosa dispendia diu-
tius ignorauit Afrorum. Gestorum autem per eas
regiones seriem plenam, & Ruricii præsidis lega-
torumque mortem, & cetera luctuosa, quum
adegerit ratio, diligentius explicabo. Et qoo-
niam adest liber locus dicendi, quæ sentimus a-
perte loquamur. Hunc Imperatorem omoium

primum in malus militares fastus ad damna re-
rum auxisse commuoium, dignitates opesque
eorum sublimius exigentem, & (quod erat pu-
blice priuatimque dulendum) indeflexa sæuitia
punientem gregariorum errata, parcentem po-
tioribus, qui tamquam peccatis indulta licen-
tia, ad labes delictorum immanium confugie-
bant: qoi ex eo anhelantes, ex nutu suo indistan-
ter putant omnium pendere fortunas. Horum
flatus & pondera inuentores iuris antiqui mol-
lientes, etiam insontes quosdam aliquotiens sup
pliciis aboleri censuere letalibus. Quod sæpe
contingit, quum ob multitudinis crimina non-
nulli sortis iniquitate plectuntur innoxii: id enim
nonnumquam ad priuatorum pertinuit caussas.
At in Isauria globatim per vicina digressi prædo-
nea, opida villasque vberea libera populatione
veaantes, magnitudine iacturarum Pamphyliam
adflictabant & Cilicias. Quos quum nullis ar-
centibus internecine cuncta disperdere Asię vi-
carius ea tempestate * Musonius aduertisset, A-
thenis Atticis antehac magister rhetoricus, deplo
ratis nouissimis rebus luxuque adiumento mili-
tari marcente, adhibitis semiermibua paucis,
quos * diocmitas appellant, vnum grassatorum
cuneum, si paruisset facultas, adoriri conatus,
per angustum quemdam transiens deuexitatis ao-
fractum, ad ineuitabiles venit insidias: & ibi cum
his confossus est quus ducebat. Tali successu
latrones prætumidos, palentesqoe per varia con-
fidentius, interfectis aliquibus ad latebrosa * mō-
tium saxa quæ incolunt, excitæ tamdem copiæ
coorruserunt: vbi cum eis nec quiescendi nec in-
ueniendi ad victum vtilia, copia laxaretur, præter
inducias pacē sibi tribui poposcerunt, Germani-
copolitaois auctoribus, qoorom apud eos vt si-
gniferæ manus semper valuere sententiæ: obsidi-
busque datis, vt imperatum est, immobiles
diu mansere, nihil audentes hostile. Hæc in-
ter Prętextatus præfecturam vrbis sublimius
curans, per integritatis multiplices actus &
probitatis, quibus ab adolescentiæ rudimen-
tis inclaruit, adeptus est id quod raro con-
tiogit, vt quum timeretur, amorem non
perderet ciuium, * minus firmari solitum
erga iudices formidatos. Cuius auctoritate io-
stisque veritatis suffragiis tumultu leniro, quem
Christianorum iurgia concitarant, pulsoque
Vrsicino, alta quiea pati iam proposito ciuium
Romanotum aptissima adolescebat, gloria * cla-
ri rectoris plura & vtilia disponentia. Nam &
* Mæniana sustulit omnia, fabricati Romæ
priscis quoque vetita legibus, & discreuit priua-
torum parietes ab ædibus sacris, iisdem inoere-
cunde connexos: ponderaque per regiones insti-
toit vniuersas, quum auiditati multorum ex libi-
dine trutinas componeotum occurri nequiret. In
examinandis vero litibus ante alios id imperrauit
quod laudando Brutum Tullius refert, vt, quum
nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata vi-
derentur quę * faciebat. Sub idem fere tem-
pua Valentiniano ad expeditionem caute (vt re-
batur) profecto, Alemannus regalis Rando no-
mine, diu præstruens quod cogitabat, Magontia-
cum præsidiis vacuam cum expeditis ad latroci-
nandum lateoter irrepsit. Et quoniam casu Chri-
stiani ritus inuenit celebrari solennitatem, impre-
pedite coiusquemodi fortunæ virilem & mulie-
brem sexum cum supellectile non parua indefen-
sum

sum abduxit. Paruo inde post interuallo in opina rei Romanæ spes lætiorum adfulsit. Quum enim * Vithicabius rex Vadomarii filius, specie quidem molliculus & morbosus, sed audax & fortis, ardores in nos sæpe succenderet bellicos, opera nauatur impensior vt qualibet conciderer strage: & quia attentatus aliquoties nullo genere potuit superari vel prodi, fraude citerioris vitæ ministri, studio sollicitante nostrorum, occubuit. Cuius post necem, aliquatenus hostiles torpuere discursus: interfector tamen præ metu pœnarum quas verebatur, si patuisset negotium, ad Romanum solum se celeri transtulit gradu. Parabatur post hæc lentioribus curis & per copias multiformes in Alemannos expeditio, solitis grauior, destinatius id publica tutela poscente: quia reparabilis gentis motus timebantur infidi, milite nihilominus accenso: cui ob suspectus eorum mores, nunc * infirmorum & supplicium, paulo post vltima minitantium, nullę quiescendi dabantur induciæ. Contractis igitur vndique mole maxima cateruarum armis & subsidiis rei cibariæ diligenter instructa, accitoque Sebastiano comite cum Illyricis & Italicis numeris quos regebat, anni tempore iam recente Valentinianus cum Gratiano Rhenum transgressus, indutiis agminibus quadratis ipse medius incedebat, Iouino & Seuero magistris rei castrensis altrinsecus ordinum latera seruantibus, ne repentino inuaderentur adsultu. Protinusque inde ductantibus itinerum callidis, exploratis accessibus per regiones longo itu porrectas, sensim gradiens miles irritabat ad pugnandum, velut repertis barbaris minaciter infrendebat. Et quoniam aliquot diebus emensis nullus potuit qui resisteret inueniri, cuncta satorum & tectorum quæ videbantur, infecta cohortium manu vorax flamma va[illegible]bat, præter alimenta quæ colligi dubius rerum euentus adigebat & custodiri. Post hæc leniore gressu princeps vlterius tendens, quum prope locum venisset cui Solicinio nomen est, velut quodam obice steterat, doctus procursantium relatione verissima barbaros longe conspectos, qui nullam ad salutem tuendam viam superesse cernentes, nisi se celeri defendissent occursu, locorum gnaritate confisi, vnum spirantibus animis montem occupauere præcelsum, per confragosos colles vndique præruptum & inuium absque septemtrionali latere, vnde facilem habet deuexitatem & mollem. Signis ilico fixis ex more quum vndique ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum opperiens extollendum, quod erat opportunæ subeundæ indicium pugnæ. Ergo quia spatium deliberandi aut exiguum dabatur aut nullum, hinc impatientia militis perterrente, inde horrenda circumsonantibus Alemannis, id consilium ratio celeritatis admisit, vt arctoam montium partem, quam clementer diximus esse procliuem, Sebastianus cum suis occuparet, fugientes Germanos, si fors ita tulisset, leui negotio confossurus. quod haud placuit matura: to. Gratianoque apud signa Iouianorum retro detento, cuius ætas erat etiam tum præliorum impatiens & laborum, Valentinianus, vt dux cunctator & tutus, centurias & manipulos capite intecto consalutans, (nullo potentium in conscientiam arcani adhibito, remota multitudine stipatorum) speculatorum radices aggerum auolauit cum paucis, quorum industriam norat & fidem: prædicans (vt erat sui arrogans æstimator) inueniri posse aliam viam ducentem ad arduos cliuos, præter eam quam inspexere procursatores. Per ignota itaque & palustres vligines deuius tendens, insidiatricis manus locatæ per * abrupta subito oppetiisset adcursu, ni necessitatis adiumento postremo per labilem limum incitato iumento digressus legionum se gremiis immersisset, post abruptum periculum, cui adeo proximus fuit, vt galeam eius cubicularius ferens auro lapillisque distinctam, cum ipso tegmine penitus interiret, nec postea viuus reperiretur aut interfectus. Proinde quiete reficiendis corporibus data, signoque erecto, quod solet ad pugnam hortari, tubarum minacium accedente clangore, fidentissimo impetu acies mota prompte ante alios præiere duo iuuenes lecti in principiis adeundi discriminis, Saluius & Lupicinus, scutarius vnus, alter è schola gentilium, fragore terribili concitantes: hastasque crispando quum ad rupium obiecta venissent: trudentibusque Alemannis euadere ad celsiora conarentur, aduenit huc omne pondus armorum. Iis denique antesignanis per hirta dumis & aspera magno virium nisu in editas sublimitates ereptis. Acri igitur partium spiritu conflictus cuspidibus tentatur infestis: & hinc arte belli doctior miles: inde licet feroces, sed incauti barbari, dexteris coiere collatis: quos latius sese pandens exercitus infusis vtrinque cornibus adflictabat, per fremitus territos & equorum hinnitus & tubas. Nihilominus tamen ipsi adsumpta fiducia restiterunt: æquataque parumper præliorum sorte, haud parua mole certatum est, dum turmarum funeribus mutuis res gerebatur. Disiecti denique Romanorum ardore metuque turbati, miscentur vltimis primi: dumque in pedes versi discedunt, * veruttis hostilibus forabantur & pilis. Postremo dum anheli currunt & fessi, pandebant sequentibus poplites & suras & dorsa. Sitatis deinde multis, lapsurum partem Sebastianus, cum subsidiali manu locatus post montium terga, trucidauit, ea incauto latere circumuentam: dispersi ceteri siluarum se latebris commendarunt. In hac dimicatione nostri quoque oppetiere non contemnendi. inter quos Valerianus fuit domesticorum omnium primus, * & natus spado quidam scutarius, * exercitus ita bellator, vt Sicinio veteri compararetur & Sergio. Hisque tali casuum diuersitate peractis milites ad hiberna, Imperatores Treueros reuerterunt. Per hæc tempora Vulcatio Rufino absoluto vita dum * administrat, ad regendam præfecturam prætorianam ab vrbe Probus accitus, claritudine generis & potentia & opum amplitudine cognitus orbi Romano, per quem vniuersum pene patrimonia sparsa possedit, iuste an secus, non iudicii est nostri. Hunc quasi gemina quædam (vt poetæ fingunt) fortuna præpetibus pennis vehens, nunc beneficum ostendebat & amicos altius erigentem, aliquoties insidiatorem dirum & per cruentas noxium simultates. Et licet potuit quoad vixit ingentia largiendo & interpellando potestates adsiduas; erat tamen interdum timidus ad audaces, contra timidos celsior: vt videretur, quum sibi fideret, de cothurno strepere tragico, & vbi pauerer, omni humilior socco. at-

que vt natantium genus elemento suo expulsum, haud ita diu spirat in terris, ita ille marcebat absque præfecturis, quas ob iurgia * familiarum ingentium capessere cogebatur, nunquam innocentium per cupiditates immensas, vtque multa perpetrarent impune, dominum suum mergentium in rempubl. Namque farendum est, numquam illa magnanimitate coalitus clienti vel seruo agere quidquam iussit illicitum. Sed si eorum quemquam crimen vllum compererat admisisse, vel ipsa repugnante iustitia, non explorato negotio, sine respectu boni honestique defendebat. Quod vitium reprehendens pronuntiat Cicero, *Quid enim interest inter suasorem facti & probatorem? Aut quid refert virum voluerim fieri, an gaudeam factum?* Suspiciosus tamen & minutus suopte ingenio fuit, & subamarum arridens, blandiensque interdum vt noceat: (id autem perspicuum est in eiusmodi moribus malum, tum maxime quum celari posse existimatur) ita implacabilis & * diruptus vt, si lædere quemquam instituisset, nec exorari posset, nec ad ignoscendum erroribus inclinari: ideoque aures eius non erant, sed pluribus videbantur obstructæ: in summis diuitiarum & dignitatum culminibus anxius & sollicitus, ideoque semper leuibus morbis adflictus. Hæc per occitales plagas rerum series fuere gestarum. Rex vero Persidis longæuus ille Sapor, & ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarum addictus, post imperatoris Iuliani excessum, & pudendæ pacis icta fœdera, cum suis paulisper nobis visus amicus, calcata fide sub Iouiano pactorum, iniectabat Armeniæ manum, vt eam velut placitorum abolita firmitate, dicioni iúgeret suæ. Et primo per artes fallendo diuersas, nationem omnem renitentem dispendiis leuibus adflictabat, sollicitans quosdam optimatum & satrapas, alios excursibus occupans improuisis. Dein per exquisitas periuriisque mixtas illecebras captum regem ipsum Arsacem, adhibitumque in conuiuium, iussit ad latentem trahi posticam: eumque effossis oculis vinctum catenis argéteis (quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimatur esse solatium) exterminauit ad castellum Agabana nomine: vbi discrutiatus cecidit ferro pœnali. Deinde, nequid intemeratum perfidia præteriret, * Sauromace pulso quem auctoritas Romana præfecit Hiberiæ, Aspacuræ cuidam potestatem * huiusmodi detulit, gentis diademate addito, vt arbitrio se monstraret insultare nostrorum. Quibus ita studio nefando perfectis, Cylaci spadoni & Artabani, quos olim susceperat perfugas, cõmisit Armeniam: (horum alter, ante gentis præfectus, magister fuisse dicebatur armorum) iisdemque mandarat vt Artogerassam intensiore cura exscinderent, opidum muris & viribus validum, quod thesauros & vxorem cum filio Arsacis tuebatur. Inlere, vt statutum est, obsidium dures: & quoniam munimentum positum in asperitate montana, rigente tũc cælo niuibus & pruinis, adiri non poterat, eunuchus Cylaces aptusq; ad muliebria palpamenta, Artabane adsciro prope mœnia ipsa, fide non amittendæ salutis accepta, propere venit: & cum socio ad interiora susreptus vt postulauit, suadebat * minacem defensoribus & reginæ motum Saporis inclementissimi omnium lenire deditione veloci. Multis post hæc vltro

A citroque dictitatis, eiulanteque muliere truces mariti fortunas, proditionis acerrimi compulsores in misericordiam flexi mutauere consilium: & spe potiorum erecti secretis colloquiis ordinarunt, hora præstituta nocturna reclusis subito portis validam manum erumpere, vallumque hostile cædibus aggredi repentinis: vt lateant id tentantes, polliciti se prodituros. Quibus religione firmatis egressi, biduumque ad deliberandum quid capessere debrant sibi concedi clausos petisse adseuerantes, in desidiam obsessores traduxerunt: & vigiliis quibus ob securitatem altiore stertitur somno, ciuitatis aditu reserato iuuentus exsiluit velox: passibusque tusonis expeditis mucronibus repentes, quum castra nihil metuentium inuasissent, iacentes multos nullis resistentibus trucidarunt. Hæc inopina defectio necesque insperatæ Persarum, inter nos & Saporẽ discordiarum excitauere caussas inmanes: illo etiam acredente quod Arsacis

C filium Param, suadente matre, cum paucis è munimento digressum susceptumque, Imperator Valens apud Neocæsaream morari præcepit, vrbem Polemoniaci ponti notissimam, liberali victu curandum & cultu. Qua humanitate Cylaces & Artabanes illecti, missis oratoribus à Valente auxilium, eundemque Param regem sibi tribui poposcerant. Sed pro tempore adiumentis negatis, per Terentium ducem Para reducitur in Armeniam, recturus interim sine vllis insignibus

D gentem: quod ratione iusta est obseruatum, ne fracti fœderis nos argueremur & pacis. Hoc comperto textu gestorum, Sapor vltra hominem efferatus, * concitus maioribus curis Armenias aperta prædatione vastabat. Cuius aduentu territus Para, itidemque Cylaces & Artabanes, nulla circumspectantes auxilia, celsorum montium petiuere * secessus, limites nostros disterminantes & Lazicam: vbi per siluarum profunda & flexuosos colles mensibus quinque delitescentes,

E regis multiformes latere conatus. Qui operam tem frustra contemplans sidere flagrante brumali, pomiferis exustis arboribus, castellisque munitis & castris quæ ceperat superata [vel prodita,] cum omni pondere multitudinis Artogerassam circumseptam & post varios certaminum casus lassatis defensoribus patefactam, incendit, Arsacis vxorem erutam inde cum thesauris abduxit. Quas ob caussas ad eas regiones Arintheus cum exercitu mittitur comes, suppetias

F laturus Armeniis, si eos exagitare procinctu gemino tentauerint Persę. Inter quæ Sapor, immensum quantum astutus, & quum sibi conduceret, humilis aut elatus, societatis futuræ specie Param vt incuriosum sui, per latentes nuntios increpabat, quod maiestatis regiæ velamento Cylaci seruiret & Artabani. quos ille pręceps blanditiarum illecebris interfecit, capitaque cæsorum ad Saporem vt ei morigerus misit. Hac clade late diffusa Armenia

G omnis perisset, ni propugnatoris Arinthei aduentu territi Persæ eam incursare denuo distulissent, hoc solo contenti quod ad Imperatorem misere legatos, petentes nationem eamdem, vt sibi & Iouiano placuerat, non defendi. Quibus repudiatis, Sauromaces pulsus, vt ante diximus, Hiberiæ regno, cum duodecim legionibus & Terentio remittitur: & eum amni Cyro iam proximum * Aspacuras orauit vt socia potestate consobri-

consobrini regnarent, causatus ideo se nec cedere A nec ad partes posset transire Romanas, quod * Vltus eius filius obsidis lege tenebatur adhuc apud Persas. Quæ Imperator doctus, vt concitandaa ex hoc quoque negotio turbas consilio prudentiáque molliret, diuisioni adquieuit Hiberiæ: vt eam media dirimeret Cyrua, & Sauromaces Armeniis finitima retineret & Lazis, Aspacuras Albaniæ Persisque contigua. His percitus Sapor, pactis exclamans indigna, quod contra fœderum textum iuuarentur Armeniæ, & euanuerit legatio quam super hoc miserat corrigendo, quodque se non adsentiente nec conscio diuidi placuit Hiberiæ regnum, velut obseratis amicitiæ foribus, vicinarum gentium auxilia conquirebat, suumque parabat exercitum: vt serenata cæli temperie, subuerteret omnia quæ ex re sua struxere Romani.

AMMIANI MARCELLINI

RERVM GESTARVM LIBER

VIGESIMVS OCTAVVS.

DVM apud Persas (vt supra narrauimus) B perfidia regis motus agitat insperatos, & in Eois tractibus bella rediuiua consurgunt, anno sextodecimo & eo diutius post Nepotiani exitium, sæuiens per vrbem æternam vrebat cuncta Bellona, ex primordiis minimis ad clades excita luctuosas: quas obliterasset vtinam iuge silentium, ne forte paria quandoque temententur, plus exemplis generalibus nocitura quam delictis. Ac licet ab hoc textu cruento gestorum exquisite narrando, iusta me retraheret metus multa C reputantem & varia: tamen præsentis temporis modestia fretus, carptim, vt quæque memoria digna sunt, explanabo. Nec pigebit quid ex his quæ apud veteres acciderint, timuerim, docere succincte. Bello Medico primo quum diripuissent Asiam Persæ, obsidentes Miletum molibus magnis, minantesque defensoribus cruciabiles neces, iniecere clausis necessitatem: vt omnes magnitudine malorum adflicti, peremptis caritatibus propriis, proiectoque in ignem mo- D bili censu, arsuros se certatim congererent in communem pereuntis patriæ rogum. Hoc argumentum paulo postea digestum, tumore tragico Phrynicus in theatrum induxerat Athenarum: paulisperque iucunde auditus, quum cothurnatus stylus procederet lacrymosus, indignatione damnatus est populi; arbitrati, non consolandi gratia, sed probrose monendi quæ pertulerat amabilis ciuitas nullis autorum adminiculis fulta, hos quoque dolores scenicis ad- E numerasse fabulis insolenter: Miletumque relegatus est. erat enim Atheniensium colonia Miletus, deducta inter Ionas alios per Nileum filium Codri, qui fertur pro patria bello se Dorico deuouisse. Sed ad proposita veniamus. Maximinus regens quondam Romæ vicariam præfecturam, apud Sopianas Valeriæ oppidum obscurissime natus est; patre * tabulario præsidialis officij, orto à posteritate Carporum, quos antiquis excitos sedibus Diocletianus transtulit F in Pannoniam. Is post mediocre studium liberalium disciplinarum, defensionemque caussarum ignobilem, & administratas Corsicam itidemque Sardiniam, rexit deinde Tusciam. Vnde morato in itinere diutius successore, progressus ad curandam vrbis annonam, etiam prouinciæ moderamina retinebat. Egitque consideratione triplici inter exordia cautius: primo, quod recalebant in auribus eius parentis effata, quid augurales aues vel cantus monerent oscinum adprime callentis, * adusque sublimia regimenta, sed periturum ferro pœnali. dein, quod nactus hominem Sardum, quem ipse postea per dolosas fallacias interemit, vt circumtulit rumor, eliciendi animulas noxias & præsagia sollicitare laruarum perquam gnarum: dum superesset, ille timens ne proderetur, tractabilis erat & mollior. postremo, quod tamquam subterraneus serpens per humiliora reptando, nondum maiores funerum excitare poterat caussas. Principium autem vnde latius se funditabat, emersit ex negotio tali. Chilo ex vicario, & coniux eius Maxima nomine, questi apud Olybrium ea tempestate vrbi præfectum, vitamque suam venenis petitam adseuerantes, impetrarunt vt hi quos suspectati sunt, illico rapti compingerentur in vincula: organarius Sericus, & Asbolius palæstrita, & aruspex Campensis. Verum negotio tepescente propter diuturnam morborum asperitatem qua tenebatur Olybrius, moræ impatientes hi qui rem detulerunt, libello petiuerunt oblato vt examinandum iurgium præfecto mandaretur annonæ: idque studio celeritatis concessum est. Accepta igitur nocendi materia Maximinus effudit genuinam ferociam, pectori crudo adfixam: vt sæpe faciunt amphitheatrales feræ, diffractis tandem solutæ * posticis. Quumque multiformiter quasi in proludia negotium spectaretur, & quidam sulcatis lateribus nominassent nobiles aliquos, tamquam visos artificibus lædendi per clientes, aliosque humiles, * notans reos & indices, supra plantam (vt dicitur) euagatus tartareus cognitor, relatione maligna docuit principem, non nisi suppliciis acrioribus perniciosa facinora scrutari posse vel vindicari quæ Romæ perpetrauere complures. His ille cognitis efferatus, vt erat acer vitiorum inimicus magis quam seuerus, vno proloquio in huiusmodi caussas, quas arroganti proposito maiestatis imminutæ miscebat, * omnes quos iuris prisci iustitia diuorumque arbitria quæstionibus eximere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis adfligi. Vtque congeminata potestas erectaque sublatius, altiores consarcinaret ærumnas, Maximino Romæ agere disposito pro præfectis, sociauit ad hæc cognoscenda quæ in multorum pericula struebantur, Leonem

Notarium, postea officiorum magistrum, bustuarium quendam latronem Pannonium, efflantem ferino rictu crudelitatem, etiam ipsum nihilo minus humani sanguinis auidissimum. Auxit obstinatum Maximini ingenium ad lædendum, aduentus collegæ similis, & litterarum cum ampla dignitate dulcedo. Ideoque pedes huc & illuc exsultando contorquens, saltare, non incedere videbatur, dum studebat inter altaria celsius gradientes (vt quidam memorant) imitari Brachmanas. Iamque lituis cladium concrepantibus, internarum rerum atrocitate torpentibus cunctis, præter multa cruda & immitia, quorum nec diuersas comprehendi nec numerus potest, mors Marini caussarum defensoris eminuit: quem vt ausum Hispanillæ cuiusdam artibus prauis adfectasse coniugium, * transeunter indiciorum fide discussa, supplicio letali damnauit. Et quoniam existimo forsitan aliquos hæc lecturos exquisite scrutando notare, strepentes id actum esse prius, non illud, aut ea quæ viderint prætermissa: hactenus faciendum est satis, quod non omnia narratu sunt digna quæ per squalidas transiere personas: nec, si fieri fuisset necesse, instructiones vel ex ipsis tabulariis suppeterent, publicis tot calentibus malis, & nouo furore sine retinaculis imis summa miscente; quum iustitium esse, quod timebatur, non iudicium aperte constaret. Tunc Cethegus senator adulterii reus delatus, ceruice periit abscissa, & Alypius nobilis adulescens ob leuem relegatus errorem, aliique humiles publica morte oppetiuerunt: in quorum miseriis velut sui quisque discriminis imaginem cernens, tortorem & vincula somniabat, diuersoria tenebrarum. Eodem tempore etiam Hymetii præclaræ indolis viri negotium est actitatum: cuius hunc nouimus esse textum. Quum Africam pro consule regeret, Carthaginiensibus victus inopia iam lassatis, ex horreis Romano populo destinatis frumentum dedit: pauloque postea quum prouenisset segetum copia, integre sine vlla restituit mora. Verum quoniam denis modiis singulis solidis indigentibus venumdatis, emerat ipse tricenos, integrum compendium ad principis ærarium misit. Ideoque Valentinianus per nundinationem suspicatus * parum quam oportuerat missum, eum bonorum parte mulctauit. Ad cuius cladem exaggerandam, id quoque iisdem diebus acciderat non minus exitiale. Amantius aruspex ea tempestate præ ceteris notus, occultiore indicio proditus, quod ob parua quædam implenda, ad sacrificandum ab eodem esset adscitus Hymetio, inductusque in iudicium, quamquam incuruus sub eculeo staret, pertinaci negabat instantia. Quo inficiante, secretioribus chartis ab eius domo prolatis, commonitorium repertum est manu * scriptum Hymetii, petentis vt obsecrata ritu sacrorum solennium numina erga se Imperatoris delineret, cuius extima parte quædam inuectiua legebatur in principem, vt auarum & truculentum. Hæc Valentinianus relatione indicum doctus, asperius interpretantium facta, rigore nimio in negotium insistit inquiri. Et quia Frontinus consiliarius antedicti, minister fuisse conceptæ precationis arguebatur, coucisus virgis atque confessus, ablegatus est in exsilium ad Britannos: Amantius vero damnatus postea rerum capitalium, in-

A teriit. Post hanc gestorum seriem Hymetius ad opidum ductus Ocriculum, audiendus ab Ampelio vrbi præfecto & Maximino vicario, confestimque perdendus vt apparebat, data sibi copia rectius Imperatoris præsidium appellauit: nominisque eius perfugio tectus, seruabatur incolumis. Super hoc princeps consultus senatui negotium dedit. Qui cum rem liberata iustitia comperisset, eumque ad Boas Dalmariæ locum exterminasset, ægre Imperatoris iracundiam tulit, perciti B vehementer quod hominem addictum (vt ipse proposuerat) morti, clementiori sententia didicerat plexum. Ob hæc & huiusmodi multa quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. Et ne tot malis dissimulatis paulatimque serpentibus acerui crescerent ærumnarum, nobilitatis decreto legati mittuntur: Prætextatus ex vrbi præfecto, & ex vicario Venustus, & ex consulari Mineruius, oraturi ne delictis supplicia sint grandiora, * neue senator quisquam C inusitate & illicito more tormentis exponeretur. Qui quum intromissi in consistorium hæc referrent, negantem Valentinianum se id statuisse, & calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit quæstor Eupraxius. Hac libertate emendatum est crudele cœptum, supergressum omnia diritatis exempla. Circa hos dies Lollianus primæ lanuginis adulescens Lampadii filius ex præfecto, exploratius caussam Maximino spectante, conuictus codicem noxiarum D artium nondum per ætatem firmato consilio descripsisse, exsulque mittendus, vt sperabatur, patris impulsu prouocauit ad principem. Et iussus ad eius comitatum duci, de fumo (vt aiunt) in flammam, traditus Phalangio Bæticæ consulari, cecidit * funesta carnificis manu. Super his etiam Taratius Bassus, postea vrbi præfectus; & frater eius Camenius, & Marcianus quidam & Eusaphius, omnes clarissimi, arcessiti in crimen, quod eiusdem conicii veneficii aurigam E souere dicebantur Aucheoium, documentis etiam tum ambiguis, suffragante absoluti sunt Victurino, vt dispersus prodidit rumor, qui erat amicus Maximino iunctissimus. Nec minus fœminæ quoque calamitatum participes fuere similium. Nam ex hoc quoque sexu peremptæ sunt originis altæ complures, adulteriorum flagitiis obnoxiæ vel stuprorum. Inter quas notiores fuere Clarias & Flauiana: quarum altera quum duceretur ad mortem, indumento quo vestita erat abrepto, F ne velamen quidem secreto membrorum sufficiens retinere permissa est. ideoque carnifex nefas admisisse conuictus immane, viuus exustus est. Pasius quinetiam & Cornelius senatores ambo, venenorum * artibus se polluisse conuicti, eodem pronuntiante Maximino sunt interfecti. Pari forte etiam procurator monetæ exstinctus est. Sericum enim & Asbolium supradictos, quoniam quum hortaretur passim nominare quos vellent, adiecta religione firmarat, nullum igni vel ferro se puniri G iussurum, plumbi validis ictibus interemit. Et post hæc flammis Campensem aruspicem dedit, in negotio eius nullo sacramento constrictus. Oportunum est, vt arbitror, explanare nunc caussam quæ ad exitium præcipitem Aginatium impulit, iam inde à priscis maioribus nobilem, vt loquuta est pertinacior fama: nec enim super hoc vlla documentorum rata est fides. Anhelans flatu superbo Maximinus etiam tum præfectus annonæ, nactus-

oę, nactusque audaciæ iocramenta oon leuia, A tendebat adusque Probi contemptum, viri summatum omnium maximi, iureque pręfecturæ prętotianę regentis prouincias. Quod Aginatius indignissime ferens, dolensque in examinandis caussis Maximinum ab Olybrio sibi prælatum, quum esset ipse vicarius Romæ, familiari sermone docuit Probum occulte, facile vanum hominem recalcitrantem sublimibus meritis posse opprimi, si ille id fieri censuisset. Has litteras, vt quidam adseuerabant, Probus ad Maximinum, eru- B ditiorem iam in sceleribus, commendatumque principi pertimescens, nullo conscio præter balulum misit. Hisque recitatis ita homo ferus exarsit, vt machinas omnes in Aginatium deinde commoueret, velut serpens vulnere noti cuiusdam adtritus. Accessit his alia potior insidiarum materia, quæ eumdem Aginatium obruit. Victorinū enim defunctum insimulabat, vt Maximini actus, dum superat, venditantem: cuius ex testamento legata ipse sumpserat non aspernanda. Parique C petulantia Anepsiæ quoque eius vxori lites minabatur & iurgia. Quę hęc metuens, vt Maximini etiam muniretur auxilio, finxit maritum in voluntate quam condiderat nuper, argenti tria millia pondo eidem reliquisse. Qui auiditate nimia flagrans, (nec enim hoc quoque vitio caruit) petit hereditatis medietatem. Verum & hoc vt parum sufficienti nequaquam contentus, aliud commentus est (vt arbitrabatur) honestum & tutum: & ne amitteret ansam sibi oblatam lucran- D di vberis patrimonii, Victorini priuignam Anepsiæ filiam petit filio coniugem: idque adsentiente muliere prompte firmatum est. Per hæc & alia simili mœrore deflenda, quæ decolorabant speciem vrbis æternę, grassabatur per strages multiplices fortunarum homo cum gemitu nominandus, vltra forenses terminos semet extentans. Námque & resticulam de fenestra prætorii quadam remota dicitur semper habuisse suspensam, cuius summitas quamdam velut * tamulam colligaret, E nullis quidem indiciis fulta, sed nocitura insontibus multis: & Mucianum Barbarumque apparitores aliquotiens discretim trudi iubebat ad fallendum aptissimos. Hi tanquam ciulando casus, quibus se simulabant oppressos, iudicis exaggerantes crudelitatem, remedium nullum aliud reis ad obtinendam vitam superesse eadem replicando sæpe adseuerabant, ni criminibus magnis petissent nobiles viros, quibus ad sui societatem adnexis, facile eos absolui posse firmabant. Ob quæ F impia, vilitate vltra adposita iam pergente, manus vinculis sunt artatæ complurium, ortuque nobiles inculti videbantur & anxii. Nec eorum culpari quisquam debuit, quum salutantes humum pene curuatis contingentibus membris, persæpe clamantem audirent spiritus ferini latronem, nullum se inuito reperiri posse insontem. Quę verba effectui propere iuncta, terruissent profecto Numæ Pompilii similes & Catonem. Prorsus enim sic agebatur vt nec in a- G lienis malis quorumdam exarescereot lacrymæ: quod in variis & confragosis actibus vitę plerumque contingit. A iure tameo iustitiaqoe crebro discedens ferreus cognitor, erat vno quasi pręcipuo tolerabilis. Interdum enim exoratus parcebat aliquibus: quod prope vitium esse in hoc loco legitur apud Tullium. Nam si implacabiles iracundiæ sunt, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa * læuitas: quæ tamen, vt in malis, acerbitati anteponenda est. Post hæc * progresso Leone, acceptoque successore, ad principis comitatum Maximinus accitus, auctusque præfectura prætoriaoa, nihilo lenior fuit, etiam longius nocens, vt basilisci serpentes. In id tempus, aut non multo prius, scopæ florere sunt visæ quibus nobilitatis curia mundabatur. idqoe portendebat extollendos quosdam despicatissimæ sortis ad gradus potestatum excelsos. Et quamlibet tempestiuum est ad ordinem redire cœptorum, tamen nihil impediturl temporum cursus, immorabimur paucis, quæ per iniquitatem curantium vicariam præfecturam in vrbe contra quam oportuerat gesta sunt: quæ ad nutum Maximini & voluntatem iisdem ministris velut apparitoribus gerebantur. Post hunc venit Vrsicinus ad mitiora propensior: qui quoniam cautus esse voluit & ciuilis, retulerat Esaiam cum aliis ob commissum adulterium in Rufinam detentis, Marcellum maritum eius ex agente in rebus reum imminutæ maiestatis deferre coactis: ideoque vt cunctator contemptus, & ad hæc fortiter exsequenda parum conueniens, è vicaria potestate discessit. Huic successit Hemonensis Simplicius, Maximini consiliarius ex grammatico, post administratam, nec erectus nec tumidus, sed obliquo adspectu terribilis: qui compositis ad modestiam verbis, acerba meditabatur in multos. Et primo Rufinam cum vniuersis auctoribus adulterii commissi vel consciis interfecerit, super quibus Vrsicinum retolisse prædiximus: alias deinde complures, nullo noxiorum discrimine vel insontium. In cruento enim certamine cum Maximino velut antepilano suo cōtendens, superare eum in succidendis familiarum nobilium neruis studebat, Busirim veterem & Antæum imitatus & Phalarim, vt taurus solus deesse videretur Agrigentinus. His in hunc modum ac talibus exactis, Hesychia quædam matrona, ob intentatum crimen in domo apparitoris, cui custodienda est tradita, multa pertimescens & sæua, fulcro plumeo vultu contracto incubuit, & animam occluso narium spirameoto effudit. Adiūctum est his aliod haud mitius malum. Eumenius enim & Abienus ambo ex cœtu amplissimo, infamati sub Maximino in Fausianam fœminam oon obscuram, post Victorini obitum, qoo iuuante vixere securius, Simplicii aduento perterrefacti, non secos volentis magna cum minis, ad secreta receptacula se contulerunt. Sed Fausiana damnata inter reos recepti vocatique edictis, semet abstrusius amandarunt. quorum Abienus apud Anepsiam diu delitescebat. Sed (vt solent insperati casus adgrauare miserabiles clades.) Apandulos nomine seruus Anepsiæ, verberatæ coniugis dolore perculsus, negotium ad Simplicium detulit nocte progressus: missique apparitores indicatos è latebris abstraxeruot. Et Abienus quidem exaggerato crimine stupri quod intulisse dicebatur Anepsiæ, morte mulctatus est: mulier vero, vt cōtinēdę vitę spē firmā dilato posset habere supplicio, adpetitā se nefariis artib. vim in domo Aginatii perpessam adseuerauit. Hęc vt gesta sunt, mugitus ad princip Simplicius reddidit: agēsque ibi Maximinus, infestus ob caussam quam supra docuimus Aginatio, simultate vos cum potestate in maius accensa

orauit impense vt rescriberetur eum occidi: & im petrauit facile male fanus incitator & potens: metuensque grauioris inuidię pondus, ne pronunciante Simplicio & consiliario suo & amico periret homo patriciæ stirpis, retinuit apud se paulisper imperiale præceptum: hærens & ambigens quemnam potissimum exsecutorum atrocis rei fidum inueniret & efficacem. Tandemque, vt solent pares facile congregari cū paribus, Doryphorianus quidam reperius est Gallus, audax adusque insaniam: cui hanc operam implere breui pollicito, deferri prouidit vicariam, & commonitorium cum Augusti litteris tradidit: instruens hominem fæuum quidem sed rudem, qua celeritate Aginatium sine vllo deleret obstaculo, dilatione qualibet inuenta forsitan euasurum. Festinauit vt mandatum est Doryphorianus magnis itineribus Romam, & inter salutandi initia magna quæritabat industria qua vi senatorem perspicui generis interficeret, iuuantibus * nonnullis. Cognitoque eum iampridem repertum in villa propria, vultu diro ipse tanquam caput fontium Anepsiam per horrorem tenebrarum audixe disposuit: quo tempore hebetari solent obstrictę terroribus mentes, vt inter innumera mulia Aiax quoque Homericus docet, optans perire potius luce quam pati formidinis augmenta nocturnę. Et quoniam iudex, quinimmo prædo nefandus, ad id solum quod promisit intentus, cuncta extollebat in maius, iusso Agluatio flatui, agmina fecit introire carnificum: catenisque sonantibus triste, mancipia, squalore diuturno marcentia in domini caput adusque vltimum lacerabat exitium: quod in stupri quæstione fieri vetuere clementissimæ leges. Denique quum iam contigua morti tormenta ancillę voces expressissent obliquas, indicii fide per eam plene discussa, Aginatium ad supplicium duci pronunciatum abrupte, nec auditus, quum magnis clamoribus appellaret nomina principum, sublimis raptus occiditur: pari sententia Anepsia interfecta. Hæc agitante quum adesset, perque emissarios quum procul ageret Maximinus, funera deplorauit vrbs æterna. Sed accelerarunt vltrices diræ cæforum. Namque, vt postea tempestiue dicetur, & idem Maximinus sub Gratiano intolerenter se efferens, damnatorio iugulatus est ferro: & Simplicius in Illyrico trucidatus: & Doryphorianum, pronuntiatum capitis reum trusumque in carcere Tulliano, matris consilio princeps exinde rapuit: reuersumque ad lares in Galliis per cruciatus oppressit immensos. Sed iam vnde huc fleximus reuertamur. Is vrbanarum rerum status, vt ita dixerim, fuit. At Valētinianus magna animo cōcipiens & vtilia, Rhenum omnem à Rhetiarum exordio aduque fretalem Oceanum, magnis molibus cōmuniebat, castra extollens altius & castella turresque adsiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam vltra flumen ædificiis positis subradens barbaros fines. Denique quum reputaret munimentum celsum & tutum, quod ipse à primis fundarat auspiciis, præterlabente Nicro nomine fluuio, paulatim subuerti posse vndarum pulsu immani, meatum ipsum aliorsum vertere cogitauit: & quæsitis artificibus peritis aquariæ rei, copiosaque militis manu, arduum est opus adgressus. Permultos enim dies compaginatæ formę e roboribus coniectęque in alueum, fixis refixis-

A que aliquotiens prope ingentibus stylis, fluctibus erectis * confundebantur, auulsæque vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura & morigeri militis labor, mento tenus, dum * operaretur, sæpe demersi. Tandemque non sine quorumdam discrimine, castra præsidiaria inquietudine errantis ingentis amnis exempta, nunc valida sunt. Ac talib. lætus exsultansque, pro anni & temporis statu dilapsa conducens, reipublicæ curam habuit, vt officio princi-
B pis congruebat. Ratusque aptissimum ad id quod deliberabat implendum, trans Rhenum in monte Piri (qui barbaricus locus est) munimentum extruere disposuit raptim. vtque celeritas effectum negotii faceret tutum, per Syagrium, tunc notarium, postea præfectum & consulem, Aratorem monuit ducem, vt dum vndique * actum esset silentium, id arripere conaretur. Transiit cum notario dux, vt iussum est, statim: ponereque per militem quem duxit, fundamenta exorsus, Her-
C morgenem suscepetat successorem. Eodemque puncto quidam optimates Alemanni venere obsides Imperatoris, quos lege fœderis mansuræque diutius pacis haud aspernanda pignora tenebamus: qui flexis poplitibus supplicabant ne Romani securitatis improuidi, quorum fortunam sempiterna fides cœlo contiguam fecit, prauo deciperentur errore, pactisque calcatis rem adoriren-
D tur indignam. Verum hæc & similia loquentes incassum, quum nec audirentur nec aliquid mite referri fentirent, filiorum flentes exitium discesserunt. Iisdemque digressis, ex abdito collis propinqui barbaricus prosiluit globus, optimatibus danda responsa (vt intelligi dabatur) opperiens: aggressique milites seminudos, humum etiam tū gestantes, expediti agiliter gladiis obtruncabant. Inter quos etiam duces ambo sunt cæsi. nec indicaturus gesta superfuit quisquam præter Syagrium: qui deletis omnibus ad comitatum reuer-
E sus, irati sententia principis sacramento exutus abiit ad lares; commeruisse fæuo indicatus arbitrio quod euaserit solus. Hæc inter, per Gallias latrociniorum rabies fæua scatebat in perniciem multorum, obseruans celebres vias, fundensque indubitanter quidquid inciderat fructus. Denique præter complures alios quos absumpserunt insidiæ tales, Constantianus tribunus stabuli impetu est clandestino exceptus, moxque interfectus, Valentiniani adfinis, Cerealis & Iustinę
F germanus. At procul, tanquam horum similes, agitantibus furiis per omne latus Maratocupreni grassatores acerrimi vagabantur, vici huius nomine incolę in Syria prope Apamiam positi, nimium quantum numero & exquisitis fallaciis abundantes: ideoque formidati, quod mercatorum militumque * honoratorum specie sine vllo discrimine domos & villas & opida peruadebant: nec quisquam aduentum eorum cauere poterat inopinum, non destinata sed varia petentium & longinqua, & quoquo ventus duxerat irrumpen-
G tium. Quam ob caussam pręcęteris hostibus Saxones timentur, vt repentini. Et quamlibet coniuratis multorum opes attribuerentur, tamen œstro concepti furoris exagitati, cędes dedere luctificas, sanguini nihilo minus auidi quam prædarum. Sed ne per minutias gesta narrando, operis impediam cursum, id vnum sufficiet eorum exitiale poni commercium. Quæsitus in vnum impiorum hominum globus, imitatus rationalis officium

officium ipsumque iudicem, vespertinis tenebris lugubre clamante præcone ciuitatem ingressi, ambitiosam domum cuiusdam primatis, vt proscripti iussique interfici, cum gladiis obsederunt: raptaque supellectili pretiosa, quia subito perculsi familiares hebetatis sensibus non defenderant dominum, cæsis pluribus ante reuolutam lucem gressu discessere veloci. Verum quum exuuiis repleti multorum, patandi dulcedine nihil prætermitterent, intercepti imperiali motu oppressi interiere omnes ad vnum: eorumque soboles parua etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sorte deleta est, laresque euersi, quos ambitiose luctuosis, aliorum dispendiis exstruxerant. Et hæc quidem textu procedente narrato. Theodosius vero dux nominis inclyti, *animo vigore collecto ab Augusta profectus, quam veteres appellauere Lundinium, cum milite industria comparato solerti, versis turbatisque Britannorum fortunis opem maximam tulit, oportuna vbique ad insidiandum barbaris præueniens loca, nihilque gregariis imperans cuius non ipse primitias alacri capesseret mente. Hocque genere quum strenui militis munia & præclari ducis curas expleret, fusis variis gentibus & fugatis, quas insolentia *nutriente securitate adgredi Romanas res inflammabat, in integrum restituit ciuitates & castra, multiplicibus quidem damnis adfectas, quiete temporis longi fundata. Euenerat autem eodem hæc agente facinus dirum, eruptutum in periculum graue, ni inter ipsa conatus principia fuisset extinctum. Valentinianus quidam in Valeria Pannonia, superbi spiritus homo, Maximini illius exitialis vicarii postea præfecti coniugis frater, ob graue crimen actus in Britannias exsul, quietis impatiens malefica bestia, ad res perniciosas consurgebat & nouas in Theodosium, tumore quodam, quem solum resistere posse nefandis cogitationibus aduertebat. Multa tamen clam palamque circumspiciens, crescente flatu cupiditatis immensæ, exsules sollicitabat & milites, pro temporis captu ausorum illecebras pollicendo mercedes. Iamque propinquante temptatorum effectu, doctus hæc vnde conuenerat dux alacrior ad audendum, & corde celso ad vindictam compertorum erectus, Valentinum quidem cum paucis arta societate iunctissimis, letali pœna plectendos Dulcitio dederat duci: militari vero scientia qua superabat præsentes, futura coniciens, de coniuratis quæstiones agitari prohibuit, ne formidine sparsa per multos, reuiuiscerent prouinciarum turbines compositi. Hinc ad corrigenda plura conuersus & necessaria, periculo penitus dempto, quum aperte constaret nulla eius cœpta propitiam deseruisse fortunam, instaurabat vrbes & præsidiaria (vt diximus) castra, limitesque vigiliis tuebatur & prætenturis: recuperatamque prouinciam quæ in dicionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino, vt eodem referente & rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio principis. *Areanos, genus hominum à veteribus institutum, super quibus aliqua in actibus Constantis retulimus, paulatim prolapsos in vitia, à stationibus suis remouit, aperte conuictos, acceptorum promissorumque magnitudine præmiorum allectos, quæ apud nos agebantur, aliquotiens barbaris prodi-

A disse. Id enim illis erat officium, vt vltro citroque per longa spatia discurrentes, vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent. Ita spectatissime antedictis rebus aliisque administratis similibus, ad comitatum accitus tripudiantesque relinquens prouincias, vt Furius Camillus vel Cursor Papirius, victoriis crebris & salutaribus erat insignis. Et fauore omnium adusque fretum deductus, leni vento transgressus, venit ad commilitium principis. Cumque gaudio susceptus

B & laudibus, in locum Valentis Iouini successit, qui equorum copias tuebatur. Diu multumque à negotiis digressus vrbanis, adigente cumulo foris gestorum, ad ea strictim exsequenda regrediar, exorsus ab Olybrii præfectura tranquilla nimis & leni. qui numquam ab humanitatis statu deiectus, sollicitus erat & anxius ne quod vsquam factum eius asperum inueniretur aut dictum: calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra vnde poterat circumcidens, iustorumque

C que distinctor & arbiter *plenus, in subiectis admodum temperatus. Sed obnubilabat hæc omnia vitium, parum quidem nocens [rei communi,] sed in alto iudice maculosum, quod citeriorem vitam pene omnem vergentem in luxum, per argumenta scenica amoresque peregerat, nec vetitos nec incestos. Post hunc vrbem rexit Ampelius, cupidus ipse quoque voluptatum, Antiochiæ genitus, ex magistro officiorum ad proconsulatum geminum, in-

D deque multo postea ad præfecturæ culmen euectus, lætus alias & ad populi fauorem adipiscendum aptissimus, nonnumquam tamen rigidus, atque vtinam in proposito perseuerans. Correxisset enim ex parte, licet exigua, irritamenta gulæ & ganeas tetras, ni flexus in molliora, amisisset gloriam diu victuram. Namque statuerat ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, ne ve aquam vulgarium calefaceret quisquam, vel *vsque ad præstitutum diei spatium lixæ coctam

E proponerent carnem, vel honestus quidam mandens videretur in publico. Quæ probra aliaque his maiora, dissimulatione iugi neglecta, ita effrenatius exarserunt, vt nec Epimenides ille Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus redisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam. Tanta plerosque labes insanabilium flagitiorum oppressit. Et primum nobilitatis, vt aliquotiens pro locorum copia fecimus, dein plebis digeremus errata, incidentia veloci constrin-

F gentes excessu. Prænominum claritudine conspicui quidam, vt putant, in immensum semet extollunt, quum Reburri & *Flabunii & Pagonii Gerionesque appellentur ac Dalii, cum Tarraciis & Perrasiis, aliisque ita decens sonantibus originum insignibus multis. Nonnullos fulgentes sericis indumentis, vt ducendos ad mortem, vel (vt sine diritate ominis loquamur) prægresso exercitu arma cogentes, manipulatim concitato fragore sequitur multitudo seruorum. Tales, v-

G bi comitantibus singulos quinquaginta ministris, tholos introierint balnearum, vbiubi sunt minaciter clamantes, si apparuisse subito ignotam compererint meretricem, aut oppidanæ quondam prostibulum plebis, vel meritorii corporis veterem lupam, certatim concurrunt, palpantesque aduenam deformitate magna blanditiarum ita extollunt vt Semiramin Parthi, vel Cleopatram Ægyptus, aut Artemisiam Cares, vel Ze-

nobiam Palmyreni. Et hæc admittunt hi quocum apud maiores censoria nota adflictus est senator, ausus, dum adhuc non decerer, præsente communi filia coniugem osculari. Ex his quidam quum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suauianda vel manus, id illis sufficere ad beate viuendum existimantes, & abundare omni humanitatis culru peregrinum, cuius forte etiam gratia sunt obligati, interrogatum quibus thermis vtatur, aut aquis, aut ad quam successerit domum. Et quum ita graues sint & cultores virtutum, vt putant, si venturos vndelibet equos aut aurigas quemdam didicerint nuntiasse, ita imminent & percunctantur, vt Tyndaridas fratres, eorum suspexere maiores, quum priscis illis victoriis indicatis gaudio cuncta complescent. Horum domus otiosi quidam garruli frequentant, variis adsentandi figmentis, ad singula * altioris fortunæ verba laudantes, parasitorum in comœdiis . . . etas adsectando. Vt enim illi sufflant milites gloriosos, obsidiones vrbium & pugnas & milia hostium iisdem vt heroicis æmulis adsignantes, ita hi quoque columnarum constructiones alta fronte suspensas mirando, atque parietes lapidum circumspectis coloribus nitidos vltra mortalitatem nobiles viros extollunt. Poscuntur etiam in conuiuiis aliquotiens trutinæ, vt adpositi piscea & volucres ponderentur & glires. Quorum magnitudo sæpius delicata non sine tædio præsentium, vt antehac inusitata laudatur adsidue: maxime quum hæc eadem numerantes notarii prope triginta adsistant cum thecis & pugillaribus tabulis: vt deesse solus magister ludi litterarii * videretur. Quidam detestantes vt venena doctrinas, Iuuenalem & Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes: quam ob caussam, non iudicioli est nostri: quum multa & varia pro amplitudine gloriarum & generum lectitare deberent, audientes destinatum pœnæ Socratem, coniectumque in carcerem, rogasse quemdam scite lyrici carmen Stesichori modulantem, vt doceretur id agere dum liceret: interroganteque musico, quid ei poterit hoc prodesse morituro postridie, respondisse, vt aliquid sciens amplius è vita discedat. Ita autem pauci sunt inter eos seueri vindices delictorum, vt si aquam calidam tardius attulerit seruus, trecentis adfligi verberibus iubeatur: si hominem sponte occiderit propria, instantibus plurimis vt damnetur, vnus dominus hactenus exclamat, *Quid faciat mantosus & nequam?* * Ciuilitatis autem hoc apud eos est nunc, quod expedit peregrinoa iure interficere, quibus libet, quamquam rogatis ad conuiuium, excusare. Defectum enim patrimonii se perpeti senator existimat, si is defuerit quem aliquotiens libratis senteotiis inuitauerit semel. Pars eorum si agros visuri processerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri magni itinera se putant æquiparasse vel Cæsaris: aut si à lacu Auerni lembis inuecti sunt pictis Puteolos vel Caietam, maxime quum id vaporato audeant tempore: vbi si inter aurata flabella laciniis sericis * insiderint muscæ, vel per foramen vmbraculi pensilis radiolus inruperit so-

A lis, queruntur quod non sunt apud Cimmerios nati. Dein quum à Siluani lauacro vel Mammææ aquis ventitant sospitalibus, vt quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solitis * pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quę vna portantur sufficientes * ad induendos homines vndecim: tandemque electis aliquot inuolutus, receptis annulis, quos, ne violentur humoribus, famulo tradiderat, digitis vt metatis abit. * Quidam ex his, licet rari,
B aleatorum vocabulum declinantes, ideoque se cupientes appellari tesserarios: inter quos tantum differt quantum inter fures & latrones. Hoc tamen fatendum est, quod quum omnes amicitiæ Romę tepescant, aleariæ solę quasi gloriosis quęsitæ sudoribus, sociales sunt, & adfectu nimio firmitate plena connexæ. Vnde quidam ex his gregibus inueniuntur ita concordes, vt quis illos esse existimet fratres. Ideoque videre licet ignobilem, artis tesserariæ callentem arcana, vt Cato-
C nem Porcium ob repulsam præturæ nec suspectam antea nec speratam, incedere grauitate composita mœstiorem, quod ei in maiore conuiuio vel concessu proconsularis quidam est antelatus. Subsident aliqui curiosos homines, senes aut iuuenes, orbos vel cælibes, aut etiam vxores habentes & liberos, (nec enim in hoc titulo discrimen aliquod obseruatur) ad voluntates condendas allicientes eos technis miris: qui quum supremis iudiciis ordinatis, quæ habebant reliquerint
D his quibus morem gerendo testati sunt, ilico pereunt. Alius, cum dignitate licet, ceruice rumida gradiens, notos antica obliquato contuetur adspectu, vt post captas Syracusas existimes reuerti M. Marcellum. Multi apud eos negant esse superas potestates in cælo: nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lauari arbitrantur se cautius posse, antequam ephemeride scrupulose sciscitata didicerint, vbi sit verbi gratia signum Mercurii, vel quotam cancri sideris partem
E polum discurrens obtineat luna. Alius si creditorem suum flagitare molestius adueterit debitum, ad aurigam confugit audentem omnia præfidenter, eumque vt veneficum curat vrgeri. vnde nonnisi reddita cautione, dispendioque adflictus graui, discedit. Et additur huic, debitorem voluntarium includit vt proprium, nec ante eius professionem absoluit. Parte alia vxor, (vt prouerbium loquitur vetus) eamdem incudem diu noctuque tunden-
F do, maritum testari compellit: hocque idem vt faciat vxor, vrget maritus instanter: & periti iuris alti insecus adsciscuntur, vnus in cubiculo, alter eius æmulus in triclinio, repugnantia tractaturi: iisdemque subseruntur genitalium exiorum interpretes controuersi, hinc præfecturas profusius largientes & sepulturas diuitum matronarum, inde ad exsequias virorum fœminas iouitantes, necessaria parari oportere inouentes. * Nec in rebus humanis quidquam bonum no-
G cunt nisi quod fructuosum. Sic amicos tamquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus se sperant maximum fructum esse capturos. Quumque mutuum illi quid petunt, * soccos & Mitiones videbis & Lachetas: quum adiguntur vt reddant, ita cothurnatos & turgidos vt Heraclidas illos Cresphontem & Temenum putes. Hactenus de senatu: nunc ad otiosam plebem veniamus & desidem: in qua nitent & nominibus

minibus cultis quidam calceorum expertes, Cimessores, Statarii, Semicupæ & Serapini, & Cicimbricus cum Gluturino & Trulla, & Lucanicus cum Pordaca & Salsula, similesque innumeri. Hi omne quod viuunt, vino & tesseris impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis: eisque templum & habitaculum & concio & spes omnis, circus est maximus. Et videre licet per fora & compita & plateas & conuenticula circulos multos collectos in se controuersis iurgiis ferri, aliis aliud, vt fit, defendentibus. Inter quos hi qui ad satietatem vixerunt, potiores auctoritate longæua, per canos & rugas clamitant sæpe, rempublicam stare non posse, si futura concertatione quem quisque vindicat, carceribus non exilierit princeps, * & circumflexerit metam. Exoptato die equestrium ludorum illucescente, nondum solis puro iubare, fusius omnes festinant præcipites, vt velocitate currus ipsos anteeant certaturos. Super quorum euentu discissis votorum studiis, ansii plurimi agunt peruigiles noctes. Vnde si ad theatralem ventum fuerit vilitatem, artifices scenarii per sibilus exploduntur, si qui sibi ære humiliorem non conciliauerit plebem. Cui si defuerit strepitus, ad imitationem Tauricæ gentis peregrinos vociferantur pelli debere, (quorum subsidiis semper nisi sunt ac steterunt) & tetris vocibus & absurdis, quæ longe abhorrent à studiis & voluntate veteris illius plebis, cuius multa facete dicta memoria loquitur & venusta. Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore, per applicatos homines ad loquendum, vt in omni spectaculo, * exodiario, venatori, aurigæ, & histrionum generi omni, & iudicibus * celsis itidemque minoribus: nec non etiam matronis clametur assidue, *Per te ille discat*: quid autem debeat disci, nemo sufficit explanare. In his plerique distentioribus saginis addicti, præeunte nidoris indagine acutisque vocibus fœminarum, à gallicinus ipsis, in modum * pauonum inanitate clangentium, bonum summis pedum vnguibus contingentes aulis assistunt, digitos præroden tes dum patinæ defrueſcunt: alii nauseam horridæ carnis, dum excoquitur intentius, despectantes: vt dissectarum pecudum exta rimari cum anatomicis Democritum putes, docentem quibus modis posteritas mederi doloribus possit internis. Sit satis interim hæc digessisse super rebus vrbanis: nunc redeamus ad cetera quæ per prouincias agitauere multiplices casus. Erupit Augustis * ter coss. Saxonum multitudo: & oceani difficultatibus permeatis, Romanum limitem gradu petebat intento, sæpe nostrorum funeribus pasta. Cuius eruptionis primæ procellam Nannenus sustinuit comes regionibus iisdem adpositus, diuturno bellorum labore compertus. Sed tunc ad mortem destinatæ plebi congressus, quum milites quosdam ruisse & se vulneratum imparem fore certaminibus aduerteret crebris, docto Imperatore quid agi deberet, Id est adeptus vt peditum magister Seuerus opitulatum rebus dubiis adueniret. Qui ducens militem satis sufficientem, quum venisset ad loca, discriminans ordinibus barbaros ante colluctationem adeo terruit & turbauit, vt nec controuersas opponerent manus, sed signorum aquilarumque fulgore præstricti, venialem poscerent pa-

A cem. Diuque variatis consiliis, quum id reipublicæ conducere videretur, pactis induciis, & datis ex conditione proposita iuuenibus multis habilibus ad militiam, discedere permissi sunt Saxones sine impedimento vnde venerant reuersuri. Quibus omni iam formidine vacuis reditumque parantibus, occulte pedites missi insidias in abdita quadam valle struxerunt, vnde prætereuntes adgredi negotio poterant leui. Sed longe secus accidit quam sperabatur. Sonitu enim aduen-
B tantium perciti exsiluere quidam intempestiue: visique subito, dum se firmare festinant, vlulantibus lugubre barbaris vertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati: extremaque sorte vires, licet non integras, suggerente, confligere cogebantur: multaque cæde perculsi concidissent nullo relicto, ni cataphractorum equitum cuneus, ad inferendum periculum transeuntibus barbaris ex alio latere prope diuortium itineris pari modo locatus, cla-
C more percitus tristi agiliter subuenisset. Exin concursum infestius: firmatisque pectoribus hinc inde incumbentes Romani, clausos hostes eductis gladiis obtruncabant: nec quisquam eorum genitales reuisere potuit lares, ne vno quidem cædibus concorporalium superesse permisso. Ac licet iustus quidam arbiter rerum incusabit perfidum & deforme, pensato tamen negotio non feret indigne, manum latronum exitialem tandem copia data ca-
D ptam. Post hæc ita prospere consummata, Valentinianus versando sententias multiformes, anxia sollicitudine stringebatur: reputans multa & circumspiciens quibus commentis Alamannorum & Macriani regis frangeret fastus, sine fine vel modo rem Romanam inquietis motibus confundentes. Immanis enim natio, iam inde ab incunabulis primis varietate casuum imminuta, ita sæpius adolescit, vt fuisse longis seculis æstimetur intacta. Seditq; consilia alia post
E alia Imperatori probanti, Burgundios in eorum excitari perniciem, bellicosos & turbæ immensæ viribus adfluentes, ideoque metuendos finitimis vniuersis. Scribebatque frequenter ad eorum reges per taciturnos quosdam & fidos, vt iisdem tempore præstituto superuenirent; pollicitus ipse quoque, transito cum agminibus Romanis Rheno, occurrere pauidis, pondus armorum vitantibus insperatum. Gratanter ratione gemina principis acce-
F ptæ sunt litteræ: prima, quod iam inde temporibus priscis, sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt: dein, quod salinarum finiumque caussa Alemannis sæpe iurgabant, * cateruas misere lectissimas, quæ antequam miles congregaretur in vnum, adusque ripas Rheni progressæ, Imperatore ad extruenda monimenta districto, terrori nostris fuere vel maximo. Igitur paulisper morati, quum neque Valentinianus, vt spoponderat, die prædicto venisset, nec
G promissorum aliquid aduertetent factum, ad comitatum misere legatos, poscentes adminicula sibi dari redituris ad sua, ne nuda hostibus exponerent terga. Quod vbi negari per ambages sentirent, & moras necti, exinde discesserunt indignati. Hocque comperto reges, vt ludibrio habiti sæuientes, captiuis omnibus interfectis genitales repetunt terras. Apud hos generali nomine rex appellatur Hendinos, & ritu vete-

ri potestate deposita remouetur, si sub eo fortuna titubauerit belli, vel segetum copiam negauerit terra: quemadmodum solent Ægyptii casus eiusmodi adsignare rectoribus. Nam sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinistus: & est perpetuus, obnoxius discriminibus nullis vt reges. Per hanc occasionem impendio tempestiuam, Alemannos gentis antedictæ metu dispersos aggressus per Rhætias Theodosius ea tempestate magister equitum, pluribus cæsis quoscunque cepit, ad Italiam iussu principis misit: vbi fertilibus * agris acceptis iam tributarii circumcolunt Padum. Hinc tamquam in orbem migrantes alium, ad Tripoleos Africanæ prouinciæ veniamus ærumnas, quas (vt arbitror) Iustitia quoque ipsa defleuit: quæ vnde instar exarsere flammarum, textus aperiet absolutus. Austuriani his contermini partibus barbari, in discursus semper expediti veloces, viuereque adsueti rapinis & cædibus, paulisper pacati, in genuinos turbines reuoluti sunt, hanc causam prætendentes vt feriam. Stachao quidam nomine, popularis eorum, nostra peragrando licentius, agebat quædam vetita legibus: inter quæ illud potius eminebat, quod prouinciam omni fallaciarum via prodere conabatur, vt indicia docuere verissima: quocirca supplicio flammarum absumptus est. Huius necem vlcisci, vt propinqui damnatique iniuste, caussantes, ferarum similes rabie concitatum exsiluere sedibus suis, Iouiano etiamtum imperante: veritique prope Leptim accedere, ciuitatem muris & populo validam, suburbano eius vberrimo insidere per triduum. Mactatisque agrestibus, quos inopinus hebetauerat pauor, vel confugere coegerat ad speluncas, incensa supellectili multa, quæ vehi non poterat, aucti rapinis reuerterunt ingentibus, trahentes captiuum Siluam quoque casu in agro inuentum, ordinis sui primatem. Hac subita clade Leptitani perterriti, ante incrementa malorum quæ intentabat barbaricus tumor, præsidium implorauere Romani comitis per Africam recens prouecti. Qui quum venisset militares copias ducens, ferreque opem rebus rogaretur adflictis, nonnisi abundanti commeatu adgesto, & camelorum quatuor milibus apparatis, castra firmabat esse moturum. Hoc responso miserandis ciuibus stupefactis, atque negantibus sufficere se posse post vastationes & incendia enormibus instrumentis remedia quærere damnorum immanium, dissimulanter diebus ibi quadraginta consumptis, nullo tentato idem discesserat comes. Qua spe Tripolitani frustrati, formidantesque extrema, adlapso legitimo die concilii, quod apud eos est annuum, Seuerum & Flaccianum creauere legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias oblaturos, * vtque lacrymosas prouinciæ ruinas docerent intrepide. Quibus compertis Romanus, misso equite velocissimo, magistrum officiorum petit Remigium, affinem suum vel rapinarum participem, vt prouideret Imperatoris arbitrio cognitionem huius negotii vicario sibi deferri. Venerunt in comitatum legati: aditoque principe, verbis quæ perpessi sunt ostenderunt: obtulerunt decreta, textu continentia rei totius. Quibus lectis, quum neque relationi officiorum magistri fauentis Romani flagitiis, nec contraria referentibus crederetur, promissa disceptatio plena,

A dilata est en more quo solent inter potiorum occupationes ludi potestatis excelsæ. Quum remedia quædam à commilitio principis exspectantur, suspensis Tripolitanis diuque anxiis, rursus globi superuenere barbarici, fiducia sublati præteritorum: Leptitanoque agro & * OEenti internecIua populatione tranculsis, expleti prædarum aceruis ingentibus abscesserunt, occisis decurionibus multis: inter quos * Rusticanus sacerdotalis, & Nicasius eminebat ædilis. Hæc autem eruB ptio ideo arceri non potuit, quod ad legatorum preces negotiorum quoque militarium cura præsidi delata Ruricio, mox translata est ad Romanum. Et iam recens inflictæ cladis nuntius, missus ad Gallias, excitauit acrius principem. Ideoque tribunus & notarius Palladius mittitur: vt & militi disperso per Africam præberet stipendium debitum, & gesta per Tripolim fide congrua scrutaretur. Inter tales tamen consulendi moras exspectandique responsa, AusturiaC ni successu gemino insolentes, vt rapaces alites aduolarunt, irritamento sanguinis atrocius efferatæ: cunctisque, nisi quos fuga discriminibus eximeret, interemptis, prædas quas antehac reliquerant auexerunt, arboribus excisis & vitibus. Tunc Mychon quidam nobilis oppidanus & potens, captus in suburbano, lapsusque antequam vinciretur, quia pedibus æger euadere penitus vetabatur, in puteum aquis vacuum sese coniecit. Vnde costa diffracta leuatus à barD baris, ductusque prope portas, coniugis miseratione redemptus est: & ad pinnas muri tunc subiatus, post biduum interiit. Vnde elati in pertinaciam sæuissimi grassatores, ipsa pulsauere mœnia Leptitana, funestis plangoribus resonantia fœminarum: quas numquam antea hostiliter clausas pauor exanimabat insolitus. Obsessaque vrbe per octo continuos dies, quum quidam oppugnatores sine vllo vulnerarentur effectu, redierunt ad propria tristiores. Ob quæ super salute E dubii ciues, vltimaque tentantes, profectis ante legatis nondum reuersis, Iouinum mittunt atque Pancratium, quæ viderint, quæque ipsi perpessi sint, Imperatorem fida relatione docturus. Qui Seuerum apud Carthaginem inuentum & Flaccianum, superiores illos legatos, percontando quid egerint, cognouerunt eos audiri à vicario iussos & comite. E quibus Seuerus ilico periit vexatus acerbitate morborum. Nihilominus tamen properarunt ad comitatum magnis itineriF bus antedicti. Ingresso post hæc Palladio Africam, Romanus quas ob res venerat ante * præstructus, vt securitatem suam in tuto locaret, numerorum principiis per quosdam secretorum mandauerat conscius, vt ei tanquam potenti & palatii summatibus proximo, stipendii quod pertulerat præstarent maximam partem. Et ita est factum. Confestimque ille ditatus perrexit ad Leptim: vtque ad veritatis peruenirent indaginem, Erechthium & Aristomenem facundos municiG pes & insignes, libere suas ciuiumque & finitimorum retexentes ærumnas, ad loca vastata secum eduxit. Quibus aperte cuncta monstrantibus, luctuosis prouinciæ cineribus visis reuertit: Romanumque vt desidem increpitans, relaturum se cuncta verissime quæ viderat minabatur ad principem. Atque ille ira percitus & dolore, se quoque mox referre firmauit, quod missus vt notarius incorruptus donatiuum militis omne in

quæstus

quæstus auerterit proprios: qua gratia, flagitiorum arbitra conſcientia, cum Romano deinde Palladius concordabat: reuerſusque ad comitatum, arte mendaciorum impia Valentinianum fefellerat, Tripolitanos fruſtra queri commemorans. Ideoque rurſus ad Africam cum Iouino poſtremo omnium legatorum remittitur, (Pancratius enim deceſſerat apud Treueros) vt cum vicario ipſe merita legationis quoque ſecundæ ſpectaret. Præter hæc linguas Erecbthii & Ariſtomenis præcidi iuſſerat Imperator, quos inuidioſa quædam loquutos idem Palladius intimarat. Sequutus vt ſtatutum eſt vicarium notarius, venit ad Tripolim. Hocque comperto Romanus domeſticum ſuum illuc velociter miſit, & Cæcilium conſiliarium in ea prouincia genitum: per quos, incertum pretio an fallaciis circumuenti, municipes omnes grauabant Iouinum, deſtinatius adſerentes nihil eorum mandaſſe quæ docuerat principem: eo vſque iniquitate graſſante, vt ipſe quoque Iouinus ad ſalutis ſuæ diſcrimen confiteretur ſe Imperatori mentitum. Quibus per Palladium regreſſum cognitis, Valentinianus ad acerbitatem procliuior, Iouinum quidem, vt auctorem, Cæleſtium vero Concordium & Lucium, vt falſi conſcios & participes, puniri ſupplicio capitali præcepit: Ruricium autem præſidem, vt mendacem, morte multari: hoc quoque accedente, quod in relatione eius verba quædam, vt viſum eſt, immodica legebantur. Ac Ruricius quidem apud Sitifim cæſus, reliqui apud Vticam ſententia vicarii Creſcentis addicti. Flaccianus tamen ante legatorum interitum, quum à vicario audiretur & comite, conſtanter ſaluti ſuæ propugnans, acclamationibus iratorum militum impetuque cum conuitiis pene confoſſus eſt, obiicientium ideo Tripolitanos non potuiſſe defendi, quod ipſi ad expeditionales vſus præbere neceſſaria detrectarunt: & ob hæc truſus in carcerem, dum conſultus ſuper eo quid conueniret agi decerneret Imperator, ſollicitatis (dabatur opinari) cuſtodibus, in vrbem Romam abierat profugus, ibiq; deliteſcẽs, fatali lege deceſſit. Hoc memorando fine externis domeſticiſque cladibus vexata conticuit Tripolis non indefenſa: *quia vigilauit Iuſtitiæ oculus ſempiternus,*

A vltricesque legatorum & præſidis diræ. Diu enim poſtea huiuſmodi caſus emerſit. Solutus ſacramento Palladius, deſtitutusque faſtu quo tumebat, diſceſſit ad otium: & quum Theodoſius ductor exercituum ille magnificus, oppreſſurus Firmum pernicioſa cœptantem veniſſet in Africam, & præſcripti Romani rem mobilem, vt iuſſum eſt, ſcrutaretur, inter chartas eius inuenta eſt & Meterii cuiuſdam epiſtola, id continens: *Domino patrono Romano Meterius*: & in fine poſt B multa nihil ad rem pertinentia, *Salutat te Palladius proiectitius: qui non aliam ob cauſſam dicit ſe eſſe proiectum, niſi quod in cauſſa Tripolitanorum apud aures ſacras mentitus eſt.* His litteris ad comitatum miſſis & lectis, Valentiniani iuſſu Meterius raptus, ſuam eſſe confitetur epiſtolam. Ideoque Palladius exhiberi præceptus, cogitans quas criminum coxerit moles, in * ſtatione primis tenebris obſeruata cuſtodum abſentia, qui feſtu die Chriſtiani ritus in eccleſia pernoctabant, innoda-C to gutture laquei nexibus interiit. Hoc fortunæ ſecundioris indicio plene comperto, deletoque triſtiũ concitatore turbarum, exſiluerunt Erechthius & Ariſtumenes e latebris: qui quum ſibi iuſſas abſcidi linguas didiciſſent, vt prodigas ad longe remota declinarunt & abdita. Doctoque ſuper nefanda fraude Gratiano Imperatore fidẽtius, (Valentinianus enim obierat) ad Heſperium proconſulem & Flauianum vicarium audiendi ſunt miſſi: quorum æquitas auctoritate * nixa iu-D ſtiſſima, torto Cæcilio, aperta confeſſione cognouit ipſum ſuaſiſſe ciuibus grauarent mẽtiendo legatos. Hæc acta ſequuta eſt relatio geſtorũ, pandens pleniſſimam fidem: ad quam nihil reſpõſum eſt. Et nequid cothurni terribilis fabulæ relinquerent intentatum, hoc quoque poſt depoſitum acceſſit aulæum. Romanus ad comitatũ profectus, ſecum Cæcilium duxit, cognitores accuſaturum vt inclinatos in prouinciæ partem. Iſque Merobaudis fauore ſuſceptus, neceſſario ſibi plures pe-E tierat exhiberi. Qui quũ Mediolanum veniſſent, fruſtraque ſe tractos obſimulatis documentis probabilibus oſtendiſſent, abſoluti redierunt ad lares. Valentiniano tamen ſuperſtite, poſt ſuperiora quæ narrauimus, Remigius quoque digreſſus ad otium, laqueo vitam eliſit, vt congruo docebimus loco.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER
VIGESIMVSNONVS.

EXACTA hieme rex Perſarum gentis Sapor, pugnarum fiducia priſtinarum immaniter adrogans, ſuppleto numero ſuorum abundeque firmato, erupturos in noſtra cataphractos & ſagittarios & conductam miſit plebem. Contra has copias * Traianus comes & Vadomarius ex rege Alemannorum cum agminibus perrexere perualidis, hoc obſeruare principis iuſſu adpoſiti, vt arcerent potiusquam laceſſerent Perſas. Qui quum veniſſent Vagabanta legionibus nobilem locum, aſpidos turmarum procurſus hoſtilium in ſe

F ruentium acriter exceperunt inuiti: operſque cõſulta retro cedentes, ne ferro violarent aduerſorum quemquam primi, & iudicarentur diſcidii fœderis rei, vltima trudente neceſſitate congreſſi ſunt: confoſſiſque multis, diſceſſere victores. Inter moras tamen vtrimque ſecus tentatis aliquotiens leuibus prœliis, varioque finitis euentu, pactis induciis ex cõſenſu, æſtateque conſumpta, partium diſceſſere ductores etiam tum diſcordes. Et rex quidem Parthus, hiemem Cteſiphonte acturus rediit ad ſedes: & Antiochiam Imperator

Romanus ingressus. Qui dum ibi moratur, se- A
cutus interim hostium externorum, intestinis
pene perierat fraudibus, vt aperiet series dilata
gestorum. Procopius quidem inquies homo, tur-
barum cupiditati semper addictus, Anatolium de-
tulerat & Spudasium palatinos, exigi quæ de æra-
rio interceperant iussos, insidiari comiti Fortuna-
tiano, molesto illi flagitatori. Qui à nimia aspe-
ritate confestim ad insanum percitus modum, pro
potestatis auctoritate qusm regebat, Palladium
quemdam obscurissime natum, vt veneficum à B
memoratis conductum, & Heliodorum fatorum
per genituras interpretem, adigendos prodere
quæ scirent, prætorianæ iudicio tradidit præfe-
cturæ. Quumque ad facti vel tentati quæstio-
nem acrius veniretur, exclamat Palladius confi-
denter, leuia hæc esse de quibus agitur, & præte-
reunda: alia se, si licuerit dicere, monstraturum
metuenda & potiora: quæ ingenti molimine iam
præstructa, nisi prospectum fuerit, vniuersa con-
fundent. Iussusque docere fidenter quæ norat, C
rudentem explicuit immensum; adfirmans Fidu-
stium præsidalem, & cum Irenæo Pergamium, no-
men imperaturi post Valentem detestandis præ-
sagiis didicisse secretim. Et correptus Fidustius
ilico, (namque aderat forte) occulteque indu-
ctus, viso indice, nulla infitiatione obumbrare
iam publicata conatus, rei totius calamitosum a-
perit textum, absolute confessus, se cum Hilario
patricio, vaticinandi peritos, quorum Hilarius
militauerat in palatio, de imperio coosuluisse fu- D
turo: motasque secretis artibus sortes, & nuncu-
pationem principis optimi, & ipsis consultoribus
luctuosos exitus prædixisse. Atque cunctanti-
bus quisnam ea tempestate omnibus vigore ani-
mi antestaret, visus est aliis excellere Theodo-
rus, secundum inter notarios adeptus iam gra-
dum. Et erat reuera ita vt opinati sunt. Nam-
que antiquitus claro genere in Galliis natus, & li-
beraliter educatus à primis pueritiæ rudimentis,
modestia, prudentia, humanitate, gratia, litteris E
ornatissimus, semper officio locoque quem reti-
nebat, superior videbatur, altis humilibusque
iuxta acceptus: solusque pene omnium erat, cu-
ius linguam non infrenem, sed dispicientem quæ
loqueretur, nullius claudebat periculi metus. His
addebat idem Fidustius, excarnificatus iam ad in-
teritum, omnia quæ prædixit, se indicante Theo-
dorum per * Euserium didicisse, virum præstabili
scientia litterarum abundeque honoratum: A-
siam quippe paulo ante rexerat pro præfectis. F
Quo in custodia condito, gestorumque volumi-
ne Imperatori recitato de more, prodigiosa feri-
tas in modum ardentissimæ facis fusius vagaba-
tur, elata turpi adulatione multorum, maximeque
omnium præfecti prætorio nunc Modesti. Qui
dum formide successoris agitaretur, in dies o-
bumbratis blanditiarum concinnitatibus cauil-
lando Valentem, subrusticum hominem sibi va-
rie commulcebat, horridula eius verba & rudia
flosculos Tullianos appellans, & ad extollendam G
eius vanitatem, sidera quoque, si iussisset, exhibe-
ri posse promittens. Igitur & Theodorus à Con
stantinopoli, quam ex negotio familiari petierat,
rapi celeri iubetur effectu. Et dum ille reducitur,
ex præiudiciis variis quæ diebus exercebantur &
& noctibus, plures à disiunctissimis regionibus
trahebantur, dignitatibus & nobilitate conspi-
cui. Quumque nec carceres publici iam disten-

A ti, inclusorum iam cateruas, nec priuata domici-
lia sustinerent, constipatione vaporata confertas,
quoniam vinculis maxima pars eorum attineba-
tur, & suam & proximi cuiusque vicem omnes
horrebant. Aduenit aliquando tamen ipse quo-
que Theodorus, præmortuus & atratus: quo
in deuia parte territorii abscondito, parstis om-
nibus quæ indagines futuræ poscebant, inter-
narum * cladum litui iam sonabant. Et quia
fallere non minus videtur qui gesta præterit sci-
B ens, quam ille qui numquam facta fingit: non ab-
nuimus (neque enim ambigitur) salutem Valen-
tis & antea sæpius per occultas coitiones, & tunc
in extrema demersam, ferrumque ad iugulum e-
ius prope adactum à militaribus fato reluctante
depulsum: quem lacrymosis in Thracia discrimi-
nibus destinarat. Namque & in nemoroso quo-
dam inter Antiochiam & Seleuciam loco, leni
quiete post meridiem consopitus, à Sallustio tunc
scutario, & sæpe alias appetitus insidiantibus
C multis, vitæ terminis à primigenio ortu adscri-
ptis ausa immania frenantibus, euadebat: vt sub
principibus Commodo & Seuero nonnumquam
accidebat: quorum summa vi salus crebro oppu-
gnabatur, adeo vt post intestina pericula multa
& varia, alter in amphitheatrali cauea, quum
adfuturus spectaculis introiret, à Quintiano se-
natore inlicitæ cupidinis homine ad debilitatem
pene pugione vulneraretur; alter inopinabili
impetu tempore ætatis extremo à Saturnino
D centurione, consilio Plautiani præfecti in cu-
biculo iacens confoderetur, ni tulisset sup-
petias filius adolescens. Quocirca etiam Valens
erat venia dignus, vitam quam ereptum ire
perfidi properabant, omni cautela defendens.
Sed inexpiabile illud erat quod regaliter turgi-
dus, pari eodemque iure, nihil inter se distan-
tibus meritis, nocentes innocentesque mali-
gna insectatione voluciter perurgebat: vt dum
adhuc dubitaretur de crimine, imperatore non
E dubitante de pœna, damnatos se quidam prius
discerent quam suspectos. Adolescebat autem
obstinatum eius propositum, admouente stimu-
los auaritia & sua & eorum qui tunc in regia ver-
sabantur, nouos hiatus aperientium. Etsi qua
humanitatis fuisset mentio, rara, hanc appel-
lantium tarditatem: qui cruentis adulationibus
institutum hominis mortem in acie linguæ por-
tantis, ad partem pessimam deprauantes, om-
nia turbine intempestiuo perflabant, euersum
F ire funditus domus opulentissimas festiuantes. E-
rat enim expositus accessui insidiantium & reclu-
sus, vitio gemino perniciose implicitus; quod in-
toleranter irascebatur tunc magis quum eum pu-
deret irasci, & quæ facilitate priuati opertis susur-
ris audierat, an vera essent excutere tumore prin
cipis supersidens, pro veris accipiebat & certis.
Inde factum est vt clementiæ specie penatibus
multi protruderentur insontes, præceps in exi-
lium acti: quorum in ærario bona coacta & ipse
G ad quæstus proprios redigebat, vt damnati ci-
bo precario victitarent, angustiis formidandæ
paupertatis adtriti: cuius metu vel in mare nos
ire præcipites, suadet Theognis poeta vetus &
prudens. Quæ etiamsi recta fuisse concesserit
quisquam, erat tamen ipsa nimietas odiosa. Vn-
animaduersum est recte hoc definitum, *Nullam
esse crudeliorem sententiam ea qua est, quum parce-
re videtur, asperior.* Igitur cum præfecto prætorio

summatibus

summatibus quæsitis in vnum, quibus cognitiones commissæ sunt, intenduntur eculei, expediũtur pondera plumbea cum fidiculis & verberibus. Resultabant omnia truculentæ vocis horroribus, inter catenarum sonitus. *Tene, Claude, * Comprime, Abde*, ministris officiorum tristiũ clamitantibus. Et quoniam addici post cruciabiles pœnas vidimus multos, vt in tenebrosis rebus confusione cuncta miscente, summatim, quia nos penitissima gestorum memoria fugit, quæ recolere possumus, expeditius absoluemus. Primo introuocatũ post interrogatiunculas leues Pergamius, à Palladio (vt dictum est) proditus quædam imprecationibus præsciisse nefariis, sicut erat impendio eloquentior & in verba periculosa proiectus, inter ambigentes iudices quid prius quæri debeat quidve posterius, dicere audacter exorsus, multa hominum millia quasi consciorũ sine fine strependo sundebat, modo non ab extremo Aslante magnorum criminum arguendos poscens aliquos exhiberi. Quo, vt consarcinante nimis ardua, morte multato, aliisque gregatim post illum occisis, ad ipsius Theodori caussam, quasi ad Olympici certaminis puluerem peruenitur. Eodem die inter complura alia hoc quoque euenerat triste, quod Salia thesaurorum paulo ante per Thracias comes, quum de vinculis educitur audiendus, & calceo inserit pedem, quasi ruina incidentis immensi terroris repente perculsus, animam inter retinentium manus efflauit. Constituto itaque iudicio, & cognitoribus præscripta ostentantibus legum, sed ex voluntate dominantis moderantibus momenta caussarum, horror peruaserat vniuersos. Totus enim deuius ab æquitate dilapsus, iamque eruditior ad lædendum, in modum harenariæ feræ, si admotus quisquam fabricæ diffugisset, ad vltimam rabiem sæuiebat. Inducti itaque Patricius & Hilarius, ordinemque replicare iussi gestorum, quum inter exordia variarent, fodicatis lateribus illato tripode quo vtebantur, adacti ad summas angustias, aperiunt negotii fidem, ab ipsis exordiis replicatam. Et prior Hilarius, *Construximus*, inquit, *magnifici iudices, ad cortinæ similitudinem Delphicæ diris auspiciis de laureis virgulis infaustam hanc mensulam quam videtis: & imprecationibus carminum secretorum choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam mouimus tamdem.* Mouendi autem quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis, vndique lance rotunda pure superposita, ex diuersis metallicis materiis fabrefacta: cuius in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor scriptiles formæ incisæ perite, * disiungebantur spatiis examinate dimensis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceamisque itidem linteis soccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine præscitionum auctore, cærimoniali scientia superstitit cortinulas, pensilem annulum librans arcum ex carpathio filo perquam leui, mysticis disciplinis initiatum: qui per interualla distincta retinentibus singulis litteris incidens saltuatim, heroos efficit versus interrogationibus consonos, ad numeros & modos plene conclusos: quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præsenti succedet imperio, quo-

A niam omni parte expolitus fore memorabatur, adsiliens anulus * duas perstrinxerat syllabas: & cum adiectione litteræ postrema, exclamauit præsentium quidam, Theodorum præscribente fatali necessitate portendi. nec vltra super negotio est exploratum. Satis enim apud nos constabat hunc esse qui poscebatur. Quumque totius rei notitiam ita signate sub oculis iudicum subiecisset, adiecit beniuole, id Theodorum penitus ignorare. Post hæc interrogati, an ex
B fide sortium quas agitabant, ea prælcierint quæ sustinerent, versus illos notissimos ediderunt, clare pronuntiantes capitalem eis hanc operam scrutandi sublimiora cito futuram: nihilominus tamen ipsi quoque cum cognitoribus principi cædes incendiáque flagitantes furias imminere: quorum tres ponere sufficit vltimos:

Οὐ μὰν ἀτιμητέν γε σὸν ἔσσεται αἷμα, καὶ αὐτοῖς
Τισιφόνη βαρύμηνις* ἐφοπλάσσει κακὸν οἶτον,
Αὐτίκα ἐν πεδίοισι Μίμαντος χαζομένοις ἄρη.

C Quibus lectis vnguibus male multati separantur exanimes. Postea vt cogitati sceleris officina pateret aperte, honoratorum inducitur globus, vertices ipsos continens rerum. Quumque nihil præter se quisque cernens, ruinam suam impelleret super alium, permisso quæsitorum cœpiens dicere Theodorus, primo in pacem veniam prostratus: dein coactius respondere compulsus, ostendit se cognita per Euserium, ne ad Imperatorem referret, vt conatus est aliquoties, ab
D eo prohibitum, adserente non appetitu regni occupandi illicito, sed ratione quadam indeclinabilis fati, id quod sperabatur, vltro venturum. Deinde hæc eadem Euserio sub cruenta quæstione confesso, confutabant Theodorum litteræ suæ, per ambages obliquas ad Hilarium scriptæ: quibus spe iam firma concepta ex vatibus, de re non cunctabatur, sed tempus patrandæ cupidinis quæritabat. Quibus post hæc cognita sequestratis, Eutropius Asiam proconsulari
E tunc obtinens potestate. vt factionis conscius arcessitus in crimen, abscessit innocuus, Pasiphdo eximense philosopho: qui vt eum mendacio * iniusto perverteret crudeliter tortus, de statu robustæ mentis non potuit deturbari. His accessit philosophus Simonides, adolescens ille quidem, verum nostra memoria senerissimus. Qui quum audisse negotium per Fidustium deferretur, & caussam non ex veritate sed ex vnius nutu pensari sensisset, didicisse se dixit præ-
F dicta, & commissa pro firmitate animi tacuisse. Quîs omnibus perspicaciter inquisitis, Imperator cognitorum consultationi respondens, sub vno proloquio cunctos iubet occidi: & vix sine animorum horrore funestum spectaculum multitudine innumera contnente, & onerante questibus cœlum, (namque singulorum mala, omnium esse communia credebantur) ducti vniuersi flebiliter iugulantur præter Simonidem: quem solum sæuus ille sententiæ
G lator, efferatus ob constantiam grauem, iusserat flammis exuri: qui vitam vt dominam fugitans rabidam, ridens subitas momentorum ruinas, immobilis conflagrauit: Peregrinum illum imitatus Protea cognomine, philosophum clarum: qui quum mundo digredi statuisset, Olympiæ quinquennali certamine sub Græciæ conspectu totius adscenso rogo quem ipse construxit, flammis absumptus est. Et post hunc diebus se-

quutis omnium fere ordinum multitudo, quam nominatim tecensete est arduum, in plagas calumniarum coniecta percussorum deateras fatigauit, tormentis & plumbo & verberibus ante debilitata: sumptumque est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium, dum quæritur an sumi deberet: & vt pecudum vbique trucidatio cernebatur. Deinde congesti innumeri codices, & aceruі voluminum multi, sub conspectu iudicum concremati sunt, ex domibus eruti variis vt inliciti, ad leniendam cæsorum inuidiam, quum essent pletique liberalium disciplinarum indices variarum & iuris. Neque ita multo post Maximus ille philosophus, vir ingenti nomine doctrinarum, cuius ea vberrimis sermonibus ad scientiam copiosus Iulianus eastitit Imperator, oraculi supradicti versus audisse insimulatus, seque competisse adsensus, sed reticenda professionis consideratione non effudisse, verum vltro prædixisse consultores ipsos suppliciis pœnalibus periituros, Ephesum ad genuinam patriam ductus ibique truncatus, sensit docente periculo postremo, quæsitoris iniquitatem omnibus esse criminibus grauiorem. Constrictus etiam Diogenes laqueis impiæ falsitatis, vir nobili prosapia editus, ingenio, facundia forensis, suauitateque præstans, dudum Bithyniæ rector, vt opimum patrimonium eius diriperetur, capitali est pœna adfectus. Ecce autem Alypius quoque ex vicario Britanniarum, placiditatis homo iucundæ, post otiosam & repositam vitam, quoniam hucusque iniustitia tetenderat manus, in squalore maximo volutatus, vt venefici reus citatus est cum Hierocle filio adolescente indolis bonæ, vrgente Diogene quodam & vili & solo: omnique laniena excruciato, vt verba placentia principi vel potius arcessitori loqueretur: quo, quum pœnis non sufficerent membra, viuo exusto, ipse quoque Alypius post multationem bonorum exulare præceptus, filium miserabiliter ductum ad mortem casu quodam prospero reuocatum recepit. Per id omne tempus Palladius ille coagulum omnium ærumnarum, quem captum à Fortunatiano docuimus primum, ipsa sortis infirmæ ad omnia præceps, clades alias super alias cumulando, lacrymis vniuersa persuderat luctuosis. Nactus enim copiam nominandi sine fortunarum distantia quos voluisset, vt artibus interdictis imbutos, ita vt ferarum occulta vestigia doctus obseruate venator, multos intra calles lugubres includebat, quosdam veneficiorum notitia pollutos, alios vt appetitoribus imminendæ conscios maiestatis. Et ne vel coniugibus maritorum vacaret miserias flere, immittebantur confestim qui signatis domibus inter scrutinia supellectilis pœnis addicti, incantamenta quædam anilia vel ludibriosa subderent amatoria, ad insontium perniciem concinnata. quibus in iudicio recitatis, vbi non lex, non religio, non æquitas veritatem a mendaciis dirimebat, indefensi, bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiscue iuuenes aliique membris omnibus capti ad supplicium sellis gestatoriis ducebantur. Inde factum est per orientales prouincias, vt omnes metu similium exurerent libraria omnia: tantus vniuersos inuaserat terror. Namque, vt expressius loquar, omnes ea tempestate velut in Cimmeriis tenebris reptabamus, paria conuiuis Siculi Dionysii pauitantes, qui quum epulis omni tristioribus fame saginarentur, ex summis domorum laquearibus in quibus discumbebant, setis nexos equinis & occipitiis incumbentes gladios perhorrebant. Tunc & Bassianus, procerum genere natus, notarius, militans inter primos, quasi prænoscere altiora conatus, licet ipse de qualitate partus vxoris consuluisse firmaret, ambitioso necessitudinum studio quibus tegebatur, morte ereptus, patrimonio opimo exutus est. Inter fragores tot ruinarum Heliodorus tartareus ille malorum omnium cum Palladio fabricator, mathematicus, vt memorat vulgus, colloquiis ex aula regia præpignoratus abstrusis, iam funebres aculeos excitabat, omni humanitatis inuitamento ad prodenda quæ sciret vel fingeret lacessitus. Nam & sollicitius cibo mundissimo fouebatur, & ad largiendum pellicibus merebat æs conlaticium graue: & incedebat passim elate os circumferens vultuosum, omnibus formidatus, ea fiducia sublatior, quod ad lupanar, quod sicut ipse voluit liberius seruabatur, cubiculariis officiis præpositus, adsidue propalam ventitabat, elogia parentis publici * perferens, futura pluribus luctuosa. Perque eum vt forensium caussarum patronum, quid in primis orationis partibus collocaret, vt proficere possit facilius Valens, quibusue figurarum commentis splendida loca adtentare debeat, præmonebatur. Et quoniam longum est quæ cruciarius ille conflauit, hoc vnum edisseram, quamquam præcipiti confidentia, patriciatus columina ipsa pulsauit. Qui ex clandestinis (vt dictum est) regiorum confabulationibus immaniter adrogans, & ipsa vtilitate ad facinus omne venalis, egregium illud par consulum Eusebium & Hypatium germanos fratres, Constantii principis quondam adfines, ad cupidinem altioris fortunæ erectos, & consuluisse & agitasse quædam super imperio detulit, addens itineri ad mendacium ficte constructo, quod Eusebio etiam principalia indumenta parata sint. Quibus haustis auenter, fremebundus & minax cui nihil licere debuerat, quia omnia sibi licere etiam iniusta existimabat, inremisse ab extremis regionum interuallis exhibitis omnibus, quos solutus legibus accusator perduci debere profunda securitate mandarat, suscipi quæstionem criminose præcepit. Quumque nodosis coartationibus, æquitate diu iactata nimis, adseueratione perditi nebulonis durante, nullam confessionem exprimere tormenta grauia potuissent, ablegatosque ab omni huiusmodi conscientia veritas ipsa viros ostenderet claros, calumniator quidem ita vt antea honorabiliter colebatur: illi vero exsilio & pecuniariis adflicti dispendiis, paulo postea reddita sibi mulcta sunt reuocati, dignitatibus integris & splendore. Nec tamen post hæc tam pœnitenda repressius actum est vel pudenter, non reputante alta nimium potestate, quod recte institutis ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta conuenit ruere voluntaria: nihilque sit tam iniquum quam ad ardua imperii supercilia, etiam acerbitatem naturæ adiungi. Sed Heliodoro incertum morbo an aliqua excogitata vi mortuo, (nolim dicere, vtinam nec ipsa res loqueretur) funus eius per vespillones elatum pullati præcedere honorati complures, inter

ter quos & fratres visi sunt consulares. Ibi tunc A rectoris imperii caries tota stoliditatis apertius est profanata: qui quum abstinere inconsolabili malo rogaretur, obnixe inflexibilis mansit: vt videretur aures occlusisse ceris, quasi scopulos Sireneos transgressurus. Superatus tamen precibus destinatis, tandem nudatis capitibus infaustam bustuarii libitinam adusque sepulcrum incedentes pedibus, quosdam etiam complicatis articulis, præire mandauit. Horret animus reminisci * quo iustitio humiliati tot rerum a- B pices visebantur, & præcipue consulares, post scipiones & trabeas & fastorum monumenta mundana. Inter quos omnes adolescentia & virtutum pulchritudine commendabilis noster Hypatius præminebat, vir quieti placidique consilii, honestatem leuium morum velut ad perpendiculum librans: qui & maiorum claritudini gloriæ fuit, & ipse posteritatem mirandis actibus præfecturæ geminæ decorauit. Accesserat hoc quoque eodem tempore ad Valentis ceteras C laudes, quod quum in aliis ita sæuiret infeste, vt pœnarum moras ægre ferret finiri cum morte, Pollentianum tribunum malitia quemdam exsuperantem, iisdem diebus conuictum confessumque quod exsecto viuæ mulieris ventre atque intempestiuo partu exstracto, infernis manibus acciris de permutatione imperii consulere ausus est, familiaritatis eius intuitu, ordine omni mussante, abire iussit inlæsum, salutem & inuidendas opes & militiæ statum integrum reten- D turum. O præclara informatio doctrinarum, munere cælesti indulta felicibus, quæ vel vitiosas naturas sæpe excoluisti, quanta in illa caligine temporum correxisses, si Valenti scire per te licuisset, *nihil aliud esse imperium (vt sapientes definiunt) nisi curam salutis alienæ: bonique esse moderatoris, restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum & implacabilibus iracundiis: nosseque (vt Cæsar dictator aiebat) miserum esse instrumentum senectutis recordationem crudeli-* E *tatis: ideoque de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est & animantium numerum complet, laturum sententiam diu multumque cunctari oportere, nec præcipiti studio, vbi irreuocabile factum est, agitari*: vt exemplum est illud antiquitati admodum notum. * Apud proconsulem Asiæ Dolabellam Smyrnæa mater-familias filium proprium & maritum venenis necasse confessa, quod filium ex priore viro ab eis occisum comperisset, & comperendinata, quum F consilium ad quod ex more dilata est, anceps quid inter vltionem & scelus statui debeat hæsitaret, ad Areopagitas missa est, Athenienses iudices tristiores, quorum æquitas deorum quoque iurgia dicitur distinxisse. Hi causa cognita, centesimo post anno cum accusatore mulierem adesse iusserunt, ne aut absoluerent veneficam, aut vltrix necessitudinum puniretur. Ita numquam tardum existimatur quod est omnium vltimum. Post commissa iniquitatibus variis antedicta, G & impressas fœde corporibus liberis quæ superuixerant, notas, *inconniuens Iustitiæ oculus, arbiter & vindex perpetuus rerum, vigilauit attente.* Namque cæsorum vltrices diræ, perpetuum numeratione querelarum iustissima commouente, Bellonæ accenderant faces: vt fides oraculi firmaretur, quod * nihil impune prædixerat perpetrari. Dum hæc quæ supra digesta sunt, Antiochiæ Parthico fragore cessante per intestinas dilatantur ærumnas, cœtus furiarum horrificus post inconuolutos multiplicas casus ab eadem vrbe digressus, ceruicibus Asiæ totius insedit hoc modo. Festinus quidam Tridentinus vltimi sanguinis & innoti, in nexum germanitatis à Maximino dilectus vt sodalis & contogatus, decernentibus fatis ad orientem trangressus est. ibique administrata Syria magisterioque memoriæ peracto, bona lenitudinis & reuerentiæ reliquit exempla. vnde regere Asiam proconsolari potestate exorsus, velificatione tranquilla (vt aiunt) ferebatur ad gloriam. Audiens autem Maximinum optimo cuique exitialem, obtrectabat subinde actibus eius, vt perniciosis & fœdis. Sed quum impie peremptorum exequiis suffragantibus ad præfecturam venisse hominem comperisset immeritum, exarsit ad agenda sperandaque similia: & histrionis ritu mutata repente persona, studio nocendi concepto, incedebat oculis intentis ac rigidis, præfecturam autumans adfore propediem, si ipse quoque se contaminasset insontium pœnis. Et quamquam sint multa & varia quæ (vt leuius interpretemur) egit aspertime, pauca tamen dici sufficiet, quæ sunt nota ac peruulgata, ad æmulationem eorum commissa quæ facta sunt Romæ. Ratio enim eadem est ibi recte secusue gestorum, etiam si magnitudo desit dissimilis rerum. Philosophum quemdam Cœranium, haud exilis meriti virum, ea caussa tormentorum immanitate inultum occidit, quod ad coniugem suam familiariter scribens, id sermone addiderat Græco, *οὐδέ τόζ, καὶ σίφι τὴν τύχλω*: quod dici prouerbialiter solet, vt audiens altius aliquid agendum agnoscat. Anum quamdam simplicem, intervallatis febribus mederi leni carmine consuetam, occidit vt noxiam, postquam filiam suam ipso conscio curauit accita. In chartis cuiusdam municipis clari, scrutari ex negotio iussis, genitura Valentis cuiusdam inuenta est: repellensque calumnias is cuius intererat, quum obiectaretur ei quamobrem constellationem principis collegisset, fratrem suum fuisse Valentem, dudumque obiisse documentorum plena fide mõstrare pollicitus, inexspectato veritatis indicio laniatus, lacer trucidatus est. Visus adolescens in balneis admouere marmori manus vtriusque digitos alternatim & pectori, septemque vocales litteras numerasse, ad stomachi remedium prodesse id arbitratus, in iudicium tractus percussus est gladio post tormenta. His & mihi vertenti stylum in Gallias confunditur ordo seriesque gestorum, inter multa & sæua Maximinum reperieos iam præfectum: qui potestate late diffusa, sæuum Imperatori accesserat incentiuum, maiestati fortunæ miscenti licentiam grauem. Quisquis igitur dicta considerat, perpendat etiam cetera quæ tacentur, veniam daturus vt prudens, si non cuncta complectimur quæ consiliorum prauitas crimina in maius exaggerando commisit. Adolescente enim acerbitate rationum inimica rectarum trux suopte ingenio Valentinianus, post eiusdem Maximini aduentum nec meliora monente vllo nec retentante, per asperos actus velut æstu quodam fluctuum ferebatur & procellarum, adeo vt irascentis sæpe vox & vultus & incessus mutaretur & color. Quam rem indicia varia testantur & certa, è quibus pauca sufficiet poni. Adultus quidam ex his quos * pædagogianos ap-

pellant ; ad obseruandam venatiçiam prædam A Spartanum canem retinere dispositus, ante præ-dictum tempus absoluit, adsultu eius euadere conantis appetitus & morsu: ideoque necatus ad exitium fustibus, eadem humatus est die. Præpositum fabricæ oblato thorace polito faberrime, præmiumque ideo exspectantem, ea re pre cepit occidi quod pondus paulo minus habuit species ferrea quam ille formarat. Constantianus * strator, paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus, erat in Sardiniã, B eodem iubente lapidum ictibus opetiit crebris. Athanasius fauorabilis tunc auriga, suspectus ei vulgari leuitate, et viuus incendi iuberetur si-quid tentasset huiusmodi, cuius non multo postea beneficiis vsum ferebatur, nulla delata voluptatum artifici venia, ignibus aboleri præceptus est. Africanus caussarum in vrbe defensor adsiduus, post administratam prouinciam ad regendam aliam adspirauit. Cuius suffragatori magistro equitum Theodosio id petenti, sub C agresti verbo responderat, *Abi (inquit) comes, & muta ei caput, qui sibi mutari prouinciã cupit.* Et hoc elogio periit homo disertus, ad potiora festinans vt multi. Claudiũ & Sallustiũ ex Iouianorum numero adusque tribunatus dignitates progressus, accusabat quidam vilitate ipsa despectus, quod quum imperium Procopius adfectasset, aliqua pro eo loquuti sunt bona, quumque nihil quæstiones reperirent, adsidue mandare magistris equitum auditoribus princeps, vt agerent Clau- D dium in exsilium, & Sallustium pronuntiarent capitis reum, pollicitus quod eum reuocabit ad supplicium raptum. Hocque ita vt statutum est obseruato, nec Sallustius morte exemptus est, nec Claudius nisi post eiusdem Valentiniani obitum deportationis mœstitia liberatus. . . . .
. . . . quum illi sæpissime torquerentur. Replicatis igitur quæstionibus densè,& quibusdam vi nimia tormentorum absumptis, ne vestigia quidem vlla delatorum reperta sunt criminum. In hoc negotio protectores ad exhibendas milli personas, dicuntur fustibus præter solitum * vi. Horrescit animus omnia recensere, simulque reformidat, ne professo * quæsisse videatur in viria principis alias commodissimi. Illud tamen nec præteriri est æquum nec sileri, quod quum duas haberet vrsas læuas hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam, cura agebat enixa vt earum caueas prope cubiculum suum locaret, custodesque adderet fidos, visuros sollicite ne * quo ea luperarum de- F betur luctificus calor. Innocentiam denique, post multas quas eius laniatu cadauerum viderat sepulturas, vt benemeritam in siluas abire dimisit innoxiam. * Et hæc quidem morum eius & propositi cruenti sunt documenta verissima: sollertis vero circa rempublicam, nusquam digredientis . . . .
e speculis siquis hostium se commouisset desuper visus obruebatur. Agitabatur autem inter G multiplices curas id omnium primum & potissimum, vt Macrianum regem auctum inter mutationes crebras successionum, iamque in nostros adultis viribus exsurgentem, vi superstitem raperet vel insidiis, vt multo ante Vadomarium Iulianus. & præuisum negotium poscebat & tempus. Cognitoque transfugarum indiciis, vbi comprehendi nihil opperiens

poterit antedictus, tacite quantum concessit facultas, ne qui conserendo officeret ponti, iunxit nauibus Rhenum. Et antegressus contra Mattiacas aquas primus Seuerus, qui pedestrem curabat exercitum, perpensa militum paucitate territus stetit, timens ne resistere nequiens, inruenti opprimeretur hostilium agminum mole. & quia suspicabatur venalia ducentes mancipia scurras, casu illic repertos, id quod viderent excursu celeri nuntiare, cunctos mercibus direptis occidit. Aduentu itaque plurium copiarum animati iudices, castrisque ad tempus breuissimum fixis, quia nec sarcinale iumentum quisquam nec tabernaculum habuit præter principem, cui tapetes suffecerant pro tentorio, perrumper ob tenebras morati nocturnas, exsiliente luna procincti pergebant vlterius, itinerum ignari . . . . . . tempore iaceat, extento strepitu suorum est impeditus : quibus adsidue mandans vt incendiis & rapinis abstinerent, impetrare non potuit. Ignium enim crepitu dissonisque clamoribus satellites exciti, idque quod acciderat suspicati, carpento veloci impositum regem angusto aditu circumfractis collibus abdiderunt. Hac Valentinianus gloria defraudatus, nec sua culpa nec ducum, sed intemperantia militis, quæ dispendiis grauibus sæpe rem Romanam adflixit, adusque * quinquagesimum lapidem terris hostilibus inflammatis, rediit Treueros mœstus. Vbi tamquam leo ob ceruum amissum vel capream morsus vacuos concrepans, dum hostium disiecta frangeret timor, in Macriani locum Bucinobantibus, quæ contra Mogontiacum gens est Alemanna, regem Fraomarium ordinauit : quem paulo postea, quoniam recens excursus eumdem penitus vastauerat pagum, in Britanniam translatum potestate tribuni Alemannorum præfecerat numero, multitudine viribusque ea tempestate florenti. Bitheridum vero & Hortarium nationis eiusdem E primates, item regere milites iussit. E quibus Hortarius proditus opera Florentii Mogontiaci ducis, contra remp. quædam ad Macrianum scripsisse barbarosque optimates, veritate tormentis expressa conflagrauit flamma pœnali. Ab hinc inter . . . proxima hæc narratione differi continua placuit, ne, dum negotiis longe discretis & locis alia subferuntur, cognitio multiplex necessario confundatur. Nubel, velut regulus per nationes Mauricas potentissimus, vita digrediens, & legitimos & natos e concubinis reliquit filios : è quibus Zamma comiti nomine Romano acceptus, latenter à fratre Firmo peremptus, discordias excitauit & bella. Eius enim necem vlcisci impensiore studio properans comes, ad insidiatoris perniciem multa ciebat & formidanda. Vtque rumores distulerunt adsidui, nauabatur opera diligens in palatio, Romani quidem relationes, multa & aspera congerentes in Firmum, libenter suscipi recitarique principi, in earum fauorem concinentibus multis, ea vero quæ contra Firmus salutis tuendæ gratia docebat crebro per suos, accepta diutius occultari, Remigio tunc officiorum magistro, adfine amicoque Romani, inter potiores Imperatoris necessitates hæc velut minima & superflua nonnisi opportunæ legi posse adseuerante. Quæ quum ad obruendam defensionem suam agitari ad

tati aduerteret Maurus, vltimorum metu iam trepidans, 'ne amandatis quæ prætendebat, vt perniciosus & contumax condemnatus occideretur, ab imperii dicione desciuit, & adiumenta . . . triomad vastand . . hostis implacabilis incrementis virium adolesceret, ad abolendum cum comitatensi auxilio militis pauci Theodosius magister equitum mittitur: cuius virtutes vt * impetrabiles ea tempestate præ ceteris nitebant, Domitii Corbulonis & * Lusii veterum simillimi: quorum prior sub Nerone, alter Traiano rem gerente Romanam, pluribus inclaruere fortibus factis. Proinde ab Arelate secundis egressus auspiciis, emensoque mari cum classe quam ductabat, nullo de se rumore prægressu defertur ad Sitifensis Mauritaniæ litus, quod appellant accolæ * Igilgitanum. Ibique inuentum casu Romanum leniter adloquutus, misit ad vigilias ordinandas & prætenturas, parum super his quæ verebatur increpitum. Quo ad Cæsariensem digressio, Gildonem Firmi fratrem & Maximum misit correcturos Vincentium, qui curans Romani vicem, inciuilitatis eius erat particeps & furtorum. Recepto itaque tardius milite, quem amplitudo morabatur maris, Sitifim prosperans, Romanum cum domesticis custodiendum * protectoribus commisit mandauit: agensque in oppido, sollicitudine diducebatur ancipiti, multa cum animo versans qua via quibusve commentis per exustas caloribus terras pruinis adsuetum duceret militem, vel hostem caperet discursatorem & repentinum, insidiisque potius clandestinis quam præliorum stabilitate confisum. Quod vbi firmo leui rumore, dein apertis est indiciis cognitum, spectatissimi ducis aduentu præstrictus, veniam confessionis præteritorum missis oratoribus poscebat & scriptis, docentibus eum non sponte sua ad eruptisse quod norat scelestum, sed iniquitate grassante licentius, vt monstrare pollicebatur. Quibus lectis paceq; obsidibus acceptis promissa, dux ad recensendas legiones quæ Africam tuebantur, ire pergebat ad Pancharianam stationem, quo conuenire præcepta sunt. Ibi magnificis verbis atque prudentibus spe cunctorum erecta, reuersus Sitifim, conciliato indigena milite cum eo quem ipse perduxerat, ægre perpetiens moras, ad procinctus ire ocius festinabat. Inter residua autem multa & clara, id amorem eius auxerat in immensum, quod à prouincialibus commeatum exercitui prohibuit dari, messes & condita hostium virtutis nostrorum horrea esse fiducia memorans speciosa. His ita cum lætitia possessorum dispositis, ad Tubusuptum progressus, oppidum Ferrato contiguum monti, legationem secundam Firmi repudiauit, quæ obsides, vt ante statutum est, non duxerat secum. Vnde omnibus pro loco & tempore cautius exploratis, concito gradu Tyndensium gentem & Masinissensium petit, leuibus armis instructas, quas Mascizel & Dius fratres Firmi, ductabant. Quumque essent hostes iam in contuitu membris omnibus celeres, post missilia hinc inde crebrius iacta, committitur certamen asperrimum: interque gemitus, mortes, & vulnera, audiebatur barbarorum vlulabilis fletus captorum & cæsorum: pugnaque dirempta plures agri populati sunt & in-

A censi. Inter quos clades eminuere fundi Petrensis, excisi radicitus, quem Salmaces dominus Firmi frater, in modum vrbis exstruxit. Hoc successu victor elatus, mira velocitate Lamforctense oppidum occupauit, inter gentes positum antedictas. Vbi abunde rei cibariæ copiâ condi effecit: vt si pergens interius alimentorum offendisset penuriam, iuberet è propinquo conuectari. Quæ dum ita procedunt, Mascizel reparatis viribus nationum confinium adminicula ductans, B conserta manu cum nostris, fusis è parte suorum pluribus ipse equi pernicitate ægre discrimine mortis exemptus est. Fessus ærumnis gemini prœlii Firmus, imoque æstuans corde, neqoid vltimæ rationis omitteret, Christiani ritus antistites oraturos pacem cum obsidibus misit. Qui quoniam suscepti lenius, pollicitique victui congrua militibus, vt præceptum est, læta retulere responsa, præmissis muneribus Maurus ipse fidentius ad Romanum pertexerat ducem, equo insidens spio C ad ancipites casus. Quumque prope venisset, fulgore signorum & terribili vultu Theodosii præstrictus, iumento desiliit: curuataque ceruice humi pene adfixus, temeritatem suam flebiliter incusabat, pacem obsecrando cum venia: suseeptusque cum osculo, quoniam id reipublicæ conducebat, bonæ spei iam plenus, sufficientia præbuit alimenta: & quibusdam propinquis suis ad obsidum vicem relictis, abscessit captiuos, vt sponderat, red- D diturus, quos primis turbatum exordiis rapuit: biduoque post, Icosium oppidum, (cuius supra docuimus conditores) militaria signa, & coronam sacerdotalem cum ceteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, vt præceptum est. Exinde quum discursis itineribus magnis Tipasam noster dux introiret, legatis Mazicum, qui se consociauerant Firmo, suppliciter obsecrantibus veniam, animo elato respondit se in eos, vt perfidos, arma protinus commoturum. E Quibus imminentis periculi metu defixis, reuertique iussis ad sua, Cæsaream ire tendebat, vrbem opulentam quondam & nobilem, cuius itidem originem in Africæ situ digessimus plene. Eamque ingressus, quum omnem pene incendiis late dispersis vidisset exustam, horridasque canicie silices, primam & secundam legionem ad tempus ibi locari disposuit: vt faullarum egerentes aceruos, agitarent ibi præsidium, ne repetito barbarorum impetu vastare- F tur. Quæ quum rumores veri distulissent prouinciæ rectores tribunusque Vincentius è latibulis quibus se commiserant egressi, tandem intrepidi ad ducem ocius peruenerunt. Quibus ille gratanter visis atque susceptis, agensque etiam apud Cæsaream, fide rerum diligentius explorata, comperit Firmum per speciem fauentis & supplicis rectiore consilio id moliri, vt nihil hostile metuentem exercitum in modum tempestatis subitæ conturbaret. Quamobrem conuersus hinc G venit ad municipium Sugabarritanum, Transcellensi monti adcline: vbi inuentos equites quartæ sagittariorum cohortis, quæ ad rebellem defecerat, vt contentum se supplicio leniori monstraret, omnes contrusit ad infimum militiæ gradum: eosque, & Constantianorum peditum partem, Tigauias venire iusserat cum tribunis: è quibus vnus torquem pro diademate capiti imposuit Firmi. Dumque hæc aguntur, re-

uerterunt Gildo & Maximus, Bellen è principibus Mazicum & Fericium gentis præfectum ducentes, qui factionem iuuerant quietis publicæ turbatoris. . . . . produ-cerent vinctos. Qio ita vi statutum est facto, lucis primo exortu ipse egressus, quum inuenisset eos in exercitu circumseptos, *Quid de istis nefariis*, inquit, *productoribus fieri oportere contubernales deuoti censens?* Sequutusque adclamationem rogantium, sanguine vindicari eos qui inter Coostantianos merebant, prisco more militibus dedit occidendos: sagittariorum vero primorinus manus incidit, reliduos supplicio capitali multauit, ad æmulationem Curionis acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lernææ serpentis aliquotiens renascentem, hoc genere pœnarum exstinxit. Sed obtrectatores maliuoli, verus factum laudantes, hoc vt diruto vituperant & aspertinum, Dardanos hostes memorantes interneciuos, & iuste quæ substinuere perpessos, hos vero subsignanos milites debuisse lenius corrigi, ad vnum prolapsos errorem: quos scientes forsitan admonemus, hanc cohortem & facto & exemplo aduersam. Antedictos Bellen & Fericium, quos duxerat Gildo, tribunumque sagittariorum Curandium, ea re iussit occidi quod nec ipse vmquam cum hostibus congredi voluit, nec suos vt pugnarent hortari. Agebat autem hæc Tullianum illud aduertens, quod *salutaris rigor vincit inanem speciem clementia.* Exin profectus, fundum nomine * Gaionatis, muro circumdatum valido receptaculum Maurorum tutissimum, arietibus admotis euertit: & cęsis omnibus incolis mœnibusque complanatis, ad Tingitanum castellum progressus, per Ancorarium montem Mazicas in vnum collectos inuasit, iam tela reciprocantes volitantia grandinis ritu. Et quum esset vtrimque discursum, agmina viris armisque incitata nostrorum non perferentes Mazices, licet bellicosum genus & durum, diuersis stragibus implicati, fœdo diffluxere terrore: ruentesque in fugam cæsi sunt, absque his qui reperta copia discedendi, supplici prece veniam quam dari tempus flagitauerat, impetrarunt, Suggena eorum ductore . . . Romano successerat in Sitifensem Mauritaniam ire disposito ad agitanda præsidia, ne prouincia peruaderetur, ipse præteritis elatior casibus gentem petit Musonum: quam conscientia rapinarum & cædum, actibus congregauerat Firmi, vt sperabatur maiora mox adepturi. Progressusque aliquantum, iuxta Addense municipium, comperit, dissonas cultu & sermonum varietate nationes plurimas, vnum spirantibus animis, immanium exordia concitare bellorum, adigente hortanteque maxima spe præmiorum sorore Firmi nomine Cyria: quæ abundans diuitiis, & destinatione fœminea, nisibus magnis instituit iuuare germanum. Quocirca Theodosius veritus ne marti sese committeret impari, congressusque multitudini immensæ cum paucis (tria enim armatorum milia ductabat atqoe quingentos) amitteret vniuersos, inter pudorem cedendi pugnandique ardorem gradiens retro paulatim trudente pondere plebis abcessit. Hocque euentu barbari nimium quantum . . . & ad internicionem perdiderat cunctos, ni gentium turbulenta concussio, procul Mazicum visis auxiliis, quos anteibant qui-

A dam Romani, arbitrata in se impetum agminum ferri complurium, versa in pedes aperuisset nostris exitus antehac intersepios. Exinde quum milites ducens incolumes Theodosius ad fundum venisset nomine Mazucanum, exustis desertoribus paucis, aliisque ad sagittariorum exemplum, quibus manus ademptæ sunt, contruncatis, Tipatam mense Februario venit. Vbi diutius agens, vt antiquus ille Cunctator pro negotio consultabat, commentis potius & pruden-

B tia quam periculosis congressibus, hostem pugnacem & impenetrabilem iactu telorum, si fors copiam dederit, oppressurus. Mittebat tamen adsidue suadendi quosdam peritos ad gentes circum sitas, Baiuras, * Cantaurianos, Auastomates, Casaues, Dauaresque, & finitimos alios, nunc timore nunc * promissis eos ad societatem alliciens, veniamque petulantiæ interdum promittendo; per ambages & moras hostem frangentem suos impetus oppressurus, vt quondam Pompeius

C Mithridatem. Qua caussa declinans perniciem proximam Firmus, licet præsidiorum magnitudine communitus, relicta plebe quam coegerat magna mercede, quoniam latendi copiam nocturna quies dedit, Caprarienses montes longe remotos penetrauit, & diruptis rupibus inaccessos. Cuius abitu clamdestino multitudo dispersa, sine rectore particulatim diffluens, inuadendi eius castra nostris copiam dedit. Hisque direptis, & interfectis qui resistebant, vel

D in deditionem acceptis, regionum maxima parte vastata, gentibus per quas transibat dux consultissimus adposuit fidei compertæ præfectos. Hac inopina sequendi confidentia territus perduellis, seruis comitantibus paucis, digressu celeri consulturus saluti, neque præpediretur obstaculo, abiecit pretiosarum sarcinas specierum, quas auexerat secum. Vxorem namque fessam labore continuo & perancipiti . . . . Theodosius militique

E * parcens, mundiore victu stipendioque milite recreato, Caprariensibus Abbanisque eorum vicinis prœlio leui sublatis, ad municipium properauit * ense: verisque nuntiis doctus, barbaros occupasse iam tumulos per anfracta vndique spatia in sublime porrectos, nullique peruios nisi indigenis locorum perquam gnaris, repedando dedit hostibus facultatem per inducias, licet breues, Æthiopum iuxta agentium adminiculis augeri vel maximis. Qui cater-

F uatis copiis fremituque minaci sine sui respectu ruentes in pugnam, auerterunt eum inæstimabilium turmarum specie dita perterrefactum: statimque redintegratis animis commeatus vehens abunde reuertit: & conglobatis suis scutaque in formidabilem mouentibus gestum, controuersas iisdem opposuit manus. Quamquam igitur immite quiddam barbaricis concrepantibus armis manipuli furentium imminebant, ipsi quoque parmas genibus illidentes, tamen vt

G pugnatur ille cautus & prudens miles, paucitate diffisus, audacter agmine quadrato incedens, ad ciuitatem nomine Contensem flexit iter intrepidum, [vbi timens] nostros Firmus, vt in munimento abstruso locarat suos & celso: cunctisque receptis, in proditores satellitesque memorati animaduertit acriter, vt solebat. Hoc ei magni numinis adiumento gerenti prosperrime verus indicat explorator, confugisse ad Isaflensium, populum

populum Firmum. Ad quem reposcendum vna cum fratre Mazuca ceterisque necessitudinibus illuc ingressus, quum adipisci non posset, genti bellum indixit.& prœlio atroci commisso, ferorientibus barbaris vltra modum ariem in rotundo habitu figuratam opponit. Adeoque Isaflenses pondrre cateruarum ingentium inclinati sunt, vt plurimi caderent, & ipse Firmus ferox & sæpe in suam perniciem præceps, equo auferretur in fugam, per saxa & rupes discoriere eirius adsueto; Mazuca vero frater eius caperetur letaliter saucius: qui Cæsaream mitti dispositus, vbi sæua inusserat monumenta farinorum pessimorum, dilatato vulneris hiatu decessit. Caput tamen cius auulsum relidiio rorpore, cum magno visentium gaudio vibi inlatum est antedictæ. Post hæc Isaflensium gentem, quæ obstitit, superatam dux nobilis incommodis multis, vt æquitas poscebat, adflixit. Ibi Euasium potentem municipem, Floruinque eius filium & quosdam alios, per secretiora consilia temeratorem quietis iuutile confutatos aperte, flammis absumpsit. Exindeque pergens interius, nationem Iubalenain spiritu adgressus ingenti, vbi natum Nubeleni patrem didicerat Firmi, repulsus altitudine montium & flexuosis angustiis iteu. Et quamlibet facto in hostem impetu, pluribusque peremptis, aperuerit viam: formidans tamen sublimia collium ad insidiandum aptissima, ducens suos incolumes reuertit ad Audiense castellum. Vbi Iesalensium gens fera semet dedit, voluntaria auxilia præstare spondens & commeatus. His & eiusmodi gloriosis actibus exsultans amplissimus ductor, ipsum otij turbatorem petebat valido virium nisu: ideoque prope munimentum nomine Medianum diu consistens, per multas prudentesque sententiarum vias eumdem sibi prodi posse sperabat. Hæcque cogitationibus anxiis altioreque prospiciens cura, rursus ad Isaflenses hostem comperit reuertisse: quos nihil moratus, vt antea, agminibus adoritur concitatis. Cui rex Igmazen nomine, spectatus per eos tractus opibusque insignis, progressus obuiam confidenter, *Cuius loci es tu*, inquit, *vel quid acturus huc venisti, responde.* Quem Theodosius fundata mente intuens toruum, *Comes*, ait, *Valentiniani sum orbis terrarum domini, ad opprimendum latronem funereum missus: quem nisi statim reddideris, vt iussit inuictus Imperator, peribis funditus cum gente quam regis.* Quo audito Igmazen, post conuitia multa quæ congessit in ducem, ira doloreque percussus abscessit. Et sequutæ principio lucis, vtrimque occursuræ sibi ad confligendum processerunt acies minacissime: & barbarorum viginti pene milia in ipsis locata sunt frontibus, occultatis pone terga subsidialibus globis, vt adsurgentes paulatim nostros multitudine clauderent insperata. Hisque Iessalensi auxiliares accessere quam plures; quos adiumenta & commeatus nostris docuimus promisisse. Contra Romani, quamuis admodum pauci, tamen fortibus animis victoriis antegressis elati, densatis lateribus, scutisque in testudinis formam cohærenter adaptatis, restiterunt gradibus fixis. Et à sole orto vsque diei extimum pugna protenta, paulo ante vesperam visus est Firmus equo celsiori insidens, sago puniceo porrectius panso, milites clamori-

A bus magnis hortari, vt dedant Theodosium opportune, truculentum eum appellans & dirum & suppliciorum * sæuom repertorem, si discriminibus eximi vellent quæ perferebant. Hæ insperatæ voces ad dimicandum quosdam acrius incitarunt, alios deserere prœlium illexerunt. Proinde vbi noctis aduenit quies prima, partibus tenebrarum obuolutis errore, dux reuersus ad * Duodiense castellum, militesque recognoscens, eos quos à pugnandi proposito pa-B uor & verba deterrant Firmi, diuerso genere pœnarum exstinxit, alios adcmptis dexteris, quosdam viuos combustos. Excubiasque agens cura peruigili, barbarorum aliquos, ausos, quum apparere non possent, post occasum lunæ castra sua tentare, fudit, vel irruentes audacius cepit. Digressus exinde passibus citis, * Iessalenses vt ambiguæ fidei per tramites adortus obliquos, vnde parum sperati potuit, ad penuriam vastauit extremam: C perque Cæsariensis Mauritaniæ opida reuersus Sitifim, Castorē & Martinianum, rapinarum flagitiorumque Romani participes, ad interitum tortos incendit. Redintegratur posthec cum Isaflensibus bellum: primoque conflictu barbarorum pluribus pulsis & interfectis, rex eorum Igmazen vincere antehac adsuetus, terrore fluctuans mali præsentis, nihilque commerciis veritis ad vitam spei sibi restare si obstinatius egrit arbitratus, quantum caute fieri potuit & occulte D prorupit ex acie solus: visumque Theodosium suppliciter petiit vt * Masillam Mazicum optimatem ad se venire iuberet. Per quem vt rogauerat missum, clamdestinis colloquiis monuit ducem suopte ingenio pertinacem, vt ad præbendam sibi copiam agendi quæ vellet, popularibus suis acriter immineret, eosque adsiduitate pugnandi mutaret in metum, promptos quidem ad * perduellis fauorem, sed iacturis multiplicibus fessos. Paruit Theodosius dictis: & crebritate E certaminum Isaflenses ita protriuit, vt iisdem labentibus more pecudum, Firmus latenter euaderet, & auiis & diuturnis latebris amandatus, ibi dum de fuga consultat, tentus ab Igmazene custodiretur. Et quoniam obscurius gesta didicerat per Masillam, in extremis rebus vnum remedium superesse contemplans, calcare viuendi cupiditatem voluntaria statuit morte: vinoque consulto distentus, & crapulentis silenti nocte oppressis altiore somno custodibus, peruigil ipse F impendentis ærumnæ terrore, insonis gradibus relicto cubili, manibus repens & pedibus, longius sese discreuit: repertumque funiculum quem finiendæ vitæ parauere casus, de clauo parieti adfixo suspendit: vbi collo inserto, animam absque mortis cruciabilibus exhalauit. Quod dolenter ferens Igmazen, interceptamque sibi gloriam gemens, quia non contigerat ad castra Romana vinctum ducere perduellem, interposita fide publica per Masillam, ipse camelo necati cadauer impositum ferens, quum tentoria exercitus aduentaret ad * Subicarense castellum locata, in iumentum transtulit sarcinale, & Theodosio obtulit exsultanti. Qui conuocatis armatis simul atque plebeiis, interrogatisque an cognoscerent vultum, quum eiusdem esse sine vlla didicisset ambage, ibi paulisper moratus, Sitifim triumphanti similis rediit, ætatum ordinumque omnium celebrabili fauore susceptus.

Dum hoc puluere per Mauritaniam dux antedi- A ctus anhelat & Africam, Quadorum natio mota est, insultu repentino parum nunc formidanda, sed immensum quantum antehac bellatrix & potens, vt indicant properata: quoniam raptim obsessa ab iisdem ac Marcomannis Aquileia [diu] Opitergiumque excisum, & cruenta complura per celeres acta procinctus; vix resistente perruptis Alpibus Iuliis Primicerio, quem ante docuimus, Marteo. Et erat, vt barbatis, ratio iusta querelarum. Valentinianus enim stu- B dio muniendorum limitum glorioso quidem, sed nimio ab ipso principatus initio flagrans, trans flumen Histrum in ipsis Quadorum terris, quasi Romano iuri iam vindicatis, ædificari præsidiaria castra mandauit: quod accolæ ferentes indigne, suique cautiores, legatione tenus interim & susurris arcebant. Sed Maximinus in omne auidus nefas, & genuinos mitigare nequiens flatus, quibus præfecturæ accesserat tumor, increpabat Equitium per Il- C lyricum eo tempore * magistrum armorum, vt peruicacem & desidem, necdum opere quod maturari dispositum est consummato: addebatque, vt consuleus in commune, quod si paruo suo Marcelliano deferretur potestas per Valeriam ducis, munimentum absque vlla caussatione consurgeret. Vtrumque mox est impetratum. Qui promotus, profectusque quum venisset ad loca, intempestiue turgens vt filius, nullis adfatibus delinitis his quos numquam D tentatæ cupiditatis figmenta regionum suarum faciebant extorres, opus paulo ante inchoatum adgreditur, admissa copia rogandi suspensum. Denique Gabinium regem orquid nouaretur modeste poscentem, vt adsensurus humanitate simulata cum aliis ad conuiuium conrogauit: quem digredientem post epulas hospitales, officij sanctitate nefariæ violata, trucidari securum effecit. Cuius rei tam atrocis disseminatus rumor ilico per dioersa, & Quados E & gentes circumsitas efferauit: regisque flentes interitum, in vnum coactæ, misere vastatorias manus. quæ Danubium transgressæ, quum nihil exspectaretur hostile, occupatam circa messes agrestem adortæ sunt plebem: maioreque parte truncata, quidquid superfuit domum cum multitudine varij pecoris abduxerunt. Euenisset profecto tunc inexpiabile scelus, numerandum inter probrosas rei Romanæ iacturas: (paulo enim abfuit quin filia caperetur Constantij ci- F bum sumens in publica villa quam appellant Pistrensem, quum duceretur Gratiano nuptura) ni fauore propitij numinis præsens Messala prouinciæ rector, eam iudiciali carpento impositam ad Sirmium vicesimo sexto lapide disparatum cursu reduxisset effuso. Hoc casu prospero regia virgine periculo miseræ seruitutis exempta, cuius nisi potuisset impetrari redemptio captæ, magnas iussisset reipublicæ clades, latius se cum Sarmatis Quadi pandentes, ad raptus & latro- G cinia gentes aptissimæ, prædas hominum virilis & muliebris sexus agebant & pecorum, villarum cineribus exustarum cæsorumque incolentium exsultantes ærumnis: quos nec opinantes sine vlla parcimonia deleuerunt. Per omnia itaque propinqua malorum similium dispersa formidine, præfectus prætorio agens tunc apud Sirmium Probus, nullis bellorum terroribus adsuetus, rerum nouarum lugubri visu perstrictus, oculosque vix attollens, hærebat diu quid capesseret ambigens: & quum paratis velocibus equis noctem proximam destinasset in fugam, monitus tutiore consilio mansit immobilis. Didicerat enim omnes sequuturos confestim qui mœnibus claudebantur, tegendos latebris opportunis: quod si contigisset, impropugnata ciuitas venisset in manus hostiles. Proinde parumper lenito pauore, ad arripienda quæ vrgebant acri animo adsurgens, retersit obrutas ruderibus fossas, murorumque maximam partem pacis diuturnitate contemptam & subuersam, adusque celsarum turrium minas expediit, studio ædificandi coalitus: hac ratione opere velociter absoluto, quod impensas ædificandi theatri caussa dudum congestas, sufficientes ad id quod efficere maturabat inuenit. Atque huic spectato consilio salutare addidit aliud: & sagittariorum cohortem ex statione proxima, ad futuram obsidio, si venisset, acciuit. His velut obicibus barbari ab oppugnanda vrbe depulsi, parum ad has calliditates dimicandi sollertes, sarcinisque impediti prædarum, ad Equitii vertuntur indaginem. Et quum ad Valeriæ spatia longe remota secessisse captorum didicissent indiciis, illuc properato * pergebant gradu frendentes, hacque ex caussa regulo eius intenti, quod per ipsum circumuentum regem existimabant insontem. Quibus concito cursu ruentibus infestius, obuiato legiones motæ sunt duæ, Pannonica & Mœsiaca, valida prœliis manus: quæ si conspirasset, abierat proculdubio victrix. Sed dum discretim grassatores adoriri festinant, ortis inter se discordiis impediti, de honore certabant & dignitate. Quo intellecto Sarmatæ sagacissimi, non exspectato ceriandi signo solenni, Mœsiacam primam incessunt. Dumque milites arma tardius per tumultum expediunt, interfectis plurimis aucti fiducia, aciem perrupere Pannonicam: disiectamque agminis mole geminatis ictibus omnem pene deleissent, ni periculo mortis aliquos citum extraxisset effugium. Inter hæc fortunæ dispendia tristioris, dux Mœsiæ Theodosius iunior, prima etiamtum lanugine iuuenis, princeps postea perspectissimus, Sarmatas liberos, ad discretionem seruorum rebellium appellatos, conlimitia nostra ex alio latere inuadentes, aliquotiens expulit & adflixit, congressibus densis adtritos: adeoque obsistentes fortissime turbas confluentes oppressit, vt cæsorum pluriorum alites iuste sanguineas satiarer & feras. Vnde residui tumore iam deflagrante metuentes ne idē dux virtutis (vt apparuit) expeditæ in primo finium aditu incursantes cuneos sterneret aut fugaret, vel insidias per siluarum locaret occulta, post multos perrumpendi conatus subinde tentatos incassum, abiecta pugnandi fiducia concessionem petiuere præteritorum & veniam: victique ad tempus, indultæ fœderibus pacis nihil egere contrarium, eo maxime timore perculsi, quod ad tutelam Illyrici Gallicani militis validū accesserat robur. Dum hæc tot ac talia per turbines agitātur adsiduos, Claudio regente vrbem æternā. Tiberis, qui media interfecās mœnia, eloacis & fluuiis abundantibus multis, Tyrrheno mari miscetur, effusione imbrium exuberans nimia, & supra amnis speciem pansus, omnia

pene

pene contexit. Et stagnantibus ciuitatis residuis A membris quæ tenduntur in planitiem molliorē, montes soli & quidquid insulatum celsius eminebat, à præsenti metu defendebatur. Et ne multi inedia contabescerent, vndarum magnitudine nusquam progredi permittente, lembis & scaphis copia suggerebatur abunde ciborum. At vero vbi tempestas molliuit, & flumen retinaculis ruptis rediit ad solitum cursum, absterso metu nihil postea molestum exspectabatur. Hic ipse præfectus egit admodum quiete, nullam seditionem super querela iusta perpessus: & instaurauit vetera plurima. inter quę porticum excitauit ingentem, lauacro Agrippæ contiguam, Euentus boni cognominatam, ea re quod huius nominis prope visitur templum.

AMMIANI MARCELLINI

RERVM GESTARVM LIBER TRIGESIMVS.

INTER has turbarum difficultates, quas Petcha B lux rege Quadorum excitauit occiso per scelus, ditum in oriente committitur facinus, Para Armeniorum rege clandestinis insidiis obtruncato: cuius materiæ impio enneceptæ consilio hanc primordialem fuisse nouimus caussam. Consarcinabant in hunc etiamtum adoltum crimina quædam apud Valentem exaggerantes male sollertes homines, dispendiis sæpe communibus pasti. Inter quos erat Terentius dux demisse ambulans, semperque subinœstus: sed, quoad vi- C xerat, acer dissensionum instinctor. Qui adscitis in societatem gentibus paucis, ob flagitia sua suspensis in metum, scribendo ad comitatum, adsidue Cylacis necem replicabat & Artabanis: addens, eumdem iuuenem ad superbos actus elatum, nimis esse in subiectos immanem. Vnde quasi futurus particeps suscipiendi tunc pro instantium rerum ratione tractatus, idem Para regaliter vocatus, & apud Tarsum Ciliciæ obsequiorum specie custoditus, quum neque ad Im- D peratoris castra accipi, nec vrgentis accessus caussam scire cunctis reticentibus posset, tamdem secretiore indicio comperit, per litteras Romanum rectori suadere Terentium, mittere propediem alterum Armeniæ regem, ne odio Paræ spe que quod reuerteretur, natio nobis opportuna deficeret ad iura Persarum, eam rapere vi vel metu vel adulatione flagrantium. Quod reputans ille, impendere sibi præsagiebat exitium graue. Et doli iam prudens, nec aliam nisi cito dis- E cessu salutis reperiens viam, suadentibus his quibus fidebat, conglobatis trecentis comitibus sequutis eum è patria cum equis velocissimis, vt in magnis solet dubiisque terroribus, audacter magis quam considerate, pleraque diei parte emensa egressus cuneatim properabat intrepidus. Quumque eum prouinciæ moderatoris apparitor qui portam tuebatur, percitus festinato studio repetisset in suburbanis, vt remaneret enixius obsecrabat: & parum hoc impetrato, mortis a- F uersus est metu. Nec minus paulo postea legionem sequutam iamque aduentantem, ipse cum promptissimis retrorsus excurrens, fundensque in modum scintillarum sagittas, sed voluntate errans, in fugam compulit: vt cum tribuno milites vniuersi perterrefacti, viuidius quam venerant remearent ad muros. Exin solutus omni formidine, biduo & binoctio exantlatis itinerum laboribus magnis, quum ad flumen venisset Euphratem, & inopia nauium voraginosum amnem vado transire non posset, nandi imprudentia pauentibus multis, ipse omnium maxime cunctabatur. Et remansisset, ni cunctis versantibus varia, id reperire potuisset effugium, in necessitatis abrupto tutissimum. Lectulos in villis repertos binis vtribus suffulserunt, quorum erat abundans prope in agris vinariis copia: quibus singulis proceres insidentes & regulus ipse, iumenta trahentes, præruptos vndarum occursantium fluctus obliquatis meatibus declinabant: hocque commento tandem ad vlteriorem ripam post extrema discrimina peruenerunt. Residui omnes equis inuecti natantibus, & circumluente flumine sæpe demersi iactatique, infirmati periculoso madore expelluntur ad cōtrarias margines: vbi paulisper refecti, expeditius quam diebus præteritis incedebant. Hoc nuntiato princeps, antedicti fuga perculsus, quem elaqueatum fidem rupturum existimabat, cū sagittariis mille succinctis & leuibus Danielum mittit & Barzimerem, reuocaturos eū; comitem vnū, alterū scutariorū tribunum. Hi locorum gnaritate confisi, quod ille properans vt peregrinus & insuetus mæandros faciebat & gyros, compendiosis * vallibus eius itinera præuenerunt: & diuisis inter se copiis, clausere vias proximas duas, trium milium interuallo distinctas, vt transiturus per vtramuis, caperetur improuidus. Sed euanuit * cogitatua, hoc casu: Viator quidam ad citeriora festinans, quum cliuum armato milite vidisset oppletum, per posterulam tramitem medium squalentem fruteciis & sentibus vitabundus excedens, in Armenios incidit fessos: & ductus ad regem, arcano sermone solum quæ viderat docet, ac retinetur intactus. Moxque metu dissimulato eques mittitur clandestinus ad dextrum itineris latus, diuersoria paraturus & cibum: quo paulum progresso, in læuum tractum item alius talia facturus ire iubetur ocissime, alterum aliorsum nesciens missum. Quibus ita vtiliter ordinatis, rex ipse cum suis dumeta per quæ viator venerat, relegens eo ipso monstrante, per hispidam & iumento onusto exiguam callem, post terga relictis militibus euolauit; qui captis eius ministris, missis ad mentes obseruantium præstringendas, quasi venaticiam prædam modo non porrectis manibus exspectabant. Dumque hi venturum opperiuntur, ille regno incolumis restitutus, &

eum gaudio popularium summo susceptus, in
eadem fidei certitudine mansit immobilis, iniu-
riis quas pertulerat omnibus demussatis. Danie-
lus post hæc & Bartzimeres, quum iussi iam re-
uertissent, probrosis lacerati conuitiis vt inertes
& desides, vt hebetatæ primo adpetitu venenatæ
serpentes, ora exacuere letalia, quum primum
potuissent, lapso pro virium copia nocituri &
leniendi caussa flagitij sui, vel fraudis quam me-
liore consilio pertulerunt, apud Imperatoris au-
res rumorum omnium tenacissimas incessebant
falsis criminibus Param, incentiones Circæas in
vertendis debilitandisque corporibus miris mo-
dis eum callere fingentes: addentesque quod hu-
iusmodi artibus offusa sibi caligine mutatus, va-
sorumque forma transgressus, tristes sollicitudi-
nes, si huic irrisioni superfuerit, excitabit. Hinc in
illum inexplicabile auctum principis odium: &
doli struebantur in dies, vt per vim ei vel clam
vita adimeretur. Agentique tunc in Armenia
Traiano, & rem militarem curanti, id secreris
committitur scriptis. Qui inlecebrosis regem in-
sidiis ambiens, & modo serenæ mentis Valentis
indices literas tradens, modo ipse sese eius con-
uiuiis ingerens, ad vltimum composita fraude
ad prandium verecundius inuitauit. Qui nihil ad-
uersum metuens venit, concessoque honoratiore
discubuit loco. Quumque adponerentur exqui-
sitæ cupediæ, & ædes pulsu neruorum & articu-
lato flatilique sonitu resultarent, iam vino inca-
lescente, ipso conuiuij domino per simulatio-
nem naturalis cuiusdam vrgentia egresso, gladiū
districtum intentans toruo lumine ferociens qui-
dam immittitur barbarus, asper, ex his quos su-
pras appellant, confossurus iuuenem, ne exilire
posset etiam tum * præpeditum. Quo viso regu-
lus forte prominens vltra torum, expedito dolo
adsurgens vt vitam omni ratione defenderet,
perforato pectore deformis procubuit victima,
ictibus multiplicatis fœde concisa. Hocque fig-
mento nefarie decepta credulitate, inter epulas
quæ reuerendæ sunt vel in Euxino ponto, ho-
spitali numine contuente, peregrinus cruor in
ambitiosa toralia sparsus, & spumans, satietati
superfuit coouiuarum horrore maximo disper-
sorum. Ingemiscat (si quis vita digressis est do-
lor) huius adrogantiam facti Fabricius ille Lusci-
nus, sciens qua animi magnitudine Democha-
rem, vel (vt quidam scribunt) Niciam ministrum
repulerit regium, colloquio occultiore pollici-
tum, quod Pyrrhum italiam tunc bellis sæuissimis
exurentem veneno poculis necabit infectis: scri-
pseritque ad regem vt ab interiore caueret ob-
sequio. tantum reuerentiæ locum apud priscam
illam iustitiam, vel hostiiis mensæ * genialitas
obtinebat. Verum excusabatur recens inusitatum
facinus & pudendum necis exemplo Sertorianæ;
adulatoribus forsitan ignorantibus quod (vt De-
mosthenes perpetuum Græciæ decus adfirmat)
*numquam similitudine aut impunitate alterius cri-
minis diluitur id quod contra ac liceat arguitur fa-
ctum.* Hæc per Armeniam notabiliter gesta sunt.
Sapor vero, post suorum pristinam cladem com-
perto interitu Paræ, quem sociare sibi impendio
conabatur, mœrore graui perculsus, augenteque
nostri exercitus alacritate formidinem, maiora si-
bi præseminans, Arsace legato ad principem mis-
so, perpetuam ærumnarum caussam deleri peni-
tus suadebat Armeniam: si id displicuisset, aliud

A poscens, vt Hiberiæ diuisione cessante, remotis-
que inde partis Romanæ præsidiis, Aspacures
solus regnare permitteretur, quem ipse præfece-
rat genti. Ad quæ Valens in hanc respondit sen-
tentiam: Nihil derogare se posse placitis ex con-
sensu firmatis, sed ea studio curatiore defendere.
Glorioso proposito contrariæ regis litteræ hic-
me iam extrema perlatæ sunt, vana causantia &
tumida. Adseuerebat enim, non posse semina ra-
dicitus amputari discordiarum, nisi interuenis-
B sent conscij pacis fœderatæ cum Iouiano, quorum
aliquos vita didicerat abscessisse. Ingrauescente
post hæc altius cura, Imperator * eligere consilia
quam inuenire sufficiens, id conducere rebus e-
xistimans, Victorem magistrum equitum, & Vr-
bicium Mesopotamiæ ducem, ire propere iussit
in Persas, responsum absolutum & vniusmodi
perferentes, quod rex iustus & suo contentus, vt
iactitabat, scelesțe concupiscat Armeniam, ad
arbitrium suum viuere cultoribus eius ex pacto
C permissis: & ni Sauromaci præsidia militum im-
peritia principio sequentis anni, vt dispositū est,
impræpedita reuerterint, inuitus ea complebit
quæ sponte sua facere supersedit. Quæ legatio,
recta quidem & libera: ni deuiasset in eo quod
absque mandatis oblatas sibi regiones in eadem
Armenia suscepit exiguas. Qua regressa, aduenit
Surena potestatis secundæ post regem, has eas-
dem Imperatori offerens partes, quas audacter
nostri sumpsere legati. Quo suscepto liberaliter
D & magnifice, sed parum impetrato quod posce-
bat remisso, parabantur magna instrumenta bel-
lorum, vt mollita hieme Imperatore trinis agmi-
nibus perrupturo Persidem, ideoque Scytharum
auxilia festina celeritate mercante. Proinde pa-
rum adeptus ea quæ spe vana conceperat Sapor,
vltraque solitum asperatus, quod ad expeditionē
accingi rectorem conceperat nostrum, iram eius
conculcans, Surenæ dedit negotium vt ea quæ
Victor comes susceperat & Vrbicius, armis re-
E peteret: &, si quisquam repugnaret, & milites
Sauromacis præsidio destinati, malis adfligeren-
tur extremis. Hæcque vt statuerat maturata con-
festim, nec emendari potuerunt nec vindicari:
quia rem Romanam alius circumsteterat meru
rorius Gotthiæ Thracias licentius perrumpen-
tis: quæ funera tunc explicari poterunt carptim, si
ad ea quoque venerimus. Hæc per Eoos agitata
sunt tractus: quorum inter seriem Africanas cla-
des, & legatorum Tripoleos manes inultos etiam
F tum & errantes, *sempiterna vindicauit iustitiæ vi-
gor, aliquotiens serus, sed scrupulosus quæsitor gesto-
rum recte vel secius*: hoc modo. Remigium quem
populanti prouincias retulimus comiti fauisse
Romano, postquam Leo in eius locum magister
esse cœpit officiorum, à muneribus reipublicæ
iam quiescens, negotiis se ruralibus dedit prope
Mogontiacum in genitalibus locis. Quem ibi
morantem securius præfectus prætorio Maximi-
nus reuersum ad otium spernens, vt solebat diræ
G luis ritu grassari per omnia, lædere modis quibus
poterat adsectabat: vtque rimaretur plura quæ la-
tebant, Cæsarium antehac eius domesticum, po-
stea notarium principis, raptum, quæ Remigius
egerit, vel quantum acceperit vt Romani iuuaret
actus infandos, per quæstionem cruentam inter-
rogabat. Quibus ille cognitis, quum esset (vt di-
ctum est) in secessu, conscientia malorum vrgen-
te, vel rationem formidine superante calumnia-
rum,

rūm, immodato gutture laquei nexibus interiit. Sequuto post hæc anno, Gratiano adscito in trabeæ societatem Equitio consule, Valentiniano post vastatos aliquos Alemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basiliam, quod appellant accolæ Robur, offertur præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades. Quibus ille, vt cunctatorem decuerat ducem, examinatius lectis, attonitus cogitationib. anxiis, Paterniano notario misso, negotium scrupulosa quæsiuit indagine. moxque veris per eum nuntiis gestorum acceptis, euolare protinus festinabat, ausostemarare limitem barbaros primo fragore, vt mente conceperat, oppressurus armorum. Quia igitur abeunte autumno multa impediebant & aspera, adnitebantur omnes per regiam optimates, vt adusque principium veris eum pertinerēt exoratum: primum durata pruinis itinera, vbi nec adultæ in pastum herbæ reperirentur, nec cetera vsui congrua, penetrari non posse firmantes: dein vicinorum Gallis regum immanitatem, maximeque omnium Macriani vi formiditati tunc, prætendentes: quem constabat impacatum relictum etiam ipsa vrbium mœnia tentaturum. Hæc memorantes addentesque vtilia, reduxere eum in meliorem sententiam: statimque, vt conducebat rei communi, prope Mogontiacum blandius rex antedictus accitur, procliuis ipse quoque ad excipiēdū fœdus vt apparebat. Et venit immane quo quātoque flatu distentus, vt futurus arbiter superior pacis: dieque prædicto conloquij, ad ipsam marginem Rheni caput altius erigens stetit, hinc inde sonitu scutorum intonante gentilium. Contra Augustus adscensis amnicis lembis, septus ipse quoque multitudine castrensium ordinū, tutius prope ripas accessit, signorum fulgentium nitore conspicuus. & immodestis gestibus murmureque barbarico tandem sedato, post dicta & audita vltro citroque versus, amicitia media sacramenti fide firmatur. Hisque perfectis discessit turbarum rex artifex delinitus, futurus nobis deinceps socius: & dedit postea adusque vitæ tempus extremum, constātis in concordiam animi facinorum documentum pulchrorum. Periit autem in Francia postea: quam dum internecive vastando perrumpit audius, oppetiit Mellobaudis bellicosi regis insidiis circumuentus. Post fœdus tamen solenni ritu impletum Treueros Valentinianus ad hiberna discessit. Hæc per Gallias & latus agebantur arctoum. At in Eois partibus alto externorum silentio intestina pernicies augebatur, per Valentis amicos & proximos: apud quos honestate vtilitas erat antiquior. Nauabatur enim opera diligens vt homo rigidus audire cupiens lites, à studio iudicandi reuocaretur, metu ne ita vt Iuliani temporibus defensione innocentia respirante, frangeretur potentium tumor, adsumpta licentia latius solitus euagari. Ob hæc & similia concordi consensu dehortantibus multis, maximeque Modesto præfecto prætorio regiorū arbitrio spadonum exposito, & subagreste ingeniū nullis vetustatis lectionibus expolitum coacto vultu fallente, & adserente quod infra imperiale * culmen caussarum essent minutiæ priuatarum, ille, ad humiliandum celsitudinem potestatis negotiorum examina spectanda instituta esse arbitratus, vt monebat, abstinuit penitus, laxauitque rapinarum fores, quæ roborabantur in dies iudicum aduocatorumque prauitate sententiam paria, qui tenuiorū negotia militaris rei rectoribus vel intra palatium validis venditantes, aut opes aut honores quæsiuere præclaros. Hanc professionem oratorum forensium, πολιτικῆς μορίου εἴδωλον, id est ciuilitati particulæ vmbram, vel adulationis partem quartam, esse definit amplitudo Platonis: Epicurus autem κακοτεχνίαν nominans, inter artes numerat malas: Ctesias suasionis opificem esse memorat, adsentiente Leontino Gorgia. Quam à veteribus ita determinatam, orientalium quorumdam versutia, adusque bonorum extulit odium: vnde etiam retinaculis

B temporis præstituti frænatur. Ergo absolutis super eius indignitate paucis, quam in illis partibus agēs expertus sum, ad cœptorum cursum, regrediar institutum. Florebant elegantiæ priscæ patrociniis tribunalia, quum oratores concitæ facundiæ attēti studiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis, ornamentisque dicendi pluribus eminebant: vt Demosthenes, quo dicturo concursus audiendi caussa ex tota Græcia fieri solitos, monumentis Atticis continetur: & Callistratus, quem nobilem illam super Oropo caussam (qui locus in Eubœa est) perorantem

C idem Demosthenes, academia cum Platone relicta, sectatus est: vt Hyperides, & Æschines, & Andocides, & Dinarchus, & Antiphon ille Rhamnusius, quem ob defensum negotium omnium primum antiquitas prodidit accepisse mercedem. Nec minus apud Romanos Rutilij & Galbæ & Scauri, vita, moribus, frugalitateque spectati, & postea per varias æui sequentis ætates censorii & consulares multi & triumphales, Crassi & Antonij, & cum

D Philippis Scæuolæ, aliique numerosi, post exercitus prosperrime ductos, post victorias & tropæa, ciuilibus stipendiorum officiis floruerunt: laureasque fori speciosis certaminibus occupantes, summis gloriæ honoribus fruebantur. Post quos excellentissimus omnium Cicero, orationis imperiosæ fulminibus sæpe depressos aliquos iudiciorū eripiens flammis, non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, negligenter defendi sine scelere non posse, firmabat. At nunc videre est per eos omnes tractus violenta & rapacissima genera

E hominum, per fora omnia volitantium, & subsidētium diuites domos, vt Spartanos canes aut Cretas, vestigia sagacius colligendo, ad ipsa cubilia peruenire caussarum. In his primus est cœtus eorū, qui seminādo diuersa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum postes & orborum limina deterentes, & auidi inter discordātes amicos aut propinquos vel adfines simultatum ob leuia scrinij receptacula odia struentes infesta: in quibus ætatis progressu non vt aliorum vitia intepescunt, sed ma-

F gis magisque roborantur. inter rapinas insatiabiles inopes ad capiendam versutis orationibus iudicū fidem, quorum nomen ex iustitia natum est, sicam ingenij distringentes. Horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur * fluentia loquendi, quarum artium * sæuitate, vt Tullius adseuerat, nefas est religionem decipi iudicantis. Ait enim: *Quumque nihil tam incorruptum esse debeat in rep. quam suffragium, quam sententia, non intelligo cur*

G *qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit, qui eloquētia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur qui oratione quam qui precio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.* Secundū est genus eorum qui iuris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum aboleuere dissidia, velut vinculis ori impositis reticente iugi silentio, vmbratum sunt similes propriarū. Hi velut fata natalitia præmonstrantes,

aut Sibyllæ oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum composita tristiorem, ipsum quoque vendirant quod oscitantur. Hi, vt altius videatur iura callere, Trebatium loquuntur, & * Cæfellium & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumque * iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc seculis obrutas multis: & si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragantes absolutionem lectiones reconditas pollicentur, si te nummatum senserint. Tertius eorum est ordo, qui vt in professione turbulenta clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes vilesque latratus, quo velint, aditus sibi patefaciunt crebros: qui inter sollicitudines iudicum per multa dissidentas, inextricabili nexu vincientes negotia, laborant vt omnis quies litibus implicetur, & nodosis quæstionibus de industria iudicia circumscribunt: quæ, quum recte procedunt, delubra sunt æquitatis: quum deprauantur, foueæ fallaces & cæcæ: in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exsiliet lustra, adusque ipsas medullas exsuctus. Quartum atque postremum est genus, impudens, peruicax & indoctum, eorum qui quum immature à literariis eruperint ludis, per angulos ciuitatum discurrunt, mimiambos, non caussarum remediis congrua, commentantes, fores diuitum deterendo, cœnarum ciborumque aucupantes delicias exquisitas: qui quum semel vmbraticis lucris & inhiandæ vndique pecuniæ sese dediderint, litigare frustra quoslibet innocentes hortantur: & ad defendendam caussam admissi (quod raro contingit) suscepti nomen & vim negotii sub ore disceptatoris inter ipsos conflictuum articulos instruuntur, circumloquutionibus indigestis ita scatentes, vt colluuionis teterrimæ audire existimes vlulabili clamore Thersiten. Quum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrænatam deflectunt conuitiandi licentiam: quo nomine ob assidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati. E quibus ita sunt rudes nonnulli, vt numquam se codices habuisse meminerint. & si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulij peregrinum esse vocabulum arbitrantur: si vero aduena quisquam inusitatum sibi antea Marcianum verbotenus quæsierit oratorem, omnes confestim Marcianos appellari se fingunt. Nec iam fas vllum præ oculis habent: sed tamquam auaritiæ venumdati & visucapti, nihil præter infinitam petendi licentiam norunt. Et si quem semel intra retia ceperint, casibus mille impedicant, per morborum simulationem vicissim consulto cessantes: vtque peruulgati, tutis proferatur lectio * vna, septem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longissima contexentes. Et quum nudatis litigatoribus dies cesserint & menses & anni, tandem obtrita vetustate controuersia, intromissa ipsa capita splendoris, ingressa alia secum aduocatorum simulacra inducunt. Quumque intra cancellorum venerint septa, & agi cœperint alicuius fortunæ vel salus, atque laborari debeat vt ab insonte gladius, vel calamitoso detrimenta pellantur, corrugatis hinc inde frontibus, brachiisque histrionico gestu formaris, vt concionaria Gracchi fistula post occipitium desit, consistitur altrinsecus diu. Tandemque ex præmeditato conludio per eum qui est in verba fidentior, suaue quoddam principium dicendi exseritur, pro Cluentio

A vel pro Ctesiphonte orationũ æmula ornamenta promittens: & in eam conclusionem cunctis finem cupientib. desinit, vt nõdum se patroni post speciẽ litis trienniũ editã caussentur instructos: spatioque prorogati temporis impetrato, quasi cum Antæo vetere colluctati, perseuerantes flagitant pulueris periculosi mercedes. Veruntamen hæc cum ita sint, non desunt aduocatis incommoda plurima, parum sustinenda recte victuro. Namque sellolariis quæstib. inescati, inter se hostiliter dissident: B & rupta maledicendi ferocia, vt dictum est, multos offendunt: quam tunc effutiunt, quum commissarum sibi caussarum infirmitatem orationibus validis conuelare non possunt. & iudices patiuntur interdum, * doctos ex Philistionis aut Æsopi cauillationibus, quam ex Aristidis illius iusti vel Catonis disciplina productos, qui ære graui mercati publicas potestates, vt creditores molesti, opes cuiusquemodi fortunæ rimantes, alienis gremiis excutiunt prædas. Ad vltimum id habet * caussidici- C na cum ceteris metuendum & graue, quod hoc ingenitum est pene litigantibus cunctis, vt quũ iurgia mille casibus cadant, accidentia secus in potestate esse existiment patronorum, & omnem certaminum exitum iisdem soleant adsignare, & nõ vitiis rerum aut iniquitati aliquotiens disceptantiũ, sed solis defensantibus irascantur. Verum vnde huc declinauimus reuertamur. Pubescente iam vere, Valentinianus à Treueris motus, per nota itinera gradu celeri contendebat: eique regiones D aduentanti quas petebat, legatio Sarmatarum offertur: pedibusque eius prostrata, orabat pacifica prece, vt propitius veniret & lenis, nullius diri facinoris participes populares suos inuenturus aut conscios. Quibus sæpe eadem iterantibus, hactenus perpensa deliberatione respondit, hæc in locis vbi dicuntur admissa, quærenda verissimis documentis & vindicanda. Quumque exinde Carnuntum Illyriorum oppidum introisset, desertum quidem nunc & squalens, sed ductori exercitus E perquam opportunum, vbi sors copiam dedisset aut ratio, è statione proxima reprimebat barbaricos adpetitus. Et quamquam terrori cunctis erat, dum sperabatur vt acer & vehemens mox indicta damnari iussurus, quorum perfidia vel secessione Pannoniarum nudatum est latus, quum illuc venisset, ita intepuit, vt neque in Gabinii regis inquireret necem, neque inusta reipublicæ vulnera, quo fluente vel agente segnius euenissent, accuratius vestigaret: eo videlicet more quo erat seuerus in F gregariis corrigendis, remissior erga maiores fortunas vel verbis asperioribus incessendas. Solũ tamen incitato petebat odio Probum, nũquã ex quo eum viderat, minari desinens vel mitescens: cuius rei caussæ nec obscuræ fuerunt nec leues. Hic præfectoram prætorio tunc primitus nanctus, eamque multis atque vtinam probabilibus modis in longum proferre gestiens, non vt prosapiæ suæ claritudo monebat, plus adulationi quam verecundiæ dedit. Contemplatus enim propositum princi- G pis, quærendæ vndique pecuniæ vias absque iustorum iniustorumque discretione scrutantis, errantem non reducebat ad æquitatis tramitem, vt sæpe moderatores fecere tranquilli, sed ipse quoque flexibilem sequebatur atque transuersum. Vnde graues obedientium casus, exitialia prouisorum nomina titulorum iuxta opulentas & tenues eneruatas succidere fortunas, argumentis post aliis validioribus aliis, vsu lædendi reperiẽte

longæuo

A lõgæno. Denique tributorum onera vectigalium-
quaaugmenta multiplicata,optimatum quosdam,
vltimorum metu exagitatos, mutare compulerunt
sedes: & flagitantium ministrorum amaritudine
quidam oppressi,quum non suppeteret quod dare-
tur,erant perpetui carcerum inquilini: e quibus a-
liquos,quum vitæ iam tæderet & lucis,suspendio-
rum exoptata remedia consumpserunt.Hæc ita in-
lecebrosius atque inhumanius agi loquebatur qui-
dem pertinax tumor:Valentinianus vero, tamquã
B auribus cera inlitis, ignorabat, indifferanter qui-
dem lucrandi vel ex rebus minimis auidus, idque
tantum cogitans quod offerebatur: parsurus ta-
men fortasse Pannoniis, si hæc ante ingemiscenda
compendia comperisset,quæ nimium sero tali di-
dicit casu. Ad prouincialium residuorum exem-
plum,etiam Epirotæ acturos sibi gratias à præfecto
mittere compulsi legatos, Iphiclem quendam phi-
losophum, spectatum robore pectoris hominem,
adegere non sponte propria pergere ad id munus
C impiendum. Qui quum Imperatorem vidisset,a-
gnitus, aduentusque sui caussam interrogatus,
Græce respondit: atque vt philosophus veritatis
professor,quærente curatius principe si hi qui mi-
sere,ex animo bene sentiunt de præfecto, *Gemen-
tes*,inquit,*& inuiti*. Quo ille verbo tamquam telo
perculsus,actus eius vt sagax bestia rimabatur, ge-
nuino percunctando sermone quod non scitabat,
vbinam illa esset (verbi gratia) honore inter suos
antecellens,& nomine, vel ille diues, aut altus or-
D dinis primus. Quumque disceret perisse aliquẽ la-
queo,abisse alium trans mare, consciuisse sibi aliũ
mortem aut plumbo vita erepta exstinctum, in
immensum excanduit, vrente irarum nutrimenta
tunc officiorum magistro Leone, pro nefas, ipso
quoque præfecturam, si celsiore scopulo caderet,
adfectante:quam si adeptus rexisset,præ his quæ e-
rat ausurus, administratio Probi ferebatur in cæ-
lum. Agens itaque apud Carnuntum Imperator
per continuos tres menses æstiuos, arma parabat
E & alimenta:si qua fors secundasset, peruasurus op-
portune Quados, tumultus atrocis auctores. In
quo opido Faustinus filius sororis Viuentij præ-
fecti prætorio,notarius militans, Probo spectante
negotium,carnificis manu peremptus est post tor-
menta, vocatus in crimen quod asinum occidisse
dicebatur ad vsum artium secretarum,vt adserebãt
quidam vrgentes:vt autem aiebat ille, ad imbecil-
litatem firmandam fluentium capillorum: alio
quoque in eum perniciose composito, quod pe-
F tenti per iocum cuidam Nigrino vt eum notariũ
faceret,exclamauit ille hominem ridens, *Fac me
Imperatorem si id voluerit impetrare*. Hocque ludi-
brio inique interpretato, & Faustinus ipse & Ni-
grinus & alij sunt interfecti. Præmisso igitur Me-
robaude cum militari peditum manu quam rege-
bat,ad vastandos cremadosque barbaricos pagos,
comite adiuncto Sebastiano, Valentinianus A-
cincum prope castra cõmouit: nauigiisque ad re-
pentinũ casum coniunctis, & contabulato celeri
G studio ponte,per partem aliam transiit in Quados:
speculantes quidem ex dirupiis montibus eius ad-
uentum, quo plerique ancipites incertique acci-
dẽtium.cum suis caritatibus secesserunt:sed stupo-
re defixos, quum in regionibus suis contra quam
opinabantur angusta cernerent signa. Progressus
ergo coacto gradu in quantum res tulit, iugulata-
que ætate promiscua, quam etiam tum palantem
subitus occupauit excursus,& tectis combustis,re-

A diit cum incolumibus cunctis quos duxerat secum:
Itidemque apud Acincum moratus, autumno præ-
cipiti per tractus conglaciari frigoribus adsuetos,
cõmoda quærebat hiberna: nullaque sede idonea
potiri præter Sabatiã poterat, quamuis eo inuali-
dã tempore, adsiduisque malis adflictã. Vnde hoc,
etiãsi magni intererat,paulisper sequestrato,impi-
gre motus,peragrata fluminis ripa,castrisque præ-
sidio cõpetenti munitis atque castellis,Bregitionẽ
peruenit: ibique diu cõpositum ad quietem prin-
B cipis fatum,sortẽ denuntiabat ei supremam, pro-
digiis ingerentibus multis. Namque diebus ante
paucissimis, ruinas fortunarum indicantia celsarũ
arsere crinita sidera cometarũ, quorum originem
supra docuimus:&apud Sirmium repentino frago-
re nubium fulmen excussum,palatij & curiæ partẽ
incendit & fori: & apud Sabariã eodẽ adhuc cõsti-
tuto,bubo culminibus regij lauacri*confidens,oc-
centansque funebria, nulla iacentium sagittas &
lapidea cõtemplabili dextera cadere potuit, certa-
C tim licet ardenti studio petebatur. Item quum ab
vrbe prædicta tenderet ad procinctum, per portã
voluit vnde introiit exire,vt omen colligeret quod
cito remeabit ad Gallias,quumque locus adgestis
ruderibus neglectus purgaretur, lapsam forẽ ferra-
tam, quæ exitum obserauit, multitudo remouere
nõ potuit viribus magnis enisa: & dum frustra te-
reret diẽ,coactus per aliam egressus est portã. No-
cteque quã lux erepturа eum vita sequuta est, (vt
per quietẽ solet)videbat cõiugem suam absentem
D sedere passis capillis,amictu squalenti contectam:
quam æstimari dabatur fortunam eius esse cum te-
tro habitu iã discessuram.Progressus deinde matu-
tinus contractiore vultu subtristis,quum eum ob-
latus non susciperet equus anteriores pedes præ-
ter morem erigens in sublime,innata feritate con-
citus,vt erat immanis, dexteram stratoris militi
iussit abscidi, quæ eum insilientem iumento pul-
serat consueto: perissetque cruciabiliter innocens
iuuenis,ni tribunus stabuli Cerealis dirum nefas cũ
E sui periculo distulisset. Post hæc Quadorum vene-
re legati, pacem cum præteritorum oblitteratione
suppliciter obsecrantes:quam vt adipisci sine ob-
staculo possent,& tirocinium & quædam vtilia rei
Romanæ pollicebantur. Quos quoniam suscipi
placuit,& redire induciis quæ poscebantur indul-
tis,(quippe eos vexari diutius,nec ciborum inopia
nec alienum tempus anni patiebantur) in consisto-
rium Equitio introducẽte sunt intromissi.Quum-
que membris curuatis starent metu debiles & præ-
F stricti,docere iussi quæ ferebant,vsitatas illas caus-
sationum species iurandi fidem addendo firmabãt:
nihil ea communi mente procerum gentis deli-
ctum adseuerãtes in nostros,sed per extimos quos-
dam latrones amnique confines euenisse quæ in-
ciuiliter gesta sunt:etiam id quoque addendo, vt
sufficiens ad facta purganda, firmantes quod mu-
nimentum castri cœptum nec iuste nec opportu-
ne, ad ferociam animos agrestes accendit. Ad hæc
Imperator ita vehementi perculsus, & inter exor-
G dia respondendi tumidior, increpabat verborum
obiurgatorio sono nationem omnem, vt benefi-
ciorum immemorem & ingratam: paulatimque
lenitus & ad molliora propensior, tamquam ictus
telo vitalia, voceque simul obstricta, suffectus i-
gneo lumine cernebatur: & repente cohibito san-
guine letali sudore perfusus, ne laberetur spectan-
tibus exsulibus, concursu ministrorum vitæ secre-
tioris ad conclaue ductus est intimum. Vbi loca-

tus in lecto, exiguas spiritus reliquias trahens, nõdum intelligendi minuto vigore, cunctos agnoscebat adstantes: quos cubicularii, nequis eum necatum suspicaretur, celeritate maxima conrogarant. Et quoniam viscerum flagrante compage laxanda erat necessario vena, nullus inueniri potuit medicus, hanc ob caussam quod eos per varia sparserat, curaturos militem pestilentiæ morbo tentatũ. Vnus tamen repertus venam eius iterum sæpiusque pungendo, ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate calorum ambustis; vel (vt quidam existimabant) arefactis ideo membris, quod meatus aliqui quos hæmorrhoidas nunc appellamus, obserati sunt gelidis frigoribus concrustati. Sensit immensa vi quadam vrgente morborum, vltimæ necessitatis adesse præscripta: dicereque conatus aliqua vel mandare, (vt singultus ilia crebrius pulsans, stridorque dentium, & brachiorũ motus velot cæstibus dimicantium indicabat) iam superatus liuentibusque maculis interfusus, animum diu colloctatum efflauit, ætatis quinquagesimo anno & qointo, imperij minus centum dies secundo & decimo. Replicare nunc est opportunum, vt aliquoties fecimus, & ab ortu primigenio patris huiusce principis, adusque ipsius obitum, actus eius discurrere per epilogos breues, nec vitiorum prætermisso discrimine vel bonorum, quæ potestatis amplitudo monstrauit, nudare solita semper animorum interna. Natus apud Cibalas Pannoniæ opidum Gratianus maior ignobili stirpe, cognominatus est à pueritia prima *Funarius*, ea re quod nondum adultus venalem circumferens funem, quinque militibus eum rapere studio magno conaris nequaquam cessit, æmulatus Crotoniaten Milonem, cui mala sæpe cohærenter læua manu retinenti vel dextra, nulla vmquam virium fortitudo abstraxit. Ob ergo validi corporis robur & peritiam militum more luctandi notior multis, post dignitatẽ protectoris atq. tribuni comes præfuit rei castrẽsi per Africã: vnde furtorũ suspicione cõtactus digressusque, multo postea pari potestate Britannum rexit exercitum, tandemque honeste sacramento solutus, reuertit ad larem: & agẽs procul à strepitu, mulctatione bonorum adflictus est à Constantio, hoc nomine quod ciuili flagrante discordia, hospitio dicebatur suscepisse Magnentiũ, per agrum suum ad proposita festinantem. Cuius meritis Valentinianus ab ineunte adulescentia commendabilis, contextu suarum quoque suffragante virtutum, indutibus Imperatoriæ maiestatis apud Nicæam ornatus, in augustum collegium fratrem Valentem adsciuit, germanitate concordi sibi cõiunctissimum, inter probra medium & præcipua, quæ loco docebimus competenti. Igitur Valentinianus, post periculorum molestias plures dũ esset priuatus emensas, imperitare exorsus, arces prope flumina sitas & turbines, & Gallias petiit Alemanoicis patentes excursibus, reuiuiscentibus erectius cognito principis Iuliani interitu, quem post Constantem solum omnium formidabant. Ideo autem etiam Valentinianus merito timebatur, quod & exercitus auxit * valido supplemento, & vtrobique Rhenum celsioribus castris muniuit atque castellis, ne latere vsquam hostis ad nostra se proripiens posset. Vtque multa prætereamus quæ egit moderatoris auctoritate fundati, quæque per se vel duces correxit industrios, post Gratianũ filium in societatem suæ potestatis adsomptum, Vithigabium regem Alemannorum Vadomario

A genitum, adulescentem in flore primo genarum, nationes ad tumultus cientem & bella, clam, quia non potuit aperte, consodit: & Alemannis cõgressus prope Sollicinium locum, vbi insidiis pene perierat circumuentus, ad exitium vltimum delere potuit vniuersos, ni paucos velox effugium tenebris amandasset. Inter hæc tamen caute gesta, iam conuersos ad metuendam rabiem Saxonas, semper quolibet inexplorato ruentes, delatosque tunc ad maritimos tractus, quorum spoliis pene redierant B onusti, malefido quidem sed vtili commento peremit, præda raptoribus vi fractis excussa. Itidemque Britannos, cateruas superfusorum hostium non ferentes, spe meliorum adsumpta in libertatem & quietem restituit placidam, nullo pene redire permisso grassatorum ad sua. Efficacia pari Valentinũ quoque Pannonium exsulem, vt per has prouincias molientem otium turbare commune, antequam negotium efferuesceret, oppressit. Africam deinde malo repentino perturbatam, discriminibus ma-C gnis exemit, quum voraces militarium fastus ferre nequiens Firmus, ad omnes dissensionum motus perflabiles gentes Mauricas concitasset. Similique fortitudine clades ingemiscendas Illyrici vindicasset, ni morte præuentus reliquisset rem seriam imperfectam. Ac licet opera præstabilium ducum hęc quæ retulimus consummata sunt, tamen ipsum quoque satis constat, vt erat expeditæ mentis vsuque castrensis negotii diuturno firmatus, egisse cõplura: inter quæ illud elucere clarius potuit, si Ma-D crianum regem ea tempestate terribilem, viuum capere potuisset, vt industria magna tentarat, postquam eum euasisse Burgundios, quos ipse admouerat Alemannis, mœrens didicisset & tristis. Hæc super actibos principis breui sunt textu percursa. Nunc, confisi quod nec metu nec adulandi fœditate constricta posteritas, incorrupta pręteritorum solet esse spectatrix, summatim eius numerabimus vitia, post & bene merita narraturi. Adsimulauit nonnunquam clementiæ speciem, quum esset in E acerbitatem naturæ calore propensior, oblitus profecto quod *regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli sunt deuitanda*. Nec enim vsquam reperitur miti coercitione contentus, sed aliquotiens quęstiones multiplicari iussisse cruentas, post interrogationes funestas nonnullis adusque discrimina vitæ vexatis. Et ita erat effusior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni: quũ id etiam principes interdum fecerint sæuissimi. F Atqui potuit exempla multa contueri maiorum, & imitari peregrina atque interna humanitatis & pietatis, quas sapientes consanguineas * virtutes esse definiunt: e quibus hæc sufficiet poni. Artaxerxes Persarum ille rex potentissimus, quem Macrochira membri vnius longitudo commemorauit, suppliciorum varietates, quas natio semper exercuit cruda, lenitate genuina castigans, tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputabat: &, ne secaret aures more regio pro delictis, ex galerit fi-G la pendentia præcidebat: quæ temperantia morũ ita tolerabilem eum fecit & * verecundum, vt adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Græcis scriptoribus celebratos. Prænestino prætore, qui bello quodam Samnitico properare iussus ad præsidium venerat segnius, ad crimen diluendum exhibito, Papirius Cursor ea tempestate dictator, securem per lictorem expediri, homineque abiecta purgandi se fiducia stupefacto, visum

prope

prope fruticem iussit abscidi, hocque ioci genere castigatum eum absoluit, * non ideo contemptus, vt ad resistendum aptus Alexandro magno, si calcasset Italiam, æstimatus. Hæc forsitan Valentinianus ignorans, minimeque reputans *adflictis solatia status semper esse lenitudinem principum*, pœnas per ignes augebat & gladios: quod vltimum in aduersis rebus remedium pietas reperit maiorum, vt Isocratis memorat pulchritudo: cuius vox est perpetua docentis, *ignosci debere interdum armis superato rectori, quam iustum quid sit ignoranti.* Vnde motum existimo Tullium, præclare pronuntiasse quum defenderet Oppium, *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit.* Auiditas plus habendi sine honesti prauique differentia, & indagandi quæstus varios per alienæ vitæ naufragia, exundauit in hoc principe flagrantius adolescens: quam * quidem, prætendentes Imperatorem Aurelianum, purgare tentabant, id adfirmando, quod vt ille post Gallienum & lamentabiles reipublicæ casus exinanito ærario, torrentis ritu ferebatur in diuites, ita hic quoque post procinctus Parthici clades magnitudine indigens impensarum, vt militi supplementa suppeterent & impendium, crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miscebat: dissimulans scire quod *sunt aliqua quæ fieri non oportet, etiamsi licet*: Themistoclis illius dissimilis, qui cum post pugnam agminaque deleta Persarum, licenter obambulans armillas aureas vidisset humi proiectas & torquem, *Tolle*, inquit, *hæc*, ad comitum quemdam propè adstantem, *tu qui Themistocles non es*: non quodlibet probans in duce magnanimo lucrum. Huius exempla continentiæ similia plurima in Romanis exuberant ducibus: quibus omissis, quoniam non sunt perfectæ virtutis indicia, (nec enim aliena non rapere, laudis est) vnum ex multis constans innocentiæ vulgi veteris specimen ponam. Quum proscriptorum locupletes domus diripiendas Romanæ plebi Marius dedisset & Cinna, vulgi rudes animi & humana soliti respectare, alienis laboribus pepercerunt: vt nullus egens reperiretur aut infimus, qui de ciuili luctu fructum contrectare pateretur sibi concessum. Inuidia præter hæc antedictas medullitus vrebatur: & sciens pleraque vitiorum imitari solere virtutes, memorabat adsidue, liuorem virtutum rectæ potestatis induidam esse sociam. Vtque sunt dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimantes, & ad sugillandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati, bene vestitos oderat, & eruditos & opulentos, & nobiles: & fortibus detrahebat: vt solus videretur bonis artibus eminere: quo vitio exarsisse principem legimus Hadrianum. Arguebat hic idem princeps timidos sæpius, maculosos tales appellans & sordidos, & infra sortem humilem amandandos: ad pauores irritos aliquotiens abiectius pallens, &, quod nusquam erat, mattente formidans. Quo intellecto magister officiorum Remigius, quum eum ea tacientibus ira feruere sentiret, fieri motus quosdam barbaricos inter alia subserebat: hocque ille audito, quia timore mox frangebatur, vt Antoninus Pius erat serenus & clemens. Iudices numquam consulto malignos elegit: sed si semel promotos agere didicit immaniter, Lycurgos inuenisse se prædicabat & Cassios, columina iustitiæ priscæ: scribensque hortabatur adsidue, vt noxas vel leues acerbius vindicarent: nec adflictis erat

A vllum in principis benignitate perfugium: quod semper, vt agitato mari iactatis portus patuit exoptatus. *Finis enim iusti imperij (vt sapientes docent) vtilitas obedientium æstimatur & salus.* Consentaneum est venire post hæc ad eius actus sequendos recte sentientibus & probandos: cum quibus si reliqua temperasset, vixerat vt Traianus & Marcus. In prouinciales admodum parcus, tributorum vbique molliens sarcinas: oppidorum & limitum conditor tempestiuus: militaris disciplinæ censor exi- B mius: in hoc tantum deerrans, quod quum gregariorum etiam læuia puniret errata, potiorum ducum flagitia progredi sinebat in maius, ad querelas in eos motas aliquotiens obsurdescens: vnde Britannici strepitus, & Africanæ clades, & vastitas emersit Illyrici. Omni pudicitiæ cultu domi castus & foris, nullo contagio conscientiæ violatus obscœnæ: nihil incestum: hancque ob caussam tamquam retinaculis petulantiam frænarat aulæ regalis: quod custodire facile potuit. Necessitudini- C bus suis nihil indulgens; quas aut in otio reprimebat, aut mediocriter honorauit, absque fratre: quem temporis compulsus angustiis, in amplitudinis suæ societatem adsumpsit. Scrupulosus in deferendis potestatibus celsis, nec imperante eo prouinciam nummularius rexit, aut administratio venumdata nisi inter initia, vt solent occupationis spe vel impunite quædam scelesta committi. Ad inferenda propulsandaque bella sollertissimus, cautus, æstu Martij pulueris induratus: boni praui- D que suator & dissuasor admodum prudens, militaris rei ordinum scrutantissimus: scribens decore, venusteque pingens & fingens: & nouorum inuentor armorum: memoria sermoneque incitato quidem sed raro facundiæ proximo vigens: amator munditiarum, lætusque non profusis epulis sed exculis. Postremo hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diuersitates medius stetit: nec quemquam inquietauit, neque vt hoc coleretur imperauit aut illud, nec interdictis E minacibus subiectorum ceruicem ad id quod ipse coluit inclinabat: sed intemeratas reliquit has partes vt reperit. Corpus eius lacertosum & validum, capilli fulgor colorisque nitor, cum oculis cæsiis semper obliquum intuentis & toruum. Atque pulchritudo staturæ, liniamentorumque recta compago, maiestatis regiæ decus implebat. Post conclamata Imperatoris suprema, corpusque conditum ad sepulturam, vt in ipsum Constantinopolim inter diuorum reliquias humaretur, suspenso in- F stante procincto, anceps rei timebatur euentus cohortibus Gallicanis, quæ non semper dicatæ legitimorum principum fidei, velut imperiorum arbitræ, ausuræ nouum quiddam in tempore sperabantur, hoc tentatores nouitatis adiuuante, quod gestorum ignarus etiamtum Gratianus agebat tum apud Treueros, vbi profecturus eum morari disposuerat pater. Quum negotium in his esset angustiis, &, tamquam in eadem manu futuri periculorum si * accidisset participes, omnes eadem formi- G darent, sedit summatum consilio, auulso ponte quem compaginarat ante necessitas inuadendas terras hostiles, vt superstitis Valentiniani mandato Merobaudes protinus acciretur. Hocque ille, vt erat sollertis ingenii, quod euenerat ratus, aut forte doctus ab eo per quem vocabatur, ruptorum concordiæ intra Gallicanum militem suspicatus, missam ad se tesseram finxit redeundi cum eo ad obseruandas Rheni ripas, quasi furore barbarico

crudeſcentes: vtque erat ſecrete mandatum, Sebaſtianum, principis adhuc ignorantē exceſſum, longius amandauit: quietū quidē virum & placidum, ſed militari fauore ſublatū, & eo maxime tunc cauendum. Reuerſo itaque Merobaude, altiore cura proſpectum, expedito conſilio Valentinianus puer defuncti filius rum quadrimus vocaretur, in imperiū cooptādus, centeſimo lapide diſparatus, degenſque cū Iuſtina matre in villa quā Murocinctā appellāt. Hocque * cōtinenti omniū ſententia cōfir-

A mato, Cerealis auūculus eius ocius miſſus, eumdem puerum lectica impoſitum duxit in caſtra: ſextoque die poſt parentis obitum Imperator legitime declaratus, Auguſtus nuncupatur more ſolenni. Et licet, quum hæc agerentur, Gratianum indigne laturum exiſtimarent, abſque ſui permiſſu principem alium inſtitutum, poſtea * metu ſollicitudine diſcuſſa vixere ſecurius, quod ille, vt erat beneuolus & peritus, conſanguineum pietate nimia dilexit & educauit.

AMMIANI MARCELLINI

RERVM GESTARVM LIBER

TRIGESIMVSPRIMVS.

INTEREA & fortunæ volucris rota, aduerſa proſperis ſemper alternans, Bellonam furiis in ætatem adſcitis armabat, mœſtoſque tranſtulit ad orientem euentus: quos aduentare præſagiorum fides clara monebat & portentorum. Poſt multa enim quæ vates augureſque prædixere veridice, reſultabant canes vlulantibus lupis & querulū quiddā nocturnæ volucres gemebant & flebile, & ſqualidi ſolis exortus hebetabant matutinos diei candores: & Antiochiæ per rixas tumultuſque vulgares id in conſuetudinem venerat vt * quiſque vim ſe pati exiſtimaret, *Viuus ardeat Valens*, licentius clamitaret. Voceſque præconum audiebantur adſidue, mandantium congeri ligna ad Valentini lauacri ſucceſſionem, ſtudio ipſius principis conditi. Quæ, hunc illi impendere exitum vitæ, modo non aperte loquendo monſtrabant. Super his laruale ſimulacrum Armeniæ regis, & miſerabiles vmbræ paulo ante in negotio Theodori cæſorum, per quietem ſtridendo carmina quædam * nimitum horrenda, multos diris terroribus agitabant. * Tragula Gurgulione confecto exanimis viſa eſt iacens. cuius mors publicorum funerum ærumnas indicabat amplas & peruulgatas. Denique quum Chalcedonos ſubuerterentur veteres muri vt apud Conſtantinopolin ædificaretur lauacrum, ordine reſoluto ſaxorum, in quadrato lapide, qui ſtructura latebat in media, hi Græci verſus inciſi reperti ſunt, futura plene pandentes:

*Ἀλλ᾽ ὁπόταν νύμφαι δροσεραὶ κατ᾽ ἄστυ χορείαις
Τερπόμεναι στρέφωνται ἐϋστεφέας κατ᾽ ἀγυιάς,
Καὶ τεῖχος λωτροῖο πολύστονον ἔσσεται ἄλκαρ·
Δὴ τότε μυρία φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων
Ἴστρου καλλιρόοιο πόρον περάοντα σὺν αἰχμῇ·
Καὶ Σκυθικὴν ὀλέσει χώρην καὶ Μυσίδα γαῖαν,
Παιονίᾳ δ᾽ ἐπιβάντα σὺν Κέλταις μαινομένοισι
Τ αὐτοῦ καὶ βιότοιο τέλος καὶ δῆρις ἕξει.

Totius autem ſementem exitii, & cladium originem diuerſarum, quas Martius furor incendio ſolito miſcendo cuncta conciuit, hanc comperimus cauſſam. *Hunnorum gens*, monumentis veteribus leuiter nota, vltra paludes Mæoticas glacialem oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit. Vbi quoniam ab ipſis naſcendi primitiis, infantum ferro ſulcantur altius genæ, vt pilorum vigor tempeſtiuus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, ſeneſcunt imberbes abſque vlla venuſtate, ſpadonibus ſimiles. compactis omnes firmiſque membris, & opimis ceruicibus * prodigioſe

B deformes & pandi: vt bipedes exiſtimes beſtias, vel quales in cōmarginandis pontibus effigiati ſtipites dolantur incompte in hominum figuras. ſic & in ſua vita viti ſunt aſperi, vt neque igni, neque * ſaporatis indigeāt cibis: ſed radicibus herbarum agreſtium & ſemicruda cuiuſuis pecoris carne veſcantur: quā inter femora ſua & equorū terga ſubſertam, fotu calefaciunt breui. Ædificiis nullis vmquam tecti; ſed hæc, velut ab vſu cōmuni diſcreta ſepulcra, declinant. Nec .n. apud eos vel arundine

C faſtigiatū reperiri tuguriū poteſt, ſed vagi, montes peragrantes & ſiluas, pruinas, famem, ſitimque perferre ab incunabulis adſueſcunt. Peregre tecta, niſi adigente maxima neceſsitate, nō ſubeunt, nec enim apud eos ſecuros exiſtimant eſſe ſub tectis. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus ſilueſtrium * murum cōſarcinatis. Nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis: ſed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta non ante deponitur aut mutatur, quam diuturna carie in pānulos defluxit

D defruſtata. Galeris incuruis capita tegūt, hirſuta cruris munientes hœdinis. Eorumq calcei formulis nullis aptati, vetant incedere greſſibus liberis. Qua cauſſa ad pedeſtres parū accōmodati ſunt pugnas: verū equis prope adfixi, duris quidē, ſed deformibus, & muliebriter iisdē nonnumquam inſidentes, funguntur muneribus * cōſuetis. In ipſis quiuis in hac natione pernox & perdius emit & vendit, cibumque ſumit & potū: & inclinatus ceruici anguſtæ iumenti, in altum ſoporem aduſque varietatem

E effunditur ſomniorum. Et deliberatione ſuper rebus propoſita ſeriis, hoc habitu omnes in cōmune conſultant. Aguntur autem nulla ſeueritate regali: ſed tumultuario primatum ductu contenti, perrūpunt quicquid inciderit. Et pugnāt nonnumquam laceſſiti: ſed ineuntes prœlia cuneatim variis vocibus ſonantibus toruum. Vtque ad pernicitatem ſunt leues & repentini: ita ſubito de induſtria diſperſi * ſugeſcunt: & incompoſita acie, cum cæde vaſta diſcurrunt: nec inuadentes vallum, nec caſtra i-

F nimica pilantes præ nimia patre decernuntur. Eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul miſſilibus telis, acutis oſſibus pro ſpiculorum acumine arte mira * coagmentatis, ſed diſtinctis comminus ferro ſine vi reſpectu con . . . hoſteſque dum mucronum noxias obſeruant, contortis laciniis illigant: vt laqueatis reſiſtentium membris equitandi vel gradiendi adimant facultatē. Nemo apud eos arat, nec

ſtiuam

stinam aliquando contingit. Omnes enim sine se-
dibus fixis, absque lare vel lege aut ritu stabili di-
spalantur: semper fugientium similes cum carpen-
tis in quibus habitant: vbi coniuges ex villis vesti-
menta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt,
& adusque pubertatem nutriunt pueros. Nullus-
que apud eos interrogatus, respondere vnde ori-
tur potest: alibi conceptus, natusque procul, & lon-
gius educatus. Per inducias infidi, inconstantes, ad
omnem auram incidẽtes spei nouæ, perquam mo-
biles, totum furori incitatissimo tribuentes: in-
consultorum animalium ritu, *quod honestum in-
honestumue sit, penitus ignorantes. Flexiloqui &
obscuri. Nullius religionis vel superstitionis re-
uerentia aliquando districti: auri cupidine im-
mensa flagrantes. Adeò permutabiles & irasci fa-
ciles, vt eodem aliquotiens die à sociis nullo irri-
tante sæpe desciscant, itidemque propitientur ne-
mine leniẽte. Hoc expeditum indomitumque ho-
minum genus, externa prædandi auiditate fla-
grans immani, per rapinas finitimorum grassatum
& cædes, adusque *Achaiam peruenit. Restant
Massagetæ: qui vnde sint, vel quas incolant terras,
(quoniam huc res prolapsa est) consentaneum est
demonstrare, geographica perplexitate monstra-
ta, quæ diu multa ludi . . & varia, tandem re-
perit veritatis interna . . ad Ister aduenarum
magnitudine fluenti Sauromatas prætermeat, ad-
usque amnem Tanaim pertinentes: qui Asiam ter-
minat ab Europa. Hoc transito, in immensum ex-
tentas Scythiæ solitudines *Alani* inhabitant, ex
montium appellatione cognominati, paulatim-
que nationes conterminas, crebritate victoriarũ
attritas, ad gentilitatem sui vocabuli traxerunt vt
Persæ. Inter hos* *Neuri* mediterranea incolunt
loca, vicini verticibus celsis: quos prærupros gelu-
que torpentes aquilones adstringunt. Post quos
* *Vidini* sunt & *Geloni*, perquam feri. Qui detractis
peremptorum hostium cutibus indumenta sibi e-
quisque tegmina conficiunt: bellatrix gens. Gelo-
nis * *Agathyrsi* collimitant, interstincti colore cæ-
ruleo, corpora simul & crines: & humiles quidem
minutis atque raris, nobiles vero * latis fucatis &
densioribus notis. Post hos, *Melanchlanas & An-
thropophagos* palari accepimus per diuersa, huma-
nis corporibus victitantes: quibus ob hæc alimenta
nefanda desertis, finitimi omnes longa petiere
terrarum. ideoque plaga omnis orienti æstiuo ob-
iecta, vsquedum venitur ad Seras, inhabitabilis
* transit. Parte alia prope Amazonum sedes* *Ala-
ni* sunt orienti acclines, diffusi per populos ac
gentes amplas, Asiaticos vergentes in tractus: quas
dilatari adusque Gangem accepi, fluuium interse-
cantem terras Indorum, mareque inundantem au-
strale. Ibi partiti per vtramque mundi plagam A-
lani, (quorum gentes varias nunc recensere non
refert) licet dirempti spatiis longis, per pagos, vt
Nomades, vagantur immensos. Æui tamen pro-
gressu ad vnum concessere vocabulum, & sum-
matim omnes Alani cognominantur. Mores &
media & efferatam viuendi, sed iam immaturam.
Nec enim vlla sunt * illis tuguria, aut versandi vo-
meris curæ: sed carne & copia victitant lactis,
plaustris supersidentes, quæ operimentis curuatis
corticum per solitudines conferunt sine fine di-
stentas. Quumque ad graminea venerint, in orbi-
culatam figuram locatis * sarracis ferino ritu ve-
scuntur: absumptisque pabulis, velut carpentis ci-
uitates impositas vehunt: maresque supra cum fœ-

A minis coeunt, & nascuntur in his & educuntur in-
fantes: & habitacula sunt hæc illis perpetua: & quo-
cumque ierint, illic genuinum existimant larem.
Armenta præ se agentes cum gregibus pascunt:
maximeque equini pecoris est eis sollicitior cura.
Ibi campi semper herbescunt, intersitis pomiferis
locis. Atque ideo transeuntes quolibet, nec ali-
mentis nec pabulis indigent: quod efficit hume-
ctum solum, & crebri fluminum prætermeantium
cursus. Omnis igitur ætas & sexus imbellis, circa
B vehicula ipsa versatur, muniisque distringitur mol-
libus: iuuentus verò, equitandi vsu à prima pueritia
coalescens, incedere pedibus existimat vile: & o-
mnes militari disciplina prudentes sunt bellatores.
vnde etiam Persæ, qui sunt originitus Scythæ, pu-
gnandi sunt peritissimi. Proceri autem Alani pene
sunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flauis,
oculorum temperata toruitate terribiles, & armo-
rum leuitate veloces: Hunnisque per omnia suppa-
res, verùm victu mitiores & cultu. *La . . nan-
C do & venando, adusque Mæotica stagna & Cim-
merium Bosphoron, itidemque Armenias dis-
currentes & Mediam. Vtque hominibus quietis
& placidis otium est voluptabile, ita illos pericula
iuuant & bella. Iudicatur ibi beatus qui in prœlio
profuderit animam. Senescentes enim, & fortuitis
mortibus mundo digressos, vt degeneres & igna-
uos, conuitiis atrocibus insectantur. Nec quid-
quam est quod clarius iactent quam homine quo-
libet occiso: proque exuuiis gloriosis, interfectorũ
D auulsis capitibus detractas pelles, pro phaleris iu-
mentis accommodant bellatoriis. Nec templum a-
pud eos visitur aut delubrum, ne tugurium qui-
dem culmo tectum cerni vsquam potest: sed gla-
dius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque vt
Martem, regionum quas circumeunt præsulem,
verecundius colunt. * Futura miro præsagiunt
modo. Nam rectiores virgas fœminæ colligentes,
easque cum incantamentis quibusdam secretis
præstituto tempore decernentes, aperte quid * por-
E tentetur, norunt. Seruitus quid sit ignorabant, omnes
generoso semine procreati. Iudicesque etiam nunc
eligunt, diuturno bellandi vsu spectatos. Sed ad
reliqua textus propositi reuertamur. Igitur Hun-
ni, peruasis Alanorũ regionibus, quos Greuthun-
gis confines *Tanaitas* consuetudo nominauit, in-
terfectisque multis & spoliatis, reliquos sibi con-
cordandi fide pacta iunxerunt: eisque adiunctis
confidentius Ermenrichi late patentes & vberes
pagos repentino impetu perruperunt, bellicosissi-
F mi regis, & per multa variaque fortiter facta vici-
nis nationibus formidati. Qui vi subitæ procellæ
perculsus, quamuis manere fundatus & stabilis diu
conatus est, impendentium tamen diritatem au-
gẽte vulgatius fama, magnorum discriminum me-
tum voluntaria morte sedauit. Cuius post obitum
rex Vithimiris creatus, restitit aliquantisper Ala-
nis, Hunnis aliis fretus, quos mercede sociauerat
partibus suis. verùm post multas quas pertulit cla-
des, animam effudit in prœlio, vi superatus armorũ.
G Cuius parui filii, Viderichi nomine, curam susce-
ptam Alatheus tuebatur & Saphrax, duces exerciti
& firmitate pectorum noti. Qui quum tempore
arcto præuenti, abiecissent fiduciam repugnandi,
cautius discedentes, ad amnem Danastum perue-
nerunt, inter Istrum & Borysthenem per camporũ
ampla spatia diffluentem. Hæc ita præter spem ac-
cidisse doctus Athanaricus Theruingorum iudex,
in quem (vt ante relatum est) ob auxilia missa

Procopio dudum Valens commouerat signa, stare gradu fixo tentabat, surrecturus in vires, si ipse quoque lacesseretur, vt cæteri. Castris denique prope Danasti margines aggere vt Greuthungorum vallem longius opportune metatis, Munderichum ducem postea limitis per Arabiam, cum * Lagarimano & optimatibus aliis, adusque vicesimum lapidem misit, hostium speculaturos aduentum, ipse aciem nullo turbante interim struens. Verum longè aliter quàm rebatur euenit. Hunni enim, (vt sunt in coniectura sagaces) multitudinem esse longius aliquam suspicati, prætermissis quos viderant, in quietem tanquam nullo obstante compositis, rumpente noctis tenebris luna vado fluminis penetrato, id quod erat potissimum elegerunt. Et veriti ne præcursorius index procul agentes absterreat, Athanaricum ipsum ictu petiuere veloci: eumque stupentem ad impetum primum, amissis quibusdam suorum coëgerunt ad effugia properare montium præruptorum. Qua rei nouitate maioreque venturi pauore constrictus, à superciliis Gerasi fluminis adusque Danubium Taifalorum terras præstringens, muros altius erigebat; hac lorica diligentia celeri consummata, in tuto locandam securitatem suam existimans & salutem. Dumque efficax opera suscitatur, Hunni passibus eum citis vrgebant: & iam oppresserant aduentantes, ni grauati prædarum onere destitissent. Fama tamen late serpente per Gothorum reliquas gentes, quod inusitatum antehac hominum genus, modo ruens vt turbo montibus celsis, ex abdito sinu coortum opposita quæque conuellit, corrumpit: populi pars maior, quæ Athanaricum attenuata necessariorum penuria deseruerat, quæritabat domicilium remotum ab omni notitia barbarorum. Diuque deliberans quas eligeret sedes, cogitauit Thraciæ receptaculum, gemina ratione sibi conueniens, quod & cæspitis est feracissimi, & amplitudine fluentorum Istri distinguitur ab aruis patentibus iam peregrini fulminibus Martis. Hoc quoque idem residui velut mente cogitauere communi. Itaque duce * Alauiuo ripas occupauere Danubij: missisque oratoribus ad Valentem, suscipi se humili prece poscebant, & quiete victuros se pollicentes, & daturos, si flagitasset, auxilia. Dũ aguntur hęc in externis, nouos maioresq; solitis casus versare gẽtes arctoas, rumores terribiles diffuderũt, per omne quidquid ad Pontũ à Marcomãnis prætenditur & quadis, multitudinẽ barbarã abditarũ nationũ vi subita sedibus pulsam, circa flumen Istrum vagari cum caritatibus suis, disseminantes. Quæ res aspernanter à nostris inter initia ipsa accepta est, hanc ob causam, quod illis tractib. non nisi peracta aut sopita audiri procul à gentibus consueuerunt bella. Verum pubescente iam fide gestorum, cui rumor aduentus gentilium addiderat legatorum, precibus & obtestatione petentium circa flumen suscipi plebem extorrem, negotium lætitiæ fuit potiusquàm timori, eruditis adulatoribus in maius fortunam principis extollentibus, quod ex vltimis terris tot tyrocinia Thracenses nec opinanti offerrent; vt collatis in vnum suis & alienigenis viribus, inuictum haberet exercitum; & pro militari supplemento, quod prouinciatim annuum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus. Hacque persuasione mittuntur diuersi, qui cum vehiculis plebem transferant truculentam. Et nauabatur opera diligens ne qui Romanam rem euersurus derelinqueretur vel quassatus morbo lethali. Proinde permissu Imperatoris transeundi Danubium copiam colendique adepti Thraciæ partes, trãsfretabantur in dies & noctes, nauibus ratibusque & cauatis arborum alueis agminatim impositi. Atque per amnem longè omnium difficillimum imbriumque crebritate tunc auctũ, ob densitatem nimiam cõtra ictus aquarum nitentes quidam, & natare conati, hausti sunt plures. Ita turbido instantium studio orbis Romani pernicies ducebatur. Illud sanè neq; obscurũ est neque incertum, infaustos transuehendi barbaram plebem ministros, numerum eius comprehendere calculo sæpe tentantes, conquieuisse frustratos: *Quem qui scire velit*, (vt eminentissimus memorat vates) *Libyci velit æquoris idem Discere quam multæ zephyro truduntur arenæ.* Resipiscant tandem memoriæ veteres, Medicas acies ductantes ad Græciam: quæ dudum Hellespontum occupantes, & discidio quodam fabrili maris, vbi montanis pede quæsitum exponuntur, & turmatim apud Doriscum exercitus recensetur, concordante omni posteritate, vt fabulosæ sunt lectæ. Nam postquam innumeræ gentium multitudines per prouincias circumfusæ, pandentesque se in spatia ampla camporum, regiones omnes & cuncta oppleuere montium iuga, fides quoque vetustatis recenti documento firmata est. Et primus cum Alauiuo suscipitur Fritigernus: quibus & alimenta pro tempore & subigendos agros tribui statuerat Imperator. Per id tempus nostri limitis reseratis obicibus, atque vt Ætnæas fauillas armatorum agmina diffundente barbaria, quum difficilibus necessitatum articulis correctores rei militaris poscerent aliquos claritudine gestarum rerum notissimos, quasi læuo quodam numine deligente, in vnum quæsiti potestatibus præfuere castrensibus homines maculosi: quibus Lupicinus antestabat & Maximus, alter per Thracias comes, dux alter exitiosus, ambo æmuli temeritatis. Quorum insidiatrix auiditas, materia malorum omnium fuit. Nam (vt alia omittamus, quæ memorati, vel certè sinentibus iisdẽ alij, perditis rationib. in cõmeãtes peregrinos adhuc innoxios deliquerũt, illud dicetur, quod nec apud sui periculi iudices absoluere vlla poterat venia, triste & inauditũ. Quũ traducti barbari victus inopia vexarẽtur, cõmercium duces inuisissimi cogitarunt: & quantos vndique insatiabilitas colligere potuit canes pro singulis dederunt mancipiis, inter quæ ducti sunt optimatum. Per hos dies interea etiam Vithericus Greuthungorum rex, cum Alatheo & * Saphrace, quorum arbitrio regebatur, itemque Farnabio, propinquans Istri marginibus, vt simili susciperetur humanitate, obsecrauit Imperatorem, legatis properè missis. Quibus, vt communi rei conducere videbatur, repudiatis, & quid capescerent anxiis, Athanaricus parumper timescens abscessit; memor Valentem dudum, quum fœderaretur concordia, despexisse, affirmantem se religione deuinctum ne calcaret solum aliquando Romanum: hacque occasione principem firmare pacem in medio flumine coëgisse: quam simul tamen veritus vt adhuc durantem, ad Caucalandensem locum altitudine siluarum inaccessum & montium, cum suis omnibus declinauit, Sarmatis inde extrusis. At vero Theruingi iamdudum transire permissi, prope ripas etiamtum vagabantur: duplici impedimento adstricti, quod ducum dissimulatione perniciosa neque victui congruis sunt adiuti, & tenebantur consulto nefandis nundinandi commerciis. Quo intellecto, ad perfidiam instantium malorum subsidium * vertere dissimulabant:

& Lupi-

& Lupicinus ne iam deficerent pertimescens, aos
admotis militibus adigebat ocius proficisci. Id tē-
pus opportunū nacti Greuthungi, quum alibi mili
tib. occupatis, nauigia vltro citroq. discurrere soli
ta, trangressum eorum prohibentia, quiescere per-
spexissent, ratib. transiere male contextis, castraq.
à Fritigerno locauere longissime. At ille genuina
præuidendi sollertia vēturos muniens casus, vt &
imperiis obediret & regib. validis iungeretur, ince-
dens segnius, Marcianopolim tarde peruenit iti-
neribus lentis. Vbi aliud accessit atrocius, quod ar
suras in cōmune exitium faces furiales accendit. A
lanisso & Fritigerno ad cōuiuium corrogatis, Lu-
picinus latenti nuntio doctus, ab opidi mœnibus
barbaram plebem opposito milite procul arcebat,
introire ad compatāda victui necessaria, vt dicioni
nostræ obnoxiam & cōcuedem, per preces adsidue
postulantem. Ortisque maioribus iurgiis inter ha-
bitatores & vetitos, adusque necessitatem pugnā-
di est ventum. Efferatique acrius barbari, quum ne
cessitudines hostiliter rapi sentirent, spoliarūt in-
terfectam militum manum. Quæ accidisse idem
Lupicinus latenti nuntio doctus, dum in nepotali
mensa ludicris cōcrepantib. diu discumbens, vino
marcebat & somno, futuri coniiciens exitum, sa-
tellites omnes qui pro prætorio honoris & tutelæ
caussa duces prestolabantur, occidit. Hocq. popu-
lus qui muros obsidebat dolenter accepto, ad vin-
dictam detentorum regum (vt opinabatur) paula-
tim augescens, multa minabatur & sæua. Vtq. erat
Fritigernus expediti consilii, veritus ne teneretur
obsidis vice cum ceteris, exclamauit grauiore pu-
gnandum exitio, ni ipse ad leniendum vulgus sine
ret exire cum sociis, quod arbitratum humanita
tis specie ductores suos occisos, in tumulium exar-
sit. Hocq. impetrato, egressi omnes, exceptiq. cum
plausu & gaudiis, adscēsis equis volarūt moturi in-
citamenta diuersa bellorum. Hæc vbi Fama rumo
rum nutrix maligna dispersit, vrebatur dimicandi
studio Theruingorum natio omnis: & inter me-
tuenda multa, periculorumq. præuia maximorum
vexillis de more sublatis, auditisque triste sonāti-
bus classicis, iam turmæ prædatoriæ concursabāt,
pilando villas & incendendo, vastisque cladibus
quidquid inueniri poterat permiscentes. Aduer-
sus quos Lupicinus properatione tumultuaria co-
actis militibus, temere magis quam consulte pro-
gressus, in nono ab vrbe miliario stetit paratus ad
decernendum. Barbarique hoc contemplato, glo-
bos irrupere nostrorum incautos: & parmas suppo
sitis corporib. illidendo, obuios hastis perforabāt
& gladiis. Furoreque vrgente cruento, & tribuni
& pleraque pars armatorū periere signis ereptis,
præter ducem infaustum, qui ad id solum inuen-
tus vt confligentib. aliis prorriperet ipse semet in
fugā, vrbem cursu concito petiit. Post quę hostes
armis induti Romanis, nullo vetante per varia gras
sabantur. Et quoniā ad has partes post multiplices
ventum est actus, id lecturos (siqui erunt vmquā)
obtestamur, nequis à nobis scrupulose gesta vel
numerum exigat peremptorum, qui comprehen-
di nullo genere potuit. Sufficiet enim, veritate nul
lo velata mendacio, ipsas rerum digerere summita-
tes, quum explicandæ rerum memoriæ vbique de
beatur integritas fida. Negant antiquitatū ignari,
tantis malorum tenebris obfusam aliquando fuisse
remp. Sed falluntur malorum recentium stupore
confixi. Namque si superiores vel recens præte-
ritæ reuoluantur ætates, tales tamque tristes re-

A rum motus sæpe contigisse monstrabunt. Inunda-
runt Italiam ex abditis oceani partibus Teutones
repente cum Cimbris. Sed post inflictas rei Rom.
clades immensas, vltimis prœliis per duces amplis-
simos superati, quid potestas Martia de habitu pru-
dentiæ valeat, radicitus exstirpati discriminib. didi
cere supremis. Marco itidem moderante imperiū,
in vnum spirando vesania gentium dissonarum
post bellorum fragores immensos, * post vrbium
captarum & direptarum & pessum concitas prora
B tutis interitus partes eorū exiguas reliquisset inta-
ctas. verū mox post calamitosa dispēdia res in inte
grū sunt restitutæ, hac gratia, quod nōdū solutiore
mollicie sobria vetustas infecta, nec ambitiosis
mēsis, nec flagitiosis quæstib. inhiabat, sed vnani-
manti ardore summi & infimi inter se congruen-
tes, ad speciosam pro republ. mortem tamquam
ad portum aliquem tranquillum properabant &
placidum. Duobus nauium milibus, perrupto Bos
poro & litoribus Propontidis, Scythicarum gen-
C tium cateruæ transgressæ, ediderunt quidem acer-
bas terra marique strages: sed amissa suorum parte
maxima reuerterūt: ceciderunt dimicando cū bar-
baris Imperatores Decii pater & filius. Obsessæ Pā
phyliæ ciuitates insulæ populatæ complures, inflā
mata Macedonia: omnis diu multitudo Thessalo-
nicam circumsedit, itidemq. Cyzicum. Anchialos
capta, & tempore eodem Nicopolis, quam indiciū
victoriæ contra Dacos Traianus condidit Impe-
rator. Post clades acceptas illatasq. multas & sęuas,
D excisa est Philippopolis centū hominum milibus
(nisi fingunt annales) intra mœnia iugulatis. Vaga
tiq. per Epirum Thessaliamq. & omnem Græciam
licentius hostes externi. Sed adsumpto in imperiū
Claudio gloriosio ductore, & eodem honesta mor
te prærepto, per Aurelianum acrem virum & se-
uerissimum noxarum vltorem pulsi, per longa sæ-
cula siluerunt immobiles: nisi quod postea latro-
cinales globi vicina cum sui exitio acrius incursa-
bant. Verum ea persequar vnde diuerti. Hoc gesto
E tum textu circumlato nuntiis densis, Sueridus &
Colias, Gothorum optimates, cum populis suis
lōge ante suscepti, & curare apud Hadrianopolim
hiberna dispositi, salutem suā ducētes antiquissimā
omnium, otiosis animis accidentia cuncta cōtua-
bantur. Verum Imperatoris litteris repente perlis-
tis, quib. transire iussi sunt in Hellespontum, viati-
cū, cibos, biduiq. dilationē tribui sibi sine tumore
poscebant. Quod ciuitatis magistratus ferens indi-
gne, (succēsebat enim iisdem ob rē suam in subur
F bano vastatam) plebē omnem cum fabricensibus,
quorum illic ampla est multitudo, productam, in
eorum armauit exitium: iussisq. bellicum canere
buccinis, ni abirent ocius, vt statutum est, pericula
omnibus minabatur extrema. Quo malo præter
spem Gotthi perculsi, & * concito quam conside-
rato ciuium adsultu perterriti, steterunt immobi-
les. Laceratiq. ad vltimum detestatione atque cō-
uitiis, & tentati missilium iactibus raris, ad defectio
nem erupere confessam. Et cæsis plurimis quos im
petus deceperat petulantior, auersisque residuis &
telorum varietate confixis, habitu iam Romano ca
daueribus spoliatis armati, viso propius Fritiger-
no iunxerunt semet, vt morigeri socii: vrbemque
clausam obsidionalibus ærumnis vrgebant. In qua
difficultate diutius positi, passim & promiscue
ruebant: eminensque aliquorum audacia peri-
bat inulta, multique sagittis & rotatis perfundas
lapidib. interibant. Tūc Fritigernus frustra cū tot

cladib. colluctari homines ignaros obsidendi con-
tẽplans, relicta ibi manu sufficiente, abire negotio
imperfecto suasit, pacẽ sibi esse cũ parietib. memo
rans, suadensq; vt populandas opimas regiones &
vberes absq. discrimine vllo, vacuas præsidiis etiã
tum, adorirentur. Laudato regis consilio, quem co
gitatorum norant fore socium efficacem, per Thra
ciarum latus omne dispersi caute gradiebantur,
dedititiis vel captiuis vicos vberes ostendẽtib. eos
præcipue vbi alimentorum reperiri satias dicebā-
tur: eo maxime adiumento præter genuinam ere-
cti fiduciam, quod confluebat ad eos indies ex ea-
dem gente multitudo, dudum à mercatorib. ve-
nundati, adiectis plurimis quos primo transgres-
su necati inedia, vino exili vel panis frustis muta-
uere vilissimis. Quib. accessere sequendarum auri
venarum periti nõ pauci, vectigalium perferre nõ
sufficientes sarcinas graues. susceptique libenti cõ
sensione cunctorũ, magno vsui iidem fuere igno-
ta peragrantibus loca, conditoria frugum occulta
& latebras hominum & receptacula secretiora mõ
strando: nec quidquam, nisi in accessum & deuiũ,
præeuntibus iisdem mansit intactum. Sine distan-
tia enim ætatis vel sexus, cædibus incendiorumque
magnitudine cuncta flagrabant, abstractisque ab
ipso vberum suctu paruulis & necatis, raptæ sunt
matres & viduatæ maritis coniuges ante oculos
cæsis: & puberes adultique pueri per parentum ca-
dauera tracti sunt. Senes denique multi, ad satie-
tatem vixisse clamantes, post amissas opes cum spe
ciosis fœminis, manibus post terga contortis, defle
tisque gentilium fauillis ædium, ducebantur ex-
torres. Hæc ex Thraciis magno mœrore accep-
ta Valentem principẽ in sollicitudines varias dis-
traxerunt. Et confestim Victore magistro equitũ
misso ad Persas, vt super Armeniæ statu pro captu
rerum componeret impẽdentium, ipse Antiochia
protinus egressurus, vt Constantinopolim interim
peteret, Profuturum præmisit & Traianum, am-
bo rectores, anhelantes quidem altius, sed imbel-
les. Qui quum ad loca venissent vbi particulatim
pérque furta magis & latrocinia multitudo minui
deberet hostilis, ad id quod erat perniciosum intẽ
pestiue conuersi, legiones ab Armenia ductas oppo
suere vesanum adhuc spirantib. barbaris, opere qui
dẽ Martio sæpe recte compertas, sed impares plebi
immensæ, quæ celsorum iuga montium occuparat
& campos. Hi numeri, nondum experti quid cum
desperatione rabies valeret indomita, truso hoste
vltra Hæmi montis abscisos scopulos, faucib. insi-
dere præruptis, vt barbaros * locis inclusos num-
quam reperiens exitum diuturna consumeret fa-
mes, & opperirentur ipsi Frigeridum ducẽ cũ Pã-
nonicis & Transalpinis auxiliis aduentantem, quẽ
petitu Valentis Gratianus ire disposuit in procin-
ctum, laturum suppetias his qui ad vltimum vexa-
bantur exitium. Post quem Richomeres domesti-
corum tunc comes, imperatu eiusdẽ Gratiani mo-
tus è Galliis properauit ad Thracias, ductans co-
hortes aliquas nomine tenus: quarum pars plerasq.
deseruerat (vt iactauere quidã) Merobaudis, suasu,
veriti, ne destitutæ adminiculis Galliæ vastaren-
tur, licenter Rheno perrupto. Verum articulorum
dolore Frigerido prædito, vel certe (vt obtrectato-
res finxere maleuoli) morbum caussante ne feruen-
tib. prœliis interesset, vniuersos regens ex commu-
ni sẽtẽtia Richomeres, Profuturo sociatur & Traia
no, tendentib. prope oppidum Salices. Vnde haud
longo spatio separatum vulgus inæstimabile barba

A rorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digẽ
sta plaustrorum, tamquam intramuranis cohibita
spatiis, otio fruebatur & vbertate prædarũ. Præuia
igitur spe meliorum Romani duces (si fors copiam
attulisset) ausuri aliquid gloriosum, Gothos quid-
quid molirentur sagaciter obseruabant: id scilicet
præstruentes, vt si alio castra mouissent, (quod fece
re creberrime) terga vltimorũ adorti plures * profo
derent confisi, magnamque spoliorum auerterent
partem. Hoc intellecto hostes, vel transfugarum in
B dictis docti, per quos nihil latebat incognitum, in
eodem loco diu manserunt. Sed oppositi exercitus
metu præstricti, aliorumque militum quos adflue-
re iam sperabant, tessera data gẽtili, per diuersa pro
pe diffusas accire vastatorias manus, cuique op-
timatum acceptas: statimque incensis malleolis ad
* carraginem, quam ita ipsi appellant, aliti velocita
te regressæ, incentiuum audendi maiora populari-
bus addiderunt. Nihil post hæc inter partes præter
inducias laxatũ est breues. Reuersis enim his quos
C necessitas euocarat, plebs omnis intra septorũ am-
bitũ etiamtũ contrusa immaniter fremens, animis
que concita truculentis, experiri postrema discri-
mina, nec principib. gentis qui aderant renuentib.
crudiuate festinabat. Et quoniam hæc sole agebã-
tur extremo, noxque aduentans adquietem inuitos
retinebat & mœstos, capto per otium cibo somni
manserunt expertes. Contrà Romani his cognitis,
ipsi quoque exsomnes verebantur hostes, & male
sanos eorum ductores, vt rabidas feras, euentum,
D licet ancipitem, vt numero satis inferiores, prospe-
rum tamen, ob iustiorem sui caussam, mentibus ex
spectantes impauidis. Cadente itaque protinus
die signo ad arma capienda ex vtraque parte per li
tuos dato, barbari, postquam inter eos ex more iu-
ratũ est, tumulosos locos appetere tentauerũt, quo
eainde per procliue rotarũ modo obuios impetu
conuoluerent acriore. Hocque viso ad suos quisq.
manipulos properans miles, stabili gradu consi-
stens, nec vagabatur, nec relictis ordinibus pro-
E cursabat. Ergo vbi vtrimque acies cautius incedẽ-
tes gressu steterunt immobili, toruitate mutua bel
latores luminib. se contuebantur obliquis. Et Ro
mani quidem voce vndique Martia concinentes, à
minore solita ad maiorem protolli, quam gentili-
tate appellant barritum, vires validas erigebãt: bar-
bari vero maiorum laudes clamoribus stridebant
incõditis: interq. varios sermones dissoni strepitus
leuiora procemia tentabantur. Iamque verutis &
similibus aliis vtrimq. semet eminus lacessentes, ad
F conserendas coiere minaciter manus: & scutis in
testudinũ formã coagmentatis, pes cum pede col-
latus est: barbarique, vt reparabiles semper & cele-
res, ingentes clauas in nostros coniicientes ambu-
stas, mucronesq. acrius resistentium pectoribus il-
lidentes, sinistrum cornu perrumpunt. Quod incli-
natum subsidialis robustissimus globus, propinquo
latere fortiter excitus, hærente iam cohorte ceruic-
cib. sustentauit. Feruente igitur densis cædib. prœ-
lio, in confertos quisq. promptior ruens, ritu gran
G dinis vndique volitantibus telis oppetebat, & gla-
diis. Et sequebantur equites hinc inde, fugientium
occipitia lacertis ingentibus præcidentes & terga:
itidemq. altrinsecus pedites lapsorum, timore impe
ditorum, secantes suffragines. Et quum omnia cæ-
sorum corporibus opplerentur, iacebant inter eos
quidam semianimes, spem vitæ inaniter vsurpan-
do: alii glande fundis excussa, vel harundini-
bus armatis ferro, confixi: quorumdam capita, per
medium

medlum frontis & verticis mucrone distincta, in
vtrumque humerum magno eum horrote pende-
bant. Et pertinaci concertatione nondum lassatæ
æquo marte partes semet alternsecus adflictabant,
nec de rigote genuino quisquam remittebat, dum
vires animorum alacritas excitaret. Diremit ta-
men interneciua certamina cedens vespero diesi
& cunctis qua quisque potuit incomposite disce-
dentibus, residui omnes repetunt tentoria tristio-
res. Humatis denique pro locorum & temporis
ratione honoratis quibusdam inter defunctos, re-
liqua peremptorum eorpora diræ volucres con-
suoipserunt, adsuetæ illo tempote cadaueribus pas
ci, vt indicant nunc vsque albentes ossibus campi.
Constat tamen in numero longe minore Roma-
nos cum ea copiosa multitudine colluctatos, fune-
rea multa perpessos, non tamen sine deflendis æ-
rumnis exagitasse barbaram plebem. His casibus
prœliorũ ita luctuose finitis, nostri proximos Mar-
cianopoleos petiuere successus: Gotthi intra vehi-
culorum anfractus sponte sua contrusi, numquam
eainde per dies septem egredi vel videri sunt ausi:
ideoque opportunitatem milites nacti, immensas
alias barborum catervas inter Hæmimontanas an
gustias clauserunt, aggerum obiectu excelsorum:
hæc spe nimirum, vt inter Istrum & solitudines
perniciosa bostium multitudo compacta, nullos-
que reperiens exitus, periret inedia, cunctis vtili-
bus ad viuẽdum in ciuitates validas comportatis:
quarum nullam etiamtum circumsedere conati
sunt, hæc & similia machinari penitus ignorantes.
Post quæ repetiuit Gallias Richomeres, ob ma-
iorem prœliorum fremitum, qui sperabatur, inde
adminicula perductutus. Hæc Gratiano quater
& Merobaude consulibus agebantur, anno in au-
tumnum vergente. Inter quæ Valens sudito lugu-
bri bellorum direptionumque euentu, Saturnino
equestri exercitus ad tempus cura commissa, sup-
petias Traianum offerentem misit & Profuturũ.
Forteque iisdem diebus per Scythiæ regiunea &
Mœsiæ omnibus quæ poterant mandi consump-
tis, feritate vrgente pariter & inopia, barbarique
molibus magnis ardebant: hocque sæpe tentato,
quum obruerentur vigore nostrorum, per asperi-
tates scruposas valide resistentium, adacti necessi-
tate postrema, * Chunorum & Alanorum aliquos
ad societatem spe prædatum ingentium adsciue-
runt. Quo cognito Saturninus (iam enim aderat, &
prætenturas stationesq. disponebat agrarias) pau-
latim colligens suos, digredi parabat cunsilio non
absurdo, ne subita multitudo, vt immanis pulsus vn
darum obicib. ruptis emissus, conuelleret leui ne-
gotio cunctos suspecta loca acuratius obseruãtes.
Deinde post reseratas angustias, abitumq. militis
tempestiuum, incomposite; qua quisq. clausorum
potuit, nullo vetante turbandis incubuit rebus: &
vastabundi omnes per latitudinea Thraciç pande-
bantur impune, ab ipsis tractib. quos præterineat
Ister exorsi, adusque Rhodopen & * fretum quod
immensa disterminat maria, rapinis & cędibus,
sanguineque & incendiis, & liberorum corporum
corruptelis omnia fœdissime permiscentes. Tunc
erat spectare cum gemitu facta dictu visuque præ-
dira, attonitas metu fœminas flagris concrepanti-
bus agitari, fœtibus grauidas adhuc immaturis,
antequam prodirent in lucem impia tolerantibus
multa: implicatos alios matrib. paruulos, & puberũ
audire lamenta puellarumq. nobilium, quarũ strin
gebat fera captiuas manus. Postq. adulta virginitas

A castitasq. nuptarum ore adfecto flens vltims duce-
batur, mox profanandum pudorem optans morte
(licet cruciabili) præuenire: Inter quæ quum be-
luæ ritu traheretur ingenuus paulo ante diues & li
ber, de te, Fortuna, vt inclementi, queretbatur &
cæca, quæ eum puncto temporis breuioris extor-
tum & dulcedine caritatum domoque extorrem,
quam concessisse vidit in cinerem & ruinas, aut la-
cerandum membratim, aut seruitutum sub verbe-
ribus & tormentis * crudo deuouisti victori. Bar-
B bari tamen, velut diffractis caueis bestiæ, per spa-
tiorum amplitudines fusius incitati, opidum peti-
uere nomine Dibaltum: vbi tribunũ scutariorum
Barzimerem inuentum cum suis cornutisque &
aliis peditum numeris castra ponentem adsiliunt,
eruditum puluere militari rectorem. Qui cõfestim
(vt adigebat necessitas instantis exitii) iussa canere
bellicum tubis lateribus firmatis, * prærupit cum
promptis accinctis ad prœlium: fortiterque resistẽ
do pari pugnandi sorte discessisset, ni eum equi-
C tum accursus * quamplurimum aubelum circum-
uenisset & fessum & ira cecidit interfectis barbaro
rum non paucis, quorum clades copiarum magni-
tudo * celabat. Re in hunc modum peracta, Got-
thi quid postea molirẽtur incerti, quęritabant Fri-
geridum, tamquam obicem validum vbi reperi-
rent, excisuri: & cultiore victu somnoque parum-
per adsumpto, eum sequebãtur vt feræ, docti quod
Gratiani monitu reuersus in Thracias, & prope
Berœam vallo metato, euentus rerum speculaba-
D tur ancipites. Et hi quidem ad patrandum propo-
situm discursione rapida maturabant: ille vero, re-
gundi conseruãdique militis non ignarus, id quod
cogitatum est suspicatus, vel exploratorum relatio
ne quos miserat aperte instructus, per montium
celsa siluarumque densitates ad Illyricum redit, e-
rectus prosperitate nimia, quam ei Fors obtulit
insperata. Repedando enim, congregatosque in
cuneos sensim progrediens, Gutthorum optima-
tem Farnobium cum vastatoriis globis vagantem
E licentius occupauit, ducentemque Taifalos nuper
in societatem adhibitos: qui, si dignum est dici,
nostris ignotarum gentium terrore dispersi, tran-
siere flumen, direpturi vacua defensoribus loca.
Eorum cateruis subito visis, certare cõminus dux
cautissimus parans, adortusque nationes, oppres-
sit grassatores minantes etiamtum acerba: trucidas-
setque omnes ad vnum, vt ne nuntius quidem cla
di- post appareret, ni cum aliis multis perempto
Farnobio, metuendo antehac incẽsore turbarum,
F obtestatus prece impeosa, superstitibus pepercis-
set: viuosque omnes circa Mutinam Rhegiumq.
& Parmam, Italica opida, rura culturos exermina-
uit. Hanc Taifalorum gentem turpem ac obscenæ
vitæ flagitiis ita accepimus mersam, vt apud eos
nefandi concubitus fœdere copulentur marib. pu-
beres, ætatis viriditatem in eorum pollutis vsibus
consumpturi: porro si qui iam adultus aprum exce
perit solus, vel interemerit vrsum immanẽ, collu-
uione liberatur incesti. Hæc autumno vergente in
G hiemẽ, funesti per Thracias turbines cõuerrebant:
quæ temporum rabies, velut cuncta cientibus fu-
riis, ad regiones quoq. lõginquas progrediens late
serpebat. Et iam Lentiensis Alemannicus populus
tractibus Rhætiarum confinis, per fallaces discur-
sus, violato fœdere dudum concepto, collimitia
nostra tentabat. Quæ clades hinc exitiale primor-
dium sumpsit. Ex hac natione quidam inter prin-
cipis armigeros militãs, poscente negotio reuersus

in istem, vt erat in loquendo effusior interrogantes multos quid ageretur in palatio, docet accersitu Valentis patrui Gratianum orientem versus mox signa moturum, vt duplicatis virib. repellantur plagarum terminalium accolæ, ad Romanorum [verum] excidium coniurati. Quibus auide Lentienses acceptis, ipsi quoque hæc quasi vicini cernentes, vt sunt veloces & rapidi, conferti in prædatorios globos, Rhenum gelu peruium pruinis Februario mense tendentes, prope cum petulantibus Celtæ, non sine sui iactura afflictos, grauiter adultis virib. auerterunt. Verum retrocedere coacti, Germanique noscentes exercitus pleramque partem in Illyricum vt imperatorem mox adfuturum prægressam, exarsere flagrantios. Maioraque conceptantes, pagorum omnium incolis in vnum collectis, cum quadraginta armatorum milibus, vel septuaginta, vt quidam laudes extollêdo principis iactitarant, sublati in superbiam, nostra côfidentius irrupetunt. Quib. Gratianus cum formidine magna compertis, reuocatis cohortibus quas præmiserat in Pannonias, conuocatisque aliis quas in Galliis retinuerat dispositio prudês, Nannieno negotium dedit, virtutis sobriæ duci: eique Mallobaudem iunxit pari potestate collegam, domesticorum comitem,* regemque Francorum, virum bellicosum & fortem. Nannieno igitur peosante fortunarum versabiles casus, ideoque cunctâdum esse censente, Mallobaudes autem pugnandi cupiditate raptatus vt consueuerat ire in hostem, differendi impatiens, angebatur. Proinde horrifico aduersum fragore * torrente, primitio apud Argentariam signo per cornicines dato, concursu est cœptum. Sagittarû verutorumque missilium pulsib. crebriores hinc indeque sternebantur. Sed in ipso prœliorum ardore infinita hostium multitudine milites visa, vitantesque aperta discrimina, per calles consitas arborib. & angustas, vt quisque potuit dispersi, paulo postea stetere fidentius: & splendore consimili, proculque nitore fulgentes armorum imperatorii aduentus iniecere barbaris metû. Qui repente versi in terga, resistentesque interdum, ne quid vitimæ rationis omitterent, ita sunt cæsi vt ex prædicto numero non plus quâ quinque milia, vt æstimabatur, euaderent densitate nemorû tecti, inter complures alios audaces & fortes rege quoque Priario interfecto, exit alitum concitore pugnatû. Hac læti successus fiducia Gratianus erectus, iamque ad partes tendens Eoas, læuorsus flexo itinere latenter Rheno transito, spe inclutior bona, vniuersam (si id tentanti Fors adfuisset) delere statuit malefidam & turbarum auidam gentem. Hocque vrgentibus aliis super alios nuntiis cognito, Lentienses, ærumnis populi sui ad interneciunem pene deleti, & repêtino principis aduêtu defixi, quid capesserent ambigentes, quû neque repugnâdi neque agêdi aliquid aut mouendi laxamentû possent inuenire vel breue, impetu celeri obsessos petiuerunt inuiis cautib. colles: abruptisque per ambitû rupibus insistentes, reb. caritatibusque suis quas secum duxerant, omni virium robore propugnabant. Qua difficultate perpensa, velut murorû obicib. opponendi, per legiones singulas quingêti milites legûtur armati, vsu prudêter bellâdi comperti. Qui ea re animorû aucta fiducia, quod versari inter antesignanos visebatur acriter princeps, montes scandere nitebantur, tanquam venaticas prædas, si calcassent editiora contextum sine certamine vllo capturi. Exorsumque prœlium vrgente in meridiê die tenebræ quoque occupauere nocturnæ. Quippe magno vtrinsque parti pugnabatur exitio: cædebant cadebantq. nostrorum non pauci: simul arma imperatorii comitatus, auro coloruoque micantia claritudine, iaculatione ponderum densa confringebantur. Et inde diu reputante Gratiano cum optimatib. perniciosum apparebat & irritû, contra asperitates aggerum prominentium intempestiua contendere pertinacia: multisque (vt in tali negotio) variatis sententiis, otioso milite circûuallari placuit barbaros inedia fatigatos, quia locorum iniquitate defendebantur. Verum quum obstinatione simili renitentes Germani per iniquè regionum, petissent alios montes, his quos ante insederant altiores, conuersus illuc cum exercitû Imperator, eadem qua antea fortitudine, semitas ducentes ad ardua quæritabat. Quê Lentienses intentum iugulis suis omni perseuerandi studio contêplantes, post deditionem quâ impetrauere supplici prece, oblata (vt præceptum est) iuuentute valida nostris tirociniis permiscenda, ad genitalea terras innoxii ire permissi sunt. Hanc victoriam opportunam & fructuosam, quæ gentea hebetauit occiduas, sempiterni numinis nutu Gratianus, incredibile dictu est quanto cum vigore exerti celeritate aliorsum properans expediuit: præclaræ indolis adolescens, facundus & moderatus, & bellicosus & clemens, ad æmulationem lectorum progrediês principum, dum etiamtum lanugo genas inspergeret speciosa, ni vergês in ludibrsolos actus natura laxantibus proximis, semet ad vana studia Cæsaris Commodi conuertisset: licet hic incruentus. Vt enim ille, quia perimere iaculis plurimas feras spectante consueuerat populo, & centum leonea in amphitheatrali circulo simul emissos telorum vario genere nullo geminato vulnere contruncauit, vltra hominem exultauit: ita hic quoque intra septa quæ appellant *visuarsa*, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias, incidêtia multa parui ducebat & seria, eo tempore quo etiamsi imperium Marcus regeret Antoninus, ægre sine collegis similibus & magna sobrietate consiliorum, lenire luctuosos reip. poterat casus. Dispositis igitur quæ pro temporum captu per Gallias res * nationesque poscebant, & punito scutario proditore, qui festinare principem ad Illyricum, barbaris indicarat, Gratianus exinde digressus per castra quibus *Felices arbores* nomen est, per moreatum ad opitulandum oppressæ parti porrectis itineribus ire tendebat. Iisdemque diebus Frigerido, multa atque vtilia pro securitate communi sollertissime cogitanti, muniêtique properanti Succorû angustias: ne discursatores hostes & leues, tanquam exæstuantes vitorrentes, per septemtrionales prouincias fusius vagarentur, successor Maurus nomine mittitur comes, venalis ferociæ specie, & ad cûcta mobilis & incertus. Is est quem praeteritorum textu retulimus, ambigenti super corona capiti imponenda Iuliano Cæsari, dum inter eius armigeros militaret, ac regiam custodiret, torquem obtulisse collo abstractam: remotusque in ipsa vertigine peremtium rerum dux cautus & diligens, quem etiam si dudum discessisset an otium, ad procinctum reduci, negotiorum magnitudine poscente deberet. His forte diebus Valens tandem excitus Antiochia, longitudine viarum emensa venit Constantinopolim. vbi moratus paucissimos dies, seditioneq. popularîû leui pulsatus, Sebastiano paulo ante ab Italia vt petierat misso, vigilantiæ notæ,

ductori

ductori, pedestris exercitus cura commissa, quem
regebat antea Traianus, ipse ad Melanthiada vil-
lam Cæsarianam profectus, militem stipendio fo-
uebat & alimentis, & blanda crebritate sermo-
num. Vnde quum itinere edicto per tesseram
Nicem venisset, quæ statio ita cognominatur
relatione speculatorum didicit, refertos opima
barbaros præda à Rhodopæis tractibus prope
Hadrianopolim reuertisse. Qui motu Impera-
toris cum abundanti milite cognito, popula-
ribus iungere festinant, circa Beroiam & Ni-
copolim * gentibus præsidiis fixis: atque ilico,
vt oblatæ occasionis maturitas postulabat, cum
trecentenis militibus per singulos numeros le-
ctis, Sebastianus properare dispositus est, con-
ducens rebus publicis aliquid (vt promittebat)
acturus. Qui itineribus celeratis conspectus prope
Hadrianopolim, obseratis inde portis iuxta adire
prohibebatur, veritis defensorib. ne captus ab ho-
ste veniret & subornatus, atque contingeret ali-
quid in ciuitatis perniciē, quale per aliū acciderat
comitem: quo per fraudem Magnentiacis militi-
bus rapto, claustra patefacta sunt Alpium Iuliarum.
Agnitus tandem (licet sero) Sebastianus, & vrbē
introire permissus, cibo & quiete curatis pro co-
pia quos ductabat, sequuta luce impetu clādestino
erupit: vesperaque intendente, Gotthorum vasta-
toriis cuneis prope flumen Hebrum subito visis,
paulisper opertus aggeribus & * frutectis, obscura
nocte suspensis passib. incōpositos adgressus est, id
quoque * præstās, vt præter paucos quos mortis velo-
citas exemerat pedum, interirent reliqui omnes:
predamque retraxit innumeram, quam nec ciuitas
cepit, nec planicies lata camporum. Qua caussa per
citus Fritigernus, extimescens ne dux (vt sæpe au-
dierat) impetrabilis dispersos licenter suorum glo-
bos raptuique intentos consumeret, improuisos
adoriens, reuocatis omnib. prope Cabylen opidū,
cito discessit, vt agentes in regionib. patulis, nec i-
nedia, nec occultis vexarentur insidiis. Dum hæc
aguntur in Thraciis, Gratianus docto litteris pa-
truo, qua industria superauerit Alemannos, pede-
stri itinere præmissis impedimentis & sarcinis, ip-
se cum expeditiore militū manu permeato Danu-
bio, delatus Bononiam, Sirmium introiit. Et * qua-
triduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis
castra descendit, febribus interuallatis adflictus: in
quo tractu Alanorum impetu repentino temptatus,
amisit sequentium paucos. Iisdemque diebus, e-
xagitatus ratione gemina Valens, quod Lentien-
ses cōpererat superatos, quodque Sebastianus sub-
inde scribens facta dictis exaggerabat, è Melan-
thiade signa commouit, æquiperare facinore quo-
dam egregio adolescentem properans filium fra-
tris, cuius virtutibus vrebatur. Ducebatque mul-
tiplices copias, nec contemnendas nec segnes, quip-
pe etiam veteranos iisdem iunxerat plurimos: in-
ter quos & honoratiores alii, & Traianus procin-
ctus est, paulo ante magister armorum. Et quoniā
exploratione sollicita cognitum est, cogitare ho-
stes fortib. præsidiis itinera claudere, per quæ com-
meatus necessarii portabantur, occursum est huic
conatui competenter, ad retinendas opportunita-
tes angustiarum, quæ prope erant, peditib. sagitta-
riis & equitum turma citius missa. Triduoque pro-
ximo, quum barbari gradu incederent leni, & me-
tuentes eruptionem per deuia, quindecim millib.
passuum à ciuitate discreti stationem peterent Ni-
cen, incertum quo errore procursatoribus omnē

A illam multitudinis partem quā viderant, in nume-
ro decem milium esse firmantibus, Imperator pro-
caci quodam calore perculsus, iisdē occurrere festi-
nabat. Proinde agmine quadrato incedens, prope
suburbanū Hadrianopoleos venit. Vbi vallo, sudi-
bus fossaque firmato, Gratianum impatienter op-
periens, Richomerem comitem domesticorū sus-
cepit, ab eodem Imperatore præmissum cum litte-
ris, ipsum quoque venturū mox indicantib. Quarū
textu oratus vt præstolaretur paulisper periculorū
B participē, neue abruptis discriminibus temere se-
met cōmitteret solū, adhibitis in cōsilium potesta-
tibus variis, quid facto opus esset, deliberabat. Et
quum Sebastiano auctore, quidam protinus eum-
dem ad certamen vrgerent, Victor nomine magi-
ster equitū armatus, sed cunctator & cautus, eadē
sentientibus multis, imperii socium exspectari cen-
sebat: vt incrementis exercitus Gallicani adscitis,
opprimeretur leuius tumor barbaricus flammans.
Vicit tamen funesta principis destinatio, & adula-
C bilis quorumdam sententia regiorum: qui ne pene
iam partæ victoriæ (vt opinabantur) consors fieret
Gratianus, properari cursu celeri suadebant. Et
dum necessaria parabantur ad decernendum, Chri-
stiani ritus presbyter (vt ipsi appellant) missus à Fri-
tigerno legatus cum aliis humilibus, venit ad prin-
cipis castra. Susceptusque leniter, eius denique du-
ctoris obtulit scripta, petētis propalam vt sibi suis-
que, quos extorres patriis laribus rapidi ferarum
gentium exegere discursus, habitanda Thracia so-
D la cum pecore omni concederetur & frugib. hoc
impetrato, spondentis perpetuam pacem. Præter
hæc idem Christianus, vt conscius arcanorum &
fidus, secretas alias eiusdem regis obtulit litteras,
qui astu & ludificandi varietate nimium sollers do-
cebat Valentē, quasi mox amicus futurus & socius,
aliter se popularium sæuitiā mollire non posse, vel
ad cōditiones rei Romanæ profuturas allicere, ni-
si subinde armatū iisdem iuxta monstraret exerci-
tū, & timore imperatorii nominis intentato, eos à
E pernicioso pugnādi reuocaret ardore. Et legati qui-
dem ambigui frustra habiti discesserunt. Exorien-
te vero aurora diei, quem quintum Iduum Augu-
starum numerus ostendit annalis, signa præprope-
re commouentur, impedimentis & sarcinis prope
Hadrianopoleos muros cum legionum tutela con-
grua collocatis. Thesauri enim & principalis for-
tunæ insignia cetera, cum * Profecto & consistoria-
nis ambitu mœnium tenebantur. Decursis itaque
viarum spatiis confragosis, quum in medium tor-
F ridus procederet dies, octauo tandem hostiū car-
penta cernuntur, quæ ad speciem rotūditatis detor-
nata digestaque exploratorū relatione adfirmaban-
tur. Atque (vt mos est) vlulante barbara plebe fe-
rum & triste, Romani duces aciē struxere: & ante-
posito dextero cornu equitū, itinera primo pedita-
tus pars maxima subsidebat: cornu autē equitū læ-
uum, disiectis adhuc per itinera plurimis, summa
difficultate conductum properabat passibus citis.
Dumque idem cornu, nullo etiamnū interturbā-
G te extenditur, horrendo fragore simulantib. armis,
pulsuque minaci scutorum territi barbari, quoniā
pars eorū cum Alatheo & * Safrago procul agens, &
accita, nondū federaturos pacem misere legatos.
Eorū dum vilitatē despicit Imperator, vt firma fie-
rent paciscenda, optimates poscens idoneos mitti,
illi de industria cunctabantur: vt inter fallaces
inducias equites sui redirent, quod adfore iam
sperabant, & miles feruore calefactus æstiuo, siccis

faucibns commarceret, relucente amplitudine
camporum incendiis, quos lignis nutrimentisque
aridis subditis vt hoc fieret, iidem hostes vtebant.
Cui malo aliud quoque accedebat exitiale, quod
homines & iumenta cruciabat inedia grauis. In-
ter quæ Fritigernus, callidus futuri cõiector, mar-
temque pertimescens ancipitem, velut caduceato-
tem vnum è plebe suo misit arbitrio, petens nobi-
les quosdam & electos ad se propediē obsides mit
ti, impauidus ipse vim militarē laturus & necessa-
ria. Laudato probatoque formidati ducis proposi
to, tribunus Equuius, cui tunc erat cura palatii cre
dita, Valentis propinquus, adsentiētibus cunctis i-
re pignotis loco mature disponitur. Quo renitēte,
quia semel captus ab hostib. lapsusque à Dibalto,
verebatur eorum irrationabiles motus, Richome-
res se sponte obtulit propria ire: qui promiserat li
bens, pulchrum hoc quoque facinus & viro cõue-
nire existimās forti. Iãque pergebat indicia digni-
tatis & natalitū daturus. Eo ad vallū hostile tēdēte,
sagittarii & scutarii, quos Bacurius Iberus quidam
tūc regebat & Cassio, auidius impetu calenti pro-
gressi, iãque aduersis connexi, vt immature proru-
perãt, ita inerti discessu primordia belli fœdarunt.
Hocque impedimēto conatus intēpestiui & Richo
meris alacritas fracta est nusquã ire permissi: & e-
quitatus Gotthorū cū Alatheo reuersus & Safra-
go, *Alanorū manu permixta, vt fulmen prope mō
tes celsos excussus, quoscūque sccursu veloci in-
uenire comminus potuit, incitata cæde turbauit.
Quumque arma ex latere omni concuterentur & te-
la, lituosque Bellona luctuosos inflaret, in clades
Romanas solito immanius furens, cedentes nostri
multis interclamantibus restiterunt. Et prœlium,
flãmarum ritu acres absterrebat militum animos,
confixos quibusdã rotatis ictibus iaculorum & sa-
gittarum. Deinde collisæ in modū rostratarū na-
uium acies, trudentesque se vicissim, vndarū spe-
cie motibus sunt reciprocis agitatæ. Et quia sini-
strū cornu adusque plaustra ipsa accessit, vltra (si-
qui tulissēt suppetias) processurū, à reliquo equita-
tu desertū, multitudine hostili vrgente, sicut ruina
aggeris magni, oppressum atque deiectū est. Stete
rūt improtecti pedites, ita cõcateruatis manipulis,
vt fixi nec mucronē exserere, aut manus reducere
quisquã posset. Nec iã obiectu pulueris cælum pa-
tere potuit ad prospectū, clamorib. resultãs horri-
ficis. Qua caussa tela vndique mortē vibrãtia desti
nata cadebãt & noxia, quod nec prouideri poterãt,
nec caueri. Verum vbi effusi immēsis agminib. bar
bari iumenta conterebãt & viros, & neque ad rece
ptum confertis ordinibus laxari vsquam poterat
locus, & euadēdi copiã cõstipatio densior adime-
bat: nostri quoq; vltimo cadēdi cõtēptu occursan-
tes receptis gladiis obtrūcabant, & mutuis securiū
ictib. galeæ perfringebãtur atque loricæ. Videre-
que licebat celsum ferocia barbarū, genis stridore
cõstrictis, succiso poplite aut abscissa ferro dexte-
ra, vel cõfosso latere inter ipsa quoq. mortis cõfinia
minaciter circūferentem oculos truces. Ruinaque
confligentium mutua ad humū corporibus stratis,
cãpi peremptis impleti sunt: & moriētiū gemitus
profundisque vulneribus transfixorū, cum timore
audiebantur ingenti. In hoc tanto tãque confusæ
rei tumultu exhausti labore & periculis pedites,
quum deinceps neque vires illis, neque mentes
suppeterent ad consilium, diffractis hastarum ple-
risque collisione adsidua, gladiis contenti distri-
ctis, in cõfertas hostiū turmas mergebantur, salu-
A tis immemores, circūspectãtes ademptum esse om
ne euadēdi* suffugium. Et quia humus riuis operta
sanguineis gressus labiles euertebat, conabantur
modis omnib. vitã impēdere nō inultã, adeo ma-
gno animorum robore oppositi incumbētibus, vt
etiã telis quidam propriis interirent. Atra denique
cruoris facie omnia cõturbante, & quocumque se
inflexerant oculi, aceruis cæsorum aggestis, e-
xanimata cadauera sine parcimonia calcabantur.
Solque sublimior decurso Leone ad domicilium
B cælestis Virginis transiens, Romanos magis at-
tenuatos inedia sitique confectos, etiam armo-
rum grauantibus sarcinis* exsuperabat. Ad vlti-
mum incumbēte barbarorum pōdere, acies incli-
natæ nostrorū, (quod solū postremis malis habue-
re subsidiū) incōdite, qua quisque poterat, vertū-
tur in pedes. Dūq. omnes dispersi per ignotos tra-
mites cedūt, Imperator diris fauorib. circūseptus,
paulatimque insiliēs funerum moles, ad Lãcearios
confugit & Mattiarios: qui, dum multitudo tolera
C batur hostilis, fixis corporib. steterant inconcussi.
Eoque viso Traianus exclamat, spē omnē absum-
tã, ni desertus ab armigeris princeps saltem aduen
titio tegeretur auxilio. Hocque audito Victor no-
mine comes, Batauos in subsidiis locatos haud pro
cul, ad Imperatoris præsidiū raptim cogere prope-
rãs, quū inuenire neminē posset, gradiens retro dis
cessit. Parique modo Richomeres periculo semet
exemit & Saturninus. Sequebantur itaque furore
ex oculis lucente barbari nostros, iam linquente
D venarum calore torpentes. quorum aliquī percus-
soribus cadebant incertis: nō nulli ponderib. solis
vrgentiū obruti, ictuque suorum aliqui trucidati.
Nec enim sæpe* renitentibus cedebatur, aut par-
cebat cedentibus quisquam. Super his obstruebãt
itinera iacentes multi semineces, cruciatus vulne-
rum nō ferentes: cum quib. aggeres quoque equo
rum constrati cadaueribus campos impleuerunt. Di
remit hæc numquã pensabilia damna (quæ magno
rebus stetere Romanis) nullo splendore lunari nox
E fulgens. Primaque caligine tenebrarū, inter grega-
rios Imperator (vt opinari dabatur: neque enim se
quisquam vidisse vel præsto fuisse adseuerauit) sa-
gitta perniciose saucius ruit: spirituque mox con-
sumpto decessit, nec postea repertus est vsquam.
Hostium enim paucis spoliãdi gratia mortuos per
ea loca diuersatis, nullus fugatorū vel accolarū il-
luc adire est ausus. Simili clade Cæsarē accepimus
Decium, dimicantē cum barbaris acriter equi lap-
su prostratum, quē fruentem retinere non valuit,
F abiectūque in paludē, nec emergere potuisse, nec
inueniri. Alii dicunt Valentē animã non exhalasse
confestim, sed cum candidatis & spadonibus pau-
cis prope ad agrestem casam relatū secunda conti-
gnatione fabre munitam, dū fouetur manibus im-
peritis, circumcessum ab hostibus qui esset ignorã-
tib. dedecore captiuitatis exēptū. Quum enim op-
pessulatas ianuas perrumpere conati qui sequuti
sunt, aperte pensilis domus sagittis incesserentur,
ne per moras inexpedibiles populandi amitterent
G copiam, cōgestis stipulæ falcib. & lignorū, flãma-
que supposita, ædificium cum omnib. torruerunt.
Vnde quidã de candidatis per fenestrã lapsus, cap-
tusque à barbaris, prodidit factū, & eos mœrore ad
flixit, magna gloria defraudatos quod Romanæ rei
rectorē nō cepere superstitē. Is ipse iuuenis occul-
te postea reuersus ad nostros, hæc ita accidisse nar-
rauit. Pari clade, recuperatis Hispaniis, Scipionum
alterum cremata turri, in quã confugerat, absump-
tum in-

tum incendio hostili cōpertmus. Illud tamen certū
est, nec Scipioni nec Valenti sepulturā (qui supre-
mitatis honor est) contigisse. In hac multiplici vi-
rorum illustrium clade, Traiani mors eminuit &
Sebastiani: cū quib. triginta quinque oppetiuere
tribuni vacātes & numerorū rectores, & Valeria-
nus atque Equitius: quorū alter stabulū, alter cura
bat palatiū. Inter hos etiā Promotorū tribunus Po
tētius cecidit in primæuo ætatis flore, bono cuiq;
spectatis meritis Vrsicini patris magistri quōdā ar-
morū suisque cōmendabilis. Cōstatque vix tertiā
euasisse exercitus partem. Nec vlla annalib. præter
Cānensē pugnā, ita ad internicionē res legitur ge-
sta: quamquam Romani aliquoties reflectente For
tuna fallaciis lusi bellorum iniquitati cesserunt ad
tēpus: & certamina multa fabulosæ næniæ fleuere
Græcorum cōmendabiles, constatque . . . . pe
riit aūt hoc exitu Valens, quinquagesimo anno cō
tiguus, quum per annos quatuor imperasset & decē,
paruo minus. Cuius bona, multis cognita, dicemus
& vitia. Amicus fidelis & firmus: Vltor acer ambi-
tionū. Seuerus militaris & ciuilis disciplinæ corre
ctor. Peruigil semper & anxius, ne propinquitatē
eius prætendens, altius semet ferret. Erga deferen-
das potestates vel adimendas, nimium tardus. Pro
uinciarū æquissimus tutor: quarum singulas, vt do
mum propriā, custodiebat indemnes. Tributorum
onera studio quodam molliens singulari, nulla ve-
ctigalium admittens augmenta: in requirendis re-
liquorum debitis non molestus. Furibus & in pecu
latu deprensis iudicib. inimicus asper & vehemēs:
nec sub alio principe in huiusmodi negotiis me-
lius secum actum esse meminit oriens. Super his
omnib. liberali erat animi moderatione. Cuius rei
licet abundent exempla, vnum tamen sufficiet po-
ni. Vt sunt in palatiis nonnulli alienarum rerum
auidi, si qui caducum vel aliud petisset ex vsu, cum
magna iustorum distinctione contradictoris co-
pia seruata, donabat ei qui petierat tres vel qua-
tuor, alios absentes aliquotiens impetratorum par
ticipes iungens, vt castigatius agerent inquieti, lu-
cra quib. inhiabant hoc minus commento cernen-
tes. Super ædificiis autem, quæ per diuersas vrbes
& opida vel instaurauit vel à primis instruxit au-
spiciis, (ne sim longior) taceo, potiorib. ipsis id a-
pertius monstrare concedens. Hæc bonis omnib.
æmulāda sunt, vt existimo. Nunc eius vitia percur
ramus. Magnarum opum intemperans appetitor:
Laborum impatiens: duritiāque magis adfectās im
manem. In crudelitatem procliuior. Subagrestis
ingenii: nec bellicis nec liberalibus studiis erudi-
tus. Alienis gemitibus libenter emolumenta fru-
ctusque conquirens. tuncque magis intolerabilis
quum incidentia crimina ad cōtēptam vel læsam,
principis amplitudinē trahens, in sanguinē sæuie-
bat & dispēdia locupletum. Illud quoque ferri nō
poterat, quod quum legib. lites omnes quæstiones
cōmittere veteres vellet, destinatisque velut lectis
iudicib. negotia spectanda mandabat, nihil agi con
tra libidinem suam patiebatur. Iniuriosus alias &
iracundus: & criminantib. sine differentia veri vel
falsi facillime patens: quæ vitiorum labes, etiam in
his priuatis quotidianisque rationib. impendio est
formidanda. Cessator & piger. Nigri coloris, pu-
pula oculi vnius obstructa: sed ita vt non eminus
appareret. Figura bene compacta membrorum,
staturæ nec proceræ nec humilis: incuruis cruribus
exstanteque mediocriter ventre. Hæc super Valen
te dixisse sufficiet: quę vera esse, æqualis nobis me

A moria plene testatur. Illud autem præteriri non
conuenit, quod quum oraculo tripodis, quem mo-
uisse Patricium docuimus & Hilarium, tres versus
illos fatidicos comperisset, quorum vltimus est,
ἐν πεδίοισι Μίμαντος * χωομένοιο κὰρ, hoc (vt erat in-
cōsūmatus & rudis) inter initia cōtēnebat, processu
vero luctuum maximorum obiecta etiam timidus
eiusdem sortis recordatione, Asiæ nomē horrebat:
vbi Erythręo opido superpositum montem Mimā
ta & Homerum scripsisse & Tullium doctis refe-
B rentib. audiebat. Denique post interitum eius dis-
cessumque hostilem, prope locum in quo cecidis-
se existimatus est, inuentus dicitur saxeus monu-
menti suggestus, cui lapis adfixus, incisis litteris
Græcis, sepultum ibi nobilem quemdam Mimam-
ta veterem indicabat. Post exitialē pugnam, quum
iam tenebris nox terras implesset, iis qui superfue
re dextrâ pars, alii læua, vel quo metus traxerat, fe-
rebatur quisque, proximos quærens: quum præter
se nihil singuli* licere poterant, occipitiis propriis
C ferrum arbitrantes hærere. Audiebantur tamen, li
cet longius eiulatus miserabiles relictorum, singul
tusque morientium, & volneratorum cruciabiles
fletus. Luce vero cœptante, victores, vt bestiæ san
guinis irritamento atrocius efferatę, spei inanis il-
lecebris agitati, Hadrianopolim agminib. petiue-
re densatis, eam vel cum discriminib. excisuri po-
stremis, docti per proditores & transfugas, pote-
statum culmina maximarum & fortunæ principa-
lis insignia thesaurosque Valentis illic vt arduo in
D munimento conditos. Et ne interuallatis ardor in-
tepesceret moris, hora diei quarta, ambitu cincto
murorum, infestissime certabatur, oppugnatorib.
genuina ferocia ad præceps exitium festinantibus,
contraque defensorum vigore validis viribus inci
tato. Et quia militum calonumque numerus ma-
gnus, ciuitatem cum iumentis introire prohibi-
tus, adfixus parietibus mœnium ædibusque conti-
nuis, pro loci humilitate fortiter decernebat, su-
perataque rabies imminentiū adusq; horam diei
E nonā, subito pedites nostri trecenti, ex his qui pro
pe ipsas stetere loricas, conserte in cuneum desci-
uerunt ad barbaros. Eosque illi auide raptos, cōfe
stim (incertū quo cōsilio) trucidarunt. Et ex eo de
inceps obseruatum est neminem huiusmodi ali-
quid vel in desperatione rerū vltima cogitasse. Fer
uente itaque tot malorū cōgerie, repente cū frago
re cælesti imbres nubib. atris effusi dispersere cir-
cumstrementium globos. Reuersique ad vallum di-
mensum tereti figura plaustrorum, immanes spiri-
F tus latius porrigentes, iubebant nostris per mina-
ces litteras & legatum* ætatem, fide retinendæ sa-
lutis accepta. Verum introire non auso qui missus
est, per Christianum quemdam portatis scriptis &
recitatis, vtque decebat contemplatis, parandis o-
perib. reliquum diei & nox omnis adsumpta. Nam
intrinsecus silicibus magnis * obstructæ sunt por-
tæ, & mœnium lutura firmata, & ad emittēda vndi
que tela vel saxa, tormēta per loca aptata sunt ha-
biles, aggestaque prope sufficiens aqua. Pridie e-
G nim dimicantium quidam siti adusque ipsa vitæ
discrimina vexati sunt. Cōtra, Gotthi reputātes dif
ficiles martis euentus, anxiique quum sterni & sau-
ciari cernerent fortiores, & particulatim vires suas
conuelli, astutum iniere consilium, quod ipsa iudi-
cante Iustitia publicatum est. Partis enim nostræ
candidatos aliquos, qui die præterito ad eos
defecerant, pellexere, vt simulata fuga, ve-
lut ad propria remeantes, intra muros suscipi se

curarent: ingressique latenter quamdam incenderent partem, vt tamquam signo erecto occultius, dũ circa extinguendũ incendiũ distringitur multitudo clausorũ, ciuitas perrumperetur impropugnata. Pertexere vt statutum est candidati: quumq; prope fossas venissent, manus tendẽtes orantesque, vt Romanos semet admitti poscebant. Et recepti (quia nulla erat suspicio quæ vetaret) interrogatique super consiliis hostiũ, variarunt. Vnde factum est vt cruenta quæstione vexati ceruicibus periẽt abscissis, quid actori venerat aperte confessi. Omni itaque bellãdi apparatu præstructo, aduẽtante vigilia tertia, barbari abolito præteritorũ vulnerũ metu, in vrbis obseratos aditus multiplicatis ordinib. inundarunt, & obstinatione magnatiũ maiore. At cũ armatis prouinciales & palatini ad obruendos eos excitatius exsurgebant: & huiuscemodi tela, in multitudine tãta vel temere missa, cadere sine noxa non poterant. Animaduersum est à nostris, isdẽ telis barbaros vti quibus petebantur. Ideoque mandatum est vt neruis ferrum lignumque connectẽtibus ante iactũ incisis, emitterẽtur arcu sagittæ: quæ volitantes, vires integras seruabant, infixæ vero corporibus, nihil vigoris perdebant: aut certe si cecidissent in vanũ, ilico frangebãtur. Dein autẽ rebus ita flagrantibus graue momentũ casus admodũ inopinus. Scorpio, genus tormenti, quẽ onagrũ sermo vulgaris appellat, e regione contra hostiũ aciem dẽlato locatus, lapidẽ contorsit ingentẽ. Qui licet humo frustra illisus est, visus tamẽ ita eos metu exanimauit, vt stupore spectaculi noui cedentes e medio, abire tentarent. Sed buccinis optimatum monitu occinentibus, instauratũ est prœliũ: & pari modo res Romana superior stetit, nullo ferme alio telo vel * fundæ amento incassum excusso. Agmina.n. præeuntiũ ductorũ, quos rapiendi Valentis malis lucubrationibus quæsitis cupiditas incendebat, sequuti ceteri, præ se ferebant æquiperasse discrimina potiorũ. Namque semineces aliqui, aut magnis obruti põderibus, vel cõfixi iaculis pectora, voluebantur. Nonnulli scalas vehendo, adscensusque innumeros ex latere omni parãtes, sub oneribus ipsis obruebãtur, contrusis per pronũ saxis & columnarũ fragmentis & cylindris. Nec quemquã furentiũ cruoris horrenda species ad serũ vsque diẽ ab alacritate faciendi fortiter auertebat: hoc incitante quod etiam defensorum plurimos cadere diuersis ictibus videntes eminus, lætabantur. Ita sine requie vlla vel modo, pro mœnibus & cõtra mœnia ingentibus animis pugnabatur. Et quia nullo ordine iam, sed per procursus pugnabatur & globos, (quod desperationis erat signum extremæ) flexo in vesperam die digressi omnes rediere ad tentoria tristes, inconsideratæ dementiæ alter alterum arguentes, quod non (vt suaserat antea Fritigernus) obsidionales ærumnas vbique declinarunt. Cõuersi post hæc per omne tẽpus noctis (vt æstiuæ) non lõgum, ad vulnerũ curas artesque medendi gentiles, reddita luce in varias consiliorũ vias deducebãtur, quorsum tenderent ambigentes. Multisque dictatis & * controuersis occupare statuũt Perinthum, eamde quæque diuitiarum referta, docentibus omnia perfugis, etiam domorum, nedum vrbium, interna noscentes. Hanc sequuti sententiam, quã vtilem extimarunt, itineribus lentis, miscentes cuncta populationibus & incendiis, nullo renitente pergebant. Obsessi vero apud Hadrianopolim, post eorum abitum quũ vacare hoste loca proxima compertæ fidei nũ iassent exploratores, egressi media nocte, vitatis aggeribus publicis, per nemorosa & deuia trans Philippopolim, exindeque Serdicã aliam Macedoniæ vrbẽ, cũ intemeratis opib. quas habebant, omni studio ad properandũ excogitato currebant, velut in regionibus illis reperiẽdo Valente: quẽ inter medios certaminũ turbines oppetiisse, vel certe ad tuguriũ confugisse, (vbi existimatus est vi periisse flammarũ) penitus ignorabant. At Gotthi Hunnis Alanisque permixti nimium bellicosis & fortibus, rerumque asperarum difficultatib. induratis, quos miris præmiorũ illecebris sibi sociarat sollertia Fritigerni, fixis iuxta Perinthũ castris, ipsam quidẽ vrbẽ, cladiũ memores pristinarũ nec adire nec tentare sunt ausi: agros vero fertiles, late distentos & lõge, ad extremũ vastauere penuriæ, cultoribus cæsis aut captis. Vnde Cõstantinopolim, copiarũ cumulis inhiantes amplissimis, formas quadratorũ agminũ insidiarum metu seruantes, ire ocius festinabant, multa in exitiũ vrbis inclytæ molituri. Quos inferentes sese immodice, obicesque portarũ pene pulsantes, hoc casu cæleste repulit numẽ. Saracenorũ cuneus, (super quorũ origine moribusque, diuersis in locis retulimus plura) ad furtum magis expeditionalium rerũ, quam ad concursatorias habilis pugnas, recens illuc accersitus, congressuros, barbarorum globo repente conspecto, a ciuitate fidenter erupit: diuque extento certamine pertinaci, æquis partes discessere momentis. Sed orientalis turma nouo nec ante viso superauit euẽtu. Ex ea enim crinitus quidam, nudus omnia præter pubẽ, subraucum & lugubre strepens, educto pugione, agmini se medio Gotthorũ inseruit: & interfecti hostis iugulo labra admouit, effusumq; cruorẽ exsuxit. Quo mõstruoso miraculo barbari territi, postea non ferocientis more, quum agendũ appeterent aliquid, sed ambiguis gressibus incedebant. Processu dein audaciæ fracto, quum murorum ambitum, insularum spatiis immensis oblongum, & inaccessas pulchritudines vrbis, & incolentium plebẽ considerarent immensam, iuxtaque fretum, quod Põtum disterminat & Ægæum: disiectis bellorum officinis quas parabant, post accepta maiora funera quam illata, exinde digressi sunt effusorie per arctoas prouincias: quas peragrauere licenter, adusque radices Alpium Iuliarũ, quas Venetas appellabat antiquitas. His diebus efficacia Iulii magistri militiæ trans Taurum enituit salutaris & velox. * Cõperta enim fatorum sorte per Thracias Gotthos antea susceptos, dispersosque per varias ciuitates & castra, datis tectioribus litteris ad eorum rectores Romanos, omnes, (quod his temporibus raro contingit) vniuersos tamquã vexillo erecto, vno eodemque die mãdauit occidi, exspectatione promissi stipendii securos ad suburbana productos. Quo consilio prudenti sine strepitu vel mora completo, orientales prouinciæ discriminibus ereptæ sunt magnis. Hæc vt miles quondam & Græcus, à principatu Cæsaris Neruæ exorsus, adusque Valentis interitum, pro virium explicaui mensura: opus veritatem * professum numquam (vt arbitror) sciens silentio ausus corrumpere vel mendacio. Scribant reliqua potiores ætate, doctrinis florentes. Quos id (si libuerit) aggressuros, procudere linguas ad maiores moneo stilos.

FINIS.



ROMANAE HISTORIAE COMPENDIVM, AB INTERITV GORDIANI IVNIORIS VSQVE AD IVSTINVM III.

per Pomponium Lætum.

LBINVS, PVPIENVS, GORDIANVS.

MAXIMINO profligando (qui A primus post habita senatus auctoritate, ab exercitu Imperator Augustus appellatus est) ex concione Vectij Sabini, patres imperium duobus viris decreuere; & populus Romanus concordi assensu ac lætitia sciuit. Ij fuere DECIVS CÆLIVS BALBINVS, & M. CLODIVS PVPIENVS. Hic, quamuis B homo nouus, per gradus dignitatis satis illustris erat, & grauitate ac seueritate venerabilis: Balbini maiores, ex Gadibus Hispaniæ cum Pompeio Magno venerant, & ciuitate donati: horum primus Theophanes Balbus, Romæ appellatus Cornelius; quem M. Tullius defendit. Igitur Balbinus nobilitate familiæ fortunisque & clementia, satis cognitus. Hic Cęsaris, ille Catonis moribus comparatus: ille contra Maximinos hostes iudicatos copias eduxit, hic vrbis gubernationem suscepit: C illius auspiciis cæsi Maximini, huius bonitate tumultus in vrbe inter ciues ac prætorianos exortus est. Tandem neq; illi seueritas, neque huic clementia profecerunt: ambos, milites occiderunt: GORDIANVM natum annos XIII. qui modo Cæsar erat, Imperatorem fecerunt, non abnuente senatu. Cuius successibus quum posset Persicum nomen deleri, insidiæ Philippi vetuerunt: quibus circumuentus adolescens, occisus est. Etenim occultæ proditiones ad exscidium bonorum excogitatæ, scelera audientium prodigiorum augent. D Non fuit inulta iuuenis Gordiani cædes: quicumque in eum coniurauerunt, crudelibus suppliciis afflicti interierunt.

MARCVS, ET SEVERVS HOSTILIANVS.

SENATVS, de morte Gordiani factus certior, *Marcum* quendam virum grauem ac sapientem, Imperatorem legit. qui subita morte in palatio, vbi habitabat, decessit: nec successor dilatus E est: statimque lectus à patribus *Seuerus Hostilianus*. qui repente quum incidisset in morbum, medicis male venam soluentibus, occubuit. Interea litteræ *Philippi* ad Senatum afferuntur. in iis scriptum erat Gordianum graui morbo affectũ obiisse, & Philippum ab exercitu Imperatorem factum; rogateque vti patres probarent. Senatus, qui remnondum nouerat, Augustum Philippum confirmauit, Gordianum inter diuos retulit.

DE IMPERIO PHILIPPI.

MARCVS IVLIVS PHILIPPVS, Vostris Arabiæ vrbe, obscuris parentibus natus est: cuius fortunæ, humilitas generis non obfuit. Ab teneris annis relicto patrio solo, militare cœpit: nec difficile hoc puero fuit. Nam Arabes optimi sunt equites, & militiam Romanam noscere cœperunt, in oriente res gerente Pompeio. Phillippus haud parum diligens, per gradus promotionis ascendit, comes ordinis, deinde dux, post præfectus prætorio. Tandem in Perside post mortem Misithei, exercitui à Gordiano præficitur: & loco parentis, iuuenis Imperator eum habuit. Misitheus, qui & idem Timessocles, vir modestus ac frugi, reip. & militibus moderandis tanta dexteritate vsus, vt vtrisque carissimus fuerit: propter cuius bonitatem simul & ingenitam eloquentiam, eius filia adolescenti Gordiano nupsit; præfectusque vrbi factus. Tanti viri consilio imperium ex omni parte augebatur: bello Persico senis prouidentia fugatus est Sapores rex, Artaxerxis filius: (erat autem Sapores statura procerus, & corpore horribilis) recuperatæ vrbes, Antiochia quæ est Nisibis, & Carræ: exercitui commeatus nunquam defuit. In eo exigendo prouincialibus minime molestus. Senatus hominem quadrigis & titulo honestauit; MISITHEO PARENTI PRINCIPVM POP. ROM. TVTORI REIP. S. P. Q. R. Sunt qui scribunt & hunc consilio Philippi obiisse. Nam quum medici poculum decreuissent ventris profluuio cohibendo, aliud fraude porrectum quo magis solueret. Post huius obitum factio Philippi plurimum creuit; frumentariæ naues eius opera interceptæ sunt: exercitusque esurie quum laboraret, ad loca difficiliora traductus ad quæ per Euphratem commeatus aduehi non posset, amici Philippi negligentiæ principis id ascribebant: ceteri, quum esurirent, facile crediderunt. Iamque palam princeps accusabatur, adolescentia culpabatur quod non digna imperio esset: tandem fames impulit pene omnes imperium commendare Philippo, qui vna cum iuuene imperaret: quod diu durare non potuit. nam & Philippus fraudulenter omnia agebat, per clandestinos amicos noua crimina fingebat; & iuuenis Scipionum proles & Augustorum heres, æquatum sibi imperium cum indignitate Philippi ægre ferebat. Ea res cædem Gordiano festinauit. Accessit etiam ne amor S. P. Q. R. & militum,

intellectis hominis Arabici fraudibus, imperium abrogaret. Hac via iam Aug. Philippus proficiscendi ad vrbem concionem habuit: percussoque cum Persis fœdere, Mesopotamiam & Assyriam hostibus reliquit, passus victricium armorum dedecus, vt ad vrbem è Syria aduolaret. In natali agro vrbē sui nominis cōdi iussit Philippopolim. Et nequis ambigat, aut nominis similitudine decipiatur, altera est in Thracia Philippopolis, quā Scythæ diripuerunt, regum Macedoniæ opus. In itinere cōsortem imperij fecit Philippum filium. Reuersus ad vrbem, iam voti compos, plura largitus est. Sed ipsius aduentu lætitia haud ingens, quod prouincias amiserat: studens sedare animos omnium, inducto cum Persis decreto, illis bellum indixit, sperans ignominiam abolere. Res sine sanguine peracta est, Persis prouincias restituere pollicentibus. Huius imperij anno II. ante XI. cal. Maij, ingenti pompa magnoque sumptu & apparatu seculares ludi anno A. V. C. M. celebrati sunt. Beluæ triumpho Persico & iis ludis à Gordiano asseruatæ (nam iuuenis natali vrbis triumphare decreuerat) hæ fuisse memorantur: Elephanti XXXII. alces X. tigrides X. leones mansueti LX. leopardi cicures XXX. hyęnæ X. hippopotamus vnus, rhinoceros vnus, arcoleontes X. camelopardi X. onagri XX. equi feri XL. gladiatorum paria mille. Quæ omnia in circo maximo exhibita, & scenicos ludos in Pompeij theatro, tribus diebus totidemque noctibus (mirum dictu) peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: & quum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est: theatrum Pompeij arsit, & ei propinquum hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus: *centenariam porticum* appellabant. Circenses dati; in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus numeratus est. De *ludis secularibus* pauca referre haud ab re est. Eos instituisse fertur, exactis regibus, M. Valerius Publicola, & appellatos quod plerumque hominis ætas semel intueri potest: idque aliquandiu seruatum est. postea ambitione Cęsarum cupientium id solenne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, & pro libidine seculares ludi habiti. Interea Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, & illius nutu quieti erant, facta irruptione limites transgressi, vrbes & agros imperij Romani vastare, prædas abducere, cędes vndique facere, incendia suscitare, domos, villas, tuguria euertere; metum haud inanem inferebant. Expeditioni propere præficitur *Marinus* quidā, dux limitis Sarmatici: ab exercitu Illyricorum Imperator est appellatus. quod quum nuntiatum esset Romæ, Philippus aduocato senatu, plurimum de Marini ingratitudine questus est. *Decius*, vir clarus, hortatus est principem ne timeret, quod Marinus pœnas daturus esset: qui post paulo cæsus seditione militari, pœnas luit. Confirmatus Imperator vaticinio Decij, contra Scythas cum supplemento copiarum ipsum Decium misit, qui quum ad exercitum peruenisset, concordi assensu milites Illyriciani Imperatorem fecerūt; renuentem ac repugnantem, strictis ensibus coegerunt. Dux experientia rerum cautus, ne à principe accusari posset, neue locum calumniis præberet, fidissimo nuntio literas ad Philippum dedit, quibus se excusabat, suppliciter exorans ne

A turbato animo ferret; promittens abdicaturum se dignitate, ad quam inuitus tractus esset. Philippus vero, homo Punica fraude deterior, qui, vt scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat, expeditionem scriptis etiam nouis legionibus contra Decium parauit: & quum posset per duces bellum gerere: ipse eductis copiis profectus est; minis ingentibus palam asserens se Decium cum toto scelerato exercitu perditurum. Hac mente turbatus, velut furore concitus ferebatur. B Itaque à militib⁹ ipse Veronæ cæsus est, & Romæ filius à prætorianis. Is traditur fuisse agelastos, & ludis sæcularibus ridentem patrem toruo vultu inspexisse, velut illum corrigeret. Ambo Philippi vixerunt annis quinque, & immeritò inter diuos relati.

DECIVS.

IMP. CÆS. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. Bibali inferioris Pannoniæ vrbe natus, claris C parētibus, ab ineunte ætate spem optimæ indolis præbuit; in quo virtutes cum ætate creuerunt. Ad amplissimas dignitates non ambitio, non empta suffragia, non corruptæ amicitiæ, sed boni mores perduxere. Igitur qui à militibus Illyricianis ante Imperator factus fuerat, ab senatu Augustus est appellatus. Is quum magnitudinem imperij contemplaretur, P. Cornelium Licinium Valerianū, qui postea imperauit, exercitui præfecit; virum militarem & bonis moribus nutritum, tum sexa- D gesimum sextum agentem annum. & quum de censore eligendo potestas senatui data esset ab Decio, Valerianus absens Censor lectus, in æde Castoris & Pollucis, in parte fori Romani versus palatium; cuius vestigia effodi vidimus. Ea censura probata, Decio patre ac filio consule, modestia Decij hoc passa est. Nam postquam resp. vnius nutu gubernari cœpta est, ipsi Imperatores censores erant. Decius, cuius vita sanctissimis institutis numquam aduersata, cupiens nihil agere E nisi quantum senatus iuberet, censuram amplissimo ordini permisit. Huius Imperatoris vita, quę & ciuilis & militaris fuit, multos habuisset laudatores, si ab Christianorum cruciatibus se temperasset. Nam ius quintæ relationis, & proconsulare imperium, vnde Augusti omnes pro consulibus; nec nō & ius tribunitiæ potestatis, quod Augustus primus sibi perpetuo vendicauerat; arbitrio senatus populique Romani permisit; Patris patriæ cognomen accepit. Sed priusquam ad F vrbem rediret, ciuiles in Gallia motus sedauit. Parum in vrbe commoratus, cogente senatu, filium suum Decium Cæsarem fecit. Patribus rempublicam commendauit; & vna cum filio ad liberandas Thracias profectus est. Nam Scythæ & naualibus & terrestribus copiis omnia infestabant. Victor in primis congressibus, hostes in angustias locorum quæ in Dardaniis sunt, compulit & obsedit: expugnassetque fame ni proditus ab suis fuisset. Hostium dux per legatos petiit vt relicta omni præ- G da sineret cum suis abire trans Istrum: Romanus Imperator negauit, auidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperant, & qui prouincias Romani imperij quiescere non sinerent; & sua strage vix domiti, amisso rege Decibalo, Neruæ Traiano illuserint. Iamque fere voti compos, *Trebonianum Gallum* ducem limitis Mysiæ, ad obsidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum misit. Gallus consilium barbaris patefecit,

fecit,& eos monuit vt se dimiderent; & alij consisterent in insidiis prope paludem, alij in primo congressu fugã simularent paludẽ versus. Barbari, nonnihil addentes consilio Galli, rem peragunt. Quum in pugnã descenderent, admiratus est Decius quod qui modo perculsi metu erant, iam arma poscerent: ignarusq. proditionis, certus victoriæ, copias educit. Illi statim terga dãt, Imperator insequitur: quũ ventũ est ad insidias, atrocissima fit pugna, vtrimque magnæ cædes. Deciani difficillime prœliabãtur, luto palustri afferente cladẽ: tamen non moriuntur multi, & loco & fato aduersantibus pereunt. Decius pater cũ filio occubuere. Senior forte equo sedẽs, ne viuus aut contra in manus hostiũ perueniret, insiliit in voraginẽ paludis. nã quæsitũ eius cadauer, nusquã repertũ est. Regnauerũt biennio nondũ finito. Hic fuit Deciorum finis; qui (vt credibile est) se pro futura victoria deuouerunt. Ita enim Deciorum nomen facere consueuit. Decij Mures duo, prioribus sæculis, alter bello Hetrusco, alter bello Latino, cõstanti animo inter confertissimos hostes pro victoria patriæ se deuouentes occubuere. Hunc *deuouendi morem* primus creditur introduxisse Linus Codri F. qui pro patria bello Dorico se deuouit. Hic Miletum coloniam Atheniensium deduxit in Ionia. Quidam scribit Decium, cupientem Philippopoli ferre opem, cito petiisse Berœam: & inde fugatum ab Echina rege Gotthorum, reparatisque in Mœsia viribus, rediisse ad hostes, qui Philippopolim ceperant, & Priscum ducem sibi conciliauerant. In ipso congressu ictũ sagitta Decium filium decessisse: & patrem, vel, vt cædem filij vlcisceretur, vel, vt morte sua finem dolori inueniret, in confertissimos se immisisse hostes, & nusquam apparuisse, & diis ante congressum immolasse, ad Abrittum Mœsiæ vrbem. inde factum loco nomen: *Ara Decij* appellatur. Decius pater bonitate Traiano adæquatus, nomenq; Optimi principis indicio senatus meruit; appellatusq. est IMPER. CÆS. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. Exercitum Illyricianum mire dilexit, quia ab eo primum Imperatoris nomẽ accepit. Senatus Decij nomine, *Decianas termas* in Auentino ædificauit.

GALLVS.

IMP. CÆS. C. VIB. TREBONIANVS GALLVS AVG. patriciorum familia ortus: in quo plus fortunæ quã fidei fuit: quamuis quum Augustus, esset, in numismatibus exprimi iusserit, VIRTVS AVGVSTORVM, de se ac filio; quasi virtute, non dolo principatum assequutus. In tanta nostrorum strage, legio quæ integra Scytharũ fide remanserat, Gallum Imperatorem fecit: qui superfuerant, ad hunc confugerunt, velut seruatorem reliquiarũ Romani exercitus. quo rumore adductus senatus, Augustũ appellauit; licet & ipse scripserit. Cũ Scythis fœdus percussit, non sine Romani nominis ignominia. Tunc primũ diuturno & libero potẽtatu populus Romanus tributa pependit: tũc primum resp. iugum Scythicæ seruitutis accepit: tantaq. est imperandi auiditas, vt qui præesse cupit & ad id fastigiũ legi, vrbes & prouincias sine discrimine donet. Ad[illegible]nus ab aliis occupatas restituit (quod principis liberalitate videri actũ potest) sed qui tributo pendendo obnoxiam fecerit vrbẽ, præter Gallum fuit nemo. Tributũ fuit drachmatum aurearũ CC. Secus euenit quã sperabat Imperator. Barbarus quum vincit, insolentior est. Itaq. contẽplatus diuitias Romani imperij, quod & sua fide ille imperaret, ac per hoc tributũ pro meritis non esset; incursiones facere, prædas abigere, ingentiq. agmine terra mariq. sæpius irrumpere. depopulatur Dardaniã, Thraciam, Thessaliam Macedoniamq. & Hellada: & pars infestabat Asiã: vndiq; cũ pluriũ vrbiũ vastatione & excidio, Scytharũ exemplo alij hostes surgunt armaq. capiũt. Iam in viscera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias fugato rege Tiridate occupant, cuius liberi hostibus se dederũt. Scythæ magna onusti præda, in Dardanios, velut regni sedem, redeunt. Interea Gallus quum Romam venisset, *C. Vib. Volusianum* filium, consortẽ imperij fecit. Scythæ rursus non contenti pretio, iam Italiæ minabantur. sic barbaricæ gentis animus nostris opibus inhiabat. Itaq. opera *AEmiliani* ducis limitis Mysiæ, rapacissimi hostes non sine magna cæde in suas solitudines redire coacti sunt. Ita imperium Galli infaustũ atque infelix, rerum gestarũ monimẽtis obscurum, verũ clade generis humani memoriæ traditũ est: siquidẽ eo imperante, perniciosa pestis vndiq. viguit. Tabes initiũ fuit ab Æthiopia; forte ex nimio solis ardore. Pestilitas primo consũptis fere meridianis, per oriẽtem diuagata est: inde ceteras orbis partes inuasit, vbiq. maximũ partem incolẽtiũ exhausit, pleraq. loca inhabitata reliquit. ea labes vix intra decẽ annos finẽ inuenit. Prouenisse ex infelicibus Galli auspiciis visa est, vt qui proditione imperium arripuit, Christiani etiam dogmatis hostis: qui quum copias contra Æmiliani duceret, victus & ab suis militibus desert⁹, vna cũ filio cæsus est. Imperauit annis duob.

IMP. CÆS. ÆMILIANVS AVG.

AEMILIANVS LIBYCVS (namque in Mauritania ortus) à pueritia cœpit stipẽdia mereri: & quum pro ætate honores promotionis nõ deessent, dux limiti Sarmatico in Mœsia à Decio præpositus, & à Gallo minime submotus: quum Scythæ, solertissimũ latrocinandi genus, contenti pretio non essent, Æmilianus pro concione suis militibus id pollicitus est, si hostes vicissent. Nostri, premio accensi ad conferendas cum barbaris manus incitatiores facti. quumque nimius ardor insisteret, apertis castrorũ portis, auidũ pugnandi militẽ educit: qui tanto impetu in hostes illatus est, vt nõ fugauerit modo, sed bona ex parte ceciderit, illorumq. regiones abactis prædis pene exhauserit. Reuersus in Mysiam, præmia assequutus est: Æmilianus persoluit: qui hoc successu adeo gratus victori exercitui fuit, vt ab eo sit Imperator appellatus. Ad hos motus opprimendos Gallus vna cũ filio proficiscitur, nec profecit. Ambo in primis prœliis cæsi sunt, & milites Æmiliano hæserũt: qui statim ad senatũ scripsit, docẽs se Imperatorem lectum esse; promittẽs se liberaturum Thracias, & Mesopotamiã atque Armenias recuperaturum, & depulsurum vndique hostes nominis Romani. Sed priusquam opus aggrederetur, milites qui in Alpibus erant, *Valerianum* Imperatorem faciunt. Quo nuntio accepto, qui sub Æmiliano erant, ne ciuili bello & cognatorũ sanguine se inuicem inficerent, contemplantes præterea humilitatem generis Æmiliani, & nobilitatem Valeriani, simul & laudatissimos mores, eo interfecto, censorio viro se tradiderunt. Imperauit autem mẽsibus tribus; vixit annis quadraginta. Ita res solo ducis capite peracta est.

VALERIANVS.

PVBLIVS CORNELIVS LICINIVS VALERIANVS succeſſit,homo maioris ſpei ac opinionis quã fortunæ. Captus ab Sapore rege Perſarum,in captiuitate conſenuit.Interea eius filius *Licinius Gallienus*, ab initio Cæſar, mox Auguſtus,præclara geſſit:deinde ad delicias lapſus dum popinæ ſtudet imperiũ dilacerari nõ curat:& niſi in Galliis occidentẽ Aulus Poſthumius,& orientem in Syria Odenatus Palmyrenus defendiſſent, imperium Romanũ ſudore ac vigiliis,fortuna & virtute fauentibus acquiſitũ,Germani,Perſæ,Scythæque,& ſurgentes vbiq.hoſtes,perdidiſſent.verũ & tyranni triginta ſibi bona ex parte occupauere.Porro Gallienum cum fratre Valeriano, milites *Aureoli*, qui dux erat Illyriciani exercitus, prope Mediolanum interfecerunt.

CLAVDIVS.

MARCVS AVRELIVS CLAVDIVS deinde ſuſcepit imperium, vir ad barbaros delendos natus,quos ſtatim multis in locis & vicit,fudit atque cecidit. Prœlus ac rerũ pœnitus Sarmatas,Getas, Scythas, Quados conſumpſit,Daciam recuperauit: victor Sirmiũ Pannoniæ petiit, vbi in ægritudinẽ incidit, & priuſquã decederet,cõuocatis ducibus,tribunis,& præfectis,concionatus eſt,præſertim de eligendo Imperatore:& longa orationis ſerie Aurelianum probauit.Senatus, nũtiata Claudij morte,eius fratrẽ *Aureliũ Quintillum* Italici præſidij ducem,Cæſarem Auguſtum appellauit:Exercitus interea *Aurelianum* Imperatorem legit. Poſtquã nuntiũ ad vrbem peruenit, illius conatibus ſe imparẽ quum videret, maleq. expertus cõcione militum voluntatẽ,qui omnes fauebant partibus Aureliani,venas ſoluit, & poſt paulo deceſſit,XVII.imperij die. *Aurelianus* ſolus imperat, qui imperiũ multiplici tyrannide liberauit,& eius terminos auxit, rebus geſtis magnis principibus non modo æquandus,verumetiã anteferendus,interfectus medio itinere quod ducit ab Heraclea Byzantium, non longe ab Cænophrurio,miniſtri à libellis manu.

TACITVS.

PVBLIVS ANNIVS TACITVS poſt hunc imperat,vir egregius,& reipubl.commodo,ſine exercitu ab ſenatu Imperator & auguſtus appellatus. Tunc primũ reſp.velut longo poſtliminio reducta,ſuo iure ac iudicio vſa eſt. Vrinã nec militaris furor, aut nimia erga nutrices cura, bonos mores perdidiſſent.Nam quãdiu ſua grauitate ſenatus decernit,tamdiu reſp.viribus ſuis conſiſtit: quæ tunc renaſcens,Tacitũ ſui corporis legit, & militibus principẽ dedit, non accepit ab legionibus aut à prætorianis iugũ.Sed inuidit tanto facinori cælum,dũ fama tanti principis ad ſuos limites producitur, fata ſucceſſorem dedere. Is fuit MARCVS AVRELIVS PROBVS,vir gloria rerũ geſtarũ illuſtris:nec potuit obeſſe M.Annius Florianus Taciti frater,qui,quũ ſuo iudicio ad tantũ velut hæreditũ properaret,imperium & inuaſit & arripuit.Itaq;quum vix duobus mẽſibus præfuiſſet,Tarſi à militibus occiſus eſt. Probus igitur vere probus, ita ſe & in toga & in militia geſſit,vt res ipſa nomen ſequeretur. Sarmatas contudit, tyrannos exſtinxit, orbem pacauit,iudicia bonorum de ſe admirabili virtute confirmauit. Pace terra mariq; parta, dicere ſolebat milites minime neceſſarios fore quũ deſint hoſtes: quæ vox plurimum obfuit.In Sirmienſi agro,natali ſolo,dum

A moram trahit, tumultu militari occiſus eſt. Imperauit annis VI.menſibus IIII.

CARVS.

MARCVS AVRELIVS CARVS, Narbonæ genitus,molẽ ſubiit.Exercitus Imperatorẽ appellauit.Is cum Probi apparatu in Perſas profectus,Meſopotamia recepta Creſiphonte peruenit: & niſi fulmine ictus concidiſſet, regnũ Perſicum ſubuertiſſet,traditæq; ſunt rerũ habenæ eius filio

B NVMERIANO, cui Mars in armis familiare numẽ præbuit,Minerua peculiarius adfuit,& cithatã præbuit Apollo. Miles,orator, ſimul & poëta; oculis æger (forte aër & vigiliæ in Bello Perſico nocuerãt)occluſa lectica ferebatur.Erat in caſtris Arrius Aper,cuius filia nupſerat Numeriano.Huius igitur cupientis inuadere imperium,factione, modeſtus & frugi iuuenis occis' eſt.Nec ei' mors inulta: cõcionantẽ Aprũ Diocletianus confodit.

C Imperiũ CARINO morãti in Galliis, vbi à patre relictus,obuenit. Hic primum florẽ pueritiæ,quẽ fruendũ dederat,quũ adoleuiſſet,ab adoleſcentib. repetiit. Pater,ſi vixiſſet, abrogare ſæpius cogitauit filio Cæſaris nomẽ, & cõferre *Conſtantio* viro claro: ſed hoc fata Herculio ſeruatum ſtatuerant. Carinus diu præeſſe non potuit, pıorũ ſanguine madefactus,totius vbiq.iuuẽtutis corruptor. Victor tamẽ exercit' in Perſide, *Diocletianũ* Impe-

D ratorẽ legerat:quiCarinũ multis prœlijs vicit.Nõ defuit Carino vigor occupandi orbẽ: multũque progreſſus fuiſſet ſi non incidiſſet in Diocletianũ cũ exercitu recẽti victoria ferocẽ.Occubuit Carin'vltimo prœlio ad Margũ cõmiſſo,à militib.fortiſſimis quos habebat, deſert'. Percurri geſta XI. Imperatorũ, ne interrupta tẽporũ ſeries admiratiõnẽ legẽtib.faceret.Ad deſtinatũ op' redeo,profeſſus initio,me ſcripturum de his Imperatoribus quorum geſta magna ex parte fere interierant.

E

C. AVRELIVS VALERIVS DIOCLETIANVS.

SALONIS Dalmatiæ ort',vtroq;parẽte ignobili & obſcuro,(quidã ſcribũt libertino Anullini ſenatoris genitũ, quidã ſcribæ filium (militare à pueritia cepit. Quumque gregarius miles in Gallia eſſet, diuerſorio cuiuſdam Dryad is vtebatur; ab qua cibaria emebat, debebatque plurimum vetulæ.quum illa pretium poſceret, dicere ſolebat, *Soluam quum Imperator fuero*. At illa ſub-

F iũxit,*Eris Imperator quum Aprum interfeceris*.Hac voce augurium futuræ felicitatis accepit; etiam ſtudebat venatũ ire: ſæpius contra apros congrediens,plurimos interfecit.tandem quum Arrium Aprum ſua manu confodiſſet, & Imperator ob id factus eſſet, intellexit vocẽ Dryadis haud vanam fuiſſe.Profligato & cæſo Carino Auguſtus appellatus,& ab S.P.Q.R. magno honore exceptus eſt. In quibuſdam imperij regionibus facti ſunt motus,& tyranni non deerãt.Diocletianus, animad-

G uertens conſorte imperij opus eſſe,(vt citius pacẽ vbique redderet)*Maximianum* legit: tantaq. fuit in gubernanda repub.inter principes concordia, vt alter alteri, quamuis ſemper honeſta cupiebãt, nunquam repugnauerit: verum Maximianus, vt filius patri,Diocletiano obtemperabat. Feliciſſima cognomina ſibi indidere.Diocletianus*Iouius*, Maximianus *Herculius* appellati ſunt, velut ille Iouis,hic Herculis heres.Iupiter gigantes, vt cæli regiam defenderet, perdidit: Diocletianus, vt orbis terrarum regiam tueretur, tyrannos ſurgentes, vt Cenrimanos, diligenti cura perdidit

didit ac deleuit: & vt Iupiter turbata pacauit elementa, sic Diocletianus domitis ac cæsis seditiosis hominibus, imperiũ turbatũ, tranquillũ reddidit. Iupiter ab sua arce vndique suũ numẽ diffundit: Diocletianus, quamuis vno esset in loco, sua prouidentia præsens vbiq. esse videbatur. Hercules ἀλεξίκακος, à nostris *custos generis humani* cognominatus, vrbes, oppida, agros, regiones, siluas, horrendis & perniciosis mõstris, & aërẽ infestis alitibus liberauit: simul & genus humanũ tutatus est: Maximianus, post salubre tẽperamẽtũ virtutis & imperij assertor, nũquã nisi reddita toti orbi securitate, quieuit: conatus cõtra rẽpubl. dispulit. Hercules, qui magna gessit, materiam præbuit camenis concinẽdi, harumque comes habitus est: vnde *Musagetes* appellatus: Maximianus, laborũ Herculis æmul⁹, niuosas Alpes maiore conatu tutior calcauit, latrones plurimos toto imperio exegit, superiora secula gestis adæquauit, pestilẽtẽ aërem in perpetuã salubritatẽ restituit; immissis in perpetuas fossas paludibus, materiã canendi poëtis exhibuit. Hercules, Iouis fili⁹, Maximian⁹, Diocletiani. Verã igitur cognominis adoptionẽ duo Cæsares Aug. meruere. Inter quos quidam clarior ac præcipuus amor vsq. ad sapiẽtiæ finẽ perdurauit. Eã sic appello quũ imperiũ deposuere. Ita cognomine patris ac filij vnanimes, nihil orbi pacando prætermisere. Maximianus tumultus in Galliis, quos *Amandus* & *AElianus* excitauerant sub specie tyrannidis, cum tota factione *Bagandarũ* (hoc nomine se appellauit turba rusticorum) cõpressit mira celeritate, statimq; deleuit. Ita pax Galliis restituta est. inde translatus in Africã, *Gentianos* deuicit; qui vix pacẽ impetrarũt. Quinquagenarij & supra cũ numerũ annorũ, hi milites fuere, qui Africam diripiebant, cupientes sibi regnũ vendicare. Pullulantibus per varia loca nouis bellis, concordes Augustos duos adoptauere: Diocletianus, *Galeriũ Maximianũ*; Maximianus, *Constãtiũ* cognomine *Chloron*; Cæsaresq. fecerunt, & præter adoptionẽ affinitate iunxerut. Nã coacti repudiare primas vxores, nouas duxerunt, ille, Valeriã Diocletiani filiã, hic, Theodorã priuignã Maximiani. Erãt in Gallia Herculius, Iouius vero in Ægypto. Ille Gallias, vt diximus, hic, euersis duabus vrbibus, superato *Achilleo*, pacauerat Ægyptum. vrbes prope veteres Thebas positæ erant, dites ac populosę, Busiris & Coptos: spẽ rebellionis augebat Achilleus cuius consilio fere tota dissenserat Ægyptus: tandẽ cæsis vbique auctoribus defectionis, iurtanouẽ mẽses quieuit prouincia seminarium religionũ, in qua archisynagogi plurimũ auctoritatis habebant. Alexandria vero obsessa & VIII. mense capta est. Imperator contẽtus optimatum cęde, abstinuit à multitudine. Achilleus vero meritas luit pœnas, feris oppositus & dilaniatus: terra vero vbique cædibus potentiũ maduit. Frustra contra *Cransium*, Britanniã insulam occupãtem, arma cepim⁹ per duces Maximiani; qui anno VII. ab socio per insidias petitus occisusq. est: & is tyrannidẽ sũpsit: qui tertio post anno ab Asclepiodoro præf. præt. victus est. Britanniæ x. post anno quam defecerant receptæ sunt. *Britanniã* circumfluam oceano, Aborigines tenuere: nomẽ indidetunt Britanni continentis; qui sũt intra Gallos & Hispanos, vocati post *Britones*, & hi accolæ oceani insula potiti. Eo deinde cõcessere Hispani, Galli, & Germani. Primus Romanorum Caius Cęsar insulam ostendit: Vespasianus, imperãte Claudio, captis regibus domuit. Huc quũ frequentes irent Romani, paulatim nostros imbibit mores. Constãtius vero, multa præclara gerens in Galliis, semel quũ esset apud Lingonas populos, eodem die varietatem fortunæ expertus est. Alemãni magno impeto irrũpunt, Constantiũ in fugã verterunt. Is ad propinquã vrbẽ fessus se contulit. cuius portæ hostili metu occlusæ fuerãt: & nisi demisso fune per muros sublatus fuisset, cũ hostes captiuum abduxissẽt. In vrbe hortat⁹ est robur suorũ, qui eo ante confugerãt, ne talẽ ignominiã paterentur. Post cõcionatus est ciuibus vt arma caperent, & dedecori abolendo auxiliũ præstarẽt. ita apertis portis erũpũt, hostes fugãt, & prope LX. millia cędũt. Ea victoria liberatæ Galliæ, attritæ Germaniæ suas vires amisere, quas reparare nisi nõ sunt Alemãni. At in Ægypto erat Diocletianus, vt res turbatas in oriente sedaret. *Narses* enim modo Armenias, modo Mesopotamiã acri bello quatiebat, & cũ eo cõuenerant propinqui reges ac duces præcipui, rex Sciouitarũ & rex Albanorũ. Priusquam bellũ contra Persas explicemus, non alienũ forte erit acerrimi progeniẽ hostis aperire. Regnaũ in Perside Artaxerxes quidã, ex genere illius qui per seditionẽ à militibus regnũ accepit, Persis præfecit, Huius filius fuit Sapores, Saporis Hormisdas, Hormisdæ Vararanes, huius vero, Vararaces, Vararacis, Vararanes secũdus, qui Narsen filiũ regni successorẽ reliquit. Contra hunc ab Diocletiano missus est Galerius. Etenim ipse expeditionẽ parare cupiebat in Æthiopas, si res in oriente prospere succederent. Galerius iuuenili ardore ausus est contra multitudinẽ congredi, & æquo marte discessit. Inde factus animosior, non longe à Carris iterũ cõgressus, paulo inconsultius quã antea, dũ sperat vincere, superatur, amisso fere toto exercitu. Itaque repulsus redit in Syriã, & inde ad Diocletianũ, occurritque Augusto in itinere, ad quẽ antea aduersi belli fama venerat. Galeri⁹, purpura indutus (nã Cæsar erat) mille passus ante carpentũ indignati principis pedes cucurrit, veluti homo gregarius, & auditus non est. Tãdem princeps post minas iussit vti ea lectissimo supplemẽto exercitum reficeret, & in Persida rediret, ignominiamq. aboleret. Is ex militib. Daciæ, Illyriæ ac Mysiæ, pugnacissimas copias & robustissimas coegit: & contra Persas meliore auspicio profectus, hostẽ inuenit in Armenia maiore, qui ex recenti victoria sũptis viribus, prouincias imperij Romani secũdo marte vexabat. Maximinus vero, iratũ principẽ placare studens, abolendæq. ignominiæ accẽs⁹, priusquã manus cõsereret, hostiũ stationes ipse habitu gregarij diligẽtissime explorauit. Interea Diocletian⁹ cũ firmissimo subsidio Mesopotamiã cõcesserat, vt nostris animũ & hosti terrorẽ præberet: ibiq. Cercusiũ opidũ spatio ampliauit, mœnibus & turribus inexpugnabilibus muniuit. Galerius cũ XX. millibus equitum ex improuiso hostilia castra noctu aggressus, innumerabilium Persarũ strage, decus nostrũ non modo vltus est; sed felici vsus victoria, fines imperij longius produxit, vetus oraculũ falsum esse ostẽdit. Antiquissimi vates cecinerant, Romana arma Ctesiphontẽ transire nefas esse; & duces qui ausi fuissent, pœnas darent. Putant M. Crassũ id cogitantem cũ exexercitu periisse: M. Vlpiũ Traianũ transgredi ausum, Italiam non repetiisse, & quinque prouincias trans Tigrim statim amisisse. satiusque fuisset iter non tentasse: legiones lõgo labore attriuit, &

fere consumpsit: & qoamuis victor longius produxerit terminos, tamen non multû profecit. nescio an sic volétibus fatis, ao culpa successoris Adriani. Ctesiphontem cupiens transire superato Tigride Valerianus ab Sapore rege Persarum captus est. Verû Odenatus Palmyrenus victor Romanæ maiestatis, Ctesiphontem vsque trans Tigrim peruenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello late victorê duxit in Persida; hostile regoû vastauit: Seleuciam cinctâ Euphrate, quam olim ceperat Ælius Verus Antoninus, expugnauit; deinde Ctesiphontê, & longius progredi volêtê, vel morbis vel ictus fulminis cælo turbido & coruscante absûpsit. Galerius, de quo nûc sermo est, totam Assyriâ expugnata Ctesiphonte cepit: & quinque prouincias Transtigritanas, quę statim redeunte ad nos Traiano defecerant, subegit & imperio adiuxit. victor rediit ad Diocletianum, & post imperauit Augustus. Illud sane constat, numinum *oracula* bona ex parte vana & fidê rato implerê: & siquado euenerit, vix intelligi, & sæpius eludere credentes: adeoque præstat rationibus & experimentis atque consulto res aggredi. Etsi in rebus bellicis fortuna plurimû sibi vendicat, tamen credibile est etiam virtute aogeri atque ampliari; vt in propagãdo Rom. imperio facile animaduertere licet. Nam si de rebus futuris certa starent vaticinia, virtus pro nihilo esset. Nô eo inficias cælitus nostra gubernari: verum sapiês non vano consilio multa aduersa effugere potest; incôsultum & insipientê prosperi successus prætereunt. Illos vero non audio (vt in vita Maxentij post dicemus) qui ad magarum monitus ac diuinationes res omnes componût. Præter hoc quod diuulgatum iam erat, aliud occurrit auguriû. Aciem explicanti côtra Narsen Maximiano, leo & aper trucidati oblate sunt. Tages aruspicum princeps, visum leonem exitialem pugnaturis putat. Verum & hæc, vt oracula, sæpius vanescont. In Maximiani victoria fugatus & vulneratus Narses: quem victores vsque ad inuios Parthiæ montes persequuti sunt: & regis proles fere omnis & vxores & sorores captæ sût; pleraque Persarû nobilitas abducta, reguli ducesque, & triûpho tâ illustri reseruata, &, quamuis per legatos ab rege conualescente petita, promissa tamen, sed non statim restituta. Ictû vero est fœdus, vt Persæ ab Armeniis, Mesopotamia, Assyria, & quinque nouis prouinciis abstinerent. Diocletianus, rebus toto oriente compositis, Europam repetiit: vbi iã Scythæ, Sarmatæ, Alani & Basternæ iugum subiuerât vna cum Carpis, Cattis & Quadis. Admonendi sunt qui legerint, pro Maximino in quibusdam codicibus Maximianum esse; & hoc qui è marmoribus epigrammata exscripsere, satis indicant, scilicet simul imperasse Maximianum & Constântium; & deinde Maximinum & Seuerum: errorq. est, aut ab librariis, aut ab iis qui ex lapidib. accepere. Nos vero confusi, decernere non audemus. Æra lapidesque indicabunt. Sed in eo summopere hæremus, quod priori Maximiano præponitur *Herculius*, posteriori *Galerius*: dumq. incerta aora ferimur, sit hic Constantij collega Maximianus. Anno postquam hæc scripseramos, Seraphinus antistes sancti Petri à vinculis, & Vilelmius Heda Alphinius, commercio literarû mihi valde familiares, & antiquorum monimêtorum diligentissimi indagatores, quom vrbem Romam repetetent, secum attulere epigramma in agro Forosempronienſi ex saxo quadrato exscriptum; ÆTERNI IMPERATORES DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGVSTI: PERPETVI CÆSARES CONTSANTIVS ET MAXIMIANVS PONTEM METAVRO. Romæ in templo Vestæ nuper reperto ad forum Rom. in quadam marmorea basi; DEDICATA XIIII. CALEND. IANVAR. CONSTANTIO III. ET MAXIMIANO III. CÆSS. COSS. CVRANTE AVR. NICETA. alias plures. Quoniam hac via multum profecimus, studiosis consulendum arbitramur, vti perquirêdo his vestigiis insistant. quod si fecerant, sciant velim & se nostræ liuguæ plurimum collaturos, & laboris gloriam consequuturos. Ex barbaris multi adducti captiui: qui non fuere securi cæsi, sed post triûphû in Romani imperij finib. positi, vt vna cû veterib. iocolis habitarêt. Regiones eoim assiduis iocursionibus vastatæ, fere in solitudioê ierant. Rediere ex diuersis partib. orbis ad vrbem principes seniores quorum auspiciis limites imperij Romani lôgius prodocti atq. prolati.

Magnitudo Imperij Romani.

Ab ortu vsque ad Indos propagati imperij fines, non Euphrates, non Tigris vetuere, nô superbæ regum Persarû minæ: A meridie Æthiopes per legatos accessere: Ab Aquilone barbaræ feræque nationes Sarmatarum domitæ: Ab occasu Gessoriacus oceanus admirabilis victoriæ testis est, simul & Britannicus. Igitur toto terrarum orbe vndiq; Romana arma illustres victorias assequuta, sociis lætitiam præbuere, rebellibus merû terroremq. pugnare cupientibus. Porro Persæ armis Rom. cedere côfessi, intra positos terminos se tenuerût. Post tot victorias maximus triûphus ab senatu decretus, & inclyta cognomina principibus indita ab deuictis populis. Diocletianus vero Romanorû principum victoriosissimus, diuinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepit. Nam quû priores, vt consules salutarêtur, primus ipse voluit adorari; velut in eo esset cælestis maiestas. Persarû iste mos; quorû princeps, rex regum appellatur & adoratur, fratrem solis ac lunæ se nuncupans. Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant: post suis manibus sublevabant ad oris osculû: vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit vti oês sine generis discrimine prostrati, pedes exoscularêtur: quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis & margaritis: quod fecisse aote Caiû Caligulam memorant. Eundem ornatum immiscuit vestibus, vt angustior esset: & quû contentus esse debuisset quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Hetruscis induxit, reperit ex ipso habitu, vti deus haberetur, maioreque sûptu vanam Arsacis gloriâ superaret. Itaque veste gêmata, & aureo gemmatoque curru, cum imperij consorte triumphauit ingenti ferculorum pôpa ante præcinentibus & saltantibus lætitia militibus: quibus libertas erat scommata in ipsos effûdere triumphâtes. Ipsa quidem *fercula* primus ostêdit Romulus, qui ramû quernum manu cepit, in quo cæsi Acronis regis Cæninensiû opima Ioui Feretrio in Capitolium tulit. Ferculis apud veteres ferebantur spolia cæsorum hostium sanguinolenta. Postquam arma Romana lôgius prouecta vicere, fabricata fuere cû signis & monimêtis victoriæ, quæ possent manibus militum ferri. Inferebantur fere omnes *triumphi* via Appia, porta Ca-

ra Capena. Ea enim via ampla, & viii. mil. pass. ab vrbe frequens ex vtroque latere habita: & inde in Capitolium tectum & amplum iter. In quo lignei primũ continuiq. arcus, post marmorei colunis suffulti: vnde multitudo satis cõmode triumphũ spectare posset. Cuius ordo non sẽper idẽ: verũ qui tum fuerit, talem accepimus qualẽ Diocletianus cum consorte habuisse memoratur. Tẽpla deorũ immortaliũ tota vrbe patebãt, ornata sertis ac floribus, spirãtia Arabicos odores: itinera repleta pinguibus mensis & lætis poculis, vt fessi victores se recrearent. Preferebantur in vehiculis tabulæ, signa, colossi, hostiũ galeæ, thoraces, ocreæ, peltæ, scuta, vexilla, pharetræ, tela, arcus, enses, frena, & equorũ picturata strata, opes, tapetes, & quæ pretiosa & digna spectaculis, deuictis hostibus, allata erant: & modo ex oriente, vt puta Assyriis ac Persis, tentoria, & ex Babylonico opere multa. Post ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum argentumque & purum & signatũ. singula vasa validi iuuenes humeris ferebant. Post argentei crateres, peiues, phialæ, calices, vestes, & tota regia suppellex, & vasa ex sordidis gẽmis. Hinc ferculorũ multitudo: & hos sequebantur tubicines bellicum clangorem intonãtes: deinde boues auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant: nec non & frõtibus vittatos ad sacrificium succincti popæ, hoc est ministri, agebãt: sequebãtur & alij ministri cũ argenteis patinis. Regia dehinc proles vxoresq; & nati & sorores, cum pincernis seruisq. ac nutricibus, & pleraque Persarũ nobilitate, patrio more vestiti omnes, sed pullati. Spectantium oculos, etsi hic impleuit numerus, tamen lætiores reddidere tabulæ duæ: altera, ipsa Persida ostendens suppliciter tollentem manus, & exorantẽ à P.R. gentium victore, veniam: altera, Narsen regem fugientem conspiciendum præbebat. Post ingens captiuorum turba satis mœsta: in qua fuerunt Scytharum & variarum gẽtium duces, qui lacrymas effundebant. Preferebantur aureæ coronæ & munera victori dono data. Propius currum præcedebant homines stipitibus sudibusque accensis, qui turbam submouerent. Post, triumphantium currus ex auro & lapillis pretiosis, quem trahebãt quatuor equi candore certantes cũ niue: in quo sellę curules duæ ornatæ gemmis; in quibus sedebant principes terrarum. Triumphantium capitibus imminebant victoriæ alatæ. Diocletianus (vt ceteri antea) vna fuit corona ex lauro cõtẽtus; simili & collega. Reges vero Persarum tiaram qua vtebantur, tribus coronis exornabant. Currũ sequebantur captiuitate liberati, raso capite: & pileati deinde equites laureati. Illud etiã lectorẽ ne fugiat, arma victorum fuisse in triumpho laureata: & qui triũphabat, ex lauro coronam, quũ peruenisset in Capitolium, post sacrificia ponebat in Iouis gremio. Primi triumphi fuere currus, clypei, arma horrida, & spolia perfusa sanguine. Bello Punico secũdo M. Marcellus deuictis Syracusis, ostendit opes, & signa intulit, & deorum simulacra: in quo reprehensus est ab Q. Fabio Max. quod relinquere debuisset deos suis iratos, vt ipse prius fecerat de Tarentinis. Verũ inualuit cõsuetudo Marcelli. Nã lõge antea captis Veiis, M. Furius Camillus Veientanam Iunonẽ intulit vrbi.

De Triumpho & Ouatione.

OPERÆPRETIVM est cognoscere hoc in loco quid sit triumphus, quid ouatio, & vnde sint factæ voces. Non solũ chorographia, sed etiã interpretatione verborũ, historia ornatur. Licet primũ simplex fuerit narratio & nuda, tamen nõ caruere laudibus qui exornauerunt. *Triũphũ* primus mortalium post Indicã victoriã ostẽdit Bacchus; nomenq. ab re inditum est. Milites eius, foliis ficorũ, quę *θρῖα* dicũtur, vultus cooperuerũt, iambos & scõmata canentes; quæ sunt licentiose dicta mixta salibus, in eum qui triumphat. Post vero milites, vsi fuere rythmis. Scribunt alij triũphum dictũ *ἐκ τῶν τριῶν*, hoc est tribus velut ordinibus, senatorio, populari, & militũ, ab quibus celebris est triumphus. Cognomentum Baccho triumphanti inditũ M. Varro tradidit. Vnde clamabant omnes, *Iό triambe Bacche iό*. nos cõuertimus in triumphum. & Rom. milites dicebant, *Iό triũphe, Iό triumphe*. Tradunt & scenicos, priusquam ora fæcibus tegerent, foliis ficorum vsos fuisse. Triumphus vero non idem valet quod Ouatio. Domitis multa cæde hostibus, habebatur triumphus, & boues cornibus auratis mactabantur: & bos ipse qui mactabatur in triumpho, thriambos etiam dictus. Quum vero hostes sine pugna & sanguine cum ducibus nostris conuenissent, quoniam res peracta sine cæde esset, *Ouatio* erat. Pedes ingrediebatur vrbem qui sic vicisset, sine ferculorum pompa, myrto coronatus vna cum militibus; quia ea arbor dicata Veneri, quiescere ab armis ostendit. Tibicines ouantem præcedebant; quæ paciferæ choreæ instrumenta sunt. In sacris mactabantur oues: vnde ouationis nomen. Modo de triumpho cẽturiæ decernebãt, (& comitia erant centuriata) modo senatus. Primus Romanorum qui quadrigis vrbem inuectus est, fuisse Priscus Tarquinius memoratur: sunt qui malint P. Valerium Publicolam. Prima ouatio data est P. Posthumio Tuberto, qui fuit collega Menenij Agrippæ Lanati, & huic triumphus datus. Ille primum contra Sabinos re male gesta, liberatus est ab Agrippa; in altero prœlio caussa victoriæ fuit. Ita quum ambobus honos haberetur, senatus huius laudis decus excogitauit, vt non sella curuli, sed pedes cum exercitu exciperetur. Verum sanguis in ea victoria; & nostrorum & hostium effusus est. Post vero ouationem his dedere qui conuentione vicissent. In triumpho clangor tubarum, in ouatione concentus tibiarum: ille Martis, hic Veneris est. Illud etiam huic loco addendum puto, qood Romani profecturi ad bellum, Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorium edebant: quod non sine ratione factum arbitramur.

De Nemesi dea.

VIrgo & victrix Nemesis numen fuit; quo, qui ex malefactis delinqoebant, puniebantur. Vnde victores Nemesin non frustra inuocabant. Romani enim sẽper iusta mouere arma: cęterę nationes, odio, & maleuolẽtia, liuoreq;, quod imperium tantæ vrbis iustitia augeretur; tela in populũ Romanum capiebãt. Nemesis, quam plerique existimauere esse vim fortunæ, alij filiã Iustitiæ, alij vim quandã esse inter cælestes discurrentem prima rerum semina, quę fatorum & fortium vires temperat atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens; è cæloque terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur: & quum sit velocissima, quia diu non permittat impios præesse atq. grassari, alata fingitur à veteri-

bus: & eius pedibus ſupponitur rota, quum citiſſime diſcurrat. Sed tandem multitudine ſcelerum indignata, oculos iam diu ab rebus humanis auertit, & cum genitrice in remotiore parte cæli, vltra terrarum regiones, non reditura, renaſcentem vrbem expectat. *Rhamnuſia* eſt appellata ab Rhamnunte oppido Atticæ regionis, vbi templũ & ſimulacrũ habuit: & ab Adraſto, *Adraſtia* Roma templum huic deæ poſiut in Capitolio, vt inde ſuam vrbem poſſet vlciſci: ludos vero gladiatorum, vt effuſione ſãguinis non expaueſcerent. Quidam tradunt hac ſpecie pugnarum velut deuotionem feciſſe pro futura victoria.

Triumphauerunt autem victorioſi & felices Augusti anno imperij XVIII. Poſt tantam felicitatem, quum haberetur glorioſiſſimus principum Diocletianus, ſecum ſæpenumero contemplans fortunæ mobilitatem, decreuit imperio ſe abdicare, & in priuatam ſecedere vitam. Geſtorum Pompeij admonitus veteranus princeps, quum quiſque de rebus futuris ambiguus ſit, non exſpectauit incertæ viciſſitudinis aleam. Raro enim permanent vſque ad exitum ſucceſſus. Etſi in primo Auguſto fuiſſe videantur, tamen & acceptæ in Germania clades, & domeſticæ libidines, hominis felicitatem turbauere: & (quod minus fieri debuerat) Liuia vxor venenatas porrexit ficos, vt cunctantem in ſene animam citius educeret. Scribunt quidam, duces poſt triumphum ſolitos ſe otio dare; & laudibus efferunt, M. Catonem, poſtquam de Hiſpania triumphauit, non quieuiſſe, ſed foro & publicis negotiis incubuiſſe. Quod ſi in Diocletiano quis obiiceret, longe aberraret. Neque enim honor triumphi, neque ætas imbellis, ſed metus rerum humanarum, quæ aut rariſſime, aut nunquam conſiſtunt, imperium deponere ſuaſit. Eius etiam conſilio ferum & aſperum ingenium Maximiani, qui ſolebat in omnibus collegæ non repugnare, acquieuit. Igitur eodem die (nam ita conuenerant) Iouius Nicomediæ, Herculius Mediolani, rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus non minus dignam memoratu quam admirabilem, peregerunt. In quo Iouij animus veram philoſophiam eſt imitatus; affirmans tunc illuxiſſe diem, & habuiſſe vitæ principium, quod magnis moleſtiis eſſet liberatus. Philoſophi aſſerunt, dominatum appetere non eſſe ſapientis hominis: & id cogitaſſe Auguſtum ſcribunt, ſed vetitum ab amiciſſimis. Et M. Aurelius imperium moleſtias vocabat. Tamen ambo ſe excuſant; & rem laudabilem ab amicis impeditam dicunt. Verum ille ſibi vixiſſe teſtari poteſt, qui priuatus ſine rerum publicarum cura, & ſtudioſo otio, & rei ruſticæ feliciſſime indulſit. Stimulis collegæ, vt imperium vna repeterent, contradixit: diſſeruitque ſe peſte liberatum, nolle amplius venena imbibere, ſatis ſe pro republica elaboraſſe, & tempus appetiiſſe vt ſibi viuat: & vixiſſe nõ poſſe teſtari, niſi poſtquam in patria ſua, hoc eſt Salonis, holera ſeuiſſet. Quum ille res anguſtas pro ea dignitate quæ præceſſerat, obiiceret, reſpondit non eſſe turpe homini qui ſummum bonum in animo poſuerit, honeſtam profiteri paupertatem; exemploque veterum, & præſertim C. Fabricij, caſtam opinionem confirmabat. Vocatus ab Conſtantino atque Licinio, excuſauit per literas ſenectuti minime licere: quumque illi ægre tuliſſent, reſcripſerunt ſe non admittere excuſationem, quod fauiſſet Maxentio ac Maximiano. Trebellius Pollio meminit Diocletianum dicere ſolitum, quum in priuata eſſet vita, *nihil eſſe difficilius quam bene imperare.* nam quiſque pro voto de principe loquitur. Ad hæc, principem cubiculo clauſum vera minime noſcere, aures ſuis præbere, & horum verbis accendi ac ſedari, magiſtratus creare: denique ſit qui imperat bonus, ſit cautus, ſit optimus, omnino venditur ab aulicis ac decipitur. Et interrogatus quæ eſſet potiſſima in principe dos, reſpondit, Liberalitas & clementia. Hæc quum Aureliano defuiſſet, aſſerebat ducẽ eſſe debuiſſe, non principem: aſperitatemque collegæ Imperator ſępius deteſtatus: in eoque ſummopere ſtuduit vt liberalitatis & clementię cognomen aſſequeretur. Vnde (vt mihi videtur) *Iouius* appellatus. Nam qui iuuat, largitur & parcit: ius vero ab quo clementia abeſt, crucem veteres appellauere. Vixit Diocletianus annis duodeoctoginta, imperauit annos XX: manſit priuatus Salonis annos X. Scribunt quidam ſtupore mentis, & longa ægritudine confectum, animam inter ſuſpiria efflaſſe: quidam hauſto veneno interiiſſe; quidam decreto ſenatus perfracta gula occubuiſſe. Id ego exiſtimo de Herculio accipiendum eſſe, non de Iouio: quoniam quum pœnituiſſet Herculium aſſenſiſſe collegę, & inde animum hominis non flexiſſe, contulit ſe ad vrbem, ſimulans filio ad gubernacula auxilio fore. milites indignati ſũt quod ea tentaret; ſtatimque ſubiunxit, ſe hoc figmento voluiſſe experiri an milites Maxentium amarent: vnde tumultum ſuppreſſit. Inde profectus eſt ad Conſtantinum generum ſuum ex Fauſta quæ in Galliis erat, & clanculum quærebat genero inſidias. Res aperta eſt viro per vxorem, quæ patri maritum prætulit. Itaque iuſſu generi captus Maſſiliæ, ſtrangulatuſque eſt. Hunc finem meruit Maximianus, ſeuerus, aſper & immitis: qui vbi collegæ obtemperauit, priuatum viuendi ſtatum ſequi debuit. Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine ſeceſſerat, nullius conſilio adduci potuit vt pœniteret. Igitur priuatus quum eſſet, poſt mortem inter diuos relatus eſt. Thermæ eius nomine Romæ ſunt conſecratæ, & Maximiani Herculij Carthagini. Thermæ nominis Diocletiani inchoatæ fuerunt à veteribus principibus, & conſecratæ ab nouis Auguſtis Conſtantio & Maximiano. Diocletianus igitur inchoatum opus abſoluerat omni cultu perfectum: ſequuti principes poſuere ibi ſtatuas, & ſeniorum & nouorum Imperatorum: quorum capita integra, & fragmenta reliqua corporum, erui ex ſubterranea teſtudine, velut ibi poſt ruinas thermarum conſeruata, vidimus; & partim in Capitolium delata, partim Florentiam miſſa. CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGVSTI, SEVERVS ET MAXIMINVS CAESARES, THERMAS ORNAVERVNT ET ROMANIS SVIS DEDICAVERVNT. Sit ne in nominibus ambiguitas diximus. Hæc didicimus ex fractis marmoribus ibi effoſſis: in quibus & tituli victoriarum Maximiani Herculij in hæc verba; M. AVR. VAL. MAXIMIANO INVICTO AVG. PONT. MAX. SARMATIC. MAX. GOTIC. MAX. IMP. VIII, COS. III, P. P. PROCONSVLI. Et item Viennæ Allobrogum ſic; D. D. N. N. IMP. CAES. C. AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS P. F. INVICT. AVG. MVRIS CVRALONENSIB. ÆDIFICIIS PROVIDENTIA SVA INSTITVIT . . . TIS. ATQVE ERECTIS PORTAM VIENNE . . .

SIVM

SIVM HERCVLIAM VOCARI IVSSERVNT. Et in fronte alterius portæ vrbis, idem epigramma in fine sic; PORTAM ROMANAM IOVIAM VOCARI IVSSERVNT. Nam Diocletianus, *Iouius* est dictus; & Maximianus, *Herculius*. Iouius & Herculius ab Gallis adeo dilecti vt ab eis duo populi nomina sumpserint, Iouiorum & Herculiorum; & Viennenses duas vrbis portas, Iouiam & Herculiam appellauere, vt epigrammata docent. Porro Diocletianus aurei seculi parens, & Maximianus ferrei existimatus.

CONSTANTIVS CHLORVS, ET Galerius Maximianus.

SEniores Augusti, priusquam se imperio abdicarent, Augustos appellauere adnuente senatu, Constantium & Maximianum. Ille, natus est patre Eutropio, Romanæ gentis nobilissimo, qui genus ab AEnea deducebat; & matre Claudia, Claudij Augusti filia; vt Galliis, Hispaniis, Italiæ & Africæ præesset: hic, vt Illyrico, Græciæ, & orienti imperaret. Constantius, natura mitissimus, & diuitiarum spretor, administrationem Africæ & Italiæ recusauit: quod existimabat ab vno tantum pondus minime sustineri posse. Et quoties feriatis diebus epulum dedisset, vasa argentea accipiebat ab amicis vt abacum exornaret. nam & ipse paucis contentus, ab fictilibus non abhorrebat. Tanta modestia vixit, vt facilem & amabilem se cunctis præberet. vnde plurimum diligebatur. Eoque regnante in Hispaniis, Galliis, & Alpibus, nulli motus fuere, & hostes populi Romani ab armis cessauere. In hac placida quiete ex Theodora liberos suscepit, Constantinum, Anaballianum, & Constantium ac Constantiam. xi anno ex quo Cæsar est factus, occubuit, morbo absumptus Eboraci, (sic est opidi nomen in Britannia) & inter diuos relatus *Galerius*, postquam Constantius Italiam & Africam reliquit, adoptauit duos, *Seuerum* & *Maximinum*: illum præfecit Italiæ & Africæ, hunc orienti. Romæ autem prætoriani Imperatorem fecere *Maxentium*, non abnuente senatu: qui non vt Augustus, sed vt tyrannus imperauit, prætorianis eum ad hanc sæuitiam impellentibus. Aberat ab vrbe Seuerus quum prætoriani Maxentium creauerunt; ad vrbem cito rediit. Sed Maxentij vires (incredibile dictu) statim creuerant: Seuerus impar aufugit: & quum Maximianum peteret, qui in Illyriis erat, Rauennæ captus cæsusque est. Ab cuius cæde Maxentius gloria elatus, ciues Rom. libidinibus primum, inde cædibus vexare cœpit: hinc odio haberi cœptus est. Maximinus, quum accepisset de morte Seueri, consortem imperij legit *Licinium* Dacia oriundum; qui genus suum ad Philippum Augustum referebat. qua de re in monimentis publicis illius nomen adoptauit, dictúsque est *Marcus Iulius Licinius Licinianus*; quoniam proauus (vt ipse dicebat) fuit Marcus Iulius Philippus. Licinij virtus in re militari, bello Persico contra Narsen Maximiano cognita ante fuerat. Hic Licinius fuit qui subuertit in Perside tumulum Gordiani; quod titulus videbatur progenitoribus suis iniuriam facere. Multa tamen præclara gessit, & priuatus & Augustus. Maximinus, relicto in Illyriis Licinio, Romam proficiscitur pugnaturus contra Maxentium. In itinere quum acciperet de futura militum defectione, qui ita conuenerant, si cum Ma-

A xentio conflixisset, Illyriam rediit: & iam pœnitebat legisse Licinium. Incidit postea in morbum. vlcus inguinibus innatum, virilia exedit. marcescente tota illa corporis parte, vermes pullularunt: remedia deerant, medici desperauere: &, si erant qui noua tentassent, admouere manus non audebant, metuentes ne à sæuissimo principe occiderentur. In hoc cruciatu quum esset, suspicatus est ob sæuitiam in Christianos id perpeti. Vnde re-
B uocauit decreta, & superinduxit illos, accersiri iubens, vt pro salute principis orarent. Sed pro truculento & sanguinolento homine preces non valuere. si enim conualuisset, rediisset ad solitam crudelitatem. Itaque ex eo morbo periit, homo gloria rei militaris illustris, verum sæuitia in Christianos crudelis. Vnde fœdum exitium habuisse creditus est. Regnauit solus annis II: cum Cæsaribus & imperij consorte, annis XVI. Aduersus Licinium Maximianus in oriente res nouas
C molit', oppressus est: & ne viuus caperetur se strágulauit Tarsi. Imperauit annis VII. Et is contra Christianos toto oriente, si non truculentior, tamen non inferior Maximino fuit. Interea bona pars nobilium Romanorũ per clandestinos nuntios *Constantinum*, qui in Galliis imperabat, exorant vti vrbem Romam, imperij caput, tyrannide liberet: qui sæpius accersitus, tandẽ cessit precibus, & via quarta parte exercitus Italiam petit. Maxentius, asperitate similis Maximiano patri,
D sæuitia Domitiano & Commodo, plerosque claros viros occidit, bona accepit: noua vectigalia inuenit, in occidendo & omni via exigendo pecunias inexorabilis factus. Huic etiam mulieribus stuprandis libido inextinguibilis. Captus amore nobilissimæ & castissimæ fœminæ; misit ad eam ministros libidinum; quos solos aulicos habere consueuerat, quibuscum de republica consultabat. Vir puellæ, metu mortis, abduci non vetabat vxorem: illa quæ Christiana erat, petiit se ornandi
E tempus, & impetrauit: ingressa cubiculum, sibi manus iniecit. Illi, quum torquerentur mora, irrumpunt, & rem vti euenerat ad principem referunt. Quo exemplo plures appetere non est deterritus, sed magis accensus. Accepto nuntio de copiis Constantini, quæ Italiæ fines tenebát, exercitũ educit. Quint' erat ânus imperij Cõstãtini, qui multis prœliis, Maxẽtij conat' plerisq; in locis, præsertim in foro Iulij, fudit. Postremo coacto exercitu, intra mœnia vrbis se continuit Maxentius:
F & quum nihil vmquam gesserit sine responsis muliercularum, consoluit magam de belli exitu. illa omnia prospera vaticinabatur, admonens vt cæsis infantibus prius aduersa numina placaret: adhoc diem & horam dedit, quando educturus esset exercitum & manus conserturus. Qui sacris peractis rem pro magæ consilio egit: victus tamen est ad pontem Moluium magna strage. Ipso seu fugiens, seu numinibus magicæ vanitatis actus, in Tiberim vna cum equo insiluit, submersusque est, & nusquam inuentus: cacodæmones
G corpus animamque ad perpetuos cruciatus retulere. Scribunt alij conantem euadere, gurgite fluminis haustum, & imis retentum arenis ac limo. Sunt qui referunt Tiberinum patrem indignatum deuorasse, & statim emouisse; & caput recisum, adhuc sæuitiam ac libidines præ se ferens, spectaculo fuisse ante currum victoris. Hunc exitum Maxentius meruit, magicis artibus quam imperio aptior. Sæuus in ceteros, sibi non pepercit.

Quicumque magos conſulunt, & vaticinia aut auſpicia rebus gerendis quærunt, ſemper ſuot anxij, & numqoam inter metum & ſpem, auidi futurorum quieſcunt. Si illi proſpera nuntiant, inani & vana ſpe iam tum lætari incipiunt: ſin contra, repente triſtitia affecti torpeſcunt. Heu, miſeros mortalis imbecillitas ingenij & mens ſtupida huc illuc diſtrahit atque ſuſpendit. Inſana ſane ſunt documenta quæ noſtra credulitas excogitauit vt acrius torqueremur. Vtinam faceſſeret à mentibus hominum tale figmentum; quod eſſe falſum & nullius momenti, etiam maiores noſtri tradiderunt. Maxentius filiusne Maximiani, an ſoppoſitos vxori, ſimulanti partum vt carior eſſet marito prolem cupienti, ad nos, qui tam remoti ab illo ſæculo ſumus, diſſerere nou pertinet. Verum & hæc ſunt pretorianorum militum ſemina: rapere, ſtuprare, necare, incendere, ſatis edocti: quorum ſcelera indomita abhorrendam fecerant conſuetudinem. Stipatores & cuſtodes principum, ipſos principes ad omne genus ſæuitiæ armabant. Hi primum venale imperium propoſueront. Quid iis ducibus auſa oon eſt inſania Commodi Antonini? Quid turpe atque crudele non excogitabat præfectus prætorio, etiam de capite principis decernens? Horum iudicio AElius Pertinax vir bonus & reipublicæ vtilis, cæſus eſt. Quid dicam de Balbino & Pupieno, quorum armis fluctuans reſpublica conſtiterat? O Romule parens vrbis, quid te profecturum credidiſti, quum auſpicato hos celeres primus legiſti? Male aoſpicatus es eos conſtituiſſe qui opus tuum perdituri eſſent. Sed querimoniæ in alia tempora differantur.

M. IVLIVS LICINIVS LICINIANVS.

Licinius in Dacia natus parentibus agricolis, & ab iis puer nutritus (vtinam inter ruſticos cum aratro & ſarculis conſeouiſſet) extrema pueritia militauit: promotuſque tribunus militum bello contra Narſen, qui primus Armeniam Romanis ablatam Perſarum iuria ſcripſerat, optime ſe geſſit. vnde duci ſemper poſtea gratus fuit. Mortuo Seuero, Maximinus ob virtutem rei militaris, conſortem imperij fecit, & Auguſtum appellauit. Prius Illyriis, poſt orienti præfuit. Litterarum acerrimus hoſtis: aſſerens venenum ac peſtē reipuplicæ eſſe philoſophos & oratores: quos odio præcipoe habuit, & mirifice inſectabatur. Litterarum enim adeo expers, vt nomen decretis vix ſubſcribere poſſet. Sectæ etiam ſimplicium Chriſtianorum minime parcens. Iure igitur *Conſtantinus* contra Licinium vires Gallicanas & Italicas expertus eſt: nec affinitas prohibuit, & Licinij ingratitudo ferenda non erat. Nam Galerij libetos ad fines iure ſodalitatis & conſortij, interfecit. Sunt qui ſcribant Licinium in nuptiis, vt Conſtantino gratificarentur, milites appellaſſe Imperatorem: & ab Conſtantioo miſſum contra Galerium. Sed veriſimilius eſt Imperatorem factum ab Galerio: vt ſimol & hoſtilitatis litterarum & ingratitudinis accuſari poſſet. Primi congreſſus fuere in Pannonia: vbi victus, conceſſit in Macedoniam: ibique reparantem vires, & magnas copias cogentem improuiſus Conſtantinus adortus fudit: copias diſſipauit in Thraciam, fugauit in Aſiam. Conuenere duces, fœdere tamen incerto: modo pax, modo bellum erat. Culpa datur ab hiſtoricis Licinio, qui ſæpius tentauit fortunam: ac propterea infidus, tamdem & naualibus & terreſtribus prœliis victus, deditionem Nicomediæ fecit: miſſuſqoe eſt Theſſalonicen: vbi homini maligno & muſarum hoſti, etiam contra ſacramenti reuerentiam mioime fuit ſeruanda fides, vt deditus eſſet & priuatus viueret. Occiſus eſt à militibus, meritaſque luit pœnas, homo ſeptuagenarius & vecors. Imperauit annis quatuordecim. Et ne qua turpitudine careret, Chriſtianis aduerſabatur: ſæpiuſque rogatus ab Conſtantioo, non deſtitit. Hinc ſemina diſcordiæ fuiſſe memorant. Scribunt quidam, ante deditionem Conſtantiam vxorem co oceſſiſſe ad fratrem, & oraſſe pro imperio mariti, deinde pro titulo tantum, & non impetraſſe: quum pro ſalute precaretur, flexiſſe animum fratris. Ita Licinius, qui annis ſedecim præfuerat, iuſſus eſt ſine purpura & inſigoibos ad Conſtantinum venire: miſſuſque eſt Theſſalonicen, vt illic priuatus cum vxore degeret. Imperator ſcripſit ad ſenatum, vt de Licinio quod agendum eſſet, conſuleret. Senatores reſcripſerunt vt milites deceroerent. Quod vbi nuntiatum eſt, proficiſcentem Serras Licinium interfecerunt. Opinio fuit immorantem Theſſalonicæ Licinium iniſſe conſilium de reſumendis armis: & ideo miſſos interfectores. Ab Chriſtianis hiſtoricis quod traditur, prætereundum non puto. Ad Hadrianopolim, quum pugnaret cõtra Licioium, fertur Conſtantinus vidiſſe duos equites cædentes legiones hoſtium: & in agro Byzantino vidiſſe lumen ſatis coruſcans ſupra caſtra. Et antea quum certamen fuiſſet ante oculos vrbis contra Maxentium, cõſpexiſſe in aëre crucem irradiantem ſuas legiones: quibus ſignis vbique cælitus victoria data eſt. Ea vera eſſe quis eſt qui ambigat? Vetuſtas enim perſuaſit Caſtorem & Pollucem bis hoſtes imperij Romani profligaſſe, bello Latino, & bello Macedonico. Vtinam qui pugnant, certa ſtarent erga deum fide. Sed prœliandum eſſet contra hoſtes fidei. Tunc ſigna certæ victoriæ noſtris turmis & cohortibus diuioitus micarent. Sed quoniam ſemper bello ciuili occupantur Chriſtiani, & odio inteſtioo pacem inuenire non poſſunt: & quamdiu hæc rabies, erit, non ceſſabunt furta, rapinæ, raptus mulierum & puerorum, cædeſque ſine diſcrimine ætatis & ſacerdotij reuerentia, vaſtationes agrorum, direptiones vrbium atque euerſiones: & templis minime parcunt, viri ſacrilegi quieſcentes mortuos turbant, auidi ſanguinis ciuilis ac prædæ: mali dæmooes ſic implicuere noſtras mentes, vt relictis veris hoſtibus, quos longa pace frui permittimus, in oos noſtrorumque membra armatas & ſanguinolentas coouertamus manus. Baſſarides, Bacchi numine concitatæ in furorem, ſe inuicem noo trucidabant. Agaue, quæ non fœmioam bacchantem, ſed irreligioſum filium trucidauit, vbi ad ſe rediit, ſeceſſit in antrum, & locum pœnitentiæ dedit: at nos nũquam cædis pœnitet: immo exiſtimamus ad laudem & gloriam accedere quamplurimos interficere, ac ſi hoſtes, non ciues eſſet. Culpandine ſint principes qui ad tam pernicioſum facinus ſtipẽdia ſoluunt, iudicent alij. Illud vero auſim dicere, Chriſtianos omnes ſub voo ſigno crucis militare, noſtram religionem vnicam eſſe rempublicã, vnicam ipſios Dei vrbem, cuius nos ciues ſumus; & bellum inter nos eſſe non poſſe, niſi ciuile. Iu-

ſta at.

sta arma nostro sæculo inter tot reipu. saluatoris nostri reges ac duces vnus Ferdinãdus rex Hispaniarum mouit; cuius ingenita virtus, diuinitus adiuta, victis, fugatis, partim cæsis, & partim sub iugum actis hostibus, palmam diuinæ & immortalis gloriæ inuenit. Vtinam Deus felices prorogeret annos, vt sedatis motibus, quos omni via placare studet, ad laudabile & sanctissimum redeat opus, vnde plures coronas quas meretur, sibi atque vxori latius vendicet. Iam satis commode digressi sumus. Licinius laude non caruit in eo quod appellare solebat eunuchos, & secretiores aulicos, qui fumos venderent, *tineas & mures palatij.*

MARCVS FLAVIVS VALERIVS CONSTANTINVS Maximus Pius Felix semper Augustus, Constantij Pij filios.

CONstantinus natus est in Britanniis, patre Cõstantio, matre Helena: quam vir coactus fuit repudiare, vt Theodoram priuignam Herculij duceret. Extremam pueritiam, quam parens litteris, moribus, & re militari fouendam præbuerat, egit sub Galerio Maximiano in oriente: ab quo iam adolescens missus est cum exercitu contra Sarmatas, gentem ferocissimam, cædibus hominum assuetam. In ea expeditione iuuenculus plus quam promitterent anni gessit: & præter opinionem hostes profligauit atque cecidit. Ducem Sarmatarum catenatum ad Galerium duxit: qui ea victoria minime lætatus est, quoniam adolescentem perdere quærebat, vt olim Eurystheus Herculem. Propter eam caussam hortatus vt cum leone in theatro pugnaret. Cõstantinus, auidus gloriæ, in certamen descendit, feram pertinacissime vicit. Spectatores miris laudibus efferebant: subridens Imperator, cogitabat maioribus periculis obiicere. Quum intellexisset Constantinus insidiis se peti, cum fidissimis quibusdam aufugit, & ad patrem rediit: qui iam antea de filij virtutibus certior factus erat, & spem haud vanam de illo conceperat. Mortuo patre, regnum Galliarum Hispaniarumque & Alpium Cottiarum, testamento relictum, accepit. Eum anteapater Cæsarem fecerat; cælesti nuntio admonitus, quum ęgrotaret, vt primum Constantinum successorem faceret, qui esset ab tyrannis Romanum imperium liberaturos, & militibus Dei opem laturus. Illud constat, in initio sanxisse vt agri, villæ, opida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad heredes transirent. vnde milites sibi magis obnoxios ac deditos reddidit. Prius ex verere consuetudine, tribunis, præfectis, comitibus & ducibus, qui pro augendo imperio consenuerant, dabantur agri villæque, vt necessaria suppeterent quoad viuerent: *parochias* vocabant. Quum imperasset in Gallia annis tribus, in summa laude vbique erat: interdum, impellente Fausta vxore, opinionibus veterum hæsit, & diis sacrificauit. Accersitus per litteras occultis ferentibus nuntiis ab senatu, Italiam cum parte copiarum petiit, cum Maxentio conflixit; auspicio fulgidæ crucis victor fuit, eademque felicitate sępius Licinium superauit. Victo Maxentio, senatus populusque Romanus, quod tyrannide liberatus esset, marmoreum arcum triumphis insignem, inter Palatium & Cælium posuit, qui nunc mutilatus conspicitur: appellatusque est *Liberator vrbis,* & *Fundator quietis*: exceptusque est insigni &

A triumphali pompa. Hæc laurus Italiam dedit & Africam: fuissetque his orbis partibus contentus, nisi Licinius vltimi belli ciuilis caussam præbuisset. Verum iam antea Christianis obesse destiterat, solusque in toto imperio populi Rom. quum imperaret, cognomen induit *Maximi*: quod antea duo inter tot duces ab rebus gestis nomen accepere, & *Magni* dicti, Alexander Macedo, & Cn. Pompeius: Alexander vero Antonini Pij sobrinus B ac filius, allatum à militibus renuit: Alexandri vero sobrinus & pater Magnus Antoninus, *Pius* in monumentis vt appellaretur mandauit. Inditæque sunt & appellationes aliæ, vt puta *Constantinus restitutor humani generis, propagator imperij ditionisque Romanæ, & fundator æternæ securitatis.* Ex Fausta Herculij quinque liberos suscepit: Constantinum, Constantem, & Constantium: Helenamque & Constantiam: & ex priore quæ fuit ab eo dilecta, susceperat Crispum. Ante Licinij cæ- C dem, quum ille priuatus viueret, Cæsares tres fecit, *Crispum, Constantinum, & Licinium Iuniorem* sororis filium. Post bella ciuilia, militaris gloriæ semper appetens, multis prœliis vicit Sarmatas & Gotthos Thraciam diripientes, & omnẽ fere Scythicam gentem: quibus & pacem dedit. Barbaræ nationes ob id Augusto deditissimæ fuere. Constantinus dum hostes habuit, optimis principibus æquandus: postquam ex omni bello lauream adeptus, insolens factus est, amplo indito Maximo D cognomine: & certe non meruit cæde suorum ac plurimorum nobilium. Ferunt Faustam Crispum priuignum, cuius amore capta erat, ad libidinem sæpius tentasse, & tennentem detulisse ad maritum, illum voluisse vim inferre: & virum præstitisse fidem, iussisseque interfici: cæsusque est Polæ, opido Istriæ: post aliquot annos comperta caussa, occidisse vxorem. Illud fit verisimile, insidiis Faustæ circumuentum Crispum occubuisse, ne peritia in militando filiis obesset: & propterea post E paulo sublatus est Licinius iunior. Non caruit ex eo quod factum est, suspicione Constantinus, quod aliquot quos nouerat cædis illorum miseri, perdidit. Post quinquennalia, quæ Nicomediæ edidit, & deinde data sunt Romæ, liber curis suspiciosis atque molestiis, decreuit animo vrbem sui nominis ædificare: & primum in Asia in Sardico agro, post ad Sigeum Troadis, vbi fundamenta iecit: tertio transtulit opus Chalcedonem, vbi iam muri erecti erant. Sed aquilæ funiculos F regulares ter quaterque architectis rapuere, & transmisso mari abiecerunt Byzantium: periti augurandi, illo transferri vrbem iubent. Imperator, veluti diis monentibus, mutauit mentem. Itaque translati Byzantium architecti, ductis rite fossis, vrbem in medio spatio condidere. Condi cœpta est ante quintum iduum Maij: sed postquam immortali Deo sacra rite persoluit, conditam vrbem Mariæ virgini, quæ sola est deipara, consecratam dedicauit. Valenti mathematico cura data vt in- G specto vrbis horoscopo nuntiaret de eius ætate, ille respondit, opus duraturum annos sexcentos nonaginta sex: intelligens quod tamdiu futuri principes rebus imperij nihil essent detracturi, & tamdiu consilio senatus respubl. esset gubernãda: post quod tempus tyranni essent imperaturi. qui rempublicam dissiparent, & ad priuatos tyrannulorum vsus transferrent. *Qui totum lac ex vberibus ouium emulserit, agnos fraudans cibo, prædo est, non pastor.* Visumque est propter hoc Byzantium

antiquum instaurari, quod ab Seuero Pertinace
tere totum euersum fuerat, triennali obsidione:
caussa fuit quod Pescennius Niger, ab Antioche-
nis appellatus Augustus, Byzantium contra opes
Seueri bene muniuerat, & firmis præsidiis occu-
pauerat, deinde instauratam deleuere milites Gal-
lieni, vt nollus ex antiquis permaneret incola.
Vrbs est Thraciæ, *Claustra Pontica* vocant, in an-
gustissimo freto Propontidis, posita velut arx in-
cursionibus barbarorum propulsandis. mœnia
antiqua ex lapidibus quoquo versus quatuor pe-
dum: ab continente prædalta, versus mare magis
depressa: sed par vndique latitudo. duos habuit
portus vtrimque clusos ferreis catenis, & in fron-
tibus eorum eminentes turres. Constantinus lon-
ge firmius muniuit, & multis monimentis exor-
nauit. pleraque ornamenta, tota Asia & Europa &
Africa ad eius dedicationem aduecta sunt. Ex vrbe
Roma genitrice cochlidem columnam porphy-
riam transferri iussit, & locari in foro lapidibus
strato, & variis signis circumdata: & ex Troade
æneam statuam Apollinis mirandæ magnitudi-
nis: supposito eius titulo, numinisque sublato ca-
pite, suum accommodauit, columnæque superpo-
suit, necnon & clauum tormenti Saluatoris. Sta-
tua post multos annos regnante Alexio, cogno-
mento Comneno, cecidit violentia ventorum de-
iecta, quod tanta moles in illa altitudine consi-
stere non poterat. in ipso casu fracta, multos in
foro spatiantes contriuit. Transtulit ex arce quæ
fuerat Ilij, Palladium, vt credidit vana superstitio,
olim cælo lapsum, & Dardani manibus exce-
ptum. Scutum id fuisse quidam scribunt, vt Romę
ancilia. Aliter sentiunt Diodorus atque Dion: Pal-
ladium signum fuisse ligneum & tricubitale, cęlo
lapsum in Pessinunte vrbe Phrygiæ, dextra te-
nens hastam, læua colum & fusum: & ad eum lo-
cum duce boue deuenisse Dardanum, deos rogasse
vt signum darent, statimque decidisse è cælo Pal-
ladium. Alij scribunt Chrysen Pallantis filiam in
Arcadia nupsisse Dardano, & signum Palladis,
quod Palladium est, secum tulisse ad domum ma-
riti, vna cum signis Magnorum deorum, qui sunt
Penates: & hæc translata in Samothracen, & inde
in Phrygiam. Nec mirum est in Arcadia conti-
gisse: nam & ibi natus est Iupiter in opido cui no-
men erat Creta: è cuius vertice nata fuit Pallas.
Stesichorus & Euphorion, tradunt sublatum Pal-
ladium ab Vlysse & Diomede opera Antenoris,
cuius vxor Theano Palladis sacerdos adseruabat.
Veteres scribunt, vrbes omnes fuisse sub tutela
Palladis, & eam esse præ cæteris numinibus vr-
bium custodem: & eius sacerdotem Nautium, co-
mitem Æneæ, quum in Latium nauigaret, eius-
que deinde posteros, quoad viguit, deæ ceremo-
niis præfuisse. Silius Italicus asserit ab Diomede
datum Æneæ. Nostræ historiæ narrant seruatum
fuisse Lauinij, postea translatum Romam, & asser-
uatum in templo Vestæ. Quid autem id fuerit cum
Penatibus, multis verbis disserunt, nemo tamen
videre potuit. Itaque in ambiguo est an Dardanus
an Ilus susceperit, fueritne ligneum an æneum, si-
gnum aut scutum: & remansisse Ilij, an aduectum
Romam, nemo est qui affirmet. vbicumque fue-
rit, inde Constantinus ferri iussit Constantinopo-
lim, & locari in foro. Credibile est fuisse simula-
crum, vt vox indicat. Palladis enim statua, vbi-
cumque fuerit, *Palladium* dicitur. Hieronymus ait
Constantinum nudasse vrbes vt Constantinopo-

A lim ornaret: vt in foro Traiani ornando priores
fecere principes. nec illic constitere ornamenta,
sæpius irruentibus barbaris, præsertim Getis. Vr-
bem suam titulis, honoribus, *Nearomam* haben-
dam censuit, & lege sanxit, illuc deductis multis
antiquorum Rom. familiis: & liberam fecit, quum
antea lege Seueri sub iure Perinthiorum esset. xxx
imperij anno tricennalia dedit, in quibus, mutata
mente, quum pœniteret eius quod fecisset in affi-
B nes, Dalmatium Anaballiani fratris F. Cæsarem
fecit, & vna cum filiis heredem statuit. Hic Dal-
matius, quum imperasset annis III, factione Con-
stantij in oriente à militibus occisus est, & eo-
dem anno multi nobiles cæsi cum Alladio præf.
prætorio. Quum libelli dati essent de erroribus
quorumdam episcoporum, manu accepit Con-
stãtinus, & proiecit in ignem, asserens nolle de e-
piscopis decernere: vt qui in ea auctoritate & ve-
neratione sint, peccare non possunt. Helena Au-
C gusti mater, quæ totam se dederat nostræ reli-
gioni, octogenaria diem obiit: filius in templo
duodecim Apostolorum condidit. ibi enim com-
mune sepulchrum sibi posterisque suis fecerat.
Iam senex, Persis Mesoputamiam diripientibus
bellum indixit, paratas ad hoc opus copias eduxit
classeque transuexit: Ipse Sotiropolim vrbem
petiit, quæ Pythia ante vocata est: vt aquis calidis
senile corpus foueret, viribus pro ætate conser-
uandis. Priusquam se ablueret, medici pharma-
D cum dedere: ministri corrupti pretio (vt scribunt)
ab affinibus, nocua immiscuere. ille intrepidus
poculum ebibit: post paulo incidit in morbum:
quo ingrauescente, ductus est in villam publicam
prope Nicomediam. Interea Constantinus: qui
copias omnes Antiochiæ cogebat contra Parthos
quum accepisset de patris aduersa valetudine, Ni-
comediam aduolauit, vt pater diligentius curare-
tur. Medicorum fomenta nihil profuere: intrinse-
cus absumente veneno, mortuus est: & ab Nico-
E media Constantinopolim regale perductum est
funus, comitante filio Constantino: & cum geni-
trice sepultus. Iulianus in oratione de Cæsaribus
scribit, Mercurium interrogatum à patruo Con-
stantino quis esset modus boni principis, respon-
disse, *Regem oportere multa possidere, & multa in-
pendere*. Constantinus in initio bonis principibus
similis: post bella ciuilia, velut omni metu liber,
contra ius æquitatis plerosque occidit, minime
suis parcens: & liberalitatis Augustorum imme-
F mor, cœpit esse parcus, & interdum nimis tenax:
gloriæ tamen appetens militaris, rebus gerendis
fortunatus & felix. quod prouenisse ex eo fertur,
quoniam fidei Christianæ plurimum fauerat: mi-
rumque est quod quum deditissimus fuerit, laua-
crum renascentis vitæ in extremum vitę suę tem-
pus distulerit: vt existimo, volens id in Iordane,
iturus contra Persas, efficere: baptizatusque est ab
episcopo Nicomediensi. Illud in eo principe lau-
dabile memoratur, quod siquos ex vulgo priuatus
G dilexit, opibus honestauit, non dignitate prætoria
aut consulari, vti priores principes nulla habita
honoris ratione fecerunt. Quumque fuerit armo-
rum studiosissimus, eloquentiæ expers non fuit ac
philosophiæ, & in disserendo satis accuratus. Di-
cere frequenter solebat, *pro vtilitate respubl. Impe-
ratorem non debere labores recusare: & partem cor-
poris recidendam, si remedium non admitteret: sin
contra, fouendam*. ea similitudine notabat malos
homines qui emẽdari nequeunt. Vixit annis sexa-

ginta

A ginta sex: imperauit XXXII, minus mensibus duobus. Quidam tradunt Constantinum orbem heredibus testamento diuisisse, quidam filios sorte fecisse.

Diuisio imperij Romani.

COnstantino obuenere Galliæ, Hispaniæ, & Alpes Cottiæ, Britanniæ, Orcades, Hibernia, Thyle: CONSTANTI, Italia & Africa cum insulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponnesus, B Græcia: CONSTANTIO oriens & Thracia, cuius caput Constátinopolis: & cum eo DALMATIVS imperauit, in omni actione patruo quam patri similiur: sed virtus obfuit. Nam factione Constantij patruelis (vt diximus) seditione militari interfectus est, quum imperasset annis III, neque prohibente neque iubente Constantio: sed credibilius est huius clandestino consilio facinus peractum fuisse. *Constantinus*, qui in Gallia imperabat, mi-C nime contentus, legatos misit ad fratres, petens vt fieret noua diuisio: & quum non proficeret, post longas querimonias, fisus opibus Gallicanis & equitibus Hispanis, & Alpino peditatu, bellum ciuile contra ius & fas mouit, & primum inuasit propinquas regiones. Constans tunc erat in Dacia, pugnans contra Getas & Sarmatas. Constantinus ad Aquileiam peruenerat. cuius in agro obuiam fiunt milites à fratre missi, qui conatum repellerent. & quum ille longe viribus præstaret, D quia per summum nefas arma ceperat, incautius congreditur, lapsusq; est in insidias; quibus exercitus circumuentus, in medio cæditur. Equus principis, vulnere ictus, sessorem Constantinum deiecit. Quum iaceret humi sine purpura incognitus, multis ictibus confussus est. Imperauit triennio nondum finito: vixit annis XXV. *Constans*, post meritam cædem fratris omni conatu superatus Alpibus, Galliam intrat: varioque euentu pugnans, biennio partem fratris assequutus est. Præ-E fuit aliquamdiu vt bonus rector. post, siue debilitate naturæ, siue amicis suadentibus, animum ad delicias flexit: ex quo in leues articulorum incidit ægritudines, quæ hominem reddiderunt difficilem, morosum, austerum: vnde factus est prouincialibus grauis, & militibus illiberalis: ea caussa seditionem peperit. Erat in exercitu *Magnentius*, comes ordinum Augustæ: (vrbs est Germaniæ) conuiuium militibus exhibuit à mane ad vesperas more gentis. inde cubiculum ingressus, statimque F egressus, est indutus purpura, multis satellitibus cinctus. qui conscij non erant, coacti sunt assentiri. abiitque cum omni turba in prætorium, & donatiuum dedit: positis custodibus cauit nequis rem aperiret aut referret. Constans, quærens mitigare tædia articularis morbi, vbicumque fuisset, venatibus operam dabat, & ad siluas diuertebat, vbique cum formosis pusiunculis ludebat & bacchabatur, etiam fruens illorum tenera ætate. Ad eum missi percussores, qui insidiarentur, offenderunt Constantem venatione fessum quiescentem: G ingressi tentorium, nihil tale cogitantem interficiunt. Quidam dicunt eum vigilem cognouisse parricidas, & abiisse in propinquum templum, & insignia imperij composuisse, & ab altaribus tractum cæsum fuisse. Scribunt eius horroscopum inspectum à mathematico, qui dixit periturum gremio genitricis. Nam Helena auia, mortua Fausta matre, Constantini filios nutriuit, vt parens. Constans occisus est in opido

A haud longe ab Hispaniis, cui Helenæ nomen erat. Constans si exemplo Ciceronis didicisset, non armasset in suam cædem Magnentium. Popilius Lænas reus capitis, M. Tullio defensori caput abscidit. Magnentius seruatori suo mortem intulit. Nam quum milites exorto tumultu in Illyriis occidere vellent, obiecto paludamento Imperator texit ac seruauit. Discant igitur qui legerint, illorum misereri, & illos tueri, quorum virtutes co-B gnitas habeant: aliter pœna quam illi propter flagitia meruere, in defensorum capita resilit. Pauci præterea reperiuntur qui norint gratificari. Vixit Constans annis paulo plus XXX: imperauit XIII. Milites trucidatij & coniurati, Magnentium Imperatorem salutant. Quum hæc nuntiata essent, Romæ *Nepotianus* Imperator à populo & myrmillonibus factus. Heraclydes senator, fautor Magnentianæ factionis, populum decepit; factaque proditione, Nepotianum Augusturum sororis fi-C lium, quem gladiatores cingebant, simulans velle cum eo loqui, obtruncat. Caput pilo fixum, per vrbis itinera deportatum est. Imperauit dies duodetriginta.

MAGNENTIVS.

MAgnentius comes duorum ordinum dolo Imperator factus, Constantis nomine litteras scripsit sub illius signo ad eos qui præerant D vel cohortibus vel vrbibus, qui statim ad Imperatorem venirent: quos in itinere cædi iussit, vt non esset qui motum faceret. iam & Roma cesserat: eius enim factio plurimum valebat. Constantius tunc in oriente aduersam fortunam contra Persas experiebatur. Igitur ingenti agmine Italiam petit: & Mediolani diu immoratus, fratrem suum *Decentium* Cęsarem fecit: misitque cum exercitu vti Gallias tueretur. iamque tota Italia & Africa Magnentij erant. Factio Illyricorum duce E Britannione cum nouo Imperatore sentiebat. ad Cõstantium legatos misit cum litteris, vti oriente & Thraciis contentus esset: qui nihil respondit. Constantius *Gallum* patruelem Cæsarem fecit, & reliquit in oriente: ipse Hesperios petiit vlturus fratris cædem. Sed, ne sua Roma bello ciuili vexaretur, misit ad Magnentium, concedens Galliam, si arma deponeret. Tyrannus, sperans vincere, non paruit, ideo ambo ad pugnam se parant. Magnentio, priusquam congrederetur, maga consuluit F virginem iugulare, & cruorem vino miscere, potandumque militibus præbere; (mos est immanium barbarorum quum aliquid secretius agunt) ipsa interea carmina peragebat. Post hæc profana sacra, fit pugna vtrimque magnis copiarum viribus ad Mursam. Vicit Constantius magna hostium & suorum strage: verum hostes ad multam partem noctis cæsi. Tyrannus, dimisso equo & insignibus, in habitu equitis aufugit, equum suum reliquit: vt, qui viderent, existimarent sessorem es-G se mortuum. Victor Imperator die sequenti conscendit tumulum, ex quo tota planicies conspici poterat: quam quum vidisset repletam cadaueribus, ingemuit. Cæsa fuere supra LIIII millia pugnatorum, omnes cæsi, iussu principis sepulti sunt: qui vero vulnerati non perierant, victoris beneficio curati & conseruati. Exercitus tyranni fuit ex XXX millibus: Constantij vero, LXX millia pugnatorum habuit. Periere illinc XXIII, hinc prope XXX. Ea pugna attritæ fuerunt imperij Romani

vires. nam ij qui cæsi, & numero & robore ad quæuis externa bella satis fuissent. Magnentius, postquam in tutum locum se recepit, reliquias profligati exercitus collegit, & nouo milite suppleuit, cupidus rursus aleam dimicationis tentare. & priusquam experiretur, misit vnum è senatoribus grandem natu ad Constantium, quod vellet omnibus præterquam Galliæ. Constantius hominem reiecit, opinatus illum speculatorem venisse. Post misit episcopos, nihil prouinciarum quærens, sed tantum vt liceret militare ducis titulo: quibus nihil responsum est. Quod quum accepisset exercitus tyranni, plerique milites adierunt ad victorem. Tyrannus, intelligens sibi dimicandum fore, exercitum ex copiis Gallicanis reparauit, misitque, dum milites cogeret, assuetum parricidam multis pollicitationibus Antiochiam, qui Gallum confoderet, vt illo cæso Constantius relictis rebus Hesperiæ, cogeretur orientem petere propter Persas. Quum trucidatius Antiochiam peruenisset, domum cuiusdam vetulæ diuertit appositam fluuio Oronti, qui labitur per eam vrbem. Orontes antea dictus Ophites, post ab filio Cambysæ regis Persarum ibi submerso, vocatus Orontes. Hic in cœna post vina rem communicauit, cum paucis quos inuitauerat. minime expauescens mulierem ætate confectam. illa clam se proripuit, & quod audiuerat, ad Gallum retulit, qui statim omnes comprehendi iussit atque necari. vbi quæstionibus ordine suo negotium aperuerunt. Magnentius, quia tale consilium irritum fuerat, rursus prœliari statuit: victusque est, & aufugit Lugdunum. Comites, vt victori grati essent, consilium ineunt tyrannum capere, & Augusto tradere. ille, vbi se custodiri cognouit, quum fugæ locus deesset, furorem simulauit: & primum fratri Desiderio vulnera intulit, quæ non fuere letalia: post interfecit quosdam amicos, tamdem se confodit. Hic exitus fuit ingrati hominis. Decentius Cæsar, qui Gallias tuebatur, audito fratris casu, sibi metuens, laqueo apud Senonas vsus est. Desiderius accessit ad Constantium, ab quo liberaliter exceptus est. Gerontium Magnentianæ factionis comitem, exsilio victor mulctauit dum in Gallia esset.

BRITANNION.

Britannion ante tyranni pericula, quocum conuenerat, Imperator ab Illyriciano exercitu appellatus Mursæ, quo tempore & Nepotianus Romæ, posita purpura & Gallica veste indutus, Constantium adiit: & obuius venienti factus in Thracia, obuolutus pedibus, veniam petiit, & impetrauit. Imperator senem ducem amplexus, patrem eum vocauit, & cœnæ adhibuit, ab quo multa de Magnentio intellexit. Deinde iussit abire Prusiada, Bithyniæ caput, & propinqua opida voluit vt ad victum senis contribuerent: qui plures ministros secum ducens, illic magna quiete vixit annis sex, post decessit.

SILVANVS.

Siluanus Bonitij F. in Gallia natus, qui bello Liciniano clarus sub Constantino, tribunus sub Magnentio fuit, post defecit ad Constantium, ab quo missus in Galliam est. Imperator vero, qui

A calumniis aures facile præbebat, successus eius suspectos habuit. quærebat igitur insidiis circumuenire. Siluanus vbi accepit, pro concione questus est: ita à militibus Cæsar appellatus. Ad hunc motum opprimendum mittitur Vrsicinus, qui pecunia tribunos Siluani corrupit vt occiderent. Agrippinæ igitur de industria facto tumultu cæsus est: cuius cæde tam magno gaudio exsultauit Constantius, vt fere insanus haberetur. præfuit B paulo plus duobus mensibus.

GALLVS.

Gallus natus est in Massa Veternensi, patre Constantio, fratre Magni Constantini, matre Galla, Rufini & Cerealis, qui consulares erant, sorore: ac liberaliter educatus, feros mores vincere non potuit. Profectus ad orientem, consedit Antiochiæ: vbi stimulante vxore, omne genus sæ- C uiendi expertus est. Illud vero nefandum & abhorrendum: noctu cum satellitibus incognitus errabat per lupanaria & tabernas, explorans submissa voce, Græco sermone, quid de Cæsare sentirent, & notabat singulos qui obloquuti fuissent: post aliquo reperto figmento trucidabat: quod antea in vrbe Roma fecisse Gallienum memoriæ proditum est. vtrumque vxoris stimuli exagitabant. Missus est ad eum Domitianus præfectus prætor. ab Imperatore, qui de sceleribus Cæsaris D iam senserat, vti cum Gallo secretius ageret, & persuaderet venire ad principem. quod quum parum proficeret, addidit mandata & minas. Indignatus Gallus, hominem comprehendi iussit, & custodiæ tradidit. Montium etiam quæstorem, qui tale facinus non probabat, coëcit in vincula: suadente vxore ambos per forum tractos & verberatos in fluuium proiici mandauit. Quod vbi accepit Imperator, misit qui Gallum adducerent. Ille vxorem Constantiam ire ad fratrem iubet, E placaturam eius indignationem: & hæc in itinere decessit. Cuius morte audita, Constantius edicto Gallum dignitate priuauit, exsilio damnat: & ne longius rem protrahat, (omnem autem eius securitatem in morte Galli posuerat) percussoribus mandat iuuenem obtruncare. Hi fuere Seruianus reus maiestatis, paulo ante absolutus; & Pentadius notarius, & Apodemius: qui prenso Gallo & vti noxio manus post terga reuincto, ceruicem abF sciderunt. In foro truncus relictus est. Post paulo quam illi missi sunt, pœnituit Imperatorem, & destinauit citissimos qui prohiberent: & ij retenti fuerunt ab Eusebio eunucho: is enim erat præpositus cubiculi, cuius consilio princeps fere omnia agebat: quamuis Gallus meruerit pœnas dare. Imperauit annis IIII: vixit vndetriginta. Constantiæ corpus delatum ad vrbem, & in suburbano viæ Nomentanæ post primum lapidem sepulcro maiorum illatum est. Constantius in oriente aduersa G fortuna res gessit. hostis enim semper superior fuit. Anno XI imperij Persica palma prærepta semel est temeritate militum ad Singaram. nam octies cum hoste congressus: & in hoc prœlio quum victoria pro eo staret, ad hostes transiit non sine graui vulnere. Amissa est Singara & Bizabda & Amida. Quum accepisset de fratris cæde, dubius agebatur, permaneretne contra acerrimos Persas, an ad vindicandam Europam remearet. Sapores Armenias vexabat: iamq; Nisibim obsedit, quam vrbem Luculli arma iuris Rom. fecerant, quo tempore

tempore Mithridates Ponticus ad opem Tigranis soceri confugerat. Nisibis vrbs est Mygdoniæ, (sic appellauere proxima Syriæ Macedones) à nostris dicta Antiochia. Huic, quum capta fuit à Lucullo, præerat Guras Tigranis frater, quem Romanus dux apud se honorifice tenuit. Barbari Nisibim, Antiochus Antiochiam nominauit. Expugnandæ vrbi intentus Sapores, bellica tormenta admouit. Alueum fluuij qui mediam secat vrbem, alio ductis fossis deduxit: sed ex hoc non obfuit propter frequentes illic fontes puteosque, qui satis suppetebant. Quumque hoc non procederet, occlusit meatum fluminis, deinde emisit: vnde impetus aquarum subuertit partem mœninm. Nisibenses noctu citissime obstruxerunt tabulis, trabibus & terra. Quum illuxit dies, rex veritus ab expugnatione, re infecta mœstus abiit. Nisibenses muros instaurauere. In hac expeditione rex amisit xx millia hominum. Massagetæ absentia regis ex superiore parte Persida inuaserant abigentes prædam. Rex regno tuendo properanit: Constantius subsidiarios milites misit, Nisibim & mœnia firmari iussit, inducias cum Sapore fecit: & priusquam Europam peteret, Gallum patruelem Cæsarem pronuntiauit, iunxitque ei matrimonio vxorem Constantiam, sororem suam, præfecitque copiis orientis. Ipse contra tyrannos propetauit, & pacem vbique fecit: & quum vndique in Europa late victor esset, sedatis bellis ciuilibus,, ludos Arelate dedit ante v i iduū Octnbr. Quo die imperium sumpserat, Italiam venit: Mediolani constitit: & inde vt Gallus subueniret, *Iulianum* patruelem adoptauit, misitque in Gallias cum paucis militibus, ipse petiit vrbem comite Ormisda regis Persarum filio. Nobilitatem vrbis & maiestatem admiratus est. Nobilitatem, stans audiuit, vulgus, sella curuli sedens in foro. & quoniam hostes præter Persas deerant, suis manibus scripsit, CONSTANTIVS TOTIVS ORBIS DOMINVS: insanior Domitiano, qui inscripsit, DOMINVS ET DEVS VESTER DOMITIANVS. Huius æmulus, cœpit odio habere viros claros. Quum opera vrbis intueretur, ardor incessit statuam equestrem erigere similem illi quæ Traiani erat in eius atrio: & Ormisdæ qui pone sequebatur, mentem aperuit. At ille subridens respondit, prius oportere stabulum fieri molis equi capax. Imperator conticuit. Locus admonet de *Ormisda* inspicere. Narses plures habuit more Persico vxores: ex illustribus suscepit Adarnassem, Ormisdam, & Narsen: ex humilis generis vxore, verum supra ceteras formosa, genuit Saporem. Adarnasses successnrus erat, quia maior natu: sed coronam nnn assequutus est ob ingenitam sæuitiam. Mesopotamij tentorium ex corio camelorum intexto auro arte Babylonica, dono miserūnt ad Narsen: filio dedit Narses, & interrogauit an placeret. Rrspnndit Adarnasses, magis ei placere si imperaret: quod ex hominum coriis longe pulchrius facturus esset. Hnius vocis memoria, & alia crudelissima quæ in initio regni fecit, regnum abstulit. Itaque omnibus præpositus communi consensu Persarum Sapores: qui cæso illo Narsen fratrem luminibus priuauit, Ormisdam in vincula compegit. Huius vero mater & soror & vxor, corruptis pecunia custodibus, carcerem ingressæ, limam iuueni dederunt, quam secum tulerant: quo instrumento fibula compedum dissoluta est. Vbi opus peregit, illæ pingue conuiuium custodibus

A exhibuere: qui dum cibo & potu graues quiescūt, Ormisda aufugit, & in castra Romanorum venit vltimis Constantini Magni annis. Sapores, re intellecta, vxorem sequi maritum iussit. Ormisda bello ciuili à Constantio præpositus est turmis equitum. Fuit enim vir fortis ac certus iaculator, numquam iaculum frustra emittens, ante designans quo esset iaculaturus. Bellis Europæis eius claritudo omnibus nota fuit, & magnam sibi lau-
B dem propagauit. Constantio redeunti ad orientem, legati Saporis occurrunt ad Sirmium, petentes restitui Mesopotamiam & Armenias: aliter pax non esset. Constantius Augustus ad hæc rescripsit, Persas seruisse Macedonibus, & Macedonas seruire Romanis: hac ratione iniuria petis. Mesopotamiam maiores nostros cepisse, Persas irrupisse latronum occupantium more: Armenias cessisse Romano imperio victo Tigrane, contra quem iustum bellum gessit L. Lucullus, qui Mi-
C thridatem hostem populi Rom. hospitio & affinitate fouendum exceperat: & ipsum Mithridatem nulla contumelia lacessitum, sponte iniuriis ac cædibus affecisse Romanos: & Persas irrupisse sæpius in Armenias, & à patre tuo Narse non bello occupatas, sed insidiis interceptas. Qua de re desine hæc petere quæ nostri iure tuemur: pacem quam petis, minime, sed conditiones eius, recusamus. Sapores lectis litteris bellum mouit, Nisibim frustra obsidione tentauit: nam inde repulsus
D est. Post in alias vrbes profectus, tantum Amida potitus est, quæ non satis firmo præsidio tenebatur: eam solo æquauit. Ea res coegit Constantium consortem eligere, censuitque accersiri Iulianum patruelem, Galli fratrem; quem adoptauit pro concione ad milites, & Cæsarem fecit. Non me præterit, qui sub Constantio militarunt, scribere Iulianum adoptatum fuisse in Gallia Cisalpina propter irruptionem Germanorum qui Gallias vastabant; vt ab rapinis hostilibus Gallias, quas
E præcipue amabat, liberaret. alij scribunt Athenis adoptatum. vbicumque fuerit, assensu militari purpuram induit ante diem viii iduum Nouembris, Arbitione & Lolliano coss. & Galliam missus, priusquam proficisceretur, Helena Constantij soror ei iuncta matrimonio est. & quia periculū imminebat, cal. Decembr. egressus cū exiguo supplemēto, deductusq; est per aliquot millia passuū ab Aug. maturauitq. iter Taurinos versus. Ferunt consilio Eusebij, quærentis perdere totum
F genus Constantini, paucos milites fuisse datos Iuliano, vt ab hostibus occideretur: quod illud præcipue indicat, quoniam obsesso apud Senonas auxilium non misit. Secus euenit. re enim bene gesta in Galliis, sæpi⁹ hostes profligauit, vltra Rhenum coegit, multos captiuos abduxit: xi fere millia nostrorum, qui belli iure seruiebant, ab Alamanis recepit; & prope Argentoratum vrbem Galliæ, totum fere Alamanorum exercitum perdidit. Iam inde barbaricæ cladis monimētum habuit: (quod
G nisi contigisset, vrbs minime nota, in obscuro esset) & præter omnium opinionem, in solo hostili multa præclara gessit. Quumque eius successus felix haberetur, non caruit calumniis apud Augustum: & erant qui appellabant eum loquacem talpam, alij purpuratam simiam, alij Græcanicum litterionem: & erant qui mollem Asianum, Græculumqne fallacem, & sub specie sapientiæ stolidum. Constantij enim aures ad fidem præstādam faciles pronæque erant. Quod quum sciret

Iulianus, ægre tulit,& metuit ne idem sibi quod A Gallo fratri, eueniret. ideo iam tuoc cœpit cautior esse.& post victoriam ingentis pugnę,quum hostium peremptorum magni aceruí essent cadauera in fluuium proiecta: concordi assensu victoris exercitus vocatus est Imperator, & inde Augustus. nomeo Augusti pertinacissime renuit. Huic tumultus militũ fuit,nudatis ensibus cogẽtium meritum cognomen accipere:itaque, vt illi quiescerent,adnuit. Non reperiebatur diadema, B facere tentauerunt ex mundo muliebri. Iulianus vetuit, asserens non esse boni euentus augurium. Tribunus corooam attulit nõ longe differentem ab corona quæ soler in xysto victoribus dari. Marcellinus scribit Maurum comitem ordinis detraxisse sibi torquem, (draconarius enim erat) & capiti principis aptasse. Post vero vsus est diademate micantibus gemmis exornato. Fœdus cum Alamanis percussit, illis restituentibus ablata. Deinde misit ad Constantium Pentadium C quendam magistrum copiarum cum literis, in quibus erat tantummodo Cæsaris titulus. Summa literarum hæc fuit:Milites sæpius victores,& qui diu pro republ.pugnauerunt,vt pręmia laborum & diuturni sudoris petere possent, me,licet repugnantem,Imperatorem appellauere. Non ignoras antiquæ consuetudinis esse, qui sub ducibus ac Cæsaribus militant, non licere præmia Romano iure poscere.Quia ea caussa iusta censeri debet,te exoro,qui communis es parens, vt æ- D quo animo ad cõmunionẽ imperij me patiaris, ne miseri milites frustra effudisse sanguinẽ videantur. Addebat in fine, se polliceri missurũ certatores equos ex Hispaniis, & promptos milites ex Galliis:id quidẽ erat annuum tributum. Erat Cõstantius, quum accepit epistolam Iuliani, Cæsareæ in Cappadocia. vltra solitum excanduit.(Cæsarea ante dicta Mazaca, est posita in radicibus Argei montis)& nihil rescribens, edixit expedi- E tionem contra Persas,pro qua orientem petierat, ita suadentibus qui vtilitatem reipubl. quærebãt. Eius animus,quum legit literas,præceps fuit vertere copias contra Iulianum: post paulo legatos placide abire iussit: quibuscum misit Leonam quæstorem cum mandatis: cui & literas dedit, in quibus admonebat iuuenem vt Cæsaris nomine contentus, Augusti maiestatem poneret. Leonas Parisiis exceptus honorifice est. Et postquam in F campum cum armata multitudine stans pro tribunali velut concionaturus, literas Imperatoris legit,quum ventum est ad Cęsaris nomen,omnis turba clamitare cœpit; *Iuliane Auguste salue: Iuliane Auguste, dij te seruent: Iuliane Auguste, dij te sospitent.* Postea vnum ex iis quæ mandauerat Cõstantius,actum est;hoc est Nebridium præfectum prætorio factum,submoto Florentio. & hoc minime processisset ni Iulianus ex sua sẽtentia pro- G uenire diceret. Iulianus, ne ardor militum frigesceret,legatos rursus ad Constantium mittit, ipse profectus est ad limites Germaniæ. Imperator interea accersiuit Arsacem regem Armeniæ, vti fidus cum Romanis perseueraret, neu fallaciis Persarum animaduerteret. post misit ad reges Transtigritanos, vt in fide permanerent,ne deficerent ad Persas. Iulianus ordinatis in Germania rebus, statuit Viennæ hiemare. Non desunt qui scribant mandatum fuisse Leonæ vt obiiceret beneficia Imperatoris Iuliano, vt homini ingrato;& illum questum etiam de Constantio, de cæde parentum ac fratris, & inuocasse vltores deos, deinde iussisse abire omnes ab exercitu qui dicta Constantij probarent. At vxor Constantij Augusti moritur; & ducta est Faustina: vtraque forma pulcherrima, sed illa mœstitia ac dolore interiit, impotentia genialis thori. Quum ad bellum ciuile Iulianus se pararet, existimans Constantium numquam ad concordiam venturum, vxor eius Helena moritur. Iussit corpus Romam perferri, & sepeliri in suburbano Nomentanæ viæ, vbi antea Constantia soror sepulta erat. Falsum est quod iampridem vxorem expulerit,quę castissima erat. Iulianus fertur dixisse in illitibus vt se pararẽt cõtra Constantium,priusquã mille aduersus se moueret impetum. In ipsa expeditione,quia multi erant in exercitu Christiani, iussit vti quisque coleret quos vellet Deos. Ipse vero, ne ab fide abhorrens animos militum alienaret, ingressus tẽplum in natali saluatoris;vt alij dicunt, in solenni Epiphaniæ; vna cum ceteris adorauit, & diuinis rebus interfuit. Post, vt se corrigeret,dicebat se properare vt coniungeret exercitus, & præsciret quo die esset Imperator moriturus,vt per nocturnam quietem præmonitus erat, quando vocem audierat, *Quum Iupiter erit in fine aquarij, & Saturnus in xxv. parte virginis, Constantius dominus Asiæ morietur.* Quum ex Antiochia peruenisset Tarsum Imperator Augustus vt Iuliano obuiam iret, incidit in febriculam semper æqualem:ratusque est gestatione aboleri. vectus lectica est per inuia itinera vsque ad radices Tauri montis; ibi in statione quadam quæ appellatur Fons Mopsi, Græce Mopsucrene, intrinsecus exurente calore, febris aucta est adeo vt corpus tangi non posset. Hic quum deficeret, successorem statuit Iulianum. post paulo mortuus est ante tertium nonas Octobr. Vixit annos xl. & paucos menses: imperauit annis xxiiii. Iulianus vbi accepit de morte Constantij, citissime petiit Constantinopolim. Corpus principis conditum in loculo, Iouianus qui post imperauit, domesticorum protector,cum regia pompa Constantinopolim perduxit, & sepulcro maiorum intulit: interque diuos relatus est. Prope finem vitæ se palam accusare solebat quod occisor suorum fuerit, quod Iulianum Cæsarem fecisset, & quod in noua credulitate nutabundus esset. Natura debilis ad coitũ fuisse traditur: in victu parcissimus, lata lege vetuit phasianum & sumen conuiuiis inferri: numquã spuisse memoratur. In iudiciis iustus & moderatus, si secretiores consultores non habuisset; ad iram tardus. Bellis ciuilibus fortunatus, Persicis semper infelix, Sarmaticis varius: bis Sarmatici cognomen inscripsit. Nam quum Sarmatis, Dacis & Quadis fœdera feriret, & in suggestu orationem haberet, barbaris male audientibus, quod ad hoc opus assueti non erant, vnus è Quadis secessit,& stercore alterum è calceis repleuit, sub veste tulit, & propius accedens, in vultum concionantis proiecit. Id dedecus mereri puto, qui inter rusticos aut philosophari aut rhetorice loqui volunt. In fide semper fauit Arrianis; quorum caussa synodum habendam præcepit: statuta est cõnctus dies. Imperator indignatus erat quod mandauerat Alexandro episcopo nouæ Romæ vt in communionem exciperet Arrium cum tota factione,& Alexander negauerat, qui prostratus orabat ne sineret Deus à pernicioso lupo suum ouile corrumpi. Tempus appetit: Arrius cum argumen.

gumentosis syllogismis ingressus est, fauente Eu- A
sebio Eunucho: & in initio priusquam pudendū
os solueret, corrupt' cœliaco dolore, secessit vt o-
nus ventris deponeret: & quū niteretur vi expelle-
re, vna cum stercore animam emisit. Hunc finem
meruit homo perfid' ac malign', qui venenū in v
be Dei lati' sæuit, aconito vehementius: vnde ge-
niti in fide saluatoris ignes inextinguibiles, qui-
bus Asia, Africa, & bona pars Europæ fidelibus
& iuxta credentibus ereptæ sunt. Præfuit Alexan-
der annis XXIII. Successit Paulus homo iustus, quē B
Constantius consilio Eusebij eunuchi submouit,
& in eius locum subrogauit Eusebium Episco-
pum Nicomediensem, militem Arrij. Paulus ad
vrbem Rom. se cōtulit, petiitque ab episcopi Ro-
mani auctoritate restitui in suam dignitatem: &
quoniam vitæ sanctitas merebatur, ab Iulio pont.
in sedem restitutus est. Constantius indignatus,
hominem exsilio prius mulctauit: deinde mini-
me contentus, interfici iussit. Qua de re hæretico
Arriano successit Macedonius Arrius. Hoc in lo-
co digredi non ineptum putemus, vt scilicet ostē-
damus, episcopum Rom. caput catholicæ fidei sē-
per fuisse. Roma ipsa terrarum dea & gentiū re-
gina, poscere videtur Dei sedes & imperij generis
humani. Sed vbi noua Roma præsentibus Augu-
stis lacertos extulit, absētia principum nostra Ro-
ma paululum imminuta, vtraq; tamen vrbe prin- D
cipatum sibi vindicante, nescio quo fato præfe-
ctis obtemperauimus, & aliquādo Augustulis, &
sæpenumero regibus Gotthorum. Itaque per ea
tempora episcopalem maiestatem, nutibus Im-
peratorum Constantinopolis sibi vsurpauit. Nos
vero non cessimus, sed passi fuimus, ne ira princi-
pum obesset, qui vrbis sacratissimæ dignitatem
barbarorum prædæ reliquerant. Res non potuit
diu differri: Phocas Imperator totius maiestatis
decus iniuria ablatum restituit, & publico decre- E
to sanxit. nam plerique episcopi Constantinopo-
litani, malè vsi auctoritate, prauis opinionibus fi-
dei simplicitatem turbauerant: Romani vero
pontifices semper habiti orthodoxi & iustissi-
mi, vt ipsi Græci in historiis tradiderunt. E-
piscopus igitur Romanus & diuino iussu & hu-
manæ rationis vinculo, generis humani parēs &
princeps est. Nam illud perpetuo mansurum quis
dubitat; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædifica-* F
bo Ecclesiam meam? Constātius eques optimus &
certus iaculator, eloquens & carminibus compo-
nendis aptus. Quod fuit in suos fetus, non caruit
exemplis, quod sic fecisset Caligula, Domitianus
& Commodus, & F. Seueri Antoninus: in ceteros
vt Gallienus, qui tormentis adigebat homines fa-
teri quod vellet. In Galliis & Pannoniis trium-
phales arcus erexit, magno prouincialiū dispēdio.

IVLIANVS.

FL. CL. IVL. IVLIANVS natus est Constanti- G
nopoli, patre Constantio, Constantini fratre,
matre Basilina nobilissima fœmina: forma libera-
li, ingenioq. ad literas & ad arma satis accommo-
daro. Mater grauida somniauit se parituram Achil-
lem: excitata, marito narrauit. peperit antequam
patiendi tempus sentiret. Hinc parentibus bona
spes de filio fuit: datusque est & initiandus & e-
rudiendus Eusebio, episcopo Nicomediæ. Primo
bonę indolis puer apparuit. vtinam non habuisset
rhetorem Libaniū: ab quo ita institutus est vt prę

missa veritatis cognitione, puerilem animum ad
antiquorum credulitatem flexerit. itaque sub illo
immutatus est, Mercuriū præponens cunctis. Nō
caruit tamen in ceteris laude, similis existimatus
Tito, vt frater Gallus Domitiano: bellorum suc-
cessibus comparatus Traiano: (res ei fuit cū fero-
cibus Germanorum populis, vt Traiano cōtigit,
nondum principi) clementia Antonino, modera-
tione Marco Aurelio, literarū studio magnis phi-
losophis. Cumque his assuetus, soporiferæ quieti
multum detrahens, insomnes noctes aliquando,
quū vtilitas reipubl. posceret, ducebat: & musis vi-
gilias impendebat, nulloque adhibito remedio,
minimo strepitu excitabatur. Philosopho venien-
ti statim occurrebat, ne ab literatis rusticitatis re'
citaretur. Memoria plurimū valuit: in rebus gerē-
dis optimos imitabatur principes: in re veneria
citra omnē suspicionem vixit: modesta liberalita-
te semper vsus: eunuchis & pantomimis & mo-
rionibus nihil vnquam largitus. Illud incredibile
dictu, postquam solus imperauit, hostes populi
Rom. intra suos terminos se continuerunt, & in
laudes noui principis accendebantur. Restabant
profligandi & dumandi Persæ. itaq; cū ingēti ap-
paratu egressus Constantinopoli, transmisso Bos-
poro, à Chalcedone Nicomediā processit, quæ
olim regia & ampla vrbs ædificiorū sumptibus,
terræ motu corruerat: memor quod illic educatus
erat, ingemuit: per Bithynos Gallogręciam venit:
& inde Antiochiam Orontis petit, oriētis api-
cem. Et quū loci situs omnes ad voluptatē inui-
tet, princeps ibi suapte natura cōtinentissim' fuit
ex eius imperandi ordine Iustitia è cælo ad mor-
tales rediit. Iulianus quartū iniit consulatū, ascito
Sallustio collega, quem præfecerat Galliis præfe-
ctū. Quum ver appeteret, Hieropolim venit: hinc
in Mesopotamiā signa cōmouit: post peruenit Cer
cusium, (fere instar insulæ inter Euphratē & Xa-
borectoram amnes positum est) quod Diocletia-
nus mœnibus amplificatum, excelsis turribus cir-
cūdedit. Hic moranti allatæ sunt ab Sallustio lite-
ræ, vt expeditionem in Persas differret, & diis ve-
tātibus cederet. Sed quis fato repugnat? transgres-
sus flumen, pontem auelli iubet: Zaitamque ven-
tū est, vbi Gordianum Imperatorem exercitus tu-
mulo intulit, quem Licinius hostis bonorum e-
uertit. Iulianus, vbi hostes propere adesse intelle-
xit, concionem habuit, afferens maiorum nostro-
rum exempla, initiū faciens à Ventidio vsque ad
Maximianum, quod fere omnes rediere laureati,
præter Gordianum & Carum: ille, insidiis mor-
talium, hic ira deorum sublatus. Hostes à prœlio
abstinuerunt. Ipse Assyriam depopulatus, vrbes,
opida partim vi cepit, pleræq; deditionem fecere:
victorque cum ingenti gloria profligato exercitu
hostili vsque Ctesiphontem peruenit. Castra ali-
quamdiu illic habuit cum exercitu satis lecto: dū
remeat, facem sereno vidit cælo. Aruspices Etrus-
ci vetabant quidquam tentandum, quia signum
erat infelix: Iulianus & hoc cōtempsit, vt ante Sal-
lustij monitus. Postquam illuxit, castra mouit.
Persæ sæpius afflicti terga inuadunt, & priusquā
laborantibus subueniretur, hostilis ex improuiso
globus in cataphractos irruit: (Sic mos Partho-
rū, vt confusos cædant) dumque Imperator incau-
tius sese infert, vulnus excepit, emissa hasta incer-
ti militis, transmisso brachio & costis, hæsit fibræ
iecinoris: dum auellere conatetur, scidit digito-
rum nerulos, prolapsus in ceruicem equi,

veloci cursu in castra relatus est. adhibita fomenta paululum dolorem leniuere. poscit equum & arma vt prœlium reuisat. quum spiritus deficeret, concionem habuit, disseruitque mortem esse summum præmium. Petiit inde quid ageret Anatolius. Sallustius respondit, Beate degere. Ingemuit amici casum, quod interfectus esset. Circumstantes, qui dolore couciti deslebant, sua auctoritate castigauit: turpe quidem principem sideribus conciliatum lugere. Inde cum philosophis sermo ei fuit de immortalitate animæ. Epotaque frigida aqua, vita solutus est, annum agens alterum & xxx. ante sextum Calend. Iulij, in suburbana villa agri Tarsensis Iulianus sepultus est, & in diuos relatus. Successor si vixisset, decreuerat nobile sepulchrum. Homo statura exigua & gracili, maiestate conspicuus, inter veteres heroas coonumerandus; amplihando imperio & reip. gubernandæ satis idoneus, si fata commisissent: Ore & manu (vt inquit ille) consultor patriæ. Imperauit solus annum vnum, menses septem, ab eo quod Cæsar fuit, annos septem. Corpus Procopius Tarsum vsque perduxit, & tumulo dedit, inde abiit, & nusquam nisi ex improuiso Constantinopoli purpuratus apparuit. Mirum creditu, barbaræ nationes eum plurimum diligebant: à militibus adeo obseruatus, vt in creando nouo principe Iouianum legerint, ab vocis similitudine, vna littera immutata. Memoria & liberalitate clarus. tributa parcius exigēda mandauit: (licet sint qui nolint) gloriæ cupidius appetēs: & quum Christianos omnis insectaretur, sanguine tamen abstinoit. Hostes, morte nostri principis elati, & circumfusi, castra, quæ spatium trium mil. passi complebant, disperdere quærebant. Romanis vero controuersia fuit in eligendo. Constantiani Abilum præponebant; proceres Gallorū Sallustium; qui, propterea quod senex & valetudinarius esset, recusauit: dumque mora fieret ob certamen, clamantibus militibus maturandum esse, *Iouianus* eligitur domesticorū primus. Varroniaous comes ordinum, agri Singidonēsis incola in Pannonia liberos vtriusque sexus quum plures sustulisset, mœrore anxius, vt qui sine prole esset, admonitus est per nocturnam quietem vti filium qui nasceretur, Iouianum vocaret: fore vt viueret, & ad purpuram venturus esset. Itaque editum filium Iouianum appellauit; præceptoribusque, quum ætas posceret, erudiēdū dedit. non parum liberalibus artibus profecit, ingenio valde ad omnes disciplinas prompto. Pater militia clarus, notissimus erat: & iam emeritus, secesserat in auitos agros vt quiesceret, & agricolationi incumberet.

IVVIANVS.

Iouianus electus est princeps; & statim antesignani Iouianum clamauerunt. qui in medio, quique postremi erant, opinari Iulianū reuixisse, ingenti lætitia effusi choreas ducebant. quum nouus Imperator purpuratus castra comitantibus primoribus circumiret, & conspectus esset ab ignaris homo incuruus, statura procera, statim lacrymæ obortæ suot: auspicium haud felix præsētis imperij. Reductus in tentorium, de imminenti periculo sermonem fecit, adhibitis tribunis & comitibus. Iostabat totus exercitus deduci in Mesopotamiam. hostes à tergo territabant, quamuis semper victi. Fames in castris erat, & rerum penoria: & quamuis noster exercitus victor esset, rerum difficultatibus, & recenti cæde ducis timebat; adeo vt si hostis irruisset, magnam intulisset cladem. Cœptum est consilio iter. Institere hostes cum elephantis; qui graui nidore terruere equos, opem ferentibus Iouiis & Herculiis Gallis, restiterunt beluæ. Vbi Carras ventum est, infelicitate Crassi nobiles, tanta trepidatio nō fuit. Hinc Duram opidum, hoc in loco quatriduum consumptum est. hinc miles quum abiret, peruenit ad Tigridem iam auctum cælestibus aquis. Metus erat transire. Galli, assueti fluenta perfriugere, ingenti animo ingressi, ad alteram ripam perueniunt; ibique hostes obseruantes ripas, obtruncant. Illos sequuta est cetera turba. Ad hæc venere oratores à Persis Surenas (nomen est dignitatis post regiam) & alij proceres, offerentes conditiones pacis, si non æquas, attamen necessarias. Consultarunt cū Imperatore primates; ictumque est fœdus non sine calamitate Romani imperij. Prouinciæ quinque Transtigritanæ, quas Victor Galerius Maximianus acceperat, restitutæ suot, Afatzamena, Mozena, Zabdicena, Rheumeoa, Garduena: tradita & Singarena, & Nisibis, & pars Mesopotamiæ: non tradita tamen est Ctesiphoo. & ita fines veteres innouari, noo sine magno imperij dispendio. Accessit maior ignominia: vetitus est P.R. Arsaci regi Armeniæ amico ac fido auxiliū coorra Persas ferre: quod nuoquam aotea ad hoc coactus est: visaque est libertas victricium armorum corruisse. Ictum est ignobile fœdus ad annos xxx, & religioso ritu vtriusque gentis confirmatum: exercitus inde in turū perductus est. Iouianus, quū peruenit ad locum (Dadastana vocant) qui diuidit Bithynos à Galatis, assiduo labore longi itineris, aut recenti tectorio, positis ibi prunis mortuus est. Sunt qui scribant incidisse in morbum ex varietate ferculorum; quibus repletum corpus, quod auidissime illic sumebat, concoquere non potuit; & cruditate periisse. Vixit anois xxxiii: imperauit menses septem: à Valentiniano in diuos relatus est.

FL. VAL. VALENTINIANVS AVG.

Post Iouiani mortē, exercit⁹ Nicææ, quæ vrbs caput est Bithyniæ, VALENTINIANVM Gratiani filium, Imperatorē elegit. nam L. Equitius, qoi Illyrico præerat, quoniam absens, præteritus est. Augustus Cæsarem Valentem fratrem tribunum stabuli fecit. Post paulo, Coostantinopolim quum venisset, & in suburbanū concessisset, consensu omnium ipsum Valentem consortem imperij & Augustū prooantiauit. Præerat eo tēpore Romę Rufius Torcius Apronian⁹, literis & reip. moderādis habenis vir clarus & illustris. Procopius, qui genus suum ad Cōstantinum referebat, & paucis suffragationibus purpurā induerat, pœoas cœpti motus dedit. Porro Valens Gotthos, qui Procopio auxilia miserāt, victos Thracia exegit, & Victor magister equitum Atalaticum regem Gruitugorū (bellicosa gens est) vertit in fugam, & pacem dedit. Interea Valentinianus Saxonas Oceani accolas ioter inuias paludes domuit: Alamanos attriuit, & victor ad Oceanū peruenit; Deinde in febrem incidit: qua liberanis, pro concione, exercitu assentiente, alterū ex filiis GRATIANVM, insignibus oroatū, appellauit Augustū: statimq; expostulatus publicarū rerū admonuit, & vrbi Romæ præfecit Orphitum. Picti & Scoti

Getioaniæ

Germaniæ gentes, Britanniá inuaduntːilli, Caledonios & Veturionas occupant;hi,depopulantur insulam. Sarmatæ præsidem quẽ Romanus imperator dederat,expulerunt. Parthi suo consilio qui Armeniam irruperant, occurrente Arintheo legato,abierũt. sic prouincia liberata est. Alia via Sapores rex Persarum rupto fœdere nos tentauit, Ctesiphontem cepit; ibique hiemauit, & Valens Antiochiæ. Ad aquilonẽ inquieta rebellat Germania. Eo missus cum exercitu Theodosius primus magister equitum; cuius prosperi successus similes ferebãtur actis L. Domitij Corbulonis in Armenia sub Nerone, & L. Vetutini sub Traiano. Valentinianus,exacta Treueris hieme,Gallias reuertitur.Post paulo,dum intentius audit legatos Quadorũ,qui latrocinia excusabant,subita ira accensus,incidit in morbum: quo arescentibus venis,quum nil sãguinis emitti posset, mortem obiit. Imperauit annos vndecim,menses octo,dies viginti.Interea Hunni seu Alani,qui sunt Tartari & Nomades Scythę,qui lõge ante à regione trans Tanaim venerant, superato Istro, qui limes erat, vagi Pannonias Epirumq.& Thessaliam,direptis & incensis aliquot vrbibus,grauiter vastauerunt. Maiores nostri,viri boni,non ambitiosi, non cõtentiosi,sine auaritia & luxu,Scythas irruẽtes sępius repulerũt.At vero quum opes in pretio fuere,& mensæ magnis sumptibus paratæ, & maior cibi condiendi quam virtutis cura,Scythis bellatoribus cessimus, grauia vulnera perpessi sumus. Imperatores duo,Decius pater ac filius, non sine magna strage cum Scythis congredientes victi ceciderant post Valens propere ex Antiochia accitus,tantam pestem auertere non potuit:sed magna clade victus,terga dedit, & in fuga vulneratus decidit ex equo: acceptusque in vile tuguriũ, inter fomenta exspirauit. Victor Alanus quum persequeretur, locum armatis sepsit: & quia capere primo impetu non potuit,inscius quod illic Imperator esset,ignem iniecit & absumpsit. Hic fuit Valentis finis: qui modo terror orientis erat, boreali incendio fomentũ præbuit.Hũni Alaniq. & Gotthi, victricibus signis Constantinopolim obsident:persolutaque ingenti vi pecuniæ ab Dominica Augusti vxore Valentis, cœpta reliquerunt. Dum hæc infeliciter ad Aquilonem geruntur, Theodosius pater eius qui postea imperauit Theodosij in Africa *Firmum* noua molientẽ prœlio vicit ac cepit. Et Gratianus Treueris agens fratrem suum *Valentinianum* Iustina matre editum, consulente Merobaude tribuno, titulo Cæsaris Augusti, consortem imperij fecit. Ipsum vero Gratianum otiosum,dum suos negligit,& habitu ac moribus Alanis, quos sibi post obitum patrui conciliauerat,placere studet, *Maximus* ab exercitu nostro dux electus, ex improuiso adoritur, & in Italiam transire properantem dolo circumuenit & occidit: & ab eodem iunior Valentinianus Italia exactus, ad Theodosium qui in oriente res gerebat,concessit: à quo liberaliter exceptus est.

THEODOSIVS.

Theodosius, qui sex ante annos à Gratiano, vt orienti præesset, Olymbrio & Ausonio coss. Augustus pronũtiatus erat, bello ciuili cõmotus, victricibus signis Aquileiam per inuias Alpes raptim contendit:Maximum ibi secure degentem vi cepit & occidit. statimq; Andragasius prefect⁹ classis, & socius Maximi,certior de cęde factus,in mare se præcipitẽ dedit. VALENTINIANVS,in occidentis regnum restitutus,ab Italia in Gallias profectus est: & dum Viennæ negligentius moraretur, fraude *Arbogasti* Alanorum præfecti,noctu in cubiculo strãgulatus:creditus subita aut voluntaria morte obiisse. sic interiit Gratianorum proles:satisque fauenti cælo visum est, vno velut cursu quatuor eam numerasse Augustos, inter quos tertius parum bellicosus,non auo, nõ patri similis, Romæ quũ à palatio ad hortos Sallustianos secederet, dicebat se cõfecisse Parthicã expeditionẽ.Exstincto etiã in Galliis Victore,quẽ pater Maximus ibi copiis præfecerat, illa orbis pars minime quieuit.Arbogastus.n.occulta iouenis morte, *Eugenium* Imperatorem cum exercitu facit: hac scilicet via,sub titulo illius, occidentis regnum inuadere studebat.multis millibus coadunatis, de summa rerum cum Theodosio confligere statuit. Dux noster inuictus,Deo hominibusque acceptus,cum Honorio filio,ingenti animo opus aggressus,hostilia arma,pugnantibus etiam pro eo ventis, qui sponte carceris Æolij cedente obice eruperant,profudit atque deleuit.Eugenius captus pœnas luit:Arbogastus,vt cruciatibus se eximeret, sua manu visus occubuit. Victor ingenti gloria potitus, amplissimo triumpho liberati orbis, subactis vndique domitisque tyrannis,administrationi reipubl.animum adiecit. Filios HONORIVM & ARCADIVM, quos ex Flaccilla susceperat, consortes fecit imperij, & quia nondum ætas matura imperio erat, ductores legit qui adessent, testamentoque sanxit: Rufinum Arcadio adiungit, & Honorio Stiliconem. Ipse interea Mediolani morbo absumptus,Olymbrio iterum & Prino coss. Imperauit annis septemdecim.Genus à Traiano ducere se iactabat:nec ab re.nam moribus,& vultu,& successu rerum similis fuit.Ille labentem remp. in pristinas vires restituit:sub hoc imperium Romanum, quod otio & negligentia trium principum cõsenuerat, dissensione partium dilaceratum,velut reiuuenescẽs lacertos mouit.ille, pacata Europa ad Indos vsq. arma intulit: hic,prius auspiciis atque armis paternis asserta Libya, attrita bellicosa Germanorũ gente, dataque sua virtute toto orienti pace,postremo subactis ardentissimis Gallis, non omissa Britannia,parenti gentium vrbi, Italiæque suæ, victrices aquilas reportauit: subque eo fortunæ simulactum nusquam prætorium mutauit. Arcadius igitur Constantinopoli, Honorius Romæ imperat. Sed quis animorũ recess⁹ intueri potest? Veterem fidem & sanctissimum ius legati, cupido regnandi violauit. Prior *Rufinus* clã missis muneribus, Alarico Gotthorũ regi capere arma cõtra Arcadium persuadet; vt sub eo metu diadema orientis capiti suo imponeret. Re intellecta,à militibus Italicis perniciosus tutor occisus est: caput cum dextra præcisũ, ante ipsas Constantinopolis portas pẽpẽdit, ac spectãtibus ludibrio fuit. *Gaianus* Rufini imitator,auxilio Gotthorum fretus,bellũ ciuile mouit.arrisit ei primo prœlio fortuna; post nauali inter Hellespõtũ & Cherronesũ victus, dũ fugit captus est. Caput eius pilo suffixum,Constãtinopoli spectaculo fuit. Arcadius, quum regnasset annis paulo minus tredecim, decessit,Basso & Philippo coss.relicto filio. THEODOSIO,quẽ antea Cæsarẽ fecerat.cui ex matre Eudoxia & Augusto patre,tres sorores erãt, Flaccilla,Martina,& Pulcheria,quę virginitatem perpe-

tuo seruauit, summa bonitate integritateque & A
sanctitate, religionis obseruantissima cultrix: vir-
gini deiparę nobile templum ædificauit Blacher-
nis; in quo inclusas argenteo tabernaculo pretio-
sas Mariæ vestes, quas è Palæstina suis manibus
tulit, summa cum veneratione posuit. Eudoxia
ante viri obitum tribus annis, morbo soluta est.
Honorio IIII & Eutychiano coss. *Gildo* regnum
Africæ adeptus, Mascezelis fratris filios enecat. Is
Italiam nauigauit, ab Honorio copias accepit,
mirum dictu, cum quinque millibus pugnatorũ B
fraternas copias deleuit ipsiusque Gildonis à fu-
ga tracti velo gulam, quibus mandatum est, fre-
gere. hoc modo Mascezel cædem filiorum vltus
est. Interea *Stilico* secretiore via filio regnum pa-
rat. Mariam Honorio nuptui dat: quæ quum ante
nuptiarum diem obiisset, Thermantiam filiam
alteram despondit: & hæc illius fatum virgo se-
quuta est. Mœstus parens, Euchetium filium Cæ-
sarem visere cupiens, Sueuos VVandalosque & C
Alamanos magna prædæ spe sollicitauit. Illi pro-
perant cum rege Radagasio. numerus fuit ducen-
torum millium. Stilico metum simulat: hostis vr-
bis potiundæ caussa in Italiam irrumpit; occursu
nostrorum subito repellitur: in Etruriam fugit,
ibique victus est. Rex vero à fuga retractus, & in
carcere strangulatus est. Hostes deinde qui super-
fuerunt, quum ad solita loca se recepissent, eligẽ- D
do duci intenti, Alaricum regem salutauere: qui
statim legatos ad Honorium misit, qui agros ad
habitandum peterent. Gallia ab Imperatore con-
cessa est: quo dum pergit cum omni supellectile,
fraude à Stilicone de industria petitus, iter omi-
sit: vltores inuocans deos, quod ius gentium vio-
latum sit, indignatus toto (vt dicitur) impetu, cælo
duce Romam contendit: obstupescentibus cun-
ctis, qua iter faciebat, voto potitus est: pauca ædi-
ficia incendit: non multa onustus præda, sexto die E
egressus est, captiuam abducens Placidiam, Ma-
gni Theodosij filiam; quam in foro Cornelij A-
taulpho propinquo suo vxorem dedit. Ex lectio-
ne historiarum illud compertum habeo, victoriã
semper fore in ea parte quæ iure pugnat. Victo-
res olim Galli, post captam vrbem si à fœda in-
nocentium nobilium cæde abstinuissent, conscẽ-
disse Capitolium Romanis minime profuisset, &
anseris clangor Manlium non excitasset. Capta F
est vrbs anno A. V. C. millesimo CLXIIII. ignomi-
nia potius quam clades illata est. Victor deinde
Alaricus, in Siciliam tranare naufragio vetitus,
dum Consentiæ hiemat, morbo interiit. Milites,
metuentes ludibria effossi cadaueris, alueum Bus-
senti amnis mutauerunt: excauatoque hypogeo,
regis tumulum congestis opibus posuerunt, &
fluuium pristino alueo immiserunt; & præposito
copiis Ataulpho rege, ad vrbem diripiẽdam red-
eunt. Dux vero Ataulphus, moribus vxoris Placi-
diæ lenitus, fœdus cum Romanis percutit: illi in-
dignati, regem dolo sustulerunt. Iamque Stilico- G
nis fraudes in aperto erant. igitur cum filio Ro-
mæ in foro Pacis occisus est: etiam eius factionis
plerique cecidere. Interea in Britannia occiso
Gratiano tyranno, *Constantinus* ptæficitur; pro-
pter nomen dumtaxat ad hoc dignus existimatus.
Is cum exercitu in Gallias nauigauit, & *Constan-
tem* filium Cæsarem ab eo factum, cum patre co-
piarum ad occupandas Hispanias frustra misit.
Quum hoc accepisset Honorius, *Constantium* in-
gentis animi virum, ad liberandas Gallias profi-
cisci iubet. qui Constantinum ad primos impetus
compressit: & filius sortem patris sequutus, à Ge-
rontio Viennæ occiditur. in cuius locum exerci-
tus, homicida cõsultore, *Maximũ* legit: qui, dũ in
Hispania exsultaret, vrgente rerum tenuitate
periit. Exstinctis vndiq. in Galliis Hispaniisque &
Lybia surgentibus tyrannis, suasione Constantij
Placidia ad Honoriũ fratrẽ remittitur. Qua libe-
ralitate, Gotthorũ rex Vuallis pacẽ ab Romano
principe impetrauit. Porro Placidia, iubente Ho-
norio, nupsit claro viro Constantio; quẽ dux Cæ-
sarem & cõsortem imperij simul fecit. ex quibus
nuptiis Rauennæ quinto nonas Quintilis natus
puer est Valẽtinianus, Moria & Plinta coss. Ma-
gno post apparatu Honorius tricennalia celebra-
uit, quæ vouerat pro imperio liberando. Rursus
Scotorum & Pictorum copiæ è Britannia ab le-
gionibus nostris pelluntur: & in Hispania res pro
voto successerunt. Post obitum Constantij Placi-
dia cum filiis Valẽtiniano & Honorio, iussu Au-
gusti pellũtur, & ab Theodosio Arcadij filio, qui
oriẽti præerat, hospitaliter excipiuntur. Post pau-
lo Honoriũ febris inuasit, qua decessit; rebus ge-
rendis dissimilis patri. Nam qui eius acta recẽsẽt,
in quibusdã Magni Constantini F. Constantiũ i-
mitatum fuisse repetiunt. Imperauit annis XXXI.
cum patre II, cum fratre XIII, cũ fratris filio XVI.
Theodosius iunior, audita patrui morte, VALEN-
TINIANVM Cæsarem fecit, & cum matre Romã
misit. aduentus satis *opportunus fuit*. Nam *Ioãnẽ*
factione Castini Imperatorem factum, & Africã
sibi vindicãtem, nouus princeps oppressit. Theo-
dosius Constantinopoli vicennalia edidit, se XVI,
& Festo coss. *Gensericus* rex VVandalorum, ac-
cersitus à *Bonifacio*, qui de Africa tenenda despe-
rauerat, post multorum cædem Carthaginem oc-
cupauit. Ad aquilonem *Belba* & *Atrila* fratres,
Hunnorum reges, Illyricum & Thraciam popu-
lationibus infestando Thermopylas vsque occu-
pauerunt. Omnia Theodosius magna gloria tuta-
tus est, & victor vota tricenalia edidit. Sic erat im-
minentibus periculis consuetudo, vt ludi voue-
rentur; quod triumphalia monimẽta ex marmo-
re, ære, argento, auro, & indicant & testantur, sub
ea figura, VOTIS XX. VOTIS XXX. hoc est, vicena-
libus & tricenalibus: quod etiam indicat annos
imperij.

VALENTINIANVS.

VAlentinianus, in quo magna & non vana
spes asserendi occidentis erat, acclamatio-
ne totius Italiæ Augustus ab Augusto appellatus
est. Aetios ductor Gotthos in Gallia vicit; Burgũ-
dionum regem afflixit: sed in Africa fortuna no-
bis obfuit. VVandali sub Genserico Carthaginẽ
cædibus fœdauerunt: nec contenti, Siciliam in-
uadunt. Theodosius frustra mouit arma, quoniã
pro barbaris victoria stabat. Qui in Britannia e-
rant, quum Scotorum & Pictorum rapinas &
impetus ferre non possent, Anglorum regẽ Ver-
tigomarum ad opem ferendam poposcerunt: se-
cus euenit: Anguli insulã suæ dicionis fecere. Sũt
etiam ij Saxonum Germanorum populi feroces
atque pugnaces; qui adhuc cum Scotis interiectis
limitibus imperant. Valentinianus Constantino-
polim concessit: filiam principis vxorem accepit:
post nuptias Italiã repetiit. Mira res; aliquot annis
quieuit otiés: existimo vt vires resumeret, & forti
insur-

insurgeret. Theodosius, velut longo imperij potentatu afflictus, (imperauit enim annos quadragintaocto) febre solutus est. Attila toto potitus septentrione, orbis imperio inhians, Gotthos qui in Gallia erant, socios accersit. Aetius hæc lũge ante præuidens, missis legatis, Theodericũ regem certo fœdere Romanis coniunxit. Cõueniũt ducum copiæ in Gallia: hinc nostri cum auxiliatibus, illinc Hũni, Gepidæ, Sarmatæ, Scythæ, Sueui, Quadi, Heruli, Vgri, fauentibus etiam regulis quibusdã. pugnatũ est à mane ad vesperã vtrimq; acerrime. itaquã cũ maiore hostiũ numero congressi sumus: nusquã maior cædes obstinatione animorum. nam pugnæ contra Xerxem, & Persarum cõtra Ægyptios, fide carent. prœlium nox diremit. Ceciderunt supra ducenta millia fortissimorum hominum. Nemo loco cessit, vulnera aduerso pectore infixa. nemo iudicium ferre potuit, qui cadauera inspexit, vtra pars ardentius pugnauerit: agebatur enim de toto imperio. Barbari tãdiu regnasse Romanos ægre ferebant: Romani, illos toties impulsos ac victos, insultare non patiebantur. Riuulus qui prope erat, humano sanguine auctus, rapidissimi torrentis instar effluxit. Sed quamuis superiores fuimus, non parua iactura fuit Theoderici cædes: quam eius filius Thorismundus capite Attilæ rependisset, ni Aetius consuluisset ei expedire paternum regnũ defendere; veritus ne profligato Attila impetum in nos conuerteret. sed perniciosum fuit consilium. Attila enim, reparatis in Pannonia viribus, sæuiori animo inuasit Italiam, plerasq; vrbes diripuit, Istriæ, Venetiæque, & togatæ Galliæ, ac Insubrium. Ad eum Leo pontifex maximus legatus venit: salutẽ Italiæ petorans impetrauit. Reuersus in Pannoniam Attila, dum in nouis nuptiis nimis vino indulget, & quieti se dedisset, ferocius stertendo, mero repletum spiritum efflauit. Vitio laborauit Bonosus Imperator, qui congium vini epotabat: quare quum pependit, non hominem pependisse, sed amphoram, in prouerbio fuit. Veteres Græci heroes, vt plenius ingurgitarẽt, (quod hinc existimabant lætitiam fore) magnis cornibus epotabant. vnde scripsit Athenæus cornutum pingi Bacchum. Satiusque est (quod sapientes viri monẽt) vino abstinendum; quod immoderate sumptum, pro veneno est. Aetius vel Maximi figmentis, vel iussu principis qui illius successus metuebat, occisus est. qua de re non longe post Romæ in campo Martio Transtila & Octila, milites Aetij, ipsum Imperatorem consoderunt, consilio (vt ferunt) Maximi: quoniam statim arripuit imperium. qui tertio post mense à populo Romano membratim cæsus. Eudoxia Valentiniani vxor, in vltionem cędis viri, Gensericum ex Africa accersiuit. Ille magno cum exercitu nauigauit: vrbem ingressus, à rapinis non temperauit: vt cuique libitum est, præda abacta; abducta & Eudoxia cum duabus filiis, quarum altera Trasimundo Genserici filio nupsit. At milites auidi prædæ, in Campaniam irrumpunt, Capuam euertunt, vrbes alias diripiunt, onusti præda Libyam repetunt.

FLAVIVS VALERIVS MARCIANVS.

DVm hæc in occidente aguntur, orienti præficitur MARCIANVS, fauente ad imperiũ Pulcheria Arcadij filia; cuius consilio, nondum patefacta populo Theodosij morte, id factum A est. Marcianus humili genere natus, prima stipendia meruit in Lycia. Quum ægrotaret, hospitalitate vsus cuiusdam Tatiani & Iulij, (germani erant) postquam conualuit, animo recreãdo venatũ exiere: fastiditi ardore solis, sub arbuscula quieuerunt. Tatianus prior excitatus cõspexit aquilã supra caput Marciani in aere pendere, quæ pansis alis solis radios arcebat. ille fratrẽ vt videret, excitauit. Vbi somnus abiit, militi quæ viderant aperuerunt; regnum B ex eo portendi nuntiantes. Igitur abeuntem viatico CC argenteorum prosequuti sunt. Hoc idem prodigium ei contigit sub Aspare, dum contra VVandalos militaret: captus cum ceteris captiuis quiescebat. Rex cupidus eos recensendi, vidit aquilam supra caput illius. per eiusmodi imaginem abire iussit, &, si quando euenirer, fœdus cum VVandalis iniret orauit. Seu aquila, seu vultur regnum portendit; talium pro- C digiorum plenæ sunt historiæ. Pulcheria, in eligendo Cæsare princeps, senis Marciani capiti diadema imposuit: & quamuis satis cognitus ordinibus erat, boni ac probati mores eum principatu dignum fecerunt. Ideo magis expedit eligere quã ex hereditate mereri principem. Nouus Imperator statim pro Tatiano & fratre misit: illum Constantinopoli, hunc Illyricis præfecit: cum VVandalis fœdus percussit. Arma nunquam, nisi pro- D uocatus, mouit, quietis amator, quietum orientem habuit. Dicere solebat, donec liceret in pace viuere, non decere principem sumere arma. Romæ populus Rom. cum toto senatu *Auitum* patricium Imperatorem legit: sed non diu vixit. Marcianus, quum præfuisset paulo amplius annis sex, naturæ concessit, vt quidam tradunt, conspiratione Asparis. Qua de caussa post creationem noui principis, quum filius Asparis *Ardaburius* Cæsar esset à Leonte pronuntiatus, populus pa- E trem interfecit cum filio.

FL. VAL. LEON. I.

FActione & suffragiis Asparis LEON dicitur Imperator, & Augustus appellatus: qui post cædem Ardaburij Cęsaris, nepotem ex filia Zenonis filiũ *Leontem* Cæsarem fecit: quidam filium scribunt. Aspar enim ita conuenerat cum Leõte, vt factus imperator, Ardaburiũ eius filium adop- F taret: quod Leon obseruauit. Populus vbi hæc nouit, Ardaburium cum patre interemit. *Anthemium* patricium Cęsarem pronuntiauit, Romamque misit, eique imperium occidentis tradidit: quod *Maiorianus*, mortuo Auito, sibi vendicauerat. Is V anno necatus, Degalaipho & Seueriano coss. Sed Rauennæ *Seuerus* imperium arripuit. Qui superato Blorgo rege Alanorum, lauream meruit: III anno occubuit. Quidam tradũt Anthemium factum imper. post mortem Seueri. vtcum- G que res conuenit, (nam ante Marcianum res cœpta est) Anthemius cum genero suo Ricimere à Gotthis oriundo diu certauit. Et quum vtriusque copię paratę essent, & per factiones diuisa vrbs & Italia esset, Leon è Constantinopoli *Olymbriũ* misit, purpura indutũ, qui viuenti Anthemio regnũ auferret. Res non ita successit: quoniam Ricimer ad Ælium pontem, superatis auxiliaribus Gallis, cum Bilimere Anthemium gladio transfodit. Ciuium Rom. bona data sunt prædæ: exhausisset etiam viscera, ni cœliacus dolor hominem exstinxisset. Olymbrius sine controuersia succedens,

vii post mense decessit. Iam Basiliscus Gensericũ redeuntem in Italiã prœlio vicerat. Rauennæ exercitus *Glycerium* Imp. salutat: & à *Nepote* (sic erat illi nomen) sororis filio regno pellitur. Interea Basilisc' Zenonis (quipostea imperauit) gener, ingenti gloria victor, magni nominis fuit. Nepos ab *Oreste* pulsus, Salonis (nomen villæ in agro Rom.) cæsus est. Orestem *Odoacer* Gotthorũ rex superauit, & Placentiã misit, iussitq; interfici: & Orestæ filiũ *Augustulũ* iam Romæ imperantẽ exsilio damnauit. exulauit in Lucullano Cãpaniæ. Scribunt alij hũc, ne caperetur à Gotthis, sponte imperium reliquisse. In eo sanctissimũ Augustorum cognomen defecisse memoratur: etsi Iustinianus postea iura vindicauit, neminem purpura & diademate insignitũ ipse, & alij qui sequuti sũt principes, occidenti præfecerunt: *Gotthi* ab Augustulo ad Iustinianũ regnum tenuere. Mira res; nequid integrum maneret, defecit cognomẽ Augustorum in vno cos. Basilio, quum consulatus antea duo fuissent: quod scilicet fore portẽdit vrbis Rom. excidium. Hæc sunt Tite Arunti, quæ ante aliquot secula prædixisti ex Romuli vulturibus; vtrum confusus fuisset numerus, nequis tutelam vinciendo, iacturam peroraret. Matheseos peritus homo inuenit rem sacerdotum vitio turbatam, nec claui in pariete Mineruæ tam liquido constitere, nec annales sub titulo consulum tenere numerum potuerunt. Odoacer igitur tyrannus Romæ, in tota Italia xiiii regnauit annos: cogitauit de vrbe transferenda, & noua colonia deducenda, vt ab suo nomine vrbem appellaret Odoacriam. Primus exterarum nationum quietus per x annos possessor, postea infelicem regno ac vitæ finem dedit. At Leon in oriente xvi præfuit annos: Leon secundus, præfuit annum: vterque morum, non belli studiosus. Eodem anno quo Roma capta est, equestris Theodosij Magni statua posita in foro Tauri supra cochlidem columnam sponte corruit.

FL. VAL. ZENON.

ZEnonem Leon secundus sua manu coronauit. Fuit Zenon ex Isauris Ciliciæ, humilibus parentibus natus, humili & incognita villa, nõ minus vultu quã moribus deformis. imperauit non vt augustus, sed vt tyrannus, sub eo *Ilus* (quid non audet fortuna?) è suis gentibus mutilatis auribus vna cum Leontio in oriente ciuilẽ motum fecere. Theodericus rex Ostrogotthorũ mire à Zenone diligebatur: ab eo factus consul, collega Venantij, impetrauit ab Augusto Italiã, si Odoacrẽ superasset. Cui Zenõ assẽsus est, commẽdauitq; ei vrbẽ Romã populumque Romanum. Theodericus cum exercitu per Illyrios Italiam petiit; occurrentem Odoacrem prœlio vicit & fugauit. Fugiens intra mœnia vrbis, non admissus, citissime Rauennam contendit: triennium ibi obsessus, tandem captus in cœna iussu victoris crudeliter excarnificatus. Victor ingenti lætitia ac plausu ab obuio senatu populoq; Rom. exceptus, plurimumque dilectus, quod gratuita liberalitate caritatem annonæ fugauit: (hoc scilicet imperij conseruandi salubre fomentum) multaque ædificia vrbis instaurauit: &, si ab sanguine quorũdã senatorũ abstinuisset, nemo fuisset Theoderico acceptior. An. ii. Zenonis imperij, *Basiliscus* à sorore, quæ Augusta erat, quia Imperator aberat, in regali solio positus, Marcum filium Cæsarem fecit. Rediens è Syria Zenon, ius suum repetens, in Cappadocia Basiliscum cum filio relegauit: qui Lemnis (nomẽ opidi est) fame consumpti sunt. Præfuit Zenon annis septendecim.

FL. VAL. ANASTASIVS.

ANASTASIVS DICORVS magno consensu princeps electus, statim donatiuum militibus dedit: legatos Indorum cum muneribus venientes, placidissime audiuit. A mari ad Selymbriã longum murum duxit, ne incursiones Mysorum, Bulgarorum & Scytharum, quum fierent, obesse possẽt. Statuam æneam equestrem inauratam sui nominis ac tituli supra columnam fori Tauri posuit: laudabilius si illam Theodosij Magni restituisset. *Athenodorus* tyrannus in Cilicia pœnas luit: cuius caput Isauricus miles veruto affixum ante portas Tarsi tulit: ibique relictũ aruit. Priscus Antiochiæ, quæ est Ciliciæ, *Longinum Selymantheum* cepit, & vinctum catenis ad Anastasiũ misit. cuius iussu Nicęę Bythinię, tãquam fera dilaniatus est. Et *Hunni* non contenti Armenorum spoliis, Cappadociam vastauerunt, & vsque Lycaoniam vrbes diripuerunt. Ad aquilonem vero *Vitalianus* magister militiæ grauem fecit motũ, & vt quiesceret, nongenta pondo auri ab Imperatore accepit. *Getæ* Macedoniam, Tessaliam, Epirum diripuerũt, multos fecere captiuos: pro quibus redimendis quum aurum misisset Anastasius, & non sufficeret hostium votis, barbari captiuos aut in domibus suffocarunt, aut pro mœnibus in conspectu multitudinis trucidarunt. Anastasius, vt credibile est, malo genio actus, in diuinis præcepit non trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse. Hinc ciuiles motus adeo creuere, vt nisi simulasset se mutasse mentem, imperio priuatus dedisset pœnas. Sed *cælestem iram quis vitat?* ictus fulmine occidit. Marcellinus tamen tradit, eum natũ supra annos LXXX, subita morte occubuisse. Imperauit annos xxiiii, menses ii, dies xxix.

FL. VAL. IVSTINVS.

IVstinus Trax sine imaginibus, sine tribu, vtroque parẽte ignobilis, a teneris annis suum custos, deinde boum, post lignarij cuiusdam minister, natus annos xvi. militare cœpit. prõptus manu & doctus hostem ferire, sortem mutauit, princeps ordinis fuit: & hinc promotus, comes factus est. Mortuo Anastasio ad eum Amantius spado, libertus superioris Augusti ditissimus, venit, magnam vim pecuniarum secum ferens; orauitque vt in toto exercitu ductoribus & militibus partiretur, & ipse acciperet quantum vellet, promitteret donatiuũ per singula capita, & lõge maius quã priores fecerunt, si *Theocritianum* Imperatorẽ legissent. pecunia satis integre soluta est, nõ ad votũ Amantij, sed Iustini, qui pro se suffragia caute emit. Itaq. quum princeps eligeretur, nemine discrepante Iustinus pronuntiatus est: quẽ curuli acceptũ sella, diademate ornatũ, adorauerũt omnes. Amantius & Theocritianus, & Andreas minister à cubiculo, insidias principi parauerũt, ea de causa è medio sublati sunt. In occidẽte Theodericus xxx. mil. Gallorum prœlio cecidit. Ioannem pontificem max. Romę carcere consumpsit. Inde subita morte occubuit; regnumque Atalarico ex

filia

A filia nepoti tradidit. In oriente Iustinus sororis suæ filium Iustinianum consulem fecit cum Valerio collega: qui consulatus contra legem Marciani, adeo insignis fuit ludis atque muneribus, vt facile priores superauerit. Viginti leones iubatos, & triginta pardos exhibuit, aliasque innumerabiles feras. Item gladiatores & scenas circenses que, & magna aurigarum præmia; in quibus vltima tantum mappa populo propter factiones denegata est. Anno imperij eius nono calend. Aprilis, B Iustinianum adoptauit, consortem imperij fecit, quarto post mense decessit. Imperauit annos nouem, menses duos, Mauortio consule.

FL. VAL. IVSTINIANVS.

Iustinianus reparādo imperio animū admonuit. *Persas*, qui trāsgressis limitibus Mesopotamiā, Cœlesyriam Syriamque prædari sunt, Belisarius C legatus ab Augusto missus, prœlio fudit fugauitque: trans Euphraten abire coegit; veteres firmauit limites: iura imperij toto orienti asseruit: cum victoria redeuntem & aureo curru triumphantem, Iustinianus magna lætitia excepit. Idemque dux triumpho insignis, & rebus gestis clarus, recuperata Africa, *Gelimerem* Vvandalorum regem vinctum catenis Constantinopolim misit: Carthaginem firmius quam antea restituit. Trium- D phus maior ac pretiosior Persico fuit. Præferebātur puluinaria ornata auro ac gemmis, signa militaria, tapetes, mensæ, pocula, vestes pretiosæ, pepla, regiaq. supellex distincta auro, lapillis & margaritis; septē magna vasa plena auro, & vasa quædam è gemmis. Quid gratius præberi oculis potuit quam captiuum intueri regem cum vxore & regia familia? Quum ad conspectum Imperatoris ventum est, iussusque est rex adorare principem, E ferunt eum pleno ore semper risisse: Existimabāt ingenti dolore perculsum, mente captum esse: illumque dixisse, *se ridere fortunæ humanæ vicissitudines*: vt qui modo rex fuisset, iam seruiret. Eadem sententia fuisse Æmilij Pauli memoratur, quum post captum Persen Macedoniæ regem, de mutabilitate fortunæ nō sine lacrymis disseruisset. Cōsul factus Belisarius (quæ dignitas prima post Imperatorem erat) è Sicilia in Africam rediit, rebel- F lātes compressit. Solomoni præsidi partē inuictarum copiarum reliquit. At vero in Italia Atalarico defuncto, qui regnauit annos IIII. successit *Theudatus*. qui quum suspectus esset, in loco qui dicitur Quinctus, tumultu militari occisus est. Opinio fuit *Vitigitem*, qui statim regnum accepit, auctorem cædis fuisse. Belisarius cum victore exercitu, iussu principis in Italiam nauigauit. Neapolim resistentem vi cepit: sæuitumque est sine sexus, ætatis, & sacerdotij discrimine. Romam quū venisset, pauidi Gotthi Rauennam profugerunt. Vitigitis, coadunatis innumerabilibus co- G piis, Romam contendit, obsidet: nihil quum proficeret, suburbana omnia incendit. Ita Belisario acriter defendente, vrbs non capta est: post annū Vitigitis re infecta, Rauennam reuersus. Deinde, quod vix credibile esset, Belisarius cum parua manu cum tanta multitudine conflixit: profligatoq. hoste, Vitigitem fugauit. Captus à Ioanne magistro militiæ, Romam ductus est, & inde à Belisario Constantinopolim. Iustinianus, regij nominis memor, ne sine dignitate viueret. Persico limiti in ripa Euphratis hominem præposuit, vbi sequētibus annis diē obiit. Dū hæc in Italia geruntur, Gotthi in Africa duce *Gundorico* rebellarunt. Belisarius rem sedauit, cæso auctore qui dux erat. Gotthi Circumpadani, *Hildebrandum* regem creant, cui post paulo interfecto substituitur *Varius*: qui vix annum præfuit; & cæsus est. Eius locum, asserentibus copiis, accepit *Badula* cognominatus *Totila*: quo ductore Gotthi populationibus & incendiis totam Italiam infestam reddiderūt. Aueratium pont. Ausinatum, legatum ad Imratorē misere, vt eis liceret vrbē & Italiā tenere, quemadmodū maiores eorum tenuerant. Quibus respondit Iustinianus, res Italicas commisisse Belisario & Ioanni; cū illis agerent. Gotthi intellexerunt sibi armis decernendū fore: itaque sine spe veniæ ac pacis, omnia rapinis, cædibus, incendiis, ruinis, antequam Belisarius rediret, ingenti miseratione fœdarunt. Vrbē Romā proditione Isaurici militis XVI. calend. Ian. porta Cælimontana ingressi, imperio potiri sunt: nec eo contenti, bona diripiunt: mœnia bona ex parte solo æquant, domos aliquot igni absumunt: incolas oēs cuiusque gradus atq; ordinis, rex potissimū Totila ab vrbe abire præcepit; ducturus alio in loco coloniam. Multitudo omnis in propinquas vrbes se recepit. sine habitatorib. vrbs relicta est; mansitq. in ea solitudine amplius XL. diebus. Hæc sunt tua monimenta parens Romule: hæc est illa æterna vrbs, terrarum dea gētiumq. Roma, cui par est nihil & nihil secundū: quæ vndiq. pene victo orbe aduectos triūphos recepit: cuius imperiū occidentis, oceano & Trāstigritanis regnis terminatū. Tu ne illa Roma ad quā quot sunt sub cælo gentes, conuenire ius erat; quę innumerabiles colonias emisisti? sed iā ciuili intestinoq. odio eo lapsa es, vt honorificentior haberetis, si nomen tuū tantūmodo exstaret; quoniam dissensione partium, & assidua vastatione Romani agri, ita à tuis præsertim dilauiata es, vt exactam vetere pomœrio, mutilatamque in campo vix consistentem, nostra ætas non sine lacrymis conspiciat. Auget præterea dolorem, quod qui præsunt, licet velint, adiumentū tamen ferre non possunt. Interea Belisarius morbo liberatus, silentio & ruina squalidam vrbem, & graui dolore depasti incēdij fœtidam, ingressus est. Ferunt incendium surgentibus flammis XIII. dies emicuisse. Dux cautus mœnia raptim reparauit lignis & ruinis; ciues redire iussit; quorum maior pars etiam non vocata reuersa est: sed non omnia ædificia in cineres ierant; quæ magno redeuntibus adiumento fuere. Verumtamen regiones tres, porta Capena, Piscina publica, & Auentinus, adeo consumptæ vt neque tunc neque postea restitui potuerint. Totila, accepto huius rei nuntio, cum infesto exercitu ad euertendam vrbem rediit: sed repulsus, Æmiliam petiit. Et, si Belisarius persequutus esset, Gotthicæ victoriæ laudem Narseti ademisset. Belisarium à rebus Italicis fama belli Gallici reuocauit. Germanus patricius Augusti patruelis, contra Gotthos missus, in Illyria morbo occubuit. itaq. Italicæ expeditioni pręficitur Narses. In Africa Artabanes *Stozam* tyrānum prœlio vicit ac cepit: dūque Cisalpinæ Galliæ Totilas auxilium præstat, à Lōgobardis occisus est. Deinde Gotthi, audito Narsetis aduētu, obsides Romanos quos secum habebāt, ad vnum interfecere omnes. Narses deinde cum Gotthis magno prœlio conflixit; & felici vsus victoria, omnes pene deleuit. Etiā rex ipse, ne superstes dede-

cori eſſet, gladio pugnando transfixus vna inte-
riit. Ob victoriam ludi editi:& in circenſibus ex
factione praſinorũ & venetorum tanta ſeditio ex
certamine orta eſt, vt magnam fecerit cędem. Ta-
le ſpectaculum aurigæ præbent, & inanis ſpectã-
tium fauor nũquam quieſcit. ſic ruſſati, albati, ve-
neti, & praſini, mappas in circo quærunt: ſed vl-
tima fere ſemper in ambiguo eſt: ſic pro vili pan-
no, miſerorum mortaliũ animi, huc illuc diſtra-
cti pendent. Princeps tandẽ affectus morbo, Iuſti-
num ex filia nepotem conſortem imperij fecit,
caputque diademate exornauit, fortunæque fauẽ-
tis ſignum in cubiculum illius transferri iuſſit.
ingraueſcente morbo non ſanus mente deceſſit.
Imperauit annis triginta nouem.

FL. VAL. IVSTINVS II.

IVſtinus patre Illyrico, matre Auguſti filia, à
teneris annis non vt nepos, ſed vt filius in aula
principis educatus, magno in honore habitus eſt:
natura facili, & ad omnia dexteriore. Ab initio
principatus, orante Sophia eius vxore, æs alienũ
ſoluit: tãta liberalitate vſus, animos ciuium ſimul
& militum coniunctiſſimos habuit. Cum Perſis
ſolutis induciis pacem fecit. Narſes poſt Gothi-
cam victoriam tenuit Italiã annis XVI. accuſatus
à quibuſdã ſeditioſis ciuibus apud Iuſtinũ quod
nimis auſterus ac ſæuus in iudiciis eſſet, per lite-
ram ſe expurgauit. Sophia, vt hominem irrideret,
ad eum ſcripſit, vt ad penſa, muliebre opus, redi-
ret: eunuchus enim erat. Ille indignatus, ſollicita-
uit *Longobardos*, qui in Pannonia erant, quorum
auxilio delendis Gotthis vſus fuerat, vti Italiã oc-
cuparẽt. Natio fuit Germanica; quæ ex Cimbrica
peninſula ad quęrendas ſedes profecta erat, & nõ
ſtatim cœpit arma. fere triennio poſt, cum vxori-
bus & liberis, & omni ſupellectile, Italiam pe-
tierunt. numerus fuit CC. millium. ſub rege *Al-
buino* ſubactam ac domitam Italiam in potenta-
tus diuiſere. tenuerunt an. CCIIII. Illo tempore *V-
gri*, glacialis Oceani accolæ, quærendo ſedes, Pan-
nonias ingreſſi, ibi commorati ſunt: quam adhuc
pacifice tenent: rebus bellicis ita clari, vt nulli fe-
rociſſimarum gentium cedant. Iuſtinus, quum
grauiter dolore pedum laboraret, obiit. Tiberius,
quem ante adoptauerat, ei ſucceſſit.

TIBERIVS.

TIberio pax erat cum Longobardis; qui ſe pa-
ratos fore ad omnia principis mandata, per
legatos fuerant polliciti. regẽ ſibi creauerunt *Cle-
phen.* qui quum à ſuorum ſanguine etiam nõ ab-
ſtineret, in inſidias lapſus, cædi meruit. quo cæſo;
Longobardi XXX. duces legere, qui Italiam rege-
rent: quæ à Samnitibus ad Alpes, præter vrbem
Rom. & portum, dicionis eorum erat. Tiberius
in oriente *Perſas* ſepe profligatos intra ſuos fines
compulit, recepta Meſopotamia. *Longobardi*, ru-
pto cum Imperatore fœdere, vrbem Rom. graui
obſidione premunt: ſed eos multitudo deciden-
tium imbrium à mœnibus repulit. Qui, exiſti-
mantes ſacrũ quoddam violari, magno ſilẽtio eo
animo conceſſerunt, amplius cum hoſtilibus ar-
mis non redituri. Sequuta eſt imbres longa ſicci-
tas; & inde caritate annonæ laboratum eſt. Tibe-
rius Mauriciũ generũ ſuum adoptauit. Tiberij fe-
A licitas multi nominis fuiſſet, ſi res in occidente
vt in oriente ei ſucceſſiſſent. Imperauit annis VII.
Mauricium generum ſuum conſortem imperij
fecit; qui ſucceſſit.

MAVRICIVS.

MAuricius gerendis rebus in initio felix, Ar-
menos & Perſas per legatos fudit; Mœſia
Scytas repulit. In Italia Longobardos repreſſit.
Deinde auſpiciis Theodoſij filij ſui & Germani
B ſoceri, victos Hunnos Pannoniiſque exactos ad
ſolitudines fugauit; & *Chaganum* afflixit illorum
ducem. *Romanus* quidam patricius, non abnuente
Auguſto, cum Longobardis ſæpius pugnauit; &
victor, primus *Italiæ exarchus* factus eſt. Felix eſt
qui victoriam aſſequutus, temperare ſe didicerit.
Romanus Græcis munditiis nutritus, ad delicias
animum flexit, ſimulque ad rapinas. Mauricius
vero vetuit: cuius mens (quia pax erat) cumulandis
C theſauris accenſa, finem non inueniebat. ea de
cauſſa tenax factus; ſtipendia aut rara aut nulla da-
bat: factaque contra eum conſpiratio eſt ab exer-
citu qui Sarmatico limiti præpoſitus erat: cuius
dux *Phocas.* Rumor ad Auguſtum peruenit; qui
Philippicum generum acceriri iubet: cui aperuit
quomodo per nocturnam quietem bis terue ad-
monitus erat, vti cum tota familia à Phoca præ-
caueret. Philippicus admirans, dixit ſe noſcere
D hominem, qui tale facinus non auderet, quum ni-
mis timidus eſſet, improbus tamen. *Propter id,*
(inquit Mauricius) *mihi cauendum eſt: nam qui ti-
midi ſunt, poſtquam ſcelera ineunt, parcere neſciunt,
& ſæuius agũt. cogitemus igitur ne res eueniat.* Tum
Philippicus; *Liberalitate opus eſt: ea ſola milites et-
iam irati ſedantur.* Mauricius ſurdis auribus au-
diebat; aut cogitabat inferos pecunia placare, ne
acciperent admitterentque, aut ne priuatus vt an-
tea inter notarios lateret: notarius enim fuerat, &
E ob diligentiam à Iuſtino præfectus vigilum fa-
ctus, inde Tiberij gener, poſt Auguſtus. Longe a-
uarius quam ante, omnia negotia principis age-
bãtur, vt opinor, ob fatorum neceſſitatem. Quum
milites id amplius ferre non poſſent, præſertim
qui contra imperum Scytharum poſiti erant, loco
ſterili ac difficili, & gelu horrido, coniurauere in
caput Mauricij. ſed quum ad opus ventum eſt,
Chalcedone tota domus fere cum principe cæſa
eſt: quod ei non contigiſſet, ſi non fraudaſſet mili-
F tes ſtipendio; ſi, vt decebat, vixiſſet. Ferunt enim,
nihil eſſe in eo qui imperat, auaritia deteſtabilius:
fœdum crimen eſt, & parens omnium malorum.
Hinc rapinæ, hinc cædes, hinc dominandi cupido
ortum habuere. Hæc in Pertinacem, cetera virum
integrum ac ſanctum, milites armauit: contra, li-
beralitas Alexandro Magno imperium propaga-
uit. Vtinam Maurici aut Iuſtinum aut ſocerum
tuum imitari didiciſſes. ab illo Iuſtino æs alienum
perſolutum eſt: hic Tiberius, cum vxore Anaſtaſia,
G placido certamine indigentibus largas opes de-
dit: ſed tu, veluti fato concederes, theſauris in-
hiãdo gladio iugulum præbuiſti. Imperauit Mau-
ricius annis XX.

PHOCAS.

PHocas ab ſcelerato exercitu, cuius dux erat,
Imperator lectus eſt. qui pene Mauricij obli-
tus, nec tanta cæde edoctus, auariſſime tributa exi-
genda mandauit: tenacius priore aurum ſeruans,
ſecreto cum ſuis aulicis Perſico more omnia diſ-
ponens:

A ponens: & hi legatos audiebant, iudicia pendebant, magistratus dabant: quo in eo qui imperat, miserius & deterius nihil est. Palatini enim fumi grauiter lædere solent. Gratiores apud eum erant qoi inexplebili rapacitate populos vexabant. Stipendia numquam negauit: quæ tameo parcissime dabat. Vnum porro sanxit quod laudem meruit, hoc est, vrbem Romam totius salutatis vitæ capor esse, quum antea propter sedem principis, Constantinopolis haberetur. B Desidia & ignauia Imperatoris, Romanorum hostes potentiores facti, occidentis diœcesi Germanias cum insulis, Gallias, Hispanias, & bonam partem Italiæ, Pannoniasque & Mœsiam abstulerant, & magnam partem Africæ: orientis vero, Iberos, Armenias, Arabas, & hinc Dardanos, & mediterranea Macedoniæ & Thraciæ. Chaganus Thrax, Hunnorum rex, modo huc, modo illuc vndique discurrebat. Mesopotamiam, Assyriam, Persæ occupauerant: C Ægyptum Saraceni vastauerant. Prò dedecus, nostræ vires adeo defecerant per luxum ac libidinem, vt imperium Romanum solo tantum nomine constaret. Res enim publ. vindices non habebat. Magnam spem in initio præbuit de se Phocas, quod homo militaris: sed omnes fefellit opinio. Itaque ex omni parte reges soluti metu, irruebant. eoque ventum est vt aut nomeo imperij deleretur, aut Phocas occumberet. Erat acceptus Imperatori Priscus Patricius gener Heraclonæ: huius filius Heraclius pro prætore Africam D administrabat. Ij tres de Imperatore occidendo cooiurationem inierunt. Heraclonas, quia magister militiæ erat io Thracia, velut defensurus regionem & propulsurus barbaros, exercitum coegit: Heraclius ex Africa Constantinopolim veneraт, oe pater defectionis suspicionem faceret. Conueoiunt statuto tempore: fit de industria tumultus: dum milites prætoriani accurrunt, coniurati principem obtruncant. Milites primum Heraclium Imperatorem Cæs. Augustum pronuntiant. E populus deiode & senatus ingenti acclamatione probauit.

HERACLIVS.

HEraclij Sergius, Constantinopolitanus pontifex, caput diademate cinxit: eademque die Fabiam Eudoxiam duxit vxorem: simulque & sacratissimæ coronę & nuptiarum pompa celebrata est. F Totum orientem vastauerant Persæ, & legiones sæpius reparatas, sæpius deleuerant. Hinc Scythæ & Auari Europam diripuerant, & Rom. milites interfecerant: paucissimi in tot cædibus superetaut ex bis qui militauerant sub Mauricio & Phoca, vix crediderim quod quidam scribunt, duos tantum superfuisse. Ambiguus erat Heraclius, Europamne an Africam vindicaret. Crispú Cappadociæ præfecit. Fœdus cum Chagano ante Longum murum Anastasij percussit: cum Longobardis induciæ noodum exierant: G Africam firma præsidia tuebantur. Itaque tota mole ad orientem liberádum conuersus est. Priusquam bellum gereret, legatos misit ad Chosroen, vt à vastatione vrbium & Romanorum cæde cessaret, vtque iam satur humano sanguine, rediret in Persida. Deinde frustra orauit inducias. Ille, cui animus omnia perdendi erat, bis legatos contempsit: tamdem spretis conditionibus pacis, superbe & contumeliose respondit, se oumquam cum Romanis quieturum, nisi postposita & abnegata Iesu Nazareni crucifixi religione, Mithram, hoc est Solem, qui vnicus est Deus, adorarent. Imperator indignatus, desperata pace, expeditionem quam cœperat, parauit: acrem delectum vndique haberi iussit: nouas legiones scripsit. nam veteres occiderant. & priusquam ad bellum duceret, exercuit, vt solet de tironibus fieri: ad liberandum orientem pergit. Chosroes factus de bello certior, Palæstinam Iudæamque diripuit: Hierosolymas, post longam Christianorum occidionem, exhaustis omnibus & omni supellectile, consumpsit: lignum saluriferæ crucis, vna cum sanctissimo vrbis episcopo, in auita regna ferri iussit: Ostanem satrapam cum valido exercitu, contra venientem Heraclium misit. Res primum leuibus prœliis tentata est: deinde totis viribus pugnatum est. Persæ victi terga dedere: cæsa sunt hostiũ supra triginta millia. Ostanes fugit: Saraces & Sarabasses duces cecidere. Nec tanta cæde vlti sumus. iamque iterum ac tertio victores, deleto ac cæso supplemento longe maiore, cum duce Saic & Razetene in viscera Persidis superato Tigride penetrauimus, sæuitumque est non modo in homines, verum in vrbium direptiones: nec temperatum est à profanis hostium templis. qua strage nostra vulnera recompensauimus. Secundo & tertio prœlio, cælesti auxilio vsi, victoriam assequuti sumus: sed tertius ille congressus, cæsis multis millibus, finem bello Persico fecit. Chosroes, desperatis rebus, Ctesiphontem aufugit: vbi à Siroe filio interfectus est, quod pater Medarsæ filio alteri, sed natu minori, regnum tradiderat. quare & hic cecidit vxoresque. Negotio perfecto, Siroes ablatas opes quas reperit, captiuosque Romanis, & lignum vitæ restituit Heraclio, & primus ipse de morte patris ac fratris scripsit ad principem. Paxque ei data est iis conditionibus, vt limes Persici ac Romani imperij Tigris esset, atque Persæ Mesopotamiam non attentarent. Tertiæ pugnæ dies fastis Rom. adscriptus, adbuc magnæ venerationis est. Exercitus victor & laureatus, onustus ferculis atque tropæis, magna lætitia & ingenti gloria Constantinopolim redit. Dux purpuratus, aureo inuectus curru, non lauream manu, sed lignum crucis tenens, se lætantibus populis spectandum præbuit. Gratum & salutiferum spectaculũ, occurrentibus sacerdotibus regio ornatu insignibus pompaque admirabili, præeunte pontifice in sacratissimo templo positum est. Maior bic certe triumphus quam qui de Gilemere victo & Africa recuperata habitus est. Imperauit Heraclius annis XXXI. ferunt hydropisi occubuisse: alij scribunt nouo cladis genere, testium folliculo sursum verso, simul cum virili membro, & semper teoto, adeo vt quoties meieret, nisi tabula vmbilico admota prohibeote, vultum lotio sparsisset. Existimant ob illicitas nuptias accidisse. Lapsus etiam fertur io hæresim Monothelitarum.

MAGMED.

HVius tempore prodisse in lucem MAGMED memoriæ proditum est, obscuris genitum in Arabia parentibos, captumque ab Scenitis, (Numidarum more viuunt) & mox venditum. Abdimoneples Ismaeliticі generis emit, locuples mercator: qui non vt seruum, sed liberũm loco educauit. Forma puerum conciliabat. Quum ado-

leuisset, mercimoniis præposuit. Qui dexteritate ingenij quum valeret, commercio vsus Christianorum Iudæorumque & aliorum, & lucro augendo diligens, primum domino gratus, inde in notitiam plurimorum venit. Erat tum in Arabia *Sergius* monachus. Eo enim è Byzantio fugerat, scelestæ opinionis pœnas metuens: inque domum Abdimoneplis consuetudine diuertebat, Magmedi plurimum fauens: nactusque iuuenis facilitatem atque promptitudinem, in diuersa haud difficulter deduxit. Interea herus moritur sine liberis. vxor vidua, dum virum quæreret, & esset quinquagenaria, dumque haberet validum annis iuuenem, domesticis nuptiis vsa traditur, Sergio (vti ego existimo) persuadente. Iuuenis, magicæ vanitatis non expers, potens pollensque carmine, intra paucos dies muliebri menti mirum de se studium immiscuit; adeo vt illa nimio ardore deperiret. Corripiebatur Magmed comitiali morbo. quod vbi vxor animaduertit, ægre ferens, rogauit quidnam rei esset. Tum ille, monitis Sergij, *Desine mirari*, inquit: *morbus abest: sed conspectum cælestis nuntij ad me Dei iussu venientis, ferre quum nequeam, mens & membra obstupescunt.* Idemque contingere omnibus prophetis narrabat, se quoque Prophetam esse dictitans. Vana spe elusa fœmina, fidem præstitit: & quem modo amabat, obseruare simul & colere cœpit. In ea persuasione quum diem obisset, heredem virum toto (vt aiunt) asse scripsit. Iis opibus fretus, palam de se loquebatur. Multi assentiebantur, præsertim fœminæ, inter quas antea gloriabunda vxor, nomen laudesque mariti & cælestium congressus disseminauerat: siqui vero repugnarent. cogebantur armis: breuique sermone & metu exercitum satis amplum coegit. Negligentia Cæsaris Augusti animos præbuit, qui exiguis copiis primos illos conatus effringere potuit. Neglectus ignis paulatim augescens, quum fomes suppetit, absumit omnia: desidiaque nostrorum, perniciosa tabes creuit, cui fomentum medicæ manus adhibere nequeunt. Arabes primi defecere, proximæ deinde regiones, ipsaque inuaditur Syria: in qua ferax Damascus vi expugnata, viuentis Phylarchi & templum & diuinos honores princeps inspexit. Pugnasse postea fertur cum Persis, & partem copiarum amisisse; redijsseque ad suos Arabas, copiasque suppleuisse Scenitis, manu tum bello validissima, & rebus gestis clara: quæ indignata ob negata stipendia fraude quæstorum & Romani ducis tenacitate, Magmedi hæsit: & tunc defecisse prouincias quidam scribunt. Scriptor haud ignobilis, qui paulo post illa tempora fuit, tradit Magmed cum plerisque assectarum cohortibus Syriam intrasse, & per legatos petiisse ab Heraclio regiones ad incolendum, atque impetrasse: & ingentem illum, numerum, quum alimenta deessent, direptionibus agrorum villarumque & vrbium quæsiuisse. Adi-

A ciunt post rapinas reuersum eum ad antiquas sedes, aperuisseque leges, & fuisse legislatorem: tandem natum annos quadraginta veneno interiisse; quod affines dominorum ad quos hereditas spectabat, parauisse ferunt, & clam cibis immiscuisse. Eo sublato, Ismaelitica gens, quod abducere didicerat, ferre palam deterrita non est. Tota fere, quæ antea cœperat, cessit Aphrica, sed oræ mediterranei maris longe serius. Demum desidia Ro-
B manorum principum, eo superstitio creuit, vt magnitudine eius atque armis perterritus oriens, & bona pars Europæ, non sine clade & nostra ignominia desciuerit.

DE PROGENIE HERACLII.

HEraclius ex Fabia Eudoxia vxore suscepit Epiphaniam & Heraclium, qui *Constantinus Nouus* appellatus est: quem ab ineunte ætate sa-
C cro diademate adornauit pater. Defunctæ Fabiæ funus quum efferretur, puella forte quadam spuit per fenestram contigitque tetigisse elatum cadauer: nulla facta mora, comprehensa, & rogo Fabiæ posita, viua exusta. Duxit postea Martinam filiam fratris, lata lege vt idem omnibus liceret: ex qua genuit Heraclonam. Successit primum patri Constantinus Nouus: qui regnum à patre accepit, non malum fidei dogma. Nondum annum imperans, à nouerca veneno sublatus est. Arripuit imperium
D Martina cum Heraclona, qui natus erat annos decem: & ij conspiratione senatus ante biennium capti, & in exsilium Cappadociam missi. Mulieri linguam præcidunt, ne oratione, qua plurimum valebat, populos commoueret: puero absciderunt nasum, ne decor aut gratia in vultu miserationem facerent. Senatus tunc sine militibus principem fecit, quod raro contigit & ante & post Tacitum. Augustus electus est *Constans* Constantini filius, genitus ex Gregoria filia Nicetæ patricij, & is fi-
E lius Gregoræ, qui multum dilectus ab Heraclio fuerat, magnisque honoribus functus. Constans vero, dum frustra in Longobardos impetum facit, in suos conuertit iram. Laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, & alia quædam pretiosa, reliquias hostilium prædarum atque incendiorum, substulit, & secum in Siciliam tulit. Dumque ibi in balneis se lauat: à ministris auctore *Mazese* interfectus est. Qui dum pace Constantinopoli fruitur, mortem obiit, regnumque per ma-
F nus filio *Iustino* tradidit. In hoc defecit Heraclij progenies: decimo imperij anno, deiectus solio à Leontio patricio exsul in Ponto, afflictus calamitate occubuit, abscissis naribus. Soli Heraclio inter omnes principes Romanos, quantum rerum gestarum monimenta docent, stirpis suæ apud inferos sextum legere Augustum, Lachesis suo inextricabili volumine concedit. præfuerunt omnes annis LXXXVII.

IOAN-





IOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI ROMANORVM PRINCIPVM LIBER PRIMVS.

C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR.



RIMVS hic perpetuam dictaturam inuasit. Debellata enim iotra decennium Gallia, tentata tunc primum Britannia, & Germanis in siluas ac paludes suas compulsis, in Italiam descendit: eaque solita celeritate recepta, Hispaoiisque pacatis, Pompeium magnum Pharsalico prœlio fudit. quumque de omnibus hostibus triumphasset, tandem amicissimorum coniuratione oppressus, periit, ætatis anno VI. ac quinquagesimo; dictaturæ vero initæ anno III. Vir pacis bellique artibus, & in primis clementia longe clarissimus, si libertatis assertor quam inuasor esse maluisset.

OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS.

TRibus ac viginti vulneribus interfecto Cæsare felicissimus omnium ad hanc diem successit Octauius, ex Accia Cæsaris nepte. Vindicatis enim patris interfectoribus, victorque ciuilibus bellis omnibus, nouissime Antonio ad Actiū nauali pugna superato, quocum duodecim aonos remp. tenuerat, triumphator orbis totius, pacisque restitutor æternæ, per quatuor ac XL annos imperium rexit, vrbemque Romam optimis institutis ac legibus magnificentissimisque operibus sic exeoluit, vt merito *Parens patriæ* primus, atque *Augustus* diceretur. Obiit Nolæ septuagesimo sexto ætatis anno, quum LVI imperasset. Ad eiuus imperij felicitatem illud accessit, quod seruator noster CHRISTVS lux gentium & orbis, sub eo nasci voluit: vt quem summis animi corporisque dotibus principem clarissimum terris dederat, eodem etiam generis humani parens optimus & maximus nasceretur. Huius felicitas ceteris optata principibus.

TIBERIVS NERO.

TRistissimus omnium mortalium optimo principi successit Tiberius, Liuiæ vxoris magis impulsu quam Augusti iudicio: quippe cuius neque mores neque ingenium vmquam probasset, pertiuaciam & infinitam eius sæuitiam pertæsus. Principatum ab initio dissimulato ingenio, & matris reuerentia, non incommode gessit: mox Capreensi secess.., luxuriæ ac cædibus vacans, quum prouinciæ vndique vastarentur Caligulæ nepotis astu & fraude periit, octauo ac septuagesimo ętatis anno, 3. & 20. imperij. Hui⁹ imperij aono duodeuigesimo CHRISTVM seruatorē nostrum Iudæi cruci affixerunt: ex quo ad supre-
A mam gentis internecionem numquam seditione, fame, ferro, peste laborari ab his desitum.

C. CÆSAR CALIGVLA.

PRæfuit hic reip. annos quatuor, magis in Germanici patris gratiam populo ac militibus commeodatus quam ingenio suo. primus enim à Cæsarum stemmate penitus degenerauit: vt non immerito *fax humani generis* dictus sit. certe vox eius nefaria excepta, vnam ceruicem populo Ro-
B mano optantis, quo facilius vno ictu abscidi posset. Cassij Chæreæ & aliorum coniuratione ferro occubuit, annum agens XXVIII. de quo sic dictum, *nec meliorem ab initio principem, nec peiorem postea fuisse.*

CLAVDIVS CÆSAR.

NEscias in hoc principe quid primum accuses: adeo vecordia cum sæuitia ac luxuria certabant: qui fato potius ac fortunæ ludibrio ad imperium, quum latitaret extrema pertimescens,
C interfecto Caligula vcoerit: quod non minore socordia quam crudelitate per annos XIIII vexatit. Quanta fuerit eius stultitia, hinc aduertas. Messalina vxor, portentosæ libidinis fœmina, C. Silio nupserat: qua vix interfecta, Agrippinam Germanici fratris filiam, nouo exemplo nouercam liberis duobus superinduxit, & Britannico filio priuignum Neronem anteposuit: cuius insidiis & Agrippinæ veneno in boleto dato periit senex, ætatis anno LXIIII.

DOMITIVS NERO.

D FAx altera totius orbis iure à nobis dicatur: qui ex Domitio atque Agrippina natus, imperij Romani maiestatem paterna maternaq; cæde polluit; libidinis adeo effrenatæ, vt matris concubitum appetiisse credatur. Ipse certe sumpto flammeo nuptiali, sponsalia celebrauit: sæuitiæ tantæ, vt præter vrbis incendium & vxoris Octauiæ cædem, primus Christianum saoguinem, Petro & Paulo interfectis hauserit. Et ne quid scelerum deesset, publice cantauit, in sceoaque operam
E exhibuit. Tamdem deficiente Galba hostis à senatu iudicatus, nec fortiter perire potuit, adiutus alterius adigendo ferro manu. periit ætatis anno XXXII, imperij XIIII. Quinquennio sub initia omnium princeps optimus existimatus, etiam Traiani testimonio, *procul distare ceteros principes à Neronis quinquennio* prædicantis.

SERVIVS GALBA.

NObilissima Sulpiciorum familia natus, ac per omnes dignitatis gradus ad proconsu-
F latum Hispaniæ euectus, iam grandis natu, imperium septimestre maiore hominum ab initio fauore quam læto successu tenuit. Auaritia & sæuitia in eo principe iuxta infames: ex quo inuisus

cunctis, quum Pisonem in conflatæ inuidiæ remedium adoptasset, annos LXX natus, in medio foro à M. Othone iugulatur.

M. SALVIVS OTHO.

Male partum principatum adeptus, & aduersa per omnem ætatem fama, laudabili fine clausit. Dum enim IIII vix mense exacto, Bebriacensibus campis bellum ciuile contra Vitellij duces exsecrarentur, papillam pugione sibi transfixit: adeo militibus carus vt multi ad eius exemplum, ante mortui pedes semet interfecerint. Vixit annos XXXVII.

VITELLIVS.

Pudet tot dedecorum: sed ad institutam seriem pertinet & hunc ipsum referre. Qui patre L. Vitellio & matre longe optima natus, militari factione, dum legatus Germaniæ superiori præest, imperium inuasit: fœdo ingenio, ventrique ac gulæ natus, &, quod vsu in his venit, sæuitia par. Ceterum Vespasiano principe declarato, cœno fimoque iactatus, ac furca sub mentum posita, diu per vrbem tractus, in scalis Gemoniis omnium ludibrio diu iacuit. Vita illi annorum LVII: imperium vix octimestre.

VESPASIANVS.

Fessam atque labentem remp. trium principum tyrannide potius quam imperio, Flauiæ gentis auctor Vespasianus primus restituit. Nam per X annos quibus imperium rexit, singulari studio ac prouidentia rem administrauit, & ne Cæsarianum desideraretur nomen, effecit. Hierosolymis expugnatis, cum filio triumphauit. Auaritiam ne culpes in eo, & temporum calamitas, & laudabilis eius vsus facit. Adeo inimicitiarum omnium princeps oblitus, vt Vitellij hostis filiam locupletissime dotatam, splendidissimo iungeret viro, & insolescentem Mucianum imperiique participem agentem, adhibitis familiaribus satis habuerit admonere, se quoque hominem esse. Mors eius, quantam animi tranquillitatem secum afferret, ostendit, dum alleuatus inter assidentium manus, *stantem*, ait, *Imperatorem mori decere*. Periit anno ætatis vndeseptuagesimo.

D. TITVS VESPASIANVS.

Amorem ac delicias humani generis Titum infesta mortalibus numina intra biennium sustulere. Huius præcipuam clementiam ac liberalitatem, virtutesque alias eximias, per totum eius principatum magis commendauit & vitæ anteactæ licentia, & sub initia luxuriæ & auaritiæ suspicio, vt Neronis tyrannidem plerique augurarentur. Sed mutatus, adepto imperio, in melius declarauit *eiusdem esse ingenij & pessima & optima interdum ferre*. Hic Hierosolyma expugnauit: sagittandi peritissimus, & litteris impense doctus. Vox eius quandoque memorabilis audita. recordatus enim super cœnam quod nemini eo die officium contulisset, *Amici*, inquit, *diem perdidi*. Huius imperio Vesuuius conflagrauit, incendium Romæ totum triduum & lues fuit. Periit ætatis anno XLI, in summo omnium mœrore.

DOMITIANVS.

Ecquis Titi non doleret interitum? tali præsertim successore, qui per omnia patri fratrique dissimilis, sæpe etiam viuentibus aut contumax aut obtrectator, Neroni ac Caligulæ propior vixit, dissimulatamque male sæuitiam per omnes ordines effudit. Quare nihil illi pater fraterque, aut Cattorum Germanorumq. clades, aut biblio-

A thecarum incensarum restitutio profuit quin cæde illustrium virorum inuisus omnibus factus, suorum tandem conspiratione post vitæ annum quintum ac quadragesimum, imperij quintum ac decimum, confossus occuberit, omniaque eius acta rescissa sint.

COCCEIVS NERVA.

Meliore reipub. fato, quod aurea gibba Domitiano post ceruicem in somnis enata, B portendit, Cocceius Nerua suscepit imperium, Parthenio id deferente: clarissimis ortus haud dubie natalibus, vt Dion auctor est, & iam senex: qui quum alias leges, tum ne mares castrarentur, edicto vetuit: summæ ciuilitatis & clementiæ, etiam in eos qui in illū coniurauerant. Vt optime vero semper de omnibus meritus esse videatur, Traiani præsertim adoptione factum est, quem absentem, dum senectam suam contemni videt, Cæsarem appelauit, Homerico etiam versu ad imperium C adhortatus, *Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσιν.* Imperauit anno vno, mensibus IIII: vixit annos LXVIII.

VLPIVS TRAIANVS.

Optimus omnium princeps, externorum primus Traianus, adoptione Neruæ imperium meruit. Domi sanctus, foris adeo clarus, vt præter Daciam prouinciam factam, victo etiam eorum rege Decebalo, Parthos superarit, superatis regem dederit, Transtigritanas prouincias imperio adie-D cerit, Armeniam atque Arabiam peruastarit: vt nihil omnino habuerit in quo culpari merito possit. Amicitiarum cultor, simplicium ingeniorum atque eruditissimorum admirator, iuris humani diuinique consultissimus, ipse à litteris & Musis haud abhorrens. Huius cineres & ossa in vrbem relata, cochlide columna supposita cum eius imagine, quæ superstatet foro à se exstructo. Quanta fuerit in eo bonitas, acclamationes principibus exhiberi solitæ declarent, quum *Augusti* E *felicitatem*, *bonitatem Traiani* his adprecarentur. Vixit annis LXIIII: imperauit XX.

ÆLIVS ADRIANVS.

Hic Italicæ stirpis, Ælio Adriano, Traiani consobrino Adriæ orto, genitus, Plotina (vt creditur) fauente Imperator est factus: ingenio sublimi, vario: litterarum omnium peritissimus, sed matheseos in primis: idem architectus, musicus, statuarius: multarum denique artium magis F non expers quam callens. Doctorum hominum nunc irrisor & æmulus, nunc fautor & beneficus. Disciplinæ militaris scientissimus, in qua multa etiam correxit, principibus qui sequuti postea sunt, ea maxime probantibus. Peregrinationis adeo studiosus, vt omnes ferme prouincias pedib' etiam peragrans obierit. Miserabili tandem fato consumptus est, vt in seipsum sæuire potuerit, si per domesticos licuisset. Imperauit annos XX, vixit LXII. Inuisum eum fecere viri illustres non pauci G sub eius exitum exsilio aut morte mulctati.

ANTONINVS PIVS.

Huic è Transalpina Gallia paternum genus Nemausense: Pii cognomenti caussæ diuersæ traduntur. illud mihi maxime probabile, vt à morum probitate affectuque in Adrianum, & seruatis eis quos Adrianus interfici iusserat, id traxerit. Numæ Pompilio maxime similis. Nam per annos tres ac viginti nullum sub eo bellum fuit. Amor ac timor gentium in eo certarunt, bellum mouere timentibus his aduersus principem,

qeum

quem vt numen aliquod venerarentur: nec illæ gloriæ ita cupidus vt per aliorum damna cædesque eam appeteret. Nam & à coniuratis vim ominem abstinuit, & in conscios quæri vetuit, ne plures inueniti odium augerent. Apud Lorios duodecim millibus passuum ab vrbe, septuagenarius, quum M. Antoninum Philosophum adu præfset, obiit febre.

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.

QVam læta felixque successio optimis, piis, philosophis Imperatoribus referendis! vtinam qui sequetur, tales merito dici possent. Nam hic ea ingenij bonitate, his virtutibus excelluit, vt exemplum desit, & ea temporum calamitas affuit, vt solùs ærumnis publicis obstiterit. Nisi enim hic præfuisset, maiestas Romani nominis facile tunc concidisset, Marcomannis, Quadis, septemtrione omni hinc sæuiente, inde Persis orientem vastantibus: hic interim, inundationibus fluminum, locustarum vi, omnia populantibus. Sed victi primum Veri principis auspicio Persæ: Marcomannicum mox bellum, Christianorum etiam ope qui tunc militabant, ex sententia per ipsius principis præsentiam confectum. Ad quod gerendum principalis supellex hastæ subiecta, quum pecunia in stipendium deesset. Felicissimus certe princeps, nisi heredem Commodum reliquisset, post annum imperij duodeuigesimum, ætatis quinquagesimumnonum.

COMMODVS.

ADolescens, mortuo in Germania patre, Imperator omnium votis est dictus. Et quis filium Antonini reiecisset? Ille vero, etiam patri non satis probatus, statim Caligulæ ac Neronis simillimus euasit: libidine, auaritia, & crudelitate illis anteferendus. Nam in scena sæpe aurigæ habitu prodiit: Ludis gladiatoriis & Dalmaticatus præsedit, & in amphitheatro gladiator dimicauit: Athletarum etiam more publice se exercuit. Quæ omnia actis inserenda publicis curauit. Tandem Læto auctore & concubina Marcia, post tertiumdecimum imperij annum strangulatur.

ÆLIVS PERTINAX.

SVccesserat haud dubie flagitiosissimo principi princeps optimus, si non illum militaris auaritia, fatis in peius omnia trahentibus, intra octogesimumquintum imperij diem de medio sustulisset. Alba Pompeia in Liguribus huic patria, genus humile ac sordidum: virtus atque innocentia summa: militiæ clarus, & in ea ad summas dignitates euectus: vnde & *pila* dictus est *ludus*. Hic quum summam de se exspectationem omnibus daret, Læti insidiis, qui imperium illi astruxerat, & militari factione, Iuliano, qui successit, non inscio, LXXI ætatis anno periit.

DIDIVS IVLIANVS MEDIOLANENSIS.

IMperium quod per scelus necis imperatoriæ conscius, primus etiam licitatus esse dicitur, intra septimum mensem cum vita simul amisit. neque enim militi gratus, ob non integrum donatiuum datum, & populo etiam inuisus ob perfidiam in principem optimum. Quare inter vtriusque odia destitutus, Septimij Seueri iussu, qui Imperatorem se appellauerat, damnatorum more necatur: vocesque in illum graues à populo sæpe iactatæ.

A SEPTIMIVS SEVERVS.

AFrica illa olim imperij Romani æmula, huc genuit Imperatorem, magis necessarium quam inutilem. Vnde etiam iactatum vulgo, *aut numquam nasci debuisse aut numquam mori.* Nam & imperium fortiter administrauit, & sublatis in oriente Pescennio Nigro, in Gallus Clodio Albino, quem & Cęsarem dixerat, oriẽtem omnem, Parthis, Arabibus, Adiabenis deuictis, Romanæ
B maiestati restituit. Arcus adhuc Romæ victoriæ monumentum titulis magnificentissimis visitur. Britannos tumultuantes compescuit, vallo per XXXII passuum millia à mari ad mare ducto: vbi etiam duodeuigesimo imperij anno, septuagenario maior, ex articulari morbo decessit. Bellicis artibus clarus, pacis, nisi sæuitia ac perfidia eas inquinasset, non contemnendus. Ceterum litterarum nõ ignarus, matheseos peritus, à Latinis non abhorrens, nisi Punicum quid redderet. Cædibus
C illustrium virorum adeo infamis, vt Punicas clades in toga cæsorum ciuium Romanorum sanguine rependerit.

ANTONINVS CARACALLA.

VEstis huic, quam talarem è Galliis aduectam, Romano populo donarat, cognomen addidit. Seuero patri adhuc viuẽti contumax; nec minus in fratrem Getam impius, quem patre mortuo statim occiderit: militi tamen gratus, cum ob ingens donatiuum his datum, tum quod in castris
D gregarij pene militis vices ageret. Alexandri Magni admirator; quem collo in læuum humerum detorto, reddere cuperet. Hic orbe peragrato, Alexandrinorum dicacitatem vltus ingenti eorum cæde, Persas dolo magis quam virtute fudit. Sexto demum imperij anno, militum dolo, Carris, dum ventris oneri leuando intenderet, interficitur, XXX ætatis anno.

OPILIVS MACRINVS.

E OBscurissimis parentibus ortus, Maurusij generis, malis artibus ac pudendis ad præfecturam euectus, à iuris tamen scientia non alienus, sed venali fide, ac vita semper sordida: post interfectum Antoninum, imperium cum Diadumeno filio formosissimo Macrinus inuasit. quod quum per annum & menses duos obtinuisset, victus ab Heliogabalo, cum filio, quinquagenario maior, fugiens obtruncatur. Data est dictio consulenti super imperio talis, *Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί· Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆ-*
F *ρας ἱκάνει.*

VARIVS HELIOGABALVS.

ASsyrium (quis credat?) principem, nescio maiorioe fortunæ ludibrio an Romanæ maiestatis suggillatione, orbis hunc per duos & amplius annos tulit, & eum incestum: siquidem verum erat Caracallæ filium ex Scenide consobrina natum. Qui ex oriente Romam profectus, interfecto (vt dixi) Macrino, tralato etiam inde Heliogabali numine ad vrbem, in summa omniũ
G exspectatione venit: sed illi mox omnia in ludibrium aut odium conuersa sunt. Nullus enim principum ad hanc diem maiore libidinis flagrauit infamia, vti se in mulicbrem sexum exsecari curarit: nullus maiore luxu opes prodegit imperij: nullus deniq; contaminatius aut impurius vixit: omnium religionum contemptor, præter patrij numinis Heliogabali. Hunc tamen in cloacam proiectum, mox in Tiberim cum matre Scenide tractum per milites, populus Romanus ita

vltus est, vti nomen eius ex publicis monimentis A eraderet. Vixit annos xvi.

ALEXANDER SEVERVS.

MEliore orbis fato ex Mammæa consobrinus Heliogabalo Alexander, iampridem ab impura illa bellua adoptatus, in imperium successit; optimis principibus æquandus innocentia, in viros bonos beneuolentia, &(quæ præcipua dos principum) singulari in omnes clementia: vt *ἀναίμακτον* eius dicatur imperium. Hic expeditione Persica ex animi sententia confecta, dum ad septemtrionem vertit arma Germanis tumultuantibus, B factione militari, tertiodecimo imperij, vitæ anno vndetrigesimo, Maximini perfidia cum matre in tentorio necatur. primus post Adrianum principem, qui veræ pietatis lumen acceperit. Nam Christum in larario suo semper habuit. Quin illa ex sacris litteris sententia, frequens ei in ore esse; QVOD TIBI NOLIS, ID IN ALTERVM FACERE CAVEAS. Locum etiam Christianis adiudicauit, C quibus popinarij litem intendebant, rescribens, *Deum multo melius quoquo modo illic coli quam popinarijs assignari.*

De Parthorum & Persarum imperio.

NOn alienum ab instituta serie fuerit, quando posthac Persarum arma in oriente, post Parthica toties erunt referenda, si breui imperium vtriusque populi, tum ad nostram ætatem in eo terrarum tractu regnorum seriem perstringam. Primus igitur Parthis *Arsaces* libertatem D asseruit, ad eam diem cum ceteris orientis populis, regibus Macedonum obtemperantibus: à quo ad *Artabanum* regem perpetua Arsacidarum gloria per quadringentos & amplius annos floruit, diffidentibus inter se Syriæ regibus. Parthis vero per hæc tempora varia admodum fortuna cum Romanis contendentibus, *Artaxerxes* Persa, vir obscuris admodum parentibus ortus, genti suæ veterem, imperij gloriam restituit: triplicique E prœlio Artabano cum tota Arsacidarum familia cæso, Persas orienti iterum imposuit. quorum imperium ad Chosroen vsque regem & Heraclium. Imperatorem, per quadringentos annos mansit, grauibus prœlijs, alternante fortuna, cum Romanis interim gestis. Qua tempestate Saraceni ex Arabia profecti *Mahomete* duce, noui delirij auctore, Persas primum, mox Romanos varijs & ingentibus cladibus afflixere. floruitque Saracenicum nomen, Persico sublato, adeo vt non contéti F Asiæ imperio, maximam Europæ partem sibi subiecerint, ipsam etiam terram Italiam (quod horreat meminisse animus) mari terraque fœde per ducentos & amplius annos populati. Mox præualentibus Turcarum rebus, diuisum in oriente imperium est, Saracenis Ægyptum & Asiam ad orientem sibi vindicantibus, Turcis propiores Europæ prouincias per nostrorum principum segnitiem occupantibus: repressaque interim gentis in G Christianum nomen infestissimæ rabies Gallorum armis, Europæ principum communi expeditione, auctoribus tamen Francis, in eos sumpta, & Hierosolyma nobis restituta. Ceterum nostrorum discordia rebus in Asia labentibus, & modo Tartaris, modo Saracenis de imperio contendentibus, Asiæ pars, quæ à Tauro ad Euphratem protenditur, Saracenorum imperio; reliqua, ad Hellespontum Turcis cessit. Interim centesimum ab hinc & amplius annum, *Tamberlanes* inter Scythas humili loco natus, ex gregario milite ordinis primo, mox exercituũ ductor, Parthis imperium astruens, victis omnibus finitimis gentibus, Syriam cum tota Ægypto populatus est. Inde in minori Asia Paizeti Turcarum principi congressus, eum captum cum tota gente ad internecionem cæsa, in vinculis habuit: victorque domum reuersus, vrbe etiam Marchanti populosissima à se condita, & victarum gentium spolijs ornata, imperium moriens duobus filiis reliquit. Quorum dissidio, res tanta indole parta retro facile abiit. Stetit tamen regnum trans Euphratem filiis incolume ad Vsuncassanum vsque, qui cum Mahomete etiam conflixit. Variatum demum in his terris, te Ægyptiaca interim florente; donec auditum est ætate nostra *Psophis* nomen, vnius ex Vsuncassani heredibus (vti credi volunt) fortuna seruati, qui magno hominum fauore ad imperium ascitus, veluti hereditarium odium cum Turcis exerceat.

IVLIVS MAXIMINVS.

REdit nunc stylus ad institutam seriem. Nam Alexandro interfecto, successit Maximinus cum filio eiusdem nominis, Thrax genere, & seruitia insignis aduersus quem quum senatus Pupienum & Balbinum Imperatores declarasset, immanitatem hominis ac barbariem pertæsus, ille statim in Italiam cum Germanico ac Pannonico exercitu descendit: Aquileiaque incassum obsessa, à militibus fame laborantibus cum filio necatur. Memorabilis militum vox fuit quum vtrumque interficerent; *Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum.* Imperarunt ambo annos tres: pater, sexagenario maior; filius, vigesimum annum agens obiit.

BALBINVS ET PVPIENVS.

IMperatores hi primum ex s. c. duo aduersus Maximinum creati: Balbinus, nobilitate generis præstans; Pupienus, qui & Maximus militari disciplina clarus, à quo & Maximini victi. Ceterum quum parum inter se cócordi animo remp. regerent, à militibus vterque interficitur, Gordiano puero summæ rerum imposito.

GORDIANVS.

OPtimum ac nobilissimum principem terris dij dederant, si diu rebus illum præesse voluissent. Nobilitatem eius, auus paterque Imperatores, & Scipionum stemma genti insertum; bonitatem, Romani populi ac militum, & orbis totius in adolescentem amor attestatur. Sed quum bellum ingens aduersus insolescentes Persas conflasset, iamque Misithei soceri diligentia feliciter confecisset, Philippi præfecti dolo socer primo, mox princeps, interficitur. Haud tamen inulta mors optimi principis fuit. omnes qui in illum coniurauerant, crudelibus supplicijs affecti; & Philippi non diu imperium tenuere. Vixit annos xxii. imperauit sex.

PHILIPPI.

DVobus principibus, audita Gordiani morte, à senatu creatis, Marco primum, mox, eo breui absumpto, Seuero Hostiliano, qui & ipse non diu superuixit, Philippus imperium occupat: nec ei gentis humilitas obstare potuit quo minus imperaret. Nam per omnes militiæ gradus ob virtutem euectus, tandem præfectus a Gordiano in Misithei locum factus, optimo adolescenti insidias comparauit: eoque per dolum cæso, Imperator ab exercitu dictus: Romam quum venisset, filium Philippum imperij participem declarauit.

A Ipse post quintum imperij annum, Veronæ, medio capite supra ordines dentium præciso, filius, duodenarius Romæ necatur: quem adeo tristis ingenij feruut, vt numquam riserit, & semel ridentē patrem auersatus sit. Sub his sæculares ludi magnificentissimi millesimo ab vrbe condita anno dati: Sunt qui à Christiana pietate non abhorruisse Philippum tradant: quorum testimonio hominis perfidia fidem abroget.

DECIVS.

B INuitum ac pene reluctantem Philippi socordia hunc imperio præfecit, haud dubie tamen nobilissimis parentibus Bubaliæ (inferioris Pannoniæ vrbe) natum. Nam Philippus, nuntiata Marini ducis & Mœsici exercitus rebellione, quum Decium ad comprimendos eos motus mitteret, recusauit primo Decius: mox etiam admonuit non esse ex Philippi re vt ipse eo contenderet. Ceterum fatis rem ita trahentibus, vt primum prouinciam C attigit, Imperator omnium consensu dicitur: & interfectis (vt dixi) Philippis, quum aduersus Gotthos cum filio audacius quam consultius pugnaret, cæsus cum toto exercitu ab his est, corpusq; paludis voragine absorptum, nusquam inuentum. Hic carissimus senatui fuit: & qui à nobis etiam inter optimos principes adnumerari posset, si iniuriam à Christiana pietate abstinuisset: in quam plus nimio Philippi etiam odio sæuiit, Fabiano ac Cornelio pontificibus Romanis martyrio affectis. Vixit tamen annos L: imperauerunt D vterque biennium.

GALLVS PATER, ET VOLVSIANVS FILIVS.

HI post Decium imperium adepti, infelicissime illud per annos duos & menses octo rexere. Nam cum Scythis tributo annuo drachmarum centum transfegere: primi qui Romani maiestatem imperij tam fœda pactione sugillarint: & Armeniam amisere, expulso à Parthis Tiridate E eorum rege. Tam sæua deinde lues orbem inuasit, quæ ex Æthiopia ortum habuit, vt per annos quindecim terras pene omnes exhauserit. Tandem, Æmiliano Imperatore facto, victi prœlio, à militibus occiduntur: pater ætatis anno XLVII.

ÆMILIANVS.

TRimestrem & hunc Imperatorem Mauritania nobis dedit, virum (quod fatendum est) militiæ peritum, sed ignobilem: qui victis ad internecionem pene Gotthis, astu etiam adhibito, quum omnem prædam militi promisisset, Imperator F ab exercitu dicitur. Mox Valeriano ab Alpino exercitu Imperatore nobilissimo ac censorio viro, creato, qui Æmiliano fauerant, ne ciuili bello rempublicam conflictarent, Æmilianum necant, soloque ducis capite res peracta est, anno ætatis eius XL.

LICINIVS VALERIANVS.

NVllum principem maiore vmquam fauore orbis accepit: nullus eo calamitosior ad hæc G diem imperio præfuit, vel quod à Sapore Persarum rege victus acie, siue dolo suorum, siue eius imprudentia id acciderit, (nam vtrumque traditur) miserabili captiuitate apud eos consenuit; vel quod Gallienum filium post se reliquit, qui Caligulæ ac Vitelliis simillimus, mox terrarum pene perdidit: externis hostibus adeo nobis insultantibus, vt fœminæ imperium in Gallieni contemptum occuparint. Triginta certe tyranni nescio remp. magis afflixerint, an aduersus hostes nostros necessarij tutati sint, qui per ea tempora in pronum rem imperij labentem per Gallieni luxum sustinerent. Vixit Valerianus septuagenario maior: imperauit annos XV. Vir ante imperium summis honoribus functus, & in his cum summa laude ac virtutis opinione versatus.

GALLIENVS.

AD Valeriani calamitatem accessit Gallieni filij imperium: qui nequissimus omnium mortalium, adeo per luxum ac socordiam imperium afflixit, vt per totum terrarum orbem grauissima externa bella senserimus: neque vero minus à XXX tyrannis vexatæ fuere res. Is Gallienus, quum aduersus Aureolum comparato exercitu Mediolanum vsque contendisset, Aureoli commento iam pene victi, certe intra Mediolanum obsessi, interficitur quinquagenarius. Imperauit annis XV, cum patre septem, solus octo. Affuit huic principi (quod mireris) animi quandoque vigor, & ad se vlciscendum audacia: nec minus in eo liberalitatis effulsit, quum nihil vmquam petenti denegaret.

CLAVDIVS.

OStenderunt & hunc terris numina verius quam concesserunt. quippe cuius principatu restitui ad integrum res potuerit, nisi intra biennium fato occubuisset. Is enim Gotthorum arma late vagantia primus compescuit: naualibusque ac terrestribus bellis eorum opes attriuit, vt per omnes prouincias nulla nisi Gotthica mancipia essent. Alemannorum ad Benacum lacum infinita millia profligauit. Illud memorabile, quod Græciæ vastitate quam Gotthorum arma intulerant, Athenis captis, quum librorum ingentem vim coaceruassent, de his comburendis barbari iam consilium ceperant tum vnus ex his, *Abstineamus*; inquit, *hanc iniuriam ab his codicibus, quibus Graij homines dum studiosius incumbunt, minus ad bella idonei fiunt.* Illud etiam in Claudio memorabile, quod accepto imperio, quum in senatu variarent sententiæ, vtri prius bello occurreret, tyrannorum an Gotthorum, Gotthos censuit prius aggrediendos, quod ij reipubl. hostes, tyranni, principis essent. Præfuit biennio non integro.

QVINTILLVS.

HIc, quum dies septem ac decem imperium auctore senatu tenuisset, Aureliani Imperatoris nuntio exterritus, sanguine è venis emisso obiit.

AVRELIANVS.

HVnc inter principes necessarios magis quā bonos multi reponunt. Nam quantum illi gloriæ triumphi hostiles & militaris peritia vindicat, tantum sæuitia domi etiam in sororis filium exercita, laudis detrahit. Princeps tamen dignus qui Claudij etiam prærogatiua, rempublicam ea temporum calamitate susciperet. Barbaros enim in terra Italia vagantes, triplici prœlio afflixit. Monetariorum bellum non sine ingenti cæde sedauit. Zenobiam insolescentem, duplici prœlio victam, & per obsidionis moras tamdem fractam, in triumphum duxit. Aureolum & tyrannorum non paucos aut interfecit, aut sibi conciliauit, Tetrico vno ex his etiam Lucaniæ correctore instituto. Imperauit annis V: domesticorum fraude inter Byzantium & Heracleam oppressus.

TACITVS.

INterregnum per septem menses Aureliano interfecto fuit, quum miles ad senatum, senatus ad militem prærogatiuam Imperatoris deferret eligendi: tamdem patres militari consensu victi, Tacitum Augustum dixere: ex quo tantum publice gaudium fuit, vt litteras senatus ad municipia Italiæ super ea re dederit. Quam vero amplissimi ordinis iudicium à militari tumultu distet, Taciti declaratio ostendit, qoum in curia testati sunt, neminem aut iustius quam grauem virum, aut prudentius quam doctum imperare posse. Verum hic tantus vir sexto quam imperare cœperat mense, militari scelere periit.

FLORIANVS.

HIc Taciti frater, quasi hereditarium imperium esset, intra LX imperij diem, tamquam ad fortunæ ludibrium, solutis sibi venis, ad Probi imperantis nuntium obiit.

PROBVS.

NOn fefellit omen nominis, quum hoc illi cognomen esse potuerit: vt si non illi fuisset Probi nomen, cognomento hoc appellari potuerit. Huic nec Taciti frater obstitit quo minus orbis totius consensu Imperator diceretur; nec generis humilitas, quum patrem Dalmatici sanguinis, & eum agrestem, habuerit. Vir pacis bellique artibus longe clarissimus. Huic per sex annos quibus imperauit, victi Sarmatæ debentur. Tyranni per hunc omnes sublati: pax vniuerso terrarum orbi restituta. Celebris vox eius excepta, inuidiam peperit apud milites. neque enim necessarios amplius dicebat fore milites vbi hostes deessent: quos nusquam virtute sua futuros mox sibi promittebat.

CARVS.

NArbo Marcius hunc genuit Imperatorem bonum, sed ad posteros etiam commendatiorem multo futurum, nisi CARINVM flagitiosissimum principem reliquisset. Hic bello Persico capta Seleucia & Ctesiphonte, dum ad Tigrim fluuium castrametatur, fulmine ictus periit. NVMERIANO filio ab Apro socero mox interfecto, adolescente tum probitatis tum eruditionis egregiæ, maxime autem ad poeticen nato: & Carino Romæ per Diocletianū principem cæso. Hi tres vix triennium explerunt.

DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGG.

SVbeat forsitan admiratio multos hac nostra principum relatione, qood paucissimos Quiritij sanguinis, omnes fere externos, & pudendæ quosdam etiam originis, non tamen pœnitendos, recenseam. Sic hactenus Decium Pannoniæ, Aurelianum Daciæ, Claudium Dardani, Probum Dalmatæ, Carum etiam Galliæ sibi vindicaor. Quid quod eadem Dalmatia alterum etiam nobis imputet, omnibus æquandum principibus, si à piorum sanguine abstinuisset, DIOCLETIANVM? Is enim Salonis ortus, libertini etiam sanguinis, quum molem imperij grauiorem animaduerteret quam vt vnus esse vniuersæ par posset, MAXIMIANVM Augustum creat: amboque duos sibi Cæsares, GALSRIVM ARMENTARIVM cognomine, & CONSTANTIVM Constantini Magni patrem, dicunt. Diocletianus igitur, quando per partes rem tutius confici posse ratus est, Maximianum Galliis præfecit: eoque confecto bello, in Africam aduersus *Quinquagenarios* transire iubet:
A vtrobique sedati tumultus. Africanus certe aliquanto difficilius, quod Quinquagenarij, & supra eum annorum numerum veteranus miles, ad obsequium tam facile redigi non poterat. Interim Ægyptum Diocletianus inuadit: *Achilleum* incubatorem imperij, Alexandriæ per menses aliquot obsessum & in potestatem redactum, feris lacerandum obiicit: potentissimus quisque cædibus ac proscriptione petiti. Interim aduersus *Nar-*
B *seum* Persarum regem Galerius infeliciter primo, mox reparatis copiis, ira etiam animos illi faciente, quod ad Diocletiani carpentum post cladem acceptam per mille passus pedes currere coactus est; egregie vicit, Narseo fugato, & cæsis magna ex parte Persis, pellicibusque cum gaza omni regia captis. Hæc victoria Galerij virtute & audacia parta: qui, explotatis prius hostium castris, noctu cum XX millibus equitum Persas aggressus, dedecus acceptum hosti rependit. Diuersa etiam parte
C Constantius ab *Alemannis* improuiso insultu primom victus, & eodem die mox victor, LX eorum millia cecidit: ea clade Germaniæ attritæ, Galliæ liberatæ. Sicque pacato orbe, post annorum imperium XX, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani imperium eodem die deposuere. Rem miram & ad hanc ætatem incognitam: vt sponte, nec prægrauāte saltem senecta vel rerum mole, vterque in ordinem se redegerit. Diocletianus certe constantius in proposito mansit. Nam
D per decem annos, quot priuatus Salonis superfuit, hortorum amœnitati vacans; iterum ad imperium sollicitatus, à priuata vita abduci non potuit; testatus, nullos sibi vmquam soles lętiores affulsisse. Obiit autem duodeoctoginta natus annos, vel alienatione mentis, vel veneno hausto, veritus Licinium ac Constantium, qui illum tamquam Maxentij fautorem grauiter increpocrant. Sed & Maximianus, dum Constantio genero insidias parat imperium affectans, Massiliæ captus, Constantij
E iussu necatur.

CONSTANTIVS CHLORVS, ET GALERIVS MAXIMINVS AVGG.

SVccessere Diocletiano Iouio & Maximiano Herculio cognominibus, duo ab his antea dicti Cæsares, Constantius videlicet Chlorus, (quasi virentem à colore dicas) & Galerius Maximinus. Sunt qoi ex veteribus monimentis, Maximia-
F num magis probent: sed quocumque cognomine hic fuerit, diuerso, quod constat, ingenio vixere. Constantius, benignus ac facilis, atque ad promerendam Gallorum gratiam, quibus præerat, propensior, nec à vera pietate abhorrens: Galerius, trux ac prope inmanis, vt qui rus, vnde venerat, oleret, nostrique sanguinis appetentissimus. Sed quum vndecim annos Constantius Gallias & Hispanias in summo otio tenuisset, (nam Africam Italiamque sub imperij initia sponte dimiserat,
G ratus id grauioris esse oneris quam vt ab vno sustineri posset) Eboraci decessit, moderati principis fama, & Constantino filio successore felix. Galerius imperium adeptus, molem & ipse secum rei reputans, duos sibi asciscit Cæsares, SEVERVM & MAXIMIANVM iuniorem: illum Italiæ, hunc Africæ & orienti præfecit: Ipse Illyricum sibi medius asciscit. Verum non multo post, genitalibus putrescentibus, vitæ tædio vim sibi gladio intulit.

SEVERVS ET MAXIMIANVS. IMPP.

SEuerũ haud multo poſt Maxentij factio Fomæ intra Tabernas opprimit, & MAXENTIVM Herculij, tyrãnici virum ſpiritus, ſibi præficit. aduerſus quẽ dum Maximianus feſtinat, militum ſuorum defectionem veritus, retro in Illyricũ contendit: vbi vlcere inguinibus innato, quũ deeſſent remedia, nec medici ob hominis immanitatem opem ferre auderent, vermibus vndique erumpentibus obiit; Chriſtiani ſanguinis vſque ad inſaniam pridem effuſi, in caſſũ pœnitens. Vir belli pacisque artibus inſignis; niſi crudelitate nimia in nos, tantas virtutes fœdaſſet. Solus annos duos, cum Cæſaribus & Licinio imperij conſorte, XVI præfuit.

LICINIVS ET CONSTANTINVS.

LIcinio Dacia natale ſolum fuit. Militaris diſciplinæ ad veterem normã ſeueriſſimus exactor. Ruſticis & agrariis hominibus (ex eo enim genere fluxerat) æquus: auaritiæ & veneris ſtudio infamis, moribus plane barbaris: & litteris adeo infeſtus, vt virus ac peſtem publicam eas appellaret. Sed cur eas non odiſſet, quarum adeo expers erat, vt ne decretis quidem ſubſcribere poſſet? Illud in eo non reprehendas, quod ſpadonum aulicorumque inſolentiam mire cõpeſcuit, *tineas ſoricesque palatinos* appellans. Hunc Conſtantinus nouas res molientem, primum in Pannoniæ cãpis fudit: mox reparantem vires, incredibili celeritate ex Europa in Aſiã expulit: maleque recõciliata iterum gratia per Conſtantini ſororem Cõſtantiam, quæ illi vxor erat, quũ rebelles animos homo vecors retineret, etiam contra ſacramenti fidem, Theſſalonicæ interfici iuſſus eſt. Imperauit annis XIIII, ſexagenario maior, Chriſtianis infeſtiſſimus: vnde illi diſcordiarum ſemina aduerſus Conſtantinum acriora.

M. FLAVIVS CONSTANTINVS CONSTANTII AVG.

FElicioribus auſpiciis, ac meliore partium noſtrarum euentu, rerum tandem Conſtantinus potitur, ex Helena Conſtantij vxore ſuſceptus; & ceteris fratribus ob egregiam indolem, quum illi ſeguitiem præ ſe ferrent, patris etiam teſtamento prælatus. Hic ſub Galerio rudimenta militiæ feliciſſime auſpicatus, parta ex Sarmatis egregia victoria, veritusq. ex ea laude gliſcentem inuidiã, ad patrem transfugit: eoque mortuo, Gallias Hiſpaniaſque, & Cottias Alpes obtinuit; Conſtantio patre id multo ante ſomnio præſagiente, egregiũ Imperatorem fore, qui Dei militibus opẽ primus ferret. Iam primũ igitur veteranis militibus agros aſſignatos, vt ad filios ſuos tranſirent, primus inſtituit. Tertio imperij anno acceſſitus in Italiam ab iis qui MAXENTII tyrannidem ferre non poterant, biennio totam Italiam vrbemque Romã priſtinæ maieſtati aſſeruit, Maxentio Tiberinis gurgitibus abſorpto. Inde abnegato idolorũ cultu, Chriſtianam puritatem ita amplexus eſt, vt præter egregia dona diuorum noſtrorum templis illata, Chriſtum ab omnibus colendum præceperit, templaque illi & aliis numinibus erexerit: nec alia magis cauſſa acrius in Licinium exarſit quam quod ille aduerſaretur nobis. Bella contra barbaros multa feliciſſime confecit: vnde primus Romanorum principum *Magni* cognomentum tulit. A bellis ad pacis ſtudia conuerſus,

A optimum principem primis annis egit: leges ſanctiſſimas tulit: litteris & ipſe impenſe ſemper ſtuduit, & eas fouit. Religionis adeo obſeruans, vt Nicæam ſynodum CCC & XXII patrum, multis diſſidentibus, indixerit. Byzantiũ inſtaurauit, *Imperatoriam*que *vrbem* & *Nouam Romam* appellari voluit. Moriens, & Conſtantinopoli ſepultus, tres liberos, & Dalmatiũ fratris filiũ, ſucceſſores reliquit; XXX & ampliua annos imperãs, tredecim B vero ex his ſolus. De eo ſic memoriæ proditũ; decem primos annos vt præſtantiſſimus diceretur, XII ſequentibus latro; decem nouiſſimis pupillus, ob immodicas largitiones. De eius baptiſmate vti variant auctores, ſic conſtanti fide quæ de imperij donatione circumferuntur, veri minus ſimilia veri, non probant. Sed alij hoc viderint.

CONSTANTINVS, CONSTANS, ET CONSTANTIVS, CONSTANTINI FILIJ AUGUSTI.

C HI tres imperiũ quod per manus à patre acceperunt, ita partiti ſunt, vt Conſtantinus maximus natu Gallias, & Hiſpanias, Britanniamque inſulam obtineret, Conſtanti Italia cum Illyrico & Græcia cederet, Byzantium & Oriens Conſtantij eſſet, qui Dalmatium ſocium imperij haberet: quem haud multo poſt, dolo exceptum, militari factione oppreſſit, quum annos tres imD peraſſet. Nec durauit diu fratrum cõcordia: ſiquidem in nefarium bellum rapti fratres. Nam Conſtantinus, Gallico exercitu fretus, Conſtanti fratri bellum intulit: quod dum cupidius quam cautius gerit, ad Aquileiam exceptus inſidiis, nondũ triennio finito, vulneribua confectus periit. Inde Conſtans victor, quum non ſine labore prouincias Tranſalpinas in poteſtatem redegiſſet, egit primum optimum principem: mox aduerſa valetudine, ſiue rerum felicitate mutatus, ingratus oE mnibus eſſe cœpit, donec & ipſe MAGNENTII dolo, dormiens intra tentorium, ad Helenam opidum oppreſſua eſt, quum imperaſſet annos XIII. vixiſſet paulo plua XXX. Conſtantius, cædem fratris vlturus, ingenti exercitu aduerſus Magnentium comparato, ingenti illum prœliõ & memorabili, ad Murtium fudit: quo Romani vires imperij pene concidere, LIII millibus vtrimque deſideratis. Mox quum Magnẽtius bellum reparaſſet, & ad Lugdunum iterum victus eſſet, gladio F ſibi latus aperuit: ſed & DECENTIVS frater, qui Cæſar ab eo dictus fuerat, laquei morte præpoſtera vitam finiit. Nam *Britannioni* antea Conſtantius veniam petenti facile dederat. Is Britanniõ adeo expers litterarum eſt habitus, vt ne prima quidem elementa calleret. Ceterum Conſtantius, *Gallum* à ſe antea dictum Cæſarẽm, ferociẽtẽ & inſoleſcentẽ ſupra Cæſaris nomẽ, interfecit, & contra Perſas infeliciter conflixit, militum ſuorũ ſtultitia. Quibus ad ſua abeũtibus, quæ Maſſage-G tæ vaſtabant, dum Romam inuiſit, *Iulianum* Galli fratrem, tres & viginti annos ætatis agentẽ, Cæſarem à ſe factum, in Gallias aduerſus Alemannos eas vaſtantes miſit: ipſe in Perſas iterum contendens, dum ægre ferret Iulianum à militibus Auguſtum eſſe dictum, apud Mopſucrenen iuxta Tauri montis radices, æſtuantiſſima febre deceſſit. Vixit annos XL: imperauit XXIIII.

IVLIANVS.

COnſtantio extincto, Iuliano facile cuncta ceſſere. Puer hic ingenio ſublimi, callido; & litterarum

A ardentissimo. Gallias sub primum accessum præ-
ter omnium spem, Alemannorum incursu vasta-
tas asseruit, regemque eorum cepit: inde Augu-
stus à militibus salutatus Parisiis, mortuo (vt di-
xi) Constantio, aduersus quem bellum ciuile pa-
rabat, Persis adepto imperio, bellum indixit. vbi
dum inconsultius agit, Persæ viri dolo in deserta
cum exercitu ductus, conto traiectus periit. Sunt
qui sagitta è cælo missa vulneratum dicant: vnde
in nefariam vocem erumpens, *Vicisti Galilæe*, (sic
B enim Christum appellabat) occubuerit. Christia-
nos impio quodam odio adeo insectatus, vt stu-
dia & militiam hisce interdixerit, plerosque præ-
miis & illecebris, quasi machinis, à vera pietate
auerterit. Quinetiã Imperator (ita Deo visũ) aduer
sus nos libros edidit: ille vero si ingenium indo-
lemque egregiam ad veram pietatem quam puer
imbiberat, cõuertisset, inter egregios principes ad
C numerari potuit. Decessit annos agens alterum &
trigesimũ: solus annũ vnũ, menses tres imperauit.

IOVIANVS.

HVic Varronianus pater, Pãnonia patria: sta-
turæ proceræ, ingenij amœni, nec à litteris
abhorrentis: qui à militibus primo Imperator sa-
lutatus, deceptis similitudine nominis, quasi Iu-
lianus reuixisset, cum Persis pacẽ magis necessa-
riã quã honestã, Transtigritanis prouinciis quin-
D que amissis, iniit. Accessit nouæ ignominiæ dede-
cus grauius; veritus Imperator Romanus Arsaci
socio opẽ ferre. Periit octauo imperij mense Da-
dastanis opido, dum cubiculum ingreditur noui
tectorij, prunis etiam ardentibus, siue (vt alij) sto-
machi cruditate, XXXIII ætatis anno.

VALENTINIANVS ET VALENS AVGVSTI.

DEdit & hos Pannonia principes Gratiano
E patre ortos. Primum Valentinianus ab ex-
ercitu Nicææ, inde Valens ab eo Augustus impe-
riique consors dictus: qui *Procopiũ* temere impe-
rium inuadẽtẽ, Constantinopoli oppressere. Inde
Gotthi & barbaræ nationes à Valentiniano Thra-
cia exturbatæ, Septemtrioque omnis cum Saxo-
nibus ad officium eiusdem opera redacti. *Parthi*
è Syria per legatos eiecti. In quieta *Germania*
Theodosij maioris auspiciis pacata. Ipse dũ *Qua-*
F *dorum* legationẽ latrocinia excusantẽ audit, subi-
to morbo venis arefactis, vt sanguis mitti num-
quã potuerit, obiit, Gratiano filio prius Augusti
appellatione donato, imperij accepti anno vnde-
cimo, mense octauo, die XX; vitæ LV. Valens post
fratris interitum Arrianæ factionis fautor, dum
aduersus Scythas & Gotthos prœlium ferocius
quam cautius ciet, victus ab his acie, vitam impe-
riumq. amisit, igne intra tuguriũ in quod confu-
gerat, iniecto. Digni imperio fratres & inter bo-
nos referendi, nisi Valens Arriano delirio virtu-
tes egregias inquinasset.

GRATIANVS ET VALENTINIANVS.

G HAud sane improbandum principem numi-
na terris dederant, si quãtũ litteris & milita-
ri disciplinæ vacabat ac venationibus, tantũ curæ
ad rempubl. cognoscendã impendisset. Nam pie-
tate in suos egregius, VALENTINIANVM adhuc
puerum Augustum dixit, patre patruoque exstin-
ctis. Mox THEODOSIVM Hispanum consortem
imperij asciuit. Verum dum spicula tãtum & ar-
cus meditatur, dum Alanum militẽ Romano præ-
fert, *Maximi* ducis insidiis circumuentus periit;
quum imperasset cum patre annos octo, cum pa-
truo tres, cũ Theodosio IIII. Valentinianus à Ma-
ximo emissus, Theodosiique ductu postea resti-
tutus imperium, Maximo tyrãno interfecto, mox
Eugenij & ipse post Maximum tyranni dolis vi-
ctus laqueo seipsum necauit.

THEODOSIVS.

HIc Honorio patre & matre Thermãria, haud dubie inter optimos principes adnumeretur; quippe qui rempub. Gotthicis armis pene oppressã, accitus ex Hispania (quæ illi patria) à Gratiano, restituerit, Maximum tyrannum & Andragathiũ præfectum eius subito incursu victos occiderit, Valentiniano imperiũ asseruerit: mox Eugenium tyrannum in Valentiniani vltionem sustulerit, non sine numinis manifesto indicio. cum multo minoribus enim copiis illi congressus, militante illi æthere, & coniuratis in eius auxilium ventis, vt poeta eleganter cecinit, victoriam insignẽ adeptus est. Fuit aũt hic princeps moribus & corpore Traiano principi similis: sũma in eo clementia, incredibilis in suos pietas, rei militaris disciplina sagax; nec à litteris alienus, simplicium ingeniorũ admirator, pietatis nostræ adeo obseruator, vt summa ciuilitate ab Ambrosio antistite castigatũ se adytisque prohibitum tulerit. Obiit Mediolani, ætatis ãno quinquagesimo, imperij XI.

ARCADIVS ET HONORIVS.

HOsce pueros Theodosius viuẽs, imperij cõsortes fecerat: & moriens, quando ætas rerũ moli non responderet, tres imperij tutores testamẽto sãxerat, Arcadio *Rufinũ* Honorio Stiliconẽ cõmẽdãs: Africæ vero *Gildonẽ* præesse voluit. Prior Rufinus, dũ Gotthica sollicitat arma, vt imperiũ metu ab Arcadio extorqueret, perfidiæ pœnas dedit: pariq; pœna Caianus, Rufini sceleris popularis, afficitur: inde mox Arcadius, quum Byzantij regnasset annos fere XIII, obiit Theodosio filio relicto. Maior rerum moles Honorium Romæ agentem excepit: qui rebellantem Gildonem quũ Mascezelis fratris ductu superasset; eundem quoque Mascezelem rebellem expertus, Bonifacij ductu vicit. At Stiliconis perfidia eo perniciosior quo occultior fuit. Nam magno nostro dedecore quum Gotthi Italiam vastassent vrbemque Romam cepissent, astu Stiliconis rem adiuuante, tãdẽ re ab Honorio cognita, Stilico cum filio sublatus est; qui genere Vandalus, & militaris disciplinæ scientissimus, Honorij etiam socer; si, quam operam in perdendo ad Fesulas Radagaso cum ducentis Gotthorum millibus præstiterat, in asserendo imperio præstitisset, nec Romam Alaricus Gotthorum rex vmquam cepisset, nec orbem totum cladibus assiduis inuoluisset. Decessit autem Romæ, quum annos duos & XXX. imperasset.

Romæ captiuitas.

NOn potui non vehementer mirari, tantam vel temporũ iniuriã, vel scriptorum inertiã, tum veterum tum recentium fuisse, vt, quum Romam orbis reginam captam ab Alarico Gotthorum rege, anno post eam conditam M CLXIIII, certatim omnes memoriæ prodant; seriem tamẽ rei aut indagandam non censuerint, aut indagatam, tamquam rem plane ignobilẽ nec scitu dignam, obliuione inuoluerint. Prò deûm hominũque fidẽ! vrbs orbis totius regina, quæq. eo auspicio condita credatur, vt caput orbis semper esset, & quæ toties de barbaris gentibus orbeq; triumpharat, capitur Gothico astu; & interim rei series ordoque nescitur. Ego vero id minime pariar,

& omnis

& omnis antiquitatis illustrandæ studiosus, hanc quoque rem tã memorabilem non negligã. Astu aũt barbarico capta traditur in hũc fermè modũ, quem Procopius solus ex omnibus quos legi, tradat: vt miret ab interprete vel rem totam dissimulatam, vel, quum in mutilum Græcum codicem incidisset, non animaduersam. Ille igitur in hanc sententiam: Obsederat Romam Alaricus iam biennium: nec Honorius, qui Rauennæ residebat, aut ferre suppetias poterat, aut audebat. Nam quum nihil minus quam de vrbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto, ducẽ exercitui minime præfecerat, qui rẽ aduersus Gotthos administraret. Vnde Gotthis obsidendæ vrbis cogitatio, Romano milite aut dilapso aut segniter rem agente. Verum eam frustra obsessam quũ expugnare vi nõ possent, ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat; trecẽtosq. iuuenes, corporis & animi vi præstantes deligit, quos Romanis principibus dono det; instructos prius vt omni obsequio dominos suos promereri studeant; & ad certam diem circa meridiẽ, quũ Romani principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam aduolẽt; interfectisque improuiso insultu custodibus, portã sibi præ-

A sto futuro aperiant. Interea Gotthi, quum reditum, alia atque alia deesse sibi simulantes, differrent, trecenti illi iuuenes occasione egregie vsi, portã stato die suis aperiunt: & intromissus Gotthus, maiore ignominia quam damno, vrbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illustris fœminæ & opulentissimæ opera patefactam Gotthis portam existiment, quũ plebem Romanã passim fame & morbis pecudum more cadẽtem, miseraretur.
B Duo sunt cognitu non indigna: Vnum, edictum ab Alarico fuisse vt, quicumque in templa diuorũ confugerent, præcipue Petri & Pauli, his nulla vis inferretur; quod & summa fide seruatũ. Alterum, quod quum nuntiatum Honorio esset Rauennæ Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse; admiratumq. vehementer tam subito periisse eum quicum paulo ante festiuissime luserat. Adeo socordis ingenij princeps, nec quidquam
C omnino paternæ auitæque virtutis referens: quod & Arcadio fratri vitio datum est. Nam Eudoxiæ vxori addictus, cum alia improbe fecit, tum Chrysostomum antistitem sanctitatis & eruditionis egregiæ, vxori plus æquo inseruiens, in exsilium egit.

IOANN. BAPTISTAE EGNATII ROMANORVM PRINCIPVM LIBER SECVNDVS.

D SEQVITVR abhinc ætas in qua mihi orbis totius clades, regnorum tristes exitus, imperia funditus excisa, mutationes rerum frequentissimæ referendæ sunt: vt intelligat mortalitas, nihil esse inconstantius iis quæ tantopere vt æterna miramur. Adeo enim vitæ fortunæque ista bona, in quibus opinione vulgi sita summa felicitas est, fragilia caducaque sunt, vt nihil his esse possit cladibus ruinisque magis obnoxium. quod cum
E vetera illa Asiæ imperia, tum vero nominis Romani maiestas facile declarat; quæ felicibus auspiciis orta, lætissimis rerum successibus aucta, viris clarissimis instructa, quorum virtute ac consiliis ad amplissimum fastigium sit euecta, legibus, institutis; deûm pietate illustrata, conciderit tamen & funditus euersa sit; vt, quemadmodum illa de toto terrarum orbe triumphos retulerat, sic nulla fere hodie in terris gens agat, aut antea fuerit, tam immanis, tam barbara, quæ non aut auitas
F iniurias, aut suas illi rependerit. Huc accessit quod eorum deinde qui sequentur principum partim ignauia, partim auaritia, res adeo nostræ pessum iere, vt ad rem Romanam sistendam, alienæ atque externæ virtutis eguerimus. adeo mascula illa Romuli proles & Italica virtus, simul cum imperij lapsu consenuerat. Nec Romani postea pontifices ambitione plusquam immodica, pronam iam per se in casum rem Italicam non funditus afflixere,
G dum studiis suis nunc Francos, nunc Germanos, atque alios quosuis potius quam Italicos principes patiuntur: illi vero quantum Romanæ atque Italicæ maiestati semper detulerint, vel illud argumento esse potuit, quum se Cæsares aut Augustos pro Henricis & Federicis dici malint; quũque se nunc Reges, nunc Imperatores Romanorũ appellari gaudeant. Ceterum nec querelæ locus hic est, & ipsa nostra hæc commentatio, etiam nuda, satis allatura doloris ac molestiæ legentibus est. Quare Theodosium ipsũ iuniorem aggrediamur.

THEODOSIVS IVNIOR.

QVinquaginta quot vixit annos, totidem imperio etiam præfuit. Nam puerum admodũ moriens Arcadius eum reliquerat sub tutela Isdigerdis Persarum regis: quod & bene cessit. Barbarus enim rex & tutelam summa fide gessit, & pacẽ cũ Romanis, quoad vixit, habuit. Is vero, Honorio defuncto, *Valentinianũ* ex Constantio & Placidia natum, data Eudocia filia in vxorem, Romã peropportune misit; quum turbatæ res essent tyrannorum libidine, qui rem Romanam inuaserant. Sub hoc tertia synodus contra Nestoriũ celebrata, Pulcheriæ sororis prudentia: nempe quoad illa est vsus Imperator, bene res gesta. Hic vxorem Eudociã Leonis Atheniẽsis philosophi vxorem duxit; quæ præter egregiam formam singularemque pudicitiam, etiam litteris excelluit, absoluto eo libro cui titulũ Græci Ὁμηρόκεντρα faciunt. Hoc principe Venetiæ felicissimis auspiciis mediis in aquis habitari cœpere, quum Honorius adhuc viueret.

VALENTINIANVS III.

ASseri fortasse in pristinum statum sub hoc principe res Romana potuit, si eius inceptis aut fortuna fauisset, aut imprudẽtia postea sua rẽ nõ afflixisset. Nam recepta sub aduentum suum Italia, cum *Genserico* statim Vãdilorum rege pacẽ sanxit, parte Africæ, vt videri voluit, contento: & aduersus *Attilam* Aëtij ductu rem feliciter gessit. Inde Maximi arte, viri per ea tempora potentissimi, Aëtium interimi iussit. vnde in vltionem ipse postea Romæ ab eius cõmilitonibus cõfossus periit. Hoc prĩcipe occidẽtis imperiũ, Frãcis Gallias, An-

glis & Scotis Britanniam occupantibus, Vandalis A Africá & ipsam vrbem populantibus, Hunnis Europam vexantibus & Italiam, collapsum funditus est. Petiit imperij & ætatis ãno xxx. De Aetio pauca dicenda hic sunt. Hic è Dorostana Mœsiæ, quũ disciplina militari excelleret, Constantio defuncto, ab Honorio principe illi sufficitur: cuius ductu Attila in cãpis Catalaunicis victus est, & Burgundiones repressi. Hunc postea Valentinianus quũ interfecisset, interrogaretq; ciuem quępiam B Romanũ, an iure occisũ crederet, *Iure an iniuria occideris, Imperator, Aetium, nescio: illud scio, quod sinistra tua dextra tibi abscideris*: nec falsus omnino vates. Nam eius morte Hunni rerum potiti, & imperium euersum est.

Breuis enumeratio eorum qui post Valentinianum Romæ rerum sunt potiti.

POst Valentinianum Romæ *Auitus*, senatorij vir ordinis, pręfuit: Auitum inde *Maiorianus* quadriennio, hunc *Seuerianus*, Seuerianum *An*- C *themius*, Anthemiũ *Olybrius* subsequutus: cui *Glycerius*, & Glycerio *Nepos* statim successit: quo per vim pulso, *Augustulus* male ominati nominis, rerum potitur: sob quo Romani maiestas imperij conuulsa per *Odoacrem* Herulum, sero admodum ad Francos rediit.

FL. VALERIVS MARCIANVS.

NVnc Imperatores Constantinopolitanos (quando illi tantum per illa tẽpora vigue- D re) ad Constantinũ vsque Palæologũ continua serie perstringemus, initio à Marciano sumpto: qui licet humili loco natus, militiæ tamẽ clarus, Pulcheriæ Theodosij sororis studio rebus præficitur; moderatus princeps, & rebus gerendis idoneus, si per senectam diutius viuere potuisset. nam pacem, quoad eius fieri potuit, coluit; illud sæpe vsurpans, *Dum in pace esse possumus, arma non induamus*. Is Tatianũ Iuliumq. fratres, qui olim aquilæ superuolãtis eius caput auspiciũ retexerãt, E viaticoq. ducentorum aureorum inopẽ & ægrotantem adiuuerant, statim vt princeps est dictus, alterum Illyrico, alterum Constantinopoli præfecit. Hoc principe Chalcedonensis quarta synodus celebrata aduers⁹ Dioscorũ & Eutychẽ, Leonis Põtificis Romani iussu. Imperauit annos sex.

LEO.

PRimus hic Græcanici vir sanguinis imperiũ tenuit, Asparis patricij factione adiutus. Cuius etiam filium Cæsarem quum inuitus creasset, postea eum Ardaburio fratre, vt insidiarum in se F auctores, interfecit; Leonemq; ex Ariadna filia & Zenone filium successorem sibi esse voluit. Is aduersus *Genserieum* Vandilorũ regem *Basiliscũ* ducem misit. Qui, si Zonaram sequare, victus nauali prœlio à Vandilis, aufugit; siue illud ignauia, siue proditio fuerit. Byzantium huius imperio magna ex parte conflagrauit, præterquam quod Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit autẽ annos xvii.

LEO IVNIOR.

HIc puer ab auo relictus, quum annum præ- G fuisset, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, patrẽq. pro se deinceps imperare iussit.

ZENO ISAVRICVS.

QVam varie rebus Romanis illuserit fortunę vis, hic Zeno facile cum plerisq. qui explicandi mihi principes erunt, probet. Vir obscurissimi sanguinis, & cũ facie deformis, tum moribus plane tyrannicis; vt Isaurum agnoscas. Hic Theodericum Ostrogotthorum regem quũ vuiee diligeret, in Italiá aduersus Odoacrem misit, consulẽ prius à se factum. Pulsus vero à *Basilisco*, factione vxoris, quum in Isauriam concessisset, non multo post reuersus, & Basiliscum expulit, (quem & inedia mori coegit) & annos xiii tyrannum verius quam principem egit. Sunt qui viuum adhuc inclusum ab vxore sepulcro tradãt; frustraq. resipiscentem, & opem quiritantem, obiisse. Hoc principe incendium adeo graue fuit vt præter maximá vrbis partem conflagratam, centum & viginti librorũ millia combusta sint: inter quæ & Homeri poema intestino draconis cxx pedum, aureis literis descriptum.

FL. VALERIVS ANASTASIVS DICOROS.

DIcorum hunc cognomento Græci appellarunt, à discoloribus videlicet oculorũ pupillis, quarũ dextra nigricans, sinistra cærula fuerit. Inter bonos principes vtique mihi referẽdus, tametsi ab humili loco ad imperium euectus Ariadnę Zenonis vxoris opera; nisi postea mutatus, Eutychianæ hæresi adhæsisset. vnde illi aduersus orthodoxos graue dissidium conflatum. *Bulgarorum* arma tum primũ audita, & *Saraceni* Alamũdaro duce Syriæ graues incumbebant. Hic tyrannorum aliquot seditione fatigatus, post octogesimum & octauum vitę annum, imperij vigesimũseptimum, fulmine afflatus periit, vlciscente grauiter numine pietatem toties ab impuro principe violatam.

IVSTINVS.

QVis credat Thracẽ hominẽ, armentariũ & sues agentem, sine tribu, ignotis obscurisq. parentibus ortum, & rebus præfuisse, & rem tum feliciter tum optime administrasse? Rexit tamen ille summa cum laude, & pietatis studiosissimus veræ Ioannem Romanum pontificẽ, ad se legatũ venientem à Theoderico Gotthorũ rege pro Arrianis quos expulerat Iustinus restituendis, venerabundus excepit: & principatum dolo partum (quippe qui acceptam ab Amantio eunucho pecuniá, vt militi pro Theocritiano præficiẽdo distribueret, in se suffragia verterit) magna virtute postea administrauit: nono imperij anno Iustinianũ ex sorore nepotẽ, quũ adhuc viueret, sibi successorẽ instituẽs: quo facto, non multo post obiit.

IVTINIANVS.

NEpos Iustino ex sorore, quũ annũ quartũ & quadragesimũ ageret, imperare cœpit: quod per annos vndequadraginta administrans, veterẽ Romani imperij gloriam mirum in modũ ampliauit. Primum enim *Persas* Bellisarij opera intra suos fines cõtinuit. inde eodẽ duce *Romam* à Gotthorum seruitute asseruit; *Africam* imperio pulsis Vandilis restituit; Narsete duce *Gotthicum* tandẽ nomen deleuit. Bis triumphatum ex instituto veterum Romanorum de Persis & Vandilis à Bellisario. Leges infinitis voluminibus antea dispersas, in L. Digestorum libros contraxit: Institutionum libros quatuor edidit: Codicem inuulgauit. Maximus certe princeps, nisi auaritiæ & delirij Euthychiani reus fuisset. Serici vsus è Persis ad Græcos hoc tempore transiit iampridem desitus.

IVSTINVS IVNIOR.

HIc ęmulus Iustini, & vt filius à Iustiniano in regia sẽper habitus, facili admodũ ingenio atque ad promerendam ex liberalitate hominum gratiam nato fuit. Cum *Persis* pacem fecit, tributo quod Romani annuum his expenderent sub-

lato,

lato. *Longobardi*, Germanica gens, à Narsete indignato contra Sophiam, in Italiam hoc principe irrupere: quam ab Alboino rege ad Desiderium, per cc & IIII annos, in principatus diuisam tenuere. Obiit graui pedū dolore, anno XI. imperij.

TIBERIVS.

Tiberius adoptatus à Iustino, rem per septēnium foris satis feliciter gessit: domi summa cū pietatis & liberalitatis opinione. quod si, quēadmodum *Persas* grauibus afflixit prœliis, sic aduersus *Longobardos* felix fuisset, nihil illo principe fortunatius. Obiit Mauricio genero successore declarato.

MAVRICIVS.

Cappadocem hominem virtus & rei militaris scientia, partaque eius ductu de Persis ingens victoria, imperio facile imposuit: quod sub initia *Persis* victis, *Scythis* afflictis, *Lōgobardis* repressis, & *Hūnis* è patrio solo in solitudines pulsis, feliciter administrauit. Mox auaritiæ studens, quū frustra Phocæ insidias, sōnio etiā admonitus præcauisset, dū miles stipendio fraudatus seditiosus agit, ab eodem Phoca imperio & vita priuatur; quum imperasset annos xx, vixisset tres & sexaginta eius etiā omnis prosapia sublata est. *Turcicum* nomen tunc primum Asiæ auditum.

PHOCAS.

Adeo præcipites in malū homines agimur, vt Phocas nec Mauricij auaritia admonit⁹, adepto imperio per Mauricij cædem, ab hoc vitio temperarit. Quin longe studiosius colligendæ vndiq; pecuniæ incubuit, & omnia ex Persicæ seruitutis instituto egit. Vnū in hoc homine laudes, quod Romanū pontificem principem omniū iure declararit. Cetera adeo socors & ignauus & frequentibus adulteriis infamis, vt quum Romanū imperium vndique barbari vastarent, stareto. solum eius nominis vmbra, conspiratum sit in illū ab Heracleona & Heraclio & Prisco, qui captum inertissimum hominem prius interfecere quam ferre suppetias eius milites potuerint, omni stirpe principis impurissimi sublata.

HERACLIVS.

Labente iampridem imperio, & prægrauantibus Persarum armis, Syriacum ipsis Hierosolymis expugnata, Heraclius accepto diademate à Sergio pontifice, primū omnium *Persicum* bellū parat: ad quos legatis antea missis pro induciis impetrandis, cōtemptim ab his habitus, adeo excanduit, vt differre amplius rē non potuerit. Responderunt enim impij hostes, non prius se Romanis pacem daturos quam Christum abnegasset Imperator. Quare ingentibus copiis in Chosroen ductis, victis eius sæpe ducibus, & cū omnib. copiis cæsis: mox profligato Chosroe, Persideq. omni in vltionē nostram igni ferroque vastata, lignū salutiferæ crucis recepit. Celebris adhuc est Christianis dies festus, argumentum victoriæ insignis, pacis videlicet partæ; & Tigridis fluuij inter vtrūque imperium termini. Triumphatumque egregie cruce prælata. Imperauit Heraclius annos 31. Nouo morbi genere periit, virili membro semper ita distento vt quoties meieret, lotio vultum aspergeret, nisi obiecta tabula id prohibuisset. Creditum est hæreseos Monothelitarum, in quā inciderat, & nequitiæ supplicium luisse. Hoc tēpore *Saraceni* Mahomete duce caput extulere. Quare breuiter de eius ortu & successu interim quædam perstringamus.

Mahometis ortus.

Ex Arabia, constanti veterum scriptorum fide, hoc malum orbi prodiit. Inde enim humili loco natus, dum locandis conducendisque camelis victum quærit, adolescens ingenij vafri, viduæ dominæ nuptiis & opibus mox auctus, Sergium monachum nostratem familiarem habuit: cuius adiutus opera, quū Christianos & Iudæos accusaret, hos vt impios, qui summum prophetā excruciassent; nos vt simpliciores, qui de Christo ridicula prodamus; paulatim latronum manum cogit; & diuinitate quadam inde sibi astructa facileque leuissimo hominum generi persuasa, cōsilium armis addidit. Inde rerū successu prosperiore elatus, Syriam vastat, & Damascū regionis caput expugnat. Tum vero in Persas arma conuersa. quibus congressus, & primo victus, reparandis copiis intentus, Scenitas sibi Arabas adiungit, gētem per ea tempora Romanæ militiæ assuetam, & quæ ob negata ab Heraclio stipendia, rebelles animos induerat. Sicque paulatim firmato imperio, & diuinitatis cuiusdā opinione persuasa, quā armis tuendā contra aduersantes præceperit, quadragesimo vitæ anno, veneno, (vt aiūt) à domesticis dato periit. In quo homine nescio magisne ingenij calliditatē admirer, an gentis eius stultitiā, an potius Christianorum principum socordiam, qui nec nascentem comprimere flammam (factu tunc facile) voluere, nec magnis postea rerū successibus auctam potuere. Vnde labes illa iam ad hoc æui non Asiam solum & Africam, sed magnā Europæ partem infecerit, vt iā de Christiana pietate tuenda in discrimen ventum sit.

CONSTANTINVS HERACLII.

Hic annum vnum quum imperasset, rectæ ac veræ pietatis cultor, Martinæ nouercæ insidiis, quæ Heracleonæ imperium astrueret, veneno tollitur. Illa vero, quum imperium male partū cum filio vix biennio tenuisset, à senatu cum decenni filio expellitur, amputata prius matri lingua, filio naribus.

CONSTANS.

Constans ex Gregoria & Constantino proxime relato proles, rerū potitur adnitente senatu, quò Martinæ scelus execrabatur. Hic auitæ impietatis heres, Martinum Romanum pontificē sibi aduersantem, comprehendi iussum, in exilio mori coegit. Cetera hominem non improbares, si impietatem & auaritiā demeres. *Saracenis* classe cōgressus victus aufugit: quibus paulo post dissidio laborantibus, biennij induciis impetratis, Italiam petiit, vt eam à Longobardico iugo liberaret. Sed quum Romam venisset, victus à *Longobardis* acie, quidquid antiqui operis signorumve fuit, intra quintum diem inde sustulit: vt plus ornamentorum paucissimis diebus vrbi detraxerit, quam barbari per 101 annos. Inde in Siciliā traiiciens, quum sextum ibi annum ageret, & auare & crudeliter tributum exigeret, dolo suorum interficitur, postquam annos VII ac XX imperasset.

CONSTANTINVS POGONATVS.

Meliore orbis fato Cōstātin⁹ imperiū excepit: qui maximus natu relictus à patre Byzantij, vt imperiū administraret, audita eius morte, in Siciliam venit: vlusq; Miziziū tyrannū, & cædis paternæ cōscios, bellū aduers⁹ *Saracenos* septē annos, terra mariq; feliciter gessit, Fatigati .n.

A bello maritimo Arabes, quod ex Cyzico à se capto, Byzantio singulis æstatibus inferebant, maxime ignis miraculo territi, qui sub aqua arderet, (Callicini inuentum) tempestate etiam graui oppressi, fere omnes periere. Nec terra felicius res eorũ administrata. Victi enim vna acie, xxx suorũ millia amisere. Quare pax honestissima sequuta; pollicitusque Mauias eorum dux, Ioanni legato Imperatoris ad id misso tributũ annuũ auri põdo B XII millia, seruorũ etiam honestorum & equorũ totidem. Sexta hoc principe verę pietatis celebrata synodus Constantinopoli. Pax vbiq. etiam floruit; præterquam quod *Bulgari* trans Danubium repentine bellum ostentarunt: quod quũ infeliciter gereretur, inhonesta pace Mysia his ad inhabitãdu data est, tributo etiã annuo promisso. Imperauit annos septemdecim, Iustiniano filio hærede, quum fratribus minoribus nares amputasset. *Pogonatus* appellatus, quod imberbis in Siciliam profectus, barbatus redisset. C πώγωνα enim Grçci barbam appellant.

IVSTINIANVS.

VLtimus Heraclianæ stirpis Iustinianus imperio præfuit, praui vir ingenij & varij, atq; à fide recta abhorrentis. Siquidem synodũ aduersus sextã à patre celebratã, indixit, bonis omnibus aduersantibus, & in primis Romano pontifice; quẽ comprehendi mandauit. Bellum aduersus *Arabas* & *Bulgaros* contra fœdera motum, vtrũq. D calamitosissimum gessit. Quare & crudelitate etiam in suos inuisior factus, Leõtij patricij & Callinici patriarchæ dolo deturbatur imperio, atque Chersonã relegatur, nare prius abscissa. Vnde mox fugiens, & ad Trebellium Bulgarorum regem fuga lapsus, eius opera restituitur, Tiberio, qui Leõtio successerat, fugato, & Callinico patriarcha luminibus priuato. Illud sæuitiæ hominis argumentũ traditur, quod quoties trũcas nares emũgeret, toties vnum ex iis qui Leontio fauerant, ad E suppliciũ rapi iubebat. Sexto demum & decimo anno à Philippico pulsus, quem, reclamante Cõstantino pontifice, acrius insectabatur, (venerat autẽ ad illum Romanus antistes accersitus, & ab Imperatore honorificentissime exceptus) vitã & imperium pariter amisit, sexto anno post exsiliũ, quum x ante præfuisset.

LEONTIVS.

LXXXVII annos ab Heraclio ad Iustinianum in vna gente imperatũ: (quod nescio an vlli priorum contigerit (quum Leontius Iustiniano rele- F gato, imperium sibi vindicauit: qui classe aduersus *Arabas* Africam occupantes ingenti parata, quum infecta re rediret, imperio expellitur, postquam tres tantum annos rerum potitus esset. Hũc ergo Tiberius captum (sic enim quam Absimarus dici voluit) adepto imperio, naribus truncatum custodiri iussit.

ABSIMARVS, QVI ET TIBERIVS.

HVnc classis in Creta Imperatorem dixit, qui Heraclium fratrem statim aduersus Arabas G omnia vastantes quum misisset, eius forti opera hactenus repressit vt à nostris abstinerent. Inde Philippicum nobilitatis præcipuæ Chersonam relegauit, quod aquila caput obumbrasse videbatur dormienti. Ceterum septimo post anno cum Leontio captus, à Iustiniano interficitur.

PHILIPPICVS BARDANES.

NVmquam maior principum impietas, maiorve (quod grauius doleas) socordia. Quippe hic adeptus imperium, sextę synodi decreta altera synodo infirmare contendit; gratificaturus monacho qui imperaturũ illum prædixerat, hoc prædictionis præmium petenti. quare quum loquentiæ multum huic inesset, sapientiæ parum, opesque imperij iampridem congestas dissiparet, passus etiam *Bulgaros* Thraciam populari, primatus oculis in ordinem redigitur, annu vnõ & mẽsibus sex vix expletis.

ARTEMIVS, QVI ET ANASTASIVS.

HIc adeptus imperium, quum optime quæ ad pietatem rectam attinent, instituisset ex põtificum assensu, classem ingentem aduersus *Arabas* in Alexandriam emisit. Verum classiariis quibusdam contumacius agentibus, qui illum oderant, domũ reuersi, Theodosium, ignobilem alioqui virum, imperio præficiunt: captaque Constãtinopoli, monasterio Anastasium includunt; quũ annum vnum, menses tres imperasset.

THEODOSIVS ATRAMYTENVS.

OBscuro licet loco natus, non pœnitendum Imperatorem egisset, si diutius illi per Leonem & Cononem orientis præfectos imperare licuisset. Verũ quũ Leonem exercitus Imperatorẽ dixisset, pertæsus belli ciuilis Theodosius, cessit imperio; monasticamque vitam amplexus, satis diu ac felix in ea vixit, quũ ãnos duos imperasset.

LEON ISAVRVS, SIVE CONON.

OBscuritatem generis (quippe qui apud Isauros natus exercuerat sedentariam) cum aliis sceleribus, tum vero impietate in Deum ac eius imagines, facile Leon æquauit: (vnde illi cognomen εἰκονομάχου & θυμομάχου Græcis) quarũ perdendi tãtus hominem ardor inuaserat, vt Iudæis duobus gratificaretur, qui illum tãto ante imperaturum prædixerant, vt & Constantinopolitanũ põtificem, Germanum nomine, aduersantẽ, sede extruserit, & Romanum antistitem obsistentem, cõprehendi iusserit. *Saracem* certe ducibus Masgalda & Solymano Constantinopolim triẽnali obsidione, terra mariq. fatigarunt. Verum peste fameque confecti, à Bulgaris etiam sæpe victi, classe magna ex parte igne sub aquis ardenti consũpta, paucissimis ex tãto naufragio seruatis, manifestam in se numinis iram sęsere. Nec minori interim clade in vrbe sæuitum: trecenta & amplius ciuium millia peste fameq. cõsũpta. Ridicula plane quidam de cælesti igne & nauiũ numero prodidere. Inde *Siciliam* Sergij præfecti opera rebellantem, ad officium retraxit. Circa finem imperij, quod quartũ & vigesimũ durauit annũ, graui *terræmotu* Bithynia Thraciaq. concussa: muriq. Byzãtij magna ex parte collapsi: quo Theodosij maioris & Arcadij filij statuæ ad terrã deiectæ. Et quæ res flectere impij principis animum ab impietate debuerat, tãquam in manifesta deûm ira, ille vero ad priuatum quæstum retulit, tributo ad restituẽdos muros imposito, vt in singula numismata quatuor & viginti obolos ęrario principis inferrẽt: quod postea in multas ætates abiit. Hoc principe Romani pontifices ad Francos primum respexere.

CONSTANTINVS COPRONYMOS.

IMpio patri scelestissima successit proles Constantinus cognomento Copronymi, quod infans baptismi lauacro admotus, medijs sacris alimoniæ excremento aquã polluerat. Is non solũ

patris impietatem in abolendis diuorum imaginibus reddidit, verumetiam grauiore scelere reliquias eorum aut cōtempsit aut combussit. quam in numina impietatem, immanitas hominis inuisiorem fecerit, dum nobilissimū quemque tollēdum è medio curat. Antistites certe Constantinopolitanos vnum & alterum, ignominiose prius habitos, & grauiter adhęc excruciatos, capite plectit. Hic *Bulgaricum* variante fortuna bellum terra marique gessit. Artabasdum primæ nobilitatis hominem, Imperatorem ab orthodoxis creatum, post biēnium à se captum, oculorum vsu cum liberis priuat. Grauissimā hiemem, vti Pontus Bosporusque ipse Thracius perglaciauerit, expertus, post infinita flagitia exquisitissimo cruciatu consumptus, obiit, imperij anno XXXIIII, duobus mensibus minus.

LEO.

Non imperij solum, sed paterni sceleris heres, aduersāte matre Bulgarici sāguinis piētissima, successit Leo; qui ad impietatē sacrilegiū etiam adiecerit. Nam coronam à Mauricio principe Deo dicatam, nefario capiti imponens, captus gemmarum & auri splendore, breui pœnas luit. Caput enim impium carbunculi apostemate statim intumuit: tandem ardentissima febri subsequuta, impium spiritum nefarius exhalauit, imperij anno vno.

CONSTANTINVS LEONIS F. ET IRENE mater.

Redditus tandem his principibus veteri religioni suus nitor, reddita vetus pietas, Irenes matris opera: quæ Attici sāguinis, forma insignis, sed probitatis opinione insignior, Leoni nupserat. Quare conuentu trecentorum & L. patrū Nicææ indicto, quæ septima synodus habetur, templis diuisq. suæ restitutæ sunt imagines. Nec multo post tamen Constantinus iam adultus, matrem haud amplius passus, imperio deiicit, eiectam in ordinem redigit. Nicephorum, imperatorij & ipsum stemmatis, in quem suffragia multorum tacite inclinabant, oculorum & linguæ vsu priuat. Et, ne quid sceleris deesset, Maria vxore in monasterio obtrusa, Theodorā concubinam inducit, matris consilio, vt filium inuisum omnibus faceret. vnde mox rerum sola potita, filium in potestatē redactum excæcat, eadē die qua sexto ante anno Nicephorū ille eodem supplicio affecerat: ipsaque non multo post à Nicephoro pulsa, in Lesbū insulam relegatur. Huius imperio, quod fuit cū filio annorum X. lamina inuenta est super cadauer his verbis; *Christus nascetur ex virgine: in eum credo: Constantini & Irenes imperio ô sol iterum me videbis.* Sed & Carolus à Leone Romano pontifice imperij corona donatur, virtutis & pietatis ergo.

NICEPHORVS.

Piget plane ac pariter me pudet, tot portentis verius quam principibus referendis immorari: nisi quod, præterquā quod rei series ita exigit, nonnihil & huiusmodi homines vitæ prosūt, dum eorum exitu & deterrentur pessimi, & optimus quisque ad virtutem honestumque accenditur. Nemo enim maiore hominum opinione ad imperium venit, dum singulos aut muliebris impotentiæ aut flagitiosissimi principis tędet: nemo nefarius aut crudelius administrauit: quorum sce-
A lerum mox pœnas meritas luit. A *Bulgaris* enim paulo ante à se victis, improuiso noctis assultu oppressus, ipse cum toto exercitu ad internecionem cæditur, Stauracius filius, saucius humerum, vix Adrianopolim euasit. Hic Venetam rē sociali classe aduersus Gallos iuuit. Populoniā dolo magis quam vi captam diripit.

STAVRACIVS.

B Adrianopoli, in quam euaserat, post patris interitum Imperator ab amicis salutatus, non multo post à Michaele Curoplate, Rangabe cognomento, qui Procopiam sororem eius in vxorem duxerat, imperio deturbatur, & monasterio includitur, postquam cum patre annos IX. imperasset.

MICHAEL CVROPLATES, RANGABE COGNOMENTO.

Melior pacis artibus, & pietate maior duobus à me proxime relatis, successerat Mi-
C chael, ti, quam in toga bonus, tam bellicis rebus administrandis viguisset: à quibus tantum abhorruit, vt ad vnam aduersam cum *Bulgaris* pugnā, à quibus castris etiam exutus est, ita conciderit, vt accepto nūtio de Leonis imperio, monasterio sese abdiderit, habenas regni facile concedens, post annum alterum imperij. Hic cū Carolo Francorū rege fœdus ita iniit, vt Veneti suis legibus ac iure
D viuerent, immunitate his seruata, quam ad eam diem in terra Italia retinuerant.

LEO ARMENIVS.

Pardi Patricij filius, magno omnium gaudio maiore spe, rei Romanæ præficitur nec conceptam de se hominum animis spem frustratus esset, nisi egregias virtutes crudelitate in suos & impietate in Deū mox fœdasset. Quippe qui parta de *Bulgaris* insigni victoria, quum ab armis quies esset, ad cædem multorum conuersus, diuorum i-
E magines deleri penitus iubet. Nec præsagiis aut somniis maternis cladem imminentem euadere potuit. Nam à Michaele Traulo, quem in custodia detinebat, noctu per insidias, dum sacris operatur, cęsus, obiit post annos imperij VII & mēses quinque.

MICHAEL BALBVS.

Amorium Phrygiæ superioris opidulum, dedit hunc principem, non humili solum, sed sordido etiam loco natum: (ad quę impietas quo-
F que accesserat, ex hæresi Iudæorum atque Thingauorum hausta) linguæ præterea vitio balbutiētē: vnde Græci τραυλὸν appellauere. Hic post interfectum Leonem, à quo ad tantā fortunam euectus erat, Thomam, qui tyrannidem inuaserat, vario primum rerum euentu, tādem oppressit: defectionisque socios cum ipso Thoma sustulit. *Saraceni* hoc principe ex Africa profecti, Cretam insulam occupant, totamq. fere in dicionē redigunt; Græcosque duplici prœlio vincūt. Ipse princeps, quū
G annos VIII. menses IX imperasset, Theophilo filio per manus imperium tradidit. Verus oraculum innotuit, *tum rem Romanam in lapsum præcipitem ruituram, quum balbus & auarissimus princeps imperaret*; qualis hic vir fuit.

THEOPHILVS.

Maior iustitiæ cultus in Theophilo filio: (quippe qui facillimū sese statis diebus adeuntibus exhiberet; & ad seueritatē interdū propensior, acrius delicta puniret) sed par impietas, vt qui diuorum imagines ex paterna æmulatione auersatus, non paucos qui eas colerent, ad mortē

vsque cædi iussit. *Saracenis* Asiæ prouincias va- A
stantib. bis cōgress⁹, bis vict⁹ est castrisque exut⁹. Quinetiā Amoriū, vnde illi gen⁹, ab iis obsessū & proditione captū diripitur. Quūq; annos duodecim rebus præfuisset, dysenteriæ morbo periit.

MICHAEL THEOPHILI, ET THEODORA EIVS mater.

FEcit Irenes Cōstantini matris administratio, vt fœminei non pœniteret imperij. Qua re B Theophilo vita functo, Michaele filio adhuc infante, & sub tutela matris ac principum virorum relicto, *Bulgari* Scythicum genus, pietatem nostrā populariter sunt amplexi, quum Theodora genitrix rebus adhuc præesset. Verum impotentiam muliebrem quis æquō animo ferat, vbi præsertim impietatem afferat? Nam & illa diuorum imagines exsecrata est. Ceterū impietatis pœnas mox dedit, à filio monasterio inclusa: qui non similior C quam patri, per summam ignauiam ac prodigalitatem rem afflixit, à *Saracenis* etiam castris exutus: nec minore insania circēsibus ludis oblectatus est: quibus dum plus nimio indulget, Basiliū Macedonem Barda interfecto, consortem imperij adsciuit: à quo mox occis⁹ est, imperij anno XIIII. quorum tres cum matre egerat.

BASILIVS MACEDO.

QVis crederet & hunc, captiuum inter vena- D les Constantinopolim adductum, Romanæ rei præfuisse, qui nec patriam, nec parentes saltem ciere posset? Præfuit tamen, & eo rerum successu, vt ad eius nepotes imperij maiestas trāsierit. Primū igitur adepto imperio, profusissimas Michaelis largitiones reuocauit, vt dimidium eorū quæ accepissent ærario inferrent: & tres liberos imperij heredes instituit. Inde in *Saracenos*, qui Cretam occuparant, profectus, ab his nauali prœlio E superatur: quos tamē alieno ductu post vicit. Hoc imperante, *Saraceni* ex Africa soluentes, quū Italiam magna ex parte vastassent, Dalmatiam quoque populati sunt, Rhagusio etiā capto: quos Nicephori Phocæ ductu, inde post eiecit, Bario in ditionem suam redacto, tametsi Veneti vna atq; altera expeditione rem Christianā iuuissent. Ceterum quum annos XX imperasset, à ceruo in venatione cornu ictus, mox periit. Vir frugi, & quē F principem non contemnas.

LEO BASILII PHILOSOPHVS.

COnstantino filio maximo natu (viuente adhuc patre) vita functo, Leo cognomēto Philosophus frater successit: qui *Bulgaros* desciscentes, Turcarum auxilio primo vicit: verum ab his per inanes inducias delusus, magna clade afficitur. Inde in *Saracenos* classe comparata, Nicetæ ductu egregiā victoriā peperit. Litterarū omniū, & astrologiæ in primis, peritus, & qui filium Cō- G stantinum imperaturum diuinaret. Tādem post annos V & XX, menses tres, alui doloribus fatigatus, Alexandro fratri imperium per manus tradidit, cui filium commendauit.

ALEXANDER.

NEc Basilio patri nec Leoni fratri similis Alexander successit, vir luxu & ignauiā perditus, annum & mensem rerum potitus. Qui quū nec ipse recte administraret imperium, & ignobilissimum quemque ac turpissimum rebus præficeret, erumpente naribus sanguine exstinctus est.

CONSTANTINVS.

SEptennem hunc pater Leo sub tutela matris & nobilium quorundam reliquit: quorum diligentia *Andronicus Ducas* tyrannidis inuasor oppressus est. Inde *Bulgaris* Thraciam vastantibus bellum indictum; quod feliciter sane Phocæ ductu successerat, nisi casu quodam consternati milites iam victores, in fugam conuersi fuissent. Eadem quoque fortuna alterius in Bulgaros expeditionis fuit, ducum discordia & ambitione, vt & Constantinopolis à Bulgaro hoste sit obsessa, & *Romanus Lecapenus*, Zoe Constātini matre prius eiecta, imperij socius adscitus à Constantino necessario sit; qui Helenā eius filiā in vxorē etiā duxit. Ceterū Romano in exsiliū pulso, Christophoroq; eius filio cum tota Lecapenorū gēte exstincto, ipse rem imperij per annos vndequadraginta satis prudenter administrauit, Beneuento de *Longobardis* expugnato, & tyrannis quibusdā oppressis, *Turcarum*que principibus aliquot Christiana pietate imbutis. Hic à litteris optimisq; disciplinis non abhorrens, quas pene exstinctas ab interitu vindicauit, librum Romano filio reliquit, in quo summam totius imperij, sociorum omnium fœdera, hostium vires, rationes, cōsilia explicuit: quem nos in bibliotheca nostra tanquam thesaurum seruamus; in quo multa de Venetis etiā nostris Imperator ipse disserat.

ROMANVS LECAPENVS.

NOn iusiurandum sanctissimum, quod præstiterat, nō gener Cōstantinus, obstitit quo minus imperiū & sibi & Christophoro filio Romanus vindicaret, Constantinumque pene in ordinem redigeret. Is vero quum *Bulgaricum* bellū contra Simeonem eorum ducem infeliciter gessisset, & sextum ac vigesimum annum præfuisset, tandē à Stephano filio captus, insulæ includitur: mox & eius filij à Constātino comprehensi, alter in Proconnesum, in Lesbū alter relegatur.

ROMANVS LEONIS IVNIOR.

VIr omniū ignauissimus luxuq; ac otio perditus, post Cōstantinum patrem imperium suscepit, Romanus nomine: quod tamen alieno arbitrio rexit: ingenio alioqui nō malo, sed interdum solerti, vbi animū adiecisset. Foris aduersus *Saracenos* qui Cretam occupabāt, Nicephori ductu; & aduersus *Turcas* Asiam vastantes, eiusdem Nicephori & Leonis fratris imperio felix: domi in matrē ac sorores impius, vt regia eiectæ, quæstum meretriciū sint amplexæ. Ipse ludis ac crapulę intentus, post tertiumdecimum imperij annum obiit, veneno etiam potionatus.

NICEPHORVS PHOCAS.

NObilissimus haud dubie Romano successit Nicephorus, cognomento Phocas, Phocæ Nicephori nepos, qui in Sicilia contra Saracenos res egregias gesserat. Simul ac igitur adeptus imperium est, classē in eosdem *Saracenos* occupātes Siciliam instruit: ipse in eosdē Asiam vastātes exercitū duxit. In *Sicilia* res infeliciter per duces acta: ipse *Ciliciā* & magnam *Asiæ* partem lætis auspiciis recepit: mox *Antiochiam* noctu aggress⁹, pulsis Saracenis, imperio subdidit. Sed quam bellica re fortunatus, tam domi infelix; dum auaritiæ socordięque sese emancipat. Ex quo in odium ciuium incurrens, facile à Ioanne Zimisce, adiuuante Theophania Nicephori vxore, noctu intra cubile

cubile interficitur, quum rerum potitus esset annos sex, menses totidem.

IOANNES ZIMISCES.

CLarus hic iam antea militari laude, imperium assequutus, Basilium & Constantinum fratres Romani iunioris filios, imperij consortes. adsciscit: in *Rhoxolanos* Bulgariam sibi vindicantes felicissime rem gerit: *Phocam Nicephorum* rebellantem capit: indeque *Bulgariam* omnem imperio adiecit, eiectis inde Rhoxolanis, Sphendosthlanoque eorum rege ad deditionem coacto, mox Constantinopolim reuersus, quum triumphantis specie inuectus vrbi esset, potionatus, post imperij annum sextum & menses sex decessit.

BASILIVS ET CONSTANTINVS FRATRES

NVlli diuturnius rerum potiri: quippe qui annos LIII præfuerint: & ne sine ciuili bello rem transigerent *Bardæ Scleri* ambitio fecit, quem inuasurem imperij, tamdem acie victum, ad Persas fugere cõpulere. Nec multo post *Phocas, Barda* cognomento, ab exsilio reuocatus, indignatusque post rem præclare aduersus Sclerum se duce gestam, ab Imperatoribus contemni, desciuit: quem & ipsum cæsum in acie superarunt. Inde in *Bulgaros* itum: quos prœliis aliquot victos, ad deditionem tamdem totius gentis Basilius compulit, vsus ad compescẽdam eorum perfidiam grauiore in victos pœna. Nam XV millibus eorum captis oculos effodit, vno tantum incolumi qui eis ad Samuelem eorum ducem præiret. Quare dolore animi Samuel affectus, non multo post obiit. Bulgaria igitur omni subacta, & imperij terminis vndique ampliatis, post LXX & alterum vitæ annum decedens, Constantinum fratrem successorem reliquit.

CONSTANTINVS.

HIc cum fratre particeps dignitatis potius quam potentiæ, post fratrem per summam ignauiam & luxuriam ita se gessit, vti obscurissimis & barbaris hominibus rem totam traderet. Illud eo principe dignum laude gestum, quod Diogenes qui Sirmio & Bulgariæ præerat, *Patzinacas* Istrum superantes vicit. Decessit tertio imperij anno septuagenarius, Zoe filia Romano Argyropylo in vxorem collocata.

ROMANVS ARGYROPYLVS.

HVnc Zoæ filiæ Constantinus, vt omnium nobilissimum, qui imperij heres esset, delegerat, optima de eo omnium spe: quam sub initia nequaquam frustratus est, quum multa in melius mutarit, summa etiam liberalitate in omnes vsus. Verum quum *Saracenica* Asiæ expeditio parum ex sententia illi cessisset, repente mutatus, totum se ignauiæ ac pecuniæ colligendæ tradidit: nec multo post Zoæ vxoris insidiis & Michaelis Paphlagonis adulteri dolo, intra balneas aquis immersus obiit, quum annos quinque & dimidium regnasset.

MICHAEL PAPHLAGO.

QVis non effrenem in quinquagenaria fœmina libidinem exsecretur? aut fortunæ ludum in hoc principe non admiretur? mancipium videlicet barbarum, nec vlla re nisi forma commendatum, mente etiam commotum, labensque ad singula momenta, spuma insuper oris fœda, septé tamé annos imperauit: nec malum omnino principem egit. Nam & tricennales inducias cum *Aegyptio* rege percussit, & *Edessam* obsidione liberauit: & domi in suos facilis ac beneficus admodum fuit: vni Zoæ propter expertam libidinem parum æquus. qui quum intercutis etiam morbo laborare cœpisset, Michaelem Calaphatem heredem imperij esse voluit.

MICHAEL CALAPHATES.

HIc adoptatus à Zoe, præter sordes parentum qui naues apud Paphlagonas pice oblinerent, (vnde Calaphates etiam dictus) auare ac crudeliter rem susceptam administrauit. ingratissimus enim in omnes, patruum auctorem tantæ maiestatis primum eiecit: reliquos deinde consanguineos exsecuit: inde Zoen matrem in insulam relegauit. Quod quum indignissime omnes ferrent, populi conspiratione restituta Zoe, fugiens cum fratre Constantino à turba capitur: & vterque oculorum vsu, familiari Græcis pœna, priuatur: mensibus quatuor & totidem dies rerum potitus.

ZOE ET THEODORA.

FLagitia principum, vt muliebre imperium æquius videretur, effecere. Quare sororibus duabus imperij fasces ac maiestas asserta. Ceterum, vt varium ac mutabile semper est fœmina, facile Zoæ ardenti adhuc libidine persuasum vt maritum asciscerет: Quumque aliquot fastidisset, Constantinum Monomachum, ab exsilio reuocatum, imperatorij & ipsum stemmatis virum, sibi adiungit, & Imperatorem pronuntiat, mensibus III vix exactis.

CONSTANTINVS MONOMACHVS.

HInc prima imperij labes, hinc reliquæ quæ consequutæ sunt clades, ortum habuere, principe adeo ignauo & libidine perdito, vt concubinam egregia alioqui forma, vxoris legitimæ loco habuerit, quam efflictim deperiret. Duplex illum factio sub initia, *Maniacis* videlicet *Georgij*, & *Leonis Tornicij*, est aggressa: sed Maniacis motus, qui ex Italia in Epirum transierat, vna pugna secunda & ducis morte facile compressus: Torniciana defectio, eo grauior quo diuturnior. Sed eo post aliquot prœlia tamdem capto, & oculorum vsu priuato, facile consedit. Hoc principe *Turcarum* arma tunc primum per Asiam latius euagata: victi tamen interim *Rhoxolani* & *Patzinacæ*, Scythicum genus hominum. Zoeque vxore septuagenaria fato mox functa, & ipse tamdem morbo prægrauante decessit, post annos imperij bissenos & menses octonos.

THEODORA.

NOn pudeat & Theodoram Zoes sororem, quæ biennio vix imperarit, nostris inserere commentariis: quandoquidem non muliebriter fœmina rebus præfuerit. Quinimo tanta domi forisque quies & otium fuit, tanta rerum omnium vbertas, vt fœminei imperij neminem pœniteret. Verum ingrauescente cum ætate morbo, illecebris eunuchorum Michaelem iam senem in curæ partem quum aduocasset, ipsa non multo post fatis naturæque concessit.

MICHAEL SENIOR.

VIx annum vnum rerum potitus erat, quum Isaacij Comneni motus in ordinem illum redegit, virum genere & opibus clarum, cetera minus ad imperandum idoneum, ætate etiam prægrauante: qui priuatus non multo post obierit.

ISAACIVS COMNENVS. A

TAndem virum fortem, & pace belloque illustrem Constantinopolitana res fortita fuerat, Isaacium scilicet Comnena gente nobili, si vltra biennium sceptri regnique potitus esset: verum ille lateris morbo inter venandum subito oppressus, quum de salute desperasset, cucullam monasticam indutus, regno se abdicat, Constantino Duca de senatus populique voluntate, successore declarato. Sunt qui scribant tanta continentia B eum fuisse: vti nec vxorem cognoscere vellet post prolem semel ex ea susceptam, quum tamen ad morbi remedium medici in primis consulerent vt coitu frequentiore vteretur.

CONSTANTINVS DVCAS.

ET hunc suorum conspiratio sub initia grauis exceperat. quam quum non sine discrimine compressisset, ad reip. administrationem cõuersus, non pessimum principem egit. Veræ pietatis cultor, & æqui obseruantissimus, sed auari- C tiæ studium prægrauabat, vnde inuisus suis, hostibus etiam ludibrio fuit, imperij res vndique vexantibus. accessit ad externa mala, familiaris Constantinopoli clades, grauis terræ motus, quo templa ædesque multæ corruere. sed morbo inualescente, Eudociæ vxori & filiis sceptrum tradens, anno septimo & mense sexto imperij, quum LX & amplius vixisset, excessit.

EVDOCIA ET FILII.

POterant res domesticæ fortasse muliebri pru- D dentia non incommode administrari, si à bellis externis quies affuisset: sed imminentibus vndique barbaris, vicit eorum sententia qui virum idoneum præficiendum rebus esse contendebant. Quare iurisiurandi oblita, quo marito morienti sese obstrinxerat, non superinducturam se imperij rebus maritũ aliũ, siue etiã coacta, Romanum cognomento Diogenẽ, filiis etiam non improbatibus, post menses VII imperij, virũ sibi adiunxit, qui remp. prudentia ac fortitudine tueretur. E

ROMANVS DIOGENES.

HVic Diogenes pater fuerat, haud dubie domi militiæque clarus, qui postea tyrannidis affectatæ reus, seipsum præcipitauit. Paternæ igitur laudis æmulator filius, quum victoriam egregiam retulisset ex hoste barbaro dign⁹ est habit⁹ quem Eudocia in tori curæq; parte acciperet: quã tamẽ nõ multo post facile pœnituit, quũ insolẽtiæ hominis pertæderet, qui rẽ ad se totã traheret. Prio- F re expeditio in barbaros Asiam vastantes vario rerum successu illi administrata: altera funestissima, Romano milite vel fugato vel cæso, ipso certe Imperatore (quod ad eam diem numquam contigerat) capto. Ferunt *Azan Turcarum* principem, ad primum nuntium capti Imperatoris Romani, vix credentem constitisse: mox ad se adductum & cognitum, in summo honore à barbaro habitum, & amplis donatum muneribus, pace inita dimissum. Sed Byzantij omnia ad primum cladis G acceptæ nuntium mutata erant, ipsa Eudocia relegata, Romano abdicatum imperium, & Michael maximus Constantini filius rebus præpositus. Ipse Romanus, quum bellum frustra pararet, tandem deditus, præter iurisiurandi religionẽ oculis immanem in modum prius effossis, deportatur in insulam: vbi non multo post decedens, ab Eudocia vxore sepelitur post annos tres, menses autem octo.

MICHAEL CONSTANTINI DVCÆ F. PARAPINACEVS.

IGnauissimum principem numina nobis (vt arbitror) iampridem infesta, dedêre, quem à fame quæ sub eo inualuit, Parapinaceum appellauere. Quum igitur imperij res pari ignauia ac sæuitia vexarentur, principe sub Psello magistro versibus tantum factitandis intento, Nicephorus Botaniates cognomento, haud dubie nobilissimus, imperium sibi asseruit: quem in socordis principis inuidiam ciues facile admisere, Michaele prius cum vxore & filio post sextum imperij annum, & menses sex, cœnobio incluso.

NICEPHORVS BOTANIATES.

APhoca Imperatore stemma huic ductum, quare tamquam omnium nobilissimus, Michaele facile reiecto surrogatur. qui Comnenorum fratrum forti primum fidelique opera vsus, qui *Bryennium* tyrannidis inuasorem, & *Basilacii* sustulerant, mox ab illis defectionem meditantibus, imperio deturbatur anno III quam imperare cœperat, ipse monasticam vitam sequutus. Alexius autem Comnenus, minor natu, militari turbæ acceptior, imperator salutatur: qui Byzantium ingressus, die dominicæ cœnæ sacratissimo magnæ hebdomadis, hostilem in modum vrbem totam diripuit, nullo non iniuriarum genere in ciues edito.

ALEXIVS COMNENVS.

SVccessit iam hinc familia, vnde hereditarium ac prope iustum in Græcam gentem odium ad nos transmissum sit. Nam etsi iampridem sub Photio schisma cœperat, manebat tamen qualiscumque Romani pontificis maiestas, & male sartam gratiam affinitates quædam cum principibus nostris initæ focillabant. Alexius autem, veluti ex professo hostis Latini nominis, præter bellum quod cum *Roberto Viscardo* infeliciter gessit, Venetis etiam armis adiutus, Gallorum memorabilem illam expeditionem, quam suspectam semper ab initio duxerat, perturbare conatus est. Ceterum non succedente consilio, his conditionibus commeatu & aliis necessariis rebus adiuturum se Gallos recepit, si quæcumque cepissent ex hoste, sibi restituerent. Ex ducibus certe nostris plurimum *Boamundo Normano* deferre visus est. Conuersus inde ad pacis artes, orphanotropheion erexit & museum: in altero pueros puellasque parentibus orbos alendos, in altero erudiendos instituit: sumptusque his ex regio vectigali datus. Ipse vero morbo fatigatus, post VII & XXX imperij annum, menses quatuor cum dimidio, moriens, Ioanni filio, reluctante in primis matre, imperium reliquit.

IOANNES.

IOannes, quem nostrorum quidam *Caloianem* appellant, vbi imperium adeptus est, suos omnes dignitatibus ornat, in Isaciũ fratrem propensissimus, quem incredibili caritate dilexit. Variis expeditionibus in Asiam vsus, *Turcas Persasque* prœliis aliquot vicit, vrbesque illis non paucas ademit: Latinorum militum fortem fidelemque operam semper expertus. Legatos ad Innocentium pontificem & Lotharium Imperatorem, victoriam de Rogerio gratulaturos misit. Tandem memorabili exitu in venatione sagitta venenata digitum dextræ saucius, post quintum & vigesimum imperij annum & menses octo, natu minori

minori Manueli sceptrum reliquit, quum Isacium vt minus ad imperandum idoneum reiecisset: non contemnendus omnino princeps.

MANVEL.

NVllus infestior in nos fuit, nulli inuisiores successus nostrorum fuere; vt *Corradum Germanum* & *Ludouicum Francorum regem*, variis insidiis fatigarit. quare coacti intempestiue Bosporum traiicere; quum in locorum angustiis à Græcis nostri cæderentur, fame quoque laborare cœperunt: sed famem morbus etiam subsequutus, gypso per summum scelus farinæ immisto. Quare indignatus Siciliæ rex *Rogerius*, bellum illi indixit, indictum fortiter gessit: vastata omni ora Græciæ, & Byzantio etiam per suos duces adeo insultatus, vt sagittas argenteas aureasque hortis regiis immiserint. *Venetis* etiam non minus infestus, contra ius gentium Henricum Dandulum eorum legatum violat: negotiatores, quos simulata pace euocarat, vno die comprehendit. ex quo Venetis armis pressus, tamdem promissa bonorum restitutione, æquis pensionibus pacem impetrat. Prœlium cum *Turcis* funestissimum gessit; in quo pene captus est. *Federicum Aenobarbum*, etiam Italicis auxiliis exercuit. Rectæ fidei dogmata perturbare per insaniam adortus, non prius abstinuit ab incepto quam omnes aduersantes sibi vidit. Demum quum astrologiæ peritissimus haberetur, sponderetque sibi multos adhuc vitæ & imperij annos, totiusque orientis imperium agitaret animo, post xxxviii principatus annos monasticam vitam sequutus, morbo periit, Alexio filio paruulo relicto.

ALEXIVS.

PAtri puer Alexius adhuc successit: qui fatigatus multorum insidiis, *Andronicum* maxime infestum habuit, virum callidum & impium; qui ex Isacio Comneno Ioannis fratre natus, nobilissimus haud dubiè habebatur. Is Constantinopolim ingressus, primum tutorem egit, inde participem imperij. Demum præter iurisiurandi fidem, dominici etiam corporis & sanguinis haustu sacratiorem, Alexium xv tantum annos natum, quum tres annos à patris morte rerum potitus esset, miserabiliter excruciatum necari iubet: capiteque abscisso reliquum cadauer in mare proiecit.

ANDRONICVS COMNENVS.

CAllidissimus mortalium ac sæuus, cetera non improbandus, si regnandi libidinem demeres, biennium rebus præfuit; omnibus ob insitam sæuitiam inuisus. Quare bello etiam à *Gulielmo Siculo* appetitus, quum vndique premeretur, tamdem ab Isacio Angelo præter suam omniumque opinionem, imperio deiicitur: captusque, ac per vrbem camelo sedens circumuectus, manu abscissa, oculoque effosso, turbæ vulgique tumultu sacer periit.

ISACIVS ANGELVS.

COmnenorum sublata stirpe, ad Isacium cognomento Angelum summa rerum præter omnium spem defertur. qui quum prudenter se gerere sub initia videretur, classem ad recipiendam *Cyprum* frustra comparauit. Bellum etiam cum *Mysis*, qui & *Valachi* dicuntur, Petro & Asane fratribus defectionis auctoribus, infeliciter gessit. Varias interim multorum tyrannides oppressit. *Federicum Aenobarbum* in Syriam properantem magnifice excepit. Ipse vero, quum in nostros beneuolo animo esse videretur, ab Alexio fratre, quem captum à Turcis redemerat Isacius, per summum scelus imperio oculisque priuatur.

ALEXIVS FRATRICIDA.

NOn ingratus in fratrem solum, sed plane impius Alexius videri possit, qui non solum maiori fratri imperium per scelus ademerit, verumetiam nepotem extorrem pateretur. Sed affuit non multo post grauis vltio. Restitutus enim nepos, patrem adhuc viuentem rebus præficit. Ipso autem Alexio fuga dilapso, nepos Alexius Isacij filius, post subitam patris mortem Imperator est dictus, Gallorum Venetorumque armis præualentibus.

ALEXIVS IVNIOR, ISACII FILIVS.

PVer annorum xii, quum Pannonas Gallosque per matrem vxoremque attingeret, Venetorum Gallorumque ope in imperium restituitur. Id vero præter alia in fœdere sanciendo diserte cautum, vt patriarcha Constantinopolitanus Romano pontifici, tamquam maiori, subesset: & damna Francis Venetisque à Manuele illata compensaret. Qui mense post restitutionem suam vix exacto, quum satageret rerum quas promiserat, à Murziphlo quodam ignobili, quem tamen ad summum dignitatis gradum extulerat, fraude puer necatur. Sed Murziphlus & ipse, non multo post in Peloponneso captus, & Constantinopolim retractus, per summam ignominiam & cruciatus obiit.

BALDVINVS FLANDRENSIS.

EXcellens Veneti sanguinis virtus, adiuta Gallicis armis, imperium quod tot annos factiosissima & turbulentissima Græcorum natio possederat, Latino nomini facile asseruit. Capta enim vrbe post Murziphli fugam, Balduinus Flandriæ comes, xv virûm suffragio Imperator eligitur. Veneti priuato suffragio Thomam Maurocenum (quando ita conuenerat vt ipsi antistitem darent, si Gallus imperaret) patriarcham designant. qui statim ad Romanum pontificem profectus, eum dignitatis suæ auctorem fecit: moxque reuersus, celeberrimo gentium conuentu, Balduinum imperij corona donat. qui vix anno circumacto, quum præter Adrianopolim cuncta recepisset, moriens fratrem Henricum successorem habuit. Sunt qui annos v imperatum prodant.

HENRICVS.

BAlduino fratri successit Henricus. qui pace cum *Valachis* firmata, & filia ducis eorum in vxorem ducta, domi forisque quum prudenter se gereret; in Thessaliam profectus, *Gulielmum* filium Bonifacij, regem Thessaliæ declarat: mox moriens, Iolantam filiam Petro Antisiodorensi nuptam, reliquit heredem, anno imperij xi.

PETRVS ANTISIODORENSIS.

HIc vxorio iure (quando mascula nulla supererat proles) inuixus, ab Honorio pontifice ad Laurentij fanum extra vrbem insignia imperij accepit. inde Venetis nauibus soluens, quum Dyrrachium in Venetorum gratiam frustra tentasset, à *Theodoro Lascare*, qui se Græcorum Imperatorem gerebat, per assimulationem pacis, præter iurisiurandi religionem & fidem, medio conuiuio obtruncatur. Sunt qui circa nemorosa Thessaliæ loca (Tempe ea vocant) insidiis captum, & in vinculis asseruatum prodant.

ROBERTVS FILIVS.

NVlli dubium esse potest, tres à me principes relatos pietate ac fortitudine eximios fuisse; quibus tamen fortuna haud sane arriserit: tum quod rerum diu potiri non est datum, tum quod in tanta imperij nouitate obnoxiam ac plane precariam potestatem agerent. Eadem prope sors Roberto affuit: quid ad paternæ captiuitatis nuntium Byzantium aduolans, quum sese optime gereret, Veneti nominis obseruantissimus, inuidiam vnius ex purpuratis suis sensit, qui abductam sibi ab illo sponsam iniquissime, ferens, impotens animi, cum domesticis in regiam irrupit, dehonestatamque naribus puellam cecidit. Quam iniuriam vlturus Robertus, dum Romam contendit atque inde reuertitur, in Achaia morbo decessit, re interim Veneto prætori demandata.

BALDVINVS.

QVasi fato euenisse dicas, vt quemadmodum à Balduino auspicia regni cœperant, sic in Balduino conciderent: parti Roberto sufficitur Balduinus filius. Cui, quod per ætatem tantæ rerum moli non videbatur idoneus, *Ioannes Brennius* socer adiutor datur. Qui, præualentibus Græcorum armis, quum Venetorum auxilio sæpe rem tutatus esset, tamdem oppignerato filio & crucis dominicæ parte, quin etiam templorum donariis omnium ablatis, quum ingentem exercitum ad Bospori fauces obiecisset, per eius absentiam à Michaele Palæologo proditione recipitur Byzantium. ita, dum externam vim formidat, domestica opprimitur. Anno igitur LX fere quam imperari à nobis cœptum est, Byzantium amissum est.

Lascarorum stemma.

DEtur & hoc ipsum cum studiosis omnibus, cum Lascareæ familiæ haud dubie clarissimæ; vt qui interim ad Adrianopolim rei præfuerint, non ignorentur quousque Michaelis Palæologi virtute Grecis iterum vindicatum imperium est. Imperator Alexius cognomento Angelus, quem fratricidam superius ostendimus, Theodoro Lascari filiam despondit; dotisque nomine imperij titulos genero tribuit. Huic mascula proles ex vxore nulla, fœmina tantum Irene filia fuit: quam *Ioanni Diplobatasio* in matrimonium iunxit, imperiumque illi per manus tradidit. Cui postea *Theodorus* filius successit: ex quo *Ioannes*: quem *Michael Palæologus* puerum quum interfecisset, ipse sibi & posteris per summum scelus imperium vindicauit.

MICHAEL PALÆOLOGVS.

VEhementis spiritus vir, quum illum fiduciariæ quodammodo tutelæ pertæderet, imperiumque sibi ac suis destinasset, *Gulielmum* Achaiæ principatu primum spoliat: inde Byzantio capta, cum *Venetis* bellum diu gessit: à quibus facile imperio deturbari potuit, nisi Genuenses obstitissent. Quare induciis initis, Lugdunum ad concilium venit, quod Gregorius pontifex indixerat: facileque illi cum Romano pontifice conuenit. ex quo tantam inuidiam Græcanicæ gentis contraxit, vt nec morienti iusta persoluerint, & locum sepulturæ negarint. Hunc annos quadraginta & amplius rebus præfuisse, nisi annales dubia prodant, certum est.

ANDRONICVS, ET MICHAEL FILIVS.

EX tribus maribus natu maximus Andronicus, imperium arripuit: qui Michaelem matre Vngarica natum, consortem imperij sibi asciuit. quo mox vita functo, præ dolore amissæ filiæ & generi, pater Andronicus *Constantinum Despoten* iuniorem ad imperij successionem inuitat. quod Michaelis filius Andronicus ægre ferens, in auum insurgit, Genuensiumq. auxilio fretus, ius omne ad se trahit. sed Veneti seniorem Andronicum quum restituissent, tamdem prægrauantibus Bulgaricis auxiliis & Genuensium; auus coactus Venetos destituit, partesque Ligusticas à nepote coactus amplectitur, & septuagenario maior tamdem moritur.

ANDRONICVS IVNIOR.

SEx annos & amplius bellum varium & anceps hic cum auo gessit; sæpe tamen reconciliatis animis amicorum interuentu, & gratia male sarta nequaquam coiuere. Tandem quum Byzantium nepos clam ingressus esset, in auum nihil vltra molitus, illum secum imperare, quoad vixit, passus est. Eo mortuo quum aduersus hostes Romani nominis res egregias gessisset, multisque victoriis clarus esset, vndequinquagesimo ætatis anno moritur, febre capitisque dolore intra quadriduum confectus.

IOANNES PALÆOLOGVS, ET IOANNES CANTACVZENVS.

MOrtuo Andronico iuniore, quum Cantacuzeni arbitrio, qui Magni domestici dignitatem supremam obtinebat, omnia prudenter gererentur, *Apocauci* fraude, viri obscurissimi, sed sollertia & calliditate inter principis amicos præcipuæ dignationis, & patriarchæ ambitione, in exsilium truditur. ille vero, iniuriæ impatiens, bellum quinquennale aduersus reginam & Ioannem gessit, *Turcarum* arma Europæ primus inferens. Ceterum rebus in dies pessum euntibus, proditur illi Byzantium. quod quum occupasset, nulli fere molestus, imperij tantum participem egit, filia in vxorem Ioanni tradita. Inde in *Genuenses*, sociis Venetis & Arragoniis, bellũ varia fortuna gestum, cui Nicolaus Pisanus dux præfuit. Nec multo post, bellum à *Palæologo* exule Cantacuzeno indictum, *Turcarum* in primis ope geritur: quibus etiam in Europa locum inhabitandum primus tradidit. Et quum ex Tenedo soluens, improuisus Byzantium ingressus esset, tamdem Cantacuzenus imperio se abdicans, monasticam vitam sequitur. Hic Ioannes *Matthæum* Cantacuzeni filium, consortem imperij agentem, tamdem imperium deponere coegit. Et quum multa fortiter administrasset, bella, moriens filio Manueli imperium reliquit.

MANVEL.

DE hoc nihil aliud memorabile proditum, nisi quod septem filios mares reliquit, quorum Ioannes natu maximus morienti successit.

IOANNES.

AVidus hic concordiæ pacisque, principibus cum sacris tum profanis Græciæ totius comitatus, Italiam petiit; Eugeniique auctoritatem secutus. Florentino concilio interfuit: paceque ac concordia perpetua (vt sperabatur) inita, mox domum reuersus, non diu superuixit, Iosippo etiam patriarcha Florentiæ defuncto.

CONSTANTINVS.

HOrret animus tantæ cladis recordatione; & luctu adhuc, tamquam in nouo malo, mens refugit. Vrbem totius orientis amplissimam, in qua Christiana pietas millesimum ac centesimum

supra

supra nonagesimum primum annum floruerat, vbi tot principes Christiani, tanta religio, tot diuorum templa, tot reliquiæ conditæ erant, paucis diebus quam oppugnari cœpta sit, ab immanissimis ac nefariis *Turcis* captam fuisse; in qua nullæ scelerum facies defuerunt; non dignitatis, non sexus, non ætatis habita ratio: stupra cædibus, cædes stupris additæ; ipsa diuorum templa diruta; ipsa ossa martyrum canibus suibusque obiecta. Constantinus Imperator, dum ad portam trepidus se recipit, fugientium trepidatione oppressus obiit: cuius caput hostis ad ludibrium pilo affixum totis castris gestauerit. Redemptor ipse Christus (pro pudor & dedecus nobis æternum) iterum cruci affixus, luto limoque vexatus est: eaque omnia repræsentata quæ in illum Iudæorum gens olim impia patrarat. Elogium inde additũ cruci, HIC EST CHRISTIANORVM DEVS. Triduum ciuitas vexata, atque ad arbitrium impotentissimi victoris direpta: inde quicquid regij sanguinis mares fœminæque illustres superfuere, aut inter epulas prægrauante vino, Othomani iussu fœde iugulantur, aut victoris libidini (quod grauius morte fuerit) deseruiantur. Incidit autem clades hæc in annũ salutis millesimũ CCCCLIII, quarto Calend. Iunias: qui dies funestissimus ac religiosissimus esse nobis semper debeat. Qua in re subeat ea reputatio, à Constantino magno Helenæ filio constructam vrbem esse, Romæ semper æmulam; sub Constantino, qui eiusdem nominis matrem haberet, captam, Turcarumque iugo ad hanc diem subditam; quum Nicolaus pontifex Romanæ præesset ecclesiæ, Fridericus Germanis imperaret. Nostri interim Veneti, quum classem ductu Iacobi Lauretani emisissent ad subitæ oppugnationis nuntium, hostis Turcæ celeritate præuenti, nullam opem lapsis iam rebus afferre potuerunt. Regnatum à Palæologis annos fere ducentos.

De Byzantio.

FVerit & hoc institutæ rei consequens, vt qui Byzantium primi condiderint, quæve vrbis tam celebris incrementa à prima eius origine ad ætatem nostram fuerint, & quam varia fortuna, perstringam. Nam si castelli vnius originem diligentius perscrutari non ineptum ducitur, cui, quæso, ingratum esse possit, vrbis tam vetustæ, tam amplæ, in qua imperij Romani maiestas qualiscumque tot annos viguerit, ortum casumque percepisse? *Byzantium* primo in angustissimo F Europæ Asiæque euripo posuere Lacedæmonij Pausania duce, *Lygos* ante dictum: quod variante deinde fortuna, dum incerti iuris possessio adhuc esset, Atheniensibus Spartanisque id sibi certatim vindicantibus, tandem libertatem sibi asserere, & dum neuter populus, tamquam propriam vrbem auxilijs iuuat, liberæ conditionis esse cœpit. per quæ tempora res eorum admodum floruit, agro fœcundo feracique in primis; & mari admodum opportuno; vnde vectigalia, vectigalibusque eo- G rum augendis piscium vis ingens ad eorum litora deferebantur. Quam commode posita esset, oraculi Pythij ambages arguit. nam consulentibus Græcis vbi vrbem conderent, data sors exciderat, sedem oppido cæcorum aduersam quærerent; Chalcedonios haud dubie innuens, qui priores in ea loca profecti Megaris, peiora legerant. Pisces etenim, ex Euxino in Propontidem illati, vbi ad Chalcedonense litus incurrere, territi candicante

A saxo, quod à vado ad summa pelluceat, aduersum Byzantij promontorium, ex ea caussa *Chrysoceras* appellatum, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantiis, Chalcedonensibus penuria. Primum cum Romanis fœdus aduersum Pseudophilippum à Byzantiis initum est: inde semper forti fidelique opera eorum multis variisque bellis vsi sumus, quousque Seuerus Imperator occupatam à Pescennio Nigro, eo occiso, fun- B ditus euertit, & in vici formam redegit, agro etiam eorum Perinthiis adiudicato. Fuit autem vrbis murus Milesio quadrato lapide, adeo indiscreta laterum structura, vt vna prope muri compages spectantibus videri posset. In huius ruinis Constantinus Magnus, aquilæ præpeti volatu ex Chalcedone illuc regulares funiculos terque ac quater inferentis admonitus, vrbem ampliore mœnium circuitu construxit, Romæ operibus & nomine etiam æmulam futuram. quam quum va- C riis signis ac monimentis vndique conquisitis ornasset, ante V iduum Maij, Deiparæ virgini dicauit. Quin & Valens mathematicæ prædictionis consultissimus, annos DCXCVI potituram rerum prædixit, quæ tamen adhuc duret. Portus duos habet, quos ductis vtrimque catenis, & turribus erectis, munitissimos reddidit. Illud est quod Diõ grauis in primis auctor memorabile prodiderit, septem turres eo artificio fuisse constructas, vt si quis vni inclamasset, lapidemve immisisset, soni- D tus ex omnibus redderetur æqualis, ita vt ex singulis proprius exaudiretur. Et quum multa ad ornatum nouæ vrbis conquisisset, cochlidem insuper porphyretici lapidis ex vrbe Roma aduehendam curauit: cui statuam suam, & clauum vnum Christi redemptoris cruciatu insignem, superimposuit, quæ Alexio Comneno viuente corruerit. Palladium etiam ex Ilio comportatum. *Principes* à Constantino cum diuersa fortuna, tum rerum vario successu, multi præfuere: magna tamen eo- E rum pars ambitiosi, crudeles, auari, & obscurissimi, quodque grauissimum sit, ab orthodoxa fide aut abhorrentes, aut etiam infesti, donec vrbs terræ motibus, incendiis, seditionibus intestinis obnoxia, quibus alimentum leuitas genti insita præberet, adde etiam principum instabilitate, in nefariæ gẽtis Turcicæ libidinem deciderit: in qua, non sine nostro graui dedecore, septuagesimum prope annum dominati fuerint, *Mahemetes* primus, inde *Pazaites* eius filius, & qui nunc omnibus formidolosus Syriæ Ægyptoque imminet, *Selimus*. Et quoniam Turcarum proxime meminimus, quinam illi fuerint, vndeve terrarum profecti, per quos duces eorum aucta res sit, breuibus explicandum est mihi: tum quia res memorabilis admodum sit, tum quod diuersa quædam quam nostri hactenus tradiderunt, & (ni fallor) similiora veri, proditurus sim: quum alij præter eorum nuda nomina, vix quidquam memoria dignum in multis retulerint.

De origine Turcarum.

TVrcæ, partim Caspio mari proximi, qui Asiam orientemque vastarunt, Caucasique veteres incolæ, qua parte ad Arctum vergit, partim inter Scythicas gentes relati, & Hunnici sanguinis, qui postea Vngari dicti sunt, existimati: quod ex Græcis auctoribus & Latinis aliquot colligas, Veteres scriptores (quod sciam) de his nihil, præter Melam & Plinium. ille præter nudum Turcarum nomen, in Scythiæ relatione nihil aliud ad-

pugnat. Venetorum arma in se sollicitat, Thessalonica his per vim adempta. Interim vna ab Vngaris ingenti pugna victus, induciisque ab his decennalibus impetratis, iterum ab iisdem Vngaris præter iurisiurandi fidem, Eugenij pontificis hortatu, bello petitur. quos duplici prœlio, ducum nostrorum discordia & ambitione, vicit: in altero ad Varnam Ladislaus rex Poloniæ, & Iulianus cardinalis obiere: in altero ad Basila victus Huniades, cæterique principes Vngari non pauci, præter gregarium militem, qui ad internecionem occubuit. Nec moratus, Peloponnesum, fratrum discordia iniuriæ obnoxiam, in dicionem redegit. Exinde reputans animo regni molestias, & fortunæ inconstantiam animo agitans, in Asiam abiit, solitariam vitam sequutus, & Mahometæ filio cura rerum demandata sub Calibassę tutela. quam non multo post repetere suasus, (ætas enim filij non satis idonea rei administrandæ adhuc videbatur) Epirum ingenti exercitu repetiit (defecerat enim fere vniuersa, Scanderbechio auctore) & Croia frustra per aliquot menses oppugnata, mœrore animi obiit, quum annos quatuor & xxx regnasset. Longum esset, si *Mahometis* eius filij res gestas explicem: quæ quantæ fuerint, nouum Othomanicæ familiæ Magni cognomentum ab eo quæsitum, & in heredes iam transmissum arguat. Is enim duo Christianorum imperia, Constantinopolitanum & Trapezuntium subuertit: regna duodecim nobis ademit, ducentas vrbes Christianam pietatem sequutas cepit: & in Chalcidem in-

A sulam armis, & Scodram deditione Venetis extorsit: bellum marinum per multos annos cum maioribus nostris gessit. Capham Ponticam vrbem expugnauit: Rhodum insulam frustra tentauit, Italiæ, capto Hydrunte, arma intulit: & dum plusquam ciuile bellum in maiorem filium meditatur, quum annum vnum & xxx præfuisset, obiit anno salutis nostræ MCCCC octogesimo primo, quinto Non. Maij. Quo mortuo, res Turcica ciui-
B libus armis aliquamdiu iactata est. Sed minore fratre victo & fugato, solus imperium *Pazaites* obtinuit. qui Valachiæ castella quædam quum expugnasset, inde in Sultanum Ægyptium copias eduxit: à quo sæpe victi Turcæ, tandem pacem fœdusque inire. Ceterum quum otij appetentior à natura videretur, nec tamen per suorum hominum ferociam feriari à re bellica posset, paratis terra marique ingētibus copiis, anno MCCCC nonagesimo secundo, Ceraunioтum montium ac-
C colas inuadit: tractumque illum liberarum semper ad eam diem gentium, Turcicæ seruituti subdit. inde septimo post anno, terribili classis apparatu Venetis Methonen Naupactumque, mox inde & Dyrrachium adimit. Quin & in Foroiuliensi agro trepidatum, Turcis fœde terram eam magno nostrorum damno vastantibus. Nec multo post pax sequuta, Andreæ Gritti patricij clarissimi opera, post quam non diu superstes Pazaites fuit regno à *Selimo* filio pulsus, qui rerum nunc potitur, ex quo annos ferme xxx imperitasset.

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI ROMANORVM PRINCIPVM LIBER TERTIVS.

VENTVM iam est mihi ad tertium atque vltimum institutæ commentationis librum: quæ mihi vt laboris & operæ minus, ita certe multo plus voluptatis allatura sit. Nam & à continuis imperij cladibus tantisper auertitur animus, dum lætiora persequor, & hi mihi principes posthac erunt referendi, quorum res gestæ, & domi forisque felicitas in plerisque tanta est, vt veterum Romanorum gloriam non pauci ex his æquent; certe recentiorum memoriam, eorum videlicet qui supra millesimum annum à me repetiti sunt, adeo obscurent, vt iniquissime propemodum faciat, si quis hosce illis conferat. Nam vt in plerisque sordes & generis pudendam originem sileam, quotus eorum, quæso, fuit, qui aut augēdæ reipubl. studuerit, aut auaritia non flagrarit, aut sæuitia in suos, in externos perfidia infamis non vixerit? adde veræ pietatis in hisce contemptum, tot hæreses ab illis, aut per summum scelus excogitatas, aut ad infamiam vsque & pontificum Romanorum exsilia & cædem, pertinaciter assertas: accessit odium plusquam hostile in Latinum nomen. Quid dicam quoties insultatum sit Romanis pontificibus? quoties eorum violata maiestas? Nam schismatis crimen eo grauius existimari debet, quo & concordiam nostrorum pontificum sæpius experiere, & expetitam pari leuitate reiecere: donec paulatim vetere labente disciplina, reque magis ac magis in lapsum prona, tum demum in præceps nostris temporibus acta, imperium

D tanta indole patrum & auctum ad Turcas trāsierit. quo factum est vt gens olim in terris ingeniorum acumine, tot artium sollertia, tanto rerum vsu celeberrima, addo legibus, institutis domesticis, eloquentiæ studio, & tot vrbibus ac coloniis per orbem deductis frequentia & amplitudine optime de humano genere merita, nunc aris focisque patriis expulsa, inops, egensque alienæ opis, aut erret profuga, aut immanium barbarorum
E iugo subiecta seruiat: vt iam in ipsa Græcia quæramus Græciam. Quod si verum est fruges & arbores pro soli terrarumque ingenio mutari, & de cælo mortales quod hauriant, naturam & mores induere: simile veri certe videri possit, Thracicam illam feritatem, & Bithynicam barbariem, quando hæc loca recentiores Græci tenuere, esse ab his haustam. & alioqui Thraces homines & Phryges, & (quod præcipue pudeat) Macedonum Cappadocumque mancipia, rerum potiti sunt, ne aliquot
F Isauricæ gentis ingeram, qui tametsi vsu consuetudineque Græcam linguam imbiberant, patrios tamen mores, quibus innutriti fuerant, retinerēt: vnde illis fortasse cuncta perdendi libido, tamquam non propria mœnibus, & Romani nominis Latinique contemptus ac odium, quod à principibus suis acceptum semigræci homines, nec quidquam auitæ indolis ac prudentiæ redolentes, si linguam vestitumque demas, in posteros transmisere. Siquidem diuinitus à Platone dictū, *quales essent principes, tales fere esse eorum qui bus*

obediant, *mores*. Ceterum querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, quum necessariæ essent, certe ab his nostris libris absiot: quibus id tantum agimus, vti rem obscuram ac prope obsoletam illustremus, & variis monimentis traditam, nec Græcis Latinisque hominibus satis exploratam, breui hoc volumine complectamur. Sumemus igitur auspicium, diis fauentibus, à Carolo Francorum rege, cui res egregie gestæ Magni cognomentum iure pepetere.

CAROLVS MAGNVS.

IRene Constantini matre Byxantij rerum potiente, quum Imperij Romani maiestas, omnia sibi barbaris vindicantibus, obsolesceret, nec in fœmina, quamuis altæ indolis, inesse præsidij multum videretur, Leo pontifex, scito Romani populi, clerique rogatu, Carolum Francorum regem, ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanorum Imperatorem primus appellat, iunctumque cum Pipino filio Augustum consecrat, anno ex quo in Italia imperari desitum post Augustuli interitum trecentesimo ac trigesimo, salutis nostræ octingentesimo, regni vero eius ex quo Francis præfuerat, trigesimo tertio. Dies tantæ rei iduum Decembrium delectus. Subsequutaque mox POP. RO. acclamatio, *Carolo Augusto magno & pacifico vita & victoria*. Huic Pipinus pater fuit, qui primus *Christianissimi* cognomentum tulit, ob nauatam Romano pootifici aduersus Longobardos egregiam operam. Carolus autem paternæ virtutis æmulus, sub regni initia bello defuoctus Aquitanico, Italiam, Adriani pontificis adhortationem sequutus, ingreditur: *Longobardorum* regnum, capto eorum rege *Desiderio*, Francico nomini subigit. *Saxones* sæpius rebellantes, tricennali tamdem bello vincit, &, quod ab initio semper egerat vera pietate imbuit. *Saracenos*, Hispaniam fere omnem vastantes, intra Bæticæ angulum compellit: & præsidiis Pompeiopoli ac Cæsaraugustæ impositis, dum in Franciam redit, *Vasconum* insidias passus, noo paucos ex suis, & in his fortissimum quemque amittit. *Sclauos*, *Danos*, & *Basoarios* tumultuantes, in dicionem suam redigit. Iterum Italiam ingressus, vt Romanæ ecclesiæ patrocinium semel receptum constanter tueretur, Beneuentanorum ducem *Aragisum*, Longobardorum reliquias adhuc fouentem, ad officium cogit. *Hunnicum* bellum octauo post anno felicissime conficit: quum eorum regiam, quæ Rhingus appellabatur, expugnasset, & thesauros opulentissimæ omnium gentis asportasset. Inde tertio in Italiam contendens, pontificis Leonis iniuriam vlturus, simul & eius caussam cogniturus, omnia ex sententia componit. Vnde illi post ingentia merita Imperatoria maiestas & posteris quæsita. Quare compositis Italiæ rebus, quum oihil grauius in Longobardos statuisset quam vt æquo cum Italis iure viuerent, & partito imperio cum Irene, in quo diserte cautum vt Veneti suis vterentur legibus, & bello paceve neutrius censerentur iuris, in Gallias redit: filioque *Ludouico* consorte imperij declarato, tandem moritur Aquisgrani quinto calend. Februarij, ætatis anno septuagesimoprimo, regni quadragesimoseptimo, post Longobardos debellatos quadragesimotertio, ex quo vero Augustus à Leone pontifice dictus est, XIIII. Fuit in hoc principe (quod incredibile multis videatur) pacis bellique par studium, insignis pietas, beneficentia singularis, humanitas quanta in superiorum principum nullo: in rebus bellicis maiorne virtus an felicitas exstiterit, nescias. Nullus certe ferociores gentes debellauit, nemo collatis signis sæpius dimicauit, nemo bonarum artium studia indulgentius fouit: ipse Parisiense gymnasium & Papiense, viris vndique doctissimis accersitis, instituit: templa diuis erexit: veræ religionis obseruator etiam in minimis fuit. Iniurias illatas ciuili animo tulit: in hostes raro acerbius sæuiit. Italicæ gloriæ ita studuit & quieti, vt præter Florentiam vrbem instauratam, classes quoque paratas habuerit, quibus Maurorum populationes arceret. His meritis ad hæc vsque tempora à multis vt cælitum vnus colitur. Eius monimenti elogium huiusmodi fuisse traditur, CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS CORPVS HOC CONOITVM EST SEPVLCRO.

LVDOVICVS PIVS.

IAm vti Carolo patri res egregiæ domi forisque gestæ *Magni* cognomentuio pepetere, sic Ludouico facilitas ac clementia, religionisque summum studium, *Pij* tertio ad hoc æui dedit. Qui sub patris mortem Aquisgranum ex Aquitania contendens, diuersarum primo gentium legationes audiit. inde *Dacicum* bellum ex sententia conficit: nec multo post, *Bernardum* ex Pipino filio nepotem, in Italia res nouas molientem, capitali pœna afficit: in antistites rerum nouarum auctores mitius actum: inclusi cœoobiis vita donantur. Et quum *Britones* reliquosque pacis turbatores compressisset, à filiis tribus captus, tamquam in Carolum natu minimum propeosior esset, imperium eiurare cogitur: sed tumultuante optimo quoque, restitutus pristinæ dignitati, non multo post partito imperio decessit Maguntiæ, quum imperasset annis vigintiseptem, vixisset LXIIII. Hic Stephanum Romanum pontificem magna Gallorum frequentia exceptum, & cruce magni ponderis donatum, à se dimisit. Quin & Paschali ius eligendorum præsulum remisit, sanxitque vt sacri ordinis homines à gemmis cultioreque vestitu temperarent. Quid facturus pientissimus Imperator, si luxum nostri temporis aduerteret?

LOTHARIVS.

TRes superstites liberi Ludouico fuere. Lotharius natu maximus, pterer Italię regnum, Narbonensem Galliam & imperij decus assequitur: Carolo Gallia omnis citra Mosam data: Ludouicom Germani regem sortiti. Sed noo diu mansit fratrum concordia: (violatus, credo, ab his pater, tanti sceleris pœnas exposcebat) quippe qui ardentibus animis inter se, dum paternam imperij diuisionem æquo animo non ferunt, infestis signis concurrere ad Fontanicum Altissiodorensis agri vicum: qua acie tot Gallorum millia vtrimque cecidere, vt conuulsæ prope imperij vires sint: victus tamen Lotharius & Ludouicus à Carolo: & quum bellum iterum repararent, iterum fusi, pacem petiere. Quæ his prope conditionibus data, vt imperij titulo Lotharius cum Italia & Narbonensi Gallia frueretur, Ludouicus Germaniam possideret, Carolus Francis à Mosa ad oceanum præesset: addita & ea Galliæ pars quæ Scalden inter & Rhenum iacet: ea nunc Lothoringia est. Lotharius, quum Ludouicum filium regni consortem adsciuisset, & imperij socium decla-

declaraſſet, xv poſt anno monaſticam vitam ſe- A
quutus eſt; tædio rerum aduerſarum (vt opinantur) affectus.

LVDOVICVS.

HIc Lotharij filius, eo viuente (vti diximus) regni imperiique conſors efficitur, Romæque à Sergio pontifice inungitur & coronatur: reuerſuſque ex Italia in Germaniam, poſt patris mortem cum Carolo Caluo Francorum rege diſcordibus animis fere ſemper vixit propter Au- B
ſtraliæ regnum, quod Lotharij fratris fuerat, & Caluus id ſibi totum vindicarat. ſed mox compoſitis rebus, quum annum vnum & xx rebus præfuiſſet, moritur, Ludouico filio ſuperſtite.

CAROLVS CALVVS.

REdierat Ludouico mortuo ſumma imperij ad Carolum Francorum regem, minimum natu Ludouici Pij: qui cum *Britonibus* & *Nortmannis* varia fortuna dimicauit: poſtea audita Ludouici morte, in Italiam profectus, à Ioanne pon- C
tifice corona donatur imperij. Quæ mox in *Saracenos* mouens, facile conatus eorum repreſſit: inde in Galliam reuerſus, breui Italiam repetit. aduerſus quem Ludouici Germani filij dum bellum parant, ipſe curis confectus, veneno à Sedechia medico Iudaici ſanguinis dato obiit, Ludouico Balbo herede. Notata in hoc Imperatore ambitio immodica.

LVDOVICVS BALBVS.

LVdouico Calui filio Ioannes pontifex impe- D
rij titulum, præter Italiæ multorum principum voluntatem, ſolus aſſeruit: qui è cuſtodia fugiens, cui Romani illum incluſerant, & in Galliam contendens, ratum Balbo imperium ſuo aſſenſu fecit: quod tamen valetudinarius princeps biennio vix obtinuit. Obiit anno ſalutis octingenteſimo octogeſimo, Carolo Simplice herede.

CAROLVS CRASSVS.

HVnc Craſſum à corporis (vt arbitror) habitudine dixere: qui Ludouici Germanici re- E
gis filius, à Ioanne obtinuit, mortuo Balbo, imperij coronam. Hic *Nortmannos Pannonaſ*que variis prœliis afflixit. Robertum autem Nortmannorum ducem de ſacro fonte leuauit, data illi in vxorem filia. Sed mox quum inutilis imperio, nec in eo ſatis præſidij videretur ad Nortmannos Gallia exturbandos, ob ſubitam vim morbi, abrogato illi imperio, poſt decennium deceſſit. Laudatur in hoc principe religionis ſtudium, & in litteratos homines beneuolentia, quos ad ſcribendum ad- F
hortari ſoleret.

ARNVLPHVS.

VT nihil certi affirmare de Arnulphi origine habeam, facit ſcriptorum inconſtantia. mihi tamen ſimilius vero videatur, ex Carolo Magno Ludouici Balbi prognatum. nec enim video qui fieri potuerit vt obſcuriſſimus homo (quod quidam aſſerant) imperio præfuerit, Gallis præſertim ſuos reges tanta veneratione colentibus, & ignobiles auerſantibus. Huius igitur virtus ef- G
fecerat, vt quando Carolus Simplex parũ idoneus haberetur, iſte imperaret. qui aduerſ *Nortmãnos* res egregias primo geſſit: mox in rapinas, templorumque ſpoliationes conuerſus, iuſta numinum ira plectitur. Nam & prior illum felicitas deſeruit, & breui pediculari morbo confectus obiit. Illud acceſſit grauius, quod imperij maieſtas in eo defecerit; quæ per annos centum tanta indole à Carolo Magno quæſita, neſcias mare Gallorum dedecore & infamia, an Italiæ damno, ad Germanos tralata ſit. Terra certe Itala ſub Gallorũ principatu adeo floruit, vt vetera Romanorum principum tempora non ſane deſideraret. Sed & anni ſexaginta vſque ad Othonem primum Saxonum regem, quibus nullum non calamitatis genus ſẽſit illa olim gentium alumna & parens Italia, fecere vt Gallicum nomen deſiderabilius foret. Ceterum de his alias.

OTHO PRIMVS.

SExageſimus fere agebatur annus ab Arnulphi morte, *Beringariis* interim Longobardici ſanguinis Italiam vexantibus, & *Vgone*, *Rodulpho*, & *Lothario* Gallis principibus rem ſibi interdũ aſſerentibus. Ceterũ cum Berengarius tertius cum Adalberto filio tyrannum verius quam principẽ ageret, acceſſitur à Romanis Otho: cuius tunc nomen ac pietas celebris erat, Boleſlao Boemo capto, & Vngaris prœliis aliquot afflictis. Ille igitur Saxonia egreſſus cum 1. millibus armatorum, Italiam per patentẽ Foriiulij portam ingreditur; facileque Berengarium & eius filium ad obſequiũ retrahit: quos, data venia, magna etiã Galliç Ciſalpinæ parte donat. Inde abiens, Ludouicum Franciæ regem, factione ſuorum carceri incluſum, eripit. Nec quieſcere diutius datum, Berengario & Adalberto res nouas molientibus: quos facile victos & captos, alterum in Auſtriã, alterum Byzãtium relegat. Inde Romã profectus, à Ioanne põtifice, primus Germanorũ principum, corona donatur imperij quem tertio Italiam repetens, quũ grauiſſimorum criminum reus agretur, ſæpe tamen antea vt reſipiſceret admonitum, coacta ſynodo officio deiicit, Leone ſuffecto. Hunc quum Ioannis põtificis neceſſarij, illo ſub Othonis profectionem redeũte, vrbe eieciſſent, ſtatim vlturus inſignem iniuriam ex Vmbria Otho aduolat; ac Romanis coss. in Germaniam relegatis cum præfecto Leonem reſtituit: *Saracenis*que ac *Græcis* qui illis adhæſerant, Calabria Apuliaq. fugatis, in Germaniã reuerſus Viennæ obiit. vir pacis belliquc artibus inſignis, pietatis autem aſſertor præcipu*, reb. præfuit annos xxx & amplius.

OTHO SECVNDVS.

HVnc ex Adelaida Lotharij vxore ſuſceptũ, pater ſucceſſorem ſibi inſtituit, & inungendũ à Romano pontifice curauit: cuius etiã opera Saracenos Grçcoſq. Calabria expulit. Hic mortuo patre, Henricum Bauariæ ducem nouis rebus ſtudentem armis domuit: & aduerſus Lotharium Francorum regem, qui ſibi Lothoringiam aſſerebat, Galliam ingreſſus, fœdis populationibus vaſtat. Ceterum dum reuertitur, in Axonç fluuij tranſitu graui incommodo à Francis affectus eſt, pleriſque militũ fluminis impetu, aliis ferro enectis: & dũ in Italiã feſtinat ad famam Grçcorum principum, qui Saraceno etiam milite inſtructi, Italiã ſibi vindicabant, his congreſſus ad Baſantellũ vincitur: ipſe ſcapha conſcenſa ad mare delatus, Romamque ex Sicilia profectus, Beneuentanos in primis vltus eſt, quos vti deſertores oderat. Beneuento autem incenſa, Bartholomæi reliquias inde aſportatas Romæ compoſuit: vbi non multo poſt fato vita deceſſit, decimoſeptimo imperij anno.

OTHO TERTIVS.

NOn pœnitet adhuc Germanorum principũ: quippe quorum virtute Chriſtiana pietas & res Italica reſpirarit. Cui reſtituendæ, auitæ pa-

terreque virtutis æmulus Otho tertius incubuit: A qui à principibus Germanis Imperator Romæ dictus, Brunonem Saxonẽ pontificem creat, Gregorium quintum appellatum. Inde Saxoniam inuisens, Romã, ingentibus mox copiis accinctus, minarum iræque plenus, aduolat. ferebat videlicet iniquo animo Gregorium ab his expulsum. Capta igitur Roma, & Crescẽrio auctore discordiæ à multitudine cæso, Ioãne adulterino põtifice luminib. priuato, Gregorius restituitur: qui statim B sanctionẽ eã tulit, quæ per quingentos annos adhuc durat; *Imperatorũ nullus hereditariã dignitatẽ vindicato: Principes sex, sacri ordinis tres, profani totidem eum deligunto: Hi si discordes fuerint, Boemiæ regem cooptando*. Nec multo post Otho vndeuigesimo imperij anno naturæ concessit. Fuit hic Veneto principi Vrseolo familiaris: in cuius gratiam quum Venetias inuisisset, voti reus, pallium aureum, quod annuum Veneti pendebant, remisit. C

HENRICVS PRIMVS.

IN Othonis locum ex Gregorij formula Henricus Bauarici sanguinis imperium adipiscitur; vir pietate insignis, nec armis vlli priorum principum minor: par sãctimonia ac innocentia Kynegundæ coniugis, quacũ Henricus cęlibem perpetuo vitam duxit: vnde etiam mortui diuorũ numero adscripti, miraculis illustres fuere. Hẽricus igitur post Germaniæ res compositas, Italiam in- D gressus, Capua *Saracenos* expulit: *Græcorum* ducẽ Troia à se munita spoliat. quibus gestis octauo imperij anno in humanis esse desiit.

CORRADVS SVEVVS.

POst trium annorum interregnum legitimo tamdem suffragio Corradus Francus eligitur, virtute ac militari disciplina ad tãtum fastigium euectus: qui comparato exercitu, Mediolanum diu obsedit; & quum supremum exitium vrbi E minaretur, deterritus oraculo, omnem grauiorem iniuriam abstinuit: Romamque profectus, coronam imperij à põtifice accepit. In *Selauos* inde ac *Pannonas* feliciter pugnatum, qui rebellantem Italiam socialibus armis adiuuerant: neque non *Rodulphum* Burgundiæ regem suis cõciliat. *Leopoldum* etiam pacis & otij turbatorem, bello petitum compescit. Mouendi belli caussa, quod sub initia imperij, legem seuerissimam tule- F rat, siquis pacem turbasset. Corrado autem post annum XV vita functo, Henricus successit.

HENRICVS II.

GEner hic Corradi, imperium accipit, & ante omnia Odelricum Boemię bello fatigatum, tributum annuum sibi pendere cogit. Inde Petrum regem ab Vngaris eiectum restituit. Ceterum pertæsus eorum quæ Romæ circa pontifices per summum scelus agerentur, Romam contendens, abdicatis adulterinis pontificibus aliquot, Bambergensem præsulem pontificiæ sedi præficit, quem Clementem secundum dixere: & vt caueret in posterum summorum pontificum secu- G ritati, iureiurando Romanos adigit, neminem creationi eorum interfuturum sine eius permissu. Capuaque aduersus Saracenos nouo præsidio firmata, in Germaniam abiens, duodeuigesimo imperij anno, Henrico filio superstite, ad superos abiit, quum Leonem nonum primo, mox eo defuncto Victorem secundum pontifices suo priuilegio declarasset: vnde Victor, in beneficij gratiam, Henricum adhuc puerum Cæsarem creari passus est.

HENRICVS III.

IS si, quam bello magnus, tam pacis artibus ac pietate insignis esse curasset, haud dubie Carolis & Othonibus æquari potuit. Nemo bellacior hoc vno fuit: nemo collatis signis ad hanc diem pluries cum hoste conflixit: quippe qui Marcum Marcellum & Cæsarem dictatorem supergressus, bis & sexagies pugnarit. In *Saxones* tamen & Rodulphum eorum regem arma sæpius intentata: quibuscum congressus, semper fere victor abiit. Quin nouissimo prœlio fugatum etiam Rodulphum interfecit: Mathildem pontificis partes in terra Italia tuentem vicit Henrici filij opera. Sed quam bello clarus, tam insectatione pontificum infamis: à quibus diris etiam pontificus primus Imperatorum post Arcadiũ petitus est. Nec caussas in præsentia exquirere libet. Certe numquam laudes Gregorium pontificem ab eo obsessum: adulterinum pontificem vnum & alterum superinductum: dolis & veneno etiam in illos grassatum: matrem, fœminam optimam, à filio expulsam atque in exsilio mori coactam: Gallorum memorabilem illam expeditionem sæpe impeditam. Sed luit mox pœnas. ab Henrico enim filio captus, & Leodij custoditus, pedore carceris post annum XLVIII imperij miseram animam efflauit.

HENRICVS IIII.

QVis non Henrici prolem agnoscat, impietatem paternam redolentem ex continua pontificum insectatione? Sed cui parceret homo nefarius, qui impias manus in qualemcumque parentem intulerit? Accessit ad impietatem animus dolo magis quam virtute, præter Germanorum morem, instructus. Quare Paschalem pontificem per summam perfidiam, in potestatem redactum, non prius dimisit quam ille cuncta rata quæ voluit, faceret: à quo coronam quoque imperij per vim expressit. Quæ mox, vti extorta sibi, quum irrita pontifex denuntiasset, Henricum in Italiam statim exciuit. Romæ ergo agens (quando pontifex in Apuliam vitabundus hominis furorem contenderat) ab Bracharensi antistite iterum corona insigniri voluit. Tertio quoque Italiam inuadens, Gelasium pontificem vrbe pellit. Cuius aduentum reformidans Henricus (quippe qui Nortmannicis armis instructus aduentare dicebatur) in Germaniam rediit: vbi post annum imperij XV obiens: maiorum sepulcro infertur.

LOTHARIVS II.

NOn est cur Saxonum principum pietatem ac constantiam in asserenda pontificia dignitate, præter alias egregias eorum virtutes, non magnopere commendes. Nulli certe ex his principibus qui Germanici sanguinis fuere, plus pontificum maiestati detulere, nulli religionem constantius fouere: id quod Lotharius à maioribus acceptum, velut hereditarium in Innocentio præstitit. Quem in Galliis pene exsulem, quum venerabundus excepisset, breui, vti pollicitus est, Barionæ sedi restituit: & in Germaniam ad componendos tumultus, qui exorti erant, mox profectus, breui Italiam in pontificis gratiam repetiit: eumque, pulso ex Italia Rogerio Nortmanno & pseudopontifice, ita confirmauit, vti nihil inde mouere pontificis aduersarij sint ausi. Sed breue imperium annorum vndecim, effecit

ne res

ne res felicibus auspiciis cœpta conualescere admodum potuerit. Satis constat hunc, quum principes Imperatorem dicerent, diu reluctatum esse, indignum se professum qui tantæ rei præficeretur.

CORRADVS II.

LVdouico Francorum rege contra *Saracenos* arma parante, Corradus gente Sueuus, legitime Imperator creatur. qui eandem militiã æmulatus, pia& ipse arma induit: sed Bosporum Thraciũ immature à Græco Imperatore traiicere coactus, quũ deesset commeatus, & qui à Græcis cõportabatur, gypso infectus esset per sũmũ scelus, ille Iconij obsidionem, in qua diu fuerat, soluere cogitur: decimoq; vix milite ex tanta nuper multitudine superstite, ipse in Germaniã retro abiit; & imperij anno xv inglorius obiit.

FRIDERICVS AENOBARBVS.

PEssimo iampridem exemplo pontificiæ cum Imperatoribus contentiones inoleuerant, dũ pontifices imperatoriam maiestatem, quam illi suo suffragio ratã facerent, contemptim pene habent; & Romani principes ambitionem in sacerdote præposteram æquo animo ferre non possũt. Vnde omnium malorum fons & origo his inter se decertantibus, quorum ope ac concordia res Christiana florere diutissime potuit. Id quũ alias experti maiores nostri sunt, tum vero hoc tẽpore vtinam non extrema cum nostra pernicie sentiamus. Certe Friderico ingentes animi corporisque virtutes affuere; statura procera, robur & agilitas par; disciplinæ militaris & gloriæ appetẽs, periculorũ contẽptor animus, non tamẽ vt ad ea subeunda prudẽtia deesset: multarũ rerũ peritia, liberalitas egregia, felicitas sũma. Quibus virtutibus instructus, in Italiam ex more descendẽs, primum omniũ Dertonã portas sibi claudere ausam, obsessam capit: inde Romam ad Adrianum pontificẽ profectus, coronæ insignia accipit. dũq. Cremonam inter redeundum obsideret, nuntiis Alexandri pontificis opem postulantis, ita respõdit vti rem in dubiũ trahere velle videretur. Hinc primum Alexandro timor, inde apertæ inimicitiæ exortæ: indignante Friderico suum arbitrium declinari, pontifice vero rem certã in disquisitionem venire recusante. Quapropter Imperator Octauianũ ad se venientem cõplexus, cõcilio habito, vt verũ pontificẽ adorat, & Alexandrũ Alexãdrique fautores insectatur: euersaque prius Dertona, quæ in partibus Alexandri stabat, Mediolanum inde solo æquat, Galliamque omnem Cisalpinam eadem sententiẽ vastat. mox in Germaniã abiens, tertio Italiam maximis copiis cinctus inuadit: Anconẽq. expugnat, & Alexandrum Roma fugere compellit. Ex vrbe autem pestilentia coactus abscedere, postquã iterũ suos Germanos inuiserat, Italiã repetit; & Asta vrbe capta, Alexandriam frustra obsidet: & quũ Papienses ac Nouocomenses obnoxios sibi imprimis haberet, corũ auxiliis fretus, prœlioque Mediolanensibus congressus, multos ex suis amisit: ipse fuga elapsus, quinto post die Papiæ est visus. Ceterum Alexãdro pontifice Venetias ex diuino errore confugiẽte, victo etiam nauali prœlio à Venetis Othone filio Friderici, (quod varia monimenta nobis attestantur, etsi scriptorum variet fides) tandem pax Venetiis sancita, Imperatorque ac pontifex ex diutina discordia amicissimi facti. Nec multo post Fridericus: dum rebus *Syriacis* opem maximo apparatu ferret, iamque Saladinum & Turcarum principes in maximum sui nominis terrorẽ coniecisset, minore etiam *Armenia* recepta, lauãdi caussa amnem ingressus, periit, quum annos xxxvii imperasset: *Aenobarbus* à colore barbæ rufæ appellatus.

HENRICVS FRIDERICI F.

ASperum, à moribus, appellatũ hunc à quibusdam video: qui rex Siciliæ, accepta Cõstantia Rogerij Nortmanni filia in vxorem, mox etiam Imperator à pontifice dictus, vt maior illi auctoritas accederet acquirendi regni, ductis in Tãcredum copiis, qui impari matre natus regnũ sibi vindicabat, reclamantibus etiam pontificibus, Neapolim frustra obsidet. Sed & pestilentia quæ grassabatur, auertit ab incepto hominem, retroque in Germaniam ad suos abire cõpulit. Tãcredo autem breui mortuo potitus Henricus regni, Maguntiuũ antistitẽ Philippumque fratrẽ in *Syriam* cum non contemnendis copiis misit. Dedit autem id magis pontificum gratiæ quã quod animum haberet Christianæ rei iuuandæ. Quare quum imperij anno octauo Messanæ mortuus esset, Germanus miles, qui Berytum iam in Syria munierat & Ioppen obsidione leuarat, tumultuose (vt mos est gentis) ex Syria in Italiam rediit, nec vllis pontificis adhortationibus in officio contineri potuit.

PHILIPPVS.

HOc primum tempore in Germania seditione laboratũ est, aliis imperij nomen ad Othonem Saxoniæ ducem, aliis ad Philippum Hẽrici fratrẽ trahentibus. Stabant autem pro Philippo ij qui Germanum hominem Saxoni præferebant; recẽs insuper Henrici fratris & Friderici patris memoria Philippum adiuuabant: &, ne quid ad alendam discordiam deesset, Othoni Anglus rex, Philippo Francorũ Philippus, ex professo fauebant: præualuit tamen Philippus, & fugato sæpius Othone, rerum tandem potitur, indignante etiam Innocentio pontifice, qui Othonem imperij infulis redimiuerat. Philippo autem occiso à Palatino comite, postquam annos nouem imperasset, Otho successit.

OTHO IIII.

PHilippo mortuo, facile à Germanis proceribus ad tollendam discordiã sufficitur Otho, pro quo haud dubie pontificis fauor stabat: quem & confestim corona donauit, quum Romam peruisset. Ille vero, quum & pontificiæ dicionis quędam opida capere, & Friderici iunioris regnum inuadere vellet, diris põtificiis petitus, imperij titulis priuatur: Fridericusque illi ex professo hostis, adnitente etiam Innocẽtio creatur Imperator. Quo nuntio in Saxoniã profectus, vt res componeret, bellum Philippo Francorum regi indicit: nec sine manifesta vi numinis & Gallorũ virtute, memorabili clade affectus Otho, in patriam se inglorius recepit, quum annos tantum IIII rerum potitus esset.

FRIDERICVS II.

VIguere in hoc principe, quod negari nõ possit, egregiæ corporis animique virtutes. Nãque auo simillimus, militaris laudis appetentissimus fuit. Corpus laborum non minus patiens quam strenuum: plurimum audaciæ ad pericula subeunda, non minus tamen consilij inter i-

ψsa discrimina: nullo vnquam labore fatigatus, nullis casibus victus, linguarum peritus, munificentiæ singularis, regij splendoris & ornatus ambitiosissimus, vt in ea profectione qua euocatus ad concilium ab Innocentio fuerat, ostendit. Namque tot & tales secum eduxit, vt togatum agmen exercitui par esset. Sed & vrbi Victoriæ à se conditæ ea omnia assuete quæ nulli vnquam principes habuerint, nulla postea cuitras simul viderit. Vestis varia & pretiosa, animantes feræ, cicuresque diuersi generis: hominum portentosæ formæ, & in his Saracenicus miles illi in primis acceptus. Tanta præterea incolarum frequentia, commerciis etiam multarum gentium aucta, vt nihil ad amplissimæ vrbis formam deesset. Ceterum has ingentes in principe virtutes calliditas ingenij ac perfidia, & sæuitia in *Guelphum* nomen, neque non in pontifices odium, obscurarunt. Accessit ad hæc libido hominis immensa, qui præter gentis morem concubinas multas & scorta aleret, scriptoribus etiam adstipulantibus, ne is qui toties exsecratione pontificia petitus erat, quique Italiæ adeo infestus imminebat vti eam prope ad internecionem redegerit, non omni insectatione dignus haberetur. Cum hac igitur vitiorum virtutumque indole Aquisgrani coronatus, quo se adolescens adhuc receperat, primum Othonem adhuc sibi obsistentem facile profligat: deinde paratissimis copiis de *Syria* vindicanda sollicitus, Gregorij etiam pontificis adhortatione Brundusium appulit: indeque solueus quum Anconem peruenisset, anathemati subiectum se à pontifice accipit: vnde iratum plenus abiens, ad Gregorium tamen supplex accessit: impetrataque ab eo venia, mox illum ludibrio habuit. Quare iterum diris pontificis obnoxius, in Italiam descendens, Mediolanenses pro pontifice sentientes prœlio vincit, & captum Petrum Teupolum Venetum eorum ducem, carceri inclusum crudeliter necat. In Venetos quoque fines incassum arma mota. Mox Pisas sese recipiens, *Guelphos* ac *Gibellinos*, perniciosissima Italiæ nomina, primus inuexit: quibus adeo Gregorium exercuit, vt ille non multo post obierit, prægrauantibus curis. Cælestino autem intra XII diem vita functo, successit Innocentius: qui, pertæsus hominis calliditatem atque animum in se hostilem, primum imperio abdicat, deinde anathematis spiculum in illum distringens, HENRICVM Thuringiæ Landgrauium (ea est dignitas apud Germanos) Imperatorem dicit: mox magnam Italiæ partem in illum armat. Parmaque per eius absentiam illi adempta, quum eam frustra Fridericus obsideret tamdem eruptione victus à Montelongo legato est: captaque vrbs Victoria, ac direpta. nec interim ea clade à pontificum iniuria temperauit. Ceterum Panormum profectus, Manfredi filij nothi dolo necatur, quum annos duos ac XXX rebus præfuisset. Hic Bononiense gymnasium, quia ciues imperata non statim fecissent, Patauium transtulit: ex Florentia etiam Guelphos populariter eiecit.

RODOLPHVS.

INterregnum à Friderici morte ad Rodulphum Habsburgensem per duodeuiginti annos fuit quo spatio Manfredus Friderici filius, & Corradinus, regno Neapolitano pariter & vita à Gallis spoliati sunt. Interim Rodulphus ex Comite (vti nunc vocant) Imperator declaratus, Alphonso Castellæ posthabito, qui eam dignitatem ambie-

A rat, Othocarum Boemiæ regem acie victum occidit: Pseudofridericum captum, qui se pro Friderico iuniore Sueuis ostentabat, Nouesij combussit, Ciuitates Hetruriæ libertate, accepta pecunia, donauit. quam rem Honorius pontifex, vti infamem, sibi tamen & Italiæ non inutilem, magis non probauit quam prohibuit. Obiit autem Rodulphus XVIII imperij anno, & Spiræ sepelitur. in quo si auaritiam non accuses, cetera non reprehendas.
B Italia certe tum primum aliquid sibi polliceri potuit, Luchino Italici sanguinis vicarij nomine tunc Mediolani præfecto. Floruit huius imperio Albertus cognomento Magnus.

ADOLPHVS NASSAVIÆ.

DOnatus imperij titulis hic, primum in Columbarienses mouit: inde in Albertum Austriæ ducem dum bellum parat, quem proceres Germaniæ, pertæsi Adolphi sordes & ambitioné, eo reiecto, Imperatorem declarabant, ab eodem a-
C pud Vangionas prœlio superatur, & occiditur, quum annos octo rerum potitus esset.

ALBERTVS.

RQdulphi superioris filius, & Austriæ dux, à patre Othocaro occiso, declaratus principum suffragio, & Bonifacij pontificis assensu dicitur Imperator: & Bonifacius eo libentius assensit, quum id obstinatissime antea negasset, quod Philippum Francorum regem oderat. Quare ea conditione Alberto ratum imperium fecit, vt re-
D gnum quoque Francorum sibi vindicaret. Ille vero, post Adolphum in Spirensi agro cæsum, quum copias tantæ rei idoneas pararet, à Ioanne fratris filio interficitur, post decimum imperij annum.

HENRICVS LVCELBVRG.

HEnricus ex Lucelburgo Romanorum Imperator designatur. Cui Clemens pontifex ea conditione ratum imperium fecit, vt primo quoque tempore in Italiam transcenderet. Quam prouinciam eo libentius Henricus obeundam
E suscepit, quod *Guelphici* nominis hostis, præualentes eius factionis opes infringere optabat. Per Taurinos igitur saltus Italiæ insinuatus, Mediolani factionem Turrianam oppressit, vicecomiti summa rerum demandata: inde Romam profectus, accepta imperij corona, & ab Vrsinis breui expulsus, adiuuante etiam Roberto rege, Hetruriam repetit: Aretiique agens post Robertum regno priuatum, dum Florentinis immineret, qui iam de salute desperarant, veneno in eucharistia
F dato periit anno imperij V.

LVDOVICVS BAVARVS.

HIC Rodulphi Imperatoris ex filia nepos, Fridericum Austriæ ducem aduersarium habuit, quicum per octo annos bellum varia fortuna gessit. Ceterum Friderico capto, & occiso, Bauarus rerum potitur, parique temeritate Imperatorem se citra pontificis assensum appellat. Qua iniuria offensus Ioannes XXII, illi sacris interdixit: verum homines iuxta ac numina contemnens, I-
G taliam mox petit: atque in vicecomites ingratissimus, quorum ope adiutus præcipue venerat, Castrutij filios pari improbitate, qui *Gibellinæ* factionis fautor acerrimus fuerat, paterno principatu exuit: Romæque coronatus à Stephano Columnio, Petrum Corbariensem pseudopontificem creat, minoritanæ familiæ vnum: quem & Nicolaum appellari voluit: & ne quid ad ferendas discordias malorum deesset, tyrannos in iis oppidis quę pontificij iuris erãt, priuata auctoritate instituit

instituit, pontificem æmulatus, qui & ipse Galliæ Cisalpinæ multos auctoritate sua regulos præfecerat: imperij tandem anno xxxii, quum varia tentasset ad reconciliandam pontificis gratiam, obiit.

CAROLVS IIII.

PRius quam hic imperium adiret, Germani principes Edoardum Anglum, & Misnensem principem, ac Guntherum Montis nigri regulum, Cæsares declararant. Ceterum altero post alterum vita functo, res ad Carolum Boemum deuenit: qui Ioanne Henrici Imperatoris filio natus adolescens adhuc, egregiam in terra Italia patri operam nauarat: quo ab Anglis interfecto ea acie qua Philippus Valesius Francorum rex ab hisce profligatus est, imperium adipiscitur: litteris ac linguarum multarum cognitione instructus, sed qui Boemiæ suæ quam Germanis aut Italis consultum mallet. nam quum Pragam (Boemiæ id oppidum, totius regni metropolis) variis operibus excoluisset, imperij maiestatem adeo neglexit, vt coronam tantæ maiestatis auctoramentum, turpissima pactione acceperit ab Innocentio, qua cautum erat expresse vt abacceptis insignibus confestim Italia abscederet: ad ditum & grauius facinus, quod Venceslaum filium adolescentem à principibus Germanis Cæsarem dici obtinuit, exemplo maxime improbando. Imperauit annos xxxii.

VENCESLAVS.

AVo patrique absimilis, per ignauiam ac socordiam imperij res afflixit: afflixissetque diutius, nisi à fratre Sigismundo captus, mox etiam procerum consensu abrogato illi imperio, Robertus Bauarus ei surrogatus esset. Hic Galeatium ex comite Mediolanensibus primus ducem dedit; quæ dignitas ad nepotes postea transiit; quo ad res Insubriæ ad Francorum regem rediit. Præfuit annos xxxii.

ROBERTVS BAVARVS.

QVum Venceslao suffectus esset Robertus Bauariæ dux, nihil ille antiquius habuit quam vt Florentino populo gratificaturus, ad comprimendam Galeatij vicecomitis potentiam in Italiam transcenderet. Ceterum ad Benacum Galeatij copiis congressus, facile repellitur: vnde mox ad Venetos deflectens, magno ab his honore excipitur: inde soluens, incassum Florentinis adnitentibus ne Italia excederet, in Germaniam retro abiit, paci religionique vacaturus. vita functus est anno imperij x.

SIGISMVNDVS.

OPrimum haud dubie principem ac nobilissimum Germania nobis imputet: & qui, si ad pacis artes, quibus excelluit, parem belli felicitatem addidisset, Carolis & Othonibus æquari potuit. nam puer adhuc, per Mariam vxorem ad Pannonici regni spem euocatus, mox adolescens Venceslao fratre, quod parum vtilis haberetur, à se capto, Boemiæ regnum hereditarium assequitur: sed & Alberto vita functo, omnium votis Imperator designatur. Hic igitur Pannonia potitus à Ludouici morte, cui Maria superstes filia fuit, duos ac xxx regulos securi percuti iubet, quod regiæ puellæ aduersati essent. vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata, vt post vxoris mortem captus, necandusque magis quam asseruandus, fœminæ, cuius maritum interfecerat, sit traditus: ille vero, maiestate oris & blanda oratione di-

A missus hinc Boemiā petit quā non sine labore vix tandem obtinuit, longo ab his bello ac difficili petitus, sæpe etiam acie victus. Nec Italica expeditio vna alteraue in nos Taurisino agro peruastato felicior. nā Pippus eius dux, & ipse, mox tota Venetia ac Foroiulio Venetis armis expellitur. Hinc, quia grauius periculum à *Turcis* imminebat, qui iam magnæ Europæ parti sese insinuarāt, Gallicis etiam Philippi Burgundi copiis accin-
B ctus, ab Amurate Turcarum principe graui prœlio victus, castris etiam exuitur, Cæsis magna ex parte ducibus & Philippo capto, ipse Byzantium fugiens, mox Venetæ classis occursu, cui Thomas Mocenicus præerat, incolumis de fuga vix euasit. Quæ clades ignominiosiorue an funestior fuerit, haud satis explicem. Discordia certe nostra victor hostis, Adrianopolim se recepit. & hæc foris. Quātum autem pace præstiterit, præter generis nobilitatem (quæ haud dubie clarissima fuit, tot sum-
C morum principum serie) & præter insignem corporis proceritatem ac imperatoriam plane indolem, affuit illi liberalitas ac munificentia quanta in nullo antea principum: religionis ac pietatis augendæ studiū incredibile: multarum etiam linguarum scientia & in his linguæ Latinæ studium excelluit: quare doctos homines in primis fouit, & dignitatibus etiam amplis honestauit. Accusauit sæpe Germanos principes qui Latinas odisset literas. A quibus reprehēsus quandoq;, quod do-
D ctos homines foueret, sed humiles genere: *Ego*, inquit, *eos amo quos natura alios antestare facile voluit*. Illud autem nulla vnquam ætas obliuiscatur, quod triennium magnam Europæ partem ipse peragrarit, dum principes Christianos ac pontifices adit quo schisma Christiano nomini calamitosissimum tolleretur. nec alterius principis opera magis enituit in vera pietate vindicanda. Quare ita effecit vt reiectis adulterinis tribus
E qui Barionæ sedem inuaserant, Oddo Columnius magno omnium consensu pontifex declararetur. Parem operam Eugenio in Basilensi synodo tollenda præstitit, à quo tamen prius contemptim pene habitus, ac vix post sextum mensem quam Senis fuerat, imperij corona donatus est. Hic vero princeps egregius, quum sine virili prole decessisset, Albertum Austriæ ducem, filiæ maritum, & vtriusque regni heredem reliquit, anno imperij
F xxvii.

ALBERTVS.

NEmo vmquam maiore spe ad imperium venit. Et sane conceptam animis hominum opinionem haud frustratus esset. siquidem toto biennio quo præfuit, *Moranos* ac *Sarmatas*, qui hodie *Poloni* sunt, intra suos fines quiescere compulit. Prasconem Boemum, factionis hæreticæ caput, ita attriuit, vt tota *Boemia* sibi cederet. In *Turcas* autem profectus, Synderouiam castellum
G ad Danubij ripam munitissimum obsidentes, dum copias in itinere maiores exspectat, opidani deditionem fecere, ipse Austriam repetens, apud locum cui Longauilla est nomen, dysenteriæ morbo confectus est, Ladislao filio superstite.

FRIDERICVS III.

PAcis atque otij studiosissimus Fridericus exstitit: quam tenore perpetuo annos quatuor ac L (tot enim rerum potitus est) coluit, seu fatum id fuerit, quietiore Germania quam multis retro actis ætatibus, seu prudentia verius id principis effecit. Ille vero nihil ab initio antiquius habuit

A quam tuendæ pacis ſtudio, tumultus qui oriebantur, ſedare. quare& ſeditionem mouentes *Auſtriales* facile compeſcuit, & bellum à Matthia *Pannonum rege* illatum compoſuit. Quinetiam in *Flandros* mouens, qui Maximilianum Cæſarem aſſeruarant, recepto filio, paucorum pœna contentus, omnem diſcordiarum fomitem ſuſtulit. Ducta igitur Heleonora Luſitanici ſanguinis, quum in Italiam tranſcendiſſet, ad Nicolaum pontificem profecturus, ab eo nullo non hono-
B ris genere excipitur; illi & vxori corona imperij impoſita. Hinc Neapolim diuertit in Alphonſi gratiam cuius Heleonora pernecesſaria erat. Nec minore apparatu à Venetis (eius enim vrbis inuiſendæ incredibili deſiderio flagrabat) obuiam illi itum: quos exinde ſumma ſemper amoris ac beneuolentiæ ſignificatione dilexit. Eius etiam opera Amadeus Allobrox, qui ſe pro pontifice gerebat, Baſileenſi concilio innixus, in ordinem ſe redegit. Iterum Paulo pontifice, priuati pene mo-
C re voti reus Romam petiit: quo damnatus, retro ad ſuos abiens, quieſcēte Germania tādem imperij anno quarto ac quinquageſimo naturæ cōceſſit, Maximiliano filio Cæſare prius declarato.

MAXIMILIANVS.

SVpererat mihi Maximilianus Imperator, quē pater octauo antequam moreretur anno Cæſarem deſignandum curarat: magnus bello princeps, & pace præclarus: cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus præcipuæ commendantur. Accedunt ad haſce animi dotes, oris probitas, ſtatura quadrata, in qua tamen imperatoria maieſtas eluceat, corpus validum ac robuſtum, idemque laboris atque operis patientiſſimum, par victus frugalitas, & ex eo valetudo proſperrima. De hoc autem, quum adhuc viuat Tranquillum Plutarchumque ac veteres alios ſcriptores æmulatus, nihil eſt quod addam. Deus faxit vt quod illum agitare ſemper animo Vincentius Quirinus aſſerebat, qui legatum Venetum egit apud illum, ſumma cum laude ex ſententia conficiat. neque enim iuſtius vllum eſt bellum quam quod pro religione ſumitur: & ea denique vera æternaque gloria principum noſtrorum exiſtimari debet, quam res præclare in hoſtes fidei geſtæ commendant.

FINIS.



TYPOGRAPHVS Lectori S.

IOANNES Baptista Egnatius, cùm annis onustus, ac lege communi rebus humanis exemptus Cæsarum historiam imperfectam nobis reliquerit, virum de literis humanioribus non malè meritum interpellaui, vt elogia Friderici III. successorum ad Rodulphum II. describeret. Ille nostris postulatis annuens ex Neotericorum libris pauca quædam, sed prolixa satis suo iudicio, collegit ex probatis scriptoribus, quæ iuris facimus publici, tibique grata vouemus & vtilia. Vale.

MAXIMILIANVS I.



NATVS anno 1459. Martij die XII. ad annum 12. vsque hebetioris ingenij linguæque impeditioris vitio laborauit. Sed illud Naturæ impedimentum, cùm adoleuisset, sapientiæ & eloquentiæ sublimitate superauit. Cunctos suæ ætatis in orbe Christiano reges, heroici ingenij vigore, solertia, pietatis ardenti studio, magnificentia, generosi spiritus inuictique animi magnitudine secundis pariter & aduersis casibus omnium iudicio antecelluit. Vita eius priuata ornata fuit exemplis non simulatæ sanctimoniç, honestatis, grauitatis, tēperātiæ, sobrietatis, castitatis. Cū viris doctis de fidei veritate, de omnibus philosophiæ partibus, de arte medica præcipuè, de mathesi, de historia suauissimè collocutus, & in ipsis curam lectionis ac meditationis assiduè acuit, & suo exemplo hortatúque ac spe præmiorum amplissimorum, cùm omnium liberalium artium, tum verò in primis historiarum studia in Germania, tunc adhuc profunda barbarie obruta, & solidæ eruditionis fontes ignorante, vnus excitauit. Huius exemplo inuitati Germaniæ Principes Academias illustres erexerunt.

Bella gessit plurima, difficillima, domi forisque, sed necessaria, iis exceptis in quæ fœderum occasione fuit pertractus, in quibus quoties à partibus eorum stetit, qui cælestia spernentes, terrestria tantùm cogitabant, toties fortunam expertus est aduersam. Tyrocinia prima fecit in bellis Sicambricis, & Belgas factiosè tumultuantes ita prœliis aliquot & obsidionibus toto octennio attriuit cōtuditque, vt aliquot vrbibus vi faméque expugnatis, cæteræ territæ vicinarum cladibus pacem suppliciter poscerēt, & ad officium reductæ feliciter deinde viuerent. Initia tamen in motibus Belgicis Maximiliano parum læta affulserunt. Brugenses enim biennio post electionem captum arctéque custoditum, & contumeliosè habitum, vt terrore eum assiduo insuper ceu excruciarent, atrocia suorum in vrbe indignáque supplicia spectare assiduè coegerūt immani quodam furore, donec totius imperij auxiliis à patre liberaretur.

A Matthiæ Coruini excessu bellum Hungaricum aggressus, non solùm occupatas vrbes Au-
A striacas recepit, verùm etiam multas alias in ipso regno expugnauit. Nec magno negotio tunc totum perdomuisset regnum, præcipuis vrbibus ad spontaneam deditionem paratis, nisi ex pacto Vladislao Boëmiæ regi procerum suffragiis expetito id concedere visum fuisset satius, retento solo iure successionis, vt deficiente mascula sobole Vladislai, in suos posteros regnum deuolueretur. Sequuta sunt deinceps bella Italica, funesta admodum & grauia, in quibus inimicam crebrius
B quàm propitiam fortunam expertus, tandem iis excidit omnibus quæ occuparat. Propter Caroli octaui irruptiones in Italiam, & vt de bello Turcis inferendo maturè deliberaretur, Maximilianus indicto conuētu, VVormaciam imperij principes congregauit anno 1494. sed irrito conatu.

Eum exercuit & bellū Helueticum, quod motum anno supra millesimum proximo ante quingentesimum, varióque gestum euentu multa hominum millia deuorauit, Heluetiis partę liberta-
C tis conditiones & ablatas Austriacæ domui prouincias pertinaci manu retinentibus, iugúmque, quod ipsorum ceruicibus imminebat, acerrimè propulsantibus. Octies quum dimicatum esset maiore Maximiliani quàm hostium clade, tandem transactione bellum compositum est Basileæ anno eodem, decimo Calendas Octobr. Inde ad Bauaricum bellum deuentum est, vno anno cœptum & confectum anno 1504. aduersus Rupertum Comitem Palatinum, qui prælio fractus,
D intercedente Friderico Saxone Maximiliano dignitatem suam clementer tuenti tandem reconciliatus est. Anno supra millesimum quingentesimum octauo, pōtificio instinctu bellum Venetis illatum est, fœdere inito inter Europæ reges, in quo Maximiliani conditio fuit eo deterior quàm reliquorū, quo æqui iustique ipse fidei pactorúmque fuit obseruantior. Nihil enim in tanto Principe fucatum, insidiosum, suspicax, nihil captiosum, ambitiosum, vel auarum fuit. Naturâ
E enim ad veritatem, candorem, iustitiam & æqualitatem ferebatur, ac fraudulentas simulationes oderat, alienus ab iniusta sæuitia, moderationis amans. Consilia dirigebat exquisito grauique iudicio, non ad distractiones voluntatum, non ad inuoluenda ingenia vel negotia, non ad alendas simultates, non ad oppressionem & euersionem aliorum, sed ad concordiam cum salute & maiestate imperij coniunctam.

Conspirarunt igitur in Venetos Maximilianus Cæsar, Iulius Pontifex, Ludouicus Gallus,

Ferdinandus Hispanus, Alphonsus Ferrariensis. Cameraci fœdus ictum est. Ad hoc Maximilianus eò facilius accessit, quòd occasionem quæreret vlciscendi priore bello à Venetis illatam sibi cladem ad Petram Castellum & ad Caducium, cùm à Carnicis Alpibus & ad Tridentinas fauces copiis præmissis, ipse sequi, & Romam solennis renuntiationis causa proficisci constituisset. Qua de re priore anno septimo in Constantiensi conuentu cum principibus Imperij deliberauerat. Bellum illud plenum variis casibus, atrox prœliis, ipso etiam fœdere sæuum, Guicciardini historia prolixè describit, confectũ cũ multa clade gentis Italicæ, quæ iustissimo Dei iudicio in tristissimis pœnis hæsit per aliquot annos. Quum verò in annum nonum gestum esset à Maximiliano, nullis interruptum induciis, tandem compositum est, pace inter Carolum Ferdinandi Hispani & Isabellæ hæredem, & Franciscum Galliæ regem, qui Ludouico XII. successerat. Conditionibus non refragatus est Maximilianus iam senex, qui & bellorum pertæsus, & auxiliis Helueticis diffisus, quibus dimissis paulò ante ex Italia sese nulla re memorabili gesta receperat, nepotis sui commodis tunc obstare noluit.

His ipsis annis commouerunt sese paulatim semina motuum popularium ex Helueticæ libertatis conspectu deducta. Circiter annum 1502. in Spirensi diœcesi scintillæ tanti incendij paulatim serpendo Sueuiam multis in locis & nonnullas imperij ciuitates corripuerunt. Sed velut languens adhuc inter confertos cineres incendium latuit vsque ad annum 1525. quo magno sese impetu per Germaniam effudit. Vngariam anno 1514. alius seditiosæ multitudinis impetus concussit, quorundam horrendis suppliciis oppressus. Anno sequente cõuenerunt Viennę Maximilianus Cęsar, Ladislaus Vngariæ Boëmięque, Sigismundus Poloniæ, reges. Inter hos omnibus simultatibus è medio sublatis, vetera pacta renouata, liberalibus additionibus aucta, firmis comprobationibus & nuptiis inter liberos nepotésque contractis sancita sunt. Triennio absoluto, Maximilianus conuentum egit postremum, népe anno 1518. & eum quidem Principum frequentia celeberrimum Augustæ, in quo de bello Turcico actum est. Selimus enim Mamalucorum regno funditus exciso magnum orbis Christiani principibus terrorem incusserat. Commendauit & Carolum nepotem principibus, vt se mortuo eius in electione haberent rationem. Inde Oenipontem profectus, & febre correptus, cùm transferri se Velsam curasset, accedente ex virium resolutione alui profluuio, exspirauit, pridie idus Ianuarias, anno 1519.

Ante annos tredecim, nempe 1506. Philippus Maximiliani filius, Belgarum princeps in Hispaniam nauigarat, crebris procerum literis euocatus, vt Isabellæ socrus dotale regnum capesseret. Sed ex indulgentiore victu sub noui cœli intemperie sæua febre correptus citò decessit, anno ætatis vicesimo octauo, relictis ex Ioanna coniuge filiis Carolo & Ferdinando, & filiabus quatuor. Vxores habuit Maximilianus, primam Mariam Burgundicam, ex qua suscepit filios tres, Philippum, qui dotalia regna, Hispanicum nempe, Siculum & Neapolitanum domui Austriacæ acquisiuit, Franciscum & Georgium, in annis pubertatis mortuos, & Margaretam filiam conubiis infelicem. Carolo enim octauo, Galliarum regi desponsatam, & in aula Francica educatam, sponsus vbi adoleuisset, repudiauit, rapta, propter ius successionis, Anna Francisci vltimi citerioris Britanniæ ducis vnica filia hærede, quæ Maximiliano promissa erat. Post Carolum, Arragoniæ principi, deinde (illo ante nuptias mortuo) Philiberto Sabaudo non meliore fortuna nupsit.

CAROLVS V.

Maximiliano rebus humanis exempto, Carolus ex Philippo filio nepos, Hispaniæ, Neapolis, Siciliæ rex, Imperator electus est 28. Iunij 1519. annos natus XIX. sed animam gerens curásque viriles. Anno sequenti per Ferdinandum Cortesium nouæ Hispaniæ dominatum in Occidentali India seu nouo orbe fundauit, & temporum progressu confirmauit. Accepta dein Aquisgrani Cæsarea corona VVormatiæ prima imperij sui Comitia, ineũte anno 1521. habuit, in quib. forma gubernationis & magni Senatus Rempublicam absente Carolo, iudicio item Cameræ, pace publica, nonnullísque aliis ad Germaniæ salutem pertinentibus rebus constitutis, ad belli necessarias artes conuertit animum. Nam Pyrenei montes, Hispania ipsa, necnon prouinciæ Belgicæ variis armorum strepitibus personabãt. Quos cùm per legatos feliciter repressisset, bellum in Italia pro Mediolanensi ducatu suscepit, & ab omnibus desertus ac proditus gessit: tandem per belli duces illustrem victoriam ad Ticinum adeptus ipso Galliæ rege capto, sapientiæ & modestiæ significationes insignes demonstrauit domi & foris. Rege custodiâ liberato, bellum in Italia recruduit. Roma capta Pontifex pecunia & iure patronatus in episcopatibus regni Neapolitani multat°, Galli toto illo regno rãdẽ pulsi sunt. Pacem à Cæsare Pontifex, Gallus, Dux Mediolanensis & Veneti anno 1529. obtinent. Bononiæ duplici corona redimitus, ad Augustana Comitia pergit, & quamuis aduersus Protestantes iam tum violentis consiliis impelleretur, tamen anno 1532. prudẽtissimo Archiepiscopi Moguntini & Comitis Palatini electorum consilio acquiescens pacem toti Germaniæ concessit. Expeditiones deinde suscepit aduersus Turcas Austria pulsos, in Barbariæ, Siciliæ, Italiæ littoribus variis cladibus affectos.

Porro, cùm nihil in terris firmum vel omni ex parte beatum appareat, Carolus infeliciter Prouinciam tentauit & Algeriam. Contrà Flandriæ tumultus prudenter sedauit, Belgij rebus consuluit, quæ ad bella in Veromanduis & Pedemontana regione necessaria videbantur ordinauit, in Germania placidas de componendis circa religionem controuersiis colloquutiones multas instituit. Geldriæ ducem reducit ad officium: bellũ paulò post in Galliam transfert, & componit, vt Germanico facilius vacaret anno 1546. & sequentibus. Post victoriam nouas de religionis negotio leges tulit, quas cùm seuerius exequi cœpisset, fortuna ipsius mutata est. Nam Oeniponte fugatus à principibus fœderatis captiuos Saxonem & Landgrauium dimittere, & Germaniæ pacem concedere coactus est, anno 1552. quo in vrbis Metensis obsidione prosperi bellorum successus Caroli metam suam habuerunt. Quare

trien

triennio post, resignato Electoribus imperio, o- A mniúmque regnorum & Belgicarum prouinciarum gubernatione Philippo filio tradita, reliquum vitæ spatium in exercitiis spiritualibus consumere, & de morte omnino cogitare decreuit. Exeunte igitur anno 1556. cum Leonora & Maria sororibus in Hispaniam nauigans monasterium Iusti, in Bæticæ, Castellæ & Lusitaniæ finibus, reliquæ vitæ sedē sibi delegit, quam anno 1558. Calend. Septembr. placidè conclusit, an- B nos natus circiter quinquaginta nouem.

In eo Principe, inquit nobilissimus Historicus, cum virtute certauit fortuna, vt illius meritis supremum felicitatis fastigium imponeret. Neque verò vllum perfecti magis & ad omnem virtutē expressi principis exemplar nostra & retro seculorum memoria reperiri posse arbitror, quod iis qui ad imperium virtutis via grassantur, ad imitandum proponi queat. Nam quid ei ad summam vtriusque laudem defuit, siue ingenium & C prudentiā in consiliis spectes, siue constantiam in aduersis, in prosperis moderationem, præsentiam animi in periculis, temperantiam, & quæ omniū in Principe virtutum culmen ac cumulus est, iustitiam? Vita eius ferè iam à primis pueritiæ initiis seria fuit, maximis negotiis & variis expeditionibus exercitata, atq. in ipso præcipuum pietatis studium fuisse, postquam ad imperium euectus est, citra adulationem dicere possumus, cóque omnia fermè quæ ille pace & bello fecit, re- D ferri debere: nimirum, vt Concilium legitimum celebraretur, & per illud concordia in Ecclesia sarciretur: quod siue Pontificum in eo negotio nō bona fide versantium ambitione, siue ob bella nostra toties infeliciter renouata impeditū fuit, semper ab eo postea repetitum est, vt mirari nemo debeat illius consilia, dicta & facta præsenti Numinis auxilio vsque illustrata fuisse, qui tam sanctum propositum habuit. Cūm verò nulla eius vitæ pars non summè laudabilis sit, nulla re E magis animi magnitudinem ostendit, quàm vitæ clausula, qua vir alios vincere assuetus seipsum vicit, vitæque tot casibus obnoxiæ iam potiorem mente agitans, antequam moreretur renunciauit, & qui reipublicæ vixerat, sibi ac Deo viuere cœpit. Itaque toto biennio, quod mortem præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitio, monitore vsus Constantino quodam, qui ei à sacris confessionibus erat, præcipuè D. Bernardi lectione se solabatur, & toto pectore in Deum F reuolutus sic ratiocinabatur, se quidem indignum esse, qui regnum cælorum propriis meritis obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici iure obtineat, & Patris hæreditate, & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cuius dono illud meritò sibi vindicet, hácque fiducia fretus minimè confundatur. neque enim oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ poni: hanc hominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis Domino suo: alio- G qui propriis meritis fidere, non fidei esse, sed perfidiæ: peccata remitti per Dei indulgentiam: adeóque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo cui soli peccauimus, in quem peccatum non cadit, & per quem solum peccata nobis condonantur.

Ita cùm sensim ad lentam tabem acuta febris accessisset, imaginem Christi cruci affixi identidem in oculis, vlnis, ore, & tota mente comple- A xus, in eo solo se omnem salutis spem collocare declarauit: sumptóque viatico, In me mane, inquit, dulcissime Saluator, vt ego in te maneam. in quæ verba deficiens, animam Deo reddidit. Reliquit tres liberos ex Elizabetha Lusitana, Philippum nempe, regnorum suorum hæredem, Mariam Augustam Maximiliani II. propioris sobrini vxorem, & Ioannam quæ Ioanni Lusitanorum principi nupsit, ex qua natus Sebastianus postu- B mus, qui auo in regnum successit. Ante matrimonium, ex contubernio Margaritam suscepit, quę Alexandro Medici primùm, dein Octauio Farnesio Parmensium duci nupsit. & cùm vxorem diu ante mortem amisisset, postremo Ioannem Austriacum ex femina Ratisponensi quoque suscepit. qua in re tanta verecundia vsus est, vt nisi à penitissimis matris Margaritæ nomen ignoraretur: de Ioanne verò nunquam, nisi paucis ante mortem diebus locutus sit, cùm eum per amicos C Philippo filio commendauit: memorabili inprimis Principibus documento, quorum vita suis pro exemplo est, vt si quid peccent clam & in occulto peccent. Hæc nobilissimus Historicus.

FERDINANDVS I.

NAtus Modinæ in Castellæ regno Ferdinandus anno 1503. 10. Martij, puer rectè didicit D linguam Latinam, neque solùm veteres scriptores cùm legeret intellexit, verum etiam animi sui sensus Romano sermone feliciter expressit, eóque familiariter vtebatur, Ludouico Viue Valentino, nec non Desiderio Erasmo Roterodamo, quem magnifaciebat, præceptoribus vsus. Mathematum initia cupidè hausit adolescens, adeóque illas amauit grandæuus, vt ex inspectione τῶν αὐτομάτων præcipuam caperet oblectationem, quando animum gubernationis laboribus defatiga- E tum ex contemplatione admirandæ harmoniæ motuū in corporibus celestibus recreabat. Ea in arte ita fuit exercitatus, vt eum nullus Princeps huius ætatis superaret, & cum artificibus præstantissimis de difficilimis hypothesibus eruditè differere poterat. Ante & post imperium adeptum, princeps placidi planè ingenij, prœliator minus felix fuit quàm Carolus frater, sicut nec Augustus Cæsar ad arma natus erat: tamen in tot bellorum fluctibus, tantáque armorum imparitate, F manifestè conspecta est Dei dextera, quæ Ferdinādum, Vngariam, Boemiam, Austriam, Silesiam, aliásque prouincias aduersus potentiam Turcicam clementer defendit. Enituerunt in eo præcipuæ virtutes Pietas erga Deum, Ecclesiam & Imperium, Æquitatis amor perpetuus, Prudētia, Temperantia, Mansuetudo. Fratris per multos annos vices sapienter gessit in Comitiis, à ciuilibus turbis alienus, pacis publicæ tenacissimus: magnóque cum dolore Hispanica consilia vidit G contra Imperij ordines luctantia.

Post electionem anno 1558. 24. Februarij factam solenni ritu, Romanæ curiæ nouas machinas in Cæsaream maiestatē erectas dextra manu confregit, pacem publicam studiosè conseruauit, cum Turca inducias octennales pepigit, principes discordes conciliauit, Daniæ & Suetiæ regum cruentas lites composuit. Largitus est illi Deus senectam tranquillam, florentem autoritate, gratia & laude apud omnes, quam multi alij


potentissimi bellatores, quos ad extremum for- A
tuna destituit & euertit, non adepti sunt. Pietas &
Clementia Ferdinando fructuosę fuerunt, & am-
plum atque felix ipsi pepererunt imperium. In
morbo, quem ex assiduitate laborum & curarum
contraxerat, testimonia suæ in Deum fiduciæ, in-
uocationis, spei & patientiæ multa protulit, at-
que placidissimè decessit 25. die Iulij, anno 1564.
longa tabe consumptus. Vixit annos LXI. menses
IV. cum dimidio. ex Anna Ladislai Húgariæ regis
filia, vnica vxore, cum qua coniunctissimè vixit,
B quatuor habuit filios, Maximilianum, Ferdinan-
dum, Ioannem, Carolum, & vndecim filias. Ex
tot liberis superstites duodecim reliquit, & pa-
riendi laboribus superata decessit Pragæ anno
1547. Imperium solus VII. annos rexit Ferdinan-
dus, princeps prudentia, iustitia, liberalitate, man-
suetudine, vigilantia nulli secundus. At pietatis
in illo, & pacis in Ecclesia constituendæ præci-
puum fuit studium. Nam vt in Turcarum impetu,
cui impar viribus erat, sustinendo atque fran-
C gendo, mora & arte vti optimum factu experien-
tiâ didicerat, sic & in religionis negocio non igne
& ferro grassari, ad quod ipsum plærique horta-
bantur, sed colloquiis, placidis disputationibus,
amicis collationibus, Conciliis denique siue na-
tionalibus, siue œcumenicis, rem gerere tutius
iudicabat. Itaque cùm videret malis artibus pro-
fanos homines vti, vt pacem publicam & pias
conscientias euerterent, de controuersis in reli-
gione articulis conciliandis seriam cogitationem
D suscepit. Sed dum medijs quærendis vacat, nec i-
doneam conciliationis viam inuenit, mors acce-
dit atra, quæ cogitationibus tanto heroe dignissi-
mis indixit silentium. At quum in magnis & vo-
luisse satis sit, Ferdinando perennis sua laus ma-
neat.

MAXIMILIANVS II.

NVlla re, secundú Deum, felicior fuisse vide- E
tur Ferdinandus quàm successore Maximi-
liano, qui paternis vestigiis insistens, raræ pru-
dentiæ & æquitatis laude imperium, post obitum
patris administrauit. Turcæ in Hungaria magna
manu grassabantur. Germania morbis intestinis
laborabat. De rebus Hungaricis nouus imperator
ante omnia sollicitus, quamprimùm curauit, vt
hostium progressus reprimerentur, quod felici-
ter per legatos exequutus est anno 1564. & 65. tur-
F bas non leues in Germania passim exortas dis-
sipauit, perduelles fortiter repressit, conscientiis
prudenter & placidè consuluit, quæ ad aliorum

A principum honorem pertinebant sedulò procu-
rauit, & dum Turcæ in Cypro, Hispani in Bel-
gio, Galli aduersus conciues suos armari, lanie-
nis horrendis delectantur, Cæsar, vt prouidus
pater familias, suorum quieti indesinenter pro-
spexisse censetur. Mense Iulio anno 1576. Moscoui-
ticam legationem audiuit Ratisbonæ, vbi po-
stremum suum inter homines conuentum cele-
brauit, & piè obiit 12. Octobris, annos natus XLIX.
absolutos, cùm præsente filio Rudolpho decreta
conuentus in palatio Senatorio publicarentur,
B atque Principum qui subscripserant nomina re-
citarentur. Reliquit verè Maximus ille Maximi-
lianus suæ sapientiæ, pietatis, virtutis memo-
riá honestam, & optimo Imperatore dignissimá.
Symbolú fidelis Patriarchæ, telo tentationis gra-
uissimæ sauciati, *Dominus prouidebit*, vt plurimú
in ore habuit, eos grauiter increpans qui Fortu-
nam constituebant Deam, cæloque locabant.
Præsertim verò damnabat Principes subditorú
fidei dominatores; nec peccatum grauius esse as-
C serebat, quàm conscientiis iugum imponere vel-
le. Nam qui animas (inquiebat) torquere conan-
tur, dum cælum ambiunt, amittunt terram. Piis
disceptationibus de articulis, qui ad æternam vi-
tam pertinent, maximè gaudebat: & quum vir
nobilis ei gratularetur, quòd annum 49. clima-
ctericum superasset: mihi (respondit) anni omnes
sunt climacterici. Religionis controuersias ardé-
tibus votis, consultationibus & priuatis adlocu-
tionibus percupiebat extinctas, atque sapientes
D viros accersebat, vt eorum séntentias de tanto ne-
gotio colligeret. Innumera extát mansuetudinis
eius erga suos hostes exépla. Fideles seruos suos
singulari quadam charitate complectebatur, pro-
ceres & principes viros multa reuerentia prose-
quutus, alioquin heroico prędiuus ingenio, atque
inuicto animi robore, intemperantiæ hostis, na-
turalis philosophiæ studiosus, linguarú multarú
notitia, iudicio exquisito, tenacimemoria orna-
tus, eloqués, grauis in dicédo numerosúsq., æqui-
E tatis & liberalitatis cultor, auaritiæ censor acer-
rimus, agriculturæ præsertim hortensis amans.
De sacris literis, de animarum immortalitate, de
resurrectione carnis & vita æternùm beata fre-
quenter disseruit, atque peculiares de his capiti-
bus libellos legit sæpissimè. Vixit cum Augusta
Maria Caroli V. filia patruele sua XXIX. annos,
quam & vnicè perseuerátérque dilexit. XVI. libe-
ros ex eadem suscepit, nouem aut decem supersti-
tibus relictis, Rudolpho nempe, Ernesto, Carolo,
F Alberto, VVenceslao, Maximiliano, Matthia, Ma-
ria regi Hispaniarum Philippo, Elizabetha Ca-
rolo IX. Franciæ regi, elocatis.

INCI-



INCIPIT PRAEFATIO IVSTINI.



VVM multi ex Romanis, etiam, Consularis dignitatis viri, res Romanas Græco, peregrinóque, sermone in historia contulissent, siue æmulatione gloriæ, siue varietate & nouitate operis delectatus, vir priscæ eloquentiæ Trogus Pompeius; Græcas, & totius orbis historias Latino sermone composuit: vt cum nostra Græcè, Græca quoque nostra lingua legi possent: prorsus rem magni & animi, & corporis aggressus. Nam cum plerisque auctoribus, singulorum regum vel populorum res gestas scribentibus, opus suum ardui laboris videatur; nónne nobis Pompeius, Herculea audacia orbem terrarum aggressus videri debet, cuius libris omnium seculorum, regum, nationum, populorúmque res gestæ continentur? Et quæ historici Græcorum, prout commodum cuique fuit, inter se segregati occupauerunt, omissis quæ sine fructu erant, ea omnia Pompeius diuisa temporibus: & serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor & quadraginta voluminum (nam totidem edidit) per otium, quo in vrbe versabamur, cognitione quæque dignissima excerpsi. Et omissis his quæ nec cognoscendi voluptate iucunda, nec exemplo erant necessaria, breue veluti florum corpusculum feci: vt haberent & qui Græca didicissent, quo admonerentur, & qui non didicissent, quo instruerentur. Quod ad te, non tam cognoscẽdi, magis quàm emendandi causa transmisi: simul vt & otij mei, cuius & Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret. Sufficit enim mihi in tempore iudicium tuum; apud posteros, cùm obtrectationis inuidia decesserit, industriæ testimonium habituro.

HISTORIARVM PHILIPPICARVM, ET TOTIVS MVNDI ORIGINVM, ET TERRÆ SITVS EX historia Trogi Pompeij Liber Primus incipit.



PRINCIPIO rerum, gentium nationúmque imperium penes reges erat: quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant: Fines imperij tueri magis, quàm proferre mos erat: Intra suá cuique patriam regna finiebátur. Primus omniũ Ninus rex Assyriorum, veterem, & quasi auitum gentibus morẽ noua imperij cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendũ populos, terminos vsque Libyæ perdomuit. Fuere quidẽ tẽporibus antiquiores, Vexoris Ægypti, & Scythiæ rex Tanaus: quorum alter in Põtũ, alter vsque Ægyptum excessit: Sed longinqua, non finitima bella gerebant; nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant; contẽtique victoria, imperio abstinebant. Ninus magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmauit. Domitis igitur proximis, cùm accessione viriũ fortior ad alios transiret, & proxima quæq. victoria instrumentum sequentis esset, totius Oriẽtis populos subegit. Postremum

A illi bellum cum Zoroastre, rege Bactrianorũ fuit, qui prim⁹ dicitur artes magicas inuenisse, & mũdi principia, syderúmque motus diligentissime spectasse. Hoc occiso, & ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Ninya, & vxore Semiramide.

HÆc nec immaturo ausa tradere imperium, nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gẽtibus vix patiẽter vni viro, nedũ feminæ parituris, simulat se pro vxore Nini, filiũ; pro femina, puerũ. Nã & statura vtriq; mediocris, & vox pariter gracilis,
B & lineamentorũ qualitas matri ac filio similis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodẽ ornatu & populũ vestiri iubet: quẽ morẽ vestis, exinde gens vniuersa tenet. Sic primis initiis sexũ mentita, puer esse credita est. Magnas deinde res gessit: quarũ amplitudine, vbi inuidiã superatã putat, quę sit fatetur, quémve simulasset. Nec hoc illi dignitatẽ regni ademit, sed admirationẽ auxit; ꝙ mulier non feminas modò virtu-
C te, sed etiã viros anteiret. Hęc Babyloniã cõdidit, murúmq. vrbi cocto latere circũdedit, harenæ vice, bitumine interstrato: quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat. Multa & alia præclara huius reginæ fuere: Siquidẽ non contenta acquisitos viro regni terminos tueri, Æthiopiã quoque imperio adiecit. Sed & Indiæ bellum intulit:

A quo præter illam & Alexãdrum Magnum nemo intrauit. Ad postremum cum concubitũ filij petisset, ab eodẽ interfecta est, duos & xl. annos post Ninum regno potita. Filius eius Ninya contentus, elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit, & veluti sexũ cũ matre mutasset, raro à viris visus, in feminarũ turba consenuit. Posteri quoque eius, id exemplum sequuti, responsa gentibus per internuntios dabãt. Imperiũ Assyrij, qui postea Syri dicti sũt, mille trecẽtis annis tenuere.

B Postremus apud eos regnauit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc vidẽdũ (quod nemini ante cũ permissu fuerat) præfectus ipsius, Medis præpositus, nomine Arbactus, cũ admitti magna ambitione ægrè obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentẽ; & muliebri habitu, cu mollitia corporis, & oculorũ lasciuia omnes feminas anteiret, pẽsa inter virgines partientẽ. Quibus visis, indignatus tali feminæ tantũ virorum subiectum, tractantique lanã, ferrũ & arma portantes parẽre, progressus ad C socios, quid viderit, refert: Negat se ei parẽre posse, qui se feminã malit esse, quàm virũ. Fit igitur cõiuratio; bellũ Sardanapalo infertur, quo ille audito, nõ vt vir regnũ defensurus, sed vt metu mortis mulieres solent, primo latebras circũspicit: mox deinde cũ paucis & incõpositis, in bellũ progreditur. Victus, in regiã se recipit; & extructa incẽsaq; pyra, & se & diuitias suas in incẽdium mittit: hoc solo imitatus virũ. Post hũc rex cõstituitur, interfector eius Arbactus, qui præfectus Medorũ D fuerat. Is imperiũ ab Assyriis ad Medos transfert.

Post multos deinde reges, per ordinẽ successionis, regnũ ad Astyagen descendit. Hic per sõnũ vidit ex naturalibus filiæ, quã vnicã habebat, vitẽ enatam, cuius palmite omnis Asia obũbraretur. Cõsulti hariolι, ex eadẽ filia nepotẽ ei futurũ, cuius magnitudo prænũtiretur, regniq; ei amissionẽ portendi, respõderũt. Hoc responso exterritus, neq; claro viro, neq; ciui filiã, ne paterna materE náque nobilitas nepoti animos extolleret; sed ex gẽte, obscura tũc tẽporis, Persarũ, Cãbysi mediocri viro in matrimonium tradidit. Ac ne sic quidẽ somnij metu deposito, grauidam ad se filiã arcessit, vt sub aui potissimũ oculis partus necaretur. Natus infans datur occidendus Harpago, regis arcanorũ participi. Is verit[us], si ad filiã mortuo rege venisset imperiũ, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati infãtis vltionẽ, quã à patre non potuisset, à ministro exigeret, paF stori regij pecoris puerũ exponendũ tradit. Fortè eodẽ tempore & ipsi pastori filius natus erat. Ei[us] igitur vxor audita regij infantis expositione, sũmis precibus rogat, sibi afferri ostendique puerũ: cuius precibus fatigatus pastor, reuersus in syluã, inuenit iuxta infantẽ canẽ feminã paruulo vbera præbentẽ, & à feris alitibúsque defendentẽ. Mot[us] & ipse misericordia, qua motam etiam canẽ viderat, puerũ defert ad stabula, eadẽ cane anxiè proseG quente. quem vbi in manũ mulier accepit, veluti ad notã puer allusit: tantúsq; in illo vigor, & dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, vt pastorẽ vxor vltro rogaret, quo suũ partũ pro illo exponeret) permitteretque sibi, siue fortunæ ipsius, siue spei suæ puerũ nutrire. Atque ita permutata sorte paruulorũ, hic pro filio pastoris educatur, ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spacos postea nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant.

A Puer deinde cũ inter pastores esset, Cyri nomẽ accepit. Mox rex inter ludẽtes sorte delectus, cũ per lasciuiã contumaces flagellis cecidisset, à parentibus puerorũ querela est regi delata, indignãtibus à seruo regio ingenuos homines seruilibus verberibus affectos. Ille arcessito puero & interrogato, cũ nihil mutato vultu, fecisse se vt regẽ respondisset: admiratus cõstantiam, in memoriã somnij responsique reuocatur. Atq; ita cũ & vultus similitudo, & expositionis tempora, & pastoB ris cõfessio conuenirent, nepotẽ agnouit. Et quoniam defunctus sibi sõnio videretur, agitato inter pastores regno, animũ minacem duntaxat in illo fregit. Ceterùm Harpago amico suo infest[us], in vltionẽ seruati nepotis, filiũ eius interfecit, epulandúmq; patri tradidit. Sed Harpagus ad præsens tẽpus dissimulato dolore, odium regis in vindictæ occasionẽ distulit. Interiecto deinde tẽpore cum adoleuisset Cyrus, dolore orbitatis admonitus, scribit ei vt ablegatus in Persas ab auo fuerit, vt C occidi eũ paruulũ au[us] iusserit; vt beneficio suo seruatus sit; vt regẽ offenderit; vt filiũ amiserit. Hortatur exercitu paret, & pronã ad regnũ viã ingrediatur, Medorũ transitionem pollicitus: epistola, quia palã ferri nequibat, regis custodibus omnes adit[us] obsidẽtib[us], exinterato lepori inseritur, lepúsque in Persas Cyro ferendus, fido seruo traditur: addita retia, vt sub specie venatoris dolus lateret. Lectis ille epistolis, eadem somnio aggredi iussus est: sed præmonitus, vt quem primum postera die D obuium habuisset, sociũ cœptis assumeret. Igitur antelucano tempore ruri iter ingressus, obuiũ habuit seruum de ergastulo cuiusdam Medi, nomine Sybarẽ. Hui[us] requisita origine, vt in Persis genitum audiuit, demptis compedibus, assumptoq; comite, Persepolim regreditur. Ibi cõuocato populo, iubet omnes prestò cũ securibus esse, & syluam viæ circumdatam excidere. Quod cum strenuè fecissent, eosdẽ postera die ad paratas epulas inuitat: deinde cũ alacriores ipso conuiuio factos E videret, rogat, si conditio proponatur, vtrius vitæ sortẽ legant, hesterni laboris, an præsentiũ epularum: præsẽtiũ, vt acclamauere omnes: ait, Hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant: se secutos, hodiernis epulis. Lætis omnibus, Mediæ bellũ infert. Astyages meriti sui in Harpagum oblitus, summam belli eidem cõmittit: qui exercitũ acceptũ statim Cyro per deditionẽ tradidit, regísq. crudelitatem perfidia deF fectionis vlciscitur. Quod vbi Astyages audiuit, cõtractis vndique auxiliis, ipse in Persas proficiscitur: & repetito alacrius certamine, pugnãtib. suis, partem exercitus à tergo ponit, & tergiuersantes ferro agi in hostes iubet: ac denũtiat suis, ni vincerent, non minus fortes etiã post terga inuenturos, quàm à frontibus viros: proinde videant fugientibus hæc, an illa pugnãtibus acies rũpenda sit. Ingens, post necessitatem pugnandi, animus exercitui eius accessit. Pulsa itaque cum Persarũ acies paulatim cederet, matres & vxores eorum obuiã G occurrunt, orãt in prœliũ reuertãtur: cũctãtibus, sublata veste, obscœna corporis ostẽdũt, rogantes nũ in vteros matrũ vel vxorũ velint refugere. Hac repressi castigatione, in prœlium redeunt: & facta impressione, quos fugiebãt, fugere cõpellũt. In eo prœlio Astyages capitur: cui Cyrus nihil aliud quàm regnum abstulit: nepotémq. in illo magis, quàm victorem egit, eúmque maximæ genti Hyrcanorum præposuit: Nam in Medos reuerti ipse noluit.

noluit. Hic finis Medorum imperij fuit. Regna- A
uerunt annis CCCL.

INITIO regni, Cyrus Sybarē cœptorū socium
quem iuxta nocturnum visum ergastulo libera-
uerat, comitémque in omnibus rebus habuerat,
Persis præposuit: sororémq. suam ei in matrimo-
nium dedit. Sed ciuitates, quæ Medorū tributariæ
fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suā
mutatam arbitrantes, à Cyro defecerunt: quæ res
multorum bellorū Cyro causa & origo fuit. Do-
mitis deinum plerisque cū aduersus Babylonios B
bellum gereret, Babyloniis rex Lydorū Crœsus,
cuius opes & diuitiæ insignes ea tēpestate erant,
in auxilium venit: victúsq;, iam de se solicitus in
regnum refugit. Cyrus quoque post victoriā, cō-
positis in Babylonia rebus, bellum trāsfert in Ly-
diā. Ibi fortuna prioris prælij perculsum iā Crœ-
si exercitū, nullo negocio fundit: Crœsus ipse ca-
pitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto
& mitior victoria fuit. Crœso & vita, & patrimo-
nij partes, & vrbs Barce concessa sunt: in qua etsi C
nō regiā vitā, proximā tamen maiestati regiæ de-
geret. Hæc clemētia non minus victori, quā victo
vtilis fuit. Quippe ex vniuersa Græcia, cognito
quod illa tam Crœso bellū esset, auxiliā velut ad
cōmune extingendū incendiū cōfluebant. Tantus
Crœsi amor apud omnes vrbes erat, passurúsque
Cyrus graue bellū Græciæ fuit, siquid in Crœsum
crudelius consuluisset. Interiecto deinde tēpore,
occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellauere:
quib. iterū victis, arma & equi adempti, iussíque D
cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere.
Et sic gens industria quondam, potens, & manu
strenua, effeminata mollicie, luxuriáq. virtutem
pristinam perdidit: & quos ante Cyrum inuictos
bella præstiterāt, in luxuriam lapsos otiū ac desi-
dia superauit. Fuere Lydis multi ante Crœsum re-
ges, variis casibus memorabiles, nullus tamē for-
tunæ Candauli comparandus. Hic vxorem, quam
propter formæ pulchritudinem deperibat, prædi-
care omnibus solebat, non contētus voluptatum E
suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonij
reticēda publicaret, prorsus quasi silētiū damnū
pulchritudinis esset: ad postremum vt astimatio-
ni suæ fidem faceret, nudā sodali suo Gygi ostē-
dit. Quo facto & amicum in adulterium vxoris
solicitatum, hostem sibi fecit, & vxorem veluti
tradito alij amore, à se alienauit. Námque breui
post tempore cædes Candauli, nuptiarū præmiū
fuit, & vxor mariti sanguine dotata, regnum vi-
ri & se pariter adultero tradidit. F

CYRVS subacta Asia, & vniuerso Oriente in
potestatē redacto, Scythis bellū infert. Erat eo tē-
pore Scytharū regina Tamyris, quæ non mulie-
briter aduentu hostium territa, cū prohibere eos
trāsitu Araxis fluminis posset, transire permisit; &
sibi faciliorē pugnā intra regni sui terminos ra-
ta, & hostib. obiectu fluminis fugam difficiliorē.
Itaq; Cyrus traiectis copiis, cū aliquātisper in Scy-
thiam processisset, castrametatus est. Dein postera
die, simulato metu, quasi refugiēs castra deseruis- G
set ita vini affatim, & ea q̄ epulis erant necessaria,
reliquit. Quod cū nūciatū reginæ esset, adolescen-
tulum filiū, ad insequēdum eum cum tertia parte
copiarum mittit. Cùm ventū ad Cyri castra esset,
ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas
non ad prœliū venisset, omissis hostibus, insuetos
barbaros vino se onerare patitur: priúsq. Scythæ
ebrietate, quàm bello vincuntur. Nā cognitis his
Cyrus reuersus per noctem, saucios opprimit, o-
mnésque Scythas cum reginæ filio interficit. A-
misso tāto exercitu, & quod grauius dolendū, vni-
co filio Tamyris orbitatis dolorē nō in lacrymas
effudit, sed in vltionis solatia intendit: hostésque
recenti victoria exultantes, pari insidiarū fraude
circumuenit. Quippe simulata diffidētia propter
vulnus acceptū, refugiens, Cyrū ad angustias vsq.
perduxit. Ibi compositis in mōtibus, insidiis, du-
cēta millia Persarum cum ipso rege trucidauit. In
qua victoria etiam illud memorabile fuit, quòd
ne nuntius quidē tātæ cladis superfuit. Caput Cy-
ri amputatū in vtrem humano sanguine repletū
cōiici regina iubet, cū hac exprobratione crude-
litatis, SATIA te, inquit, sanguine quē sitisti, cu-
iúsq. insatiabilis sēper fuisti. Cyrus regnauit an-
nos XXX. non initio tantum regni, sed continuò
totius temporis successu, admirabiliter insignis.

HVIC successit filius Cābyses, qui imperio pa-
tris Ægyptum adiecit: sed offensus superstitioni-
bus Ægyptiorum, Apis, cæterorúmque deorum
ædes dirui iubet. Ad Ammonis quoq. nobilissimū
tēplum expugnādū exercitū mittit: qui tēpestati-
bus & harenarū molibus oppressus, interijt. Post
hæc per quietē vidit fratrē suū Mergim regnatu-
rū, quo sōnio exterritus, nō dubitauit post sacri-
legia etiā parricidiū facere. ERAT enim difficile
vt parceret suis, qui cum cōtēptu religionis, gras-
satus etiā aduersus deos fuerat. Ad hoc tam crude-
le ministerium magnum quendam ex amicis de-
legit, nomine Cometem. Interim ipse gladio sua
sponte euaginato, in femore grauiter vulneratus
occubuit: pœnásque luit, seu imperati parricidij,
seu sacrilegij perpetrati. Quo nuntio accepto, ma-
gus ante famā amissi regis occupat facinus: pro-
stratóque Mergide, cui regnum debebatur, fratrē
suum subiecit Oropastem. Erat enim decorus &
corporis lineamentis persimilis: ac nemine sub-
esse dolum arbitrante, pro Mergide rex Oropasta
cōstituitur. Quæ res eo occultior fuit, quòd apud
Persas persona regis sub specie maiestatis occu-
litur. Igitur magi ad fauorē populi conciliandū,
tributa & militiæ vacationē in triennium permit-
tunt: vt regnū quod fraude quæsierant, indulgen-
tia & largitionibus cōfirmarent. Quæ res suspe-
cta primo Ostani viro nobili, & in cōiecturis sa-
gacissimo fuit. Itaq. per internūcios quærit de fi-
lia, quæ inter regias pellices erat, an Cyri regis fi-
lius rex esset. Illa nec se ipsam scire ait, nec ex alia
posse cognoscere: quia singulæ separatim reclu-
dantur. Tū pertractare dormienti caput iubet: nā
mago Cambyses aures vtrásq. præciderat. Factus
deinde per filiam certior, sine auribus regē esse,
optimatibus Persarum rē indicat: & in cædē falsi
regis impulsos sacramenti religione obstringit.
Septē tantum conscij huius coniurationis, qui ex
continenti, ne dato in pœnitētiam spatio, res per
quenquam narraretur, occultato sub veste ferro,
ad regiam pergunt. Ibi obuiis interfectis, ad Ma-
gos perueniunt: quibus ne ipsis quidem animus
in auxilium sui defuit: siquidē stricto ferro duos
de cōiuratis interficiunt. Ipsi tamen corripiuntur
à pluribus: quorū alterū Gobryas mediū ample-
xus, cūctantibus sociis, ne ipsum pro mago trās-
foderēt, quia res obscuro loco gerebatur: vel per
suum corpus adigi mago ferrū iussit: fortuna ta-
men ita regēte, illo incolumi Magus interficitur.

OCCISIS Magis, magna quidem gloria recepti
regni principiū fuit: sed multò maior in eo, quòd

cum de regno ambigerent,concordare potuerũt. Erant enim virtute & nobilitate ita pares, vt difficilẽ ex his populo electionẽ æqualitas faceret. Ipsi igitur viã inuenerunt,qua de se iudicium religioni & fortunæ cõmitterent. Pactique inter se sunt,vt die statuta omnes equos ante regiam primo mane perducerent: & cuius equus inter solis ortum hinnitũ primus edidisset,is rex esset. Nam & Solẽ Persæ vnum Deum esse credunt:& equos eidem Deo sacratos ferunt. Erat inter coniuratos Darius Hystaspis filius, cui de regno solicito, equi custos ait,si ea res victoriam moraretur, nihil negotij superesse:per noctem deinde equum pridie cõstitutã diẽ ad eundẽ locum ducit,ibique equæ admittit, ratus ex voluptate veneris futurũ quod euênit. Postera die itaque cùm ad statutam horam omnes conuenissent,Darij equus cognito loco ex desiderio feminę hinnitum statim edidit: & segnibus aliis felix auspicium domino primus emisit. Tãta moderatio cæteris fuit, audito auspicio,vt confestim equis desilierint, & Dariũ regẽ salutauerint:populus quoque vniuersus, secutus iudicium principum,eundẽ regem cõstituit. Sic regnum Persarum, septẽ nobilissimorum virorũ virtute quæsitum, tã leui momẽto in vnum collatũ est. Incredibile prorsus tanta patiẽtia eos fuisse eos,quod vt eriperent magis mori non recusauerint.Quanquã præter formã,virtutẽmq; hoc imperio dignam,etiam cognatio Dario iuncta cum pristinis regibus fuit.Principio igitur regni, Cy-

A ri regis filiã in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus: vt non tàm in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reuersum videretur.Interiecto deinde tẽpore,cum Assyrij desciuissent,& Babyloniam occupassẽt, difficilisque vrbis expugnatio esset,ęstuante rege,vnus de interfectoribus magorum,Zophyrus, domi se verberibus lacerari toto corpore iubet, nasum,aures,& labia sibi pręcidi:atq.ita regi inopinanti se offert.Attonitum, & quærẽtem Darium
B causas,auctorẽmq.tam fœdæ lacerationis,tacitus quo proposito fecerit,edocet, formatóq.in futura consilio, transfugæ titulo Babyloniam proficiscitur.Ibi ostendit populo laniatũ corpus.Queritur crudelitatem regis, à quo in regni petitione,nõ virtute,sed auspicio,nõ iudicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit. Iubet illos ex amicis exemplum capere, quid hostibus cauendum sit: Hortatur non mœnibus magis quã armis cõfidant, patiãtúrque se commune bellum recẽtio-
C re ita gerere. Nota nobilitas viri pariter & virtus omnibus erat: nec de fide timebant,cuius veluti pignora,vulnera corporis,& iniuriæ notas habebant. Constituitur ergo dux omnium suffragio, & accepta parua manu,semel atque iterum cedẽtibus consulto Persis, secunda prœlia facit. At postremo vniuersum sibi creditum exercitum Dario prodit, vrbẽmque ipsam in potestatem eius redigit. Post hæc Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur.

POMPEII TROGI EPITOMA

HISTORIARVM

LIBER II.

IN relatione rerum ab Scythis gestarum, quæ satis amplæ magnificæq; fuerunt,principium ab origine repetendum est. Non enim minus illustria initià,quàm imperium habuêre: nec virorum imperio magis, quàm feminarum virtutibus claruêre. Quippe cum ipsi Parthos,Bactrianósque: feminæ autẽ eorum Amazonum condiderint: prorsus, vt res gestas virorum mulierúmque considerantibus incertum sit, vter apud eos sexus illustrior fuerit. Scytharum gens antiquissima semper habita: quanquam inter Scythas & Ægyptios diu contentio de generis vetustate fuerit:Ægyptiis prædicantibus,initio rerum,cum aliæ terræ nimio feruore solis arderent, aliæ rigerent frigoris immanitate, ita vt nõ modò primæ generare homines, sed ne aduenas quidem recipere ac tueri possent, priusquam aduersus calorẽ vel frigus velamenta corporis inuenirentur, vel locorum vitia quæsitis arte remediis mollirentur, Ægyptum ita temperatam semper fuisse, vt neque hiberna frigora, nec æstiui solis ardores incolas eius premerent: Solum ita fecundum, vt alimentorum in vsum hominum nulla terra feracior fuerit. Iure igitur ibi primum homines natos videri debere, vbi educari facillimè possent.Cõtrà, Scythæ cęli temperamẽtum nullũ esse vetustatis argumentum putabant:quippe naturã cum primum incrementa caloris ac frigoris regionibus distinxit, statim ad locorum patiẽtiã, animalia quoque generasse: sed & arborum atq.

D frugum pro regionum cõditione,aptè genera variata. Et quanto Scythis sit cælum asperius quàm Ægyptiis,tanto & corpora & ingenia esse duriora. Ceterũ si mundi,quæ nunc partes sunt aliquãdo vnitas fuit,siue illuuies aquarũ principio rerũ terras obrutas tenuit,siue ignis, qui & mundum genuit,cũcta possedit:vtriusq. primordij Scythas origine præstare. Nã si ignis prima possessio rerũ fuit,qui paulatim extinctus,sedẽ terris dedit,nullã prius quã Septẽtrionalem partẽ, hiemis rigore
E ab igne secretã, adeo vt nunc quoq.nulla magis rigeat frigoribus. Ægyptũ verò,& totũ Orientẽ tardissimè temperatũ:quippe qui etiã nunc torrẽri calore solis exæstuet.Quòd si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerũt,profectò editissimã quanque partẽ decurrẽtibus aquis primum detectam;humillimo autem solo eandem aquam diutissimè immoratam: Et quanto prior quæque pars terrarum siccata sit,tanto prius animalia generare cœpisse. Porro Scythiam adeò editiorem
F omnibus terris esse,vt cuncta flumina ibi nata in Mæotim,tum deinde in Ponticum,& Ægyptium mare decurrant. Ægyptum autem quę tot regũ, seculorum cura impensáq; munita sit, & aduersum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis conscissa, vt cum his arceantur,illis recipiantur aquæ, nihilominus, nisi excluso Nilo,non potuerit, nec possit videri hominum vetustate vltima, quæ aggerationibus regum, siue Nili trahentis limum, terrarum, recentissi-

centissima videatur. His igitur argumētis superatis Ægyptiis, antiquiores semper Scythæ visi.

SCYTHIA autem io Orientem porrecta, includitur ab voo latere Ponto, & ab altero montibus Riphæis: à tergo Asia & Phasi flumine. Multum in longitudinē & latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines: oeq; enim agrum exercēt; nec domus illis vlla, aut tectū, aut sedes est, armēta & pecora semper pascētibus, & per incultas solitudioes errare solitis. Vxores liberósque secum in plaustris vehunt: quibus, coriis imbrium hyemísque causa tectis, pro domib. vtuntur. Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto grauius: quippe sine tecti munimēto pecora & armēta habētibus, quid inter syluas superesset, si furari liceret? Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ iis vsus ac vestium ignotus: & quanquā continuis frigoribus vrātur, pellibus tamen ferinis ac murinis vtuntur. Hæc continentia, illis morum quoq; iustitiam edidit, nihil alienum concupiscētibus: QVIPPE ibidem diuitiarum cupido est, vbi & vsus. Atque vtinam reliquis mortalibus similis moderatio, & abstinentia alieni foret: profecto nō tātum bellorum per omoia secula terris omnibus continuaretur, neq; plus bominū ferrū & arma, quā naturalis fatorū cōditio raperet. Prorsus vt admirabile videatur, hoc illis naturā dare, quod Græci looga sapiētiū doctrina, præceptísq; philosophorū cōsequi nequeūt, cultósq; mores incultæ barbariæ collatione superari. Tāto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quàm in his cognitio virtutis.

IMPERIVM Asiæ ter quæsiuere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere. Darium regē Persarum, turpi ab Scythia summouerunt fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidauerunt: Alexandri Magni ducem Sopyriona pari ratiooe cū copiis vniuersis deleuerunt: Romanorū audiuere, non sensere arma. Parthicū & Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens laboribus & bellis aspera: vires corporum immensæ: nihil parare, quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam cōcupiscunt. Primus Scythis bellum indixit Vexoris rex Ægyptius, missis primò lenonibus, qui bostibus parēdi legē dicerent. Sed Scythæ iā ante de aduentu regis à finitimis certiores facti, legatis respondēt: tam opulēti populi ducem stolide aduersus ioopes occupasse bellum, quòd magis domi fuerit illi timendum: quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur oō exspectaturos Scythas dum ad se veniatur, cū tanto sibi plura in hoste cōcupiscēda sint, vltróq; prædæ ituros obuiā. Nec dicta, res morata: quos cū tanta celeritate venire rex addidicisset, io fugā vertitur, exercitúq; cū omni apparatu belli relicto, in regnū se recepit. Scythas ab Ægypto paludes prohibuere: Inde reuersi, Asiā perdomitā vectigalē fecere, modico tributo magis in titulum imperij, quàm in victoriæ præmium imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, vxorum flagitatione reuocantur; per legatos denunciantibus, ni redeaot, subolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras vt in posteritatem Scytharum genus per feminas intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Petendi tributi finem Ninus rex Assyriorum imposuit.

SED apud Scythas medio tempore duo regij iuueoes, Ylinos & Scolopitus, per factionem optimatum, domo pulsi, ingentem iuuentutem secum traxêre; & iti Cappadociæ ora, iuxta amnem Thermodonta consederunt, subiectósque Themiscyreos campos occupauere. Ibi per multos annos spoliare finitimos assueti, conspiratione populorum per iosidias trucidantur. Horum vxores, cum viderent, exsilio additam orbitatem, arma sumunt, finésque suos, summouentes primò, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere; seruitutem, oon matrimonium appellaotes: singulare omnium seculorum exemplum. Auxere rempublicam sine viris; iam etiam cum contemptu virorum se tueotur. Et ne feliciores aliæ aliis viderentur, viros qui domi remanserant, interficiunt. Vltionem quoque cæsorum coniugum, excidio finitimorum consequuntur. Tum pace armis quæsita, ne genus interiret, concubitum finitimorum ineuot. Si qui mares nascerentur, interficiebant: Virgines in eundem ipsis morem, noo otio, neque lanificio; sed armis, equis, venationibus exercebant, inustis infantum dexterioribus mammis, ne sagittarum iactus impediretur; vnde Amazones dictæ sunt. Duæ his reginæ fuere Marthesia & Lampeto, quæ in duas partes agmine diuiso, inclytæ iam opibus, vicibus gerebant bella, solæ terminos alternis defendentes: & ne successibus deesset auctoritas, genitas se Marte prædicabant. Itaque maiore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nonnullas ciuitatēs occupauêre. Ibi Epheso, multísque aliis vrbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum dimittuot. Reliquæ, quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cum Marthesia regina interficiuntur. Iti huius locum filia eius Orithya regno succedit: Cui præter singularem belli scientiam, eximia seruatæ in omne æuum virginitatis admiratio fuit. Huius virtute tantum additum gloriæ & famæ Amazonum, vt Herculi rex, cui XII. stipendia debebat, quasi impossibile imperauerit, vt arma reginæ Amazonum sibi afferret: Eò igitur profectus longis oouem nauibus, comitante priocipum Græciæ iuuentute, inopioantes aggreditur. Duæ tum sorores, Amazooum regna tractabant, Antiope & Orithya, sed Orithya foris bellum gerebat. Igitur cum Hercules ad littus Amazonum applicuit, infrequens multitudo cum Antiopa regina, nihil bostile metuente, erat. Quare effectum est vt paucę repentino tumultu excitæ, arma sumerent, facilémque victoriam hostibus darent: Multæ itaque cæsæ, captæque. In his duæ Antiopæ sorores captę sunt, Menalippe ab Hercule, Hippolite à Theseo. Sed Theseus obtenta in præmium captiua, eandem in matrimonium assumpsit, & ex ea genuit Hippolytum. Hercules post victoriam, Menalippen captiuam sorori reddidit, & pretium, arma reginæ accepit. Atque itaque fuoctus imperio, ad regem reuertitur. Sed Orithya, vbi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Atheniēsium principem, bortatur comites, frustráque & Ponti sinum & Asiam edomitam esse dicit, si Græcorum oon tam bellis, quàm rapinis pateant. Auxilium deinde à Sagillo rege Scythię petit: Genus se Scytharum esse, cladem virorum, necessitatem armorum, belli causas ostendit; assecutásque virtute ne segniores viris feminas habere Scythæ videren-

tur. Motus ille domestica gloria, mittit eum ingenti equitatu filium Panasagorum in auxilium. Sed ante prœlium dissensione orta, ab auxiliis desertæ, bello ab Atheniensibus vincuntur: receptaculum tamen habuere castra sociorum, quorum auxilio intactæ ab aliis gentibus, in regnum reuertuntur. Post Orithyam, Penthesilea regno potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium aduersus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitere. Interfecta demum Penthesilea, exercitúque eius absumpto; paucæ, quæ in regno remanserant, ægrè se aduersus finitimos defendentes, vsque tempora Alexandri Magni durauerunt. Harum Minithya, siue Thalestris regina, concubitu Alexandri per dies XIII. ad subolem ex eo generandam obtento, reuersa in regnum, breui tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.

Scythæ autem tertia expeditione Asiana, cùm annis octo à coniugibus & liberis abfuissent, seruili bello domi excipiuntur. Quippe coniuges eorum longa exspectatione virorum fessæ, nec iam teneri bello, sed deletos ratæ, seruis ad custodiam pecorum relictis nubunt: qui reuersos cum victoria dominos, velut aduenas, armati finib. prohibent. Quibus cùm varia victoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus pugnæ, memores non cum hostibus, sed cum seruis prœliandúmque; nec armorum, sed dominorũ iure vincendos: verbera in aciem, non arma adferenda; omissóque ferro, virgas ac flagella, ceteráque seruilis metus paranda instrumenta. Probato omnes cõsilio, instructi sicut præceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intentant: adeóque illos perculerunt, vt quos ferro non poterant, metu verberũ vincerent; fugámque non vt hostes victi, sed vt fugitiui serui capesserent. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt: Mulieres quoque malè sibi cõsciæ, partim ferro, partim suspẽdio vitã finierunt. Post hæc pax apud Scythas fuit, vsque tẽpora Iancyri regis. Huic Darius rex Persarum sicut supra dictum est, cum filiæ eius nuptias non obtinuisset, bellũ intulit: & armatis septingentis millibus hominum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnæ potestatem, metuens ne interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit: quæ iactura, abũdãte multitudine, inter dãna numerata nõ est. Inde Asiam & Macedoniam, domuit: Ionas quoq; nauali prœlio superat. Dein cognito quod Atheniẽses Ionis auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos cõuertit.

Nunc quoniam ad bella Atheniensium ventum est, quæ non modo vltra spem gerendi, verumetiam vltra gesti fidem peracta sunt, operáque Atheniensium effectu maiora quàm voto fuere, paucis vrbis origo repetenda est; & quia, non vt ceteræ, à sordidis initiis ad summa creuere. Soli enim præterquam incremento, etiam origine gloriantur: quippe non aduenæ, neque passim collecta populi colluuies originem vrbi dedit: sed eodem innati solo, quod incolũt, & quæ illis sedes, eadem origo est. Primi lanificij & olei & vini vsum docuere. Arare quoque, & serere frumenta, glandem vescentibus monstrarunt. Literæ certè ac facundia, & hic ciuilis ordo disciplinæ, veluti templum Athenas habent. Ante

A Deucalionis tempora regem habuere Cecropem: quem, vt omnis antiquitas fabulosa est, biformẽ tradidere, quia primus marem feminæ matrimonio iunxit. Huic successit Cranaus, cuius filia Athis regioni nomen dedit. Post hunc Amphictyon regnauit, qui primus Mineruæ vrbem sacrauit, & nomen ciuitati Athenas dedit. Huius temporibus, aquarum illuuies maiorem partem populorum Græciæ absũpsit: Superfuerunt quos refugia montium receperunt, aut ad regẽ Thes-

B saliæ Deucalionẽ ratibus euecti sunt; à quo propterea genus hominum cõditum dicitur. Per ordinẽ deinde successionis regnum ad Erichtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin à Triptolemo reperta est, in cuius muneris honorem noctes initiorum sacratæ. Tenuit & Ægeus Thesei pater Athenis regnum, à quo per diuortium decedens Medea, propter adultam priuigni ætatem, Colchos cum Medo filio ex Ægeo suscepto, concessit. Post Ægeum Theseus, ac dein-

C ceps Thesei filius Demophoõ, qui auxilium Græcis aduersus Troianos tulit, regnum possedit. Erãt inter Athenienses & Dorienses simultatium veteres offensæ, quas vindicaturi bello Dorienses, de euentu prœlij oracula consuluerunt: Responsum superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia, custodia regis præcipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat; qui & responso dei, & præceptis hostium cognitis, permutato

D regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerẽs, castra hostiũ ingreditur: ibi in turba obsistẽtiũ, à milite, quẽ falce astu conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Doriẽses, sine prœlio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberãtur.

Post Codrum nemo Athenis regnauit: quod memoriæ nominis eius tributũ est. Administratio reipublicę annuis magistratibus permissa. Sed ciuitati nullæ tunc leges erãt: quia libido regum

E pro legibus habebatur. Legitur itaq; Solõ, vir iustitiæ insignis, qui velut nouã ciuitatem legibus conderet: qui tanto tẽperamẽto inter plebem senatúmq; egit (cum si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur) vt ab vtrisque parẽ gratiã traheret. Huius viri inter multa egregia, illud memorabile fuit. Inter Athenienses & Megarenses de proprietate Salaminę insulæ, prope vsq; interitum armis dimicatũ fuerat. Post clades multas capitale esse apud Atheniẽses cœpit, si

F quis legẽ de vindicanda insula tulisset. Solicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reipublicæ consuleret; aut censendo, sibi; subitam dementiam simulat, cuius venia non dicturus modo prohibita, sed & facturus erat. Deformis habitu, more vecordium in publicum euolat: factóque concursu hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus suadere populo cœpit, quod vetabatur: omniúmque animos ita cœpit, vt exemplo bellum aduer-

G sus Megarenses decerneretur, insuláque deuictis hostibus Atheniensium fieret.

Interea Megarenses memores illati Atheniẽsibus belli, & deserti, ne frustra arma mouisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusinis sacris noctu oppressuri, naues conscẽdunt: Qua re cognita, dux Atheniẽsiũ Pisistratus iuuentutẽ in insidiis locat, iussis matronis solito clamore, ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sen-

se sentiant, sacra celebrare: egressósque nauibus Megarenses inopinantes aggressus, deleuit: ac protinus classe captiua intermixtis mulieribus, vt speciem captarum matronarum præberent, Megaram contendit. Illi cùm & nauium formam, & petitam prædam cognoscerent, obuij ad portum procedunt, quibus cæsis, Pisistratus paulum à capienda vrbe afuit. Ita Megarenses suis dolis hosti victoriam dedere. Sed Pisistratus quasi sibi, non patriæ vicisset, tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi affectus, laceratoque corpore in publicum progreditur: aduocata concione, vulnera populo ostendit, de crudelitate principum, à quibus hæc se passum simulabat, queritur: adduntur vocibus lacrymæ, inuidiosa oratione multitudo credula accenditur: amore plebis inuisum se senatui affirmat; obtinet ad custodiam corporis sui satellitũ auxilium, per quos occupata tyrãnide p annos XXXIII. regnauit.

POST eius mortem Diocles, alter ex filiis, per vim stuprata virgine, à fratre puellæ interficitur. Alter Hippias nomine, cùm imperiũ paternum teneret, interfectorem fratris comprehẽdi iubet: qui cùm per tormenta cõscios cædis nominare cogeretur, omnes amicos tyrãni nominauit: quibus interfectis, quęrẽti tyranno, an adhuc aliqui cõscij essent, neminẽ ait superesse, quem amplius mori gestiat, quàm ipsũ tyrannũ: qua voce eiusdẽ se tyranni victorem, post vindictam pudicitię furoris ostendit. Huius virtute cum admonita ciuitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus: in exilium agitur: qui profectus in Persas, ducem se Dario, inferenti Atheniẽsibus bellũ, sicuti supra significatum est, aduersus patriam suam offert. Igitur Athenienses audito Darij aduentu, auxiliũ à Lacedæmoniis socia tum ciuitate petiuerunt. Quos vbi viderunt quatriduj teneri religione, non exspectato auxilio instructis decẽ millibus ciuium, & Platæensibus auxiliaribus mille, aduersus sexcẽta millia hostium, in cãpos Marathonios in prœliũ egrediuntur. Miltiades & dux belli erat, & auctor nõ expectãdi auxilij, quẽ tãta fiducia ceperat, vt plus præsidij in celeritate, quã in sociis duceret. Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeò vt cùm mille passus inter duas acies essent, citato cursu ante iactum sagittarum ad hostem venerint: nec audaciæ eius, euẽtus defuit. Pugnatum est enim tanta virtute, vt hinc viros, inde pecudes putares. Victi Persæ in naues cõfugerunt; ex quibus multæ suppressæ, multæ captę sunt. In eo prœlio tanta virtus singulorum fuit, vt cuius laus prima esset, difficile iudicium videretur. Inter ceteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo iã tũc indoles futuræ imperatoriæ dignitatis apparuit: Cynægiri quoque militis Atheniensis gloria, magnis scriptorũ laudib. celebrata est; qui post prœlij innumeras cædes, cùm fugientes hostes ad naues egisset, onustam nauem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quàm manum amitteret: tum quoque amputata dextra, nauem sinistra comprehendit; quam & ipsam cum amisisset, ad postremũ morsu nauẽ detinuit: Tantam in eo virtutẽ fuisse, vt non tot cædibus fatigatus, nõ duabus manibus amissis victus; truncus ad postremũ, & veluti rabida fera dentibus dimicauerit. Ducenta millia Persę eo prœlio: sine naufragio amisere. Cecidit & Hippias tyrannus Atheniensis, auctor & cõcitor eius belli, diis patriæ vltorib. pœnas repetentibus.

A INTEREA & Darius cum bellum restauraret, in ipso apparatu decidit, relictis multis filiis; & in regno & ante regnum susceptis. Ex his Artemenes maximus natu, ætatis priuilegio, regnum sibi vindicabat; quod ius, & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit. Porro Xerxes controuersiam non de ordine, sed de nascẽdi felicitate referebat. Námque Artemenem primum quidem Dario, sed priuato prouenisse; se regi primum natum. Fratres i-
B taque suos qui ante geniti essent, priuatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non regnum sibi vindicare posse: se esse quẽ primũ in regno iã rex pater sustulerit. Huc accedere, quòd Artemenes nõ patre tantum, sed & matre priuatę adhuc fortunæ, auo quoq; materno priuato, procreatus sit: se verò & matre regina natũ, & patrẽ non nisi regem vidisse; auum quoq; maternũ Cyrum se regẽ habuisse, non heredẽ, sed conditorem tanti regni: & si in æquo iure vtrũq; fratrẽ pater
C reliquisset, materno tamẽ se iure & auito vincere. Hoc certamẽ cõcordi animo ad patruũ suũ Artaphernem, veluti ad domesticum iudicem, deferũt; qui domi cognita causa, Xerxẽ præposuit: adeóq; fraterna contentio fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus doluerit; ipsóq; litis tẽpore inuicem munera miserint, iucunda quoque inter se nõ solũ, sed credula conuiuia habuerint, iudiciũ quoq. ipsum sine arbitris, siue conuitiis fuerit. TANTO moderatius, tũ fratres inter se regna maxima diui-
D debant, quam nunc exigua patrimonia partiũtur. Igitur Xerxes bellũ à patre cœptũ aduersus Græciam, quinquẽnium instruxit. Quod vbi primum didicit Demaratus rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriæ post fugã, quàm regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratui perscribit easdemq. cera superinducta delet: ne aut scriptura sine regmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet. Fido deinde seruo per-
E ferendas tradit, iusso magistratui Spartanorũ tradere. Quibus perlatis, Lacedæmone quæstioni res diu fuit, quòd neq. scriptũ aliquid viderẽt, nec frustra missas suspicarentur, tantóq. rẽ maiorẽ, quanto sit occultior, putabant. Hærẽtibus in cõiectura viris, soror regis Leonidæ consilium scribẽtis inuenit. Erasa igitur cera, belli consilia deteguntur. Iam Xerxes septingenta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis: vt non immerito proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata,
F Græciamque omnem vix capere exercitum eius potuisse: Naues quoque decies centum millia numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. Ceterum si regem spectes, diuitias, non ducẽ laudes: quarum tanta copia in regno eius fuit, vt cum flumina multitudine consumerentur, opes tamẽ regiæ superessent. Ipse autem primus in fuga, postremus in prœlio semper visus est, in periculis timidus, sicubi metus abesset, inflatus; denique ante experimentum belli, fiducia viriũ, veluti
G naturæ ipsius dominus, & montes in planum deducebat, & conuexa vallium æquabat, & quędam maria pontibus sternebat, quædam ad nauigationis commodum per compendium ducebat.

CVIVS introitus in Græciam quàm terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. Namq. cũ Leonida rex Spartanorum cum quatuor millib. militum angustias Thermopilarum occupasset, Xerxes contẽptu paucitatis, eos pugnam capessere iubet, quorum cognati Marathonia pugna interfe-

ćti fuerant, qui dum vlcifci fuos quærunt, principiom cladis fuere: fuccedente deinde inutili turba, maior cædes editur. Triduo ibi cum dolore & indignatione Perfarum dimicatum: quarta die, quum nuntiatum effet Leonidæ, à xx. millibus hoftium fummum cacumen teneri, tunc hortatur focios recedant, & fe ad meliora patriæ tempora referuent: fibi cum Spartanis fortunam experiendam, plura fe patriæ quàm vitæ debere: ceteros ad prælidia Græciæ feruandos. Audito regis imperio difceffere ceteri, foli Lacedæmonij remanferunt. Initio huius belli fcifcitantibus Delphis oracula, refpófum fuerat, aut regi Spartanorum, aut vrbi cadendum. Et idcirco rex Leonida cùm in bellum proficifceretur, ita fuos firmauerat, vt ire feparato ad moriendum animo fcirent. Anguftias propterea occupauerat, vt cum paucis aut maiore gloria vinceret, aut minore damno reipublicæ caderet. Dimiffis igitur fociis, hortatur Spartanos, meminerint qualitercumque prœliantibus, cadendum effe; cauerent, ne fortius máfiffe, quam dimicaffe videantur; nec exfpećtádum vt ab hofte circumuenirentur, fed dum nox occafionem daret, fecuris & lætis fuperueniendum: nufquam vićtores honeftius, quam in caftris hoftium perituros. Nihil erat difficile perfuadere perfuafis mori: ftatim arma capiunt: & fexcenti viri, caftra quingentorum millium irrumpunt, ftatimque regis prætorium petunt, aut cum illo, aut fi ipfi oppreffi effent, in ipfius potiffimum fede morituri: Tumultus totis caftris oritur. Spartani pofteaquam regem non inueniunt, per omnia caftra vićtores vagantur, cædunt, fternúntque omnia: vt qui fciant fe pugnare non fpe vićtoriæ, fed in mortis vltionem. Prœlium à principio nоćtis in maiorem partem diei traćtū: Ad poftremum non vićti, fed vincendo fatigati, inter ingentes ftratorum hoftium cateruas occiderunt. Xerxes duobus vulneribus terreftri prœlio acceptis, experiri maris fortunam ftatuit.

Sed Athenienfium dux Themiftocles, cum animaduertiffet Ionas, propter quos bellum Perfarum fufceperant, in auxilium regis claffe veniffe, folicitare eos in partes fuas ftatuit. Et cum colloquendi copiam non haberet, quò applicituri erát, fymbolos proponi, & faxis profcribi curat: QVÆ vos Iones dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus veftris, nuper etiam vindicibus cogitatis? An ideo mœnia veftra condidimus, vt effent qui noftra deleréti? quid fi nō hæc & Dario prius, & nūc Xerxi belli caufa nobifcum foret, quòd vos rebellantes nō deftituimus? Quin vos in hæc noftra caftra ex ifta obfidione tranfitis? Aut fi hoc parum tutum extat, vos cōmiffo prœlio ite ceffim; inhibete remos, & à bello difcedite. Ante naualis prœlij congreffionem miferat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendū: prorfus quafi non cum Græcis tantū, fed cum diis immortalibus bellū gereret: quæ manus tota imbribus, & fulminib⁹ deleta eft, vt intelligeret, QVAM nullæ effent hominum aduerfus deos vires. Poft hæc Thefpias, & Plateas, & Athenas vacuas hominibus incendit: & quoniam ferro in homines nō poterat, in ædificia igne graffatur. Namque Athenienfes poft pugnam Marathoniam, præmonente Themiftocle, vićtoriam illam de Perfis non finē, fed caufam maioris belli fore, cc. naues fabricauerunt. Aduentante igitur Xerxe, confulentibus

A Delphis oraculum, refponfum fuerat, falutem muris ligneis tuerentur. Themiftocles nauium præfidium demonftratum ratus, perfuadet omnibus, patriam municipes effe, non mœnia, ciuitatémq. non in ædificiis, fed in ciuibus pofitam: Melius itaque falutem nauibus, quàm vrbi commiffuros: huius fententiæ etiam Deum auctorem effe. Probato confilio, coniuges liberófque cum pretiofiffimis rebus abditis infulis, relićta vrbe, demandant: B ipfi naues armati confcendunt. Exemplum Athenienfium & aliæ vrbes imitatæ. Itaque cum adunata omnis fociorum claffis, & intenta in bellum nauale effet, anguftiáfque Salaminij freti, ne circumueniri à multitudine poffet, occupaffent, diffenfio inter ciuitatum principes oritur: qui cū deferto bello ad fua tuenda dilabi vellent, timens Themiftocles, ne difceffu fociorum vires minuerentur, per feruum fidum Xerxi nuntiat, vno in loco eum contraćtam Græciam capere facillimè C poffe: Quòd fi ciuitates quæ iam abire vellent, diffipentur, maiore labore ei fingulas confećtandas. Hoc dolo impellit regem fignum pugnæ dare. Græci quoque aduentu hoftium occupati, prœlium collatis viribus capeffunt. Interea rex, velut fpećtator pugnæ, cum parte nauium in littore remanet. Arthemifia autem regina Halicarnaffi, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime ciebat: quippe vt in viro muliebrem timorem, ita in mulierem virilem auda- D ciam cerneres. Cum anceps prœlium effet, Iones iuxta præceptum Themiftoclis, pugnæ fe paulatim fubtrahere cœperunt, quorum defećtio animos ceterorum fregit. Itaque circunfpiciétes fugam pelluntur Perfę, & mox prœlio vićti, in fugā vertūtur. In qua trepidatione multæ captæ naues, multæ merfæ; plures tamen non minus fæuitiam regis, quàm hoftem timentes, domum dilabátur.

Hac clade perculfum, & dubium confilij Xerxem Mardonius aggreditur. Hortatur vt in regnū E abeat, ne quid feditionis moueat fama aduerfi belli, & in maius, ficuti mos eft, omnia extollens: fibi ccc. millia armatorū lećta ex omnibus copiis relinquat: qua manu aut cum gloria eius perdomiturū fe Græciam, aut fi aliter euentus ferat, fiue eiufdem infamia hoftibus ceffurum. Probato confilio, Mardonio exercitus traditur, reliquas copias rex ipfe reducere in regnum parat. Sed Gręci audita regis fuga, confilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti vićtor maris F fecerat, vt interclufo reditu, aut cum exercitu deleretur, aut defperatione rerū, pacem vićtus petere cogeretur. Sed Themiftocles timens, ne interclufi hoftes defperationē in virtutem verterent & iter quod aliter non pateret, ferro patefacerent, fatis multos hoftes in Græcia remanere dićtitans, nec augeri numerum retinendo oportere, cū vincere confilio ceteros non poffet, eundem feruū ad Xerxem mittit, certioremq; confilij facit, & occupare tranfitum maturata fuga iubet. Ille percul- G fus nuntio, tradidit ducibus milites perducēdos, ipfe cum paucis Abydon contendit. Vbi cum folutum pōtem hibernis tempeftatibus offendiffet, pifcatoria fcapha trepidus traiecit. Erat res fpećtaculo digna, & æftimatione fortis humanæ, rerum varietate miranda, in exiguo latentem videre nauigio, quē paulo ante vix æquor omne capiebat, carentem etiam omni feruorum minifterio, cuius exercitus propter multitudinem, terris graues erát. Nec pedeftribus copiis, quas ducibus affignauerat

A uerat, felicius iter fuit: siquidem quotidiano labori (Neque enim visa est metuentibus quies) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat & pestem, tantaque fœditas morientium fuit, vt viæ cadaueribus implerentur, alitesque & bestiæ, illecebris solicitatæ exercitum sequerentur.

Interim Mardonius in Græcia Olynthum expugnat. Athenienses quoq. in spem pacis, B amicitiamque regis solicitat, spondens incensæ eorũ vrbis etiam in maius restitutionem. Posteaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incẽsis quæ ædificare cœperant, copias in Bœotiam trãsfert. Eò & Græcorum exercitus, qui centum millium fuit, sequutus est. Ibiq. prœlium cõmissum, sed fortuna regis cum duce mutata non est. Nam victus Mardonius, veluti ex naufragio cũ paucis profugit: castra referta regalis opulentiæ capta. C Vnde primum Græcos, diuiso inter se auro Persico, diuitiarum luxuria cepit. Eodem forte die quo Mardonij copiæ deletæ sunt, etiã nauali prœlio in Asia sub monte Mycale, aduersus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex aduerso starent, fama ad vtrumque exercitũ venit, vicisse Græcos, & Mardonij copias occidione cecidisse. Tantam famæ velocitatem fuisse, vt cum matutino tẽpore prœlium in Bœotia commissũ sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, & tantum spatij, tam breui horarum momento, de D victoria nuntiatum sit. Confecto bello cum de præmiis ciuitatium ageretur, omnium iudicio Atheniensium virtus ceteris prælata. Inter duces quoque Themistocles, princeps ciuitatium testimonio iudicatus, gloriam patriæ suæ auxit.

Igitur Athenienses aucti, & præmiis belli & gloria, vrbem ex integro condere moliuntur. Cum mœnia maiora complexi fuissent, suspecti esse Lacedæmoniis cœpere, recte reputantibus, quibus ruina vrbis tantum incrementi dedisset, E quantum sit datura munita ciuitas. Mittunt ergo legatos, qui moneant, ne munimenta hostibus & receptacula futuri belli exstruant. Themistocles, vt vidit spei vrbis inuideri, non existimans abrupte agendum, respondit legatis, ituros Lacedæmonem qui ea de re pariter cum illis consulant. Sic dimissis Spartanis, hortatur suos vt opus maturent. Deinde ipse interiecto tempore in legationem proficiscitur, & nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi iure nihil possit, diem de die proferendo, spatium consummando operi quærebat: cum interim nuntiatur Spartanis, opus Athenis maturari, propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem. Tum Themistocles per seruum magistratibus scribit Atheniensium, legatos vinciant, pignúsque teneant, ne in se grauius consulatur. Adiit deinde concionem Lacedæmoniorum, indicat permunitas Athenas esse, & posse iam illatum bellum non armis tantum, sed etiam muris sustinere. Siquid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos. Grauiter deinde castigat eos quòd non virtute, sed imbecillitate sociorum potentiam quærerent. Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, à ciuibus excipitur. Post hæc Spartani ne vires otio corrumperent, & vt bis illatum à Persis Græciæ bellum vlciscerentur, vltro fines eorum depopulantur. Ducem suo, sociorúmque exercitui deligunt Pausaniam, qui pro ducatu regnum Græciæ affectans, proditionis præmium cum Xerxe, nuptias filiæ eius paciscitur, redditis captiuis, vt fides regis aliquo beneficio obstringeretur. Scribit præterea Xerxi, quoscunque ad se nuntios misisset, interficeret, ne res loquacitate hominum proderetur. Sed dux Atheniensium Aristides belli socius, collegæ conatibus obuiam eundo, simul & in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit. Nec multo post accusatus Pausanias, damnatur. Igitur Xerxes cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit. Græci quoque ducem constituunt Cimonem Atheniensem, filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum est, iuuenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibique defunctum, translatis in se vinculis ad sepulturam redemit. Nec in bello iudicium diligentium fefellit: siquidem non inferior virtutibus patris Xerxem terrestri, naualique bello superatum, trepidum recipere se in regnum coëgit.



POMPEII TROGI EPITOMA

HISTORIARVM

LIBER III.

Xerxes rex Persarum terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cœpit: Quippe Artabanus præfectus eius, deficiente quotidie regis maiestate, in spem regni adductus, cum septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur, nam amicitiæ iure semper illi patebat, trucidatóque rege, voto suo obsistentes filios eius, dolo aggreditur. Securior de Artaxerxe puero admodum, fingit regem à Dario, qui erat adolescens, quò maturius regno potiretur, F occisum, impellit Artaxerxem parricidium parricidio vindicare: Cum ventum ad domum Darij esset, dormiens inuentus, quasi somnum fingeret, interficitur. Dein cum vnum ex regis filiis sceleri suo superesse Artabanus videret, metueréque de regno certamina principum, assumit in societatem consilij Bacabasum, qui præsenti statu contentus, rem prodit Artaxerxi, vt pater eius occisus sit, vt frater falsa parricidij suspicione oppressus, vt denique ipsi pararentur insidiæ. His cognitis Artaxerxes, verens Artabani numerum

filiorum, in posterum diem paratum esse armarum exercitum iubet, recogniturus & numerum militum,& in armis industriam singulorum. Itaque cum inter ceteros ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulat se breuiorem loricam habere, iubet Artabanum secum commutare: exuentem se, ac nudatum, gladio traiecit: Tum & filios eius corripi iubet. Atque ita egregius adolescens, & cædem patris,& se ab insidiis Artabani vindicauit.

Dvm hæc in Persis geruntur, interea Græcia omnis ducibus Lacedæmoniis & Atheniensibus in duas diuisa partes, ab externis bellis, velut in viscera sua, arma conuertit. Fiunt igitur de vno populo duo corpora;& eorundem castrorum homines in duos hostiles exercitus diuidũtur. Hinc Lacedæmonij communia quondam ciuitatium auxilia, ad vires suas trahebant: inde Athenienses & vetustate gentis, & gestis rebus illustres, propriis viribus confidebant. Atque ita duo potentissimi Græciæ populi, instituti Solonis & Lycurgi legibus pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant: Námque Lycurgus cum fratri suo Polybitæ Spartanorum regi successisset, regnúmq; sibi vindicare potuisset, Charillo filio eius, qui natus postumus fuerat, cum ad ætatem adultam peruenisset, regnum summa fide restituit: vt intelligerent omnes, QVANTO plus apud bonos pietatis iura, quàm omnes opes valerent. Medio igitur tempore dum infans conualescit, tutelámque eius administrat, non habentibus Spartanis leges instituit; non inuentione earum magis, quàm exemplo clarior: Siquidem nihil lege vlla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum firmauit. Parcimoniam omnibus suasit, existimans laborem malitiæ, assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium iussit: auri argentíque vsum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

Administrationem reipublicæ per ordines diuisit: Regibus potestatem bellorum, magistratibus iudiciá,& annuos successores; Senatui custodiam legum; populo sublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magistratus potestatem, permisit. Fundos omnium æqualiter inter omnes diuisit, vt æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Conuiuari omnes publicè iussit, ne cuius diuitiæ, vel luxuria in occulto essent. Iuuenibus nó amplius vna veste vti toto anno permissum, nec quemquam cultius quam alterum progredi, nec epulari opulentiùs, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit, vt primos annos non in luxuria, sed in opere,& in laboribus agerent. Nihil eos somni causa substernere,& vitam sine pulmento degere, neque prius in vrbem redire, quàm viri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere iussit, vt vxores eligerentur, non pecunię, seueriúsque matrimonia sua viri coercerent, cum nullis dotis frænis tenerentur. Maximum honorem non diuitum & potentium, sed pro gradu ætatis senum esse voluit: Nec sanè vsquam terrarum locum honoratiorem senectus habet. Hæc quoniam primò solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit, & inde se ea ex præcepto numinis detulisse, vt consuescendi tædium metus religionis vincat. Dein vt æternitatem legibus suis daret, iureiurando obligat ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, priusquam reuerteretur: & simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum quid addẽdum, mutandúmq; legibus videretur. Proficiscitur autem Cretam, ibíque perpetuum exilium egit, abiicique in mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedæmonem, solutos se Spartani religione iurisiurandi in dissoluendis legibus arbitrarentur.

His igitur moribus ita breui ciuitas conualuit, vt cum Messeniis propter stupratas virgines suas, in solemni Messeniorum sacrificio, bellum intulissent, grauissima se exsecratione obstrinxerint, nõ prius quàm Messeniam expugnassent, reuersuros, tantum sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes. Quæ res initium dissensionis Græciæ,& intestini belli causa & origo fuit. Itaque cum contra præsumptionem suam annis decem in obsidione vrbis tenerentur,& querelis vxorum post tam longã viduitatem reuocarentur: veriti, ne hac perseuerantia belli, grauius sibi quã Messeniis nocerent: quippe illis quantũ iuuẽtutis bello intercidat, mulierum fecũditate suppleri, sibi & belli damna assidua,& fecunditatẽ vxorum, absentibus viris, nullam esse. Itaque legunt iuuenes ex eo genere militum, qui post iusiurandũ in supplementum venerant, quibus Spartam remissi promiscuos omnium feminarum concubitus permisere: maturiorem futuram conceptionem rati, si eam singulæ per plures viros experirentur. Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniæ vocati: qui cum ad annos xxx. peruenissent, metu inopiæ, nulli enim pater existebat, cuius in patrimonium successio speraretur, ducem Palantum assumunt, filium Araci, qui auctor Spartanis fuerat, iuuentutis ad generandam subolem domum remittendæ: vt sicuti dudum patrem eius nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suæ haberent. Itaq; nec salutatis matribus, è quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas proficiscuntur: diúque & per varios casus iactati, tandem in Italiam deferuntur,& occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituũt. Sed post annos plurimos dux eorum Palantus, per seditionem in exilium proturbatus, Brundusium se contulit, quò expulsi sedibus suis veteres Tarentini concesserant: Is moriens persuadet, vt ossa sua, postremásque reliquias conterant, & tacitè spargi in foro Tarentinorum curent: hoc enim modo recuperare illos patriam suam posse, Apollinem Delphis cecinisse. Illi arbitrantes eum in vltionem sui, ciuium fata prodidisse, præceptis paruere, sed oraculi diuersa sententia fuerat, perpetuitatem enim vrbis, non amissionem hoc facto promiserat. Ita ducis exulis consilio, & hostium ministerio, possessio Tarentina Partheniis in æternum fundata? ob cuius beneficij memoriam Palanto diuinos honores decrèuere.

Interea Messenij cum virtute non possent, per insidias expugnãtur. Dein cũ per annos LXXX. grauia seruitutis verbera, plerumq. & vincula, ceteráque captæ ciuitatis mala perpessi essent, post longam pœnarum patientiam, bellum restaurant. Lacedæmonij quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, quo aduersus seruos dimicaturi videbantur. Itaque cum hinc iniuria, inde indignitas animos acueret, Lacedæmonij de belli e-

uentu

euenta oraculo Delphis consulto, iubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porrò Athenienses cum responsum cognouissent, in contemptum Spartanorum Tyrtæum poëtam claudum pede misere: qui tribus prœliis fusus, eo vsque desperationis Spartanos adduxit, vt ad supplementum exercitus, seruos suos manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur: vt non numero tantum amissorum ciuium, sed & dignitati succederent. Sed reges Lacedæmoniorum, ne contra fortunam pugnando maiora detrimenta ciuitati infunderent, reducere exercitum voluerunt, ni interuenisset Tyrtæus, qui composita carmina exercitui pro concione recitauit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat. Itaque tantum ardorem militibus iniecit, vt non de salute, sed de sepultura soliciti, tesseras, insculptis suis & patrum nominibus, dextro brachio deligarent: vt si omnes aduersum prœlium consumpsisset, & temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. Cum sic animatum reges exercitum viderent, curant rem hostibus nuntiare. Messeniis autem non timorem res, sed æmulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum est, vt raro vnquam cruentius prœlium fuerit: Ad postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.

Interiecto tempore tertium quoque bellum Messenij reparauere: in cuius auxilium Lacedæmonij, inter reliquos socios etiam Athenienses adhibuere, quorum fidem cum suspectam haberent, superuacaneos simulantes, à bello eosdem dimiserunt. Hanc rem Athenienses grauiter ferentes, pecuniam quæ erat in stipendium Persici belli ab vniuersa Græcia collata, à Delo Athenas transferunt, ne deficientibus à fide societatis Lacedæmoniis, prædæ ac rapinæ esset. Sed neo Lacedæmonij quieuere: qui cum Messeniorum bello occupati essent, Peloponnenses immisere, qui bellum Atheniensibus facerent. Paruæ tunc temporis, classe in Ægyptum missa, vires Atheniensibus erant: Itaque nauali prœlio dimicantes, facile superantur. Interiecto deinde tempore, post reditum suorum aucti, & classis, & militum robore, prœlium reparauere. Iam & Lacedæmonij, omissis Messeniis, aduersus Athenienses arma verterant. Diu varia victoria fuit: ad postremum æquo Marte vtrinque discessum. Inde reuocati Lacedæmonij ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otiosum Atheniensibus relinquerent, cum

A Thebanis paciscuntur, vt Bœotiorum imperium his restituerent, quod temporibus Persici belli amiserant, vt illi Atheniensium bella susciperent. Tantus furor Spartanorum erat, vt duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis suis hostes acquirerent. Igitur Athenienses, aduersus tantam tempestatem belli, duos duces deligunt, Periclem spectatæ virtutis virum, & Sophoclem scriptorem tragœdiarum:
B qui diuiso exercitu, & Spartanorum agros vastauerunt, & multas Achaiæ ciuitates Atheniensium imperio adiecerunt.

His malis fracti Lacedæmonij, in annos xxx. pepigerunt pacem: sed tam longum otium inimicitiæ non tulerunt. Itaque quintodecimo anno rupto fœdere, cum contemptu deorum hominúmque, fines Atticos populantur: Et ne prædam potius, quàm pugnam expetisse viderentur, hostes ad prœlium prouocant. Sed Athenienses, consi-
C lio Periclis ducis, populationis iniuriam differũt in tempus vltionis, superuacuam pugnam existimantes, cùm vlcisci hostem sine periculo possẽt. Deinde interiectis diebus naues conscendunt, & nihil sentientibus Lacedæmoniis, totam Spartam deprædantur, multóque plura auferunt, quàm amiserant. Prorsus vt in cõparatione damnorum, longe pluris fuerit vltio, quam iniuria. Clara quidem hæc Periclis expeditio habita; sed multo clarior priuati patrimonij contemptus
D fuit. Huius agros, in populatione ceterorum, intactos hostes reliquerant, sperantes acquirere se illi posse, aut periculum ex inuidia, aut ex suspicione proditionis infamiam: Quod ante prospiciens Pericles, & futurum populo prædixerat; & ad inuidiæ impetum declinandum agros ipsos dono reipublicæ dederat: Atque ita vnde periculum quæsitum fuerat, ibi maximam gloriam inuenit. Post hæc interiectis diebus, nauali prœlio dimicatum est: victi Lacedæmonij fugerunt. Nec
E cessatum deinceps est, quin aut terra, aut mari varia prœliorum fortuna inuicem se trucidarent. Denique fessi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annis seruauerunt. Nam inducias quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus periurij contraherent, si ferentes sociis auxilia, potius quàm si aperto prœlio dimicassent. Hinc bellum in Siciliam translatum: quod prius quàm exponam, de Siciliæ situ pauca dicenda sint.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER IIII.

Siciliam ferunt angustiis quondam faucibus Italiæ adhæsisse; direptámque velut à corpore, maiore impetu superi maris, quod toto vndarum onere illuc vehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis; & cauernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, vt ventorum tota fermè flatibus pateat; necnon & ignibus generandis nu-
F triendisque soli ipsius naturalis materia: quippe intrinsecus stratum sulphure & bitumine traditur: quæ res facit, vt spiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Ætnæ montis per tot secula durat incendium. Et vbi acrior per spiramenta ca-

uetnarum ventus incubuit,harenarū moles egeruntur. Proximum Italię promontorium,Rhegiū dicitur,ideo quia Gręce abrupta hoc nomine pronuntiantur. Nec mirum si fabulosa est loci huius antiquitas,in quem res tot coiere miræ. Primùm quòd nusquam aliàs tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verumetiam sæuo, neque experientibus modo terribile,verumetiā procul videntibus: Vndarum porrò in se concurrentium tanta pugna est, vt aliàs veluti terga dantes in imum desidere,aliàs quasi victrices in sublime ferri videas:nunc hic fremitum feruentis æstus,nūc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. Accedunt vicini,& perpetui Ætnæ montis ignes, & insularum Æolidum, veluti ipsis vndis alatur incēdium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot seculis tātus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulę Scyllam & Charybdim peperere;hinc latratus auditus;hinc monstri credita simulacra, dum nauigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti,latrare putant vndas,quas sorbentis ęstus vorago conlidit. Eadem causa etiam Ætnæ montis perpetuos ignes facit. Nam aquarum ille concursus,raptum secum spiritum in imum fundum trahit atque ibi suffocatum tamdiu tenet,donec per spiramenta,terræ diffusus, nutrimenta ignis incendat. Iam ipsa Italiæ, Siciliæque vicinitas, iam promontoriūm altitudo ipsa ita similis est,vt quā tum nunc admirationis,tantum antiquis terroris dederit;credentibus,coëuntibus in se promontoriis,ac rursum discedentibus,solida intercipi absumique nauigia. Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ compositū, sed metu & admiratione transeuntium: Ea est enim procul inspiciētibus natura loci, vt sinum maris, non transitum putes; quò cum accesseris, discedere, ac seiungi promontoria,quę antea iuncta fuerant,arbitrere.

SICILIÆ primo Trinacriæ nomen fuit:postea Sicania cognominata est. Hæc à principio patria Cyclopum fuit:quibus extinctis, Cocalus regnū insulæ occupauit:post quem singulæ ciuitates in tyrannorūm imperium concesserunt; quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus iustitia cum cęterorum crudelitate certabat, cuius moderationis haud mediocrem fructū tulit: Quippe decedens cùm filios paruulos reliquisset,tutelamque eorum Micalo, spectatæ fidei seruo,commisisset;tantus amor memoriæ eius apud omnes fuit, vt parēre,seruo, quàm deserere regis filios mallent: principesque ciuitatis obliti dignitatis suæ,regni maiestatem administrari per seruum paterentur. Imperium Siciliæ etiam Carthaginienses tentauere, diúq; varia victoria cum tyrannis dimicatum. Ad postremum amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quieuere,victi.

MEDIO tempore cum Rhegini discordia laborarent, ciuitásque per dissensionem diuisa in duas partes esset, veterani ex altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulsis ciuitate, contra quos implorati fuerant;& mox cæsis, quibus tulerant auxilium, vrbem cum coniugibus & liberis sociorum occupauere;ausi facinus nulli tyranno comparandum: quippe vt Rheginis melius fuerit vinci, quàm vicisse. Nam siue victoribus captiuitatis iure seruissent,siue amissa patria exulare necesse habuissent, non tamen, inter aras & patrios lares trucidari, crudelissimis tyrannis pa-

A triam cum coniugibus ac liberis prædam reliquissent. Catinienses quoque cum Syracusanos graues paterentur,diffisi viribus suis,auxilium ab Atheniensibus petiuere:qui seu studio maioris imperij, quòd Asiam Græciámque penitus occupauerant;seu metu factæ pridem à Syracusanis classis,ne Lacedæmoniis illæ vires accederent, Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, vt sub specie ferendi Catiniensibus auxilij,tentarent

B Siciliæ imperium. Et quoniam prima initia, frequenter cæsis hostibus,prospera fuerant; maiore denuo classe, & robustiore exercitu; Lachete & Chariade ducibus,Siciliam petiuere:sed Catinienses siue metu Atheniensium,siue tædio belli, pacem Syracusanis, remissis Atheniensium auxiliis,fecerant.

INTERIECTO deinde tempore, cum fides pacis à Syracusanis non seruaretur, denuo legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo

C barbáque promissis, & omni squaloris habitu ad misericordiam commouendam acquisito, concionem deformes adeunt; adduntur precibus lacrymæ: & ita misericordem populum supplices mouent,vt damnarentur duces,qui ab his auxilia deduxerant. Igitur classis ingens decernitur;creatur duces Nicias,& Alcibiades,& Lamachus;tantisque viribus Sicilia repetitur,vt ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur. Breui pòst tempore,reuocato ad reatum Alcibiade,duo præ

D lia pedestria secunda Nicias & Lamachus faciūt: munitionibus deinde circundatis, hostes etiam marinis commeatibus in vrbe clausos intercludunt. Quibus rebus fracti Syracusani, auxilium à Lacedæmoniis petiuerunt. Ab his mittitur Gylippus, solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. Is audito genere belli, iam inclinato statu,auxiliis partim in Græcia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. Duobus deinde prœliis victus, congressus tertio, oc-

E ciso Lamacho & hostes in fugam compulit, & socios obsidione liberauit. Sed cùm Athenienses à bello terrestri in nauale se transtulissent, Gylippus classem Lacedæmone cum auxiliis arcessit: quo cognito, & ipsi Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem & Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt: Peloponnesij quoque communi ciuitatum decreto, ingentia Syracusanis auxilia misere; & quasi Græciæ bellum in Siciliam translatum esset, ita

F ex vtraque parte summis viribus dimicabatur.

PRIMA igitur congressione naualis certaminis, Athenienses vincuntur. Castra quoque cum omni publica ac priuata pecunia amittunt. Super hęc mala,cum etiam terrestri prœlio victi essent, tunc Demosthenes censere cœpit, vt abirent Sicilia,dum res,quamuis afflictæ, nondum tamen perditæ forent; neque in bello male auspicato amplius perseuerandum esse; domi grauiora, &

G forsitan infeliciora bella, in quæ seruare hos vrbis apparatus oporteat. Nicias seu pudore male actæ rei, seu metu destitutæ spei ciuium, seu impellente fato manere contendit. Reparatur igitur nauale bellum, & à nimia prioris fortunæ procella, ad spem certaminis reuocantur: sed inscitia ducum, qui inter angustias maris tuentes se, Syracusanos aggressi fuerant facile vincuntur. Eurymedon dux in prima acie fortissime dimicans, primus cadit: triginta naues

quibus

quibus præfuerat, incenduntur. Demosthenes & Nicias, & ipsi victi, exercitum in terram deponunt, tutiorem fugam rati itinere terrestri. Ab his relictas centum triginta naues Gylippus inuasit; ipsos deinde insequitur, fugientes partim A capit, cædit partim. Demosthenes amisso exercitu, à captiuitate, gladio, & voluntaria morte se vindicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, vt sibi consuleret admonitus, cladem suorum auxit dedecore captiuitatis.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER V.

DVM Athenienses in Sicilia bellum per biennium cupidius, quàm felicius gerunt, interim concitor & dux eius Alcibiades absens Athenis insimulatur; mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio sollemnia, enuntiauisse. Reuocatúsque à bello ad iudicium, siue conscientiam, siue indignitatem rei non ferens, tacitus in exilium Elidem profectus est. Inde vbi non damnatum se tantum, verumetiam diris per omnium sacerdotum religiones deuotum cognouit, Lacedæmona se contulit: ibique regem Lacedæmoniorum impellit, turbatis Atheniensibus aduerso Siciliæ prœlio vltro bellum inferre. Quo facto, omnia Græciæ regna, velut ad extinguendum commune incendium, concurrunt. Tantum odium Athenienses immoderati imperij crudelitate contraxerant. Darius quoque rex Persarum, memor paterni auitique in hanc vrbem odij, facta cum Lacedæmoniis per Tissafernem præfectum Lydiæ societate omnem sumptum belli pollicetur. Et erat hic quidem titulus cum Græcis coeundi: re autem vera timebat, ne victis Atheniensibus ad se Lacedæmonij arma transferrent. Quis igitur miretur, tam florentes Atheniensium opes ruisse, cum ad opprimendam vnam vrbem totius Orientis vires concurrerent? Non tamen inerti, neque incruento cecidere bello, sed prœliati ad vltimum; victores etiam interdum, consumpti magis fortunæ varietate, quam victi sunt. Principio belli omnes ab his etiam socij desciuerant, vt fit. QVO se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat.

ALCIBIADES quoque motum aduersus patriam bellum, non gregarij militis opera, sed imperatoriis virtutibus adiuuat. Quippe acceptis quinque nauibus in Asiam contendit, & tributarias Atheniensium ciuitates auctoritate nominis sui, ad defectionem compellit. Sciebant enim domi clarum, nec exilio videbant factum minorem; nec tam ablatum Atheniensibus ducem, quàm Lacedæmoniis traditum; parataque cum amissis imperia pensabant. Sed apud Lacedæmonios virtus Alcibiadis plus inuidiæ quàm gratiæ contraxit. Itaque cum principes velut æmulum gloriæ suæ interficiendum insidiis mandassent, cognita re Alcibiades per vxorem Agidis regis, quam adulterio cognouerat, ad Tissafernem præfectum Darij regis profugit; cui se celeriter officij comitate, & obsequendi gratia insinuauit. erat enim & ætatis flore, & formæ veneratione, nec minus eloquentia etiam inter Athenienses insignis; sed in conciliandis amicitiarum stu- B diis, quàm in retinendis vir melior: quia morum vitia sub vmbra eloquentiæ primo latebant. Igitur persuadet Tissaferni, ne tanta stipendia classi Lacedæmoniorum præberet. Vocandos enim in portionem muneris Ionios, quorum pro libertate, cum tributa Atheniensibus penderent, bellum susceptum sit. Sed nec auxiliis nimis enixè Lacedæmonios iuuandos: Quippe memorem esse debere alienam se victoriam, nō suam instrue- C re. Et eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur. Nam regem Persarum, dissentientibus Græcis, arbitrum pacis ac belli fore; & quos suis non possit, ipsorum armis victurum: perfecto autem bello, statim ei cum victoribus dimicandum. Domesticis itaq; bellis Græciam obterendā, ne externis vacet; exæquandásq; vires partium, & inferiores auxilio leuandos. Non enim quieturos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Græciæ professi sunt. Grata oratio Tissa- D ferni fuit. Itaq; commeatus maligne præbere, classem regiam nō totam mittere; ne aut victoriā daret, aut necessitatem deponendi belli imponeret.

INTEREA Alcibiades hanc operam ciuibus venditabat: ad quem cum legati Atheniensium venissent, pollicetur his amicitiam regis, si respublica à populo translata ad senatum foret: sperans vt aut concordante ciuitate, dux belli ab omnibus legeretur; aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxiliū vocaretur. Sed Athe- E niensibus imminēte periculo belli, maior salutis quàm dignitatis cura fuit. Itaque permittēte populo, imperiū ad senatum transfertur: qui cum insita genti superbia crudeliter in plebem cōsuleret, singulis tyrannidis sibi impotentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exul reuocatur, dúxque classi cōstituitur. Statim igitur Athenas mittit, ex continenti se cum exercitu venturum, recepturúmque à quadringentis iura populi, ni ipsi redderent. Hac denuntiatione optimates territi, F primo vrbem prodere Lacedæmoniis tentauere: dein cum id nequiuissent, in exilium profecti sunt. Igitur Alcibiades intestino malo patria liberata, summa cura classem instruit; atque ita bellum aduersus Lacedæmonios pergit.

IAM Mindarus & Pharnabazus Lacedæmoniorum duces, instructis nauibus expectabant: prœlio commisso, victoria penes Atheniēses fuit. In eo bello maior pars exercitus, & omnes ferme hostium duces cæsi; naues LXXX. captæ. Interie- G ctis quoque diebus, cum bellum Lacedæmonij à mari in terram transtulissent, iterato vincuntur. His malis fracti, pacem petiere: quam ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res

quæstum præbebat. Interea & Syracusanorum A auxilia, illatum à Carthaginiensibus Siciliæ bellum, domum reuocauit: quibus rebus destitutis Lacedæmoniis, Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat; multis locis prœlia facit; vbique victor recipit ciuitates quæ defecerant; nonnullas capit, & imperio Atheniensium adiicit: atque ita prisca nauali gloria vindicata, adiecta etiam laude terrestris belli, desideratus ciuibus suis Athenas reuertitur. His omnibus prœliis ducentæ naues hostium, & præda ingens capta. Ad hunc re- B deuntis exercitus triumphum, effusa omnis multitudo obuiam procedit: & vniuersos quidẽ milites, præcipue tamen Alcibiadem mirantur: in hunc oculos ciuitas vniuersa, in hunc suspensa ora conuertit: hunc quasi de cælo missum, & vt ipsam victoriam contuentur; laudant quæ pro patria, nec minus admirantur quæ exul contra gesserit, excusantes ipsi, iratum prouocatúmque fecisse. Enimuero tantum in vno viro fuisse momenti, vt maximi imperij subuersi, & rursum re- C cepti auctor esset; & vnde stetisset, eo se victoria transferret; fierétque cum eo mira quædam fortunæ inclinatio. Igitur omnibus non humanis tantum, verum & diuinis eum honoribus onerant: certant secum ipsi, vtrum cõtumeliosius eũ expulerint, an reuocauerint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere obuiam, quorum exsecrationibus erat deuotus. Et cui paulo antè omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in cælo posuisse cupiunt. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes D precibus. Non Siciliæ illis aduersa pugna in ore est, sed Græciæ victoria, non classes per illum amissæ, sed acquisitæ: nec Syracusarum, sed Ioniæ, Hellespontique meminerunt. Sic Alcibiades nũquam mediocribus, nec in offensa, nec in fauore studiis suorum exceptus est.

Dum hæc aguntur, & à Lacedæmoniis Lysander classi bellóque præficitur, & in locũ Tissafernis, Darius rex Persarum filiũ suum Cyrum Ioniæ Lydiæque præposuit: qui Lacedæmonios auxiliis opibúsque ad spem fortunæ prioris ere- E xit. Aucti igitur viribus, Alcibiadem cum centũ nauibus in Asiam profectum, dum agros longa pace diuites, securus populatur, & prædæ dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites habet, repentino aduentu oppressere: tantáque cędes palantium fuit, vt plus vulneris eo prœlio Athenienses acciperent, quàm superioribus dederant: & tanta desperatio apud Athenienses erat, vt ex continenti Alcibiadem ducem Conone mutarẽt: arbitrantes victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris: apud quem plus prior offensa va- F luisset, quàm recentia beneficia. Vicisse autem eum priore bello ideo tantum, vt ostẽderet hostibus, quem ducem spreuissent, & vt carius eis ipsam victoriam venderet. Omnia enim credibilia in Alcibiade, vigor ingenij, & morum luxuria faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum, denuo in voluntarium exilium proficiscitur.

Itaqve Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos cui duci successisset, classem maxima industria exornat: sed nauibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiæ populatione amis- G sis. Armantur tamen senes, aut impuberes pueri, & numerus militum sine exercitus robore expletur. Sed nõ magnam bello moram ætas fecit imbellis: cæduntur passim, aut fugientes capiuntur;

A tantáque strages, aut occisorum, aut captiuorum fuit, vt Atheniensiũ deletum non imperium tantum, verumetiam nomen videretur. Quo prœlio perditia & desperatis rebus, ad tantam inopiam rediguntur, vt consumpta militari ætate, peregrinis ciuitatem, seruis libertatem, damnatis impunitatem darent. Eáque in colluuione hominum, domini antea Græciæ, conscripto exercitu, vix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunã maris experiendam decernunt. Tanta virtus ani- B morum erat, vt cum paulo antè salutem desperauerint, nunc non desperent victoriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur; neque eæ vires, quibus vincere consueuerant; neque ea scientia militaris in his, quos vincula, non castra continuerant. Itaque omnes aut capti, aut occisi: cum dux Conon eo prœlio superfuisset, solus crudelitatem ciuium metuens cũ octo nauibus ad regem Cyprium concedit Euagoram.

C At dux Lacedæmoniorum rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultat; captiuas naues cũ præda bellica, in triumphi modum ornatas, mittit Lacedæmona; ac tributarias Atheniensium ciuitates, quas metus dubiæ belli fortunę in fide tenuerat, voluntarias recepit; nec aliud ditionis Atheniensium præter vrbem ipsam reliquit. Quæ cuncta cùm Athenis nuntiata essent, omnes relictis domibus, per vrbem discurrere pauidi; alius aliũ sciscitari; auctorem nuntij requirere: nõ pueros imprudentia; non senes debilitas; non mu- D lieres sexus imbecillitas domi tenet: adeo ad omnem ætatem tanti mali sensus penetrauerat. In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant. Alij fratres, aut filios, aut parentes deflent, cognatos alij, alij amicos cognatis cariores, & cum priuatis casibus querelam publicam miscent: iam seipsos, iam ipsam patriam perituram, miseriorémque incolumium, quàm amissorum fortunam iudicantes: sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, & superbum victorémque hostem proponentes: iã E ruinam vrbis & incendia, iam omnium captiuitatem & miserrimam seruitutem recordantes: feliciores prorsus priores vrbis ruinas ducentes, quæ incolumibus filiis parentibúsque, tectorum tantum ruina taxatæ sint. Nunc autem non classem, in quam, sicuti pridem, confugiant, superesse; non exercitum, cuius virtute seruati pulchriora possent mœnia extruere.

Sic defletæ ac prope perditæ vrbi hostes superueniunt, & obsidione circundata obsessos fame vrgent. Sciebant enim neque ex aduectis co- F piis multum superesse, & ne nouæ aduehi possent prouiderant: quibus malis rebus Athenienses fracti, post longam famem, & assidua suorum funera pacem petiuere: quæ an dari deberet diu inter Spartanos, sociósque deliberatum. Cum multi delendum Atheniensiũ nomen, vrbémque incendio consumendã cẽserẽt, negarunt se Spartani, ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos: pacem polliciti, si demissa Pyreum versus muri brachia deiicerent; nauésque quæ reliquę forẽt, traderent; résque publica ex semetipsis xxx. re- G ctores acciperet. In has leges traditam sibi vrbẽ Lacedæmonij formandam Lysandro tradiderunt. Insignis hic annus expugnatione Athenarum, & morte Darij regis Persarum, & exilio Dionysij Siciliæ tyranni fuit. Mutato statu Athenarum,

etiam

etiam ciuium conditio mutatur. Triginta recto- A res reipublicæ constituuntur, qui fiunt tyranni: quippe à principio tria millia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus propè nec ciuiũ superfuerat: & quasi paruus hic ad continendam ciuitatem exercitus esset, septingentos milites à victoribus accipiunt. Cædes deinde ciuium ab Alcibiade auspicantur, ne iterum rempublicam sub obtentu liberationis inuaderet. Quem cum profectum ad Artaxerxem Persarum regem com perissent, citato itinere miserunt, B qui eum interciperent: à quibus occupatus, cum occidi apertè non posset, viuus in cubiculo in quo dormiebat, crematus est.

LIBERATI hoc vltoris metu tyranni, miseras vrbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt. Quod cum displicere vni ex numero suo Therameni didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Fit igitur ex vrbe passim omnium fuga; repletúrque Græcia Atheniensiũ exulibus: quod etiam ipsum auxilium vnicum cũ mi- C seris eriperetur, nam Lacedæmoniorum edicto, ciuitates exules recipere prohibebantur, omnes. se Argos & Thebas contulere: ibi non solũ tutum exilium egerunt, verumetiam spem recuperandæ patriæ receperunt. Erat inter exules Thrasybulus vir strenuus, & domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria, & pro salute communi, etiam cũ periculo ratus, adunatis exulibus castellum Phylen Atticorum finium occupat: nec deerat quarũdam ciuitatium tam crudelis casus miserantium fauor. Itaque Ismenias Thebanorum princeps, & D si publicis non poterat, priuatis tamen viribus adiuuabat: & Lysias Syracusanus orator, exul tũc, quingentos milites stipendio suo instructos, in auxilium patriæ communis eloquentiæ misit. Fit itaque asperum prœlium: sed cum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur, tyranni vincuntur: victi in vrbem refugerunt, quam exhaustam cædibus suis, etiam armis spoliant. Deinde cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent demigrare eos ex vrbe iubent, & in brachiis muri, E quæ diruta fuerant, habitare, extraneis militibus imperium tuentes. Post hæc Thrasybulum corrumpere, imperij societatem pollicentes, conantur: quod cum non contigisset, auxilia à Lacedæmoniis petiuere: quibus accitis, iterato prœliantur. In eo bello, Critias & Hippolochus omnium tyrannorum sæuissimi, cadunt.

CETERIS victis cum exercitus eorum, ex quibus maior pars Atheniensium erat, fugeret, magna voce Thrasybulus exclamat: Cur se victorem fugiãt, potius quàm vt vindicem cõmunis liber- F tatis adiuuent? Ciuium illã meminerint aciẽ, nõ hostiũ esse; nec se ideo arma cepisse, vt aliqua victis adimat, sed vt adempta restituat; x x x. se dominis, nõ ciuitati bellum inferre. Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum; tum vetusti per tot bella cõmilitij: orat misereãtur exulum ciuiũ, si tam patienter ipsi seruiãt: reddant sibi patriã, accipiant libertatẽ. His vocibus tantum promotum est, vt reuersus in vrbem exercitus, x x x. tyrannos emigrare Eleusina iuberet, substitutis decem qui remp. regerent: qui, nihil exemplo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggressi sunt. Dum hæc aguntur, nuntiatur Lacedæmone, in bellum Athenienses exarsisse: ad quod comprimendum Pausanias rex mittitur: qui misericordia exulis populi permotus, patriam miseris ciuibus restituit, & decem tyrãnos ex vrbe Eleusina migrare ad ceteros iubet. Quibus rebus cum pax statuta esset, interiectis diebus, repente tyranni non minus restitutos exules, quam se in exilium actos indignantes, quasi vero aliorum libertas sua seruitus esset; bellum Atheniensibus inferunt: sed ad colloquium veluti dominationem recepturi, progressi, per insidias cõprehensi, vt pacis victimæ trucidantur: populus quem emigrare iusserant, in vrbem reuocatur. Atque ita per multa membra ciuitas dissipata, in vnum tandem corpus redigitur; & ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur discordiarum obliuionẽ fore. Interea Thebani, Corinthiique legatos ad Lacedæmonios mittunt, qui ex manubiis, portionẽ prædæ communis belli periculique peterent: quibus negatis non quidem aperte bellum aduersus Lacedæmonios decernunt, sed tacitis animis tantam iram concipiunt, vt subesse bellum intelligi posset.

EODEM forte tempore Darius rex Persarum moritur, Artaxerxe & Cyro filiis relictis: Regnũ Artaxerxi, Cyro ciuitates, quarum præfectus erat, testamento legauit. Sed Cyro iudicium patris iniuria videbatur. Itaque occulte aduersus fratrem bellum parabat: quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem, & innocentiã dissimulatione belli simulãtem, compedibus aureis vinxit; interfecissetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus, iam non occulte bellum, sed palã; nec per dissimulationẽ, sed aperta professione parare cœpit: auxilia vndique contrahit. Lacedæmonij memores Atheniensi bello enixe se eius opera adiutos; vel ignorantes contra quẽ bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittẽda, vbi res eius exegisset: quærentes apud Cyrum gratiam, & apud Artaxerxem, si vicisset; veniæ patrocinia, cum nihil aduersus eum aperte decreuissent. Sed cum in bello fors prœlij vtrumque fratrẽ pugnæ obtulisset, prior Artaxerxes à fratre vulneratur: quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus à cohorte regia oppressus, interficitur: sic victor Artaxerxes, & præda fraterni belli, & exercitu potitur. In eo prœlio decem millia Græcorum in auxilio Cyri fuere: quæ & in cornu, in quo steterant, vicerunt; & post mortem Cyri, neque armis à tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt; reuertentésque inter tot indomitas nationes, & barbaras gentes, per tanta itineris spacia virtute se vsque terminos patriæ defenderunt.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER VI.

A LACEDÆMONII more ingenij humani, quò plura habent, eo ampliora cupientes, non contenti accessione Atheniensium opum vires sibi duplicatas, totius Asiæ imperium affectare cœperunt: sed maior pars sub regno Persarum erat. Itaque Hercyllides dux in hanc militiam electus, cum videret sibi aduersus duos præfectos Artaxerxis regis, Pharnabazum & Tissafernem, maximarum gentium viribus succinctos, dimicandum, pacificandum cum altero statuit. Aptior visus Tissafernes, vir & industria potior, & militibus Cyri quondam regis instructior B in colloquium vocatur, & statutis conditionibus, ab armis dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud cõmunem regem criminatur, vt Lacedæmonios Asiam ingressos non repulerit armis, sed impensis regiis aluerit; mercetúrque ab his vt different bella, quàm gerant, tanquam non ad vnius summã imperij detrimentum omne perueniat. Indignũ ait bella non perfici, sed redimi; hostem precio, non armis summoueri. His vocibus regem Tissaferni alienatum hortatur, vt in locum eius, naualis belli ducem eligat Conona Atheniensem, qui C amissa bello patria Cypri exulabat: quippe Atheniensibus, etsi fractæ sint opes, manere tamen naualem vsum, nec, si eligendus sit ex vniuersis, meliorem alium esse. Acceptis igitur quingentis talentis, iussus est Conona classi præficere.

HIS cognitis, Lacedæmonij & ipsi à rege Ægypti Hercynione auxilia naualis belli per legatos petunt, à quo centum triremes, & sexcenta millia modiûm frumenti missa: à ceteris quoque sociis ingentia auxilia contracta sunt. Sed tanto exercitui, & contra tantum ducem deerat dignus D imperator. Itaque postulantibus sociis Agesilaũ ducem, regem tunc Lacedæmoniorum: propter responsum oraculi Delphici, diu Lacedæmonij, an eum summæ rei præponerent, deliberauerũt: quibus futurus imperij finis denuntiabatur, cum regium claudicasset imperium: erat enim pede claudus. Ad postremum statuerunt, melius esse incessu regem, quàm imperio regnum claudicare. Postquam Agesilaum cum ingentibus copiis in Asiam misere: non facile dixerim quod aliud E par ducum tã bene comparatum fuerit: quippe ætas, virtus, consilium, sapientia vtrique prope vna; gloria quoque rerum gestarum eadem: quibus cum paria omnia fortuna dederit, inuictum tamen ab altero vtrunque seruauit. Magnus igitur amborum apparatus belli, magnæ res gestæ fuerunt. Sed Cononem seditio militum inuadit, quos præfecti regis fraudare stipendio soliti erãt, eo instantius debita poscentibus, quo grauiorem F sub magno duce militiam præsumebant. Itaque Conon diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit: à cuius aspectu & colloquio prohibitus est, quòd eum more Persarum adorare nollet: agit tamen cum eo per internuntios, & queritur opulentissimi regis bella inopia delabi, & qui exercitum parem hostibus habeat, pecunia vinci, qua præstet, inferiorémque eum ea parte virium inueniri, qua longe superior sit: postulat dari sibi ministrum impensæ, quia pluribus id mandare perniciosum sit: Dato stipendio, ad classem remittitur, nec moram agendis rebus facit; multa fortiter, multa feliciter agit: agros hostiles vastat; vrbes expugnat; & quasi tempestas quædam cuncta prosternit. Quibus rebus territi Lacedæmonij, ad patriæ subsidium, reuocandum ab Asia Agesilaum decernunt.

INTERIM Pisandrus ab Agesilao proficiscente dux patriæ relictus, ingentem classem summis viribus instruit, fortunam belli tentaturus. Necnon & Conon tunc primum cum hostium exercitu concursurus, magna cura ordinat suos. Sũma igitur non tam ducum in eo prœlio, quàm militum æmulatio fuit. Nam & ipse dux Conon non tam Persis, quàm patriæ studebat; & sicut afflictis Atheniensium rebus, auctor amissæ dominationis fuerat, sic volebat idem haberi redditæ, patriámque vincendo recipere, quam victus amiserat: eo speciosius, quòd ne ipsorum quidem Atheniensium, sed alieni imperij viribus dimicet; pugnaturus periculo regis, victurus præmio patriæ; gloriámque diuersis artibus, quàm priores ciuitatis suæ duces consecuturus: quippe illos vincendo Persas, patriam defendisse; se Persas victores faciendo, restituturum patriam esse. Porrò Pisandrus pro coniunctione Agesilai, etiã virtutum æmulator erat; contendebátque ne à rebus gestis eius, & gloriæ splendore decederet; néve tot bellis ac seculis quæsitum imperiũ, breuis momenti culpa subuerteret. Eadem militum & omnium regum cura erat, quos maior solicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quæsitas opes amitterent, quàm ne pristinas Athenienses reciperent. Sed quanto maius prœlium fuit, tanto & clarior victoria Cononis. Victi Lacedæmonij fugã capesserunt; præsidia hostiũ Athenis deducuntur; populo restituta dignitate cõditio seruilis eripitur; multę quoq; ciuitates recipiuntur.

HOC initium Atheniensibus resumendæ potentiæ, & Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Nãque velut cum imperio etiam virtutem perdidissent, contemni à finitimis cœpere. Primi igitur Thebani auxiliantibus Atheniensibus, bellum his intulere: quæ ciuitas ex infimis incrementis, virtute Epaminondæ ducis, ad spẽ imperij Græciæ erecta est. Fit itaque terrestre prœlium, eadem Lacedæmoniorum fortuna, qua pugnatum aduersus Conona nauali prœlio fuerat. In eo bello Lysander, quo duce Athenienses victi à Lacedæmoniis fuerant, interficitur. Pausanias quoque alter dux Lacedæmoniorum proditionis accusatus, in exilium abijt. Igitur Thebani potiti victoria,

ria, vniuersum exercitum ad vrbem Lacedæmoniorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deserti à sociis omnibus erant: quod metuentes Lacedæmonij, regem suum Agesilaum ex Asia, qui ibi magnas res gerebat, ad defensionem patriæ arcessunt. Occiso enim Lysandro, nullius alterius fiduciam ducis habebant. Cuius quoniam serus aduentus erat, conscripto exercitu, obuiam hosti procedunt. Sed victis, aduersus paulò antè victores, nec animus, neque vires pares fuere. Prima igitur congressione funduntur. Deletis iam suorum copiis, superuenit rex Agesilaus, qui restituto prœlio, nó difficulter, recenti & multis expeditionib. indurato milite, hostibus victoriam eripuit, ipse tamen grauiter sauciatur.

QVIBVS rebus cognitis, Athenienses verentes ne, iterum Lacedæmoniis victoribus, in pristinam fortem seruitutis redigerentur, exercitum contrahunt, cúmque in auxilium Bœotiorum per Iphicratem, viginti quidem annos natum, sed magnæ indolis iuuenem, duci iubent. Huius adolescétis supra ætatem virtus admirabilis fuit, nec vnquam ante eum Athenienses, inter tot tantósque duces, aut spei maioris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt, in quo non imperatoriæ tantum, verum & oratoriæ artes fuere. Conon quoque audito reditu Agesilai, & ipse ex Asia ad depopulandos Lacedæmoniorum agros reuertitur: atque ita, vndique belli formidine circumstrepente, clausi Spartani, ad summam desperationem rediguntur. Sed Conon vastatis hostium terris, Athenas pergit: vbi magno ciuium gaudio exceptus, plus tamen tristitiæ ipse ex incensa, & diruta à Lacedæmoniis patria, quàm lætitiæ ex recuperata post tantum temporis, cepit. Itaque quæ incensa fuerant, prædarum sumptu & exercitu Persarum restituit, quæ diruta, reficit. Fatum illud Athenarum fuit, vt antè à Persis crematæ, manibus eorum, & nunc à Lacedæmoniis dirutæ, ex spoliis Lacedæmoniorum restituerentur: versa quoque vice, haberent nunc socios, quos tunc hostes habuerant, & hostes nunc paterentur, cum quibus iuncti tunc artissimis societatis vinculis fuerant.

DVM hæc gererentur, Artaxerxes rex Persarum legatos in Græciam mittit, per quos iubet omnes ab armis discedere, qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum, ciuitatibus libertatem, suáque omnia restituit: quod non Græciæ laboribus, assiduísque bellorum internecinis odiis consulens fecit, sed ne occupato sibi Ægyptio bello, quod propter auxilia, aduersus præfectos suos Lacedæmoniis missa, susceperat, exercitus sui in Græcia detinerentur. Fessi igitur tot bellis Græci, cupide paruere. Hic annus non eo tantùm insignis fuit, quòd repente pax tota Græcia facta est, sed etiam eo quòd eodem tempore vrbs Romana à Gallis capta est. Sed Lacedæmonij securis insidiantes, absentiam Arcadum speculati, castellum eorum expugnant, occupatóque præsidium imponunt. Itaque armato instructoque exercitu, Arcades adhibitis in auxilium Thebanis, amissa bello repetunt. In eo prœlio Archidamus dux Lacedæmoniorum vulneratur: qui cum cædi suos iam vt victos videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ. Qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dedere.

PAVCIS deinde post diebus, neutris quicquam hostile facientibus, cum quasi tacito consensu induciæ essent, Lacedæmoniis alia bella aduersus finitimos gerentibus, Thebani Epaminonda duce, occupandæ vrbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis, taciti Lacedæmona proficiscuntur: non tamen aggredi incautos potuerut. Quippe senes, & cetera imbellis ætas, cum aduentum hostiú præsensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt, & aduersus quindecim millia militum, non amplius centum iam effœtæ ætatis viri, pugnæ sese offerunt: tantum animorum: viriúmque patriæ, & penatium conspectus subministrat, tantóque præsentia, quàm recordatione sui, maiores spiritus largiuntur. Nam vt videre inter quæ, & pro quibus starent, aut vincendum sibi, aut moriendum censuerunt. Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem vniuersa iuuentus esse non potuit. In eo prœlio duo duces hostium cecidere. Cum interim, Agesilai aduentu nuntiato, Thebani recessere, nec bellum diu dilatum: siquidem Spartanorum iuuentus, senum virtute & gloria incensa, teneri non potuit, quin ex continenti acie decerneret. Cum victoria Thebanorum esset, Epaminondas dum non ducis tãtum, verumetiam fortissimi militis officio fungitur, grauiter vulneratur. Quo audito his ex dolore metus, & illis ex gaudio stupor iniicitur, atque ita veluti ex placito cõsensu à prœlio disceditur.

POST paucos deinde dies Epaminondas decedit, cum quo vires quoque reipub. ceciderunt: Nã sicuti telo si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illo velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt: vt non tam illum amisisse, quàm cum illo interisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem vllum memorabile bellum gessere, nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: vt manifestum sit, patriæ gloriam & natam, & extinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset: nam & imperium non sibi semper, sed patriç quæsiuit, & pecuniæ adeo parcus fuit, vt sumptus funeri defuerit, gloriæ quoque non cupidior, quàm pecuniæ: quippe recusanti, omnia imperia ingesta sunt: honoréśque ita gessit, vt ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur: Iam literarum studium, iam philosophiæ doctrina tanta, vt mirabile videretur, vnde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato. Nam ab hoc vitę proposito mortis ratio dissensit. Nam vt relatus in castra semianimis, vocem spiritúmque collegit, id vnum à circunstantibus requisiuit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis: quod vt seruatum audiuit, allatúmque, velut laborum gloriæque socium osculatus est. Iterum quæsiuit vtri vicissent: vt audiuit Thebanos, Bene habere se rem, dixit: atque ita velut gratulabundus patriæ, exspirauit.

HVIVS morte etiam Atheniensium virtus intercidit: siquidem amisso cui æmulari consueuerant, in segnitiam, torporémque resoluti, non vt olim in classem & exercitus, sed in dies festos, apparatúsque ludorum reditus publicos effundunt, & cum actoribus nobilissimis poëtísque theatra celebrant, frequentius scenam quàm castra visentes, versificatorésque, meliores, quàm duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo anteà milites & remiges alebantur, cum vrbano populo diuidi cœptum est. Quibus rebus effectum est,

vt inter oti a Græcorum, fordidum & obſcurum antea, Macedonum nomen emergeret. Et Philippus obſes triennio Thebis habitus, Epaminon- A dæ & Pelopidæ virtutibus eruditus, regnum Macedoniæ, Græciæ, & Aſiæ ceruicibus, velut iugum ſeruitutis imponeret.

POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XIV.

MACEDONIA antè nomine Emathionis regis, cuius prima virtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata eſt. Huius ſicuti incrementa modica, ita termini perangusti fere. Populus Pelaſgus, regio Bœotia dicebatur. Sed poſtea virtute regum, & gentis induſtria, ſubactis primo finitimis, mox populis, nationibúſque, imperiũ vſque extremos Orientis terminos prolatũ. In regione Pæonia, quæ nunc portio eſt Macedoniæ, regnaſſe fertur Telegonus pater Aſteropæi, cuius Troiano bello, inter clariſſimos vindices vrbis, nomen accepimus. Ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit. Sed & Caranus cum magna multitudine Græcorum, ſedes in Macedonia reſponſo oraculi iuſſus quærere, cum in Emathiam veniſſet, vrbem Ædeſſam non ſentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum, imbrem fugientium, ſecutus occupauit: reuocatúſque in memoriam oraculi, quo iuſſus erat, ducibus capris imperium quærere, regni ſedem ſtatuit: religioſéque poſtea obſeruauit, quocúnque agmen moueret, ante ſigna eaſdem capras habere, cœptorum duces habiturus, quas regni habuerat auctores. Vrbem Ædeſſam ob memoriam muneris Ægeas, populum Ægeadas, vocauit. Pulſo deinde Mida (nam is quoque portionem Macedoniæ tenuit) aliíſque regibus pulſis, in locum omnium ſolus ſucceſſit, primúſque adunatis gentibus variorum populorum, veluti vnum corpus Macedoniæ fecit, creſcentique regno, valida incrementorum fundamenta constituit.

POST hunc Perdicca regnauit, cuius & vita illuſtris, & mortis poſtrema, veluti ex oraculo præcepta memorabilia fuere: Siquidem ſenex moriens, Argæo filio monſtrauit locum, quo condi vellet, ibiq; non ſua tantùm, ſed & ſuccedentium ſibi regnum oſſa poni iuſſit, præfatus, quoad ibi conditæ poſterorum reliquiæ forent, regnum in familia mãſurum: credúntq; hac ſuperſtitione extinctam in Alexandro ſtirpem, quia locum ſepulturæ mutauerit. Argæus moderate, & cum amore popularium adminiſtrato regno, ſucceſſorem filium Philippum reliquit: qui immatura morte raptus, Europum paruulum admodum inſtituit heredem. Sed Macedonibus aſſidua certamina cum Thracibus & Illyriis fuere: quorum armis veluti quotidiano exercitio indurati, gloria bellicę laudis finitimos terrebãt. Igitur Illyrij infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediũtur: qui prœlio pulſi, rege ſuo in cunis prolato, & pone aciem poſito, acrius certamen repetiuere: tanquã ideo victi fuiſſent antea, quòd bel- B lantibus ſibi regis ſui auſpicia defuiſſent; futuri vel propterea victores, quòd ex ſuperſtitione animum vincendi ceperant: ſimul & miſeratio eos infantis tenebat, quem ſi victi forent, captiuũ de lege facturi videbantur. Conferto itaque prœlio, magna cæde Illyrios fudere, oſtenderúntque hoſtibus ſuis, priore bello regem Macedonibus, nõ virtutẽ defuiſſe. Huic Amyntas ſuccedit & propria virtute, & Alexandri filij egregia indole inſigniter clarus: cui Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta extitere, vt etiã Olympio certamine, vario ludicrorum genere contenderit. C

CVM interim Darius rex Perſarum, turpi ab Scythia fuga ſummotus, ne vbique deformis militiæ damnis haberetur, mittit cum parte copiarũ Megabazum ad ſubigendam Thraciam, cæteráq; eius tractus regna: quibus pro ignobili momento erat acceſſura Macedonia. Qui breui tempore exſecuto regis imperio, legatis ad Amyntam regem Macedoniæ miſſis, obſides in pignus futuræ pacis dari ſibi poſtulabat. Sed legati benignè excepti, inter epulas ebrietate creſcẽte, rogant Amyntam vt apparatui epularum adiiciat ius familiaritatis, adhibitis in conuiuium ſuum filiis & vxoribus: id apud Perſas haberi pignus ac fœdus hoſpitij. Quæ vt venerunt, petulantiùs Perſis eas contrectantibus, filius Amyntæ Alexander rogat patrem, reſpectu ætatis ac grauitatis ſuæ abiret cõuiuio, pollicitus ſe hoſpitum temperaturũ iocos. Quo digreſſo, mulieres quoque paulùlum è conuiuio euocat, cultius exornaturus, gratioréſque reducturus. In quarum locum matronali habitu exornatos iuuenes ſupponit, eóſque petulantiam legatorum ferro, quod ſub veſte gerebant, compeſcere iubet. Atque ita interfectis omnibus, ignarus rei Megabazus, cùm legati non redirent, mittit eò cum exercitus parte Bubarem, vt in bellum facile & mediocre: dedignatus ipſe ire, ne dehoneſtaretur prœlio tam fœdæ gentis. Sed Bubares ante bellum, amore filiæ Amyntæ captus, omiſſo bello nuptias facit, depoſitíſque hoſtilibus animis, in affinitatis iura ſuccedit. D E F

POST diſceſſum à Macedonia Bubaris, Amyntas rex decedit, cuius filio & ſucceſſori Alexandro, cognatio Bubaris nõ Darij tantùm temporibus pacem præſtitit, verumetiã Xerxem adeo conciliauit, vt cùm Græciam veluti tempeſtas quædam occupaſſet, inter Olympum Hæmũmq; montes totius regionis eum imperio donauerit. Sed ne virtute minus, quàm Perſarum liberalitate regnum ampliauit. Per ordinem deinde ſucceſſionis, regnum Macedoniæ ad Amyntam fratris eius Menelai filium peruenit. Hic quoque inſignis

signis industria, & omnib. imperatoriis virtutibus instructus fuit: qui ex Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri Magni Macedonis patrem, & filiam Euryonem: Ex Cygnæa autem Archelaum, Archideum, Menelaum. Cum Illyriis deinde, & cum Olynthiis grauia bella gessit. Insidiis autem Eurydices vxoris, quæ nuptias generi pacta, occidendum virum, regnúmque adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris & sceletis consilia prodidisset. Functus itaque tot periculis, senex decessit, regno maximo ex filiis Alexandro, tradito.

IGITVR Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre dato obside, redemit. Interiecto quoque tempore per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quæ res Philippo maxima incrementa egregiæ indolis dedit. Siquidem Thebis triennio obses habitus, prima pueritiæ rudimenta, in vrbe seueritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ, summi & philosophi & imperatoris, deposuit. Nec multo post Alexander insidiis Eurydices matris apperitus occumbit: cui Amyntas in scelere deprehensæ, propter communes liberos, ignarus eisdem quandóq; exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque eius Perdicca pari insidiarum fraude decipitur. Indignum prorsus libidinis causa liberos à matre vita priuatos, quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicauerat. Perdiccæ hoc dignior cædes videbatur, quòd ei apud matrem misericordiam nec paruulus quidem filius conciliauerat. Itaque Philippus diu non regem, sed tutorem pupilli egit. At vbi grauiora bella imminebant, serúmque auxilium in exspectatione infantis erat, compulsus à populo, regnum suscepit.

VT est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit, & propter ipsius ingenium, quòd magnum spondebat virum, & propter veters Macedoniæ fata: quæ cecinerant, vno ex Amyntæ A filiis regnante, florentissimum fore Macedoniæ statum: cui spei scelus matris hunc residuum fecerat. Principio regni, cum hinc cædes fratrum indigne peremptorum, inde hostium multitudo, hinc insidiarum metus, inde inopia continui belli & exhausti regni immaturam ætatem tyronis vrgerent, belláq; velut conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diuersis locis hoc tempore confluebant: quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda B ratus, alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimis quibúsque aggressis, quorum victoria & militum trepidos animos firmaret, & contemptũ sibi hostium demeret. Primum illi cũ Atheniensibus certamen fuit: quibus per insidias victis, metu belli grauioris, cũ interficere omnes posset, incolumes sine pretio dimisit. Post hæc bello in Illyrios translato, multa millia hostium cædit. Vrbem nobilissimã Larissam capit: hinc Thessaliã, non prædæ cupiditate, sed quòd exercitui C suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quàm bellum metuentem, improuisus expugnat: vnúmque corpus equitum pedestriúmq; copiarum inuicti exercitus fecit. Quibus rebus feliciter prouenientibus, Olympiadem Neoptolemi regis Molossorum filiam vxorẽ ducit, conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis Arruba rege Molossorum, qui sororem Olympiadis Troadam in matrimonium habebat: quæ causa illi exitij, malorúmque omnium fuit. D Nam dum regni incrementa affinitate Philippi acquisiturum sperat, proprio regno ab eodem priuatus, in exilio consenuit. His itaque gestis, Philippus iam non contentus summouere bella, vltro etiam quietos lacessit. Cum Methonam vrbem oppugnaret, in prætereuntem de muris sagitta iacta, dextrũ oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior aduersus hostes factus est: adeò vt interiectis diebus, pacem deprecantibus dederit, nec moderatus tantum, verumetiam mitis aduersus victos fuerit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM
LIBER VIII.

GRÆCIÆ ciuitates dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire, qui singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Siquidem Philippus rex Macedoniæ, velut è specula quadam, libertati omnium insidiatus, dum contentiones ciuitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victorésq; subire regiam seruitutem coëgit. Causa & origo huius mali Thebani fuere: qui cum rerum potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes, victos armis Lacedæmonios & Phocenses, quasi parua supplicia cædibus & rapinis luissent, apud commune Græciæ conciliũ superbe accusauerunt. Lacedæmoniis crimini datum, quòd arcem Thebanam induciarum tempore occupassent: Phocensibus, quòd Bœotiam depopulati essent: prorsus quasi post arma & bellum, E locum legibus reliquissent. Cum iudicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolui non posset. Igitur Phocenses, cum agris, liberis, coniugibúsque priuarẽtur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut deo irascentes, templum ipsum Apollinis Delphis occupauere. Inde auro, & pecunia diuites, conducto mercenario milite, bellum Thebanis intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen inuidiæ F Thebanis, à quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quàm ipsis intulit. Itaque auxilia his & ab Atheniensibus, & à Lacedæmoniis missa. Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti prœlio primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegij pœnas impio sanguine luit. In huius locum dux Onomarchus creatur.

ADVERSVS quem Thebani Thessalique non A ex ciuibus suis, ne victoris potentiam ferre non possent, sed Philippum Macedoniæ regem ducem eligunt, & externæ dominationi, quam in suis timuerunt, sponte succedunt. Igitur Philippus quasi sacrilegij, non Thebanorum vltor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet, atque ita veluti deo duce, in prœlium pergit. Phocēses insignibus dei cōspectis, conscientia delictorum territi abiectis armis fugam capessunt, pœnásque violatæ religionis sanguine & cædibus suis pen- B dunt. Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriæ dedit. Illum vindicem sacrilegij, illum vltorem religionum, quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exigeret extitisse dignum. Itaque à diis proximus habetur, per quem deorum maiestas vindicata sit. Sed Athenienses audito belli euentu, ne in Græciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum pari ratione sicuti antea aduenientibus Persis, occupauere, sed nequaquam simili aut virtute C aut causa: siquidem tunc pro libertate Græciæ, nunc pro sacrilegio publico, tunc à rapina hostium templa vindicaturi, nunc aduersus vindices, templorum raptores defēsuri: agúntque propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios vindices fuisse: immemores prorsus, quòd in dubiis rebus suis, illo deo etiam consiliorum auctore vsi fuerant, quod illo duce tot bella victores inierant, tot vrbes auspicato condiderant, tantum imperium terra marique quæsierant, quòd nihil D sine maiestate numinis eius aut priuatæ vnquam, aut publicæ rei gesserant. Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, vt quid posthac succensēre iure barbaris possent, non haberent.

SED nec Philippus melioris fidei aduersus socios fuit: quippe veluti timens ne ab hostibus sacrilegij scelere vinceretur, ciuitates quarum paulò antè dux fuerat, quæ sub auspiciis eius milita- E uerant, quæ gratulatæ illi, sibique victoriam fuerant, hostiliter occupatas diripuit: Coniuges liberósque omnium sub corona vendidit: non deorū immortalium templis, non ædibus sacris, non dis penatibus publicis priuatísque, ad quos paulò antè ingressus hospitaliter fuerat, pepercit: prorsus vt non tam sacrilegij vltor extitisse, quàm sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur. Inde veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam traiicit: vbi bello pari perfidia gesto, captísque per dolum F & occisis finitimis regibus, vniuersā prouinciam imperio Macedoniæ adiungit. Deinde ad abolendam inuidiæ famam, qua insignis præter cæteros tunc tēporis habebatur, per regna mittit, & opulentissimas ciuitates, qui opinionem sererent, regem Philippum magna pecunia locare, & muros per ciuitates, & fana, & templa facienda, & vt per præcones susceptores solicitarēt: qui cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus frustrati, vim regiæ maiestatis timentes, taciti proficiscebā- G tur. Post hæc Olynthios aggreditur: Receperant enim per misericordiam post cædem vnius, duos fratres eius, quos Philippus ex nouerca genitos, veluti participes regni interficere gestiebat. Ob hāc igitur causam vrbē antiquā & nobilē exscindit, & fratres olim destinato supplicio tradit, prædáque ingēti, pariter & parricidij voto fruitur. Inde quasi omnia, quæ agitasset animo, ei licerēt, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat. Et ne quod ius vel fas inuiolatu prætermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita gestis, forte euenit, vt cum fratres duo, reges Thraciæ, non contemplatione iustitiæ eius, sed inuicem metuentes ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent. Sed Philippus more ingenij sui, ad iudicium veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu superuenit: & regno vtrunque non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliauit.

DVM hæc aguntur, legati Atheniensium petētes pacem ad eum venerunt. Quibus auditis, & ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit: ibique ex commodo vtrorúmque pax facta. Ex ceteris quoque Græciæ ciuitatibus, non pacis amore, sed belli metu legationes venere. Siquidem crudescente ira, Thessali, Bœotiique orant, vt professum aduersum Phocenses ducem Græciæ exhibeat: tanto odio Phocensium ardentes, vt obliti cladium suarum perire ipsi, quàm non perdere eos præoptarent, expertámque Philippi crudelitatem pati, quàm parcere hostibus suis mallent. Contrà Phocensium legati, adhibitis Lacedæmoniis, & Atheniensibus, bellum deprecabantur, cuius ab eo dilatiōnem ter iam emerant. Fœdum prorsus, miserandúmque spectaculum, Græciam etiam nunc & viribus, & dignitate orbis terrarū principem, regum certe gentiúmque semper victricem, & multarum adhuc vrbium dominam, alienis excubare sedibus, aut rogantem bellum aut deprecantem, in alterius ope omnem spem posuisse orbis terrarum vindices, eóque discordia sua, ciuilibúsque bellis redactos, vt adulentur vltro sordidam paulò antè clientelæ suæ partem; & hæc potissimum facere Thebanos, Lacedæmoniósque antea inter se imperij, nunc Græciæ imperantis æmulos. Philippus, venditatione gloriæ suæ, tantarum vrbium fastidium agitat, atque vtros potius dignetur, æstimat. Secreto igitur auditis vtrisque legationibus, his veniam belli pollicetur, iureiurando adactis, responsum nemini prodituros, illis contrà venturum se, auxiliúmque laturum: Vtrósque vetat parare bellum, aut metuere. Sic variato responso securis omnibus, Thermopylarum angustias occupat.

TVNC primum Phocenses captos se fraude Philippi animaduertentes, trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia: & Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta salute se dederunt. Sed pactio eius fidei fuit, cuius antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur cæduntur passim rapiuntúrque, non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum simulacra templis suis relinquuntur: Vnum tantum miseris solatium fuit, quòd cùm Philippus portione prædæ socios fraudasset, nihil rerum suarum apud inimicos viderunt: Reuersus in regnum, vt pecora pastores nunc in hibernos, nunc in æstiuos saltus traiiciunt: sic ille populos & vrbes, vt illi vel replenda, vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. Miseranda vbique facies, & excidio similis erat: Non quidem pauor ille hostilis, nec discursus per vrbem militum erat, non tumultus armorum, non bonorum atque hominum rapina: sed tacitus mœror & luctus, verentibus ne ipsæ lacrymæ pro contuma-

cia ha-

cta haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor,
hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.
Nunc sepulcra maiorum, nunc veteres penates,
nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibúsque
genuerant, considerabant: miserantes nunc vicem
suam, quòd in eam diem vixissent, nunc filiorum,
quòd non post eam diem nati essent.

ALIOS populos in finibus ipsis hostibus op-
ponit, alios in extremis regni terminis statuit,
quosdam bello captos in supplementis vrbium
diuidit. Atque ita ex multis gentibus nationibús-
que vnum regnum populúmq; constituit. Com-
positis ordinatísque in Macedonia rebus, Darda-
nos, ceterósq; finitimos fraude captos expugnat.

A Sed nec à proximis manus abstinet. Siquidem Ar
rybam regem Epiri, vxori suæ Olympiadi artissi-
ma cognatione iunctum, pellere regno statuit, at-
que Alexandrum priuignum eius vxoris Olym-
piadis fratrem, puerum honestæ pulchritudinis,
in Macedoniam nomine sororis arcessit, omniq;
studio solicitatum spe regni, simulato amore ad
stupri consuetudinem perpulit, maiora in eo ob-
sequia habiturus, siue conscientiæ pudore, siue
regni beneficio. Cùm igitur ad xx. annos perue-
B nisset, ereptum Arrybę regnum puero admodum
tradit, scelestus in vtroque: nam nec in eo ius co-
gnationis seruauit, cui ademit regnum, & eum
cui dedit, impudicum fecit ante quàm regem.



POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER VIII.

IN Græciam Philippus cùm venisset, solici-
tatus paucarum ciuitatium direptione, & ex
præda modicarum vrbium, quantæ opes vniuer-
sarum essent animo prospiciens, bellum toti
Græciæ inferre statuit. Ad cuius emolumentum
egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem &
maritimam vrbem, receptaculum terra marique
copiis suis futurum, in potestatem redegisset.
Eandem claudentem sibi portas, obsidione cin-
xit. Hæc námque vrbs condita primo à Pausania
rege Spartanorum, & per vii. annos possessa fuit:
deinde variante victoria, nunc Lacedæmonio-
niorum, nunc Atheniensium iuris habita est.
Quæ incerta possessio effecit, vt nemine quasi
suam auxiliis iuuante, libertatem constantius
tueretur. Igitur Philippus longa obsidionis mora
exhaustus, pecuniæ commercium de piratica
mutuatur. Captis itaque centum septuaginta na-
uibus mercium, & distractis, anhelantem ino-
piam paulului recreauit. Deinde, ne vnius vrbis
oppugnatione tantus exercitus tereretur, profe-
ctus cum fortissimis, multas Chersonensium vr-
bes expugnat. Filiúmque Alexandrum decem &
octo annos natum, vt sub militia patris tyrocinij
rudimenta deponeret, ad se arcessit. In Scythiam
quoque prædandi causa profectus est, more ne-
gotiantium, impensas belli alio bello refecturus.

ERAT eo tempore rex Scytharum Atheas, qui
cum bello Istrianorum premeretur, auxilium à
Philippo per Apollonienses petit, in successio-
nem eum regni Scythiæ adoptaturus. cum inte-
rim Istrianorum rex decedens, & metu belli, &
auxiliorum necessitate Scythas soluit. Itaque A-
theas remissis Macedonibus renuntiari Philippo
iubet, neque auxilium eius se petisse, neque ado-
ptionem mandasse. Nam neque vindicta Mace-
donum egere Scythas, quibus meliores forẽt: ne-
que heredem sibi incolumi filio deesse. His audi-
tis Philippus legatos ad Atheam mittit, impensæ
obsidionis portionem petentes, ne inopia dese-
rere bellum cogatur. Quod eo promptius eum
facere debere, quòd missis à se in auxilium eius
militibus, ne sumptum quidem viæ, non modo

C officij pretia dederit. Atheas inclementiam cæli,
& terræ sterilitatem causatus, quæ non patrimo-
niis ditet Scythas, sed vix alimentis exhibeat, re-
spondit nullas sibi opes esse, quibus tãtum regem
expleat, & turpius putare paruo defungi, quàm
totum abnuere: Scythas autem virtute animi, &
duritia corporis, non opibus censeri. Quibus deri-
sus Philippus, soluta obsidione Byzantij, Scythica
bella aggreditur, pręmissis legatis, quo securiores
faceret, qui nuncient Atheæ, dum Byzantium ob-
D sidet, vouisse se statuam Herculi: ad quam in ostio
Istri ponendam se venire, pacatum accessum ad
religionem dei petens, amicus ipse Scythis ven-
turus. Ille, si voto fungi vellet, statuam sibi mitti
iubet, non modo vt ponatur, verumetiam vt in-
uiolata maneat, pollicetur: Exercitum autem fi-
nes ingredi negat se passurum. Ac si inuitis Scy-
this statuam ponat, eo digresso sublaturum, ver-
surúmque æs statuæ in aculeos sagittarum. His v-
trimque irritatis animis, prœlium committitur.
E Cum virtute & animo præstarent Scythæ, astu
Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac
feminarum capta, pecoris magna vis, auri argen-
tique nihil. Ea fides primum inopiæ Scythicæ
fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus
faciendum in Macedoniam missa.

SED reuertenti ab Scythia, Triballi Philippo
occurrunt, negant se transitum daturos, ni por-
tionem prædæ accipiant: Hinc iurgium, & mox
prœlium, in quo ita in femore vulneratus est Phi-
lippus, vt per corpus eius equus interficeretur.
F Cùm omnes occisum putarent, præda amissa est.
Ita Scythica, velut deuota, spolia pene luctuosa
Macedonibus fuere. Vbi verò ex vulnere primum
conualuit, diu dissimulatum bellum Atheniensi-
bus infert: quorum causæ Thebani se iũxere, me-
tuentes ne victis Atheniensibus, veluti vicinum
incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter
duas paulò antè infestissimas ciuitates societate,
legationibus Græciam fatigant, communem ho-
stem putant communibus viribus summouen-
dum: neque enim cessaturum Philippum, si pro-
spere prima successerint, nisi omnem Græciam

domuerit. Motæ quædam ciuitates Atheniensibus se iungunt: quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Prœlio commisso, cum Athenienses longè maiore militum numero præstarent, assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur: non tamen immemores pristinæ gloriæ cecidere: quippe aduersis vulneribus, omnes loca quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies vniuersæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetustissimam libertatem finiuit.

Hvivs victoriæ callidè dissimulata lætitia est. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit, non in conuiuio risit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut vnguenta sūpsit, & quantum in illo fuit ita vicit, vt victorem nemo sentiret: Sed nec regem se Græciæ sed ducem appellari iussit. Atq; ita inter tacitam lætitiam, & dolorem hostium temperauit, vt neque apud suos exultasse, neque apud victos insultasse videretur. Atheniensibus, quos passus infestissimos fuerat, & captiuos gratis remisit, & bello consumptorum corpora sepulturæ reddidit, reliquiásq; funerum vt ad sepulchra maiorum deferrent, vltro hortatus est. Super hæc Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiámque iungeret, Athenas misit. Thebanorum porro non solùm captiuos, verumetiam interfectorum sepulturam vendidit: Principes ciuitatis alios securi percussit, alios in exilium redegit, bonáque omnium occupauit. Pulsos deinde per iniuriā, in patriam restituit, ex horum numero ccc. exules iudices, rectorésque ciuitati dedit: apud quos cum potentissimi quique rei eius ipsius criminis postularentur, quòd per iniuriam se in exilium egissent, huius constantiæ fuerunt, vt omnes se auctores faterentur, meliúsque cum republica actum cum damnati essent, quàm cum restituti, contenderent. Mira prorsus audacia: de iudicibus vitæ necísque suæ, quemadmodum possunt, sententiam ferunt, contemnúntque absolutionem quam dare inimici possunt: & quoniam rebus nequeūt vlcisci, verbis vsurpant libertatem.

Compositis in Græcia rebus, Philippus omnium ciuitatium legatos ad formandū rerum præsentiū statum euocari Corinthum iubet. Ibi pacis legem vniuersæ Græciæ pro meritis singularum ciuitatium statuit, conciliúmq; omnium, veluti vnum senatum, ex omnib. elegit. Soli Lacedæmonij, & regem, & leges contempserunt: seruitutē, non pacem rati, quæ non ipsis ciuitatibus cōueniret, sed à victore ferretur. Auxilia deinde singularū ciuitatium describūtur, siue adiuuandus ea manu rex oppugnante aliquo foret, seu duce illo bellū inferendum: neque enim dubium erat, imperium Persarum his apparatibus peti. Summa auxiliorū ducenta millia peditum fuere, & equitum quindecim millia. Extra hanc summā & Macedoniæ exercitus erat, & confinis domitarum gentium barbaries. Initio veris tres duces in Asiam Persarum iuris præmittit, Parmenionem, Amyntam, & Attalum, cuius sororem nuper expulsa Alexandri matre Olympiade propter stupri suspicionem, in matrimonium receperat.

Interea dum auxilia à Græcia coeunt, nuptias Cleopatræ filiæ, & Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum regum, & collocantis filiam, & vxorem ducentis, apparatibus insignis. Sed nec ludorum

A magnificentia deerat: ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus, medius inter duos Alexandros, filium generúmque contenderet, Pausanias nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis angustiis, Philippum in transitu obtruncat, diémque lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris facit. Hic primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat, cuius indignitati hæc etiam fœditas accesserat: nam perductum in cōuiuium, B solutúmque mero Attalus, non suæ tantum, verum & conuiuarum libidini, velut scortum vile subiecerat, ludibriúmque omnium inter æquales reddiderat. Hanc rem ægre ferens Pausanias, querelam Philippo sæpe detulerat. Cum variis frustrationibus non sine risu differretur, & honoratum insuper ducatu aduersarium cerneret, iram in ipsum Philippum vertit, vltionémque quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit.

C Creditvm est etiam immissum ab Olympiade matre Alexādri fuisse, nec ipsum Alexandrum ignarum paternæ cædis extitisse: quippe non minus Olympiadem repudiuon, & prælatam sibi Cleopatram, quàm stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quoque, regni æmulum fratrem ex nouerca susceptum timuisse: eóque actum, vt in conuiuio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre iurgaret, adeo vt etiam stricto gladio cum Philippus consectatus sit, ægréque à filij cæ- D de amicorum precibus exoratus. Quamobrem Alexander ad auunculum se in Epirum cum matre, inde ad regem Illyriorum contulerat: vixque reuocanti mitigatus est patri, precibúsque cognatorum ægre redire compulsus. Olympias quoque fratrem suum Alexandrum Epiri regem in bellum subornabat, peruicissetque ni filiæ nuptiis pater generum occupasset. His stimulis iratum vtrique Pausaniam de impunitate stupri sui querentem, ad tantum facinus impulisse creduntur: E Olympias certe fugienti percussori, equos quoque præparatos habuit. Ipsa deinde audita regis nece, cum titulo officij ad exequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniæ capiti, eadem nocte qua venit, coronam auream imposuit: quod nemo alius audere, nisi hæc, superstite Philippi filio potuisset. Paucos deinde post dies, refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremauit, & tumulum ei eodem fecit in loco, parentaríque ei- dem quotannis, incussa populo superstitione, cu- F rauit. Post hæc Cleopatram, à qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio eius prius filia interfecta, finire vitam suspendio coëgit, spectaculóq; pendentis vltionem potita est, ad quā per parricidium festinauerat. Nouissime gladiū, quo rex percussus est, Apollini sub nomine Myrtalis consecrauit: Hoc enim nomen ante Olympiadis paruulæ fuit. Quæ omnia ita palam facta sunt, vt timuisse videatur ne facinus ab ea commissum, probaretur.

G Decessit Philippus xl. & vii. annorum, cum annis xxv. regnasset. Genuit ex Larissæa saltatrice filium Aridæum, qui post Alexandrum regnauit. Habuit & alios multos ex variis matrimoniis regio more susceptos, qui partim fato, partim ferro periere. Fuit rex armorū quàm conuiuiorum apparatibus studiosior, cui maximæ opes erant instrumenta bellorum: diuitiarum quæstu, quàm custodia solertior. Itaque inter quotidianas

rapinas

rapinas semper inops erat. Misericordia in eo & A perfidia pari iure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter, & insidiosus alloquio; qui plura promitteret, quàm præstaret: in seria, & locos artifex. Amicitias vtilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quærere, solemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia, & insignis oratio, acuminis & solertiæ plena; vt nec ornatui facilitas, nec facilitati B inventionum deesset ornatus. Huic Alexander filius successit, & virtute & vitiis patre maior. Itaque vincendi ratio vtriq; diuersa: Hic apertè, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Irā pater dissimulare, plerumque etiam vincere, hic vbi exarsisset, nec dilatio vltionis, nec modus erat. Vini nimis vterq; auidus, sed ebrietatis diuersa vitia. Patri mos erat etiā de conuiuio in hostem procurrere, periculis se temere offerre: Alexander nō in hostem, sed in suos sæuiebat. Quamobrem Philippum sæpe vulneratum prœlia remisere; hic amicorum interfector conuiuio frequenter accessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus vtrique similis. Solertiæ pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior, & honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperij fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummauit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER X.

ARTAXERXI regi Persarum ex pellicibus C CXV. filij fuere, sed tres tantum iusto matrimonio suscepti Darius, Ariarates, & Ochus. Ex his Darium contra morem Persarum, apud quos rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater regem viuus fecit; nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, sinceriúsque gaudium ex procreatione capturus, si insignia maiestatis suæ viuus in filio conspexisset. Sed Darius post noua paternæ pietatis exempla, interficiendi patris consilium cepit. Sceleratus, si solus parricidium cogitasset; tanto sceleratior, quòd D in societatem facinoris assumptos, quinquaginta fratres fecit parricidas. Ostenti prorsus genus, vbi in tanto populo non solum sociari, verumetiam sileri parricidium potuit; vt ex quinquaginta liberis nemo inuentus sit, quem aut paterna maiestas, aut veneratio senis, aut indulgentia patris, à tanta immanitate reuocaret. Adeóne vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, vt quorum præsidio tutus etiam aduersus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumuentus, tutior E ab hostibus, quàm à filiis fuerit?

CAVSA parricidij scelerarior ipso parricidio fuit. Occiso quippe Cyro fraterno bello, cuius mentio suprà habita est, Aspasiam pellicem eius rex Artaxerxes in matrimonium receperant. Hanc patrem cedere sibi, sicut regnum, Darius postulauerat: qui pro indulgentia sua in liberos, primo facturum se dixerat; mox pœnitentia ductus, vt honeste negaret, quod temere promiserat, Solis eā sacerdotio præfecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur. Hinc exacerbatus iuuenis, in iurgia primum patris erupit; max facta cum fratribus coniuratione, dum patri insidias parat, deprehēsus cum sociis, pœnas parricidij diis paternæ maiestatis vltoribus dedit. Coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris extaret, interfectæ. Post hæc Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit, rex quàm pater felicior.

HÆREDITAS regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus, scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti purificato regno, bellum Cadusiis infert. In eo aduersus provocatorem hostium Codomannus quidem, cum omniū fauore processiet, hoste cæso, victoriam suis pariter, & propè amissam gloriam restituit. Ob hæc decora idem Codomannus præficitur Armeniis. Interiecto deinde tempore; post mortem Ochi regis, ob memoriam pristinæ virtutis, rex à populo constituitur. Darij nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratus; bellúmque cum Alexandro Magno, diu variante fortuna, magna virtute gessit: Postremo victus ab Alexandro, & à cognatis occisus, vitam pariter cum Persarum regno finiuit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XI.

IN exercitu Philippi, ſicuti variæ gentes erant, A ita eo occiſo, diuerſi motus animorum fuere. Alij quippe iniuſta ſeruitute oppreſſi, ad ſpem ſe libertatis erigebant; alij tædio longinquæ militiæ remiſſam ſibi expeditionem gaudebant; nonnulli facem nuptiis filiæ accenſam, rogo patris ſubditam dolebant. Amicos quoque, tam ſubita mutatione rerum, haut mediocris metus ceperat, reputantes nunc prouocatam Aſiam; nunc Europam nondum perdomitam; nunc Illyrios & B Thracas, & Dardanos, ceteráſque barbaras gentes fidei dubiæ, & mentis infidæ: qui omnes populi ſi pariter deficiant, reſiſti nullo modo poſſe. Quis rebus, veluti medela quædam interuentus Alexandri fuit: qui pro concione, ita vulgus omne conſolatus, hortatúſque pro tempore eſt, vt & metum timentibus demeret, & in ſpem omnes impelleret. Erat hic annos XX. natus: in qua ætate ita moderatè de ſe multa pollicitus eſt, vt appareret plura cum experimentis reſeruare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem dedit: quo facto C tantum ſibi fauorem omnium conciliauit, vt corpus hominis, non virtutem regis mutaſſe ſe dicerent.

PRIMA illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante omnia, cædis conſcios ad tumulum patris occidi iuſſit: ſoli Alexandro Lynciſtarum fratri pepercit, ſeruans ſane auſpicium dignitatis ſuæ; nam regem eum primus ſalutauerat. Æmulum quoque imperij Caranum fratrem ex nouerca ſuſceptum, interfici curauit. Inter ini- D tia multas gentes rebellantes compeſcuit; orientes nonnullas ſeditiones extinxit. Quibus rebus erectus, citato gradu in Græciam contendit: vbi exemplo patris Corinthum euocatis ciuitatibus, dux in locum eius ſubſtituitur. Incboatum deinde à patre Perſicum bellum aggreditur, in cuius apparatu occupato nuntiatur Athenienſes, & Lacedæmonios ab eo ad Perſas defeciſſe, auctorémque eius defectionis, magno auri pondere à Perſis corruptum, Demoſthenem oratorem extitiſſe; E qui Macedonum delatas omnes cum rege copias à Triballis affirmauerit, producto in concionem auctore, qui in eo prœlio, in quo rex ceciderit, ſe quoque vulneratum diceret. Qua opinione mutatos omnium ferme ciuitatium animos eſſe; præſidia Macedonum obſideri. Quibus motibus occurſurus tanta celeritate inſtructo paratóque exercitu Græciam oppreſſit, vt quem venire non ſenſerant, viuere ſe vix crederent.

IN tranſitu hortatus Theſſalos fuerat; benefi- F ciorúmque Philippi patris, maternæque ſuę cum his ſub Æacidarum gente neceſſitudinis admonuerat. Cupidè hæc Theſſalis audientibus, exemplo patris dux vniuerſæ gentis creatus erat; & vectigalia omnia, reditúſque ſuos ei tradiderat. Sed Athenienſes, ſicuti primi defecerant, ita primi pœnitere cœperũt; contemptum hoſtis in admirationem vertentes, pueritiámque Alexãdri ſpretam antea, ſupra virtutem veterum ducum extollentes. Miſſis itaque legatis, bellum deprecantur: quibus auditis & grauiter increpatis, Alexander bellum remiſit. Inde Thebas exercitum conuertit, eadem indulgentia vſurus, ſi parem pœnitentiam inueniſſet. Sed Thebani armis, non precibus nec deprecatione vſi ſunt. Itaque victi, grauiſſima quæque ſupplicia miſerrimę captiuitatis experti ſunt. In conſilio cum de excidio vrbis deliberaretur, Phocenſes, & Platæenſes, & Theſpiéſes, & Orchomenij, Alexandri ſocij, victoriæque participes, excidia vrbium ſuarum, crudelitatémque Thebanorum referebant, ſtudia in Perſas nõ præſentia tantum, verum & vetera aduerſus Gręciæ libertatem increpantes. Quamobrem odium eos omnium populorum eſſe; quòd vel ex eo manifeſtari quòd iureiurando ſe omnes obſtrinxerint, vt victis Perſis Thebas diruerent. Adiiciunt & ſcelerum priorum fabulas, quibus omnes ſcenas repleuerunt, vt non pręſenti tantum perfidia, verum & vetere infamia inuiſi forent.

TVNC Cleadas vnus ex captiuis data poteſtate dicendi, non à rege defeciſſe, quem interfectũ audierint, ſed à regis heredibus; quicquid in eo ſit admiſſum, credulitatis, non perfidiæ culpam eſſe, cuius tamen iam magna ſe ſupplicia pependiſſe: deleta iuuentute, nunc ſenum feminarúmque ſicuti infirmum, ita innoxium reſtare vulgus, quod ipſum ſtupris contumeliiſque ita vexatum eſſe, vt nihil amarius vmquam ſint paſſæ: nec iam pro ciuibus ſe, qui tam pauci remanſerint orare; ſed pro innoxio patriæ ſolo, & pro vrbe, quæ non viros tantum, verum & deos genuerit. Priuata etiam regem ſuperſtitione deprecatur, geniti apud ipſos Herculis, vnde originem gens Æacidarum trahat; actáque Thebis à patre eius Philippo pueritia: rogat vrbi parcat, quæ maiores eius partim apud ſe genitos, deos adoret; partim educatos ſummæ maieſtatis reges viderit. Sed potentior fuit ira, quàm preces. Itaque vrbs diruitur; agri inter victores diuiduntur; captiui ſub corona venduntur, quorum pretium non ex ementium commodo, ſed ex inimicorum odio extenditur. Miſeranda res Athenienſibus viſa. Itaque portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rem ita grauiter tulit Alexander, vt ſecunda legatione denuo bellum deprecantibus, ita demum remiſerit, vt oratores & duces, quorum fiducia toties rebellent, ſibi dedantur: paratíſque Athenienſibus, ne cogantur ſubire bellum, eò res deducta eſt, vt retentis oratoribus, duces in exilium agerentur: qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Perſarum viribus acceſſere.

PROFICISCENS ad Perſicum bellum,

omnes

omnes nouercæ suæ cognatos, quos Philippus in A excelliorem dignitatis locum promouens, imperiis præfecerat, interfecit: sed nec suis, qui apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia seditionis, procul se agente, in Macedonia remaneret: & regis stipendiarios conspectioris ingenij, ad commilitium secum trahit; segniores ad tutelam regni relinquit. Adornato deinde exercitu naues onerat: vnde conspecta Asia, incredibili ardore mentis accensus, duodecim aras deorum in belli vota statuit. Patrimonium omne suum, quod in B Macedonia Europáque habebat, amicis diuidit: sibi Asiam sufficere præfatus. Priusquam vlla nauis littore excederet, hostias cædit, petens victoriam bello, quo toties à Persis petitæ Græciæ vltor electus sit: quibus longa iam satis, & matura imperia contigisse, quorumque tempus esse vices excipere melius acturos. Sed nec exercitus eius alia, quàm regis animorum præsumptio fuit: quippe obliti omnes coniugũ, liberorúmque, & lõginquæ domo militiæ, Persicum aurum, & to- C tius orientis opes, iam quasi suam prædam ducebant: nec belli periculorúmque, sed diuitiarum meminerant. Cum delati in continentem essent, primus Alexander iaculum velut in hostilem terram iecit, armatúsque de naui tripudianti similis prosiliut; atque ita hostias cædit, precatus ne se regem illæ terræ inuitæ accipiant. In Ilio quoque ad tumulos eorum, qui Troiano bello ceciderant, parentauit.

D INDE hostem petens, milites à populatione Asiæ prohibuit, parcendum suis rebus præfatus, nec perdenda ea quæ possessuri venerint. In exercitu eius fuere peditum XXX. duo millia, equitum quatuor millia quingenti, naues centum LXXXII. Hac tam parua manu vniuersum terrarum orbem vtrum sit admirabilius, vicerit an aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primum florem ætatis, sed veteranos, plerósque etiam emeritæ militiæ, qui E cum patre, patruísque militauerant, elegit: vt non tam milites, quàm magistros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit: vt si principia castrorum cerneres, senatũ te alicuius priscæ reipub. videre diceres. Itaque nemo in prœlio fugam, sed victoriam cogitauit; nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Contrà rex Persarum Darius, fiducia viriũ, nil astu agere, affirmans suis occulta consilia victoriæ furtiuæ non conuenire; nec hostem regni finibus F arcere, sed in intimum regnum accipere: gloriosius ratus repellere bellum, quàm non admittere. Prima igitur congressi in campis Adrastiis fuit. In acie Persarum sexcenta millia militum fuere, quæ non minus arte Alexandri quàm virtute Macedonum superata terga verterunt. Magna itaque cædes Persarum fuit. De exercitu Alexandri nouem pedites, centum XX. equites cecidere, quos rex impense ad ceterorum exemplum humatos, statuis equestribus donauit, cognatisque eorum immunitates dedit. Post victoriam maior pars Asiæ ad eum defecit. Gessit & plura bella G cum præfectis Darij, quos iam non tam armis, quàm terrore nominis sui vicit.

DVM hæc aguntur, interim indicio captiui ad eum defertur, insidias ab Alexandro Lyncistarum, genero Antipatri, qui præpositus Macedoniæ erat, parari. Ob quam causam timens, ne quis interfecto eo in Macedonia motus oriretur, in vinculis cum habuit. Post hæc Gordien vrbem petit, quæ posita est inter Phrygiam maiorem & minorem: cuius vrbis potiundæ non tam propter prædam cupido eum cepit, sed quod audierat in ea vrbe in templo Iouis iugum Gordij positum; cuius nexum siquis soluisset, eum tota Asia regnaturum, antiqua oracula cecinisse. Huius rei causa & origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bubus conductis araret, aues cum omnis generis circumuolare cœperũt: profectus ad consulendos augures vicinæ vrbis, obuiam in porta habuit virginem eximiæ pulchritudinis; percontatus eam, quem potissimum augurem consuleret: illa audita causa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, regnum ei portendi, respõdit: pollicetúrque se & matrimonij, & spei sociam. Tam pulchra conditio, prima regni felicitas videbatur. Post nuptias, inter Phrygas orta seditio est. Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt, regem discordiis opus esse. Iterato quærentibus de persona regis, iubētur eum regem obseruare, quem reuersi primum in templum Iouis euntem plaustro reperissent. Obuius illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant: ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Iouis positũ, maiestati regiæ consecrauit. Post hunc filius Mida regnauit, qui ab Orpheo sacrorum sollemnibus initiatus, Phrygiam religionibus impleuit: quibus tutior omni vita, quàm armis fuit. Igitur Alexander capta vrbe cum in templum Iouis venisset, iugum plaustri requisiuit: quo exhibito, cũ capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo vsus, gladio loramenta cædit: atque ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita inuenit.

HÆC illi agenti, nuntiatur Darium cum ingenti exercitu aduentare. Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum transcendit; in qua festinatione quingenta stadia cursu fecit. Cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amœnitate, per mediam vrbem influentis, proiectis armis, plenus pulueris, ac sudoris, in præfrigidam vndam se proiecit. Tum repente tantus neruos eius occupauit rigor, vt interclusa voce non spes modo remedij, sed nec dilatio periculi inueniretur. Vnus erat ex medicis, nomine Philippus, qui solus remedium pollicetur: sed & ipsum, Parmenionis pridie à Cappadocia missæ epistolæ, suspectum faciebant: qui ignarus infirmitatis Alexandri scripserat, à Philippo medico caueret: nam corruptum illum à Dario ingenti pecunia esse. Tutius tamen est ratus, dubiæ se fidei medici credere, quàm indubitato morbo perire. Accepto igitur poculo, epistolas medico tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Vt securum conspexit, lætior factus est, sanitatémque quarta die recepit.

INTEREA Darius cum quadringẽtis millibus peditum, ac centum millibus equitum in aciem procedit. Mouebat hæc multitudo hostium, respectu paucitatis suæ, Alexãdrum: sed interdũ reputabat, quantas res cum ista paucitate gessisset, quantósque populos fudisset. Itaque cũ spes metum vinceret, periculosius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumuectus suos, singulas gentes diuersa oratione alloquitur, Illyrios & Thracas opum ac diuitiarũ ostentatione;

Græcos veterum bellorum memoria, internecivsque cũ Persis odij accedebat: Macedones autem nunc Europæ victæ admonet, nunc Asiæ expetitæ; nec inuentos illis toto orbe pares viros gloriatur. Ceterum & laborũ finem hunc, & gloriæ cumulum fore. Atque inter hæc idẽtidem cõsistere aciem iubet, vt hac mora cõsuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darij segnis opera in ordinãda acie fuit. Quippe omissis ducum officiis, ipse omnia circuire, singulos hortari, veteris gloriæ Persarum, imperijque perpetuę à diis immortalibus datæ possessionis admonere. Post hæc prœlium ingentibus animis committitur. In eo vterque rex vulneratur: tamdiu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. Exinde cędes Persarum secuta est. Cęsa sunt peditum vnum & sexaginta millia, equitum decem millia, capta quadraginta millia. Ex Macedonibus cecidere pedestres CXXX, equites CL. In castris Persarum multum auri, ceterarúmque opum inuentum. Inter captiuos castrorum, mater, & vxor eadémque soror, & filiæ duæ Darij fuere. Ad quas visẽdas hortandásque cum Alexander venisset, conspectis armatis inuicem se amplexæ, velut statim morituræ complorationem ediderunt. Prouolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darij corpus sepeliant, dilationem mortis deprecãtur. Motus tanta mulierum pietate Alexander, & Darium viuere dixit; & timentibus mortis metũ dempsit, eásque haberi, vt reginas præcepit: Filias quoque non sordidius dignitate patris sperare matrimonium iussit.

Post hæc opes Darij, diuitiarúmque apparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur. Tũc primum luxuriosa conuiuia, & magnificentiam epularum sectari, tunc Barsenẽ captiuam diligere propter formæ pulchritudinem cœpit. A qua postea susceptum puerũ Herculem vocauit. Memor tamen adhuc Dariũ viuere, Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliósque amicos ad recipiendas Asiæ ciuitates misit: quæ statim audita fama victoriæ, ipsis Darij præfectis cum auri magno pondere tradentibus se, in potestatem victorum venerũt. Tunc in Syriam proficiscitur: vbi obuios cũ infulis multos Orientis reges habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit; aliis regnum ademit, suffectis in loca eorum nouis regibus. Insignis præter cæteros fuit Abdalonimus, rex ab Alexandro Sidoniæ constitutus. Quem Alexander, cum operas oblocare ad puteos exauriendos, hortósque irrigandos solitus esset, miserè vitam exhibentem, regem fecerat, spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent. Tyriorum ciuitas cum coronam auream magni ponderis per legatos in titulum gratulationis Alexandro misisset, grate munere accepto, Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda, dixit. Cum legati rectius id eum in Tyro vetere & antiquiore templo facturum dicerent, deprecãtes eius introitum, ita exarsit, vt vrbi excidium minaretur. confestimque exercitu insulæ applicato, non minus animosis Tyriis fiducia Carthaginiensium, bello excipitur. Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quæ Carthagine condita, tertiam partem orbis quæsisset; turpe ducentes, si fœminis suis plus animi fuisset in imperio quærendo, quàm sibi in tuenda libertate. Amota igitur imbelli ætate Carthaginem, & arcessitis mox auxiliis, non magno post tempore per proditionem capiuntur.

Inde Rhodum Alexander, Ægyptum, Ciliciámq; sine certamine recipit. Ad Iouem deinde Hãmonem pergit, consulturus & de euẽtu futurorũ, & de origine sua. Namq; mater eius Olympias cõfessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrũ non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Denique Philippus vltimo prope vitæ suæ tempore, filiũ suum non esse palam prędicauerat: Qua ex causa Olympiadem, velut stupri cõpertã, repudio dimiserat. Igitur Alexãder cupiens originẽ diuinitatis acquirere, simul & matrẽ infamia liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi vellet. Ingredientem templum, statim antistites vt Hammonis filium salutant. Ille lætus dei adoptione, hoc se patre cẽseri iubet. Rogat deinde, an omnes interfectores parentis sui sit vltus; respondetur patrem eius nec posse interfici, nec mori; regis Philippi peractam pene vltionem esse. Tertiam interrogationem poscenti, victoriam omnium bellorum, possessionémque terrarum dari respondetur. Comitibus quoque suis responsum, vt Alexãdrum pro deo, non pro rege colerent. Hinc illi aucta insolentia, mirúsque animo increuit tumor, exempta comitate, quam & Græcorum literis, & Macedonum institutis didicerat. Reuersus ab Hammone Alexandriam condidit, & coloniam Macedonum caput esse Ægypti iubet.

Darivs cũ Babyloniam profugisset, per epistolas Alexãdrũ precatur, redimendarum sibi captiuarum potestatẽ faciat, inq; eam rem magnam pecuniã pollicetur. Sed Alexãder in pretiũ captiuarũ regnũ omne, nõ pecuniã petit. Interiecto tẽpore, aliæ epistolæ Darij Alexãdro reddũtur, quibus filię matrimoniũ & regni portio offertur: sed Alexander sua sibi dari rescripsit, iussitque supplicem venire, & regni arbitria victori permittere. Tum spe pacis amissa, bellum Darius reparat: cũ quadringentis millibus peditum, & centum millibus equitũ obuiam vadit Alexandro. In itinere nũtiatur vxorem eius ex collisione abiecti partus decessisse, eiúsque mortem illacrymatum Alexandrum, exequiásque benigne prosecutum, idque eum non amoris, sed humanitatis causa fecisse: Nam semel tantum eam Alexandro visam esse, cum matrem filiásque eius paruulas frequẽter consolaretur. Tunc se ratus verè victum, cum post tot prœlia, etiam beneficiis ab hoste superaretur, gratúmque sibi esse, si vincere nequeat, quòd à tali potissimum vinceretur. Scribit itaque & tertias epistolas, & gratias agit, quòd nihil in suos hostile fecerit. Offert deinde maiorem partem regni vsque flumen Eufraten, & alteram filiam vxorem; pro reliquis captiuis triginta millia talentũm. Ad hæc Alexander gratiarum actionem ab hoste superuacaneam esse respondit; nec à se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quęreret: sed animi magnitudine, qua didicerit aduersus vires hostium, non aduersus calamitates contendere; pollicetúrque præstaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi velit. Ceterũ neque mundũ posse duobus solibus regi, neque orbẽ summa duo regna saluo statu terrarum habere: proinde aut deditionem ea die, aut in posteram, aciem pararet; nec polliceatur sibi aliam, quàm sit expertus victoriã.

Postera

Postera die in aciem producunt, tum repentè ante prœlium, confectum curis Alexandrum somnus arripuit. Cum ad pugnam solus rex deesset, à Parmenione ægrè excitatus, quærentibus somni causas omnibus inter pericula, cum etiam in otio semper parcior fuerit: Magno se æstu liberatum ait, somnúmque sibi à repentina securitate datum, quòd liceat cũ omnibus Darij copiis confligere; veritum se longam belli moram, si Persæ exercitum diuisissent. Ante prœlium vtraque acies hostibus spectaculo fuit. Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudiné, armorúmque pulchritudinem mirabantur: Persæ à tam paucis victa suorum tot millia, stupebát. Sed nec duces circumire suos cessabant. Darius vix dents armatis singulos hostes, si diuisiu fieret, euenire dicebat: Alexander Macedonas monebat, ne multitudine hostium, ne corporis magnitudine, vel coloris nouitate mouerentur: tantum memioisse iubet, cum iisdem se tertio pugnare; nec meliores factos putarent fuga, cum in aciem secum tam tristem memoriam cædium suarum, & tantum sanguinis duobus prœliis fusi ferrét: & & queádmodum Dario maiorem turbam hominum esse, sic virorum sibi. Hortatur spernant illã aciem auro & argento fulgétem, in qua plus prędę, quàm periculi sit; cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quæratur.

Post hæc prœlium cõmittitur. Macedones in ferrum com contẽptu toties à se victi hostis ruebát: cõtra Persę mori, quã vinci præoptabant. Rarò vllo prœlio tãtum sanguinis fusum est. Darius cum vinci suos videret, mori voluit & ipse; sed à proximis fugere cõpulsus est. Suadétibus deinde qoibusdá, vt pons Cydni fluminis, ad iter hostiũ impediendũ, intercluderetur: non ita se saluti suæ velle cõsultum ait, vt tot millia sociorũ hosti obiiciat; debere & aliis fugæ viá patere, quæ patuerit sibi. Alexander autem periculosissima quęque aggrediebatur; & vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper immergebat: periculáque sua esse, non militum volebat. Hoc prœlio Asiæ imperiũ rapuit, quinto post acceptum regnum anno; cuius tanta felicitas fuit, vt post hoc nemo rebellare ausus sit: patiétérque Persæ post imperiũ tot annorum, iugũ seruitutis acceperint. Donatis refectisq; militibus xxxiiii. diebus prædam cognouit. In vrbe deinde clausa xl. millia talentũm inuenit. Expugnat & Persepolim, caput Persici regni, vrbem multis annis illustrem; refertámque orbis terrarum spoliis, quæ interitu eius primũ apparuere. Inter hæc occc, admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captiuitatis truncata corporis parte tulerant; rogantes vt, sicuti Græciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret. Data potestate redeundi, agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quàm detestandum sui conspectum reportarent.

Interea Darius io gratiam victoris à cognatis suis aureis compedibus, catenísque in vico Parthorum Thara vincitur. Credo ita diis immortalibus vindicantibus, vt in terra eorum, qui successuri imperio erant, Persarum regnum finiretur. Alexander quoque citato cursu postera die superuenit: ibique cognouit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. Iusso itaque exercitu subsequi, cum vi. millibus equitum, fugientem insequitur: in itinere multa & periculosa prœlia facit. Emensus deinde multa millia passuum, cum nullum Darij indicium reperisset, respirandi equis data potestate, vnus ex militibus dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium multis quidem vulneribus confossum, sed respirantem adhuc inuenit: qui applicito captiuo cum ciuem ex voce cognouisset, id saltem præsentis fortunæ solatium habere se dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus. Perferri hæc Alexandro iubet, se nullis in eum meritorum officiis, maximorum illi debitorem mori, quod in matre liberísque suis regium eius, non hostilem animum expertus, felicius hostem quàm cognatos sortitus sit: quippe matri & liberis suis ab eodem hoste vitam datam; sibi à cognatis ereptam, quibus & vitam, & regna dederit: Quamobrem gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet: Alexandro referre se, quam solam moriens potest gratiam; precari superũm inferúmque numina, & regales deos, vti illi terrarum omnium victori contingat imperium: pro se iustam magis, quàm grauem sepulturæ veniam orare. Quòd ad vltionem pertineat, iam non suam, sed exempli, communémque omnium regum esse causam, quam negligere illi & indecorum & periculosum esse: quippe cum in altero iustitiæ eius, in altero etiam vtilitatis causa versetur. In quam rem vnicum pignus fidei regiæ dexteram se ferendam Alexandro dare. Post hæc porrecta manu exspirauit. Quæ vbi Alexandro nunciata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est; corpúsque regio more sepeliri, & reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XII.

Alexander in persequendo Dario, amissos milites magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditionis eius sociis, tredecim millia talentũm diuisit. Equorum maior pars æstu amissa, inutilésque etiam qui superfuerant, facti. Pecunia omnis centũ nonaginta millia talentũm Ecbatana nuper congesta, eique Parmenio præpositus. Dum hæc aguntur, epistolæ Antipatri Macedonia ei reddũtur, quibus bellũ Agidis regis Spartanorũ in Græcia; bellum Alexãdri regis Epiri in Italia; bellũ Sopyrionis præfecti ei in Scythia, continebatur. Quibus variè affectus,

plus tamen lætitiæ cognitis mortibus duorum æmulorũ regum, quàm doloris amissi cum Sopyrione exercitus suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Græcia ferme omnis in occasionem recuperandæ libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedæmoniorum secuta, qui Philippi Alexandrique pacem soli spreuerant, & leges respuerant. Dux huius belli Agis rex Lacedæmoniorum fuit; quem motum Antipater contractis militibus, in ipso ortu oppressit. Magna tamen vtrimque cædes fuit. [B] Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, vt Alexandro felicitate non virtute inferior videretur, tantam stragem hostium edidit, vt agmina interdum fugaret. Ad postremum, & si à multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

PORRO Alexander rex Epiri, in Italiam à Tarentinis, auxilia aduersus Brutios deprecantibus, solicitatus, ita cupide profectus fuerat, veluti in diuisione orbis terrarũ, Alexandro Olympiadis sororis suæ filio Oriens, sibi Occidens [C] sorte contigisset; non minorẽ rerum materiam in Italia, Africa, Siciliáque, quã ille in Asia, & in Persis habiturus. Huc accedebat, quod sicut Alexandro Magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonęi Iouis vrbem Pandosiam, amnémq; Acherusium prædixerat. Quæ vtraq; cum in Epiro essẽt, ignarus eadem & in Italia esse, ad declinanda fatorũ pericula peregrinã militiã cupidius elegerat. Igitur, cum in Italiam venisset, primũ illi bellum cum Appolis [D] fuit: quorum cognito vrbis fato, breui pòst tempore pacẽ & amicitiam cum rege eorum fecit. Erat namq; tunc temporis vrbs Appulis Brundusiũ, quam Ætoli, sequuti tum fama rerũ in Troia gestarum clarissimũ ac nobilissimum ducẽ Diomedẽ, condiderant, sed pulsi ab Appulis, consulẽtes oracula respõsum acceperant, locũ quẽ repetissent, perpetuo possessuros. Hac igitur ex causa, per legatos cum belli comminatione, restitui sibi ab Appulis vrbem postulauerant. Sed vbi [E] Appulis oraculũ innotuit, interfectos legatos in vrbe sepelierant, perpetuam ibi sedẽ habituros. Atq; ita defuncti responso, diu vrbem possederunt. Quod factum cum cognouisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Brutiis Lucanisque bellum; multásq; vrbes cepit: tum & cum Metapontinis, & Pediculis, & Romanis fœdus, amicitiámque fecit. Sed Brutij Lucanique cum auxilia à finitimis contraxissent, acrius bellum repetiuere. Ibi rex iuxta [F] vrbem Pandosiam & flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine quàm occideret, interficitur; moriénsque, non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quã patriam fugerat, intellexit. Corpus eius Thurij publice redemptũ sepulturæ tradiderunt. Dum hæc aguntur in Italia, Sopyrion quoque, præfectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, ociosum se ratus, si nihil & ipse gessisset, adunato xxx. millium exercitu, Scythis bellum intulit: [G] Cæsúsque cum omnibus copiis, pœnas temere illati belli genti innoxię, luit.

HÆC cum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato mœrore, propter Alexandri cognationem, exercui suo triduum luctum indixit. Omnibus deinde velut perpetrato bello, reditum in patriam exspectantibus, coniugésque ac liberos suos animo iam quodammodo complecten-

A tibus, ad concionẽ exercitum vocat: ibi nihil actũ ror egregiis prœliis ait, si incolumis Orientalis barbaria relinquatur; nec se corpus, sed regnum Darij petisse; persequendósque esse eos, qui à regno defecerint. Hac oratione velut ex integro incitatis militum animis, Hyrcaniam, Mardósque subegit. Ibi ei occurrit Thalestris siue Minithæa Amazonum regina cum ccc. mulieribus, xxv. dierum inter confertissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quæsitura: cuius [B] conspectus aduentúsque admirationi omnibus fuit, & propter insolitum feminis habitum, & propter expetitum concubitum. Ob hoc tredecim diebus otio à rege datis, vt visa est vterum implesse, discessit. Post hæc Alexander habitum regum Persarum, & diadema insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat trãsiret, assumit. Quæ ne inuidiosius in se vno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam, purpureámq; sumere iubet, vt luxũ [C] quoque, sicuti cultum Persarum imitaretur. Inter pellicum regiarum greges electæ pulchritudinis, nobilitatísque noctium vices diuidit. His rebus ingentes epularum apparatus adiicit, ne ieiuna & destructa luxuria videretur, conuiuiúmque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat: immemor prorsus tantas opes amitti his moribus, non quæri solere.

INTER hæc indignatio omnium totis castris erat, à Philippo illum patre tantum degenerauisse, [D] vt etiam patriæ nomen eiuraret, moresq; Persarũ assumeret, quos propter tales mores vicerat. Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur; militibus quoq; suis permisit, si quarum captiuarum consuetudine tenerentur, ducere vxores: existimans minorem in patriã reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium, domesticæ sedis: simul & laborẽ militiæ molliorem fore dulcedine vxorum. In supplemẽta quoque militum, [E] minus exhauriri posse Macedoniam, si veteranis patribus tyrones filij succederent, militaturi in vallo, in quo essent nati; constantiorésque futuri, si non solum tyrocinia, verum & incunabula in ipsis castris posuissent: quæ consuetudo in successoribus quoq; Alexandri mansit. Igitur & alimenta pueris statuta; & instrumenta armorũ, equorúmque iuuenibus data; & patribus, pro numero filiorum, præmia statuta: Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrũ [F] trahebant; quorum pueritia inter varias expeditiones, militia erat. Itaque à paruula ætate periculis laboribúsque indurati, inuictus exercitus fuere; neque castra aliter quàm patriam, neq; pugnam aliud vnquam, quàm victoriam duxere. Hæc suboles nomen habuit Epigoni. Parthis deinde domitis, præfectus his statuitur ex nobilibus Persarum Andragoras: inde postea originem Parthorum reges habuere.

INTEREA Alexander non regio, sed hostili [G] odio sæuire in suos cœpit. Maxime indignabatur carpi se sermonibus suorum, Philippi patris, patriæque mores subuertisse. Propter quæ crimina, Parmenion quoque senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de vtroq; prius quæstionibus habitis, interficitur. Fremere itaque omnes vniuersis castris cœpere, innoxij senis, filiique casum miserantes; interdum se quoque non debere melius sperare dicentes. Quæ cum nun-

tiata Alexandro essent, veritus ne hæc opinio etiã
in Macedoniam diuulgaretur, & ne victoriæ glo-
ria sæuitiæ macula infuscaretur, simulat se ex a-
micis quosdam in patriam victoriæ nuntios mis-
surum. Hortatur milites suis scribere, rariorem
habituros occasionem, propter militiam remo-
tiorem. Datos fasces epistolarum tacite ad se de-
ferri iubet: ex quibus cognito de se singulorum
iudicio, in vnam cohortem eos qui de rege du-
rius opinati fuerant, contribuit, aut consumptu-
rus eos, aut in vltimis terris in colonias distribu-
turus. Inde Drancas, Euergetas, Parymas, Para-
pammenos, Adaspios, ceterósque populos, qui
in radice Caucasi morabantur, subegit. Interea
vnus ex amicis Darij Bessus, vinctus perducitur,
qui regem non solùm prodiderat, verum & in-
terfecerat. Quem in vltionem perfidiæ excrucian-
dum fratri Darij tradidit; reputans non tam ho-
stem suum fuisse Darium, quàm amicum eius, à
quo esset occisus. Et vt his terris nomen relin-
queret, vrbem Alexandriam super amnẽ Tanaim
condidit, intra diem septimumdecimum muro
vi. millium passuum consummato, translatis cõ
trium ciuitatum populis, quas Cyrus condide-
rat. In Bactrianis quoque Sogdianisque xii. vrbes
condidit, distributis his, quoscunque in exercitu
seditiosos habebat.

His ita gestis sollemni die amicos in conui-
uium vocat. Vbi orta inter ebrios rerum à Phi-
lippo gestarum mentione, præferre se patri ipse,
rerúmque suarum magnitudinem extollere cælo
tenus cœpit, assentante maiore conuiuarum par-
te. Itaque cum vnus è senibus Clitus, fiducia a-
micitiæ regiæ, cuius palmam tenebat, memoriã
Philippi tueretur, laudarétque eius res gestas; a-
deo regem offendit, vt telo à satellite rapto, eun-
dem in conuiuio trucidauerit. Qua cæde exultãs,
mortuo patrocinium Philippi, laudémque pater-
næ militiæ obiectabat. Postquam satiatus cæde
animus conquieuit, & in iræ locum successit exi-
stimatio, modo personam occisi, modo causam
occidendi considerans, pigere eum facti cœpit:
quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se,
quàm nec conuitia debuisset; amicúmque senem
& innoxium à se occisum, inter epulas & pocu-
la, dolebat. Eodem igitur furore in pœnitentiã,
quo pridem in iram versus, mori voluit. Primũ
in fletus progressus, amplecti mortuum, vulnera
tractare, & quasi audienti confiteri dementiam;
arreptum telum in se vertit: peregissetque faci-
nus, nisi amici interuenissent. Mansit hæc volũ-
tas moriendi etiam sequentibus diebus. Accesse-
rat enim pœnitentiæ nutricis suæ, & sororis Cli-
ti recordatio; cuius absentis eum maxime pude-
bat: tam fœdam illi alimentorum suorum mer-
cedem redditam, vt in cuius manibus pueritiam
egerat, huic iuuenis, & victor, pro beneficiis fu-
nera remitteret. Reputabat deinde, quantum in
exercitu suo, quantum apud deuictas gẽtes fabu-
larum atque inuidiæ, quantum apud ceteros ami-
cos metum & odium sui fecerit; quàm amarum
& triste reddiderit conuiuium suum; non arma-
tus in acie, quàm in conuiuio terribilior. Tunc
Parmenion & Philotas, tunc Amyntas conso-
brinus, tunc nouerca fratrésque interfecti: tunc
Attalus, Eurylochus, Pausanias, aliique Mace-
doniæ extincti principes occurrebant. Ob hæc
illi quatriduo perseuerata inedia est, donec exer-
citus vniuersi precibus exoratus est, precantis ne

A ita mortem vnius doleat, vt vniuersos perdat,
quos in vltimam deductos Barbariam, inter in-
festas, & irritatas bello gentes, destituat. Multum
profuere Callisthenis philosophi preces, condis-
cipulatu apud Aristotelem familiaris illi, & tunc
ab ipso rege ad prodenda memoriæ acta eius ac-
citus. Reuocato igitur ad bella animo, Choras-
mos & Dahas in deditionem accepit.

Deinde quod primo ex Persico superbiæ regię
more distulerat, ne omnia pariter inuidiosiora
B essent, non salutari, sed adorari se iubet. Acerri-
mus inter recusantes Callisthenes fuit. Quæ res
& illi, & multis principibus Macedonum exitio
fuit: siquidem sub specie insidiarum omnes inter-
fecti. Retentus tamen est à Macedonibus mos sa-
lutandi regis, explosa adoratione. Post hæc In-
diam petit, vt Oceano, vltimóque Oriente fini-
ret imperium. Cui gloriæ, vt etiam exercitus or-
namenta conuenirent, phaleras equorum, & ar-
ma militum argento inducit; exercitúmque suũ,
C ab argenteis clypeis, Argyraspidas appellauit. Cũ
ad Nysam vrbem venisset, oppidanis non repu-
gnantibus, fiducia religionis Liberi patris, à quo
condita vrbs erat, parci iussit: lętus non militiam
tantum, verum & vestigia se dei sequutum. Tũc
ad spectaculum sacri montis duxit exercitum, na-
turalibus bonis, vite, hederáque non aliter vesti-
ti, quàm si manu cultus, colentiúmque industria
exornatus esset. Sed exercitus eius, vbi ad montẽ
accessit, repentino impetu mentis, in sacros dei
vlulatus instinctus, cum stupore regis, sine noxa
D discurrit: vt intelligeret, non tam oppido se par-
cendo, quàm exercitui suo consuluisse. Inde mõ-
tes Dædalos, regnáque Cleofidis reginæ petit.
Quæ cum se dedidisset ei, concubitu redemptum
regnum ab Alexandro recepit: illecebris conse-
cuta, quod virtute non poterat, filiúmque ab
eo genitum, Alexandrum nominauit, qui postea
regnum Indorum potitus est. Cleofis regina, pro-
pter prostratam pudicitiam, scortum regium ab
Indis exinde appellata est. Peragrata India, cum
ad saxum miræ asperitatis & altitudinis, in quod
multi populi confugerant, peruenisset, cogno-
scit Herculem ab expugnatione eiusdem saxi ter-
ræ motu prohibitum: Captus itaque cupidine,
Herculis acta superare, cum summo labore ac pe-
riculo potitus saxo, eius omnes loci gentes in de-
ditionem accipit.

Vnus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine,
viribus corporis, & animi magnitudine pariter
insignis, qui bellum iampridem, audita Alexan-
F dri opinione, in aduentum eius parabat. Com-
misso itaque prœlio exercitum suum Macedonas
inuadere iubet; sibi regem eorum priuatum hostẽ
deposcit. Nec Alexander pugnæ moram fecit: sed
prima congressione vulnerato equo, cum præ-
ceps ad terram decidisset, concursu satellitũ ser-
uatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur.
Qui victũ se adeo doluit, vt cũ veniã ab hoste ac-
cepisset, neque cibũ sumere voluerit; neque vul-
nera curari passus sit, ægréque sit ab eo obtẽtum,
vt vellet viuere. Quem Alexander ob honorem
G virtutis, incolumem in regnum remisit. Duas ibi
vrbes condidit, vnam Nicæam: alteram ex nomi-
ne eqoi Bucephalen vocauit. Inde Adrestas, Ge-
steanos, Præsidas, Gangaridas, cæsis eorum exer-
citibus, expugnat. Cum ad Cuphites venisset, vbi
eum hostium ducenta millia equitum opperie-
bantur, exercitus omnis non minus victoriarum

numero, quàm laboribus fessus, lacrymis eum deprecatur, finem tandem belli faceret; aliquando patriæ, reditúsque meminisset; respiceret militum annos, quibus vix ætas ad reditum sufficeret: ostendere alius caniciem, alius vulnera, alius ætate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta: solos se esse qui duorum regum, Philippi Alexandríque, continuam militiam pertulerint. Tandem orare, vt reliquias saltem suas paternis sepulcris reddat, quorum non tam studiis deficiatur, quam annis: Ac si non militibus, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. Motus his tã iustis precibus, velut in finem victoriæ, castra solito magnificentiora fieri iussit, quorũ molitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus milites lætius fecere. Itaque cæsis hostibus, cum gratulatione in eadem reuerterunt.

INDE Alexander ad amnem Accsinem pergit: per hunc in Oceanum deuehitur. Ibi Hiacensanas Sileósque quos Hercules cōdidit, in deditionem accepit. Hinc in Ambros & Sugambros nauigat. Quæ gentes eum armatis LXXX. millibus peditum, & lx. millibus equitum excipiunt. Cum prœlio victor esset, exercitum ad vrbem eorum ducit. Quam desertam à defensoribus, cum de muro, quem primus ceperat, animaduertisset, in vrbis planiciem sine vllo satellite desiliit. Itaque cum eum hostes solum conspexissent, clamore edito, vndique concurrunt, si possint in vno capite orbis bella finire, & vltionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constanter restitit, & vnus aduersus tot millia prœliatur. Incredibile dictu est, vt eum non multitudo hostium, nō vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit; solus tot millia ceciderit ac fugauerit. Vbi verò obrui multitudine se vidit, trunco se, qui tum propter murum stabat, applicuit: cuius auxilio tutus, cum diu agmen sustinuisset, tandē cognito periculo eius, amici ad eum desiliunt, ex quibus multi cæsi: prœliúmque tamdiu anceps fuit, quoad omnis exercitus, muris deiectis, in auxilium veniret. In eo prœlio sagitta sub mamma traiectus, cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tamdiu prœliatus est, donec eum, à quo vulneratus fuerat, occideret. Curatio vulneris grauior ipso vulnere fuit.

ITAQVE ex magna desperatione tandem saluti redditus, Polyperchonta cum exercitu Babyloniam mittit, ipse cum lectissima manu nauibus conscensis, Oceani littora peragrat. Cum venisset ad vrbem Ambigeri regis, oppidani inuictũ ferro audientes, sagittas veneno armant: atque ita gemino mortis vulnere, hostem à muris summouentes, plurimos interficiunt. Cum inter multos vulneratus etiã Ptolemæus esset, moriturúsq; iamiam videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in potu accepta, statim periculo liberatus est, maiórque pars exercitu hoc remedio seruata. Expugnata deinde vrbe, reuersus in naues, Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus, ac veluti curru circa metã acto, positis imperij terminis, quà sinus aut terrarum solitudines prodire passæ sunt, aut mare nauigabile fuit, secūdo æstu ostio fluminis Indi inuehitur. Ibi in monumenta rerum à se gestarũ, vrbem Barcen cōdidit, arásque statuit, relicto ex numero amicorum, littoralibus Indis præfecto. Inde iter terrestre factu-

A rus, cum arida loca medij itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri præcipit, quibus ingenti dulci aqua inuenta, Babyloniam redit. Ibi multæ deuictæ gentes, præfectos suos accusauerunt; quos sine respectu amicitiæ, Alexander in conspectu legatorum necari iussit. Filiam post hæc Darij regis, Statiram in matrimonium recepit: sed & optimatibus Macedonũ lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, vt communi facto crimen regis leuaretur.

HINC ad cōcionem exercitus vocat: & promit- B tit se æs alienum omnium propria impensa soluturum, vt prædam præmiáque integra domos ferant. Insignis hæc munificentia non summa tantum, verumetiam titulo muneris fuit, nec à debitoribus magis, quàm à creditoribus gratius excepta: quoniam vtrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat. XX. millia talētûm in hos sumptus expensa. Dimissis veteranis, exercitum iunioribus supplet. Sed retenti veteranorum discessum ægre ferentes, missionem & ipsi flagitabant, nec C annos, sed stipendia sua numerari iubebant, pariter in militiam lectos, pariter sacramento solui æquum censentes: nec iam precibus, sed conuitio agebant, iubentes eum solum cum patre suo Hāmone inire bella, quatenus milites suos fastidiat. Contrà ille nunc castigare milites, nunc lenibus verbis monere, ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent. Ad postremum cum verbis nihil proficeret, ad corripiendos seditionis auctores, è tribunali in cōcionem armatam inermis ipse de- D siliit, & nemine prohibente, XIII. correptos, manu sua ipse ad supplicia duxit; tãtã vel illis moriēdi patientiam metus regis, vel huic exigendi supplicij constantiam disciplina militaris dabat.

INDE separatim auxilia Persarum in concione alloquitur. Laudat perpetuam illorum tum in se, tum in pristinos reges fidem; sua in illos beneficia commemorat; vt numquam quasi victos, sed veluti victoriæ socios habuerit; denique se in illorum, non illos in gentis suæ morem transisse; E affinitatibus cōnubiorum victos victoribus miscuisse: Nunc quoque ait, custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, verum & illis crediturum. Atque ita mille ex his iuuenes in numerum satellitum legit: auxiliorum quoque portionem, formatam in disciplinam Macedonũ, exercitui suo miscet. Quam rem ægre Macedones tulerunt, iactantes hostes suos in officium suum à rege subiectos. Tunc vniuersi flentes, regem adeunt, orant suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. Qua modestia obtinuerunt, vt XI. F millia militum veteranorum exauctoraret. Sed & ex amicis dimisi senes Polyperchō, Clytus, Gorgias, Polydamas, Amadas, Antigenes. Dimissis his, Craterus præponitur, iussus præesse Macedonibus in Antipatri locum; Antipatrúmque cum supplemento tyronum in locum eius euocat: stipendia reuertentibus, veluti militantibus, data. Dum hæc aguntur, vnus ex amicis eius Ephæstiō decedit, dotibus primo formæ pueritiæque, mox obsequiis regi percarus: quem contra decus regium, Alexander diu luxit; tumulúmque ei XII. G millium talentûm fecit; eúmque post mortem, coli vt deum iussit.

AB vltimis littoribus Oceani Babyloniam reuertenti, nuntiatur legationes Carthaginiēsiũ, ceterarúmque Africæ ciuitatũ, sed & Hispaniarũ, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque

ex

ex Italia eius aduentum Babyloniæ operiri. Adeò vniuersum terrarum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes, veluti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex causa Babyloniam festinanti, velut conuentum terrarum orbis acturo, quidam ex magis prædixit, ne vrbem introiret, testatus hunc locũ ei fatalem fore. Ob hoc omissa Babylonia, in Borsiam vrbem trans Eufraten, desertam olim, concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum magorum prædicta contemnere, vt falsa & incerta, & si fatis constent, ignorata mortalibus, at si naturæ debeantur, immutabilia. Reuersus igitur Babyloniam, multis diebus otio datis, intermissum olim conuiuiũ sollemniter instituit, totúsque in lætitiam effusus, cum diei noctem peruigilem iunxisset, recedentem iam è conuiuio medicus Thessalus, instaurata comessatione, & ipsum & sodales eius inuitat. Accepto poculo, media potione repente veluti telo confixus, ingemuit: elatúsque è conuiuio semianimis tanto dolore cruciatus est, vt ferrum in remedia posceret, tactúmque hominum velut vulnera indolesceret. Amici causas morbi, intemperiem ebrietatis disseminauerunt. Re autem vera insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit.

Avctor insidiarum Antipater fuit, qui cum carissimos amicos eius interfectos videret, Alexandrum Lyncistarum generum suum occisum, se magnis rebus in Græcia gestis, non tam gratum apud regem, quàm inuidiosum esse, à matre quoque eius Olympiade variis se criminationibus vexatum. Huc accedebant ante paucos dies, supplicia in præfectos deuictarũ nationum crudeliter habita. Ex quibus rebus se quoque à Macedonia non ad societatem militiæ, sed ad pœnam euocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum regem, Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Iolla ministrare regi solebat: cuius veneni tanta vis fuit, vt non ære, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri, nisi in vngula equi potuerit: præmonito filio, ne alij quàm Thessalo, & fratribus crederet. Hac igitur ex causa, apud Thessalum paratum, repetitúmque conuiuium est. Philippus & Iollas prægustare ac temperare potum regis soliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ iam potioni supermiserunt.

Qvarto die Alexander indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domus maiorum suorum ait: nam plerósque Æacidarum intra trigesimum annum defunctos: tumultuantes deinde milites, insidiísque perire regem suspicantes, ipse sedauit, eósque omnes cum prolatus in editissimum vrbis locum esset, ad conspectum suum admisit, osculandámque dextram suam flentibus porrexit. Cum lacrymarent omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verumetiam sine vllo tristioris mentis argumento fuit, vt quosdam impatientius dolentes consolatus sit, quibus mandata ad parentes eorum dedit: adeo sicuti in hostem, ita & in mortẽ inuictus animus fuit: Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur, videanturne similem sibi repetituri regem? Tacentibus cunctis, tũ ipse, vt hoc nesciat, ita illud scire, vaticinaríque se, ac pene oculis videre dixit, quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia, quantis cædibus, quo cruore, mortuo sibi parentatura. Ad postremum, corpus suum in Hãmonis tẽplo condi iubet. Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem imperij faciat hæredem: Respondit, Dignissimvm. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum, cum Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet hæredem. Prorsus quasi nefas esset, viro forti alium, quàm virum fortem succedere, aut tanti regni opes aliis, quàm probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum fauorem militum quærunt. Sexta die præclusa voce, exemptum digito anulum Perdiccæ tradidit: quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedauit. Nam etsi non voce nuncupatus hæres, iudicio tamen electus esse videbatur.

Decessit Alexander, mensem vnum, annos tres & triginta natus, vir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus. Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari: nec decepta somnio est. nam profecto maius humana mortalitate opus vtero tulit: quam cum Æacidarum gens ab vltima sæculorum memoria, & regna patris, fratris, mariti, ac deinceps maiorum omnium illustrauerint, nullius tamen nomine, quàm filij, clarior fuit. Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu nonnulla apparuere: nam ea die quà natus est, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperij, Europæ Asiæque præferentes: eadem quoque die nuntium pater eius duarum victoriarum accepit, alterius belli Illyrici, alterius certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat: quod omen vniuersarum terrarum victoriam infanti portendebat. Puer acerrimis literarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium philosophorum, creuit. Accepto deinde imperio, regem se terrarum omnium ac mundi appellari iussit: tantámque fiduciam sui militibus fecit, vt illo præsente nullius hostis arma, nec inermes, timuerint. Itaque cum nullo hostium vmquam congressus est, quẽ non vicerit, nullam vrbem obsedit, quam non expugnauerit, nullam gentem adiit, quam non calcauerit. Victus denique ad postremum est, non virtute hostili, sed insidiis suorum, & fraude ciuili.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XIII.

EXTINCTO in ipso ætatis, ac victoriarum flore Alexandro Magno, triste apud omnes, tota Babylone silentium fuit. Sed nec deuictæ gentes fidem nuntio habuerunt, quod vt inuictum regem, ita immortalem esse crediderant: recordantes, quoties præsenti morte ereptus esset; quàm sæpe pro amisso, repente se non sospitem tantum suis, verumetiam victorem obtulisset. Vt verò mortis eius fides adfuit, omnes barbaræ gentes paulo antè ab eo deuictæ, non vt hostem, sed vt parentem luxerunt. Mater quoque Darij regis, quam amisso filio, à fastigio tantæ maiestatis in captiuitatem redactam, indulgentia victoris, in eam diem vitæ non pœnituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa consciuit, non quòd hostem filio præferret, sed quòd pietatem filij in eo, quem vt hostem timuerat, experta esset. Contrà Macedones versa vice, non vt ciuem, ac tantæ maiestatis regem, verum vt hostem amissum, gaudebant, seueritatem nimiam, & assidua belli pericula execrantes. Huc accedebat, quod principes regnum & imperia, vulgus militum thesauros, & grande pondus auri velut inopinatam prædam, spectabant: illi successionem regni, hi opum, ac diuitiarum hæreditatem cogitantes. Erant enim in thesauris quinquaginta millia talentûm, & in annuo vectigali tributo, tricena millia. Sed amici Alexandri frustra regnũ spectabant, nam eius virtutis ac venerationis erant, vt singulos reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, sed ex toto terrarum orbe electos iudicaret: neque enim vmquam antè Macedonia, vel vlla gens alia, tam clarorum virorum prouentu floruit: quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, vt non tam ad societatem belli, quàm in successionem regni, electi viderentur. Quis igitur miretur, talibus ministris, orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed regibus regeretur? qui numquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent: multósque Macedonia pro vno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

CETERVM occiso Alexandro, non vt læti ita & securi fuere, omnibus vnum locum competentibus: nec minus milites quam inuicem se timebant, quorum & libertas solutior & fauor incertus erat. Inter ipsos vero æqualitas discordiam augebat, nemine tantum ceteros excedente, vt ei aliquis se summitteret. Armati itaque in regiam coëunt ad firmandum rerum præsentium statum. Perdicca censet Roxanis exspectari partum, quæ exacto mense octauo, matura iam ex Alexandro erat, & si puerum peperisset, hunc dari successorem patri. Meleager negat differendum in partus dubios, consiliumque expectandum dum reges A nascerentur, cum iam genitis vti liceret: seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine, nomine Herculem, seu mallent iuuenem, esse in castris fratrem Alexandri Aridæum comem, & cunctis non suo tantum, verum & patris Philippi nomine acceptissimum. Ceterum Roxanem esse originis Persicæ, nec esse fas, vt Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleuerint, reges constituantur: quod nec ipsum B Alexandrum voluisse dicit. Denique morientem nullam de eo mentionem habuisse. Ptolemæus recusabat regem Aridæum, non propter maternas modo sordes, quòd ex Larissæo scorto nasceretur, sed etiam propter valitudinem maiorem, quam patiebatur, ne ille nomen regis, alius imperium teneret: melius esse ex his legi, qui pro virtute regi suo proximi fuerint, qui prouincias regant, quibus bella mandentur, quàm sub persona regis indignorum subiiciantur imperio. Vicit C Perdiccæ sententia, consensu vniuersorum. Placuit itaque Roxanis exspectari partum, & si puer natus fuisset, tutores Leonatum & Perdiccam, & Crateron, & Antipatrum constituunt, confestimque in tutorum obsequia iurant.

CVM equites quoque idem fecissent, pedites indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridæum Alexandri fratrem regem appellant, satellitésque illi ex tribu sua legunt, & nomine Philippi patris vocari iubent. Quæ cum nuntiata D equitibus essent, legatos ad mitigandos eorum animos, duos ex proceribus, Attalum & Meleagrum mittunt, qui potentiam ex vulgi adulatione quærentes, omissa legatione, militibus consentiunt. Statim & seditio creuit, vbi caput & consilium habere cœpit. Tunc ad delendum equitatum cuncti armati in regiam irrumpunt: quo cognito, equites trepidi ab vrbe discedunt, castrísque positis, & ipsi pedites terreri cœperunt. Sed nec procerum inter se odia cessabant. Attalus ad in E terficiendum Perdiccam ducem partis alterius, mittit: ad quem armatum, & vltro vocantem, cum accedere percussores ausi non fuissent, tanta constantia Perdiccæ fuit, vt vltro ad pedites veniret, & in cõcionem vocatos edoceret quod facinus molirentur, respicerent contra quos arma sumpsissent: non illos Persas, sed Macedonas, non hostes, sed ciues esse, plerosque etiam cognatos eorum, certe commilitones, eorundem castrorum ac periculorum socios: edituros deinde egre F gium hostibus suis spectaculum, vt quorum armis victos se doleant, eorum mutuis cædibus gaudeant, parentaturósque sanguine suo manibus hostium à se interfectorum.

HÆC cum pro singulari facundia sua Perdicca perorasset, adeo mouit pedites, vt probato consilio eius dux ab omnibus legeretur. Tum equites in concordiam reuocati, in Aridæum regem cõsentiunt. Seruata est portio regni Alexandri filio, si natus esset. Hæc agebant, posito in medio corpore

pore

pore Alexandri, vt maiestas eius testis decretorum esset. His ita compositis, Macedoniæ & Græciæ Antipater præponitur: Regiæ pecuniæ custodia Cratero traditur: Castrorum, & exercitus, & rerum cura Meleagro, & Perdiccæ assignatur: iubetúrque Aridæus rex, corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc Perdicca infensus seditionis auctoribus, repente ignaro collega, lustrationem castrorum propter mortem regis, in posterum edicit. Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus vniuersis, euocatos dum transit, de singulis manipulis seditiosos, supplicio tradi occulte iubet. Reuersus inde, inter principes prouincias diuidit, simul vt & remoueret æmulos, & munus imperij, beneficij sui faceret. Primo Ptolemæo Ægyptus, & Africæ, Arabiæque pars sorte venit, quem ex gregario milite Alexander virtutis causa prouexerat: cui ad tradendam prouinciam Cleomenes, qui Alexandriam ædificauerat, datur. Confinem huic prouinciæ Syriam Laumedon Mitylenæus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Mediæ maiori Atropatos, minori socer Perdiccæ præponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia maior Antigono Philippi filio assignatur. Lyciam & Pamphiliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiũtur. Leonato minor Phrygia euenit, Thracia & regiones Pontici maris Lysimacho: Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit. Stipatoribus regis satellitibúsque Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana vlteriore, & Indiæ regionibus, priores præfecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem & Indum, Taxiles habebat. In colonias in Indis conditas, Pithon Agenoris filius mittitur. Parapamenos, fines Caucasi montis, Extarches accepit. Aracossi Gedrosique Sibyrtio traduntur: Drancæ & Arei Statanori: Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataphernes Armenios, Tleptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archos Pelasgos, Arcesilaus Mesopotamiam. Cum hæc diuisio, veluti fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit. Siquidem non magno post tempore, quasi regna, non præfecturas diuisissent, sic reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, verumetiam posteris reliquerunt.

Dvm hæc in Oriente aguntur, in Græcia Athenienses, & Ætoli bellum, quod iam viuo Alexandro mouerant, summis viribus instruebant. Causæ belli erant, quòd reuersus ad India Alexander, epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium ciuitatium exules, præter cædis damnati, restituebantur. Quæ recitatæ præsente vniuersa Græcia, in mercatu Olympiaco, magnos motus fecerunt, quòd plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant, verentibus iisdem principibus, ne reuocati potentiores in republica fierent. Palàm igitur iam tunc multæ ciuitates, libertatem bello vindicandam fremebant. Principes tamen omnium Athenienses, & Ætoli fuere. Quod cum nuntiatum Alexandro esset, mille naues longas sociis imperati præceperat, quibus in Occidente bellum gereret, excursuróque cum valida manu fuerat ab Athenas delendas. Igitur Athenienses, contracto xxx. millium exercitu, & cc. nauibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia sorte euenerat, gerunt, eúmque detrectantem prælium, & Heracleæ vrbis mœnibus tuentem se, obsidione cingunt. Eodem tempore, Demosthenes Atheniensis orator, pulsus patria, ob crimen accepti ab Harpalo auri, qui crudelitatem Alexandri fugerat, quòd ciuitatem in eiusdem Alexandri bellum impelleret, forte Megaris exulabat: qui vt missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum cognouit, qui Peloponnenses in societatem armorum solicitaret, sequutus eum Sicyona, Argos & Corinthum, ceterásque ciuitates, eloquentia sua Atheniensibus iunxit. Ob quod factum, missa ab Atheniensibus obuiam naue, ab exilio reuocatur. Interim in obsidione Antipatri, Leosthenes dux Atheniensium, telo è muris in transeuntem iacto, occiditur. Quæ res tantum animorum Antipatro dedit, vt etiam vallum rescindere auderet. Auxilium deinde à Leonato per legatos petit: qui cum venire cum exercitu nuntiatus esset, obuij ei Athenienses cum instructis copiis fuere, ibíque equestri prœlio, graui vulnere ictus extinguitur. Antipater, tametsi auxilia sua videret victa, morte tamen Leonati lætatus est: quippe & æmulum sublatum, & vires eius accessisse sibi gratulabatur. Statim igitur exercitu eius recepto, cum par hostibus etiam prœlio videretur, solutus obsidione, in Macedoniam concessit. Græcorum quoque copiæ, finibus Græciæ hoste pulso, in vrbes dilapsæ.

Interea Perdicca, bello Ariarathi regi Cappadocum illato, prœlióque victor, nihil præmij præter vulnera & pericula retulit. Quippe hostes ab acie in vrbem recepti, occisis coniugibus, & liberis, domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem congestis etiam seruitiis, & semetipsos præcipitant, vt nihil hostis victor suarum rerum, præter incendij spectaculo frueretur. Inde, vt viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatræ, sororis Alexandri Magni, & alterius Alexandri quondam vxoris, non aspernante Olympiade matre eius, intendit: sed prius Antipatrum, sub affinitatis obtentu, capere cupiebat. Itaque fingit se in matrimonium filiam eius petere, quò facilius ab eo supplemẽtum tyronum ex Macedonia obtineret. Quem dolum præsentiente Antipatro, dum duas eodem tempore vxores quærit, neutram obtinuit. Post hæc bellum inter Antigonum & Perdiccam oritur. Antigono Craterus & Antipater auxilium ferebant, qui facta cum Atheniensibus pace, Polyperchonta Græciæ & Macedoniæ præponunt. Perdicca, alienatis rebus, Aridæum, & Alexandri Magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem & caput regni, vbi & Olympias esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium, & ciuium fauor, propter Alexandri, Philippíque nomina: sed in rem visum est ab Ægypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia à Ptolemæo occuparetur. Eumeni, præter prouincias quas acceperat, Paphlagonia, & Caria, & Lycia, & Phrygia adiiciuntur. Ibi Craterum & Antipatrum opperiri iubetur: adiutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccæ Alcetas, & Neoptolemus: Clito cura classis traditur: Cilicia Philotæ adempta, Philoxeno datur: ipse Perdicca Ægyptum cum ingenti exercitu

petit. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur, ferrúmque ab hostili bello in ciuilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa cæsura. Sed Ptolemæus in Ægypto, sollerti industria, magnas opes parabat: quippe & Ægyptios insigni moderatione in fauorem sui solicitauerat, & reges finitimos beneficiis, obsequiísque deuinxerat, terminos quoque imperij, acquisita Cyrene vrbe, ampliauerat, factúsque iam tantus erat, vt non tam timeret hostes, quàm timendus ipse hostibus esset.

Cyrene autem condita fuit ab Aristæo, cui nomen Battus propter linguæ obligationem fuit. Huius pater Cirnus, rex Theramenis insulæ, cum ad oraculum Delphos, propter dedecus adolescentis filij nondum loquentis, deum deprecaturus venisset, responsum accepit, quo iubebatur filius eius Battus Africam petere, & vrbem Cyrenem condere, vsum linguæ ibi accepturus. Cum responsum ludibrio simile videretur, propter solitudinem Theramenis insulæ, ex qua coloni ad vrbem condendam in Africam tam vastæ regionis proficisci iubebantur, res omissa est. Interiecto deinde tempore, velut contumaces, pestilentia Deo parere compelluntur: quorum tam insignis paucitas fuit, vt vix vnam nauem complerent. Cùm venissent in Africam pulsis accolis, montem Cyran, & propter amœnitatem loci, & propter fontis vbertatem occupauere. Ibi Battus dux eorum, linguæ nodis solutis, loqui primum cœpit: quæ res animos eorum, ex promissis dei iam parte percepta, in reliquam spem condendæ vrbis accendit. Positis igitur castris opinionem veteris fabulæ accipiunt, Cyrenem eximiæ pulchritudinis virginem, à Thessaliæ monte Pelio ab Apolline raptam, perlatámque in eiusdem mon-

A tis iuga, cuius collem occupauerant, à deo repletam, quatuor pueros peperisse, Nomium, Aristæum, Authocum, Argæum: missos à patre Speo rege Thessaliæ, qui perquirerent virginem, loci amœnitate captos in iisdem terris cum virgine resedisse. Ex his pueris tres adultos in Thessaliam reuersos, auita regna cepisse. Aristæum in Arcadia late regnasse, eúmque primum, & apium, & mellis vsum, & lactis ad coagula hominibus tradi-
B disse, solstitialísque ortus sideris primum inuenisse. Quibus auditis, Battus virginis nomine ex responsis agnito, vrbem Cyrenem condidit.

Igitvr Ptolemæus huius vrbis auctus viribus, bellum in aduentum Perdiccæ parabat. Sed Perdiccæ plus odium arrogantiæ, quàm vires hostium nocebant, quam exosi etiam socij, ad Antipatrum gregatim, profugiebant. Neoptolemus quoque in auxilium Eumeni relictus, non solum transfugere, verumetiam prodere partium exerci-
C tum voluit. Quam rem cum præsensisset Eumenes, cum proditore decernere prœlio necesse habuit: victus Neoptolemus, ad Antipatrum & Polyperchonta profugit, hísque persuadet, vt continuatis mansionibus læto ex victoria & securo fuga sua, Eumeni superueniant. Sed res Eumenem non latuit: Itaque insidiæ in insidiatores versæ, & qui securum aggressuros se putabat, securis in itinere & peruigilio noctis fatigatis occursum est. In eo
D prœlio Polyperchon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene congressus, diu mutuis vulneribus acceptis, colluctatus est, in summa victus occumbit. Victor igitur duobus prœliis continuis Eumenes, afflictas partes transitione sociorũ paululum sustentauit. Ad postremum tamen Perdiccâ occiso, ab exercitu hostis cum Phytone, & Illyrio, & Alceta fratre Perdiccæ, appellatur: bellúmque aduersus eos Antigono decernitur.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XIV.

Evmenes, vt Perdiccam occisum, se hostem à Macedonibus iudicatum, bellúmque Antigono decretum cognouit, vltro ea militibus suis indicauit, ne fama aut rem in maius extolleret, aut militum animos rerum nouitate terreret, simul, vt circa se animati essent, cognosceret, sumpturus consilium ex motu vniuersorum. Constanter tamen præfatus est, si cui hæc terrori essent, habere eum discedendi potestatem. Qua voce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, vt vltro illum omnes hortarentur, rescissurósque se ferro decreta Macedonum affirmarent. Tunc exercitu in Ætoliam promoto, pecunias ciuitatibus imperat, recusantes dare, hostiliter diripit. Inde Sardis profectus est ad Cleopatram, sororem Alexandri Magni, vt eius voce centuriones, principésque confirmarentur, existimaturos ibi maiestatem regiam verti, vnde soror Alexandri staret. Tanta veneratio magnitudinis Alexandri erat, vt etiam per vestigia mulierum, fauor sacrati eius nominis quæreretur. Cum re-

E uersus in castra esset, epistolæ totis castris abiectæ inueniuntur: quibus iis, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna præmia definiebantur. His cognitis, Eumenes vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, quòd nemo inuentus esset, qui spem cruenti præmij fidei sacramento anteponeret: deinde callidè subnectit, confictas has à se epistolas ad experiundos suorum animos esse. Ceterum salutem suam in
F omnium potestate esse, nec Antigonum, nec quemquam ducum sic velle vincere, vt ipse in se exemplum pessimum statuat. Hoc facto, & in præsenti labantium animos deterruit, & in futurum prouidit, vt siquid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis eius, offerunt.

Cvm interim Antigonus cum exercitu superuenit, castrísque positis, postera die in aciem procedit. Nec Eumenes moram prœlio fecit: qui victus, in munitum quoddam castellum confugit:

vbi cum

vbi cum videret se fortunam obsidionis subitu- A
rum, maiorem exercitus partem dimisit, ne aut
consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsi-
dio ipsa multitudine grauaretur. Legatos deinde
ad Antipatrum, quod solus par Antigoni viribus
videbatur, supplices mittit: à quo cum auxilia Eu-
meni missa Antigonus didicisset, ab obsidione re-
cessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mor-
tis Eumenes, sed nec salutis, dimisso exercitu, ma-
gna spes erat. Omnia igitur circumspicienti, o- B
ptimum visum est, ad Alexandri Magni Argyras-
pidas inuictum exercitum, & tot victoriarum
præfulgentem gloria decurrere. Sed Argyraspides
post Alexandrum omnes duces fastidiebant, sor-
didam militiam sub aliis, post tanti regis memo-
riam existimantes. Itaque Eumenes blandimentis
agere, suppliciter singulos alloqui, nunc commi-
litones suos, nunc patronos appellans, periculo-
rum Orientalium socios, nũc refugia salutis suæ,
& vnica præsidia commemorans: solos esse quo- C
rum virtute Oriens sit domitus, solos qui mili-
tiam Liberi patris, qui Herculis monumenta su-
perarint: per hos Alexandrum, magnum factum,
per hos diuinos honores, & immortalem gloriam
consequutum: orat vt non tam ducem se, quàm
commilitonem recipiant, vnúmque ex corpore
suo esse velint. Receptus hac lege, paulatim impe-
rium, primum monendo singulos, mox quæ per-
peram facta erant blande corrigendo, vsurpat: ni-
hil in castris sine illo agi, nihil administrari sine D
sollertia illius poterat.

A n postremum cum Antigonum venire cum
exercitu nuntiatum esset, compellit eos in aciem
descendere. Ibi dum ducis imperia contemnunt,
hostium virtute superantur. In prælio non glo-
riam tantum tot bellorum, cum coniugibus &
liberis, sed & præmia longa militia parta, perdi-
derunt. Sed & Eumenes, qui auctor cladis erat,
nec aliam spem salutis reliquam habebat, victos
hortabatur: Nam & virtute eos superiores fuisse E
affirmabat: quippe ab his quinque millia hostium
cæsa, & si in bello perstent, vltro hostes pacem pe-
tituros. Damna, quibus se victos putent, duo mil-
lia mulierum & paucos infantes, & seruitia esse,
quæ melius vincendo possint reparare, quàm de-
serendo victoriam. Porrò Argyraspides neque
fugam se tentaturos dicunt, post damna matrimo-
niorum, & post coniuges amissas, neque bellum
gesturos contra liberos suos, vltróque eum con-
uitiis agitant, quòd se post tot annos emeritorum F
stipendiorum, redeuntes domum cum præmiis
tot bellorum, ab ipsa missione rursus in nouam
militiam immensáque bella reuocauerit, & à la-
ribus iam quodammodo suis, & ab ipso limine
patriæ abductos, inanibus promissis deceperit:
nunc quoque amissis omnibus felicis militiæ
quæstibus, ne victos quidem in misera & inopi
senecta quiescere sinat. Ignaris deinde ducibus,
confestim ad Antigonum legatos mittunt, peten-
tes vt sua reddi iubeat. Is redditurum se pollice- G
tur, si Eumenem sibi tradant. Quibus cognitis,
Eumenes cum paucis fugere tentauit; sed retra-
ctus, desperatis rebus, cum concursus multitudi-
nis factus esset, petit vt postremum sibi alloqui
exercitum liceret.

Ivssvs ab vniuersis dicere, facto silentio, la-
xatisque vinculis, prolatam, sicut erat catenatus,
manum ostendit: CERNITIS MILITES, inquit,
habitum atque ornamenta ducis vestri, quæ mi-
hi non hostium quisquam imposuit: nam hoc et-
iam solatio foret. Vos me ex victore victum, vos
me ex imperatore captiuum fecistis, quater intra
hunc annum in mea verba iureiurando obstricti
estis, & ista omitto: NEQVE enim miseros conui-
tia decent. Vnum oro, si propositorum Antigoni
in meo capite summa consistit, inter vos me veli-
tis mori. Nam neque illius interest, quemadmo-
dum aut vbi cadam, & ego fuero ignominia mor-
tis liberatus. Hoc si impetro, soluo vos iureiuran-
do, quo toties vos sacramento mihi deuouistis.
Aut si ipsos pudet roganti vim adhibere, ferrum
huc date, & permittite quod vos facturos pro im-
peratore iurastis, imperatorem pro vobis sine re-
ligione iurisiurandi facere. Cum non obtineret,
preces in iram vertit. At vos, ait, deuota capita,
respiciant dij periuriorum vindices, talésque vo-
bis exitus dent, quales vos ducibus vestris dedi-
stis. Nempe vos iidem paulò antè & Perdiccæ
sanguine estis aspersi, & in Antipatrum eadem
moliti. Ipsum denique Alexandrum, si fas fuisset
eum mortali manu cadere, interempturi, quod
maximum erat, seditionibus agitastis. Vltima nũc
ego perfidorum victima, has vobis diras atque
inferias dico, vt inopes extorrésq; omne æuum in
hoc castrensi exilio agatis, deuorentque vos arma
vestra, quibus plures vestros, quàm hostium du-
ces absumpsistis. Plenus deinde iræ, custodes suos
præcedere ad Antigoni castra cœpit. Sequitur ex-
ercitus prodito imperatore suo, & ipse captiuus,
triumphúmq; de se ipso ad victoris sui castra du-
cit, omnia auspicia regis Alexandri, & tot bello-
rum palmas, lauréasque vna secum victori tradé-
tes, & nequid deesset pompæ, elephanti quoque,
& auxilia Orientalia subsequuntur. Tanto pul-
chrior hæc Antigono, quàm Alexandro tot vi-
ctoriæ fuerunt, vt cum ille Orientem vicerit, hic
etiam eos à quibus Oriens victus fuerat, supera-
uerit. Igitur Antigonus domitores illos orbis, ex-
ercitui suo diuidit, redditis eorum quæ in victo-
ria ceperat. Eumenem verò verecundia prioris a-
micitiæ, in conspectum suum venire prohibi-
tum, assignari custodibus præcepit.

Interea Eurydice, vxor Aridæi regis, vt Poly-
perchonta à Græcia redire in Macedoniam co-
gnouit, & ab eo arcessitam Olympiadem, mulie-
bri æmulatione perculsa, abutens valitudine viri,
cuius officia sibi vindicabat, scribit regis nomine
Polyperchonti, Cassandro exercitum tradat, in
quem regni administrationem rex transtulerit: ea-
dem & in Asiam Antigono per epistolas nuntiat.
Quo beneficio deuinctus Cassander, nihil non ex
arbitrio muliebris audaciæ gerit. Deinde profe-
ctus in Græciam, multis ciuitatibus bellum infert:
quarum excidio, veluti vicino incendio territi
Spartani, vrbem, quam semper armis, non muris
defenderant, tum contra responsa fatorum & ve-
terum maiorum gloriam, armis diffisi, murorum
præsidio includunt. Tantum eos degenerauisse à
maioribus, vt cum multis sæculis murus vrbi ci-
uium virtus fuerit, tunc ciues saluos se fore non
existimauerint, nisi intra muros laterent. Dum
hæc aguntur, Cassandrum à Græcia turbatus Ma-
cedoniæ status domum reuocauit: Námque O-
lympias mater Alexandri Magni regis, cum ab E-
piro in Macedoniam, prosequente Æacida rege
Molossorum, veniret, prohibériq; finibus ab Eu-
rydice & Aridæo rege cœpisset, seu memoria ma-
riti, seu magnitudine filij, & indignitate rei moti

Macedones,ad Olympiadem transiere:cuius iussu & Eurydice,& rex occiditur, sex annis post Alexandrum potitus regno.

Sed nec Olympias diu regnauit. Nam cum principum passim cædes, muliebri magis, quam regio more fecisset, fauorem sui in odium vertit. Itaque audito Cassandri aduentu, diffisa Macedonibus, cum nuru Roxane, & nepote Hercule, in Pydnam vrbem concedit. Proficiscenti Deidamia Æacidæ regis filia,& Thessalonice priuigna,& ipsa clara Philippi patris nomine, multæque aliæ principum matronæ, speciosus magis quàm vtilis grex,comites fuere. Hæc cum nunciata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam venit, & vrbem obsidione cingit. Cum fame, ferróque vrgeretur Olympias,longæ obsidionis tædio,pacta salute, victori se tradidit. Sed Cassander ad concionem vocato populo, sciscitaturus quid de Olympiade fieri velint, subornat parentes interfectorum, qui sumpta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusarent,à quibus accensi Macedones, A sine respectu pristinæ maiestatis,occidendam decernunt:immemores prorsus,quòd per filium eius,virúmque, non solùm vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent, verumetiam tantas opes imperiúmque orbis quæsissent. Sed Olympias vbi obstinatos venire ad se armatos vidit,veste regali,duabus ancillis innixa,vltro obuiam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna maiestatis prioris, & tot in ea memoriæ occurrentibus regum suorum nominibus,substiterunt, B donec à Cassandro missi sunt,qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera: aut muliebriter vociferantem, sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiæ morti succumbentem,vt Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere. Insuper expirans, capillis & veste crura contexisse fertur,nequid posset in corpore eius indecorum videri. Post hæc Cassander Thessalonicem, regis Aridæi filiam, vxorem ducit:filium Alexandri cum matre, in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XV.

Perdicca, & fratre eius, Eumene ac Polyperchonte ceterísque ducibus diuersæ partis occisis,finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur, cum repente inter ipsos victores nata discordia est: quippe postulantibus Ptolemæo,& Cassandro, & Lysimacho, vt pecunia in præda capta, prouinciæque diuiderentur, Antigonus negauit se in eius belli præmia socios admissurum,in cuius periculum solus descenderit. Et vt honestum aduersus socios bellum suscipere videretur, diuulgat se Olympiadis mortem à Cassandro interfectæ, vlcisci velle, & Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare. His cognitis, Ptolemæus & Cassander, inita cum Lysimacho & Seleuco societate, bellum terra maríque enixe instruunt. Tenebat Ptolemæus Ægyptum cum Africæ parte maiore,& Cypro, & Phœnice. Cassandro parebat Macedonia cum Græcia. Asiam & partem Orientis occupauerat Antigonus, cuius filius Demetrius,prima belli congressione,à Ptolemæo apud Galamam vincitur. In quo prœlio maior Ptolemæi moderationis gloria, quàm ipsius victoriæ fuit. Siquidem & amicos Demetrij non solùm cum suis rebus, verumetiam additis insuper muneribus,dimisit, & ipsius Demetrij priuatum omne instrumentum,ac familiam reddidit, adiecto honore verborum, non se propter prædam,sed propter dignitatem iniisse bellum,indignatum quòd Antigonus deuictis diuersæ factionis ducibus, solus communis victoriæ præmia corripuisset.

Dum hæc aguntur,Cassander ab Apollonia rediens, incidit in Abderitas, qui propter ranarum muriúmq; multitudinem relicto patriæ solo, sedes quærebant: veritus ne Macedoniam occuparent,facta pactione, in societatem eos recepit, C agrósque iis vltimos Macedoniæ assignat. Deinde, ne Hercules Alexandri filius,qui fere annos quatuordecim excesserat, fauore paterni nominis in regnum Macedoniæ vocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine iubet, corporáque eorum terra obrui, ne cædes sepultura proderetur: & quasi patum facinoris in ipso primùm rege,mox in matre eius Olympiade,ac filio admisisset,alterum quoque filium cum matre Roxane pari fraude interficit,scilicet quasi regnum Macedoniæ,quod af- D fectabat, aliter consequi, quàm scelere non posset. Interea Ptolemæus cum Demetrio nauali prœlio iterato congreditur,& amissa classe, hostiq; concessa victoria,in Ægyptum refugit. Demetrius filium Ptolemæi Leontiscum, & fratrem Menelaum,amicósq; eius cum priuati instrumenti ministerio,pari prouocatus antea munere Ægyptum remittit:& vt appareret eos non odij,sed dignitatis gloria accensos,donis,muneribúsq; inter ipsa bella contendebant. Tanto honestius tunc bel- E la gerebantur, quàm nunc amicitiæ coluntur. Hac victoria elatus Antigonus, regem se cum Demetrio filio appellari à populo iubet. Ptolemæus quoque,ne minoris apud suos auctoritatis haberetur,rex ab exercitu cognominatur. Quibus auditis,Cassander & Lysimachus,& ipsi regiam sibi maiestatem vindicauerunt. Huius honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt,quamdiu filij regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, vt cum opes regias haberent, re- F gum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro iustus hæres fuit. Sed Ptolemæus & Cassander, ceterique factionis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono viderent, dum priuatum singulorum, non commune vniuersorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria vnius, non o-

mnium

mnium foret, per epistolas se inuicem confirmãtes, tempus, locum coëundi condicunt, bellúmque communibus viribus instruunt. Cui cum Cassander interesse propter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum ingentibus copiis, in auxilium sociis mittit.

ERAT hic Lysimachus illustri quidem Macedoniæ loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior, quæ tanta in illo fuit, vt animi magnitudine, philosophia ipsa, viriúmq; gloria omnes, per quos Oriens domitus est, vicerit, Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem philosophum, propter salutationis Persicæ interpellatum morem, insidiarum, quæ sibi paratæ fuerant, conscium fuisse iratus finxisset, eúmque truncatis crudeliter omnibus membris, abscissísque auribus, ac naso, labiísque, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper eum cane in cauea clausum, ad metum ceterorum circumferret: tunc Lysimachus audire Callisthenem, & præcepta ab eo virtutis accipere solitus, miseratus tanta viri, non culpæ, sed libertatis pœna pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quod adeo ægre Alexander tulit, vt eum obiici ferocissimo leoni iuberet: Sed cum ad conspectum eius concitatus leo impetum fecisset, manum amiculo, inuolutam Lysimachus in os leonis immersit, arreptáque lingua, feram exanimauit. Quod cum nuntiatum regi esset, admiratio in satisfactionem cessit, cariorémque eum propter constantiam tantæ virtutis habuit. Lysimachus quoque magno animo, regis, veluti parentis contumeliam tulit. Denique omni ex animo huius facti memoria exturbata, postea in India insectanti regi quosdam palantes hostes, cum à satellitum turba, equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas harenarum moles cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus frater eius cum facere voluisset inter manus regis exspirauerat. Sed Lysimachum desiliens equo Alexander, hastæ cuspide ita in fronte vulnerauit, vt sanguis aliter cludi non posset, quàm diadema sibi demptum rex, alligandi vulneris causa, capiti eius imponeret. Quod auspicium, primum regalis maiestatis Lysimacho fuit. Sed & post mortem Alexandri, cum inter successores eius prouinciæ diuiderentur, ferocissimæ gentes, quasi omnium fortissimo assignatæ sunt: adeo etiam, consensu vniuersorum palmam virtutis inter ceteros tulit.

PRIVSQVAM bellum inter Ptolemæum, sociósque eius, aduersus Antigonum committeretur, repente ex Asia maiore digressus Seleucus, nouus Antigono hostis accesserat. Huius quoque & virtus clara, & origo admirabilis fuit. Siquidem mater eius Laudice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, grauidámque factam, munus concubitus, anulum à deo accepisse, in cuius gemma ancora sculpta esset: iussáque donum filio, quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum & anulus, qui postera die, eiusdem sculpturæ, in lecto inuentus est, & figura ancoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipso paruulo fuit. Quamobrem Laudice anulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua, dedit. Vbi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, vrbem condidit, ibique geminæ originis memoriam consecrauit. Nam & vrbem ex Antiochi patris nomine: Antiochiam vocauit, & campos vicinos vrbi, Apollini dicauit. Originis eius argumentum etiam in posteris mansit: Siquidem filij, nepotésque eius ancoram in femore, veluti notam generis naturalem habuere. Multa in Oriente, post diuisionem inter socios regni Macedonici, bella gessit. Principio Babyloniam cepit: inde auctis ex victoria viribus. Bactrianos expugnauit. Transitum deinde in Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri, veluti ceruicibus iugo seruitutis excusso, præfectos eius occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed titulum libertatis post victoriam in seruitutem verterat. Siquidem occupato regno, populum quem ab externa dominatione vindicauerat, ipse seruitio premebat. Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus. Quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici à rege iussus, salutem pedum celeritate quæsierat: ex qua fatigatione, cum somno captus iaceret, leo ingentis formæ ad dormientem accessit, sudorémque profluentem lingua ei detersit, expergefactúmque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus, Indos ad nouitatem regni solicitauit. Molienti deinde bellum aduersus præfectos Alexandri, elephantus ferus infinitæ magnitudinis vltro se obtulit, & veluti domita mansuetudine, eum tergo excepit, dúxque belli, & prœliator insignis fuit. Sic acquisito regno, Sandrocottus ea tempestate, qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat: cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium sociorum copiis, prœlium committitur: in eo Antigonus occiditur, Demetrius filius eius in fugam vertitur. Sed socij profligato hostili bello, denuo in semetipsos arma verterunt: & cum de præda non conuenirent, iterum in duas factiones deducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho iunguntur. Cassandro defuncto Philippus filius succedit. Sic, quasi ex integro, noua Macedoniæ bella nascuntur.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XVI.

POST Cassandri regis, filiique eius Philippi continuas mortes, Thessalonice regina vxor Cassandri, non magno pòst tempore, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. Causa parricidij fuit, quòd post mortem mariti, in diuisione inter fratres regni, propensior fuisse pro Alexandro videbatur. Quod facinus eo grauius omnibus visum est, quòd nullum maternæ fraudis vestigium fuit. QVAMQVAM in parricidio, nulla satis iusta ad sceleris patrocinia prætexi potest. Ob hæc igitur Alexander in vltionem maternæ necis, gesturus cum fratre bellum, auxilium à Demetrio petit: nec Demetrius, spe inuadendi Macedonici regni, moram fecit. Cuius aduentum verens Lysimachus, persuadet genero suo Antipatro, vt malit cum fratre in gratiam reuerti, quam paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cum præsensisset. Demetrius, per insidias Alexandrum interfecit, occupatóque Macedoniæ regno, cædem apud exercitum excusaturus, in concionem vocat. Ibi priorem se petitum ab Alexandro allegat, nec fecisse se, sed occupasse insidias. Regem autem se Macedonię vel ętatis expeaimentis, vel causis iustiorem experimentis, vel causis iustiorem esse. Patrem enim suum & Philippo regi, & Alexandro Magno socium in omni militia fuisse, liberorum deinde Alexandri ministrum, & ad persequendos defectores ducem extitisse. Contra Antipatrum auum horum adolescentium, amariorem semper ministrum regni, quam ipsos reges fuisse. Cassandrum verò patrem extinctorem regiæ domus, noo feminis, non pueris pepercisse, nec cessasse, quoad omnem stirpem regiæ subolis deleret. Horum scelerum vltionem, quia nequisset ab ipso Cassandro exigere, ad liberos eius translatam. Quamobrem etiam Philippum, Alexandrúmque (siquis manium sensus est) non interfectores suos, ac stirpis suæ, sed vltores eorum Macedoniæ regnum tenere malle. Per hæc mitigato populo, rex Macedoniæ appellatur. Lysimachus quoque cum bello Dorieetis regis Thracum premeretur, ne eodem tempore & aduersus eom dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniæ, quæ Antipatro eius genero obuenerat, pacem cum eo fecit.

IGITVR Demetrius, totis Macedouiæ regni viribus instructus, cum Asiam occupare statuisset, iterato Ptolemæus, Seleucus, & Lysimachus experti priore certamine quantæ vires essent concordiæ, pacta societate adunatisque exercitibus, bellum aduersus Demetrium transferunt in Euaopam. His comitem se, & belli socium iungit Pyrthus rex Epiri, sperans non difficilius Demetrium amittere Macedoniam posse, quàm acquisierat. Nec spes frustra fuit: quippe exercitu eius corrupto, ipsóque in fugam acto, regnum Macedoniæ occupauit. Dum hæc aguntur, Lysimachus
A generum suum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptum sibi soceri fraude querentem, interfecit, filiámque suam Eurydicem querelarum sociam, in custodiam tradit: atque ita vniuersa Cassandri domus Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas partim cæde, partim supplicio, partim parricidio luit. Demetrius quoque à tot exercitibus circumuentus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit.
B Finito bello, Ptolemæus cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra ius gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem, regnum tradiderat, eiúsque rei populo rationem reddiderat: cuius non minor fauor in accipiendo, quàm patris in tradendo regno fuerat. Inter cetera patris & filij mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorem populi iuueni conciliauerat, quòd pater regno ei publice tradito, priuatus officium regi inter satellites fecerat, omníque regoo pulchtius
C aegis esse patrem duxerat.

SED inter Lysimachum, & Pyrrhum regem, socios paulò ante aduersus Demetriũ, ASSIDVVM inter pares discordiæ malũ, bellum mouerat. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho Macedoniam occupauerat. Inde Thraciæ, ac deinceps Heracleæ bellum intulerat: cuius vrbis & initia & exitus admirabililes fuere, quippe Bœotiis pestilentia laborantibus oraculum Delphis responderat, coloniam in Ponti regione sacram Herculi conderẽt.
D Cum propter metum longæ ac periculosæ nauigationis, mortem in patria omnibus præoptantibus res omissa esset, bellum his Phocenses intulerunt: quorum cum aduersa prœlia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt, responsum, idem belli quod pestilentiæ, remedium fore. Igitur cõscripta colonorum manu, in Pontum delati, vrbem Heracleam condiderunt. Et quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati erant, breui tempore magnas opes parauere. Multa deinde huius
E vrbis aduersus finitimos bella, multæ etiam domesticæ dissensiones fuere. Inter cetera magnifica, vel præcipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur Athenienses, victísque Persis, Græciæ & Asiæ tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad præsidium salutis suæ conferẽtibus, soli Heraclienses ob amicitiam regum Persicorum, collationem abnuerant. Missus itaque ab Atheniensibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum quod negabator, num re-
F lictis in littore nauibus, agros Heracliensium populatur, classem cum maiore parte exercitus, naufragio repentinæ tempestatis amisit. Itaq; cum neque mari posset amissis nauibus, neque terra auderet, cum parua manu inter tot ferocissimas gẽtes, reuerti, Heraclienses honestiorem beneficij, quàm vltionis occasionem rati, instructos commeatibus, auxiliisque dimittunt: bene agrorum suorum populationem impensam existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent.

PASSI

PASSI sunt inter plurima mala, etiam tyrannidem: siquidem cum plebs etiam nouas tabulas, & diuisionem agrorum diuitum impotenter flagitaret, diu re in senatu tractata cum exitus rei non inueniretur; ad postremũ aduersus plebẽ nimio otio lasciuientem, auxilia à Timotheo Atheniẽsiũ duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petiuere. Vtrisque negantibus, ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt: tanta calamitatiũ necessitas fuit, vt cui patriam interdixerãt, eum ad tutelã patriæ reuocarent. Sed Clearchus exilio facinorosior redditus, & dissensionem populi occasionẽ inuadendę tyrannidis existimans, primo tacitus cum Mithridate ciuium suorum hoste colloquitur; & inita societate paciscitur, vt reuocatus in patriam prodita ei vrbe, præfectus eius constitueretur. Postea autem insidias, quas ciuibus parauerat, in ipsum Mithridatem verterat. Namque cum velut arbiter ciuilis discordiæ, de exilio reuersus esset, statutu tempore, quo vrbem Mithridati traderet, ipsum cum amicis suis cepit; captúmque, accepta ingenti pecunia, dimisit. Atque vt in illo subitum se ex socio fecit hostem, sic ex defensore senatorię causę, repente patronus plebis euasit; & aduersus auctores potentiæ suæ, à quibus reuocatus in patriam, per quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem accendit, verumetiam nefandissima quæque tyrannicæ crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem vocato, neque se affuturũ amplius grassanti in populum senatui, ait; intercessurum etiam, si in pristina sæuitia perseueret: quòd si pares se crudelitati senatorum arbitrarẽtur, abiturum cũ militibus suis, neque ciuilibus discordiis interfuturum; sin verò diffidãt viribus propriis, vindictæ se ciuium nõ defuturũ. Proinde consulant sibiipsis, iubeant abire se, si malint, vel causæ populari socium remanere. His verbis solicitata plebs, summũ ad eũ imperium defert: & dum senatus potentiæ irascitur, in seruitutem se tyrannicæ dominationis cum coniugibus & liberis tradit. Igitur Clearchus LX. senatores cõprehensos (nam ceteri in fugam dilapsi erant) in vincula cõpingit. Lætari plebs, quod à duce potissimum senatorum, senatus deleretur, versáque vice, auxilium eorum in exitiũ conuersum esse.

A Quibus dum mortem passim omnibus minatur, cariora eorum pretia facit: siquidem Clearchus magna pecunia (quasi minis populi occulte eos subtracturus) accepta, spoliatos fortunis, vita quoque spoliauit.

COGNITO deinde, quòd bellum sibi ab iis qui profugerant, misericordia in auxilium solicitatis ciuitatibus, pararetur, seruos eorum manumittit. Et ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, vxores eorũ, filiásque nubere seruis suis, B proposita recusantibus morte, compellit; vt eos sibi fidiores, & dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiæ, grauiores repentinis funeribus fuere. Itaq. multæ se ante nuptias, multæ in ipsis nuptiis, occisis prius nouis maritis, interficiunt, & se tam funestis calamitatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. Prœlium deinde committitur: quo victor tyrannus captiuos senatores in triumphi modum per ora ciuium trahit. Reuersus in vrbem, alios vincit, torquet a- C lios, alios occidit; nullus locus vrbis à crudelitate tyranni vacat. Accedit sæuitiæ insolentia, crudelitati arrogantia: interdũ enim ex successu continuæ felicitatis obliuiscitur se se hominem; interdum Iouis se filium dicit. Eũti per publicum, aurea aquila velut argumentum generis præferebatur: veste purpurea, & cothurnis regum tragicorum, & aurea corona vtebatur: filium quoque filiũ Ceraunon vocat, vt deos non mendacio tantum, verumetiam nominibus illudat. Hæc illum D facere, duo nobilissimi iuuenes Chion & Leonides indignantes, patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis philosophi; qui virtutem, ad quam quotidie præceptis magistri erudiebantur, patrię exhibere cupientes, quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. Ipsi more iurgantium, ad tyrãnum veluti ad regem in arcem contendunt: qui E iure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur. Sed & ipsi, sociis tardius auxiliũ ferentibus, à satellitibus obruuntur. Quare factũ est, vt tyrãnus quidẽ occideretur, sed patria nõ liberaretur. Nã frater Clearchi Satyrus eadẽ via tyrãnidẽ inuadit; multísque annis, per gradus successionis, Heraclienses sub regno tyrannorum fuere.

POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XVII.

PER idem ferme tempus in Hellesponti & Chersonesi regionibus terræmotus fuit: maxime tamen Lysimachia vrbs ante duos & viginti annos à Lysimacho, rege condita, euersa est. Quod portentum dira Lysimacho, stirpíq; eius, ac regni ruinam, cum clade vexatarum regionum portendebat. Nec ostentis fides defuit: nam breui post tempore, Agathoclem filium suum, quem in successionem regni ordinauerat, per quem multa bella prospere gesserat, non solùm patrium, verumetiam humanum vltra morem, perosus, mi- F nistra Arsinoë nouerca, veneno interfecit. Hæc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit. Nam parricidium, principum sequutæ cædes sunt, luentium supplicia, quod occisum iuuenem dolebant. Itaque & hi qui cædibus superfuerant, & hi qui exercitibus præerant, certatim ad Seleucum deficiũt; cúmque pronum iam ex æmulatione gloriæ, bellũ Lysimacho inferre compellunt. Vltimum hoc certamẽ cõmilitonum Alexãdri fuit, & velut ad exemplũ fortunæ par reseruatum. Lisimachus quatuor & LXX.

annos natus erat. Seleucus septem & LXX. Sed in hac ætate vtrique animi iuueniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. Quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, augustiis sibimet inclusi videbantur, vitæque finem non annorũ spatio, sed imperij terminis metiebantur.

IN eo bello Lysimachus amissis ante varijs casibus xv. liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Lætus tanta victoria Seleucus, & quod maius victoria putabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse; victorémque victorum extitisse, non humanũ esse opus, sed diuinum munus gloriatur: ignarus prorsus, non multo pòst, fragilitatis humanæ seipsum exemplũ futurum. Quippe post menses admodũ septẽ à Ptolemæo, cuius sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circũuetus occiditur; regnúmq; Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cũ vita pariter amittit. Igitur Ptolemæus cũ & in gratiã memoriæ magni Ptolemæi patris, & in fauorem vltionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primo Lisimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiásque Arsinoes sororis suæ matris eorum petit, puerorum adoptione promissa, vt cũ in locum patris eorum successisset, nihil illi moliri, vel verecundia matris, vel appellatione patris auderent. Fratris quoque regis Ægypti cõcordiam per epistolas deprecatur; professus deponere se offensam erepti paterni regni, neq; amplius à fratre quæsiturũ, quod honestius à paterno hoste pepercerit. Omnique arte adulatur Eumeni, & Antigono Demetrij filiis, Antiocho filio Seleuci, cum quibus bellum habitur⁹ erat, ne tertius sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus rex Epiri omissus, ingens momentũ futur⁹, vtri parti socius accessisset, qui & ipse spoliare singulos cupiẽs, omnibus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis aduersus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naues, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit; ab Antiocho pecuniam, qui opibus quã militibus instructior erat; à Ptolemæo Macedonum militum auxilia. Sed Ptolemæus, cui nulla dilationis ex infirmitate virium venia esset, quinque millia peditum, equitum IIII. millia, elephãtos quinquaginta, non amplius, quam in biennij vsum dedit. Ob hæc Pyrrhus, filia Ptolemæi in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit: nec abducta in Italiam iuuentute, prædam hostibus regnum relinqueret.

SED quoniam ad Epiri mentionem ventum est, de origine regni eius pauca narranda sunt. Molossorum primum in ea regione regnum fuit. Pòst Pyrrhus Achillis filius, amisso per absẽtiam, Troianis temporibus, paterno regno, in his locis concedit, qui Pyrrhidæ primo, postea Epirotæ dicti sunt. Sed Pyrrhus cum in templum Dodonæi Iouis ad consulendum venisset, ibi Lanassam neptem Herculis rapuit: ex cuius matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nõnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, opésque affinitatium auxilio magnas parauit: atque ita Heleno filio Priami regis, ob industriam singularem, regnum Chaonum, & Andromachen Hectoris, quam & ipse matrimonio suo in diuisione Troianæ prædæ acceperat, vxorem tradidit: breuique pòst tempore, Delphis insidiis Orestæ filij Agamemnonis, inter altaria dei interiit. Successor huic Pialis filius fuit. Per ordinem deinde, regnum ad Arrybã descẽdit: cui, quoniam pupillus & vnicus ex gẽte nobili superesset, intentiore omnium cura seruandi eius, educandíque, publice tutores constituũtur: Athenas quoque erudiendi gratia missus, quanto doctior maioribus suis, tãto & gratior populo fuit. Primus itaque leges, & senatum, annuósque magistratus, & reipub. formam composuit: & vt à Pyrrho sedes, sic vita cultior populo ab Arryba statuta. Huius filius Neoptolemus fuit: ex quo nata est Olympias, mater Alexandri Magni, & Alexander, qui post eum regnum Epiri tenuit; & in Italia bello gesto, in Brutiis interiit. Post eius mortem frater Æacides regno successit, qui assiduis aduersus Macedonas bellorum certaminibus populum fatigando, offensam ciuium contraxit, ac propterea in exilium actus, Pyrrhum filium viuum, admodum paruulum in regno reliquit: & ipse cum à populo propter odium patris ad necem quæreretur, furtim subtractus in Illyricos defertur; traditúsque est Beroę, Glauci regis vxori nutriendus, quę & ipsa generis Æacidarũ erat. Ibi cum seu misericordia fortunæ eius, seu infantilibus blãdimentis inductus, rex aduersum Cassandrum Macedoniæ regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu protexit, addito in auxilium etiam adoptionis officio. Quibus rebus moti Epirotæ, odio in misericordiã verso, annorum XI. eum in regnum reuocauerunt, datis tutoribus, qui regnum vsque ad adultam eius ætatem tuerentur. Adulescens deinde multa bella gessit tãtúsque rerum successu haberi cœptus est, vt Tarentinos solus aduersus Romanos tueri posse videretur.

POMPEII TROGI EPITOMA

HISTORIARVM

LIBER XVIII.

IGITVR Pyrrhus rex Epiri, cum iterata Tarentinorum legatione, additis Samnitium & Lucanorum precibus, & ipsis auxilio aduersus Romanos indigentibus, fatigaretur, non tam supplicium precibus, quam spe inuadendi Italiæ imperij inductus, venturum se cum exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum semel animum, pręcipitem agere cœperant exempla maiorum: ne aut inferior patruo suo Alexãdro videretur, quo defensore iidem Tarentini aduersus Bruttios vsi fuerant; aut minores animos Magno Alexandro habuisse, qui tam longa à domo militia

Orientem

Orientem subegit. Igitur relicto custode regni filio Ptolemæo, annos xv. nato, exercitum in portu Tarentino exponit, duobus paruulis filiis, Alexandro & Heleno, in solatia longinquæ secum expeditionis adductis. Cuius audito aduentu, Consul Romanus Valerius Læuinus festinãs, vt prius cũ eo congrederetur quàm auxilia sociorum conuenirent, exercitum in aciem educit: Nec rex, tametsi numero militum inferior esset, certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes iam, inusitata ante elephantorum forma stupere primo, mox cedere prœlio coëgit, victoresque iam noua Macedonum monstra repente vicerunt. Nec hostib. incruenta victoria: nam & ipse Pyrrhus grauiter vulneratus est; & magna pars militum eius cæsa; maioremque gloriam eius victoriæ, quam lætitiam habuit. Huius pugnæ euentum multæ ciuitates secutæ, Pyrrho se tradunt. Inter ceteras etiam Locri, prodito præsidio Romano, ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea præda Pyrrhus c c. captiuos milites Romã gratis remisit, vt cognita virtute eius, Romani cognoscerent etiã liberalitatẽ. Interiectis deinde diebus, cum sociorum exercitus superuenisset, iterato prœlium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit.

INTEREA Mago, dux Carthaginensium, in auxilium Romanorum cum cxx. nauibus missus, senatum adiit, ægre tulisse Carthaginenses, affirmans, quòd bellum in Italia à peregrino rege paterentur: Ob quam causam missum se, vt quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis iuuarentur. Gratiæ a senatu Carthaginiensibus actæ, auxiliáque remissa. Sed Mago Punico ingenio, post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adiit speculaturus cõsilia eius de Sicilia, quo eum arcessiri fama erat. Nam Romanis eadem causa mittendi auxilij Carthaginiẽsibus fuerat, vt Romano bello, ne in Siciliam transire posset Pyrrhus, in Italia detineretur. Dũ hæc aguntur, legatus à senatu Romano Fabricius Luscinus missus, pacem cũ Pyrrho composuit. Ad quam confirmãdam, Cyneas Romam cum ingentibus à Pyrrho donis missus, neminem, cuius domus muneribus pateret, inuenit. Huic continentiæ Romanorum simile exemplũ, iisdem ferme temporibus fuit. Nam missi à senatu in Ægyptum legati, cum ingentia sibi à Ptolemæo rege missa munera spreuissent, interiectis diebus ad cœnam inuitatis, aureæ coronæ missæ sunt, quas illi honoris causa receptas, postera die statuis regis imposuerunt. Igitur Cyneas cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiasset, interrogatus à Pyrrho, qualis Roma esset, respõdit, REGVM vrbem sibi visam. Post hæc legati Siculorum superueniunt, tradentes Pyrrho totius insulæ imperium, quæ assiduis Carthaginiensium bellis vexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio, firmatisque sociorum ciuitatibus valido præsidio, in Siciliam exercitum traiecit.

ET quoniam ad Carthaginiensium mentionẽ ventum est, de origine eorum pauca dicenda sũt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens cõdita à Phœnicibus fuit, qui terræmotu vexati, relicto patriæ solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi vrbe, quam à piscium vbertate, Sidona appellauerunt: nam piscem Phœnices sidon vocant. Post

A multos deinde annos à rege Ascaloniorum expugnati, nauibus appulsi, Tyron vrbem ante annũ Troianæ cladis condiderunt: ibi Persarum bellis diu, variéque fatigati, victores, quidem fuere; sed attritis viribus, à seruis suis multitudine abundãtibus, indigna supplicia permissi sunt: qui cõspiratione facta, omnem liberum populum cũ dominis interficiunt; atque ita potiti vrbe, lares dominorum occupant, rempubl. inuadunt, cõiuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreãt.

B Vnus ex tot millibus seruorum fuit: qui miri ingenii, senis domini, paruulique filij eius fortuna moueretur; dominósq; non truci feritate, sed piæ misericordiæ humanitate respiceret. Itaque cum velut occisos alienasset, seruisque de statu reipubl. deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creari, cúmque potissimum quasi acceptissimum diis, qui solem Orientem primus vidisset, rem ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab eo formatus, cum medio noctis omnes in vnum campum

C processissent, ceteris in Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur. Id primũ aliis videri furor, in Occidente solis ortum quærere: vbi verò dies aduentare cœpit, editissimisq; culminibus vrbis oriens splendere, exspectantibus aliis, vt ipsum solem aspicerent, hic primus omnibus fulgorem solis in summo fastigio ciuitatis ostendit. Non seruilis ingenij ratio visa; requirentibúsque auctorem, de domino confitetur.

D Tunc intellectum est: QVANTVM ingenua seruilibus ingenia præstarent; malitiáque seruos, non sapientia vincere. Igitur venia seni filióque data est; & velut numine quodam reseruatos arbitrantes, regem Stratonem creauerũt. Post cuius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes trãsiit. Celebre hoc seruorum facinus, metuendúmque exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus, cum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, velut vltor publicæ se-

E curitatis, expugnata eorum vrbe, omnes qui prœlio superfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit; genus tantum Stratonis inuiolatum seruauit, regnúmque stirpi eius restituit, ingenuis & innoxiis incolis insulæ attributis, vt, exstirpato seruili germine, genus vrbis rex integro conderetur.

Hoc igitur modo Tyrij Alexandri auspiciis conditi, parcimonia & labore quærendi cito cõualere. Ante cladem dominorum cum & opibus,

F & multitudine abundarent, missa in Africam iuuentute, Vticam condidere: cum interim rex Tyro decedit, filio Pygmalione, & Elissa filia, insignis formæ virgine, heredibus institutis. Sed populus Pygmalioni admodũ puero regnum tradidit. Elissa quoq; Acerbæ auunculo suo, sacerdoti Herculis, qui honos secundus à rege erat, nubit. Huic magnæ, sed dissimulatæ opes erant; aurúmque metu regis non tectis, sed terræ crediderat: quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen

G loquebatur. Qua incẽsus Pygmalion, oblitus iuris humani, auunculum suum, eundémque generum, sine respectu pietatis occidit. Elissa diu fratrem propter scelus auersata, ad postremum dissimulato odio, mitigatóque interim vultu, fugam tacito molitur, assumptis quibusdam principibus in societatem, quibus par odium in regem esse, eandémque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo aggreditur, fingit se ad eum

migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidę obliuionis, grauem luctus imaginem renouaret, néve vltra amara admonitio oculis eius occurrat. Non inuitus Pygmalion verba sororis audiuit, existimans cum ea & aurum Acerbæ ad se venturum. Sed Elissa ministros migrationis à rege missos, nauibus cum omnibus opibus suis prima vespera imponit, prouectáque in altum, cōpellit eos onera harenæ pro pecunia inuolucris inuoluta, in mare deiicere. Tunc deflens ipsa, lugubríque voce Acerbam ciet; orat, vt libens opes suas recipiat, quas reliquerat; habeátque inferias, quas habuerat causam mortis. Tunc ipsos ministros aggreditur: sibi quidem ait optatam olim mortem, sed illis acerbos cruciatus, & dira supplicia imminere, qui Acerbæ opes, quarū spe parricidium rex fecerit, auaritiæ tyranni subtraxerint. Hoc metu omnibus iniecto, comites fugę accepit. Iunguntur & senatorum in eam noctem præparata agmina; atque ita sacris Herculis, cuius sacerdos Acerbas fuerat, repetitis exilio sedes quærunt.

PRIMVS illis appulsus terræ, Cyprus insula fuit: vbi sacerdos Iouis, cum coniuge & liberis, deorum monitu, comitem se Elissæ sociúmque præbuit, pactus sibi posterísque perpetuum honorem sacerdotij: Conditio pro manifesto omine accepta. Mos erat Cypriis, virgines ante nuptias statutis diebus dotalē pecuniam quæsituras, in quæstum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. Harum igitur ex numero LXXX. admodum virgines raptas nauibus imponi Elissa iubet; vt & iuuentus matrimonia, & vrbs subolem habere posset. Dum hæc agūtur, Pygmalion cognita sororis fuga, cùm impio bello fugientem persequi pararet, ægrè precibus matris, & deorum minis victus, quieuit: cui cum inspirati vates canerent, non impune laturum: si incremēta vrbis toto orbe auspicatissimæ interpellasset, hoc modo spatiū respirandi fugientibus datum. Itaque Elissa delata in Africæ sinum, incolas loci eius, aduentu peregrinorum, mutuarúmque rerū cōmercio gaudentes, in amicitiam solicitat: deinde empto loco, qui corio bouis tegi posset, in quo fessos lōga nauigatione socios, quoad proficisceretur, reficere posset; coriū in tenuissimas partes secari iubet, atque ita maius loci spacium quam petierat, occupat: vnde postea ei loco Byrsæ nomen fuit. Cōfluentibus deinde vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant; sedésque ibi statuētibus, ex frequentia hominum velut instar ciuitatis effectum est. Vticensium quoque leti, dona vt consanguineis attulerunt; hortatíque sunt, vrbem ibi conderēt, vbi sedes sortiti essent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Itaque consentientibus omnibus, Carthago conditur, statuto annuo vectigali pro solo vrbis. In primis fundamentis caput bubulū inuentum est: quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ, perpetuóque seruæ vrbis fuit: propter quod in alium locum vrbis translata. Ibi quoque equi caput repertum, bellicosum potentémque populum futurum significans, vrbi auspicatam sedem dedit. Tunc ad opinionem nouæ vrbis cōcurrentibus gentibus, breui & populus, & ciuitas magna facta.

CVM successu rerum florentes Carthaginia opes essent, rex Maxitanorum Hiarbas decem Pœ-

A norum principibus ad se accessitis, Elissę nuptias sub belli denuntiatione petit: quod legati reginæ referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt; nuntiantes regem aliquem poscere, qui cultiores victus eum, Afrósque perdoceat: sed quem inueniri posse, qui ad Barbaros & ferarum more viuentes transire à consanguineis velit? Tunc à regina castigati, si pro salute patriæ asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur: regis mandata aperuere, dicentes, B quæ præcipiat aliis, ipsi facienda esse, si velit vrbi consultum esse. Hoc dolo capta, diu Acerbæ viri nomine cum multis lacrymis & lamentatione flebili inuocato, ad postremum ituram se quò suę vrbis fata vocarent, respondit. In hoc trium mensium sumpto spatio, pyra in vltima parte vrbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiásque ante nuptias missura, multas hostias cædit, & sumpto gladio pyram cōscendit; atque ita ad populum respiciens, ituram se ad virum, sicut præ- C ceperant, dixit, vitámque gladio finiuit. Quandiu Carthago inuicta fuit, pro dea culta est. Condita est vrbs hæc LXXII. annis ante quam Roma; cuius virtus sicut bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est. Cum inter cetera mala, etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio vsi sunt. Quippe homines, vt victimas, immolabant; & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam prouocat) aris admouebant, pacem deorum D sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dij rogari maxime solent.

ITAQVE aduersis tanto scelere numinibus, cum in Sicilia diu feliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello, amissa maiore exercitus parte, graui prœlio victi sunt. Propter quod ducem suum Malcum, cuius auspiciis & Siciliæ partem domuerant, & aduersus Afros magnas res gesserant, cum parte exercitus, superfuerat, exulare iusserunt. Quam rem ægrè ferētes milites, legatos E Carthaginem mittūt, qui reditū primo, veniámque infelicis militię petant; tum denuntiēt, quod precibus nequeant, armis se consecuturos. Cum & preces & minæ legatorum spretæ essent, interiectis diebus, conscensis nauibus, armati ad vrbem veniunt: ibi deos, hominésque testari non se expugnatum, sed reciperatum patriam venire; ostensurósque ciuibus suis, non virtutem sibi priore bello, sed fortunam defuisse. Prohibitis commeatibus, obsessáque vrbe, in summam de- F sperationem Carthaginienses addduxerunt. Interea Cartalo Malei exsulis ducis filius, cum præter castra patris à Tyro, quò decimas Herculis ferre, ex pręda Siciliēsi, quam pater eius ceperat, à Carthaginiensibus missus fuerat, reuerteretur, accersitúsque à patre esset, prius publicæ se religionis officia executurum quàm priuatæ pietatis, respondit. Quam rem si & indigne ferret pater, non tamen vim afferre religioni ausus est. Interiectis deinde diebus, Cartalo petito commeatu à G populo, cum reuersus ad patrem esset; ornatúsque purpura, & infulis sacerdotij, omnium se oculis ingereret, tūc in secretum abducto pater ait, Ausúsne es, nefandissimū caput, ista purpura & auro ornatus, in conspectū tot miserorum ciuiū venire? & mœsta ac lugentia castra circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus, velut exultabundus intrare; Nusquámne te aliis iactare potuisti? Nullus locus aptior, quā sordes patris, & exilij infelicis erum-

cis erũnæ fuerũt: Quid,quòd paulo ante vocatus nou dico patrē, ducē certe ciuiũ tuorum ſuperbe ſpreuiſti: qoid porro tu in purpura iſta coronáſq; aliud, quàm victoriarũ meatũ titulos geris? Quoniam igitur tu in parte nihil niſi exſulis nomē agnoſcis, ego quoq; imperatorem me magis, quam patrem iudicabo; ſtatuámque iu te exemplum, ne quis poſthac infelicibus miſeriis patris illudat. Atque ita eum cum ornatu ſuo,in altiſſimā crucem in conſpectu vrbis ſuffigi iuſſit. Poſt paucos deinde dies Carthaginem capit: euocatóque populo ad concionem, exilij iniuriam queritur: belli neceſſitatem excuſat: contentúmque victoria, ſua punitis auctoribus miſerorum ciuiũ, iniurioſi exilij omnibus ſe veniam dare dicit. Atque ita decem ſenatoribus interfectis, vrbem legibus ſuis reddidit. Nec multo poſt ipſe affectati regni accuſatus, duplicis & in filio & in patria parricidij pœnas dedit. Huic Mago imperator ſucceſſit,cuius induſtria, & opes Carthagi nienſium,& imperij fines, & bellicæ gloriæ laudes creuerunt.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XIX.

MAgo Carthaginienſium imperator, cum primus omnium ordinata diſciplina militari,imperium Pœnorum condidiſſet, viréſque ciuitatis non minus bellandi arte quàm virtute firmaſſet, diem fungitur, relictis duobus filiis Haſdrubale & Hamilcare: qui per veſtigia paternæ virtutis decurrentes, ſicuti generi, ita & magnitudini patris ſucceſſerunt. His ducibus Sardiniæ bellum illatum: aduerſus Afros quoque vectigal pro ſolo vrbis multorum annorum repetentes,dimicatum: ſed Afrorum ſicuti cauſa iuſtior, ita & fortuna ſuperior fuit; bellúmque cum his ſolutione pecūniæ non armis finitum. In Sardinia quoque Haſdrubal grauiter vulneratus imperio Hamilcari fratri tradito interiit. cuius mortem, cum luctus ciuitatis, tum & dictaturæ vndecim, & triumphi quatuor inſignem fecere: hoſtibus quoque creuere animi, veluti cum duce vires Pœnorum cecidiſſent. Itaque Siciliæ populis propter aſſiduas Carthaginienſium iniurias, ad Leonidam fratrem regis Spartanorum concurrentibus, graue bellum natum: in quo & diu, & varia victoria prœliatum fuit.Dum hæc aguntur,legati à Dario Perſarum rege Carthaginem venerunt,afferentes edictum, quo Pœni humanas hoſtias immolare, & canina veſci prohibebantur; mortuorúmque corpora cremare potius, quàm terra obruere à rege iubebantur; petentes ſimul auxilia aduerſus Græciam, cui illaturus bellum Darius erat. Sed Carthaginienſes auxilia negantes,propter aſſidua finitimorum bella, ceteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

INTEREA Hamilcar bello Siciliēſi interficitur, relictis tribus filiis,Imilcone,Hannone,Giſcone. Haſdrubali quoque par numerus filiorum fuit, Annibal,& Haſdrubal, & Sappho. Per hos res Carthaginienſium ea tempeſtate gerebantur. Itaque & Mauris bellum illatum,& aduerſus Numidas pugnatum, & Afri compulſi ſtipendium vrbis conditæ Carthaginienſibus remittere. Dein cum familia tanta imperatorum grauis liberæ ciuitati eſſet, omniáque ipſi agerent ſimul & iudicarent, centum ex numero ſenatorum iudices deliguntur, qui reuerſis à bello ducibus, rationem rerum geſtarum exigerent, vt hoc metu ita in bello imperia cogitarent,vt domi iudicia legéſque reſpicerent. In Sicilia in locum Hamilcaris, imperator Imilco ſuccedit: qui cum nauali terreſtríque bello ſecunda prœlia feciſſet, multáſque ciuitates cepiſſet, repente peſtilentis ſideris vi exercitum amiſit. Quæ res cùm nuntiata Carthagini eſſet, mœſta ciuitas fuit; omnia vlulatibus, non ſecus ac ſi vrbs ipſa capta eſſet, perſonabant; clauſæ priuatæ domus, clauſa deorum templa, intermiſſa omnia ſacra, omnia priuata officia damnata; cuncti deinde ad portam congregantur, egredientéſque paucos è nauibus, qui cladi ſuperfuerant, de ſuis percontantur. Vt verò dubia antea ſpe, & ſuſpenſo metu, incerta orbitatis exſpectatione,caſus ſuorum miſeris eluxit, tunc toto littore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum vlulatus,& flebiles querelæ audiebantur.

INTER hæc procedit inops è naui ſua imperator, ſordida, ſeruilique tunica diſcinctus: ad cuius conſpectum plangentium agmina iungitur. Ipſe quoque manus ad cælum tendens, nunc ſortem ſuam, nunc publicam fortunam deflet, nunc deos accuſat, qui tanta belli decora, & tot ornamenta victoriarum, quæ ipſi dederant, abſtulerint; qui captis tot vrbibus, totiéſque hoſtibus terreſtri nauali que prœlio victis, exercitum victorem non bello, ſed peſte deleuerint: ferre ſe tamen ciuibus ſuis non modica ſolatia, quod malis eorum hoſtes gaudere,non gloriari poſſent. Quippe cum neque eos qui mortui ſunt, à ſe occiſos, neque eos qui reuerſi ſunt, à ſe fugatos poſſint dicere. Prædam quam relictis à ſe caſtris, abſtulerint, non eſſe talem, quam velut ſpolium victi hoſtis oſtentent,ſed quam poſſeſſione vacua,fortuitis dominorum mortibus, ſicuti caduca occupatint. Quod ad hoſtes pertinet: victores ſe receſſiſſe; quòd ad peſtem, victos: nihil tamen ſe grauius ferre, quàm quòd inter fortiſſimos viros mori non potuerit,ſeruatúſque ſit non ad vitæ iucunditatem, ſed ad ludibrium calamitatis: Quamquam vbi miſeras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, ſe quoque ſequuturũ commilitones ſuos; oſtenſurúmque patriæ, non ideo ſe in eam diem vixiſſe, quoniam velit

viuere; sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostium exercitus relictos, morte sua proderet. Tali vociferatione per vrbem ingressus, vt ad limina domus suæ venit, prosecutam multitudinem velut postremo alloquio dimisit; obseratisque foribus, ac nemine ad se, ne filiis quidem admissis, mortem sibi consciuit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XX.

DIONYSIVS è Sicilia Carthaginiensibus pulsis, occupatóque totius insulæ imperio, graue otium regno suo, periculosámque desidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam traiecit; simul vt militũ vires continuo labore acuerentur, & regni fines proferrentur. Prima illi militia aduersus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebãt, fuit: quibus deuictis, finitimos quosq; aggreditur, omnésq. Græci nominis Italiã possidentes, hostes sibi destinat: quæ gentes non partẽ, sed vniuersam ferme Italiam ea tempestate occupauerant. Deniq; multæ vrbes adhuc post tantam vetustatem vestigia Græci moris ostentant. Námque Thuscorũ populi, qui oram inferi maris possident, à Lydia venerunt: & Venetos, quos incolas superi maris videmus, capta & expugnata Troia, Antenore duce, misit: Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, Græca vrbs est: Arpos Diomedes exciso Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. Sed & Pisæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Thuscis, Tarquinij à Thessalis & Spinambris: Perusini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Cerem vrbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Ænea conditi videntur? Iam Falisci, Nolani, Abelani, nónne Chalcidensium coloni sũt? Quid tractus omnis Campaniæ? Quid Brutij, Sabinique? Quid Sãnites? Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, Spuriósque vocatos accepimus? Thurinorum vrbem condidisse Philocteten ferunt, ibíque adhuc monumentum eius visitur, & Herculis sagittæ in Appollinis templo, quæ fatum Troiæ fuere.

METAPONTINI quoque in templo Mineruæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, equum Troianũ fabricauit, ostentãt: propter quod omnis illa pars Italię, maior Gręcia appellata est. Sed principio originum Metapõtini cum Sybaritanis & Crotoniẽsibus pellere ceteros Græcos Italia statuerunt. Cum primum vrbem Sirim cepissent, in expugnatione eius quinquaginta iuuenes amplexos Mineruæ simulacrum, sacerdotémque deę velatũ ornamentis, inter ipsa altaria trucidauerunt. Ob hęc cum peste & seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt. Responsum his est, finem mali fore, si violatum Mineruæ numen, & interfectorum manes placassent. Itaque cum statuas iuuenibus iustæ magnitudinis, & in primis Mineruæ fabricare cœpissent, Metapontini cognito oraculo deorum, occupandam manium & deæ pacem rati, iuuenibus modica & lapidea simulacra ponunt, & deam panificiis placant. Atque ita pestis vtrubique sedata est, cum alteri magnificentia, alteri velocitate certassent: Recuperata sanitate, nõ diu Crotonienses quieuere. Itaque indignantes in oppugnatione Siris auxilium contra se à Locrensibus latum, bellum his intulerunt. Quo metu territi Locrẽses, ad Spartanos decurrunt; auxilium supplices deprecantur. Ibi longinqua militia grauati, auxilium à Castore & Polluce petere eos iubent. Neque legati responsum sociæ vrbis spreuerunt: profectique in proximum templũ, facto sacrificio, auxilium deorum implorant, litatis hostiis, obtentóque, vt rebantur, quod petebant, haud secus læti, quàm si deos ipsos secum aduecturi essent; puluinaria iis in naui componunt, faustisque profecti omnibus, solatia suis pro auxiliis deportant.

HIS cognitis, Crotonienses & ipsi legatos ad oraculũ Delphos mittunt, victoriæ facultatem, belliq; prosperos euentus deprecãtes: responsum, prius votis hostes, quam armis vincendos. Cum vouissent Apollini decimas prædæ, Locrenses & voto hostium, & responso dei cognito, nonas vouerunt, tacitámq; eam rem habuere, ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem processissent, & Crotoniensium centum viginti millia armatorũ constitissent, Locrẽses paucitatem suam circunspicientes (nam sola quindecim millia militum habebãt) omissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirant; tantúsque ardor ex desperatione singulos cepit, vt victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærũt, feliciter vicerunt: Nec alia causa victoriæ fuit, quàm quòd desperauerunt. Pugnantibus Locris, aquila ab acie nunquam recessit, eósque tamdiu circumuolauit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo iuuenes diuerso à ceteris armorum habitu, eximia magnitudine, & albis equis, & cocciueis paludamentis, pugnare visi sunt, nec vltra apparuerunt, quàm pugnatum est. Hanc admirationẽ auxit incredibilis famę velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatũ est, & Corintho, & Athenis, & Lacedęmonę nuntiata est victoria.

POST hæc Crotoniensibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. Oderãt enim quæ infeliciter sumpserant; mutassentque vitam luxuria, ni Pythagoras philosophus fuisset. Hic Sami Demarato locuplete negotiatore natus, magnisque sapientiæ incrementis ornatus, Ægyptũ primò, mox Babyloniam ad perdiscẽdos siderum motus, originémque mũdi spectãdam profectus, summam scientiam consequutus erat. Inde regressus, Cretam & Lacedæmona ad cognoscendas Minois & Lycurgi inclitas ea tempestate leges,

leges, contenderat. Quibus omnibus instructus, A Crotonam venit, populúmq; in luxuriam lapsũ, auctoritate sua ad vsũ frugalitatis reuocauit. Laudabat quotidie virtutem; & vitia luxuriæ, casúsq. ciuitatium ea peste perditarum enumerabat, tantúmque studium ad frugalitatem multitudinis prouocauit, vt aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque separatam à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, & obsequia in viros; nunc illos modestiam, & lit- B terarum studium. Inter hæc velut GENITRICEM virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, consecutúsque disputationum assiduitate erat, vt matronæ auratas vestes, ceteráque dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ deponerent, eáq; omnia delata in Iunonis ædem ipsi deæ cõsecrarent, præ se ferentes, VERA ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. In iuuentute quoque quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. Sed CCC. C ex iuuenibus cum sodalitij iure sacramento quodam nexi, separatam à ceteris ciuibus vitam exercerent, quasi cœtum clandestinæ coniurationis haberent, ciuitatem in se conuerterunt, quæ eos, cum in vnam domum conuenissent, cremare voluit. In quo tumultu LX. ferme periere, ceteri in exilium profecti. Pythagoras autem cum annos XX. Crotonæ egisset, Metapontum migrauit, ibique decessit: cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo eius templum facerent; eúmque pro deo co- D lerent.

IGITVR Dionysius tyrannus, quem supra à Sicilia exercitum in Italiá traiecisse, bellúmq. Græcis intulisse memorauimus, expugnatis Locris, Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade resumentes, aggreditur: qui fortius cum paucis tanto exercitui eius, quam antea cum tot millibus Locrensium paucitati restiterunt. TANTUM virtutis paupertas aduersus insolentes diuitias habet, tantóque insperata interdum sperata victoria certior est. Sed Dionysium gerentẽ bellum, legati Gallorum, qui ante menses Romam incenderant, societatem, amicitiámque petentes adeunt; gentem suam inter hostes eius positam esse, magnóq. vsui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prœlium hostibus affirmant. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro restaurat. Iis autem Gallis causa in Italiá veniendi, sedésq. nouas quærẽdi intestina discordia, & assiduæ domi dissensiones fuere: quarũ tædio, cum in Italiam venissẽt, sedibus Thuscos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Thusci quoque, duce Rheto, auitis sedibus amissis, Alpes occupauere; & ex nomine ducis gentes Rhetorum condiderunt. Sed Dionysium in Siciliam aduentus Carthaginensium reuocauit: qui reparato exercitu, bellum quod lue deseruerant, auctis viribus repetebant. Dux belli Hanno Carthaginiensis erat: cuius inimicus Suniatus potentissimus ea tempestate Pœnorum, cum odio eius, Græcis literis Dionysio aduentum exercitus, & segnitiem ducis familiariter prænuntiasset, comprehensis epistolis proditionis damnatur: facto senatuscõsulto, ne quis postea Carthaginiensis, aut literis Græcis, aut sermoni studeret, ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete posset. Nec multo post Dionysius, quem paulo ante non Sicilia, non Italia capiebat, assiduis belli certaminibus victus, fractúsque, insidiis ad postremum suorum interficitur.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM
LIBER XXI.

EXTINCTO in Sicilia Dionysio tyranno; in E locum eius milites maximum natu ex filiis eius, nomine Dionysium, sufficere; & naturam eius secuti, & quòd firmius futurum esse regnum, si penes vnum remansisset, quàm si portionibus inter plures filios divideretur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni, auunculos fratrum suorum, velut æmulos imperij sui, hortatorésque puerorum ad diuisionem regni, tollere gestiebat. Quare paulisper dissimulatum animum prius ad fauorem popularium conciliandum F intendit; excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur nexorum tria millia è carcere dimittit; tributa populo per triennium remittit; & quibuscumque delinimentis potest, animos omnium solicitat. Tunc ad destinatum facinus conuersus, non cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos fratres interficit: vt quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrãnidẽ in suos prius quàm in exteros auspicans.

SVBLATIS deinde æmulis, in segnitiam lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorúmque valitudinem contraxit; adeo vt non solem, non puluerem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset. Propter quæ dum contemni se putat, sæuitia grassatur; nec vt pater carcerem nexis, sed cædibus ciuitatem replet: ob quæ non contemptior omnibus, quàm inuisior fuit. Itaque cum bellum aduersus eum Syracusani decreuissent, diu dubitauit, imperium deponeret, an bello resisteret: sed à militibus prædam & vrbis direptionem sperantibus, descendere in prœlium cogitur. Victus, cùm iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eũ quibuscum sibi de pace conueniret. In quam rem missos primores, in carcere retinet; atque ita incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam ciuitatem mittit. Fit igitur in ipsa vrbe anceps prœlium: in quo oppi-

danis multitudine ſuperantibus, Dionyſius pelli- A
tur: qui cum obſidionem arcis timeret, cũ omni
regio apparatu in Italiam profugit tacitus. Exul
à Locrenſibus ſociis exceptus, velut iure regna-
ret, arcem occupat; ſolitámque ſibi ſæuitiam ex-
ercet: Coniuges principum ad ſtuprum rapi iu-
bebat, virgines ante nuptias abducebat, ſtupratáſ-
que ſpõſis reddebat; locupletiſſimos quoſque aut
ciuitate pellebat, aut occidi imperabat, bonáque
eorum inuadebat.

DEIN cum rapinæ occaſio deeſſet, vniuerſam B
ciuitatem callido commento circumuenit. Cum
Rheginorum tyranni Leophronis bello Locren-
ſes premerentur, vouerant, ſi victores forent, vt
die feſto Veneris virgines ſuas proſtituerẽt. Quo
voto intermiſſo, cum aduerſa bella cum Lucanis
gererent, in cõcionem eos Dionyſius vocat; hor-
tatur vt vxores filiáſque ſuas in templum Vene-
ris, quàm poſſint ornatiſſimas mittant: ex quibus
ſorte ductæ centum, voto publico fungantur, re-
ligioniſque gratia, vno ſtent in lupanari menſe, C
omnibus ante iuratis viris, ne quis vllam attami-
net: Quæ res ne virginibus, voto ciuitatem ſoluẽ-
tibus, fraudi eſſet, decretum facerent, ne qua vir-
go nuberet, priuſquam illæ maritis traderentur.
Probato conſilio, quo & ſuperſtitioni & pudici-
tiæ virginum conſulebatur, certatim omnes fe-
minæ impenſius exornatæ, in templum Veneris,
conueniũt: quas omnes Dyonyſius immiſſis mi-
litibus ſpoliát, ornamentáq; matronarum in præ-
dam ſuam vertit. Quarumdam viros ditiores in- D
terficit, quaſdam ad prodendas virorum pecunias
torquet. Cùm his artibus per annos ſex regnaſſet,
conſpiratione Locrorum ciuitate pulſus, in Si-
ciliam redit. Ibi Syracuſas ſecuris omnibus, poſt
longam intercapedinem pacis, per proditionem
recepit.

DVM hæc in Sicilia geruntur, interim in Afri-
ca princeps Carthaginienſium Hanno opes ſuas,
quibus vires reipub. ſuperabat, ad occupandam
dominationem intendit, regnúmque inuadere, E
interfecto ſenatu, conatus eſt. Cui ſceleri ſollem-
nem nuptiarum diem filiæ ſuæ legit, vt religione
votorum, nefanda commenta facilius tegeren-
tur. Itaque plebi epulas in publicis porticibus, ſe-
natui in domo ſua parat, vt poculis veneno infe-
ctis, ſecretius ſenatum, & ſine arbitris interfice-
ret, orbámque rempub. facilius inuaderet. Qua re
magiſtratibus per miniſtros prodita, ſcelus decli-
natum, non vindicatum eſt, ne in viro tam poten-
ti plus negotij faceret res cognita, quam cogitã-
ta. Contenti itaque cohibuiſſe, decreto modum F
nuptiarum ſumptibus ſtatuunt; idque obſeruari
non ab vno, ſed ab vniuerſis iubent, ne perſona
deſignata, non vitia correcta viderentur. Hoc
conſilio præuentus, iterum ſeruitia concitat, ſta-
tutáque rurſus cædium die, cum denuo ſe pro-
ditum videret, timens iudicium, munitum quod-
dam caſtellum cum viginti millibus ſeruorum

armatis occupat. Ibi dum Afros, regémque Mau-
rorum concitat, capitur, virgíſque cæſus, effoſſis
oculis, & manibus crurib úſque fractis, velut à
ſingulis membris pœnæ exigerentur, in conſpe-
ctu populi occiditur; corpus verberibus lacerum
in crucem figitur. Filij quoque, cognatique
omnes, etiam innoxij, ſupplicio traduntur, ne
quiſquam aut ad imitandum ſcelus, aut ad
mortem vlciſcendam, ex tam nefaria domo ſu-
pereſſet.

INTEREA Dionyſius Syracuſis receptus, cùm
grauior crudeliórque in dies ciuitati eſſet, itera-
ta conſpiratione obſidetur. Tunc depoſito impe-
rio, arcem Syracuſanis cum exercitu tradidit: re-
ceptóque priuato inſtrumento, Corinthum in
exilium proficiſcitur. Ibi humillima quæque tu-
tiſſima exiſtimans, in ſordidiſſimum vitæ genus
deſcendit: non contentus in publico vagari, ſed
potare; nec conſpici in popinis, lupanaribúſque,
ſed totis diebus deſidere; cum perditiſſimo quo-
que de minimis rebus diſceptare, pannoſúſque,
& ſqualidus incedere; riſum libentius præbere,
quàm captare; in macello perſtare; quod emere
non poterat, oculis deuorare; apud Ædiles aduer-
ſus lenones iurgari; omniáque ita facere, vt con-
temnendus magis, quam metuendus videretur.
Nouiſſime, ludimagiſtrum profeſſus, pueros in
triuio docebat, vt aut à timentibus ſemper in pu-
blico videretur, aut à non timentibus facilius
contemneretur. Nam licet tyrannicis vitiis ſem-
per abundaret, tamen ſimulatio hæc vitiorum,
non naturæ erat; magíſque hæc arte, quàm amiſ-
ſo regali pudore faciebat, expertus quàm inuiſa
tyrannorum forent etiam ſine opibus nomina.
Laborabat itaque inuidiam præteritorum con-
temptu præſentium demere; neque honeſta, ſed
tuta conſilia circunſpiciebat. Inter has tamen diſ-
ſimulationum artes, inſimulatus eſt affectatæ ty-
rannidis; nec aliter quam dum contemnitur, libe-
ratus eſt.

INTER hæc Carthaginiẽſes tanto ſucceſſu rerũ
Alexandri Magni exterriti, verentes ne Perſico
regno & Africam vellet adiungere, mittunt ad
ſpeculandos eius animos Hamilcarem, cogno-
mento Rhodanum, virum ſolertia facundiáq; ne
præter ceteros inſignem. Augebant enim metum
& Tyrus vrbs, auctor originis ſuæ, capta, &
Alexandria æmula Carthaginis, in terminis A-
fricæ & Ægypti condita, & felicitas regis, apud
quẽ nec cupiditas, nec fortuna vllo modo termi-
nabantur. Igitur Hamilcar per Parmenionem
aditu regis obtento, profugiſſe ſe ad regem ex-
pulſũ patria fingit, militémq; ſe expeditionis of-
fert. Atque ita conſiliis eius exploratis, in tabellis
ligneis, vacua deſuper cera inducta, ciuibus ſuis
omnia præſcribebat. Sed Carthaginienſes poſt
mortem regis reuerſum in patriam, quaſi vrbem
regi venditaſſet, non ingrato tantum, verum
etiam & crudeli animo, necauerunt.

POMPEII

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXII.

Agathocles Siciliæ tyrannus, qui magnitudini prioris Dionysij successit, ad regni maiestatem ex humili & sordido genere peruenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honestiorem pueritiam, quàm principia originis habuit. Siquidem forma, & corporis pulchritudine egregius, diu vitam stupri patientia exhibuit. Annos deinde pubertatis egressus, libidinem à viris ad feminas transtulit. Post hæc apud vtrumque sexum famosus, vitam latrociniis mutauit. Interiecto tempore, cum Syracusas concessisset, accitúsque in ciuitatem inter incolas esset, diu sine fide fuit, quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret habere videbatur: in summa gregariam militiam sortitus, non minus tunc seditiosa, quàm antea turpi vita, in omne facinus promptissimus erat. Nam & manu strenuus, & in concionibus perfacundus habebatur. Breui itaque centurio, ac deinceps tribunus militum factus est. Primo bello aduersus Ætneos magna experimenta sui Syracusanis dedit. Sequenti Campanorum, tantam de se spem omnibus fecit, vt in locum demortui ducis Damasconis sufficeretur. Cuius vxorem adulterio cognitam, post mortem viri in matrimonium recepit. Nec contentus quòd ex inope repente diues factus esset, piraticam aduersus patriã exercuit. Saluti ei fuit, quòd socij capti tortique, de illo negauerunt. Bis occupare imperium Syracusarum voluit, bis in exilium actus est.

A Murgantinis apud quos exulabat, odio Siracusanorum primò prætor, mox dux creatur. In eo bello & vrbem Leontinorum capit, & patriam suam Syracusas obsidere cœpit: ad cuius auxilium Hamilcar dux Pœnorum imploratus, depositis hostilibus odiis, præsidia militum mittit. Ita vno eodémque tempore Syracusæ, & ab hoste, ciuili amore defensæ, & à ciue, hostili odio impugnatæ sunt. Sed Agathocles, cum videret fortius defendi vrbem quàm oppugnari, precibus per internuntios Hamilcarem exorat, vt inter se & Syracusanos pacis arbitria suspiciat, peculiaria in ipsum officia sua repromittēs. Qua spe impletus Hamilcar, societatem cum eo metu potentiæ eius iungit: vt quantum virium Agathocli aduersus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticæ potentiæ reciperaret. Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur, verumetiam prætor Syracusis constituitur. Tunc Hamilcari expositis ignibus cereis tactisque, in obsequia Pœnorum iurat. Deinde acceptis ab eo quinque millibus Afrorum, potentissimos quosq; ex principibus interficit: atque ita veluti reipub. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari iubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quædam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat: cuius peracta cæde, ex plebe quoque locupletissimos & promptissimos interficit.

A His ita gestis, militem legit, exercitúmque conscribit: quo instructus, finitimas ciuitates nihil hostile metuentes, ex improuiso aggreditur. Pœnorum quoq; socios permittente Hamilcare, fœde vexat: propter quod querelas Carthaginem socij non tam de Agathocle, quàm de Hamilcare detulerunt: hunc vt dominum & tyrannum, illum vt proditorem arguentes: à quo infestissimo hosti, fortunæ sociorum, interposita pactione, donatæ sint, sicut ab initio Syracusæ in pignus societa- **B** tis sint traditæ, vrbs semper Pœnis infesta, & de imperio Siciliæ Carthaginis æmula, nunc insuper ciuitates sociorum eidem titulo pacis addictas. Denuntiare igitur se, hæc breui ad ipsos redundatura, ac propediem sensuros quantum malum non Siciliæ magis, quàm ipsi Africæ attulerint. His querelis senatus in Hamilcarem accenditur. Sed quoniam in imperio esset, tacita de eo suffragia tulerunt, & sententias prius quàm recitarentur, in vrnam coniectas obsignari iusserunt, **C** dum alter Hamilcar Gisgonis filius, à Sicilia reuerteretur. Sed hęc callida commenta Pœnorum, & sententias, inaudita mors Hamilcaris præuenit, liberatúsque est fati munere, quem sui per iniuriam ciues inauditum damnauerant. Quæ res Agathocli aduersus Pœnos occasionem mouendi belli dedit. Prima igitur illi cum Hamilcare Gisgonis filio, prœlij cõgressio fuit: à quo victus, maiori mole reparaturus bellum, Syracusas concessit. Sed secundi certaminis eadem fortuna, quæ & **D** prioris, fuit.

Cvm igitur victores Pœni Syracusas obsidione cinxissent, Agathocles cum se neque viribus parem, neque ad obsidionem ferendam instructum videret, super hæc à sociis crudelitate eius offensis, desertus esset, statuit bellum in Africam transferre: mira prorsus audacia, vt quibus in solo vrbis suæ par non erat, eorum vrbi bellum inferret; & qui sua tueri non poterat, impugnaret alienas **E** victúsq; victoribus insultaret. Huius consilij non minus admirabile silentium, quàm commentum fuit, populo hoc solum professus, inuenisse se victoriæ viam: animos illi tantum in breuem obsidionis patientiam firmarent, vel si cui status pręsentis fortunæ displiceret, dare se ei discedendi liberam potestatem. Cum mille sexcenti discessissent, ceteros obsidionis necessitate frumēto & stipendio instruit: quinquaginta tantũ secum talenta ad præsentem vsum aufert, cetera ex hoste melius, quàm ex sociis paraturus. Omnes deinde ser- **F** uos, militaris ætatis, libertate donatos sacramēto adegit, eósq; & maiorem partē ferme militum nauib. imponit, ratus exæquata vtriusq; ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis æmulationem futuram, ceteros omnes ad tutelã patriæ reliquit.

Septimo igitur imperij anno, comitibus duobus adultis filiis, Archagato & Heraclida, nullo militum sciente quò veheretur, cursum in Africam dirigit. Cùm omnes aut in Italiam præda-

rum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, exposito in Africæ littore exercitu, consilium suum omnibus aperit. Quo in loco Siracusæ positæ sint, ostendit: quibus aliud nullum auxilium superesset, quàm vt hostibus faciant, quæ ipsi patiantur. Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent, foris hostem etiam suis viribus vinci deficientibus sociis, & odio diuturni imperij externa auxilia circumspicientibus. Huc accedere, quòd vrbes, castelláque Africę non muris cinctæ, non in montibus positæ sint, sed in planis campis, sine vllis munimentis iaceant: quas omnes metu excidij facile ad belli societatem pellici posse. Maius igitur Carthaginiēsibus ab ipsa Africa, quàm ex Sicilia exarsurum bellum, coituráque auxilia omnium aduersus vnam vrbem, nomine quàm opibus ampliorem, & quas non attulerit vires, inde sumpturum. Nec in repentino Pœnorum metu, modicum momentum victoriæ fore, qui tanta audacia hostium perculsi, trepidaturi sint. Accessura & villarum incendia, castellorum, vrbiúmque contumacium direptionem, tum ipsius Carthaginis obsidionē. Quibus omnibus non sibi tantum in alios, sed & aliis in se sentient patêre bella. His non solē Pœnos vinci, sed & Siciliam liberari posse. Nec enim moraturos in eius obsidione hostes, cum sua vrgeantur. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam vberiorem inueniri posse. Nam capta Carthagine, omnem Africam Siciliámque præmium victorum fore. Gloriam certe tam honestæ militiæ tantam in omne æuum futuram, vt terminari nullo tempore obliuione possit, vt dicatur eos solos mortalium esse, qui bella, quæ domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint, victíque victores insecuti sint, & obsessores vrbis suæ obsederint. Omnibus igitur forti ac læto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit aut præmium victoribus vberius, aut victis monumentum illustrius dare.

His quidem adhortationibus animi militum erigebantur, sed terrebat eos portenti religio, quòd nauigantibus eis sol defecerat. Cuius rei rationem non minore cura rex, quàm belli reddebat, affirmans, si prius quàm proficiscerentur factum esset, crediturum aduersum profecturos prodigium esse: nunc quia egressis acciderit, illis ad quos eatur portendere. Porrò defectus naturalium siderum semper præsentem rerum statum mutare, certúmque esse florentibus Carthaginiensium opibus, aduersísque rebus suis commutationem significari. Sic consolatis militibus, vniuersas naues consentiente exercitu incendi iubet, vt omnes scirent, auxilio fugæ adempto, aut vincendum, aut moriendum esse. Deinde cum omnia, quacunque ingrederentur, prosternerent, villas castelláque incenderent, obuius eis fuit cum xxx. millibus Pœnorum Hanno, sed prœlio commisso, duo de Siculis, tria millia de Pœnis cum ipso duce cecidere. Hac victoria & Siculorum animi eriguntur, & Pœnorum franguntur. Agathocles victis hostibus, vrbes castelláque expugnat, prædas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra deinde quinto lapide à Carthagine statuit, vt damna carissimarum rerum, vastitatémque agrorum, & incendia villarum, de muris ipsius vrbis specularentur. Interea ingens tota Africa deleti Pœnorum exercitus fama, occupatarúmq; vr-

A bium diuulgatur. Stupor itaq; omnes & admiratio incessit, vnde tanto imperio tam subitum bellum, præsertim ab hoste iam victo. admiratio deinde paulatim in contemptum Pœnorum vertitur. Nec multo post non Afri tantum, verumetiam vrbes nobilissimæ nouitatem sequutæ, ad Agathoclem defecere, frumentóque & stipendio victorem instruxere.

His Pœnorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus, velut quidam ærum- B narum cumulus accessit. Nam post profectionem à Sicilia Agathoclis, in obsidione Syracusarum Pœni segniores redditi, ab Antandro fratre regis Agathoclis occidione cæsi nuntiabantur. Itaque cum domi, forísque eadem fortuna Carthaginiensium esset, iam non tributariæ tantum ab his vrbes, verumetiam socij reges deficiebant, amicitiarum iura non fide, sed successu ponderantes. Erat inter ceteros rex Cyrenarum Aphellas, qui spe improba regnum totius Africæ amplexus, so- C cietatem cum Agathocle per legatos iunxerat, pactúsque cum eo fuerat, vt Siciliæ illi, sibi Africæ imperium victis Carthaginiensibus, cederet. Itaque cum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse venisset, Agathocles blando alloquio, & humili adulatione, cum sæpius simul cœnassent, adoptatúsque filius eius ab Aphella esset, incautum interficit: occupatóque exercitu eius, iterato Carthaginienses omnibus viribus bellum cientes, magno vtriusq; exercitus sanguine, graui prœ- D lio superat. Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Pœnis est, vt nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transiturus ad eum Bomilcar, rex Pœnorum, cum exercitu fuerit. Ob quam noxā in medio foro à Pœnis patibulo suffixus est: vt idem locus monumentum suppliciorum eius esset, qui antè fuerat ornamentum honorū. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem ciuium tulit, adeo vt de summa cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum scelera concionaretur: ob- E iectans illis, nunc Hannonem falsa affectati regni inuidia circumuentum, nunc Gisgonis innocētis exilium, nunc in Hamilcarem patruum suum tacita suffragia, quòd Agathoclem socium illis facere, quàm hostem maluerit. Hæc cum in maxima populi concione vociferatus esset, expirauit.

Interea Agathocles profligatis in Africa rebus, tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit, nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusæ obsiderentur. Nam post occisum F Hamilcarem, Gisgonis filium, nouus eò à Pœnis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo aduētu eius, omnes Siciliæ vrbes auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt: atque ita pulsis è Sicilia Pœnis, totius insulæ imperium occupauit. In Africam deinde reuersus, seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in aduentum patris dilata à filio fuerat. Igitur ad cōcionem vocatos, blandis verbis permulsit stipendia illis non à se flagitanda esse, sed ab hoste quæ- G renda, communem victoriam communem prædam futuram: paulum modo anniterentur, dum belli reliquiæ peraguntur, cum sciant Carthaginem captam spes omnium expleturam. Sedato militari tumultu, interiectis diebus, ad castra hostium exercitum ducit: ibi inconsultius prœlium committendo maiorem partem exercitus perdidit. Cum itaq; in castra fugisset, versamque in se inuidiam temere commissi belli videret, pristi-

namque

námque offensam non depensi stipendij metue-
ret, concubia nocte solus à castris cum Archa-
gatho filio profugit. Quod vbi milites cognoue-
re, haud secus quàm si ab hoste capti essent, trepi-
dauere: Bis se à rege suo in mediis hostibus relic-
tos esse proclamantes, salutémque suam deser-
tam ab eo esse, quorum ne sepultura quidem re-
linquenda fuerit. Cum persequi regem vellent, à
Numidis excepti, in castra reuertuntur, compre-
henso tamen reductóq; Archagatho, qui à patre
noctis errore discesserat. Agathocles autem naui-
bus, quibus reuersus à Sicilia fuerat, cum custodi-
bus earumdem Syracusas defertur. Exemplum

A flagitij singulare, rex exercitus sui desertor, filio-
rúmque pater proditor. Interim in Africa post
fugam regis, milites pactione cum hostibus fa-
cta, interfectis Agathoclis liberis, Carthaginien-
sibus se tradidere. Archagathus cum occideretur
ab Archesilao amico antea patris, rogauit eum
quidnam liberis eius facturum Agathoclem pu-
tet, per quem ipse liberis careat? Tunc respondit,
satis habere se, quòd superstites eos esse Agatho-
B clis liberis sciat. Post hæc Pœni ad persequen-
dum belli reliquias, duces in Siciliam miserunt,
cum quibus Agathocles pacem æquis conditio-
nibus fecit.

POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XXIII.

AGATHOCLES rex Siciliæ pacificatus cum
Carthaginiensibus, partem ciuitatium à se
fiducia virium diffidentem armis subegit. Dein
quasi angustis insulæ terminis clauderetur, cuius
imperij partem primis incrementis ne sperauerat
quidem, in Italiam transcendit, exemplum Dio-
nysij secutus, qui multas ciuitates Italiæ subege-
rat. Primi igitur hostes illi Bruttij fuere, qui & for-
tissimi tum, & opulentissimi videbantur, simul &
ad iniurias vicinorum prompti: Nam multas ci-
uitates Græci nominis Italia expulerant: auctores
quoq; suos Lucanos bello vicerant, & pacem cum
his æquis legibus fecerant. Tanta feritas animorũ
erat, vt nec origini suæ parcerent. Námq; Lucani
iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani,
instituere soliti erant. Quippe ab initio puberta-
tis, in filuis inter pastores habebantur, sine mini-
sterio seruili, sine veste quam inducerent, vel cui
incubarent, vt à primis annis duritiæ, parcimo-
niæque, sine vllo vsu vrbis, assuescerent: Cibus his
præda venatica, potus aut lactis, aut fontium li-
quor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur.
Horum igitur ex numero quinquaginta primo
ex agris finitimorum prædari soliti, confluente
deinde multitudine, solicitati præda, cum plures
facti essent, infestas regiones reddebant. Itaq; fati-
gatus querelis sociorum Dionysius Siciliæ tyran-
nus, sexcentos Afros ad compescendos eos mise-
rat, quorum castellum proditum sibi per Bruttiã
mulierem, expugnauerunt, ibique ciuitatem, con-
currentibus ad opinionem nouæ vrbis pastori-
bus, statuerunt, Bruttiósque se ex nomine mulie-
ris vocauerunt. Primum illis cum Lucanis, ori-
ginis suæ auctoribus, bellum fuit. Qua victoria e-
recti, cum pacem æquo iure fecissent, ceteros fi-
nitimos armis subegerunt, tantásque opes breui
consecuti sunt, vt perniciosi etiam regibus habe-
rentur. Deniq; Alexander rex Epiri, quum in au-
xilium Græcarum ciuitatum, cum magno exerci-
tu, in Italiam venisset, cum omnibus copiis ab
his deletus est. Quare feritas eorum successu feli-
citatis incensa, diu terribilis finitimis fuit. Ad po-
stremum imploratus Agathocles, spe ampliandi
regni, à Sicilia in Italiam traiecit.

PRINCIPIO aduentus opinione eius concussi,

C legatos ad eum, societatem amicitiámque peten-
tes miserunt. Quos Agathocles ad cœnam inuita-
tos, ne exercitum traiici viderent, in posterum sta-
tuta his die, conscensis nauibus frustratus est. Sed
fraudis haud lætus euentus fuit: siquidem reuerti
eum in Siciliam, interiectis paucis diebus, vis
morbi coëgit, quo toto corpore comprehensus,
per omnes neruos articulósque humore pestifero
grassante, velut intestino singulorum membrorũ
bello impugnabatur. Ex qua desperatione bellum
D inter filium nepotémque eius, regnum iam quasi
mortui vindicãtibus, oritur: occiso filio, regnum
nepos occupauit. Igitur Agathocles, cum morbi
cura, & ægritudo grauiores essent, & inter se al-
terum alterius malo cresceret, desperatis rebus, v-
xorem suam Texenam, genitósque ex ea duos par-
uulos, cum omni pecunia, & familiã, regalique
instrumento, quo præter illum nemo regum di-
tior fuit, nauibus impositos Ægyptum vnde v-
xorem acceperat, remittit, timens ne prædonem
E regni sui, hostem paterentur. Quamquam vxor
diu, ne ab ægro diuelleretur, deprecata est, ne dis-
cessus suus adiungi nepotis parricidio posset, &
tam cruente hæc deseruisse virum, quàm ille im-
pugnasse auum videretur: NVBENDO se non pro-
speræ tantum, sed omnis fortunæ iniisse societa-
tem: nec inuitam periculo spiritus sui empturam,
vt extremos viri spiritus exciperet, & exsequia-
rum officium, in quod, profecta se, nemo sit suc-
cessurus, obsequio debitæ pietatis impleret. Dis-
F cedentes paruuli, flebili vlulatu amplexi patrem
tenebant. Ex altera parte vxor maritum non am-
plius visura, osculis fatigabat. Nec minus senis
lacrymæ miserabiles erant. Flebant morientem
patrem, ille exules liberos; hi discessu suo solitu-
dinem patris, ægri senis, ille in spem regni susce-
ptos relinqui in egestate lugebat. Inter hæc regia
omnis assistentium fletibus tam crudelis discidij
impleta, resonabat. Tandem finem lacrymis ne-
cessitas profectionis imposuit, & mors regis pro-
ficiscentes filios insequuta est. Dum hæc agun-
G tur, Carthaginienses cognitis quæ in Sicilia age-
bantur, occasionem totius insulæ occupandæ da-
tam sibi existimantes, magnis viribus eò traii-
ciunt, multásque ciuitates subigunt.

Eo tempore & Pyrrhus aduersus Romanos bellum gerebat, qui imploratus à Siculis in auxiliũ, sicuti dictum est, cum Syracusas venisset, multásque ciuitates subegisset, rex Siciliæ, sicut Epiri appellabatur. Quarum rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliæ, velut auitum (nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat) Alexandro autem Italię regnum destinat. Post hęc multa secunda prœlia cum Carthaginiensibus facit. Interiecto deinde tempore, legati ab Italicis sociis venere, nuntiantes Romanis resisti non posse, deditionémq; B futuram, nisi subueniat. Anxius tam ambiguo periculo, incertúsque quid ageret, vel quibus primum subueniret, in vtrumque pronus consultabat. Quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis, periculosum videbatur, exercitum in Italiam non traiicere, periculosius à Sicilia deducere, ne aut illi non lata ope, aut hi deserti amitterentur. In hoc æstu periculorum, tutissimus portus consiliorum visus est, omnibus viribus decertare in Sicilia: & profligatis Car- C thaginiensibus, victorem exercitum transponere in Italiam. Itaque conserto prœlio, cùm superior fuisset, quoniam tamen à Sicilia abiret, pro victo fugere visus est: ac propterea socij ab eo defecerunt, & imperium Siciliæ tam cito amisit, quàm facile quæsierat. Sed nec in Italia meliore felicitate vsus, in Epirum reuertitur. Admirabilis vtriusque rei casus, in exemplum fuit. Nam sicut antè secunda fortuna, rebus supra vota fluentibus, Italiæ Siciliæque imperium, & tot de Romanis victorias adstruxerat, ita nunc aduersa, velut D in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens

A quæ cumulauerat, Siciliensi ruinæ naufragium maris, & fœdam aduersus Romanos pugnam, turpémque ab Italia discessum adiecit.

Post profectionem à Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur: cuius tanta moderatio fuit, vt consentiente omnium ciuitatium fauore, dux aduersus Carthaginienses primum, mox rex crearetur. Huius futuræ maiestatis, ipsa infantis educatio quasi prænuntia fuit: quippe genitus erat patre Hieroclyto, nobili viro, cuius origo à Gelo, B antiquo Siciliæ tyranno, manabat: sed maternum illi genus sordidum, atq; adeo pudibundum fuit: nam ex ancilla natus, ac propterea à patre, velut dehonestamentum generis, expositus fuerat. Sed paruulum, & humanæ opis egentem, apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluere. Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, paruulum recolligit, omníque studio ad spem maiestatis, quæ promittebatur, instituit. Eidem in lu- C do inter coæquales discenti, lupus tabulam, in turba puerorum repente cõspectus, eripuit. Adolescenti quoq; prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. Quod ostentum & consilio cautum, & manu promptum, regémque futurum significabat. Denique aduersus prouocatores sæpe pugnauit, sempérque victoriam reportauit. A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere: in alloquio D blandus, in negotio iustus, in imperio moderatus, prorsus vt nihil ei regium deesse, præter regnum videretur.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXIIII.

Dvm hæc in Sicilia geruntur, interim in E Græcia dissidentibus inter se bello Ptolemæo Ceranno, & Antiocho, & Antigono regibus: omnes ferme Græciæ ciuitates, ducibus Spartanis velut occasione data, ad spem libertatis erectæ, missis inuicem legatis, per quos in societatis fœdera alligarentur, in bellum prorumpunt: & ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellum cepisse viderentur, socios eius Ætolos aggrediuntur, causas belli prætendentes, quòd consensu Græciæ sacratum Apollini Cirræum campum, F per vim occupassent. Huic bello ducem deligunt Aream, qui adunato exercitu, vrbes, satáque in his campis posita, depopulatur, quæ auferri non poterant, incendit. Quod cùm è montibus conspicati Ætolorum pastores essent, congregati admodum quingenti, sparsos hostes, ignorantésq; quanta manus esset, quoniam conspectũm illis metus & incendiorum fumus abstulerat, consectantur, trucidarisque admodum nouem millibus, prædones in fugam verterunt. Reparantibus deinde G Spartanis bellum, auxilium multæ ciuitates negarunt, existimantes, dominationem eos, non libertatem Græciæ, quærere. Interea inter reges bellum finitur: nam Ptolemæus pulso Antigo-

E no cum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit, affinitatémque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, iungit.

Exinde externo metu deposito, impium & facinorosum animum ad domestica scelera conuertit, insidiásq; Arsinoë sorori suæ instruit: quibus & filios eius vita, & ipsam Cassandreæ vrbis possessione priuaret. Primus ei dolus fuit, simulato amore, sororis matrimonium petere: aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupauerat, F quàm concordiæ fraude peruenire non poterat. Sed nota scelerata Ptolemæi voluntas sorori erat. Itaque non credenti, mandat velle se cum filiis eius regni consortium iungere: cum quibus non ideo se armis contendisse, quoniam eripere his regnũ, sed quòd id facere sui muneris vellet. In hoc mitteret arbitrum iurisiurandi: quo præsente apud deos patrios, quibus vellet obsecrationibus, se obligaret. Incerta Arsinoë quid ageret: si mitteret, decipi periurio, si non mitteret, pro- G uocare rabiem fraternæ crudelitatis timebat. Itaque plus liberis, quàm sibi timens, quos matrimonio suo protecturam se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Chodionem: quo perducto in sanctissimum Iouis templum, vetertimæ Macedo-

num

num religionis, Ptolemæus sumptis in manus al- A
taribus, contingens ipsa simulacra, & puluinaria
deorum, inauditis, vltimísque execrationibus ad-
iurat, se sincera fide matrimonium sororis petere,
nuncupaturúmq; se eam reginam, neque in con-
tumeliam eius se aliam vxorem, aliósve, quàm fi-
lios eius liberos habiturum. Arsinoë postquam &
spe impleta est, & metu soluta, ipsa cum fratre
colloquitur: cuius vultus, & blandientes oculi,
cum fidem non minorem, quàm iusiurandum
promitterent, reclamante Ptolemæo filio frau- B
dem subesse, in matrimonium fratris concedit.
NVPTIÆ magno apparatu, lætitiáque omnium
celebrantur. Ad cõcionem quoque vocato exer-
citu, capiti sororis diadema imponit, reginám-
que eam appellat. Quo nomine in lætitiam effusa
Arsinoë, quia quod morte Lysimachi prioris ma-
riti amiserat, recepisset, vltro virum in vrbem
suam Cassandream inuitat, cuius vrbis cupiditate
fraus struebatur. Prægressa igitur, virum, diem
festum vrbi in aduentum eius indicit, domos, C
templa, ceteráque omnia exornari iubet, aras v-
bique, hostiásque disponi, filios quoque suos, Ly-
simachum sexdecim annos natum, Philippum
triennio minorem, vtrumque forma insignem,
coronatos occurrere iubet. Quos Ptolemæus ad
celandam fraudem, cupide & vltra modum veræ
affectionis amplexus, osculis diu fatigat. Vbi ad
portam ventum est, occupari arcem iubet, pueros
interfici. Qui cum ad matrem confugissent, in
gremio eius, inter ipsa oscula trucidantur. Pro-
clamante Arsinoë, quod tantum nefas aut nuben- D
do, aut post nuptias contraxisset, pro filiis sæpe
se percussoribus obtulit, frequenter corpore suo
puerorum corpora amplexata protexit, vulnerá-
que excipere quæ liberis intendebantur, voluit.
Ad postremum etiam spoliata funeribus filio-
rum, scissa veste, & crinibus sparsis, cum duobus
seruulis ex vrbe protracta, Samothraciam in exi-
lium abiit, eò miserior, quòd mori cum filiis ei
non licuit. Sed nec Ptolemæo inulta scelera fue-
runt. Quippe diis immortalibus tot periuria, &
tam cruenta parricidia vindicantibus, breui pòst E
à Gallis spoliatus regno, captúsque, vitam ferro,
vt meruerat, amisit.
NAMQVE Galli abundanti multitudine, cum
eos non caperent terræ quæ genuerant, trecenta
millia hominum ad sedes nouas quærendas, ve-
lut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia
consedit, quæ & vrbem Romanam captam, in-
cendit, & portio Illyricos sinus, ducibus auibus
(nam augurandi studio Galli præter ceteros cal-
lent) per strages Barbarorum penetrauit, & in
Pannonia consedit: gens aspera, audax, bellicosa, F
quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis ad-
mirationem & immortalitatis fidem dedit, Al-
pium inuicta iuga, & frigore intractabilia loca
transcendit: ibi domitis Pannoniis per multos
annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hor-
tante deinde successu, diuisis agminibus, alij Græ-
ciam, alij Macedoniam, omnia ferro proteren-
tes, petiuere. Tantúsque terror Gallici nominis G
erat, vt etiam reges non lacessiti, vltro pacem in-
genti pecunia mercarentur. Solus rex Macedo-
niæ Ptolemæus, aduentum Gallorum intrepidus
audiuit: hisque cum paucis & incompositis, quasi
bella non difficilius, quam scelera patrarentur,
parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Dardano-
rum quoque legationem, viginti millia armato-
A rum in auxilium offerentem, spreuit, addita insu-
per contumelia, actum de Macedonia dicens, si
cum totum Orientem soli domuerint, nunc in
vindictam finium Dardanis egeant, milites se
habere filios eorum, qui sub Alexandro rege sti-
pendia, toto orbe terrarum victores, fecerint.
Quæ vbi Dardano regi nuntiata sunt, inclytum
illud Macedoniæ regnum breui immaturi iuue-
nis temeritate casurum dixit.
IGITVR Galli, duce Belgio, ad tentandos Ma-
B cedonum animos, legatos ad Ptolemæum mit-
tunt, offerentes pacem, si emere velit: sed Ptole-
mæus inter suos, belli metu pacem Gallos petere
gloriatus est, nec minus ferociter se legatis, quàm
inter amicos iactauit, aliter se pacem daturum
negando, nisi principes suos obsides dederint, &
arma tradiderint: non enim fidem se, nisi inermi-
bus habiturum: Renuntiata legatione, risere Gal-
li, vndique acclamantes, breui sensurum, sibi an
illi consulentes, pacem obtulerint. Interiectis
C diebus, prælium conseritur, victique Macedones
cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius
capitur, caput eius amputatum, & lancea fixum
tota acie ad terrorem hostium circumfertur: Pau-
cos ex Macedonibus fuga seruauit, ceteri aut ca-
pti, aut occisi. Hæc cum nuntiata per omnem
Macedoniam essent, portæ vrbium clauduntur,
luctu omnia replentur: nunc orbitatem amisso-
rum filiorum dolebant, nunc excidia vrbium me-
tuebant, nunc Alexandri, Philippique regum
suorum nomina, sicuti numina, in auxilium vo-
D cabant, sub illis se non solum tutos, verumetiam
victores orbis terrarum extitisse: vt tuerentur pa-
triam suam, quam gloria rerum gestarum cælo
proximam reddidissent, vt opem afflictis ferrent,
quos furor & temeritas Ptolemæi regis perdi-
disset, orabant. Desperantibus omnibus, non vo-
tis agendum, Sosthenes vnus de Macedonum
principibus, ratus, contracta iuuentute, & Gallos
victoria exultantes compescuit, & Macedoniam
ab hostili populatione defendit. Ob quæ virtutis
beneficia, multis nobilibus regnum Macedo-
E niæ affectantibus, ignobilis ipse præponitur:
& cum rex ab exercitu appellatus esset, ipse non
in regis, sed ducis nomen iurare milites compu-
lit.
INTEREA Brennus, quo duce portio Gallo-
rum in Græciam se effuderat, audita victoria suo-
rum, qui Belgio duce Macedones vicerant: in-
dignatus parta victoria opimam prædam, & O-
rientis spoliis onustam tam facile relictam esse,
ipse adunatis c l. millibus peditum, & xv. mil-
libus equitum, in Macedoniam irrumpit. Cum
F agros villásque popularetur, occurrit ei cum in-
structo exercitu Macedonum Sosthenes, sed pau-
ci à pluribus, trepidi à valentibus facile vincun-
tur. Itaque cùm victi se Macedones intra muros
vrbium condidissent, victor Brennus, nemine
prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur.
tur. Inde quasi terrena iam spolia sorderent, ani-
mum ad deorum immortalium templa conuer-
G tit, scurriliter iocatus, locupletes deos largiri ho-
minibus oportere. Statim igitur Delphos iter ver-
tit, prædam religioni, aurum offensæ deorum
immortalium præferens, quos nullis opibus e-
gere, vt qui eas largiri hominibus soleant, affir-
mabat. Templum autem Apollinis Delphis posi-
tum est in monte Parnaso, in rupe vndique im-
pendente: ibi ciuitatem frequentia hominum fa-

cit:qui ad affirmationem maieſtatis vndiq; con- A
currẽtes, in eo ſaxo conſedere:atque ita templum
& ciuitatem non muri, ſed præcipitia,nec manu
facta, ſed naturalia præſidia defendunt: prorſus
vt incertum ſit, vtrum munimentum loci, an
maieſtas dei plus hic admirationis habeat. Me-
dia ſaxi rupes in formam theatri receſſit. Quam-
obrem & hominũ clamor, & ſi quando accedit
tubarum ſonus, perſonantibus & reſpõdentibus
inter ſe rupibus, multiplex audiri, ampliórque
quàm editur reſonare ſolet. Quæ res maiorem B
maieſtatis terrorẽ ignaris rei, & admirationem,
ſtupentibus plerumque affert. In hoc rupis anfra-
ctu, media ferme montis altitudine,planicies exi-
gua eſt; atque in ea profundum terræ foramen,
quod in oracula patet: ex quo frigidus ſpiritus,vi
quadam velut vento in ſublime expulſus,mentes
vatum in vecordiam vertit,impletáſque deo, reſ-
ponſa conſulentibus dare cogit. Multa igitur ibi
& opulenta regum populorúmque viſuntur mu-
nera; quæque magnificentia ſui reddentium vo- C
ta, gratam voluntatem, & deorum reſponſa ma-
nifeſtant.

IGITVR Brennus cum in conſpectu haberet
templum,diu deliberauit, an confeſtim rem ag-
grederetur:an verò feſſis via militibus,noctis ſpa-
tium ad reſumendas vires daret.Emanus & Theſ-
ſalorus duces, qui ſe ad prædæ ſocietatem iunxe-
rant,amputari moras iubẽt,dum imparati hoſtes,
& recens aduentus ſui,terrori eſſet:interiecta no-
cte & animos hoſtibus, forſitan & auxilia acceſ- D
ſura, & vias quæ tunc pateant, obſtructum iri.
Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, vbi pri-
mũ vino,ceteriſq. cõmeatibus referta rura inue-
nit,non minus abundantia,quàm victoria lætum
per agros ſe ſparſerat; deſertiſque ſignis ad occu-
panda omnia pro victoribus vagabantur. Quæ
res dilationem Delphis dedit. Prima námque o-
pinione aduentus Gallorum prohibiti agreſtes o-
raculis feruntur,meſſes,vináque villis efferre:cu-
ius rei ſalutare præceptum non prius intellectum E
eſt, quàm vini, ceterarúmque copiarum abun-
dantia velut mora Gallis obiecta, auxilia finiti-
morum conuenere. Prius itaq; vrbem ſuam Del-
phi,aucti viribus ſociorum, permuniuere, quàm
Galli vino velut prædæ incubantes, ad ſigna re-
uocarentur. Habebat Brennus lecta ex omni ex-
ercitu peditum ſexaginta quinque millia: Del-
phorum ſociorúmque non niſi quatuor millia
militum erant; quorum contemptu Brennus ad
acuendos ſuorum animos,prædæ vbertatem om-
nibus oſtendebat,ſtatuáſque cum quadrigis,qua-
rum ingens copia procul viſebatur, ſolido auro
fuſas eſſe,plúſque in pondere,quàm in ſpecie ha-
bere prædæ affirmabat.

HAC aſſeueratione incitati Galli, ſimul & he-
ſterno mero ſaucij, ſine reſpectu periculorum in
bellum ruebant. Contra Delphi plus in deo,
quàm in viribus reponentes,cum contemptu ho-
ſtium reſiſtebant, ſcandentéſque Gallos è ſum-
mo montis vertice, partim ſaxo, partim armis
obruebant.In hoc partium certamine,repente v-
niuerſorum templorum antiſtites, ſimul & ipſi
vates,ſparſis crinibus, cum inſignibus atque in-
fulis, pauidi, vecordéſque in primam pugnan-
tium aciem procurrunt: aduenìſſe Deum cla-
mant, cúmque ſe vidiſſe deſilientem in templum
per culminis aperta faſtigia. Dum omnes opem
dei ſuppliciter implorant, iuuenem ſuprà,huma-
num modum inſignis pulchritudinis, comitéſ-
que ei duas armatas virgines,ex propinquis dua-
bus Dianæ Mineruæque ædibus occurriſſe, nec
oculis tantum hæc ſe perſpexiſſe, audiſſe etiam
ſtridorem arcus,ac ſtrepitum armorum. Proinde
ne cunctarentur, diis anteſignanis, hoſtem cæ-
dere, & victoriæ deorum ſocios ſe adiungere,
ſummis obſecrationibus monebant. Quibus vo-
cibus incenſi, omnes certatim in prœlium pro-
ſiliunt. Præſentiam dei & ipſi ſtatim ſenſere:nam
& terræmotu portio montis abrupta Gallorum
ſtrauit exercitum, & confertiſſimi cunei non ſi-
ne vulneribus hoſtium diſſipati ruebant. Inſe-
cuta deinde tempeſtas eſt, quæ grandine & fri-
gore, ſaucios ex vulneribus abſumpſit. Dux ipſe
Brennus cum dolorem vulnerum ferre non poſ-
ſet,pugione vitam finiuit. Alter ex ducibus, pu-
nitis belli auctoribus, cum decem millibus ſau-
ciorum citato agmine Græcia excedit. Sed nec
fugientibus fortuna commodior fuit: ſiquidem
pauidis nulla ſub tectis acta nox, nullus ſine la-
bore & periculo dies, aſſidui imbres & gelu, nix
concreta,& fames,& laſſitudo, & ſuper hæc ma-
ximum peruigiliæ malum, miſeras infelicis bel-
li reliquias obterebant. Gentes quoque nationéſ-
que, per quas iter habebant, palantes velut præ-
dam ſectabantur. Quo pacto euenit, vt nemo ex
tanto exercitu,qui paulo ante fiducia virium
etiam aduerſus deos contendebat,vel
ad memoriam tantæ cladis,
ſupereſſet.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXV.

INTER duos reges, Antigonum & Antio- F
chum ſtatuta pace, cum in Macedoniam An-
tigonus reuerteretur, nouus eidem repente ho-
ſtis exortus eſt. Quippe Galli, qui à Brenno du-
ce, cum in Græciam proficiſcerentur, ad termi-
nos gentis tuendos relicti fuerant, ne ſoli deſi-
des viderentur,peditum quindecim millia, equi-
tum tria millia armauerunt, fugatíſque Geta-
rum,Triballorúmque copiis, Macedoniæ immi-
nentes, legatos ad regem miſerunt, qui pacem ei
venalem offerrent, ſimul & regis caſtra ſpecu-
larentur. Quos Antigonus pro regali munifi-
centia,ingenti apparatu epularum ad cœnam in-
uitauit. Sed Galli expoſitum grande auri ar-
gentíque pondus admirantes, atque prædæ v-
bertate ſolicitati, infeſtiores quàm venerant, re-
uertuntur,

uertuntur. Quibus & elephantos ad terrorē, velut inusitatas Barbaris formas, rex ostendi iusserat, & naues onustas copiis demonstrari: ignarus, quòd quibus ostentatione virium, metum se iniicere existimabat, eorum animos vt ad opimam prædam solicitabat. Itaque legati ad suos reuersi, omnia in maius extollentes, opes pariter & negligentiam regis ostendunt: referta auro & argento castra, sed neque vallo, fossâve munita, & quasi satis munimenti in diuitiis haberent, ita eos omnia officia militaria intermisisse: prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro.

Hac relatione, auidæ gentis animi satis ad prædam incitabantur. Accedebat tamen & exemplum Belgij, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidauerat. Itaq; consentientibus omnibus, nocte castra regis aggrediuntur: qui præsentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, vt omnibus rebus ablatis in proxima silua taciti se occultarent. Neque aliter seruata castra, quàm quòd deserta sunt. Siquidem Galli vbi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verumetiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis, scrutantes potius quam diripientes, castra occupauerunt. Tunc ablatis quæ inuenerant, ad littus conuertuntur. Ibi dum naues incautius diripiunt, à remigibus, & ab exercitus parte, quæ eò cum coniugibus & liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur: tantáque cædes Gallorum fuit, vt Antigono pacem opinio huius victoriæ, non à Gallis tantum, verumetiam à finitimorum feritate præstiterit. Quanquam Gallorum ea tempestate tantæ fecunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gesserunt, neque pulsi regno ad alios quàm ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, & armorum inuicta felicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithyniæ rege inuocati, regnum cum eo parta victoria diuiserunt, eámque regionem Gallogræciam cognominauerunt.

Dum hæc in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus à Pœnis nauali prœlio victus, ab Antigono Macedoniæ rege supplementum militum per legatos petit: denuntians ni mittat, redire se in regnum necesse habere, incremēta rerum, quæ de Romanis voluerit, de ipso quæsiturum. Quod vbi negatum legati retulerunt, dissimulatis caussis, repentinam fingit profectionem. Socios interim parare bellum iubet, arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio, & amico Miloni tradit. Reuersus in Epirum, statim fines Macedoniæ inuadit: cui Antigonus cum exercitu occurrit, victúsque prœlio in fugam vertitur. Atque ita Pyrrhus Macedoniam in deditionem accipit, & veluti damna amissæ Siciliæ Italiæque acquisito Macedoniæ regno pensasset, relictum Tarentini filium & amicum arcessit. Antigonus autem cum paucis equitibus, fugæ comitibus, repente fortunæ ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus euentus, Thessalonicam se recepit, vt inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. Rursus à Ptolemæo Pyrrhi filio funditus victus cum septem comitibus fugiens, non iam recuperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugæ solitudines captat.

Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, iam nec eo ad quod votis perueniendum fuerat contentus, Græciæ, Asiæque regna meditatur, neque illi maior ex imperio, quàm ex bello voluptas erat, nec quisquam Pyrrhum, quà tulisset impetum, sustinere valuit. Sed vt ad deuincenda regna inuictus habebatur, ita deuictis acquisitísque celeriter carebat: tanto melius studebat acquirere imperia, quàm retinere. Itaque cum copias Chersoneso transposuisset, legationibus Atheniensium, & Achæorum, Messeniorúmque excipitur. Sed & Græcia omnis admiratione nominis eius, simul & rerum aduersus Romanos Pœnósque gestarum gloria attonita, aduentum eius exspectabat. Primum illi bellum aduersus Spartanos fuit: vbi maiore mulierum, quàm virorum virtute exceptus, Ptolemæum filium, & exercitus partem robustissimam amisit. Quippe oppugnanti vrbem, ad tutelam patriæ tanta multitudo feminarum concurrit, vt non fortiùs victus, quàm verecundius recederet. Porrò Ptolemæum filium eius adeo strenuum, & manu fortem fuisse tradunt, vt vrbem Corcyram cum sexaginta ceperit: item prœlio nauali quinqueremem ex scapha cum septem insiluerit, captámque tenuerit. In oppugnatione quoque Spartanorum vsque in mediam vrbem equo procurrerit, ibique concursu multitudinis interfectus sit. Cuius corpus vt relatum patri est, dixisse Pyrrhum ferunt, aliquanto tardius eum, quàm timuerit ipse, vel temeritas eius meruerit, occisum esse.

Repulsus à Spartanis Pyrrhus, Argos petit: ibi dum Antigonum in vrbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans, saxo de muris ictus occiditur. Caput eius Antigono refertur: qui victoria mitius vsus, filiū eius Helenum cum Epirotis sibi deditum, in regnum remisit, eiq; insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit. Satis constans inter omnes auctores fama est, nullum nec eius, nec superioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuisse, rarò que non inter reges tantum, verumetiam inter illustres viros, aut vitæ sanctioris, aut iustitiæ probatioris visum fuisse: Scientiam certe rei militaris in illo viro tantam fuisse, vt cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus bella gerens, inuictus semper fuerit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorúmque, & Carthaginiensium bellis, numquam inferior, plerumque etiam victor extiterit: qui patriam certe suam angustam, ignobilémque, fama rerum gestarum, & claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddiderit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXVI.

POST mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verumetiam in Aſia, Græciáque, magni bellorum motus fuere: Nam & Peloponneſij per proditionem Antigono traditi, & variante hominum partim dolore, partim gaudio, prout ſingulæ ciuitates aut auxilium de Pyrrho ſperauerant, aut metus ſuſtinuerant, ita aut cum Antigono ſocietatem iungebant, aut mutuis inter ſe odiis in bellum ruebant. Inter hunc turbatarum prouinciarum motum, Epirorum quoque vrbs ab Ariſtotimo principe per tyrannidem occupatur: à quo cùm multi ex primoribus occiſi, plures in exilium acti eſſent, Ætolis per legatos poſtulantibus, coniuges liberoſque exulum redderet, primo negauit: poſtea quaſi pœniteret, proficiſcendi ad ſuos omnibus matronis poteſtatem dedit, diémque profectionis ſtatuit. Illæ quaſi in perpetuum cum viris exulaturæ, pretioſiſſima quæque auferentes cum ad portam quaſi vno agmine profecturæ conueniſſent, omnibus rebus exſpoliatæ, in carcerem recluduntur: occiſis prius in gremio matrum paruulis liberis, virginibúſque ad ſtuprum direptis. Ad tam ſæuam dominationem ſtupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus, ſenex & liberis orbus, vt qui nec ætatis, nec pignoris reſpectu timeret, contractos domum fidiſſimos amicorum in vindictam patriæ hortatur. Cunctantibus priuato periculo publicum finire, & deliberandi ſpatium poſtulantibus, arceſſitis ſeruis iubet obſerari fores, tyrannóque nuntiari, mitteret qui coniuratos apud ſe comprehenderet: obiectans ſingulis, ſe quia liberandæ patriæ auctor eſſe non poſſit, deſertæ vltorem futurum. Tunc illi ancipiti periculo circumuenti, honeſtiorem viam eligentes, coniurant in tyranni necem: atque ita Ariſtotimus, quinto poſtquam tyrannidem occupauerat, menſe opprimitur.

INTEREA Antigonus cum multiplici bello, & Ptolemæi regis, & Spartanorum, premeretur, nouúſque illi hoſtis Gallogræciæ exercitus affluxiſſet, in ſpeciem caſtrorum parua manu aduerſus ceteros relicta, aduerſus Gallos totis viribus proficiſcitur. Quibus cognitis, Galli cum & ipſi ſe prœlio pararent, in auſpicia pugnæ hoſtias cædunt: quarum extis cùm magna cædes, interitúſque omnium prædiceretur, non in timorem, ſed in furorem verſi, ſperantéſque deorum minas expiari cæde ſuorum poſſe, coniuges & liberos ſuos trucidant, auſpicia belli à parricidio incipientes. Tanta rabies feros animos inuaſerat, vt non parcerent ætati, cui etiam hoſtes pepercisſent, bellúmque internecinum cum liberis, liberorúmque matribus gererent, pro quibus bella ſuſcipi ſolent. Itaque quaſi ſcelere vitam, victoriámque redemiſſent, ſicut erant cruenti ex recenti ſuorum cæde, in prœlium nõ meliore euentu, quàm omine proficiſcuntur. Siquidem pugnantes, prius parricidiorum furiæ, quam hoſtes circumuenere, obuerſantibúſque ante oculos manibus interemptorum, omnes occidione cæſi. Tanta ſtrages fuit, vt pariter cum hominibus dij, conſenſiſſe in exitium parricidarum viderentur. Poſt huius pugnæ euentum, Ptolemæus & Spartani, victorem hoſtium exercitum declinantes, in tutiora ſe recipiunt. Antigonus quoque vbi totum diſceſſum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Athenienſibus infert. In quo cum occupatus eſſet, interim Alexander rex Epiri vlciſci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniæ depopulatur. Aduerſus quem cum reuerſus à Græcia Antigonus eſſet, tranſitione militum deſtitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amittit. Huius filius Demetrius puer admodum, abſente patre, reparato exercitu, non ſolùm amiſſam Macedoniam recipit, verumetiam Epiri regno Alexandrum ſpoliat. Tanta vel mobilitas militum, vel fortunæ varietas erat, vt viciſſim reges, nunc exules, nunc reges viderentur.

IGITVR Alexander cum exul ad Acarnanas confugiſſet, non minore Epirotarum deſiderio, quàm ſociorum auxilio, in regnum reſtituitur. Per idem tempus rex Cyrenarum Agas decedit: qui ante infirmitatem, Beronicen vnicam filiam, ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina, filio eius deſponderat. Sed poſt mortem regis, mater virginis Arſinoë, vt inuita ſe contractum matrimonium ſolueretur, miſit qui ad nuptias virginis, regnúmque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni à Macedonia arceſſerent: qui & ipſe ex filia Ptolemæi procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum ſecundante vento celeriter Cyrenas aduolaſſet, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere ſocrui cœperat, ſtatim à principio ſuperbus, regiæ familiæ militibúſque impotens erat: ſtudiúmque placendi à virgine in matrem contulerat. Quæ res ſuſpecta primo virgini dein popularibus militibúſque inuiſa fuit. Itaque verſis omnium animis in Ptolemæi filium, inſidiæ Demetrio comparantur: cui cum in lectum ſocrus conceſſiſſet, percuſſores immittuntur. Sed Arſinoë audita voce filiæ, ad fores ſtantis & præcipientis vt matri parceretur, adulterum pauliſper corpore ſuo protexit. Quo interfecto, Beronice, & ſtupra matris, ſalua pietate, vlta eſt, & in matrimonio ſortiendo, iudicium patris ſecuta,

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXVII.

MORTVO Syriæ rege Antiocho, cum in locum eius filius Seleucus successisset, hortante matre Laudice, quæ prohibere debuerat, auspicia regni à parricidio cœpit. Quippe Beronicen nouercam suam, sororem Ptolemæi regis Ægypti, cum paruulo fratre ex ea suscepto interficit. Quo facinore perpetrato, & infamiæ maculam subiit, & Ptolemæi bello se implicuit. Porrò Beronice cum ad se interficiendam missos didicisset, Daphnæ se claudit. Vbi cum obsideri eam cum paruulo filio nuntiatum Asię ciuitatibus esset, recordatione paternæ maiorúmque eius dignitatis, casum tam indignæ fortunę miserantes, auxilia ei omnes misêre. Frater quoque Ptolemæus periculo sororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus aduolat. Sed Beronice ante aduentum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumuenta trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque cum vniuersę ciuitates, quę defecerant, ingentem classem comparassent, repẽte exemplo crudelitatis exterritæ, simul & in vltionem eius, quam defensuri erant, Ptolemæo se tradũt: qui nisi in Ægyptum domestica occupassent, tantum vel illi odium, parricidiale scelus; vel huic fauorem indignę peremptæ mors sororis, attulerat.

POST discessum Ptolemæi, Seleucus cum aduersus ciuitates, quæ defecerant, ingentem classẽ comparasset, repente veluti dijs ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit; nec quicquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragij comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit: siquidem ciuitates, quæ odio eius ad Ptolemæum transierant, velut dijs arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragiis misericordiam versæ, imperio se eius restituũt. Lætus igitur malis suis, & damnis ditior redditus; veluti par viribus bellum Ptolemæo infert; sed quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, quàm vt amitteret, victus prœlio non multo quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem literas facit: quibus auxiliũ eius implorat, oblata ei Asia, inter fines Tauri montis, in præmium latæ opis. Antiochus autem cum esset annos XIIII. natus, supra ætatem regni auidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit. Sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam, virilemque sumit audaciam. Vnde Hierax est cognominatus: quia non hominis, sed accipitris ritu, in A alienis eripiendis vitam sectaretur. Interea Ptolemæus cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognouisset, ne cum duobus vno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit. sed pace ab hoste data, interpellatur à fratre; qui conducto Gallorum mercenario exercitu pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus exhibuit. In eo prœlio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit; sed Galli arbitrantes Seleucum in prœlio cecidisse, in ipsum An-B tiochum arma vertere: liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiã extinxissent. Quod vbi sensit Antiochus, velut à prædonibus, auro se redimit, societatémque cum mercenariis suis iungit.

INTEREA rex Bithyniæ Eumenes, sparsis consumptísque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi Vacantem Asiæ possessionem inuasurus victorem Antiochum, Gallósque aggreditur: nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione, C integer ipse viribus, superat. Ea namque tempestate omnia bella in exitium Asiæ gerebantur, vti quisque fortior fuisset, Asiam velut prædam occupabat. Seleucus & Antiochus fratres bellum, propter Asiam gerebant: Ptolemęus rex Ægypti, sub specie sororiæ vltionis, Asiæ inhiabat. Hinc Bithynus Eumenes, inde Galli (humiliorum semper mercenaria manus) Asiam depopulabantur, cum interea nemo defensor Asiæ inter tot prædones inueniebatur. Victo Antiocho; cum Eu-D menes maiorem partem Asiæ occupasset, ne tũc quidem fratres perdito præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerũt, sed omisso externo hoste, in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tandem ad socerum suum Artamenem regem Cappadociæ peruehitur. A quo cum primum benigne exceptus esset, interiectis diebus, cognito quòd insidiæ sibi pararentur, salutem fuga quæsiuit. Igitur cùm profugo E nusquam tutus locus esset, ad Ptolemæum hostem, cuius fidem tutiorem quàm fratris existimabat, decurrit, memor vel quæ facturus fratri esset, vel quæ meruisset à fratre. Sed Ptolemæus non amici debito, quàm hostis factus, seruari eũ artissima custodia iubet. Hinc quoque Antiochus opera cuiusdam meretricis adiutus, quam familiarius nouerat, deceptis custodibus elabitur, fugiénsque à latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno, equo F præcipitatus, finitur. Sic fratres, quasi & germanis casibus, exules ambo, post regna, scelerum suorum pœnas luerunt.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXIX.

A OLYMPIAS Pyrrhi Epyrotæ regis filia, amisso marito, eodémque germano fratre Alexandro, cùm tutelam filiorum ex eo susceptorum Pyrrhi & Ptolemæi, regnique administrationem in se recepisset, ab Ætolis partem Acarnaniæ, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere volentibus, ad regem Macedoniæ Demetrium decurrit; eique habenti vxorem Antiochi regis Syriæ sororem, filiam suam Ptiam in matrimonium tradit: vt auxilium quod miseri- B cordia non poterat, iure cognationis obtineret. Fiunt igitur nuptiæ, quibus & noui matrimonij gratia acquiritur, & veteris offensa contrahitur. Nam prior vxor matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem Antiochum discedit; eúmque in mariti bellum impellit. Acarnanes quoque diffisi Epirotis, aduersus Ætolos auxilium Romanorum implorantes, obtinuerunt à Romano senatu, vt legati mitterentur, qui denuntiarent Ætolis, præsidia ab vrbibus Acarnaniæ deducerent; paterentúrque C esse liberos, qui soli quondam aduersus Troianos, auctores originis suæ, auxilia Græcis non miserint.

SED Ætoli legationem Romanorum superbe audiuere: Pœnos illis & Gallos, à quibus tot bellis occidione cęsi sint, exprobrantes; dicentésque, prius illis portas aduersus Carthaginienses aperiendas, quas clauserit metus Punici belli, quàm in Græciam arma transferenda. Meminisse deinde iubent, qui quibus minentur: aduersus Gallos D vrbem eos suam tueri non potuisse; captámque non ferro defendisse, sed auro redemisse: Quam gentem se aliquanto maiore manu Græciam ingressam, nó solùm nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adiutos, vniuersam delesse; sedémque sepulcris eorum præbuisse, quam illis viribus, imperióque suo proposuerant. Contrà, Italiá, trepidis ex recenti vrbis suæ incendio Romanis, vniuersam fermè à Gallis occupatam. Prius igitur illis Gallos Italia pellendos, quá mi- E nétur Ætolis; priúsque sua defendéda. Quos autē homines Romanos esse? népe pastores, qui latrocinio iustis dominis ademptum solum teneant: qui vxores cum propter originis dehonestaméta non inuenirent, vi publica rapuerint: qui denique vrbem ipsam parricidio condiderint; murorúmque fundamenta fraterno sanguine asperserint. Ætolos auté principes Græciæ semper fuisse; & sicut dignitate; ita & virtute ceteris præstitisse; solos denique esse, qui Macedonas imperio terrarum florentes, semper contépserint; qui Phi- F lippum regem non timuerint; qui Alexádri Magni post Persas Indósque deuictos, cú omnes nomen eius horrerent, edicta spreuerint. Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna præsenti, nec prouocét arma, quibus & Gallos cæsos, & Macedonas contemptos videant. Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius locuti, quàm fecisse viderentur, fines Epiri regni & Acarnaniæ depopulantur.

IAM Olympias filiis regna tradiderat; & in locum Pyrrhi fratris defuncti Ptolemæus successerat: qui cum hostibus instructo exercitu obuius processisset, infirmitate correptus, in itinere decedit. Olympias quoque non magno pòst tempore, gemino funerum vulnere afflicta, ægrum spiritum trahens, non diu filiis superuixit. Cum ex gente regia sola Nereis virgo, cum Laudamia sorore superesset, Nereis nubit Geloni Siciliæ regis filio: Laudamia autem cum in aram Dianę, cófugisset, concursu populi interficitur. Quod facinus dij immortales assiduis cladibus gentis, & propè interitu totius populi vindicauerunt. Nam sterilitaté, famémque passi & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis penè consumpti sút: Milóque Laudamię percussor in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, in summa dentibus laceratis visceribus, duodecima die interiit. His in Epyro gestis, interim in Macedonia Demetrius rex, relicto filio Philippo paruulo admodum, decedit. Cui Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se cóstitui laborabat. Interiecto deinde tempore, cum seditione minaci Macedonum, clausus in regia teneretur, in publicú sine satellitibus procedit; proiectóque in vulgus diademate ac purpura, dare hæc eos alteri iubet, qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant; se adhuc inuidiosú illud regnú, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. Commemorat deinde beneficia sua: vt defectioné sociorú vindicauerit; vt Dardanos, Thessalósque exultantes morte Demetrij regis compescuerit; vt deniq; dignitatem Macedonú non solú defenderit, verumetiam auxerit. Quorum si illos pœniteat, deponere imperium, & reddere illis munus suum; ipsi regem quærant, cui imperent. Cùm populus pudore motus, recipere eum regnum iuberet, tamdiu recusauit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

POST hæc bellú Spartanis infert, qui soli Philippi Alexandrique bellis, & imperiú Macedonú, & omnibus metuenda arma contempserát. Inter duas nobilissimas gentes bellú, súmis vtrimque viribus fuit: cùm hi pro vetere Macedonú gloria, illi non solùm pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi Lacedæmonij, non ipsi tantú, sed etiá coniuges, liberique, magno animo fortuná tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit; nulla amissú coniugé fleuit: filiorú morté senes laudabant; patribus in acie cæsis filij gratulabantur, suam vicé omnes dolebant, quòd nó ipsi pro patriæ libertate cecidissent. Patéribus omnes domibus saucios excipiebant; vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter hæc nullus in vrbe strepitus, nulla trepidatio; magísque omnes publicam quàm priuatam fortunam lugebant. Inter hæc

Cleomenes

Cleomenes rex post multas hostiũ cędes, toto corpore; suo pariter & hostium cruore madens, superuenit; ingressúsque vrbem, non humi consedit, non cibum aut potum poposcit, non denique armorum onus deposuit: sed accliuis parieti, cum quatuor millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur vt se ad meliora reipublicæ tempora reseruarent. Tum cum coniuge & liberis Ægyptum ad Ptolemæum proficiscitur: à quo honorifice susceptus, diu in summa dignatione regis vixit. Postremo post Ptolemæi mortem, à filio eius cum omni familia interficitur, Anti-

A gonus autem, cæsis occidione Spartanis, fortunam tantæ vrbis miseratus, à direptione milites prohibuit, veniámque his qui superfuerant dedit, præfatus bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse: cuius fuga omnis ira eius finita sit: nec minori sibi gloriæ fore, si ab eo seruata Lacedæmon à quo solo capta sit, proderetur. Parcere igitur se solo vrbis ac tectis, quoniam homines quibus parceret, non superfuissent. Nec multo pòst ipse decedit, regnúmque Philippo pupillo, annos XIIII. nato, tradidit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXIX.

HISDEM ferme temporibus prope vniuersi orbis imperia, noua regum successione mutata sunt. Nã & in Macedonia Philippus mortuo Antigono tutore, eodémque vitrico, annorum quattuordecim regnũ suscepit; & in Asia interfecto Seleuco, impubes adhuc rex Antiochus constitutus est: Cappadociæ quoque regnum Ariarathi puero admodum, pater ipse tradiderat: Ægyptũ, patre ac matre interfectis, occupauerat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine, cognomentum Philopator fuit. Sed & Spartani in locũm Cleomenis suffecerunt Lycurgum. Et ne qua tẽporibus mutatio deesset, apud Carthaginienses quoque ætate immatura dux Annibal constituitur, non penuria seniorum, sed odio Romanorũ, quo imbutum eum à pueritia sciebant. Fatale nõ tam Romanis, quàm ipsi Africæ malum. His regibus pueris, etsi nulli seníoris ætatis rectores erant, tamẽ in suorum quisque maiorum vestigia intentis, magna indoles virtutis enituit. Solus Ptolemæus sicut scelestus in occupando regno, ita & segnis in administrando fuit. Philippum Dardani, ceteríque omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat, contemptu ætatis assidue lacessebant. Contrà ille summotis hostibus, non contentus sua defendisse, vltro etiam Ætolis bellum inferre gestiebat.

QVÆ agitantem illum Demetrius rex Illyriorum, nuper à Paulo Rom. consule victus, supplicibus precibus aggreditur, iniuriam Romanorũ querens, qui non contenti Italiæ terminis, imperium spe improba totius orbis amplexi, bellũ cum omnibus regibus gerant: sic illos Siciliæ, sic Sardiniæ, Hispaniæque, sic denique totius Africę imperium affectantes, bellum cum Pœnis & Annibale suscepisse; sibi quoque non aliam ob causam, quàm quòd Italiæ finitimus videbatur, bellum illatum: quasi nefas esset, aliquem regem iuxta imperij eorum terminos esse: sed & ipsi cauendum esse exemplum, cuius quanto promtius nobiliúsque sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus. Super hæc cædere se illi regno, quod Romani occupauerint profitetur, gratius habiturus, si in possessione imperij sui sociũ potius, quàm hostes videret. Huiuscemodi oratione

B impulit Philippum, vt omissis Ætolis, bellum Romanis inferret, minus negotij existimantem, quòd iam victos ab Annibale apud Trasimenum lacum audierat. Itaque ne eodem tempore multis bellis detineretur, pacem cum Ætolis facit; nõ quasi alio bellũ translaturus; sed vt Græciæ quieti consulturus, quam nunquam in maiori periculo fuisse affirmabat. Siquidem consurgentibus ab Occidente nouis Pœnorum & Romanorum imperiis, quibus vna hæc à Græcia atque Asia sit

C mora, dum inter se bello discrimen imperij faciunt; ceterum statim victoribus transitum in Orientem fore.

VIDERE se itaque ait consurgentem in Italia nubem illam, trucis & cruenti belli; videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam. Frequenter Græciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis; sed omnia illa

D leuia fuisse existimaturos, si ea quæ nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. Cernere se quàm cruenta & sanguinaria inter se bella, vtrique populi, & viribus copiarum, & ducum artibus, gerant: quæ rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruina finitimorum non possit. Feros igitur animos victorum minus quidem Macedoniæ, quàm Græcię timendos, quia & remotior, & in vindictam sui robustior sit: scire tamen se eos qui tantis viribus con-

E currant, non contentos hos fine victoriæ fore; metuendúmque sibi quoque certamen eorum, qui superiores extiterint. Hoc prætextu finito cum Ætolis bello, nihil aliud quàm Pœnorum Romanorúmque bella respiciens, singulorum vires perpendebat. Sed nec Romani, tametsi Pœni & Annibal in ceruicibus erant, soluti metu Macedonico videbantur: quippe terrebat eos & vetus Macedonum deuicti Orientis gloria, & Philippus studio Alexandri æmulationis incensus,

F quem promptum in bella, industriúmque cognouerant.

IGITVR Philippus cùm iterato prœlio victos à Pœnis Romanos didicisset, aperte hostem se his professus, naues, quibus in Italiam exercitum

traiiceret, fabricare cœpit. Legatũ deinde ad Annibalem iungendę societatis gratia, cum epistolis mittit: qui comprehensus, & ad Senatum perductus, incolumis dimissus est, non in honorem regis, sed ne dubius adhuc, indubitatus hostis redderetur. Postea verò cum Romanis nuntiatum esset in Italiam Philippum copias traiecturum, Læuinum prætorem cum instructis nauibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui cũ in Græciam traiecisset, multis promissis impellit Ætolos bellum aduersus Philippum suscipere. Philippus quoque Achæos in Romanorum bella solicitat. Interea & Dardani Macedoniæ fines vastare cœperunt; abductisque xx. millibus captiuorũ, Philippum à Romano bello ad tuẽdum regnum reuocauerunt. Dum hæc aguntur, Læuinus Prætor iuncta cum Attalo rege societate, Græciam populatur. Quibus cladibus perculsæ ciui-A tates, auxilium petentes, Philippum legationibus fatigant; nec non & Illyriorum reges lateri eius hærentes, assiduis precibus promissa exigebant. Super hæc vastati Macedones, vltionẽ flagitabãt. Quibus tot tantisque rebus obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat: omnibus tamẽ propediem auxilia se missurum pollicetur; non quia facere posset quæ promittebat, sed vt spe impleros, in societatis iure retineret. Prima tamen illi expeditio aduersus Dardanos fuit: qui absentiam B eius occupantes, maiore belli mole Macedoniæ imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit, contentus interim bellum Macedonicum distulisse: Philopœmeni Achæorum duci, quem ad Romanos, sociorum animos solicitare didicerat, insidias prætendit. Quibus ille cognitis, vitatisque, discedere ab eo Achæos auctoritate sua coëgit.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXX.

PHILIPPO in Macedonia magnis rebus intento, in Ægypto Ptolemæi diuersi mores erant. Quippe regno parricidio parto, & ad necem vtriusque parentis, cæde etiam fratris adiuncta, velut rebus feliciter gestis, luxuriæ se tradiderat; regisque mores omnis sequuta regia erat. Itaque non amici tantum, præfectique, verumetiam omnis exercitus depositis militiæ studiis, otio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis, Antiochus rex Syriæ, veteri inter se regnorũ odio stimulante, repentino bello multas vrbes eius oppressit, ipsamque Ægyptum aggreditur. Trepidare igitur Ptolemæus; legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia exercitu conducto, secundum prœlium facit; spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute iuuisset. Sed contentus reciperatione vrbium, quas amiserat, facta pace, auide materiam quietis arripuit; reuolutúsque in luxuriam, occisa Eurydice vxore, eadémque sorore sua, Agathocliæ meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis, ac maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuiis consumit. Adduntur INSTRVMENTA luxuriæ, tympana & crepundia: nec iam spectator rex, sed magister nequitiæ, neruorum oblectamenta modulatur. Hæc primo laborantis regiæ tacitæ pestes, & occultæ fuere.

DEINDE crescente licentia, iam nec parietibus regiæ domus domus contineri meretricis audacia potest: quam proteruiorẽ, sociata cum Agathoclé fratre, ambitiosę pulchritudinis scorto, quotidiana regis stupra faciebant. Accedebat & mater Oenanthe, quæ geminæ subolis illecebris deuinctum regem tenebat. Itaque non contentæ rege, iam etiam regnum possident, iam in publico visuntur, iam salutantur, iam comitantur. Agathocles regis lateri iunctus, ciuitatem regebat, tribunatus, præfecturas, & ducatus mulieres ordinabant; nec quisquam in regno suo minus, quàm C ipse rex poterat: cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur: sed mors eius, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis & Agathocles occiditur, & mulieres in vltionem Eurydicis patibulis suffiguntur. Morte regis, supplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos misere, orantes vt tutelam D pupilli susciperent; tuerentúrque regnum Ægypti, quod iam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, diuisisse dicebant.

GRATA legatio Romanis fuit, causam belli aduersus Philippum quærentibus, qui insidiatus eis temporibus Punici belli fuerat. Huc accedebat, quòd Pœnis & Annibale superato, nullius magis arma metuebant, reputantibus quantum motum Pyrrhus parua manu Macedonum in Italia fecisset, quantásque res E Macedones in Oriente gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho & Philippo denuntient regno Ægypti abstineant. Mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. Dum hæc aguntur, interim legationes Attali regis, & Rhodiorum, iniurias Philippi querentes, Romam venerunt. Quæ res omnem cunctationem Macedonici belli senatui exemit. Statim igitur titulo ferendi sociis auxilij, bellum aduersus Philippum decer-F nitur, legionésque cum consule in Macedoniam mittuntur. Nec multo pòst tempore, tota Græcia fiducia Romanorum, aduersus Philippum, spe pristinæ libertatis erecta, bellum ei intulit: Atque ita cum rex vndique vrgeretur, pacem petere compellitur. Deinde cum expositæ conditiones pacis à Romanis essent, repetere sua & Attalus, & Rhodij, & Achæi & Ætoli cœpere. Contrà Philippus, adduci se posse, vt Romanis pareat, concedebat, ceterum indignum esse, Græcos à

Philippo

Philippo & Alexando maioribus suis victos, & sub iugum Macedonici imperij subactos, veluti victores leges pacis sibi dicere, quibus prius sit, seruitutis ratio reddenda, quàm libertas vindicanda. Ad postremũ tamen petente eo, induciæ duorum mensium datæ, vt pax quæ in Macedonia non conueniebat, Romæ à senatu peteretur.

Eodem anno inter insulas Theramenem & Therasiam, medio vtriusque ripę & maris spatio, terræmotus fuit. In quo, cum admiratione nauigantium, repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia quoque eadem die idẽ motus terræ Rhodum, multásque, alias ciuitates graui ruinarum labe concussit; quasdam solidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere, oriẽs Romanorum imperium, vetus Græcorum ac Macedonum voraturum. Interim à senatu repudiata pace, Philippus in societatem belli Nabin tyrannum solicitat. Atque ita, cum in aciem exercitũ instructis è diuerso hostibus produxisset, hortari suos cœpit, referendo Persas, Bactros, Indósque, & omnẽ Asiam, Orientis finem, à Macedonibus perdomitã, tantóque fortius hoc bellum quàm illa sustinendum, quãto sit libertas imperio carior. Sed & Flamininus Romanus cõsul, relatione rerum recentissime gestarum, suos stimulabat in prœlium, ostendendo hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam & Hispaniam Romana virtute perdomitas: nec Annibalem quidem Alexandro Magno postponendum; A quo Italia pulso, Africam ipsam tertiam partem mundi superauerint. Sed nec Macedonas veteri fama, sed præsentibus viribus æstimandos: quia non cum Alexandro Magno, quem inuictum audierant, nec cum exercitu eius, qui totum Orientem deuicerat, bellum gerant; sed cum Philippo puero immaturæ ætatis, qui regni terminos aduersus finitimos ægrè defendat; & cum his Macedonibus, qui non ita pridem prædæ Dardania fuerunt. Illos maiorum decora, se suorum mili- B tum commemorare. Non enim alio exercitu Annibalem & Pœnos, & totum ferme Occidentem, sed his ipsis, quos in acie habeat militibus, subactos. His adhortationibus vtrimque concitati milites, prœlio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis imperio gloriantes; ferentésque in bellum, alij maiorum suorum antiquam & obsoletam gloriam, alij virentem recentibus experimentis virtutis florem. Sed Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus itaque bello Philippus, pa- C ce à Flaminino consule petita, nomẽ quidem regium retinuit, sed omnibus Græciæ vrbibus, velut regni membris extra terminos antiquæ possessionis amissis, solam Macedoniam retinuit. Offensi tamen Ætoli, quòd non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi, & data sibi in præmium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis, in Romana bella, spe societatis vniuersæ Græciæ, impellerent.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXXI.

Mortvo Ptolemæo Philopatore rege Æ- D gypti, contemptáque paruuli filij eius ætate, qui in spem regni relictus, præda etiã domesticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum statuit. Itaque Phœnicem, ceterásque Syriæ quidem, sed iuris Ægypti ciuitates cum inuasisset, legatos ad eum Senatus mittit, qui denuntiarent ei, abstineret regno pupilli, postremis patris precibus fidei suæ traditi. Quibus spretis, interiecto tempore alia legatio superuenit, quæ omissa pupilli persona, ciuitates, iure belli factas po- E puli Rom. in integrum restitui iubebat. Abnuenti, bellum denuntiatum: quod ille facile susceptum, infeliciter gessit. Eodem tempore & Nabis tyrannus multas Græciæ ciuitates occupauerat. Igitur senatus, ne vno tempore duplici bello Romanæ vires vires detinerentur, scripsit Flaminino, si ei videatur, sicuti Macedoniam à Philippo, ita Græciam à Nabide liberet. Ob quam causam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe Antiochi bellum Annibalis nomen faciebat, quẽ F æmuli eius occultis mandatis, cum Antiocho iniisse societatem apud Romanos criminabantur: negantes eum æquo animo sub legibus viuere, assuetũ imperio, & immoderata licentia militari; sempérque tędio quietis vrbanæ, nouas belli causas circumspicere: quæ etsi falsa nuntiata fuissent, apud timentes tamen pro veris habebantur.

Deniqve senatus metu perculsus, ad speculãdos actus Annibalis, legatum in Africam Gnæũ Seruilium mittit: eique tacitis mandatis præcipit, si posset, eũ per æmulos eius interficeret, metúq; inuisi nominis, tandem populum Rom. liberaret. Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cauendáque pericula peritum; nec minus in secundis aduersa, quàm in aduersis secunda cogitãtem. Igitur cum tota die in oculis principum, legatique Romani, in foro Carthaginiensium obuersatus in supremum fuisset, appropinquante vespere, equum cõscendit, & rus vrbanũ, quod propter littus maris habebat, ignaris seruis, iussísque ad portam reuertẽtem opperiri, contẽdit. Habebat ibi naues cũ remigibus occulto sinu littoris absconditas: Erat & grãdis pecunia, in eo agro præparata, vt cum res exegisset, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Lecta igitur seruorum iuuentute, quorum copiam Italicorum captiuorum numerus augebat, nauem conscendit, cursúmq. ad Antiochum dirigit. Postera die ciuitas principem suum, ac tum temporis consulem, in foro exspectabat. Quem vt profectum nuntiatum est, non aliter quã si vrbs capta esset, omnca trepidauere, exitiosamque sibi fugã eius ominati sunt. Legatus verò Romanus quasi bellum iam illatum Italiæ ab Annibale esset, tacitus Romam regreditur, trepidúmque nuntium refert.

INTERIM in Græcia Flaminінus, iuncta cum quibusdam ciuitatibus societate, Nabidem tyrannum duobus continuis prœliis subegit; & grauiter fractum velut exsanguẽ in regno reliquit. Sed libertate Græciæ restituta, eductisque ab vrbibus præsidiis, cum Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut vacua rursus possessione soli citatus, multas ciuitates repentino bello inuasit. Quibus rebus exterriti Achæi, ne vicinum malũ etiam ad se serperet, bellum aduersus Nabidem decernunt, ducémque prætorem suum Philopœmenem, insignis industriæ virũ, cõstituunt: cuius in eo bello tãta virtus emituit, vt opinione omniũ Flaminino Romano imperatori cõpararetur. Eodem tempore Annibal cum ad Antiochum peruenisset, velut deorum munus excipitur: tantúsque eius aduentu ardor animis regis accessit, vt non tam de bello, quàm de præmiis victoriæ cogitaret. Sed Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat opprimi Romanos nisi in Italia posse. Ad hoc sibi centum naues, & decem millia peditum, & mille equites poscebat: promittens hac manu non minus bellum, quàm gesserit, Italiæ restauraturum; & in Asiam regi cedenti, aut victoriam de Romanis, aut æquas pacis conditiones relaturum: quippe & Hispanis bello flagrantibus, ducem tantum deesse; & Italiam notiorem sibi nunc, quàm pridem fuisse; sed nec Carthaginem quieturam, sociámque se ei sine mora præbituram.

CVM regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem vnus ex comitibus Annibalis, qui in bellum cupidos hortetur, Annibalémque cum copiis affuturum nuntiet: nihil, dicat partibus, nisi animos Carthaginiensium deesse; Asiam & vires belli, & sumptum præbituram. Hæc cum relata Carthaginem essent, nuntius ipse ab inimicis Annibalis comprehenditur, & perductus in senatum, cum interrogaretur, ad quem missus esset, Punico ingenio respondit, se ad vniuersum senatum missum: Nec enim hoc opus singulorum, sed vniuersorum esse. Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mittant, tacitus conscensa naue ad Annibalẽ reuertitur: quo cognito, Carthaginienses vltro rem Romã per legatum deferũt. Romani quoque ad Antiochum legatos misere, qui sub specie legationis, & regis apparatum specularentur & Annibalem aut Romanis mitigarẽt, aut assiduo colloquio suspectum inuisúmque regi redderent. Itaque legati cum Ephesi cõuenissent ad Antiochum, mandata ei senatus tradunt. Dũ responsum exspectant, omnibus diebus assidui circa Annibalem fuere: dicẽtes, timide eũ à patria recessisse, cum pacem Romani non tã cũ republica eius, quàm cum eo factam, summa fide custodiant; nec bella eum Romanorum magis odio, quàm patriæ amore gessisse, cui ab optimo quoque etiã spiritus ipse debeatur: has enim publicas inter populos, nõ priuatas inter duces, bellãdi causas esse: inde res gestas eius laudare. Quorum sermone lætus, sæpius, cupidiúsque cum legatis colloquebatur, ignarus quòd familiaritate Romana, odium sibi apud regem crearet. Quippe Antiochus tam assiduo colloquio, reconciliatam eius cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum sicuti solebat referre; expertémque totius consilij, veluti hostem proditorémque suum, odisse cœpit. Quæ res tantum apparatum belli, ces-

A sante imperatoria arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, vt contentus terminis Asiæ esset, ne ipsis ingrediendi Asiam necessitatem imponeret: Quibus spretis, non accipiendum bellum statuit, sed inferendum.

DICITVR quum frequenter de bello consiliũ habuisset, remoto Annibale, tandem eum vocari iussisse, non vt ex sententia eius aliquid ageret, sed ne per omnia eum spreuisse videretur: omni- B búsque perrogatis postremum interrogasse. Quo ille animaduerso, intelligere se professus est, non quia egeat consilio, sed ad supplendum numerum sententiarum se vocatum; tamen & odio Romanorum, & amore regis, apud quem solum tutum sibi exilium relictum sit, se viam gerendi belli edissertaturum. Veniam deinde libertati præfatus, nihil se aut cõsiliorum, aut cœptorum præsentium, probare ait; neque sedem belli Græciam sibi placere, cum Italia vberior materia sit: quip- C pe Romanos vinci non nisi armis suis posse; nec Italiam aliter, quàm Italicis viribus subigi: siquidem diuersum ceteris mortalibus esse illud & hominum & belli genus. Aliis bellis plurimũ momenti habere, priorem aliquam cepisse occasionem loci, temporisque, agros diripuisse, vrbes aliquas expugnasse: cum Romano seu occupaueris prior aliqua, seu viceris, tum etiam cum victo & iacente luctandum esse. Quamobrem si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viribus, D suis armis posse vincere, sicut ipse fecerit. Sin verò quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis deriuare, sed concretis iã aquarũ molibus auertere, vel exsiccare velit. Hæc & secreto se censuisse, vltróque ministerium consilij sui obtulisse; & nunc præsentibus amicis ideo repetisse, vt scirent omnes rationem cum Romanis gerendi belli; eósque foris inuictos, domi fragiles esse. Nam prius illos vrbe quàm imperio; prius E Italia quã prouinciis exui posse: quippe & à Gallis captos, & à se prope deletos esse: neq; se vnquã victũ prius, quã terris eorũ cesserit. Reuerso Carthaginem, statim cũ loco fortunã belli mutatam.

HVIC sententiæ obtrectatores amici regis erant: non vtilitatem rei cogitantes, sed verẽtes, ne probato consilio eius, primum apud regem locũ gratiæ occuparet. Et Antiocho non tam consilium, quàm auctor displicebat, ne gloria victoriæ Annibalis, non sua esset. Omnia igitur variis as- F sentationum adulationibus corrumpebantur; nihil consilio vel ratione agebatur. Rex ipse per hiemem in luxuriam lapsus, nouis quotidie nuptiis deditus erat. Cõtra Acilius Romanus cõsul, qui ad hoc bellum missus erat, copias, arma, ceteráq; bello necessaria, summa industria parabat; ciuitates socias confirmabat; dubias illiciebat: nec alius exitus belli, quàm apparatus vtriusque partis fuit. Itaque prima belli congressione, cùm cedentes suos rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit; sed fugientibus se ducem præbuit, ca- G stráque ditia victoribus reliquit. Deinde cum in Asiam, præda Romanis occupatis, fugiendo peruenisset, pœnitere neglecti consilij cœpit; reuocatóque in amicitiam Annibale, omnia ex sententia eius agere. Interim nuntiatur Æmilium Romanum ducẽ cum octoginta rostratis nauibus, in bellum nauale à senatu missum, aduentare: quæ res illi spem restituendæ fortunæ dedit. Itaque priusquam sociæ ciuitates ad hostes deficerent,

decernere naualli prœlio statuit, spectans cladē in A
Græcia acceptam, noua posse victoria aboleri. Tradita igitur Annibali classe prœlium committitur: sed nec Asiani milites Romanis, neque naues eorum pares rostratis nauibus fuere; minor tamen clades ducis solertia fuit. Romam nondū opinio victoriæ venerat, & idcirco in consulibus creandis suspensa ciuitas erat.

SED aduersus Annibalem ducem quis melior quàm Africani frater crearetur, cum vincere Pœnos opus Scipionum esset? Creatur igitur Consul B
Lucius Scipio: eique datur legatus frater Africanus, vt intelligeret Antiochus, non maiorem fiduciam se in Annibale victo, quàm Romanos in victore Scipione habere. Traiicientibus in Asiam Scipionibus exercitum, iam vtrubique profligatum bellum nuntiatum est; victúmque Antiochum terrestri, Annibalem nauali bello inueneront. Primo igitur aduētu eorum, legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium, quem rex C
paruo nauigio traiicientem ceperat. Sed Africanus priuata beneficia à rebus publicis secreta esse dixit; aliáque esse patris officia, alia patriæ iura, quæ non liberis tantum, verumetiam vitæ ipsi proponātur: proinde gratum se munus accipere, priuatóque impēdio munificētię regis responsurum. Quòd ad bellum pacémq; pertineat, nihil neque gratiæ dari, neq; de iure patriæ decidi posse, respondit. Nam neq; de redimēdo filio vnquam D
tractauit, nec senatum de eo agere permisit; sed vt dignū maiestate eius erat, armis se recepturum filium dixerat. Post hæc leges pacis dicuntur: vt Asia Romanis cederet, contentus Syriæ regno esset, naues vniuersas, captiuos & transfugas traderet, sumptúmque omnem belli Romanis restitueret. Quæ cum nunciata Antiocho essent, nondum ita victum se esse respondit, vt spoliari se regno pateretur, bellíque ea irritamenta, non pacis blandimenta esse.

IGITVR cum ab vtrisque bellum pararetur, ingressíque Asiam Romani Ilion venissent, mutua gratulatio Iliensium ac Romanorum fuit: Iliensibus Æneam, ceterósque cum eo duces à se profectos, Romanis se ab his procreatos referentibus. Tantáque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes & liberos solet. Iuuabat Ilienses, nepotes suos, Occidente & Africa domita, Asiam vt auitum regnum vindicare, optabilem Troiæ ruinam fuisse dicentes, vt tam feliciter renasceretur. Contra Romanos, auitos lares, & incunabula maiorum, templáque ac deorum simulacra, inexplebile desiderium vidēdi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis, Eumenes rex cum auxiliis occurrit: nec multo post prœliū cum Antiocho commissum. Cum in dexteriore cornu pulsa legio Romana, maiore dedecore, quàm periculo ad castra fugeret, M. Æmilius tribunus militum ad tutelam castrorum relictus, armare se milites suos, & extra vallum progredi iubet, strictísque gladiis fugientibus minari, morituros dicens, nisi in prœlium reuertantur, infestioráque sua, quàm hostium castra inuenturos. Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus qui fugere eos prohibuerāt, in prœlium reuertitur, magnáque cæde edita, initiū victoriæ fuit. Cæsa hostium quinquaginta millia, capta xi. Antiocho pacem petenti, nihil ad superiores conditiones additum, Africano prędicante, neque Romanis, si vincantur, animos minui, neque si vincant, secundis rebus insolescere. Captas ciuitates inter socios diuisere Romani, aptiorem gloriam, quàm possessiones voluptarias iudicantes. Quippe victoriæ gloriam Romanos nomini vindicandam, opum luxuriam sociis relinquendam.



POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXXII.

AETOLI qui Antiochum in bella Romana E
impulerāt, victo eodem, soli aduersus Romanos & viribus impares, & omni auxilio destituti remanserunt. Nec multo post victi, libertatē, quàm illibatam aduersus dominationem Atheniensium & Spartanorum, inter tot Græciæ ciuitates soli retinuerant, amiserunt. Quæ cōditio tāto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tātis Persarū opibus, domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violētiam, Asiæ, Italiæque terribilem, Delphico bello F
fregerant. Quę gloriosa recordatio, maius desiderium libertatis augebat. Dum hæc aguntur, medio tempore inter Messenios & Achæos de principatu primò dissensio, mox bellum ortum est. In eo nobilis Achæorum Philopœmenes imperator capitur: non quia pugnando vitæ pepercerit, sed dū suos in prœliū reuocat, in transitu fossæ equo præcipitatus, à multitudine hostium oppressus est. Quē iacentem Messenij seu metu virtutis, vel verecundia dignitatis, interficere ausi non fuerunt. Itaq; velut in illo omne bellum cōfecissent, captiuum per vniuersā ciuitatem, in modum triūphi circūduxerunt, effuso obuiā populo, ac si suus, nō hostium imperator aduētaret: nec victorē Achæi auidius vidissent, quàm victū hostes viderunt. Igitur eundē in theatrum duci iusserūt, vt omnes contuerētur, quē potuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde in carcerem ducto, verecundia magnitudinis eius, venenū dederunt: quod ille lætus, ac si vicisset, accepit; quæsito prius, an Ligortas præfectus Achæorum quem secūdum à se esse scientia rei militaris sciebat, incolumis effugisset. Quem vt accepit euasisse, non in totum dicens consultum male Achæis, exspirauit. Nec multo pòst, reparato bello, Messenij vincuntur, pœnásq; interfecti Philopœmenis pependerunt.

INTEREA in Syria rex Antiochus cùm graui tributo pacis à Romanis victus oneratúsque esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu aua-

ritia solicitatus, qua spectabat se, sub specie tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia cōmissurum, adhibito exercitu, noctu templum Didymęi Iouis aggreditur. Qua re prodita, concursu insularum, cum omni militia interficitur. Romę cum multę Gręcię ciuitates, questum de iniuriis Philippi regis Macedonum venissent, & disceptatio in senatu inter Demetrium Philippi filium, quē pater ad satisfaciēdum senatui miserat, & legatos ciuitatum esset: turba querelarum confusus adolescens, repentè obticuit. Tunc senatus verecundia eius motus, quę probata etiam antea, cum obses Romę esset, omnibus fuerat, causam illi donauit: atque ita modestia sua Demetrius veniam patri, non iure defensionis, sed patrocinio pudoris obtinuit, quod ipsum decreto senatus significatum est, vt appareret non tam absolutum regem, quàm donatum filio patrem. Quæ res Demetrio non gratiam legationis, sed odium obtrectationis comparauit. Nam apud fratrē Perseum æmulatio illi inuidiam contraxit; & apud patrem nota absolutionis causa, offensæ fuit, indignāte Philippo, plus momenti apud senatum personam filij, quàm auctoritatem patris, ac dignitatem regiæ maiestatis habuisse. Igitur Perseus perspecta patris ęgritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari; & primo inuisum, post etiā suspectum reddere; nunc amicitiam Romanorū, nunc proditionem ei patris obiectare. Ad postremum, insidias sibi ab eo paratas confingit: ad cuius rei probationem immittit indices, testes subornat, & facinus quod obiicit, admittit: Quibus rebus compulso ad parricidium patre, funestam omnem regiam facit.

Occiso Demetrio, sublatóque æmulo non negligentior tantum Perseus in patrem, verumetiam contumacior erat; nec hæredem regni, sed regem se gerebat. His rebus offensus Philippus, impatientius in dies mortem Demetrij dolebat, tunc & insidiis circumuentum suspicari, testes indicésque torquere. Atque ita cognita fraude, non minus scelere Persei, quàm innoxia Demetrij morte cruciabatur; peregissétque vltionem, nisi morte præuētus fuisset. Nam breui pòst tempore, morbo ex ægritudine animi contracto, decessit, relicto magno belli apparatu aduersus Romanos: quo postea Perseus vsus est: nam & Gallos Scordiscos ad belli societatem perpulerat: fecissétque Romanis graue bellum, nisi decessisset. Namque Galli bello aduersus Delphos infeliciter gesto, in quo maiorem vim numinis, quàm hostium senserant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem vestigia, qua venerant, antiquam patriam repetiuere. Ex his manus quædam in confluente Danubij & Sabi consedit, Scordiscósque se appellari voluit. Tectosagi autem cum in antiquam patriam Tolosam venissent, comprehensique pestifera lue essent, non prius sanitatem reciperauere, quàm aruspicum responsis moniti, aurū argentúmque bellis sacrilegiísque quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent. Quod omne magno pòst tempore Cæpio Romanus consul abstulit. Fuere autem argenti pondo centum decem millia; auri pondo quinquies decem cētum millia. Quod sacrilegium causa excidij Cæpioni exercitúsque eius postea fuit. Romanos quoq; Cimbrici belli tumultus, velut vltor sacræ pecuniæ, insecutus est. Ex gente Tectosagorum non mediocris populus prædæ dulcedine Illyricum repetiuit, spoliatísque Istris, in Pannonia consedit. Istrorum gentem fama est, originem à Colchis ducere, missos ab Aeta rege ad Argonautas, raptorésque filiæ persequendos: qui vt à Ponto intrauerunt Istrum, alueo Sabi fluminis penitus inuecti, vestigia Argonautarum insequentes, naues suas humeris per iuga montium, vsque ad litus Adriatici maris transtulerunt, cognito quòd Argonautæ idem propter magnitudinem nauis priores fecissent: quos vt auectos Colchi non reperiunt, siue metu regis, siue tædio longæ nauigationis, iuxta Aquileiam consedere; Istríque ex vocabulo amnis, quò à mari concesserant, appellati. Daci quoque suboles Getarum sunt: qui, cùm Orole rege aduersus Bastarnas male pugnassent, ad vltionem segnitiæ, capturi somnum capita loco pedum ponere iussu regis cogebantur; ministeriáque vxoribus, quæ ipsis antea fieri solebant, facere. Neque hæc ante mutata sunt, quàm ignominiam bello acceptam virtute delerent.

Igitur Perseus, cum imperio Philippi patris successisset, omnes has gentes aduersus Romanos in societatem belli solicitabat. Interim inter Prusiam regem, ad quem Annibal post pacem Antiocho à Romanis datam, profugerat, & Eumenem bellum ortum est, quod Prusias Annibalis fiducia rupto fœdere, prior intulit. Namque Annibal, cum ab Antiocho Romani inter ceteras conditiones pacis deditionem eius deposcerent, admonitus à rege, in fugam versus Cretam defertur: Ibi cum diu quietam vitam egisset, inuidiosúmque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia deponit: atque ideo nihil de illo solicita ciuitate, quoniā velut pignus opes eius tenebat, ad Prusiam cōtendit, auro suo in statuis, quas secū portabat infuso, ne cōspectæ opes vitæ nocerent. Dein cū Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & prœlium in mare transtulisset, Annibal nouo commento auctor victoriæ fuit. Quippe omne serpentium genus in fictiles lagenas coniici iussit, medióque prœlio in naues hostium mittit. Id primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus repleri naues cœpere, ancipiti periculo circumuenti, hosti victoriam cessere. Quæ vbi Romam nuntiata sunt, missi à senatu legati sunt, qui vtrumque regem in pacem cogerent, Annibalémque deposcerent. Sed Annibal re cognita, sumpto veneno, legationem morte præuenit. Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit, Annibalis, & Philopœmenis, & Scipionis Africani. Ex quibus constat Annibalem, nec tum cum Romano tonantem bello Italia contremuit, nec cum reuersus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem cœnasse, aut plus quàm sextario vini indulsisse; pudicitiámque eum tantam inter tot captiuas habuisse, vt in Africa natum quiuis negaret: Moderationis certe eius fuit, vt cum diuersarum gentium exercitus rexerit, neque insidiis suorum militum sit petitus vnquam, neque fraude proditus, quum vtrumque hostes sæpe tentassent.

POM-

POMPEII TROGI·EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXXIII.

MINORE quidem rerum motu Romani Macedonicum, quàm Punicum bellum gesserunt, sed tanto clarius, quanto nobilitate Macedones Pœnos antecesserunt. Quippe cum gloria Orientis domiti, tum & auxiliis omnium regum iuuabantur. Itaque Romani & legiones plures numero conscripserunt, & auxilia à Masinissa rege Numidarum, ceterisque sociis omnibus acciuerunt,& Eumeni regi Bithyniæ denuntiatum, vt bellum summis viribus iuuaret. Perseo præter Macedonicum inuictæ opinionis exercitum,decennis belli sumptus, à patre paratus, in thesauris & horreis erat: quibus rebus inflatus,oblitus fortunæ paternæ, veterem Alexandri gloriam considerare suos iubebat. Prima equitum congressio fuit, qua victor Perseus suspensam omnium exspectationem in fauorem sui traxit: misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi suscepturus. Sed cõsul Sulpitius,non minus graues quàm victo leges dixit.Dum hęc aguntur metu tam periculosi belli, Romani Æmilium Paulum consulem creant, eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt: qui cum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnæ fecit. Pridie quàm prœlium consereretur, luna nocte defecit: triste id ostentum Perseo omnibus præsagientibus, finémque Macedonici regni portendi vaticinantibus.

IN ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimi- A cat, ego delapsus, pedestre prœlium aggreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore, veluti iacentem obtruncaturus circumsteterat; at ille citius corpore collecto, magnas strages edidit. Quum ad vnum opprimendum vndique hostes conuolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei è manu elapsus, in mediam cohortem hostium decidit: ad quem recipierandum vmbone se protegens inspectante vtroque exercitu, inter mucrones se hostium B immersit, recollectóque gladio, multis vulneribus exceptis, ad socios cum clamore hostium reuertitur.Huius audaciam ceteri imitati, victoriã pepererе. Perseus rex fuga cum decem millibus talentûm Samothraciam defertur: quem Cneua Octauius, ad persequendum missus à consule, cum duobus filiis, Alexandro & Philippo, cepit, captúmque ad consulem duxit. Macedonia à Carano, qui primus in ea regnauit, vsque ad Perseum triginta reges habuit. Quorum sub regno C fuit quidem annis noningentis & viginti tribus, sed rerum non nisi centum nonaginta duobus annis potita. Ita cum in ditionem Romanorum cessisset,magistratibus per singulas ciuitates constitutis, libera facta est, legésque quibus adhuc vtitur, à Paulo accepit. Ætolorum vniuersarum vrbium senatus, cum coniugibus & liberis,qui dubia fide fuerant, Romam missus, ibique ne in patria aliquid nouaret, diu detentus, ægréque per multos annos legationibus ciuitatium senatu fatigato, in patriam quisque suam remissus est.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXXIV.

POENIS ac Macedonibus subactis, Ætolorúmque viribus principum captiuitate debilitatis, soli adhuc ex Græcia vniuersa Achæi nimia potentes tunc temporis Romanis videbantur, non propter singularum ciuitatium nimias opes, sed propter conspirationem vniuersarum. Námque Achæi, licet per ciuitates veluti per membra diuisi sint, vnum tamen corpus & vnum imperium habent, singularúmque vrbium pericula mutuis viribus propulsant. Quærentibus igitur Romanis causas belli,tempestiue fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis à senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad iniuriam demendam in Græciam missuros: sed le- D garis occulta mandata data sunt, vt corpus Achæorum dissoluerent,singulásque vrbes proprij iuris facerent, quò facilius ad obsequia cogerentur,& si quæ vrbes contumaces essent,frangerentur. Igitur legati, omnium ciuitatium principibus Corinthum euocatis, decretum senatus recitant, quid consilij habeant,aperiunt. Expedire omnibus dicunt, vt singulæ ciuitates sua iura & suas leges habeant.Quod vbi omnibus innotuit, velut in furorem versi, vniuersum peregrinum E populum trucidant,legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu, trepidi fugissent.

HAEC vbi Romæ nuntiata sunt,statim senatus Mummio consuli bellum Achaicum decernit: qui extemplò exercitu deportato, & omnibus

strenuè prouisis, pugnandi copiam hostibus fecit. A Sed Achæi, velut nihil negotij Romano bello suscepissent, ita apud eos neglecta omnia & soluta fuere. Itaque prædam, non prœlium cogitantes, & vehicula ad spolia hostium reportanda duxerunt, & coniuges liberósque suos, ad spectaculum certaminis, in montibus posuerunt. Sed Prœlio commisso, ante oculos suorum cæsi, lugubre his spectaculum, & grauem luctus, memoriam reliquerunt. Coniuges quoque liberique eorum, de B spectatoribus captiui facti, præda hostium fuere. Vrbs ipsa Corinthus diruitur: populus omnis sub corona venditur: vt hoc exemplo ceteris ciuitatibus metus nouarum rerum imponeretur. Dum hæc aguntur, rex Syriæ Antiochus Ptolemæo, maioris sororis suæ filio, regi Ægypti, bellum infert, segni admodum, & quotidianâ luxuria ita marcenti, vt nô solum regiæ maiestatis officia intermitteret, verumetiam sensu hominis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno, ad fratrem mi- C norem Ptolemæum Alexandriam confugit: participaróq; cum eo regno, legatos Romam ad senatum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant. Mouêre senatum preces fratrum.

MITTITVR itaque legatus Popilius ad Antiochum: qui abstinere illum Ægypto, aut si iam incessisset, excedere iuberet. Cùm in Ægypto eum inuenisset, osculúmque ei rex obtulisset (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romæ obses esset) tunc Popilius facessere interim D priuatam amicitiam iubet, cum mandata patriæ intercedant, prolatóque senatus decreto, & tradito, cum cunctari eum videret, consultationémque ad amicos referre, ibi Popilius virga quam in manu gerebat amplo circulo inclusum, vt & amicos caperet, consulere iubet, nec prius inde exire, quàm responsum senatui daret, aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum. Adeóque hæc austeritas animum regis fregit, vt pariturum se senatui responderet. Reiectus in regnum Antiochus, decedit relicto paruulo admodum filio: cui cum tutores dati à populo essent, patruus eius Demetrius, qui obses Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, senatum adit, obsidémque se viuo fratre venisse, quo mortuo, cuius obses sit, se ignorare: Dimitti igitur se ad regnum petendum æquum esse, quod sicuti iure gentium maiori fratri cessérit, ita nunc sibi, qui pupillum ætate antecedat, deberi. Cùm se non dimitti animaduerteret à senatu, tacito iudicio tutius, apud pupillum quàm apud eum regnum futurum arbitrante, specie venandi ab vrbe profectus, Hostiæ tacitus, cum fuga comitibus nauem conscendit. Delatus in Syriam secundo fauore omnium excipitur, regnúmque ei, occiso pupillo, à tutoribus traditur.

EODAM fere tempore Prusias rex Bithyniæ, consilium cepit interficiendi Nicomedis filij, dum consulere studet minoribus filiis, quo ex nouerca eius susceperat, & Romæ habebat. Sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur: hortatique sunt, vt crudelitate patris prouocatus, occupet insidias, & in auctorem retorqueat scelus: nec difficilis persuasio fuit. Igitur cum accitus in patris regnum venisset, statim rex appellatur. Prusias regno spoliatus à filio, priuatúsque redditus, etiam à seruis deseritur: Cùm in latebris ageret, non minori scelere, quàm filium occidi iusserat, à filio interficitur.



POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXXV.

DEMETRIVS occupato Syriæ regno, E nouitati suæ ocium periculosum ratus, ampliare fines regni, & opes augere finitimorum bellis statuit. Itaque Ariarathi regi Cappadociæ propter fastiditas sororis nuptias infestus, fratrem eius Orofernem, per iniuriam regno pulsum, supplicem recepit, datúmque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum statuit. Sed Orofernes ingrato animo inita cum Antiochensibus pactione, offensis tunc F Demetrio, pellere ipsum regno, à quo restituebatur, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius vitæ quidem eius, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit, ipsum autem comprehensum, vinctum Seleuciæ custodiri iubet. Nec Antiochenses indicio territi, à defectione destiterunt. Itaque adiuuantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessiti, suburnant propalàm quendam, sortis extremæ iuuenem, qui G Syriæ regnum velut paternum armis repeteret: & nequid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur, genitúsque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odium Demetrij apud omnes erat, vt æmulo eius non vires regiæ tantum, verumetiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander admirabili rerum varietate, pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert, victúmque vita pariter ac regno spoliat: quamquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam & primo prœlio hostem fugauit, & regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen inuicto animo inter confertissimos fortissime dimicans, cecidit.

INITIO belli Demetrius duos filios apud Gnidium hospitem suum, cum magno auri pondere, commendauerat, vt belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternæ vltioni seruarentur. Ex his maior Demetrius annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornaméta, velut captum, inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus secutum, ac nihil hostile metuentem, aggreditur Antiochenses

quoque

quoque veterem patris offensam nouis meritis correcturi, se ei tradunt: sed & milites paterni, fauore iuuenis accensi, prioris sacramenti religionem noui regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transferunt: atque ita Alexander non A minori impetu fortunæ, destructus, quàm elatus, primo prœlio victus interficitur: deditque pœnas & Demetrio, quem occiderat, & Antiocho, cuius meritus origi- nem fuerat.



POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XXXVI.

RECIPERATO paterno regno, Demetrius & ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiæ in segnitiam labitur, tantúmq; contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio eius passim ciuitates deficerent, ad abolendam segnitiæ maculam, bellum Parthis inferre statuit: cuius aduentum non inuiti Orientis populi vidêre, & propter Arsacidæ regis Parthorum crudelitatem, & quòd veteri Macedonum imperio assueti, noui populi superbiam indignè ferebant. Itaque cum & Persarum, & Elimæorum Bactrionorúmq; auxiliis iuuaretur, multis prœliis Parthos fudit. Ad postremum tamen pacis simulatione deceptus, capitur, traductúsque per ora ciuitatium, populis qui desciuerant, in ludibriú fauoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne & iuxta cultum pristinæ fortunæ habetur. Dum hæc aguntur, interim Syria Thrypho, qui se tutorem Antiocho Demetrij priuigno substitui à pupulo laborauerat, occiso pupillo, regnum Syriæ inuadit. Quo diu potitus, tãdem exolescente fauore recentis imperij, ab Antiocho puero admodum, Demetrij fratre, qui in Asia educabatur, bello vincitur: rursúsque regnum Syriæ ad subolem Demetrij reuertitur. Igitur Antiochus, memor quòd & pater propter superbiam inuisus, & frater propter segnitiam contemptus fuisset, ne in eadem vitia incideret recepta in matrimonium Cleopatra, vxore fratris, ciuitates quæ initio fraterni imperij defecerant, summa industria persequitur, domitásque rursus regni terminis adiicit, Iudæósq;, qui in Macedonico imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicauerant, subigit. Quorum vires tantæ fuere, vt post hunc nullum Macedonum regem tulerint, domesticisque imperiis vsi, Syriam magnis bellis infestauerint.

NAMQVE Iudæis origo Damascena, Syriæ nobilissima ciuitas: vnde & Assyriis regibus genus, ex regina Semirami fuit. Nomen vrbi à Damasco rege inditum: in cuius honorem, Syrij sepulchrum Arathis vxoris eius pro templo coluere, deámque exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores & Abraham, & Israel reges fuere. Sed Israelem felix decem filiorum prouētus maioribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna, diuisum filiis tradidit, omnésque ex nomine Iudæ, qui post diuisionem decesserat, Iudæos appellauit, colique eius memoriam ab omnibus iussit: Eius portio omnibus accesserat. Minimus ætate inter fratres Ioseph fuit; cuius excellens ingenium veriti fra- B tres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, breui ipsi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque diuini iuris humaníque ei incognitum videbatur: adeo, vt etiam sterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit: perissetque omnis Ægyptus fame, nisi monitu eius rex edicto seruari per multos annos fru- C ges iussisset: tantáque experimenta eius fuerunt, vt non ab homine, sed à deo responsa dari viderentur. Filius eius Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ hereditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptij quum scabiem, & vitiliginem paterentur, respõso moniti, cum eum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorũ furto abstulit: quæ repetentes armis Ægyptij, domum redire tempestatibus compulsi sunt. D Itaque Moses Damascena antiqua patria repetita, montem Synan occupat: quo septem dierum ieiunio per deserta Arabię, cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbatum appellatum, in omne æuum ieiunio sacrauit: quoniam illa dies famem illis errorémque finierat. Et quoniam metu contagionis pulsus se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa inuisi apud incolas forẽt, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent: quod ex causa factum, E paulatim in disciplinam religionémque conuertit. Post Musen etiam filius eius Aruas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur, sempérque exinde hic mos apud Iudæos fuit, vt eosdem reges, & sacerdotes haberent: quorum iustitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.

OPES genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in his tantùm regionibus gignitur. Est namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam, adinstar castrorum clauditur. Spa- F tium loci ducẽta iugera, nomine Arcus dicitur. In ea silua est & vbertate, & amœnitate insignis: siquidem palmeto & opobalsamo distinguitur. Arbores opobalsami, formam similem piceis arboribus habent, nisi quòd sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæ certo anni tempore balsamum sudant. Sed non minor loci eius opacitatis quàm vbertatis admiratio est: quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quædam ac perpetua opacitas inest. In ea regione lacus est, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis

A moueretur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur, neq; nauigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur, nec materiam vllam sustinet, nisi quæ alumine illinatur. Primum Xerxes rex Persarum, Iudæos domuit: postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere, diúque in potestate Macedonici imperij subiecti Syriæ regno fuere. A Demetrio cum desciuissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus B libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.

Per eadem tempora, quibus in Syria regni mutatio inter nouos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum, & ab Eumene patruo acceptum regnum, cædibus amicorum & cognatorum suppliciis fœdabat, nunc matrem anum, nũc Beronicen sponsam maleficiis eorum necatas confingens. Post hanc scelestam violentiæ rabiē, C squalidam vestem sumit, barbam capillúmque in modum reorum summittit, non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi lætiora conuiuia inire, aut aliquod signum sani hominis habere, prorsus vt pœnas pendere manibus interfectorum videretur. Omissa deinde regni administratione hortos fodiebat, gramina seminabat, & noxia innoxiis permiscebat, eáque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc studio ærariæ artis fabricæ se tradit, cerisque fingendis, & ære fundendo, procudendóque oblectabatur. Matri deinde sepulchrum facere instituit, cui operi intentus, morbum ex solis feruore contraxit, & septima die decessit: huius testamento heres populus Rom. tunc instituitur. Sed erat ex Eumene Aristonicus, non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephesia citharistæ cuiusdam filia genitus, qui post mortem Attali velut paternum regnum Asiam inuasit. Cùm multa secunda prœlia aduersus ciuitates, quæ metu Romanorum tradere se ei nolebant, fecisset, iustúsque rex iam videretur, Asia Licinio Crasso consuli decernitur: qui intentior Attalicæ prædæ, quàm bello, quom extremo anni tempore inordinata acie prœlium conseruisset, victus pœnas inconsultæ auaritiæ, sanguine dedit. In huius locū missus Perpenna consul, prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit, Attalicásque gazas hereditarias populi Romani nauibus impositas, Romam deportauit. Quod ægrè ferens successor eius Marcus Aquilius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpennæ, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. Sed contentionem Consulum mors Perpennæ diremit. Sic Asia Romanorum facta cum opibus suis, vitia quoque Romam transmisit.

POMPEII TROGI EPITOMA

HISTORIARVM

LIBER XXXVII.

Capto Aristonico, Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis, quorum vrbem senatus, & omne nomen, quòd & tunc, & antea Antiochi bello, infesta contra populum Romanum arma tulerant, deleri iusserat, legatos Romam deprecatum misêre, veniámque his à senatu obtinuere. Post hæc regibus, qui aduersus Aristonicum auxilia tulerant, præmia persoluta: Mithridati Pontico Syria maior, filiis Ariarathis regis Cappadociæ qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia datæ: fideliórque populus Rom. in E socij filios, quàm mater in liberos fuit: Quippe hinc paruulis auctum regnum, inde vita adempta. Namque Laudice ex numero sex filiorum, quos virilis sexus ex Ariarathe rege susceperat, timens ne non diutinam regni administrationem adultis quibusdam potiretur, quinque parricidiali veneno necauit, vnum paruulum sceleri matris cognatorum custodia eripuit, qui post necem Laudices (nam propter crudelitatem eam populus F extinxerat) solus regno potitus est. Mithridates quoque repentina morte interceptus, filium, qui & ipse Mithridates dictus est, reliquit. Cuius ea postea magnitudo fuit, vt non sui tantùm temporis, verumetiam superioris ætatis omnes reges maiestate superauerit, belláque cum Romanis per XLVI annos varia victoria gesserit: Cum eum summi imperatores Sylla, Lucullus, ceterique in summa Cneus Pompeios ita vicerint, vt maior clariórque in restaurando bello resurgeret, dam- D nísque suis terribilior redderetur. Denique ad postremum non vi hostili victus, sed voluntaria morte, in auito regno, senex, herede filio decessit.

Hvivs futuram magnitudinem etiam cælestia ostenta prædixerant. Nam & quo genitus est anno, & eo quo regnare primùm cœpit, stella cometes per vtrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, vt cælum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine sui quartam partem cæli occupauerat, & fulgore sui solis nitorem vicerat, & cum oriretur occumberétque, quatuor spatiũ horarum consumebat. Puer tutorum insidias passus est, qui eum fero equo positum, equitare iaculari que cogebant: qui conatus cum eos fefellissent, supra ætatem regente equum Mithridate, veneno eum appetiuere. Quod metuens, antidota sæpius bibit, & ita se aduersus insidias exquisitis tutioribus remediis stagnauit, vt ne volens quidem senex veneno mori potuerit. Timens deinde ne inimici quod veneno nō poterant, ferro peragerent, venandi studium finxit: quo per septem annos neque vrbis, neque ruris tecto vsus est, sed per siluas vagatus, diuersis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus esset locis: assuetus feras cursu aut fugare, aut persequi, cum quibusdam etiam viribus congredi. Quibus rebus, & insidias vitauit, & corpus ad omnem virtutis patientiam durauit.

Ad regni deinde administrationem cum accessisset, statim non de regendo, sed de augendo regno cogi-

gno cogitauit. Itaque Scythas inuictos antea, qui Sopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleuerant, qui Cyrum, Persarum regem, cum ducentis millibus trucidauerant, qui Philippum Macedonum regem fugauerant, ingenti felicitate perdomuit. Auctus igitur viribus, Pontum quoque, ac deinceps Cappadociam occupauit. Cum de Asia tractaret, tacitus cum quibusdam amicis regno profectus, vniuersam nemine sciente peruagatus est, omniúmque vrbium situm ac regiones cognouit. Inde Bythyniam transcendit, & quasi dominus Asiæ, opportuna quæque victoriæ suæ metatus est. Post hæc in regnum, cum iam perisse crederetur, reuersus est, inuento paruulo filio, quem per absentiam eius Laudice soror vxórque enixa fuerat: sed inter gratulationem aduentus sui & filij geniti, veneno periclitatus est. Siquidem Laudice soror cum perisse eum crederet, in concubitus amicorum proiecta, quasi admissum facinus maiore scelere tegere posset, venenum aduenienti parauit. Quod cum ex ancilla Mithridates cognouisset, facinus in auctores vindicauit.

Hiems deinde imminente, non in conuiuio, A sed in campo, non in aduocationibus, sed in exercitationibus, ne inter sodales, sed inter coæquales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. Exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat, atque ita inuictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat. Inita deinde cum Nicomede societate Paphlagoniam inuadit, victámque cum socio diuidit. Quam cum teneri à regibus senatui nuntiatum esset, legatos ad vtrumque misit, qui gentem B restitui in pristinum statum iuberent. Mithridates cùm se iam parem megnitudini Romanorum crederet, superbo responso, hereditarium patri suo regnum obuenisse, respondit: mirarique se, quòd ei relata controuersia non fuerit, sibi referatur. Ne territus minis, Galatiam quoque occupat. Nicomedes quoniam se tueri iure non poterat, iusto regi redditurum respondit. Atque ita filium suum mutato nomine, Philamenem Paphlagonum regum nomine appellat, & quasi C stirpi regiæ reddidisset regnum, falso nomine tenet. Sic ludibrio habiti legati, Romam reuertuntur.

POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XXXVIII.

Mithridates parricidia nece vxoris auspicatus, sororis alterius Laudices filios, cuius virum Ariarathem regem Cappadociæ per Gordium insidiis occiderat, tollendos statuit: nihil actum morte patris existimans, si adolescentes paternum regnum, cuius ille cupiditate flagrabat, occupassent. Igitur dum in his cogitationibus versatur, interim Nicomedes rex Bithyniæ, vacuam morte regis Cappadociam inuadit. Quod cum nuntiatum Mithridati fuisset, per simulationem pietatis auxilia sorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit. Sed iam Laudice per pactionem se Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod ægre ferens Mithridates, præsidia Nicomedis Cappadocia expellit, regnúmque sororis filio restituit: egregium prorsus factum, ni subsequuta fraus esset. Siquidem interiectis mensibus, simulat se Gordium, quo ministro vsus in Ariarathe interficiendo fuerat, restituere in patriam velle, spetans, si obsisteret adolescens, causas belli futuras, aut si permitteret, per eundem, filium rolli posse, per quem interfecerat patrem. Quod vbi Ariarathes iunior moliri cognouit, grauiter ferens interfectorem patris per auunculum potissimum ab exilio reuocari, ingentem exercitum cótrahit. Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos DC; nec Ariarathi auxiliantibus finitimis regibus, minores copiæ essent, incertum belli timens, consilia ad insidias transfert: solicitatóque iuuene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti, ait D caueret ne aliud telum inueniret, quàm quæreret. Atque ita risu protectis insidiis, euocatum ab amicis velut ad secretum sermonem, inspectante vtroque exercitu interficit: regnum Cappadociæ octo annorum filio, imposito Ariarathis nomine, additóque ei rectore Gordio, tradidit.

Sed Cappadoces crudelitate ac libidine præfectorum vexati, à Mithridate deficiunt, fratrémque regis, & ipsum Ariarathem nomine, ab Asia vbi educabatur, reuocant: cum quo Mithridates E prœlium renouat, victúmque Cappadociæ regno expellit. Nec multo pòst adolescens, ex ægritudine collecta infirmitate, decedit. Post huius mortem Nicomedes timens ne Mithridates accessione Cappadociæ, etiam Bithyniam finitimam inuaderet, subornat puerum eximiæ pulchritudinis, quasi Ariarathes tres, non duos filios genuisset, qui à senatu Romano paternum regnum peteret. Vxorem quoque Laudicen Romam mittit, ad testimonium trium ex Ariarathe susceptorum F filiorum. Quod vbi Mithridates cognouit, & ipse pari impudentia Gordium Romam mittit, qui senatui assereret, puerum qui Cappadociæ regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Romanis ferens cecidisset. Sed senatus studio regum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam & Nicomedi, ad solatium eius, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumelia regum foret, ademptum illis, quod daretur aliis, vterque G populus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes, negant viuere gentem sine rege posse. Atque ita rex illis à senatu Ariobarzanes constituitur.

ERAT eo tempore Tigranes rex Armeniæ, obses Parthis ante multum temporis datus, sed olim ab iisdem in regnum paternum remissus: Hunc Mithridates mire ad societatem Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensa Romanorum sentientem, per Gordium impellit, vt Ariobarzani, segni admodum, bellum inferat: & nequis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium tradit. Primo igitur aduentu Tigranis, Ariobarzanes sublatis rebus suis, Romam contendit. Atque ita per Tigranem rursus Cappadocia iuris esse Mithridatis cœpit. Eodem tempore mortuo Nicomede, etiam filius eius, & ipse Nicomedes, regno à Mithridate pellitur: qui cum supplex Romam venisset, decernitur in senatu, vt vterque in regnum restituantur: in quod tum missi Aquilius & Manlius Maltinus legati. His cognitis Mithridates societatem cum Tigrane, bellum aduersus Romanos gesturus, iungit: pactique inter se sũt, vt vrbes agriq; Mithridati, homines verò vero & quæcunque auferri possent, Tigrani cederent. Post hæc Mithridates intelligens quantum bellum suscitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallogræcos, & Sarmatas, Bastarnásque auxilium petitum mittit. Nam omnes has gentes, Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus iam ante illexerat. Ab Scythia quoque exercitum venire iubet, omnémque Orientem aduersus Romanos armat. Non magno igitur labore Aquilium, & Maltinum Asiano exercitu instructos vincit: quibus simul cum Nicomede pulsis, ingenti fauore ciuitatium excipitur: multum ibi auri argentíque studio veterum regum, magnúmque belli apparatum inuenit: quibus instructus, debita ciuitatibus publica priuatáque remittit, & vacationem quinquennij concedit. Tunc ad concionem milites vocat, eósque variis exhortationibus ad Romana bella siue Asiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cuius exemplum breuitati huius operis insererem, quam obliquam Pompeius Trogus exposuit: quoniam in Liuio & in Sallustio reprehendit, quòd conciones directas, pro sua oratione operi suo inserendo, historiæ modum excesserint.

OPTANDVM sibi fuisse ait, vt de eo liceret consulere, bellúmne sit cum Romanis, an pax habenda, quin verò sit resistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriæ careant. Quippe aduersus latronem, si nequeant pro salute, pro vltione tamen sua omnes ferrum stringere. Ceterum quia non id agitur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam prœlio congressis consulendum, qua ratione ac spe, cœpta bella sustineant: Esse autem sibi victoriæ fiduciam, si sit illis animus: Romanósque vinci posse, cognitum non sibi magis, quàm ipsis militibus, qui & in Bithynia Aquilium, & Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena magis exempla, quàm sua experimenta moueant, audire se à Pyrrho rege Epiri, non ampliùs quàm quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus prœliis Romanos. Audire Annibalem sexdecim annis Italiæ victorem immoratum: & qnin ipsam caperet vrbem, non Romanorum illi vires obstitisse: sed domesticæ æmulationis atque inuidiæ studium. Audire populos Transalpinæ Galliæ Italiam ingressos, maximis eam plurimísque vrbibus possidere, & latius aliquanto solum finium quàm in Asia, quæ dicatur imbellis, eosdem Gallos occupasse, nec victam solum dici sibi Romam a Gallis, sed etiam captam, ita vt vnius illis montis tantum cacumen relinqueretur, nec bello hostem, sed pretio remotum: Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit in partem virium suarum ipse numeret. Nam hos qui Asiam incolunt Gallos, ab illis, qui Italiam occupauerant, sedibus tantum distare: originem quidem ac virtutem, genúsque pugnæ idem habere, tantóque his sagaciora esse quàm illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori spatio, per Illyricum Thraciámque prodierint, penè operosius transitis eorum finibus, quàm vbi considere possessis. Iam ipsam Italiam audire se numquam, vt Roma condita sit, satis illi pacatam, sed assidue per omnes annos pro libertate alios, contra quosdam etiam pro iure imperij bellis continuis perseuerasse, & à multis ciuitatibus Italiæ deletos Romanorum exercitus ferro, à quibusdam nouo contumeliæ more sub iugum missos. Ac ne veteribus immoremur exemplis, hoc ipso tempore vniuersam Italiam bello Marsico consurrexisse, non iam libertatem, sed consortium imperij, ciuitatísque poscentem: Nec grauius vicino Italiæ bello, quàm domesticis principum factionibus vrbem premi multóque periculosius esse Italico ciuile bellum, simul & à Germania Cimbros, immensa millia ferorum atque immitium populorum, more procellæ, inundasse Italiam: quorum tametsi singula bella sustinere Romani possent, vniuersis tamen obruantur, vt ne vacaturos quidem bello suo putet.

VTENDVM igitur occasione, & rapienda incrementa virium, nè si illis occupatis quieuerint, mox aduersus vacuos, & quietos maius negotium habeant. Non enim quæri an capienda sint arma, sed vtrum sua potius occasione, an illorum. Nam bellum equidem iam tunc secum ab illis geri cœptum, cum sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quàm patri suo præmium dari aduersus Aristonicum auxilij concesserant, gentem quam & proauo suo Mithridati, Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid cùm Paphlagonia se decedere iusserunt, non alterum illud genus belli fuisse? quæ non vi, non armis, sed adoptione testamenti & regum domesticorum interitu, hæreditaria patri suo obuenisset: cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigaret, quin acerbius se in dies gerant, non obtinuisse. Quod enim à se non præbitum illis obsequium? non Phrygiam, Paphlagoniámque dimissas? non Cappadocia filium eductum, quàm iure gentium victor occupauerat? Raptam tamen sibi esse victoriam eius ab illis, quorum nihil est nisi bello quæsitum. Non regem Bithyniæ Chreston, in quem senatus arma decreuerat, à se in gratia illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, siqua Gordius aut Tigranes faciat: libertatem etiam in contumeliam sui à senatu vltro delatam Cappadociæ, quam reliquis gentibus abstulerunt: deinde populo Cappadocum, pro libertate oblata, Gordium regem orante, ideo tantum quoniam amicus suus esset, non obtinuisse. Nicomedem præcepto illorum bellum sibi intulisse: quia vltum ierit se, ab ipsis ventum obuiam in eo, & nunc eam secum bellandi illis causam fore, quòd non impune se Nicomedi lacerãdum, saltatricis filio, præbuerit.

QVIPPE non delicta regum illos, ſed vires ac maieſtatem inſequi: neque in ſe vno, ſed in aliis quoque omnibus hac ſemper arte graſſatos. Sic & auum ſuum Pharnacem, per cognationum arbitria, ſuccedaneum regi Pergameno Eumeni datum: ſic rurſus Eumenem, cuius claſſibus primum in Aſiam fuere tranſuecti, cuius exercitu magis quàm ſuo, & Magnum Antiochum, & Gallos in Aſia, & mox in Macedonia regem Perſen domuerant, & ipſum pro hoſte habitum, eíque interdictum Italia, & quod cum ipſo deforme ſibi putauerant, cum filio eius Ariſtonico bellum geſſiſſe. Nullius apud eos maiora, quàm Maſiniſſæ regis Numidarum haberi merita. Huic imputari victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam, hunc inter duos illos Africanos tertium ſeruatorem vrbis referri: tamen cum huius nepote bellum modo in Africa geſtum adeo inexpiabile, vt ne victum quidem memoriæ patris donarent, quin carcerem ac triumphi ſpectaculum experiretur. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixiſſe, ſcilicet quia ipſi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubeſcant, aut paſtores Aboriginum, aut aruſpices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut ſeruos vernáſque Thoſcorum, aut, quod honoratiſſimum nomen fuit inter hæc, Superbus: atque, vt ipſi ferunt, conditores ſuos, lupæ vberibus altos, ſic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles ſanguinis atque imperij diuitiarúmque auidos ac ieiunos habere.

SE autem, ſeu nobilitate illis comparetur, clariorem illa colluuie conuenarum eſſe, qui paternus maiores ſuus à Cyro Darióque conditoribus Perſici regni, maternos à Magno Alexandro, ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperij Macedonici, referat: ſeu populus illorum conferatur ſuo, earum ſe gentium eſſe, quæ non modo Romano imperio ſint pares, ſed Macedonico quoque obſtiterint. Nullam ſubiectarum ſibi gentium expertam peregrina imperia, nullis vnquam niſi domeſticis regibus paruiſſe: Cappadociam velint, an Paphlagoniam recenſere, rurſus Pontum an Bithyniam, itémque Armeniam maiorem minorémque: quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacauit Aſiam, nec quiſquam ſucceſſorum eius, aut poſterorum attigiſſet. Scythiam duos vnquam ante ſe reges, non pacare, ſed tantum intrare auſos Darium & Philippum, ægre inde fugam ſibi expediſſe, vnde ipſe magnam partem aduerſus Romanus virium haberet. Multóque ſe timidius ac diffidentius bellá pontica ingreſſum, cum ipſe rudis ac tyro eſſet: Scythiæ præter arma, virtutémque animi, locorum quoque ſolitudinibus, vel frigoribus inſtructæ, per quæ denuntiaretur ingens militiæ labor ac periculum. Inter quas difficultates ne ſpes quidem præmij foret, ex hoſte vago, nec tantum pecuniæ, ſed etiam ſedis inope. Nunc ſe diuerſam belli conditiunem ingredi. Nam neque cælo Aſiæ eſſe temperatius aliud, nec ſolo fertilius, nec vrbium multitudine amœnius, magnámque temporis partem non vt militiam, ſed vt feſtum diem acturos, bello dubium facili magis an vberi, ſi modò aut proximas regni Attalici opes, aut veteres Lydiæ Ioniæque audierint, quas non expugnatum eant, ſed poſſeſſum: tantúmque ſe auida expectat Aſia, vt etiam vocibus vocet: adeò illis odium Romanurum incuſſit rapacitas Proconſulum, ſectio publicanorum, calumniæ litium. Sequantur ſe modo fortiter, & colligant, quid ſe duce poſſit efficere tantus exercitus, quem ſine cuiuſquam militum auxilio, ſuamet vnius opera viderent Cappadociam cæſo rege cepiſſe, qui ſolus mortalium Pontum omnem Scythiámque pacauerit, quam nemo ante tranſire tutò, atque adire potuerit. Nam iuſtitiæ atque liberalitatis ſuæ, ne ipſos milites, qui experiantur, teſtes refugere: & illa indicia habere, quòd ſolus regum omnium non paterna ſolum, verumetiam externa regna hæreditarius propter munificentiam acquiſita poſſideat, Colcos, Paphlagoniam Boſphorum.

SIC excitatis militibus, poſt annos tres & viginti ſumpti regni in Romana bella deſcēdit. At in Ægypto mortuo rege Ptolemæo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemæo per legatos regnum, & vxor Cleopatra regina ſoror ipſius defertur. Lætus igitur hoc ſolo Ptolemæus, quòd ſine certamine fraternum regnum recepiſſet, in quod ſubornari & à matre Cleopatra, & fauore principum, fratris filium cognouerat. Ceterum infeſtus omnibus, ſtatim vbi Alexandriam ingreſſus eſt, fautores pueri trucidari iuſſit. Ipſum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum, & ſollemnia religionum, in complexu matris interficit: atque ita thorum ſororis, cæde filij eius cruentus, aſcendit. Poſt quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocauerant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia ſanguine quotidie manabant: ipſam quoque ſororem, filia eius virgine per vim ſtuprata & in matrimonium adſcita, repudiat. Quibus rebus territus populus, in diuerſa labitur, patriámque metu mortis, exul relinquit. Sulus igitur in tanta vrbe cum ſuis relictus Ptolemæus, cum regem ſe non hominum, ſed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos ſolicitat. Quibus confluentibus, obuius legatis Romanorũ Scipioni Africano, & Spurio Mummio, & L. Metello, qui ad inſpicienda ſociorum regna veniebant, procedit. Sed quàm cruentus ciuibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & ſtatura breuis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis. Quam fœditatem nimia ſubtilitas perlucidæ veſtis augebat, prorſus quaſi aſtu inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant. Poſt diſceſſum deinde legatorum (quorum Africanus, dum inſpicit vrbem, ſpectaculo Alexandrinis fuit,) iam etiam populo peregrino inuiſus, cum filio, quem ex ſorore ſuſceperat, & cum vxore matris pellice, metu inſidiarum, tacitus in exilium proficiſcitur: contractóque mercenariu exercitu bellum ſorori pariter ac patriæ infert. Arceſſitum maximum deinde à Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra ſe regem crearent, interficit. Tunc populus ſtatuas & imagines eius detrahit. Quod factum ſtudio ſororis exiſtimans, filium quem ex ea ſuſceperat, interficit, corpúſque in membra diuiſum, & in ciſta compoſitũ, matri die natalis eius, inter epulas offerri curat. Quæ res non reginæ tantum, verumetiam vniuerſæ ciuitati acerba, & luctuoſa fuit: tantúmque mœroré feſtiuiſſimu conuiuio intulit, vt regia omnis repentino luctu incenderetur. Verſo igitur ſtudio principum ab epulis in exſequias, membra lacera po-

pulo ostendunt, & quid sperare de rege suo debeant, filij cæde demonstrant.

Finito luctu orbitatis, Cleopatra cum vrgeri se fraterno bello videret, auxilium à Demetrio rege Syriæ, per legatos petit: cuius ipsius varij & memorabiles casus fuere. Namque Demetrius, vt suprà dictum est, cum bellum Parthis intulisset, & multis congressionibus victor fuisset, repente insidiis circumuentus, amisso exercitu capitur. Cui Arsacides Parthorum rex, magno & regio animo misso in Hyrcaniam, non cultum tantum regium præstitit, sed & filiam in matrimonium dedit, regnúmque Syriæ, quod per absentiam eius Thrypho occupauerat, restituturum promittit. Post huius mortem desperato reditu, non ferens captiuitatem Demetrius, priuatam etsi opulentam vitam pertæsus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi & comes Gallimander amicus erat: qui post captiuitatem eius à Syria per Arabiæ deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babylonem peruenerat. Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidæ successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. Vt est deductus ad regem, Gallimandro quidem non tantum venia, verumetiam præmium fidei datum. Demetrium autem & grauiter castigatum ad coniugem in Hyrcaniam remittit, artioribúsque custodiis obseruari iubet. Interiecto deinde tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga est: sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur, ac denuo perductus ad regem, vt inuisus à conspectu summouetur. Tunc quoque vxori & liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalem sibi ciuitatem, remittitur, talísque aureis ad exprobrationem puerilis leuitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec respectus cognationis, sed quòd Syriæ regnum affectabant, vsuri Demetrio aduersus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegisset.

His auditis, Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis indurauerat, aduersus Parthos ducit. Sed luxuriæ non minor apparatus, quàm militiæ fuit; quippe LXXX. millia armatorum sequuta sunt CCC. millia lixarum, ex quibus coquorum, pistorum, scenicorúmque maior numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, vt etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent. Aduenienti Antiocho multi Orientales reges occurrêre, tradentes se, regnáque sua cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus prælijs victor cum Babyloniam occupasset, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupãdum regnum cum Parthico præsidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthia reuocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum vbique tentabat. Propter multitudinem hominum, exercitum suum Antiochus per ciuitates in hyberna diuiserat: quæ res exitij causa fuit. Nam cum grauari se copiarum præbitione, & iniuriis militum, ciuitates viderent, ad Parthos deficiunt, & die statuta omnes apud se diuisum exercitum per insidias, ne inuicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ secum hiemabat, progreditur. In itinere obuium regem Parthorum habuit, aduersus quem fortius, quàm exercitus eius dimicauit. Ad postremum tamen cùm virtute hostes vincerent, metu suorum desertus, occiditur: cui Phrahates exsequias regio more fecit, filiámque Demetrij, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, vxorem duxit. Pœnitere deinde dimissi Demetrij cœpit: ad quem retrahendum cum turmas equitum festinatò misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem, iam in regno missi inuenerunt: frustráque omnia conati, ad regem suum reuersi sunt.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM
LIBER XXXIX.

Antiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater eius Demetrius obsidione Parthorum liberatus, ac restitutus in regnum, cum omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset, quasi Parthica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat, prospere gessisset, ita Ægypto bellum inferre statuit, regnum Ægypti Cleopatra socru, pretium auxilij aduersus fratrem suum, pollicente. Sed dum aliena affectat, vt assolet fieri, propria per defectionem Syriæ amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone, execrantes superbiam regis, quæ conuersatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenij, ceteræque ciuitates exemplum sequutæ, per absentiam regis à Demetrio defecere. Ptolemæus quoque rex Ægypti, bello ab eodem petitus, cum cognouisset Cleopatram sororem suam opibus Ægypti nauibus impositis, ad filiam & Demetrium generum in Syriam profugisse, immittit iuuenem quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret. Et composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem aspernantibus, ne Demetrij paterentur superbiam: nomen iuueni Alexãdri imponitur, auxiliáque ab Ægypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antio-

chi

chi interfecti à rege Parthorum, in loculo argen- A teo ad sepulturam in Syriam remissum peruenit: quod cum ingéti studio ciuitatium & regis Alexandri, ad firmandam fabulę fidem excipitur: quę res illi magnum fauorem popularium conciliauit, omnibus non fictas in eo, sed veras lacrymas existimantibus. Demetrius autem victus ab Alexandro, cum vndique circumstantibus malis premeretur, ad postremum etiam ab vxore filiisque deseritur. Relictus igitur cum paucis seruulis, cũ Tyrum religione templi se defẽsurus petisset, na- B ui egrediens, præfecti iussu interficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumpsisset, ab eadem interficitur; alter cui propter nasi magnitudinem, cognomen Grypo fuit, rex à matre hactenus constituitur, vt nomen regis penes filium, ius autem omnis imperij penes matrem esset.

Sed Alexander occupato Syriæ regno, tumẽs successu rerum, spernere iam etiam ipsum Ptolemæum, à quo fuerat subornatus in regnum, su- C perba insolentia cœpit. Itaque Ptolemæus reconciliata sororis gratia destruere Alexãdri regnum, quod odio Demetrij, viribus suis acquisierat, sũmis opibus instituit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphenam Grypo nupturã, vt populos in auxilium nepotis, non societate tãtum belli, verum & affinitate sua solicitaret. Nec res frustra fuit: nam cum omnes Grypum instructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœpere. Fit deinde inter reges D prœlium, quo victus Alexãder, Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, cum stipendia militibus deessent, templo Iouis solidum ex auro victoriæ signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens: nam victoriam commodatam sibi ab Ioue esse dicebat. Interiectis deinde diebus, cũ ipsius Iouis aureum simulacrum infiniti ponderis tacitè euelli iussisset, deprehensúsque in sacrilegio, concursu multitudine esset in fugam versus, magna vi tempestatis oppressus ac desertus à E suis, à latronibus capitur; perductúsque ad Grypum, interficitur. Grypus porro reciperato patrio regno, externísque periculis liberatus, insidiis matris appetitur. Quæ cum cupiditate dominationis prodito marito Demetrio, & altero filio interfecto, huius quoque victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Grypus prædictis iam ante insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam iubet; abnuenti in- F stat. Postremum prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat, quod filio obtulit. Sic victa regina scelere in se verso, veneno, quod alij parauerat, extinguitur. Parta igitur regni securitate, Grypus octo annis quietem & ipse habuit, & regno præstitit. Natus deinde illi est æmulus regni, frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus, sed ex Antiocho patruo susceptus: quem cùm veneno tollere voluisset, vt maturius armis cum eo de regno G contenderet, excitauit.

INTER has regni Syriæ parricidiales discordias, moritur rex Ægypti Ptolemæus, regno Ægypti vxori & alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto: videlicet quasi quietior Ægypti status, quàm Syriæ regnum esset, quum mater altero ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. Igitur cum pronior in minorẽ filium esset, à populo compellitur maiorem eligere: cui prius quàm regnum daret, vxorem ademit; compulsúmque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenen ducere iubet, nõ materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Sed Cleopatra non tam à viro repudiatã, quàm à matre diuortio viri dimissa, Cyziceno in Syria nubit: eique ne nudum vxoris nomen afferret, exercitum Cypri solicitatum, velut dotalem, ad maritum deducit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus, prœlium committit: ac victus in fugam vertitur, Antiochiámque venit. Tunc Antiochiam Grypus, in qua erat Cyziceni vxor Cleopatra, obsidere cœpit: qua capta, Tryphena vxor Grypi nihil antiquius quàm sororẽ Cleopatrã requiri iussit: non vt captiuæ opẽ ferret, sed ne effugere captiuitatis mala posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimũ regnũ inuaserit, hostíque sororis nubẽdo hostẽ se eius effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem, extra Ægyptum nuptam accusat. Contrà Grypus orare, ne tam fœdum facinus facere cogatur: à nullo vnquam maiorum suorum inter tot domestica, tot externa bella post victoriam in feminas sæuitum, quas sexus ipse & periculis bellorum, & sæuitiæ victorum eximat: in hac verò præter commune bellantium fas, accedere necessitudinem sanguinis: quippe ipsius quæ tam cruente sæuiat, sororem equidem germanam esse; suam verò consobrinam; liberorum deinde communium materteram. His tot necessitudinibus sanguinis adiicit superstitionem tẽpli, quò abdita profugerit, tantóque religiosius colendos sibi deos, quò magis his propitiis ac fauentibus vicisset: tum neque occisa illa, se virium quicquam Cyziceno dempturum, nec seruatam reddita. Sed quanto Grypus abnuit, tanto soror muliebri pertinacia accenditur, rata non misericordiæ hæc verba, sed amoris esse. Itaque vocatis ipsa militibus, mitti qui sororem confoderent. Qui vt in templum intrauerunt, cum euellere eã non possent, manus amplexantis deæ simulachrũ præciderunt. Tunc Cleopatra execratione parricidarum, mãdata violatis numinibus vltione sui, decedit. Nec multo pòst repetita prœlij congressione, victor Cyzicenus vxorem Grypi Tryphenam, quæ paulo ante sororem interfecerat, capit; eiúsque supplicio vxoris manibus parentauit.

AT in Ægypto Cleopatra cum grauaretur socio regni, filio Ptolemæo, populum in eum incitat: abductáque ei Selene vxore, eo indignius, quòd ex Selene iam duos filios habebat, exulare cogit, arcessito minore filio Alexãdro, & rege in locum fratris constituto: nec filium regno expulisse contenta, bello Cypri exulantem persequitur. Vnde pulso, interficit ducem exercitus sui, quòd viuum eum è manibus dimisisset: quamquã Ptolemęus verecundia materni belli, nõn viribus minor ab insula recessisset. Igitur Alexander territus hac matris crudelitate, & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. Cleopatra verò timens, ne maior filius Ptolemæus ab Cyziceno ad reciperandam Ægyptum auxiliis iuuaretur, ingentia Grypo auxilia, & Selenen vxorem nupturam hosti prioris mariti, mittit; Alexandrúmque filium per legatos in regnum reuocat: cui cum occultis insidiis exitũ

machinaretur, occupata ab eodem interficitur, A spiritúmque non fato, sed parricidio dedit: digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem thoro expulit, & duas filias viduas, alterno fratrū matrimonio, fecit, & filio alteri in exilium acto, bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est.

Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam vbi primum cōpertum est, scelere filij matrem interfectam, concursu populi in exilium agitur, reuocatóque Ptolemæo regnum redditur: qui neque cum matre bellū gerere voluisset, nec à fratre armis repetere, quod prior possedisset. Dū hæc aguntur, frater eius ex pellice susceptus, cui pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat, herede populo Romano instituto, decedit. Iā enim fortuna Romana porrigere se ad Orientalia regna, non contenta Italiæ terminis, cœperat. Itaque & ea pars Libyæ prouincia facta est: postea Creta, Ciliciáq; piratico bello perdomitæ, in formam prouinciæ rediguntur. Quo facto, & Syriæ, & Ægypti regna Romana vicinitate artata, quæ incrementa de finitimis bellis quærere solebant, adempto vagandi arbitrio, vires suas in perniciem mutuam conuerterunt: adeo, vt assiduis prœliis consumpti, in contemptum finitimorum B venerint, prædæque Arabum genti, imbelli antea fuerint. Quorum rex Erotimus, fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, diuisis exercitibus nunc Ægyptum, nunc Syriam infestabat: magnúmque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus fecerat.



POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XL.

Mvtvis fratrum odiis, & mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, cum inexpiabili bello & reges, & regnum Syriæ consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinósque sibi reges circūspicere cœpit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum censeret: occurreretq; quòd Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ, omnes in Tigranem regem Armeniæ consensere, instructum præter domesticas vires, & Parthica societate & Mithridatis affinitate. Igitur accitus in regnū Syriæ, per XVIII. annos tranquillissimo regno potitus est: neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alij bellum necesse habuit.

Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terræmotu vastata est, quo centum septuaginta mil- C lia hominum, & multæ vrbes perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices responderunt. Igitur Tigrane à Lucullo victo, rex Syriæ Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompeius: qui poscenti regnum respondit, ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti daturum se regem, qui XVIII. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit, victo autem eodem Tigrane à D Romanis, alieni operis præmia postulet. Igitur vt habenti regnum non ademerit, ita quòd cesserit Tigrani non daturum, quod tueri nesciat, ne rursus Syriam Iudæorum & Arabum latrociniis infestam reddat. Atque ita Syriam in prouinciæ formam redigit: paulatímque Oriens Romanorum, discordia consanguineorum regum, factus est.



POMPEII TROGI EPITOMA
HISTORIARVM
LIBER XLI.

Parthi, penes quos, velut diuisione orbis cum Romanis facta, nunc Orientis imperiū est, Scytharum exules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone Parthi exules dicuntur. Hi & Assyriorum & Medorum temporibus, inter Orientis populos obscurissimi fuere. Postea quoque cum imperium Orientis à Medis, ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine, præda victorum fuere. Postremò Macedonibus triumphato Oriente seruierunt: vt cuius mirum videatur, ad tantam eos felicitatem per virtutem pro- F uectos, vt imperent gentibus, sub quarum imperio veluti seruile vulgus fuere. A Romanis quoque trinis bellis per maximos duces florentissimis temporibus lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares solum, verumetiam victores fuere: quamquam plus gloriæ sit, inter Assyria & Medica, Persicáque memorata olim regna, & opulentissimum mille vrbium Bactrianum imperium emergere potuisse, quàm longinqua bellis vicisse; præterea cum grauibus Scythicis, & vicinalibus bellis assiduè vexati, variis periculorum certaminibus vrgerentur. Ij domesticis seditioni-

seditionibus Scythia pulsi, solitudines inter Hyr-
caniam, & Dahas, & Areos, & Spartanos, & Mag-
gianos furtim occupauere. Fines deinde non in-
tercedentibus primo finitimis, postea etiam pro-
hibentibus, in tantum protulere, vt non immen-
sa tantum, ac profunda camporum, verumetiam
prærupta collium, montiúmq; ardua occupaue-
rint. Ex quo fit, vt Parthiæ pleráque finium aut
æstus, aut frigoris magnitudo possideat, quippe
cum montes nix, & campos æstus infestet.

ADMINISTRATIO gentis post defectionem
Macedonici imperij, sub regibus fuit. Proximus
maiestati regum, populorum ordo est: ex hoc du-
ces in bello, ex hoc rectores in pace habent. Ser-
mo his inter Scythicum Medicúmque medius,
& vtrísque mixtus. Vestis olim sui moris, postea-
quam accessere opes, vt Medis perlucida, ac flui-
da. Armorum patrius ac Scythicus mos. Exerci-
tum non vt aliæ gentes liberorum, sed maiorem
partem seruorum habent: Quorum vulgus, nulli
manumittendi potestate permissa, ac per hoc om-
nibus seruis nascentibus, in dies crescit: Hos pari
ac liberos suos cura habent, & equitare & sagitta-
re magna industria docent. Locupletissimus vt
quisque est, ita plures in bello equites regi suo
præbet. Denique Antonio bellum Parthis infe-
renti, cũ quinquaginta millia equitũ occurrerãt,
soli CCCC. liberi fuere. Cominus in acie prœliari,
aut obsessas expugnare vrbes nesciunt. Pugnant
autem procurrentibus equis, aut terga dantibus:
sæpe etiam fugam simulant, vt incautiores aduer-
sum vulnera insequentes habeant. Signum his in
prœlio non turba, sed tympano datur. Nec pu-
gnare diu possunt: ceterum intolerandi forent, si
quantus his impetus est, vis tanta & perseueran-
tia esset. Plerũque in ipso ardore certaminis prœ-
lia deserunt, ac paulo pòst pugnam ex fuga repe-
tunt: vt cum maximè vicisse te putes, tunc tibi
discrimen subeundum sit. Munimentum ipsis e-
quísque, loricæ plumatæ sunt, quæ vtrunique to-
to corpore tegunt. Auri argentique nullus nisi in
armis vsus.

VXORES dulcedine variæ libidinis singuli
plures habent: nec vlla delicta adulterio grauius
vindicãt. Quamobrem feminis non conuiuia tã-
tum virorum, verumetiam conspectum interdi-
cunt. Carne non nisi venatibus quæsita vescũtur.
Equis omni tẽpore vectantur; illis bella, illis con-
uiuia, illis publica ac priuata officia obeũt; super
illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc deniq;
discrimen inter seruos liberósque est, quòd serui
pedibus, liberi non nisi equis incedunt. Sepultura
vulgo aut auiũ, aut canum laniatus est. Nuda de-
mum ossa terra obruunt. In superstitionibus atq;
cura deorum, præcipua omnibus veneratio est. In-
genia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, proca-
cia: quippe violentiam viris, mãsuetudinem mu-
lieribus assignant. Semper aut in externos, aut in
domesticos motus inquieti, natura taciti: ad fa-
ciendum, quàm ad dicendum promptiores: pro-
inde secunda, aduersáque silentio tegunt. Princi-
pibus metu, non pudore parent. In libidinem
proiecti, in cibum parci: fides dictis, promissísque
nulla, nisi quatenus expedit.

POST mortem Alexandri Magni cum inter
successores eius, Orientis regna diuiderẽtur, nul-
lo Macedonum dignante Parthorum imperium,
Stagnori externo socio traditur. Hi postea dedu-
ctis Macedonibus, in bellum ciuile, cum ceteris

A superioris Asiæ populis Eumenem sequuti sunt:
quo victo, ad Antigonum transiere. Post hunc à
Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho & succes-
soribus eius possessi: à cuius pronepote Seleuco
primum defecere, primo Punico bello L. Manlio
Bulsone, M. Attilio Regulo consulibus. Huius de-
fectionis impunitatem illis duorum fratrum re-
gnum, Seleuci & Antiochi discordia dedit: qui
dum sibi inuicem eripere regnum volunt, perse-
qui defectores omiserunt. Eodem tempore etiam
B Theodotus mille vrbium Bactrianarum præfe-
ctus, defecit, regémq; se appellari iussit: quod exẽ-
plum sequuti totius Orientis populi, à Macedo-
nibus defecere. Erat eo tempore Arsaces vir, sicut
incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic solitus
latrociniis & rapto viuere, accepta opinione Se-
leucum à Gallis in Asia victum, solutus regis me-
tu, cum prædonum manu Parthos ingressus, præ-
fectum eorum Andragoram oppressit; sublató-
que eo, imperium gentis inuasit. Non magno
C deinde pòst tempore, Hyrcanorum quoque re-
gnum occupauit: atque ita duarum ciuitatium
imperio præditus, grandem exercitum parat, me-
tu Seleuci & Theodoti Bactrianorum regis. Sed
cito, morte Theodoti, metu liberatus: cum filio
eius, & ipso Theodoto fœdus ac pacem fecit: nec
multo post cum Seleuco rege ad defectores per-
sequendos veniente, congressus, victor fuit: quem
diem Parthi exinde solemnem, velut initium li-
bertatis, obseruant.

D RAVOCATO deinde Seleuco, nouis motibus
in Asiam, dato laxamento, regnum Parthicũ for-
mat, militẽ legit, castella munit, ciuitates firmat.
vrbẽ quoque nomine Daram, in monte Zapaor-
tenon condit: cuius loci ea conditio est, vt neque
munitus quicquam esse, neque amœnius possit:
ita enim & præruptis rupibus vndique cingitur,
vt tutela loci nullis defensoribus egeant; & soli
circumiacentis tanta vbertas est, vt propris opi-
bus expleatur: iam fontium ac siluarum ea copia
E est, vt & aquarum abundantia irrigetur, & vena-
tionũ voluptatibus exornetur. Sic Arsaces quæsi-
to simul, cõstitutóque regno, non minus memo-
rabilis Parthis, quàm Persis Cyrus, Macedonibus
Alexãder, Romanis Romulus, matura senectute
decedit. Cuius memoriæ hunc honorem Parthi
tribuerunt, vt omnes exinde reges suos Arsacis
nomine nuncupent. Huius filius & successor re-
gni, Arsaces & ipse nomine, aduersus Antiochum
Seleuci filium, centum millibus peditum, & XX.
F millibus equitum instructum, mira virtute pu-
gnauit: ad postremum in societatem eius assum-
ptus est. Tertius Parthis rex Priapatius fuit, sed &
ipse Arsaces dictus: nam, sicut suprà dictum est,
omnes reges suos hoc nomine, sicuti Romani
Cæsares, Augustósque cognominauere. Hic actis
in regno quindecim annis decessit, relictis duo-
bus filiis, Mithridate & Phrahate: quorum maior
Phrahates more gentis, heres regni, Mardos va-
lidam gentem bello domuit; nec multo pòst de-
G cessit, multis filiis relictis: quibus præteritis, fra-
tri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro,
reliquit imperium: plus regio quàm patrio debe-
ri nomini ratus, potiúsque patriæ, quàm liberis
consulendum.

EODAM ferme tempore, sicuti in Parthis Mi-
thridates, ita in Bactris Eucratides, magni vterq;
viri, regna ineunt. Sed Parthorum fortuna feli-
cior, ad summum, hoc duce, imperij fastigium

eos perduxit. Bactriani autem per varia bella ia- A ctati, non regnum tantum verumetiam libertatem amiserunt: siquidem Sogdianorum & Drangaritanorum, Indorúmque bellis fatigati, ad postremum ab inualidioribus Parthis, velut exsangues, oppressi sunt. Multa tamen Eucratides bella magna virtute gessit: quibus attritus, cum obsidionem Demetrij regis Indorum pateretur, cum ccc. militibus, LX. millia hostium assiduis eruptionibus vicit. Quinto itaque mense liberatus, Indiam in potestatem redegit. Vnde cum se reci- B peret, à filio quem socium regni fecerat, in itinere interficitur: qui non dissimulato parricidio, velut hostem, non patrem interfecisset, & per sanguinem eius currum egit, & corpus abiici insepultum iussit. Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum oritur: cùm varius vtriusque populi casus fuisset, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates, Mediæ Bacasin præponit; ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Vnde reuersus, bellum cum Elimæorum rege gessit: quo victo, hanc quoque gentem regno adiecit, imperiúmque Parthorum à monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, vsque ad flumen Euphratem protulit. Atque ita aduersa valetudine arreptus, non minor Arsace proauo gloriosa senectute decedit.

POMPEII TROGI EPITOMA

HISTORIARVM

LIBER XLII.

POST necem Mithridatis, Parthorum regis, C Phrahates filius eius, rex constituitur: qui cùm inferre bellum, in vltionem tentati ab Antiocho Parthici regni Syriæ statuisset, Scytharũ motibus ad sua defendenda reuocatur. Namque Scythæ in auxiliũ Syriæ Parthorũ aduersus Antiochũ regẽ, mercede solicitati, cum cõfecto iam bello superuenissent, & calumnia tardius lati auxilij mercede fraudarentur, dolentes tantum iis itineris frustra emensum, quum vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem dari sibi poscerent, superbo D responso offensi, fines Parthorum vastare cœperunt. Igitur Phrahates cum aduersus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Hymerũ quẽdam, pueritiæ sibi flore conciliatum; qui tyrannica crudelitate, oblitus & vitæ præteritæ, & vicarij officij, Babylonios, multásq; alias ciuitates importune vexauit. Ipse autem Phrahates exercitũ Græcorum, quem bello Anthiochi captum superbè crudeliterque tractauerat, in bellum secum ducit: immemor prorsus, quòd hostiles eorum a- E nimos nec captiuitas minuerat, & insuper iniuriarum indignitas exacerbauerat. Itaque cum inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulere; & diu cupitam captiuitatis vltionem exercitus Parthici, & ipsius Phrahatis regis cruenta cæde exsequuti sunt.

IN huius locum Artabanus, patruus eius, rex substituitur: Scythæ autem contenti victoria, depopulata Parthia, in patriã reuertuntur. Sed Artabanus bello Thogariis illato, in brachio vulne- F ratus, statim decedit. Huic Mithridates filius succedit: cui res gestę Magni cogomẽ dedere: quippe claritatem parentum, æmulatione virtutis accensus, animi magnitudine supergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute gessit; multósque populos Parthico regno addidit. Sed & cum Scythis prospere aliquoties dimicauit, vltórque iniuriæ parẽtum fuit. Ad postremum Ortoadisti Armeniorum regi, bellũ intulit. Sed quoniam in Armeniam trãsitum facimus, origo eius G paulò altius repetenda est. Neque enim silentio præteriti tantum regnum fas est, cum fines eius post Parthiam omnium regnorum magnitudinem superent. Siquidem Armenia à Cappadocia vsque mare Caspium vndecies centum millia patet; sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur. Condita est autem ab Armenio Iasonis Thessali comite: quem cum perditum propter insignem periculosámque regno suo virtutem Pelias rex cuperet, denuntiata militia, in Colchos eum abire iubet; pellémque arietis memorabilem gentibus reportare: sperans interitum viri, aut ex periculis tam longæ nauigationis, aut ex bello tam profundæ barbariæ. Igitur Iason diuulgata opinione tam gloriosæ expeditionis, cum ad eum certatim principes iuuentutis totius ferme orbis concurrerent, exercitum fortissimorum virorum, qui Argonautę cognominati sunt, comparauit: quem cum magnis rebus gestis incolumem reduxisset, rursus à Peliæ filiis Thessalia pulsus, magna vi cum ingenti multitudine, quæ ad famam virtutis eius ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea vxore; quam repudiatam miseratione exilij rursum receperat, & Medio priuigno ab Ægæo rege Atheniensium genito, Colchos repetiuit, socerúmque etiam regno pulsum restituit.

MAGNA deinde bella cum finitimis gessit; captásque ciuitates partim regno soceri, ad abolendam superioris militiæ iniuriam, qua & filiam eius Medeam abduxerat, & filium Ægialium interfecerat, adiunxit; partim populis quos secum adduxerat, assignauit. Primúsque humanorũ post Herculem & Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur, eam cęli plagam domuisse dicitur. Populis quibusdam Frudium & Amphistratum aurigas Castoris & Polucis, duces assignauit; cũ Albanis percussit: qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cũ Getyone extincto, armenta eius per Italiam duceret, secuti dicuntur; quíque memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeij bello Mithridatico fratres salutauere. Itaque Iasoni totus ferme Oriens, vt conditori, diuinos honores templáque constituit: quæ Parmenion, dux Alexandri Magni, post multos annos dirui iussit, ne cuiusquam nomen in Oriente venerabilius, quàm

quàm Alexandri esset. Post mortem Iasoois, Medius æmulus virtutis eius ; in honorem matris, Medeam vrbem condidit; regnúmque ex nomine suo Medorum constituit, sub cuius maiestate Orientis postea imperium fuit. Albanis vicinæ Amazones sunt: quarum reginam Thalestrem cõcubitum Alexandri petisse, multi auctores prodidere. Armenius quoque & ipse Thessalus, vnus de numero ducum Iasonis, recollecta multitudine, quæ amisso Iasone rege passim vagabatur, Armeniam condit: à cuius montibus Tigris fluuius modicis primo incrementis nascitur; interiecto deinde aliquanto spatio, sub terras mergitur; atque ita post quinque & viginti millia passuum grande iam flumen in regione Sophene emergit, ac sic in paludes Euphratis recipitur.

IGITVR Mithridates rex Parthorum, post bellum Armeniæ, propter crudelitaté à senatu Parthico regno pellitur. Frater eius Orodes cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quò Mithridates cõfugerat, diu obsidet; & fame coactos, in deditiooem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cognationis, vltro se in potestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem, quàm fratrem cogitans, in cõspectu suo trucidari eum iussit: & post hæc, bellum cum Romanis gessit, Crassúmque imperatorem cum filio, & omni exercitu Romano deleuit. Huius filius Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspectus reuocatur: quo absente, exercitus Parthorũ relictus in Syria, à Cassio Quæstore Crassi cum omnibus ducibus trucidatur. His ita gestis, non magno pòst tempore Romanis inter Cæsarem Pompeiúmque ciuile bellum oritur: in quo Parthi Pompeianarum partium fuere, & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iũctam, & propter Crassi necem, cuius filiũ in partibus Cęsaris esse audierant: quem vltorem patris victore Cęsare futurũ non dubitabant. Itaque victis partibus Pompeianis, & Cassio & Bruto auxilia aduersus Augustum & Antonium misêre; & post belli finem rursum Pacoro duce, inita cum Labienо societate, Syriam & Asiam vastáuere; castráque Ventidij, qui post Cassium absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur: sed ille simulato timore, diu continuit se, & insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos lętósque partem legionum emisit: quarum impetu fusi Parthi, in diuersa abiere. Pacorus cum fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra Ventidij veluti sine defensoribus, aggreditur. Tũ Vẽtidius reliqua parte legiooum emissa, vniuersam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit: nec vllo bello Parthi vmquam maius vulnus acceperunt. Hæc cum in Parthia nuntiata essent, Orodes pater Pacori, qui paulo antè vastatam Syriam, occupatam Asiam à Parthis audie-

A rat, victorémque Pacorum Romanorum gloriabatur, repentè filij morte, & exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita vt etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, vbi dolor vocem laxauerat, nihil aliud quàm Pacorum vocabat; Pacoros illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo consistere; interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde B luctum, alia solicitudo miserandum senem inuadit, quem ex numero xxx. filiorum in locum Pacori regem destinet. Multæ pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro suis quæque solicitæ, animum senis obsidebant. Sed fatum Parthiæ fecit, in qua iam quasi solemne est reges parricidas haberi, vt sceleratissimus omnium, & ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

ITAQVE statim quasi nollet mori, patrem interfecit; fratres quoque xxx. trucidat: sed nec in C filiis cessant parricidia. Nam cùm infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici iubet. Huic Antonius propter auxilium aduersus se, & Cæsarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit; sed grauiter multis prœliis vexatus, à Parthia refugit: qua victoria insolentior Phrahates redditus, cùm multa crudeliter consuleret, in exilium à populo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas ciuitates, D ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente, regem Parthi Tyridatem quendam constituerant: qui audito aduentu Scytharum, cum magna amicorum manu ad Cæsarem, in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Cæsari minimum filium Phrahatis ferens: quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito, Phrahates legatos statim ad Cæsarem mittit, seruum suum Tyridatem, & E filiũ remitti sibi postulat. Cæsar & legatione Phrahatis audita, & Tyridatis postulatis cognitis (nam & ipse restitui in regnum desiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si eius regnum muneris eorum fuisset) neque Tyridatem dediturum se Parthis dixit, neque aduersus Parthos Tyridati auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil à Cæsare obtentum videretur, Phrahati filium sine pretio remisit; & Tyridati quoad manere apud Romanos vellet, opulẽtum sumptũ F præberi iussit. Post hæc finito Hispaniensi bello, cum in Syriam ad componendum Orientis statũ venisset, metum Phrahati incussit, ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota Parthia captiui ex Crassi, siue Antonij exercitu recollecti, signáque cum his militaria Augusto remissa. Sed & filij nepotésque Phrahatis obsides Augusto dati: plúsque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quàm armis alius imperator facere potuisset.

POMPEI·I TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XLIII.

A

PARTHICIS, Orientalibúsque, ac totius propemodũ orbis rebus explicitis, ad initia Romanæ vrbis Trogus, velut longam peregrinationem domum reuertitur: ingrati ciuis officiũ existimans, si cùm omnium gentium res gestas illustrauerit, de sola tãtum patria taceat. Breuiter igitur initia Romani imperij perstringit: vt nec modum propositi operis excedat, nec vtique originẽ vrbis, quæ est caput totius orbis, silentio prætermittat. Italiæ cultores primi Aborigines fuere: quorum rex Saturnus tantæ iustitiæ fuisse traditur, vt neque seruierit sub illo quisquam, neque quicquam priuatæ rei habuerit, sed omnia communia, & indiuisa omnibus fuerint, veluti vnum cũctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum est, vt Saturnalibus exęquato omniũ iure passim in cõuiuiis serui cum dominis recumbant. Itaque Italia regis nomine, Saturnia appellata est: & mõs in quo habitabat, Saturnius; in quo nunc, veluti à Ioue pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt, sub quo Euander ab Arcadiæ vrbe Pallanteo, in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros & mõtem, quem ille postea palatiũ appellauit, benigne assignauit. In huius radicibus templum Lycæo, quem Gręci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit: ipsum dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Fauno fuit vxor nomine Fatua, quæ assiduè diuino spiritu impleta, velut per furorẽ, futura præmonebat. Vnde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Ex filia Fauni & Hercule, qui eodem tempore extincto Geryone, armenta victoriæ præmia per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus, procreatur. Quo tenẽte regnum Æneas ab Ilio, Troia à Græcis expugnata, in Italiam venit: statímque bello exceptus, cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquiũ vocatus, tantam admirationem sui Latino præbuit, vt & in societatem regni reciperetur; & Lauinia in matrimonium ei data, gener ascisceretur. Post hæc commune vtriusque bellum aduersus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniæ nuptias, fuit: in quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum Æneas iure victoriæ vtroque populo potiretur, vrbem, ex nomine vxoris, Lauiniam condidit. Bellum deinde aduersus Mezentium, regem Ethruscorum, gessit: in quo cùm ipse occidisset, in locum eius Ascanius filius successit: qui Lauinio relicto, longam Albam condidit, quæ trecentis annis caput regem fuit.

POST multos deinde vrbis huius reges, ad postremum Numitor & Amulius regno potiti sunt. Sed Amulius cùm ætate potiorem Numitorem oppressisset, filiam eius Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit: addita iniuriæ specie honoris, vt non damnata, sed sacerdos electa videretur. Igitur clausa in luco Marti sacro, duos pueros, incertum stupro, an ex Marte conceptos, enixa est. Quo cognito, Amulius multiplicato metu prouentu duorum, pueros exponi iubet; & puellam vinculis onerat, ex quorum iniuria decessit. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit: quæ amissis catulis, distenta vbera exinanire cupiens, nutricem se infantibus præbuit: quum sæ- B pius ad paruulos veluti ad catulos reuerteretur, rem Faustulus pastor animaduertit, subtractósq; feræ, inter greges pecorum agresti vita nutriuit. Martios pueros fuisse, siue quòd in luco Martis enixi sunt, siue quòd à lupa, quæ in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis, creditũ. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, & vires & pernicitatem auxere. Igitur C cum latrones à rapina pecorũ industriè frequentérque summouerent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, regi offertur; crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à rege Numitori in vltionem traditur. Sed Numitor adolescẽtia iuuenis permotus, & in suspicionem expositi nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis temporibus congruens, anxium tenerent, re- D pentè Faustulus cum Romulo superuenit: à quo cognita origine puerorum, facta conspiratione, & adolescentes in vltionem maternæ necis, & Numitor in vindictam erepti regni armantur.

OCCISO Amulio, regnum Numitori restituitur, & vrbs Romana ab adolescentibus conditur. Tunc & senatus centum seniorum, qui patres dicti sunt, constituitur; tunc & vicinis, connubia pastorum dedignantibus, virgines Sabinæ rapiuntur; finitimísque populis armis E subiectis, primum Italiæ, & mox orbis imperium quæsitum. Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres hastas coluere: ob cuius religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. Temporibus Tarquinij regis, ex Asia Phocensium iuuentus, ostio Tyberis inuecta, amicitiam cum Romanis iunxit: inde in vltimos Galliæ sinus nauibus profecta, Mas- F siliam inter Ligures, & feras gentes Gallorum cõdidit: magnásque res, siue dum armis se aduersus Gallicam feritatem tuentur, siue dum vltro lacessunt, à quibus fuerant antè lacessiti, gessẽrũt. Namque Phocenses exiguitate ac macie terræ coacti, studiosius mare quàm terras exercuere, piscando, mercando; plerumque etiam latrocinio maris (quod illis temporibus gloriæ habebatur) vitam tolerabant. Itaque in vltimam Oceani oram

ni oram procedere ausi, in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis deuenere. Cuius loci amœnitate capti, reuersi domum, referentes quæ viderant, plures solicitauere. Duces classis Simos & Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cuius finibus vrbem condere gestiebant, amicitiam petentes conueniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat: quam more gentis electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat. Itaque cum ad nuptias inuitati omnes processissent, rogantur etiam Gręci hospites ad conuiuiũ. Introducta deinde virgo, cum iuberetur à patre aquã porrigere ei quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos conuersa, aquam Proti porrigit: qui factus ex hospite gener, locum condendæ vrbis à socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. Sed Ligures incremẽtis vrbis inuidentes, Græcos assiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, vt victis hostibus in captiuis agris multas colonias constituerent.

Ab his igitur Galli & vsum vitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorũ cultus, & vrbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis viuere, tunc & vitem putare, tunc oliuam serere cõsueuerunt: adeóque magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, vt non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur. Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, à quo locus acceptus condendæ vrbis fuerat, cum regno filius eius Comanus successisset, affirmante regulo quodam, quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendámque in ipso ortu, ne mox validior ipsum obrueret, subnectit & illam fabulam: Canem aliquando partu grauidam locum à pastore precario petisse, in quo pareret: quo obtento, iterato petisse vt sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis, fultam domestico præsidio, proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros. His incitatus rex, insidias Massiliensibus extruit. Itaque solemni Floraliorum die, multos fortes ac strenuos viros hospitij iure in vrbem misit: plures scirpiis latentes, frondibúsque supertectos induci vehiculis iubet, & ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit: vt quum nocte à prædictis apertæ portæ forent, tempestiue ad insidias adesset; vrbémque somno ac vino sepultam armatis inuaderet. Sed has insidias mulier quædam regis cognata, prodidit, quæ adulterare cum Græco adolescente solita, in amplexũ iuuenis miserata formæ eius, insidias aperuit, periculúmque declinare iubet. Ille rem statim ad magistratus defert: atque ita patefactis insidiis, cuncti Ligures comprehenduntur,

A latentésque de scirpiis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis, insidianti regi insidiæ tendũtur. Cęsa sunt cum ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris obseruare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac veluti bellum habeant, sic vrbem pacis temporibus custodire: adeò illic bene instituta non temporum necessitate, sed rectè faciendi consuetudine seruantur.

B Post hæc magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella: quæ res, & vrbis gloriam auxit; & virtutem Græcorum multiplicata victoria, celebrem inter finitimos reddidit. Carthaginiensium quoque exercitus, cùm bellum captis piscatorum nauibus ortum esset, sæpe fuderunt, pacémque victis dederunt: cum Hispanis amicitiam iunxerunt; cum Romanis prope ab initio conditæ vrbis fœdus summa fide custodierunt, auxiliísque in omnibus bellis industriè so-
C cios iuuerunt: quæ res illis & virium fiduciam auxit, & pacem ab hostibus præstitit. Cum igitur Massilia fama rerum gestarum, & abundantia opum, & virium gloria virente floreret, finitimi populi ad nomen Massiliensium delendum, veluti ad commune extinguendum incendium concurrunt. Dux consensu omnium Çatumandus regulus eligitur: qui cum magno exercitu lectissimorum virorum vrbem hostium obsideret, per quietem specie toruæ mulieris, quæ se deam di-
D cebat, exterritus, vltro pacem cum Massiliensibus fecit: petitóque vt intrare illi vrbem, & deos eorum adorare liceret, cum in arcem Mineruæ venisset, conspecto in porticibus simulacro deæ, quam per quietem viderat, repente exclamat, illam esse, quæ se nocte exterruisset; illam quæ recedere ab obsidione iussisset. Gratulatúsque Massiliensibus, quòd animaduerteret eos ad curam deorum immortalium pertinere, torque aureo donata dea, in perpetuam amicitiam cum Massi-
E liensibus iunxit. Parta pace, & securitate fundata, reuertentes à Delphis Massiliensium legati, quò missi munera Appollini tulerant, audierunt vrbem Romanam à Gallis captam, incensámque. Quam rem domi nũtiatam publico funere Massilienses prosequuti sunt: aurúmque & argentum publicum priuatúmque contulerunt, ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognouerant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus spectaculorum in senatu
F datus, & fœdus æquo iure percussum. In postremo libro, Trogus maiores suos à Vocontiis originem ducere; auum suum Trogum Pompeium, Sertoriano bello, ciuitatem à Cn. Pompeio percepisse dicit; patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse; patrem quoque sub Caio Cæsare militasse, epistolarúmque & legationum, simul & anuli curam habuisse.

POMPEII TROGI EPITOMA HISTORIARVM

LIBER XLIIII.

HISPANIA sicuti Europæ terminos claudit, A ita & huius operis finis futura est. Hanc veteres ab Ibero amne primùm Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominauerunt. Hæc inter Africam & Galliã posita Oceani freto, & Pyrenæis montibus clauditur. Sicut minor vtraque terra, ita vtraque fertilior. Nam neque vt Africa violẽto sole torretur, neque vt Gallia assiduis vẽtis fatigatur; sed media inter vtramque, hinc temperato calore, inde felicibus & tẽpestiuis imbribus, in omnia frugum genera fecũda est, adeo vt B non ipsis tantum incolis, verumetiam Italiæ, vbique Romanæ cunctarum rerum abundantia sufficiat. Hinc enim non frumenti tantũ magna copia est, verum & vini, mellis, oleíque; nec ferri solum materia præcipua est, sed & equorum pernices greges; nec summa tantum terræ laudanda bona, verum & abstrusorum metallorum felices diuitiæ: Iam lini, spartique vis ingens; minij certe nulla feracior terra. In hac cursus amnium non C torrẽtes, rapidíque vt noceant, sed lenes, & vineis campísque irrigui, æstuariísque Oceani affatim piscosi: Plerique etiam diuites auro, quod in paludibus vehunt. Vno tantũ Pyrenæi montis dorso adhæret Galliæ; reliquis partibus vndique in orbem mari cingitur. Forma terræ propè quadrata, nisi quòd artantibus freti littoribus in Pyrenæum coit. Porrò Pyrenæi montis spatium sexcenta millia passuum efficit. Salubritas cæli per omnem Hispaniam æqualis, quia aëris spiri- D tus, nulla paludium graui nebula inficitur: Huc accedunt & marinæ auræ, vndique versus assidui flatus, quibus omnem prouinciã penetrantibus, euentilato terrestri spiritu, præcipua hominibus sanitas redditur.

CORPORA hominum ad inediam, laborémque; animi ad mortẽ parati. Dura omnibus & adstricta parcimonia. Bellum quàm otium malũt: si extraneus deest, domi hostem quærunt. Sæpe tormentis pro silẽtio rerum creditarum immortui: E adeò illis fortior taciturnitatis cura, quàm vitæ. Celebratur etiam bello Punico serui illius patiẽtia, qui vltus dominum inter tormenta risu exultauit, serenáque lætitia crudelitatem torquentiũ vicit. Velocitas genti pernix; inquies animus: plurimis militares equi, & arma, sanguine ipsorum cariora. Nullus in festos dies epularũ apparatus. Aqua calida lauari post secundum bellum Punicum à Romanis didicere. In tanta sæculorum serie nullus illis dux magnus, præter Viriatũ, fuit: F qui annis decem, Romanos varia victoria fatigauit, (adeo feris propiora, quàm hominibus ingenia gerunt) quem ipsum non iudicio populi electum, sed vt cauendi scientem, declinandorúmque periculorum peritum, sequuti sunt. Cuius ea virtus continentiáque fuit, vt cum Consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutauerit; sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perseuerauerit, vt quiuis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

IN Lusitanis iuxta fluuiũ Tagum, vento equas fetus concipere multi auctores prodidere: quæ fabulæ ex equarum fecunditate, & gregum multitudine natæ sunt: qui tanti in Gallecia, & Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immerito vento ipso concepti videantur. Gallecì autẽ Græcam sibi originem asserunt. Siquidem post finem Troiani belli, Teucrum morte Aiacis fratris inuisum patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi vrbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidisse. Inde accepta opinione paternæ mortis, patriam repetisse. Sed quum ab Eurysace Aiacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniæ littoribus appulsũ, loca, vbi nunc est Carthago noua, occupasse, inde Galleciam transisse, & positis sedibus genti nomen dedisse. Galleciæ autem portio, Amphilochi dicuntur. Regio cum æris ac plumbi vberrima, tum & minio, quod etiam vicino flumini nomẽ dedit. Auro quoque ditissima, adeo vt etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. In huius gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur: sed si quando fulgure terra proscissa est, quæ in his locis assidua res est, detectum aurum velut dei munus colligere permittitur. Feminæ res domesticas, agrorúmque culturas administrant; ipsi armis, & rapinis seruiunt. Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento eius, ferrum acrius redditur: nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut Chalybe tinguatur. Vnde etiam Chalybes, fluuij huius finitimi appellari, ferróque ceteris præstare dicuntur.

SALTVS verò Tartesiorum, in quibus Titanas bellum aduersus deos gessisse proditur, incoluere Curetes: quorum rex vetustissimus Gargoris mellis colligendi vsum primus inuenit. Huic cùm ex filiæ stupro nepos prouenisset, pudore flagitij variis generibus extingui paruulum voluit: sed per omnes casus fortuna quadàm seruatus, ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione peruenit. Primum omnium cum eum exponi iussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inuentus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueuerant, proiici iubet: crudelis prorsus qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque cum inuiolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo ieiunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus obiecit. Itaque cùm non solùm non noceretur, verumetiam quarundam vberibus aleretur, ad vltimum in Oceanum abiici iussit. Tum planè manifesto quodam

dam numine inter furentes æstus, ac reciprocantes vndas, velut naue non fluctu veheretur, leni salo in littore exponitur: nec multo pòst cerua affuit, quæ vbera paruulo offerret. Inde denique conuersatione nutricis eximia puero pernicitas fuit, interque ceruorum greges diu montes saltúsque, haud inferior velocitate peragrauit. Ad postremum laqueo captus, regi dono datus est. Tunc & lineamentorum similitudine, & notis corporis, quæ iniustæ paruulo fuerant, nepos agnitus. Admiratione deinde tot casuum periculorúmque, ab eodem successor regni destinatur. Nomen illi impositum Habidis: qui vt regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, vt non frustra deorum maiestate tot periculis ereptus videretur: quippe barbarum populum legibus iunxit, & boues primus aratro domari, frumentáque sulco quærere docuit, & ex agresti cibo mitiore vesci, odio eorum quæ ipse passus fuerat, homines coëgit. Huius casus fabulosi viderentur, nisi & Romanorum conditores lupa nutriti, & Cyrus rex Persarum cane alitus proderetur. Ab hoc & ministeria seruilia populo interdicta & plebs in septem vrbes diuisa. Mortuo Habyde regnum per multa sæcula à successoribus eius retentum est. In alia parte Hispaniæ, & quæ ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli lætitia est, vt nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, vt Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipsum non triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres fratres tantæ concordiæ extitisse, vt vno animo omnes regi viderentur: nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cùm armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

POST regna deinde Hispaniæ, primi Carthaginienses imperium prouinciæ occupauere. Nam cum Gaditani à Tyro, vnde & Carthaginiensibus origo est, sacra Herculis, per quietem iussi, in Hispaniam transtulissent, vrbémque ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouæ vrbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses misere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ imperio suo adiecerunt. Postea quoque hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus, occiditur. In huius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur: qui & ipse à seruo Hispani cuiusdam, vlciscente domini iniustam necem, interfectus est. Maior vtroque Annibal imperator, Hamilcaris filius succedit. Siquidem vtriusque res gestas supergressus, vniuersam Hispaniam domuit: inde Romanis illato bello, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigauit: cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus, primo Pœnos prouincia expulerunt: postea cum ipsis Hispanis grauia bella gesserunt: nec prius perdomita prouincia iugum Hispaniæ accipere potuerunt, quàm Cæsar Augustus perdomito orbe, victricia ad eos arma trãstulit, populúmq; barbarum ac ferum legibus ad cultiorem vitæ vsum traductum, in formam prouinciæ redegit.





ANDREAE ALCIATI IVRISCONSVLTI,

DE MAGISTRATIBVS CIVIlibúsque & militaribus officiis libellus.



VM multa sint in iure nostro non satis hactenus intellecta, tum is maximè tractatus expositione indiget, qui ad eos magistratus pertinet, quorum in primo Digestorum libro mentio habetur. Quamuis enim ab interpretibus multa afferantur, ad Imperatorum potestatem & Proconsulum, Præsidum, Procuratorum Cæsaris, Iuridici Alexandriæ, officium spectantia, non tamen rem omnem ita explicant, vt studiosis satisfacere possint. Nam cùm ea munera antiquis Iurisconsultis cognitissima essent, non existimauerunt operæ pretium se facturos, si longo sermone in eorum explanatione commorarentur. At in præsentia propter Latinatum literarum diutinam calamitatem, cum ex Iurisconsultis plena cognitio haberi nequeat, vix quicquam superest vnde in certiorem semitam deducamur, nisi recentiorum coniecturas, &, vt ipsi vocant, diuinationes, pro exploratis rebus recipere velimus. Itaque, vt huic quoque parti pro virili opem feramus, quæ ad hunc tractatum pertinentia ex antiquis autoribus collegi, in mediũ proferre, & cum studiosis communicare constitui. SCIENDVM igitur Romani Imperij originẽ à Romulo Regibúsque cæpisse: ab his latæ sunt leges, quas Regias vocant. Is Romulus ex antiquioribus ciuitatis centum patres elegit, qui ordo Senatorius dictus est; ad hunc decernendi ius pertinebat, quæ ex toto Regno ad eum deferentur. Sed & sacra facere, ius dicere, magistratum gerere, soli patricij poterant. Quoties verò vel leges sciscendæ, vel magistratus creandi, vel bella decernenda erant, tunc populus Rom. ipse consulebatur, ad eúmq; huiusmodi negotiorum ius pertinebat. Idque Dionysius Halicarnassæus diffusè explicat. Exactis deinde Regibus, plebis potestas multùm aucta est, cùm secessione facta à Senatoribus extorsisset, vt ex corpore suo Magistratus crearentur, qui Tribuni plebis dicti fuor. Sacrosancti hi erant, summæque auctoritatis, vt qui Senatusconsultis intercedere possent. Et quãuis à principio latæ ab his leges, quas plebiscita vocant, Patricios nõ obligarent, tamen lege Hortensia cõstitutũ deinde est, vt eo iure quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur. Sic acerrimum telum plebi aduersus nobilitatem datum est. Fuit & de eo controuersum, quod maiores Magistratus ex plebe creati Patricij prohibebãt, donec & hoc obtentum fuit, vt Alter Consul plebeius esset. Cœpere deinde C. Sempronij rogationibus iudicia cognoscere. Is enim Equestrem ordinem in eorum possessione locauit, vnde turbulentæ seditiones ortæ. Constátq; C. Marium, & L. Syllam, qui ea Senatui demum reddidit, vel hac de re præcipuè contendisse, vnde & bellorum ciuilium maxima incendia orta sunt. Cum deinde pro Senatu Pompeius arma sumeret, Marianísq; partes, quæ plebem tuebantur, Cæsar sequeretur: oppressáque per eum, & dein Triumuiros Republica, cum in C. Octauium Cæsarem omnia cessissent, nouum ipse regimẽ induxit. Nec enim Regem se, aut Romulũ, quod odiosus superbúsq; is titulus esset, appellari est passus; Sed Romano veteríq; nomine Imperator & Augustus dici voluit. sumpsitq; Censurã, & Tribunitiæ potestatis ius, & Max. Pontificem se inscripsit, patrísq; patriæ titulum à Senatu populóq; Romano accepit. SANE eius nominum rationem sic Dion exequitur, vt qui Imperatores appellati sunt, delectũ facere, milites conscribere, pecunias colligere, hostibus bellum indicere possint. Iidẽ & pacem sanciendi, summum supplicium etiam de Senatoribus sumẽdi, ius habeant, solitos fuisse priscos Duces sic appellari, Tacitus libro tertio auctor est. Illi enim re bene gesta gaudio & impetu victoris exercitus ea salutatione conclamabantur, erántq; plures simul Imperatores, nec super cæterorum æqualitatem. Cõcessum ad eam similitudinem id vocabulum est quibusdã & ab Augusto & à Tiberio aliísque successoribus. Censores autem vitam moresq; nostros examinant, & de eis inquirunt, census rationem ducunt, professionẽ curant, & pro meritis hos de albo eximunt, illos deligunt, quod & diffusius in Valeriani vita apud Trebelliũ traditur. Ad Pontifices verò Max. Sacerdotium conferendorum ius pertinet, sacris enim omnibus auspicijsq; illi præsunt. Tribunitiæ ius potestatis eam ob causam sumpsit, quod sacrosancta ea dignitas nemínique violabilis esset. Nam etsi in re leuissima, solo sermone, nedũ facto, Tribuni maiestatem quisquam cõtempsisset, tanquam abominabilis, & sacer indicta causa ad mortem adigebatur. Et has quidem dignitates Octauius accepit, in successoresq; suos transmisit, quo potentius illustriúsq; Imperatorium nomen faceret. Concessum præterea & illud fuit quod ante eum antiquorum nemini, vt legibus solutus esset. Significat hoc (inquit Diõ) ab omni legum necessitate liberũ, nulliq; iuri scripto obnoxium: vt qui absq; vlla disquisitione omnem Regum potestatem haberet, quãuis nomine abstineret. Patris verò Patriæ cognomentum apud antiquos, obseruationis cuiusdam paternę significatio erat, quod hoc nomine illustrati Principes omnes quoscunq; sibi subessent, ceu filios amarent, illiq; eos vicissim tanquam patres vererentur. Quamuis Imperatorij alia quoq; nominis ratio reddi posset: nimirum, quod hi in nos eam potestatem exerceant, quam antiquitus parentes in filios habuerunt, hoc est vitæ & necis. Cogitauit etiam plerunq; Augustus de reddenda Republica. Cumq; in Senatu sententiam suam exposuisset, Rationarium Imperij tanquam illud restituturus Consulibus tradidit. Sed Senatoribus siue per simulationem, siue metu, vel etiam ex com-

ex composito reclamantibus variasque rationea afferentibus, cur Reipublicæ Monarchia præstaret, iit Principatu perseuerauit, Deos hominésque testatus, intra decennium se omnem administrationem depositurum. Sed cùm ea tempora lapsa essent, rursusque eiurare velle Imperium simularet, Senatus alios decem annos, quibus in eodem magistratu esset, decreuit: atque iterum aliis decem annis, quibus ipse dein extinctus est prorogauit. Quamobrem inde obseruatum est, vt eius successores, quamuis vixerint donec perpetuam administrationem recipiant, tamen singulis decem annia celeberrimos ludos faciant, tanquam principatum renouent. Ea festa decennalia, vicennalia tricenoaliaque appellata sunt. Arelate Constantiū tricennalia celebrasse, Theatralesq; & Circenses ludos ambitioso apparatu edidisse, autor est Ammianus. Vouebantur autem hi ludi in proximos decem annos. Quapropter in antiquis nomismatis plerunque huiusmodi inscriptio cernitur, VOT. X. VOT. XX. hoc est votis decennalib. vicennalibúsque. Trebellius quoque in vita Gallieni, Conuocatis (inquit) patribus decennalia celebrauit, nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Nazarius in Panegyrico: In destinatis, inquit, decēniis iam vota properantia, & spes volucres constituerunt. Sed & Mamertinus: Reseruo orationem quā quinquennio exacto decennalibus tuis dicam. Extat Romæ in Lateranensi Basilica Senatusconsultum æreis inscriptum notis, quo potestas Vespasiano Imperatori data cognosci potest. Licere enim illi fœdus quibuscum volet sancire, Senatum habere, remittere, Senatusconsultum per relationem discessionemq; facere. Si eius iussu vel mandato eóve præsente Senatus haberetur, perinde seruari, ac si ex lege Senatus conuocatus esset. Si quos Magistratus Senatus P. Q. R. commeodasset suffragationéve sua adiuuisset, eorum comitiis etiam extra ordinem rationem habendam, Fines pomerij cum è Republica censebitur proferre ei licere. Quicquid ex vsu Reipublicæ, diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumque rerum esse existimabit, ei agere facere ius, potestatemq; esse, quibus legibus Plebisque scitis scriptum esset, ne Augustus Cæsar teneretur, eiusdem & eum solutum esse. Acta gesta, decreta ab eo, etiam ante illud Senatusconsultum, perinde rata haberi, ac si Populi Plebisque iussu acta essent: si eius concessionis causa aliud aduersus leges factū esset, fraudi nemini esse, neque quicquam ob eam rem Populo dari debere, nec cui de ea re actionē iudicationemque dandam. Quæ tam ampla auctoritas Vespasiano præstita, videtur mihi formula esse eius potestatis quā sibi Imperatores attribuebāt: scribūt Iureconsulti, lege Regia quæ de Imperio Augusti lata est, Pop. Rom. omne suum imperiū & potestatem concessisse. Idcirco autem legem eam Regiam appellari arbitror, quod Romuli constitutione ad Populum ius Regis creandi pertineret. Vnde à Tarquiniis Seruio Tullo obiiciebatur (vti T. Liuius inquit) quòd iniussu Populi Regnum inuasisset. Cum ergo Augustus à populo Rom. Imperator creatus est, videtur Regiæ legis obseruatio in vsum reuocata, quamuis Regiam planè potestatem ille nunquam vsurpauit, sed sua Populo, sua Senatui munia obire permisit. Comitia enim Magistratuum tum quoque celebrabantur, conueniebántque Tribus omnes, candidatósque Populi arbitrio deligi ille sinebat, si modo eos approbasset: nec enim quicquam ab his fieri permittebat, quod præter animi sui sentētiam esset: curabátque id maximè, ne indigni, aut quibus ius capessendi honoris non erat, per ambitum legibus eriperentur. Quod & à Tiberio aliquoties obseruatum, donec id iuris penitus sibi vindicauit, tradidítque successoribus, vt necessario in vrbe Roma lex Iulia de ambitu cessauerit. Senatoribus quoque Augustus non parum detulit, ex his enim XV. sortiri iussit, qui sibi sex mensibus in consilio essent: plerunque & ipse sententiam in Senatu dicere, vnà cum amplissimo ordine decernere. Ad hæc, iudicia Senatui permisit, cuius iuris causa antea toties armis certatū fuerat: sicq; publica negotia & priuatorum maxima tractabantur. Omnium præterea Prouiociarum quæ sub Imp. Rom. erant, formulam ita diuisit, vt aliæ Proconsulares, aliæ Prætoriæ, aliæ Præsidiales essent. Proconsulares Senatui, Prætorias Populo demandandas tradidit. In Præsidiales ipse Legatum suum, qui nunc Præses, nunc Legatus Cæsaris eam ob causam dicebatur, mittebat. Deinde factum est, vt etiam Prætoriæ in Senatu per sortes decernerentur: nimirum sublatis ab Imperatoribus Comitiis, qui conuentum Populi formidolosum existimabant. Scribit Strabo libro vltimo, omnes Prouincias, alias Cæsari, alias Populo attributas: ex his quæ ad Populum pertinebant, Proconsulares & Prætorias constitutas, quod videlicet viri Consulares, vel Prætorij ad eas regendas mittebātur. Erant autem huiusmodi Prouinciæ imbelles, & quæ militari præsidio non indigebant, neque proximos Barbaros habebant. Quę enim validiores, & legionum ope indigentea, sibi conseruauit: eo videlicet prætextu, quod Populo pacatiora quæque & pulchriora concederet, ipse difficiliora, periculisque & laboribus exposita retineret. Sed reuera (si Dioni credimus) vt in manu sua res omnis militaris esset, Senatus autem Populúsq; inermis Rempublicam repetere nō auderet. Procōsulares Prouincias fuisse Lybiam & Asiam citra Taurum, Strabo autor est. Prætorias vero in Hispaniis Bœticam, in Galliis Narbonensem, tum Sardiniam cum Corsica, Siciliam, Illyricum qua in Macedoniam vergit, Cretam, Cyrenaicam, Cyprum, Bithyniam cum Ponto. Commutabantur tamen plerunque arbitratu Principis. Hinc Lampridius in Alexandri vita, Prouinciarum alias Prætorias, Præsidiales plurimas fecit, Proconsulares ex Senatus voluntate ordinauit. Suetonius in Claudio. Prouincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam trāstulerat, Senatui reddidit. Scribit Rufus in eo quem edidit libello De rom. Imperij accessione, omni ex Africa sex prouincias esse factas, quarū Carthago, Numidia, Cyrenensis, Consulares erāt: Tripolis & Mauritaniæ duæ, Sityphēsis, & Cæsariensis, Præsidiales. Pari quoque numero diuisas Hispanias, in quibus Bœtica & Lusitania Cōsulares: Tarraconēsis, Carthagīnensis, Gallitia, Insularis, quæ & trans fretum, Præsidiales. Sed & quandoque Imperator Legatos suos seu Præsides in aliquam Proninciā missos Consulari potestate ornabat, vt videlicet eius esseot auctoritatis cuius Proconsules. Sic C. Plinius Cæcilius Præses Prouinciæ Ponti, Consulari potestate fuit, vt in antiquis marmoribus annotasse me memini. Maior autem Proconsulum dignitas quàm Legatorum ideo erat, quia nō nisi Senatores Cōsularésq; viri Prouincias sortiebātur: cū ex Equestri ordine etiā

Pręsides eligi poßēt. Sane Procõsulū magistratus annuus, Pręsidū certus finis nõ erat, sed in officio ꝑseuerabāt, donec successor à Cæsare mittebatur. Idq; in Augusti vita etiā Trāquill⁹ attestatur. Ius autē milites decimādi, ciuicáq; corona donandi Procõsulib. fuisse, Tacitus lib. 3. ostēdit. Idē 11. auctor est, Qui Senatores filiis carerent, Prouincias Præturásq; inter Patres sortiri nõ potuisse. Senatúsq; cõsulto cautum, ne fictæ adoptiones vlla in parte publici muneris orbis prodessent. Grauiorē autē Prouinciis Procõsularē fuisse administrationē quā Præsidū, idē ostēdit, dū lib. 1. tradit Achaiā & Macedoniā onera deprecātes, Procõsulari Imperio ad præsens leuatas, Cæsarique traditas esse. Cuius rei eā rationē suspicor, quòd Procõsulariū Prouinciarum vectigalia & tributa publica Pop. Ro. erāt, & ad ærariū pertinebāt, neque ea diminuēdi Procõsoli ius esset. Quæ verò à Præsidibus in prouinciis colligebātur, ad Principē eiúsq; fiscū spectabāt, iúsq; illi remittēdi erat. Hoc. n. differt ærariū à fisco, quod illud publicū, h. e. Populi Romani fiscus Principis est. Quod apertissimè C. Plinius in Paneger. ad Traianū Cæsarē ostēdit: At fortasse nõ eadē seueritate fiscū qua ærariū cohibes? imò tāto maiore, quāto plus tibi licere de tuo quā de publico credis. Hinc est quod maximè in Procõsularibus Prouinciis Procuratores Cęsaris erāt. Qui ea procurabāt quæ ad Cæsarē ipsum seu Fiscum pertinerent, his varia potestas attributa à Principib. fuit. Tiberi⁹ ius in seruitia familiarésq; pecunias solum dedit, adeo vt Lucilliū Capitonē ꝓcuratorē in Asia suū à Senatu dānari ꝑmiserit, quòd præscripta mādata excessisset, vímq; Pręторū vsurpasset. Amplius Claudius Cæsar cõcessit, effecítq; vt Senatusconsulto caueretur, parē vim rerū habēdā à Procuratorib. suis iudicatarum ac si ipse statuisset. Hinc maximā sibi vim Cumanus & Felix, eius in Iudæa Procuratores vsurparunt, de qua merito Iosippus conqueritur. Illud cõstat, sub Traiano aduersus inuitos iurisdictionē nullā Procuratorib. fuisse, vt disceptātib. liberū esset eos nõ eligere: adhiberi tamē in cõsiliū à Præsidib. debere, cū de causa fiscali agitur, idē Imperator Cæcilio Plinio rescripsit. At hodie dubiū nõ est, quoties inter fiscū & priuatū quæstio vertitur, eos adeūdos esse. Scribit Lāpridius, Alexādrū Imperatorē eos sępius mutare solitū fuisse, ne annū excederent, etiā si boni essēt sibi inuisos affirmasse, tāquā necessariū malū. Hosce Procuratores Cæsaris, & Procuratores fisci eosdē fuisse nõ ambigo, qui & alio nomine Rationales, & Procuratores patrimonij appellātur; Idq; in Cõmodo Lāpridius & in Maximiol vita Capitolinus ostēdūt. Sed & in Pio, Procuratores, inquit, suos & modestè suscipere tributa iussit, & excedētes modū, rationē factorū suorū reddere ꝑcepit nec vnquā lætatus est lucro quo Prouincialis opprimeretur. Procurator verò priuatæ rationis cuius in quadā Alexandri Cõstitutione mētio est, vt nõ multū à cæteris Rationalibus differebat, ita præcipuum Ægyptij magistratus nomē erat. Deuicto. n. apud Actiū Antonio, extinctáq; Cleopatra, in formam Prouincię C. Octauius Cæsar Ægyptū redegit. Et quoniā seditiosissimi naturaliter erāt Ægyptij, opportunáq; tellus alēdo bello, noluit eā per Senatores administrari, ne popularib. studiis ducti, facilè ad Imperium aspirarēt, Idq; & Diõ tradidit. Corn. Tacitus lib. 2. Augustus, inquit, inter alia dominationis arcana vetitis, nisi ꝑmissu, ingredi Senatorib. aut Equitib. Rom. illustribus seposuit Ægyptū, ne fame vrgeret Italiā, quisquis eā Prouinciā claustráq; terræ ac maris, quāuis leui pręsidio, aduersū ingētes exercitus præsedisset. Sed & in 12. D. August⁹ apud Equestres qui Ægypto pręsiderēt, lege agi, decretáq; eorū perinde haberi iusserat, ac si magistrat⁹ Romani cõstituissēt. Vopiscus scribit, Aurelianū Imp. Saturnino mādasse ne Aegyptū videret. Quod præceptū cū ille spreuisset, leuissima gēs, rerúmq; nouarū auida eū Imperatorē salutauit, quæ necis ei⁹ causa fuit. Strabo auctor est deuicta Cleopatra in certā administrationē Ægyptū redactā, expugnatāq; à Romanis, & ad eā mitti solitos moderatione & prudētia insignes viros sub Pręfecti titulo. Is est Pręfect⁹ Augustalis, q vicē regis obtinet. Est & δικαιοδότης, i. Iuridicus, in cuius potestate maxima est iudiciorum pars. Est & qui ἴδιος λόγος, quē ego Procuratorem priuatæ rationis interpretor. Ad quē indagatio bonorum vacantiū pertinet, earúmq; rerū quæ Cęsari debentur. Horū Comites sunt Cæsaris Liberti & Actores, quorū fidei maiora minoráq; iudicia creduntur. Ex patriis autē magistratib. apud eos est ἐξηγητής quasi Quæstorē dicas, qui purpurā gestat, aliisq; municipalib. honorib. est insignis omniūq; quæ curā habet, quę ciuitati vtilia sūt. Est & ὑπομνηματογράφος, i. Cõmētariēsis, seu Scriba. Tū ἀρχιδικαστὴς, Iudicialē Præfectū recte appellaueris. τέταρτος δὲ ὁ νυκτερινὸς στρατηγὸς, i. Nocturnus Prætor. Sanè Hipõnematographi quoq; mētio est Theodosij & Valentiniani Cõstitutione quadā. Ea. n. sancitū est, quoties Hypomnematographus aliquos qui munera subeāt nominat, si ipõte illi acciti sunt, Præfecti Augustalis cõsensū nõ esse expectādū, sed protinus functionē exequēdam. Quā cõstitutionē ex doctorib. nostris nemo hactenus mihi videtur percepisse. Cæterū erāt etiā Procuratores Cæsaris, non in vniuersū alicui Prouinciæ dati, sed particulariter alicui negotio quod ex antiqua inscriptione coniectari pronū est, quæ Corinthi in hæc verba adhuc legitur: Theoprepon Aug. lib. Proc. Domini N. Aur. Seueri Alexandri Pij Fel. Aug. Prouinciæ Achaiæ & Epiri & Thessaliæ Rationalē purpurarū, Proc. ab ephemeride, Proc. à mādatis, Proc. à præd. Gallicā. Procur. saltus Domitiani. Tricliniarchā, Præpositū à Fiblis, Præpositū à chrystallinis, hominem incõparabilem Tixander Aug. lib. officialis. Et hi quidem sunt magistratus, qui ab Augusto cõstituti, diu perseuerauerunt; & tempore quo Iurisconsulti nostri florebāt, maximè viguerūt. Nā posteriores, deinde Imperatores, quorū Princeps Cõstātinus, qui Romanorū Coloniā Byzantiū trāstulit, aliam ipsi formā cõmēti sunt: Tū cœperunt alij Patritij esse quàm prius erant, aliáq; Præfectorū Pręторia iurisdictio, Hinc magistri militū, Magistri officiorū, Comites sacrarū largitionū, Comites rei priuatæ, Comites sacri Palatij, Comites sacri patrimonij. Quorū officia quāuis in Cõstitutionib. explicata legantur, vt tamē clarius percipiantur, aliqua adhuc disserere abs re non erit. Constantinus igitur Romanorū ciuium Coloniam cum Byzantium transtulisset, sedem quoq; eam vrbem Oriētalis Imperij esse voluit, Prouinciásq; certis limitib. designauit, quib. suos Magistratus dedit, Militiámq; ordinauit: cuius rei formulā à successoribus quoque obseruatam, ex antiquo, eodémque innominato auctore referemus: Is in hunc modum vt sequitur, scriptum reliquit.



P. VICTORIS DE REGIONIBVS VRBIS ROMÆ LIBELLVS.

REGIO PRIMA,
Porta Capena.


ICVS & ædis Camœnarũ.
Vicus Drusianus.
Vicus Sulpicij vlterioris.
Vicus Sulpicij citerioris.
Vicus Fortunæ Obsequentis.
Vicus Puluerarius.
Vicus Honoris & Virtutis.
Vicus Trium ararum.
Vicus Fabritti.
Ædis Martis.
Ædis Mineruæ.
Ædis Tempestatis.
Area Apollinis.
Area Spei.
Area Galli, siue Thalli, siue Galliæ.
Area Pinaria.
Area Carsuræ.
Lacus Promethei.
Lacus Vispsani vel Vespasiani.
Balineum Torquati.
Balineum Vectij Bolani.
Balineum Mamertini.
Balineum Abascantiani.
Balineum Antiochiani.
Thermæ Seuerianæ.
Thermæ Commodianæ.
Arcus diui Veri Parthici.
Arcus diui Traiani.
Arcus Drusi.
Mutatorium Cæsaris.
Almo fluuius.
Vici IX.
Ædiculæ X.
Vicomagistri XXXVI.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIII mil. CCL.
Domus CXX.
Horreæ XIII.
Balineæ priuatæ LXXXII.
Lacus LXXXIII.
Pistrina XX.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. CCXXII.

REGIO SECVNDA,
Calimontium.

Templum Claudij.
Macellum magnum.
Campus Martialis.
Lupariæ.
Antrum Cyclopis.
Castra peregrina.
Caput Aphricæ.
Arbor sancta.
Domus Philippi.
Domus Vectiliana.
Regia Tulli Hostilij templumque, quod is in Curiam redegit ordini a se aucto, id est, partibus minorum gentium.
Mansiones Albanæ.
Mica Aurea.
Armamentarium.
Spolium Samarium.
Ludus matutinus.
Ludus Gallicus.
Cohortes quinque vigilum.
Vici VII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil.
Domus CXXXIII.
Horrea XXIII.
Balineæ priuatæ XX.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. CC.

REGIO TERTIA,
Isis & Serapis.

Moneta.
Amphitheatrum, quod capit loca LXXXVII mil.
Ludus magnus.
Ludus Dacicus.
Domus Bryttiana.
Samium choragium.
Prætura præsentissima.
Thermę Titi Cęsaris Augusti.
Thermæ Traiani Cæsaris Augusti.
Thermæ Philippi Cęsaris Augusti.
Lacus Pastoris.
Schola Quęstorum.
Schola Capulatorum.
Porticus Liuiæ.
Castra Misenatium.
Subura.
Vici VIII.
Ædiculę VIII.
Vicomagistri XXIIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulę II mil. DCCLVII.
Domus CLX.
Horrea XVIII.
Balineæ priuatæ LXXX.
Lacus LXV.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XII. mil. CCCCL.

REGIO QVARTA,
Templum Pacis.

Templum Remi.
Templum Veneris.
Templum Faustinæ.
Templum Telluris.
Via Sacra.
Basilica Constantini.
Basilica Pauli AEmilij.
Sacriportus.
Forum Transitorium.
Balineum Daphnidis.
Porticus Absidata.
Area Vulcani cum Vulcanali; vbi lotos a Romulo sata; in qua area sanguine per biduum pluit.
Buccina aurea, vel Buccinum aureum.
Apollo sandalarius.
Horrea Chartaria vel Testaria.
Sororium tigillum.
Colossus altus CII & semis, habens in capite radios VII; singuli pedum XXII & semis.
Meta sudans.
Carinæ.
Domus Pompeij.
Aurea Ciceronum Domus.
Vici VIII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ II mil. DCCLVII.
Domus CXXXVIII.
Horrea VIII.
Balineæ priuatæ LXXV.
Lacus LXXVIII.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XIII mil.

REGIO QVINTA EXquilina cum turri & colle Viminali.

Lacus Promethei.
Macellum Liuiani.
Nymphæum diui Alexandri.
Cohortes VII vigilum.
Ædis Veneris Erycinæ ad portam Collinam.
Horti Planciani, vel Plantiani.
Horti Mæcenatis.
Regia Seruij Tullij.
Hercules Sullanus.
Amphitheatrum castrense.
Campus Exquilinus, & Lucus.
Campus Viminalis sub Aggere.
Lucus Petelinus.
Templum Iunonis Lucinæ.
Iugus fagutalis.
Domus Aquilij iureconsulti, Q. Catuli, & M. Crassi.
Ara Iouis Viminei.
Minerua medica.
Isis patricia.
Lauacrum Agrippinæ.
Thermæ Olympiadis.
Vici XV.
AEdiculæ totidem.
Vicomagistri LX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. DCCCL.
Domus CLXXX.
Lacus LXXIX.
Horrea XXIII.
Balineæ priuatæ LXXV.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XV mil. DCCCC.

REGIO SEXTA,
Alta semita.

Vicus Bellonæ.
Vicus Mamurri.
Templum Salutis in colle Quirinale.
Templum Serapeum.
Templum Apollinis, & Clariæ.
Templum Floræ, & Circus Floralis.
Capitolium vetus.
Diuus Fidius in Colle.
Forum Sallustij.
Fortuna publica in Colle.
Statua Mamuri plumbea.
Templum Quirini.
Domus Attici.
Malum Punicum; ad quod Domitianus dd. Templũ gentis Flauiæ; & erat domus sua.
Horti Sallustiani.
Senatulum mulierum.
Thermæ Diocletianæ.
Thermæ Constantinianæ.
Balinea Pauli.
Decem Tabernæ.
Ad Gallinas albas.
Area Calidij.
Cohortes III vigilum.
Vici XII.
AEdiculæ XVI.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. DV.
Domus CXLV.
Horrea XVIII.
Balineæ priuatæ LXXV.
Lacus LXXVI.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XV mil. DC.

REGIO SEPTIMA,
Via Lata.

Lacus Ganymedis.
Cohortes VII vigilum; aliter Primorum Vigilum.
Arcus nouus.
Nymphæum Iouis.
AEdicula Capraria.
Campus Agrippę.
Templum Solis.
Castra Gentiana, aliter Gipsiana.

Porticus Constantini.
Templum nouum Spei.
Templum nouum Fortunæ.
Templum nouum Quirini.
Sacellum Genij Sangi.
Equi ænei Tiridatis.
Forum Suarium.
Forum Archemorium.
Horti Argiani.
Pila Tiburtina.
Ad Mansuetos.
Lapis pertusus.
Vici x.
Vicomagistri xl.
Curatores ii.
Denuntiatores ii.
Insulæ iii mil. CCCLXXXV.
Domus CXX.
Horrea XXV.
Pistrina XVI.
Balineæ priuatæ LXXV.
Lacus LXXVI.
Regio in ambitu continet pedes XII. mil. DCC.

REGIO OCTAVA,
Forum Romanum.

Rostra populi Romani.
AEdis Victoriæ, cum alia ædicula Victoriæ virginis dd. a Porcio Catone.
Templum Iulij Cæsaris in foro.
Victoriæ aureæ statua in templo Iouis Opt. Max.
Ficus Ruminalis, & Lupercal virginis.
Columna cum statua M. Ludij.
Græcostasis.
AEdis Opis & Saturni in vico Iugario.
Miliarium aureum.
Senatulum aureum.
Pila Horatia; vbi tropæa locata nuncupantur Curia.
Templum Castorum ad lacum Iuturnæ.
Templum Concordiæ.
Equus æneus Domitiani.
Atrium Mineruæ.
Ludus AEmilius.
Iulia porticus.
Arcus Fabianus.
Puteal Libonis.
Iani duo, celebris mercatorum locus.
Regia Numæ.
Templum Vestæ.
Templum deûm Penatium.
Templum Romuli.
Templum Iani.
Forum Cæsaris.
Stationes municipiorum.
Forum Augusti cum æde Martis Vltoris.
Forum Traiani cum templo & equo æneo, & columna cochlide, quæ est alta pedes CXXVIII: habétque intus gradus CLXXXV, fenestellas XLV.
Cohortes sex vigilum.
AEdicula Concordiæ supra Græcostasin.
Lacus Curtius.
Basilica argentaria.
Vmbilicus vrbis Romæ.
Templum Titi & Vespasiani.
Basilica Pauli cum Phrygiis columnis.
Ficus Ruminalis, in Comitio; vbi & Lupercal.
AEdis Veiouis inter Arcem & Capitolium prope Asylum.
Vicus Ligurum.
Apollo translatus ex Apollonia a Lucullo, XXX. cubitûm.
Delubrum Mineruæ.
AEdicula Iuuentæ.
Porta Carmentalis versus circum Flaminium.
Templum Carmentæ.
Capitolium, vbi omnium deorum simulacra celebrantur.
Curia Calabra, vbi pontifex minor dies pronuntiabat.
Templum Iouis Optimi Maximi.
AEdis Iouis Tonantis, ab Augusto dd. in cliuo Capitolino.
Signum Iouis Imperatoris à Præneste deuectum.
Asylum.
Templum vetus Mineruæ.
Horrea Germanica
Horrea Agrippina.
Aqua cernens quatuor Scauros.
Forum Boarium.
Sacellum Pudicitię patricię.
AEdes Herculis Victoris duę; altera, ad portam Trigeminam; altera in foro Boatin, cognomine Rotunda & parua.
Forum Piscarium.
AEdis Matutæ.
Vicus Iugarius, idem & Thurarius; vbi sunt aræ Opis & Cereris cum signo Vortumni.
Carcer imminens foro, à Tullo Hostilio ædificatus media vrbe.
Porticus margaritaria.
Ludi literarij.
Vicus vnguentarius.
AEdis Vortumni in vico Thusco.
Elephantus Herbarius.
Vici XII.
AEdiculæ totidem.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III. mil. DCCCLXXX.
Domus CL.
Balineæ priuatæ LXVI.
Horrea XVIII.
Lacus CXX.
Pistrina XX.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. DCCCLXVII.

REGIO NONA, CIRcus Flaminius.

Stabula IIII factionum.
AEdis antiqua Apollinis cum lauacro.
AEdis Herculi magno custodi circi Flaminij.
Porticus Philippi.
AEdis Vulcani in circo Flaminio
Minutia vetus.
Minutia frumentaria.
Porticus Corinthia Cn. Octauij, quæ prima duplex fuit.
Crypta Balbi.
Theatrum Balbi capit loca XXX mil. XCV. Cl. Cæsar dedicauit, & appellatur à vicinitate.
Iupiter Pompeianus.
Theatrum Marcelli. capit loca XXX mil. vbi erat aliud templum Iani.
Delubrum Cn. Domitij.
Carcer CLX virûm.
Templum Bruti Callaici.
Villa publica; vbi primum populi census est actus in campo Martio.
Campus Martis.
AEdis Iuturnæ ad aquam Virgineam.
Septa trigaria.
Equiria.
Horti Lucullani.
Fons Scipionum.
Sepulcrum Augustorum.
Ciconiæ nixæ.
Pantheon.
Theatrum Pompeij.
Basilica Macidij.
Basilica Marciani.
Templum diui Antonij cum cochlide columna, quæ est alta pedes CLXXV. habet intus gradus CCVI, & fenestellas LVI.
Thermæ Hadriani.
Thermę Neronianę, quę postea Alexandrinę.
Thermę Agrippę.
Templum Boni euentus.
AEdis Bellonę versus portam Carmentalem. ante hanc ędem columna index belli inferendi.
Porticus Argonautarum.
Meleagricum.
Iseum.
Serapeum.
Mineruium.
Minerua Chalcidica.
Insula Phelidij, siue Phelidis.
Vici XXX.
AEdiculę totidem.
Vicomagistri CCXX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulę II I mil. DCCLXXXVIII.
Domus CXL.
Balineæ priuatæ LXIII.
Horrea XXII.
Pistrina XX.
Regio in ambitu continet pedes XXX mil. D.

REGIO DECIMA,
Palatium.

Vicus Padi.
Vicus Curiarum.
Vicus Fortunæ respicientis.
Vicus salutaris.
Vicus Apollinis.
Vicus cuiúsque diei.
Roma quadrata.
AEdis Iouis Statoris.
Casa Romuli.
Prata Bacchi; vbi fuerunt ædes Vitruuij Fundani.
Ara Febris.
Templum Fidei.
AEdis matris deûm. huic fuit conterminum delubrum Sospitæ Iunonis.
Domus Ceioniorum.
Suelia.
Iouis cœnatio.
AEdis Apollinis; vbi lychni pendebant instar arboris mala ferentis.
AEdis deæ Viriplacæ in Palatio.
Bibliothecæ.
AEdis Rhamnusiæ.
Pentapylon Iouis Arbitratoris.
Domus Augustana.
Domus Tiberiana.
Sedes imperij Romani.
Auguratorium.
Ad Mammæam, hoc est, Diętæ Mammææ.
Ara Palatina.
AEdis Iouis Victoris.
Domus Dionysij.
Domus Q. Catuli.
Domus Ciceronis.
AEdis Dijouis.
Velia.
Curia Vetus.
Fortuna Respiciens.
Septizonium Seueri.
Victoria Germaniciana.
Lupercal.
Vici VI.
AEdiculæ totidem.
Vicomagistri XXIIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ II mil. DCXLIIII.
Domus LXXXVIII.
Lacus LXXX.
Horrea XLVIII.
Pistrina XX.
Balineæ priuatæ XV. XVI.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. DC.

REGIO VNDECIMA,
Circus Maximus.

Circus Maximus, qui capit loca, CCCLXXXV mil. XII portæ:
Templum Mercurij.
AEdis Ditis patris.
AEdis Cereris.
AEdis Veneris. opus Fabij Gurgitis.
AEdis Portumni ad pontem AEmilij, olim Sublici.
Porta Trigemina.
Salinę.
Apollo Cælispex.
AEdis Portunini.
Hercules Oliuarius.
Ara Maxima.
Templum Castoris.
AEdis Cereris.
AEdis Pompeij.
Obelisci duo; iacet alter, alter erectus stat.
AEdis Murtiæ.
AEdis Consi subterranea.
Forum Olitorium, in eo columna est Lactaria; ad quam infantes lacte alendos deferunt.
AEdis Pietatis in forę Olitorio.
AEdis Iunonis Matutæ.
Velabrum maius.
Vici VIII.
AEdiculę totidem.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulę MDC.
Domus LXXXIX.
Balineę priuatę XV.
Horrea

Horrea xvi.
Lacus lx.
Pistrina xii.
Regio in ambitu continet pedes xi mil. ii.

REGIO DVODECIMA, Piscina Publica.

Vicus Veneris almę.
Vicus piscinę publicę.
Vicus Dianę.
Vicus Ceios.
Vicus Triarij.
Vicus aquæ salientis.
Vicus Laci tecti.
Vicus Fortunæ Mammosæ.
Vicus Colapeti pastoris.
Vicus portæ Radusculanæ.
Vicus portæ Næuiæ.
Vicus Victoris.
Horti Asiniani.
Area radicaria.
Caput viæ nouæ.
Fortuna Mammosa.
Isis Athenodoria.
AEdis Bonæ deæ subsaxanæ.
Signum delphini.
Thermæ Antoninianæ.
Septem domus Parthorum.
Campus lanatarius.
Domus Chilonis.
Cohortes iii vigilum.
Domus Cornificij.
Priuata Hadriani.
Vici xii.
AEdiculæ totidem.
Vicomagistri xlviii.
Curatores ii.
Denuntiatores ii.
Insulæ ii mil. ccccLxxxvi.
Domus cxiiii.
Balineæ priuatæ xliiii.
Lacus lxxx.
Horrea xxvi.
Pistrina xx.
Regio in ambitu habet pedes xii mil.

REGIO DECIMATERTIA, Auentinus.

Vicus Fidij.
Vicus frumentarius.
Vicus trium viarum.
Vicus Cesetij.
Vicus Valerij.
Vicus Lacimiliarij.
Vicus Fortunati.
Vicus capitis canteri.
Vicus trium alitum.
Vicus nouus.
Vicus Loreti minoris.
Vicus armilustri.
AEdis Consi.
Vicus columnæ ligneæ.
Minerua in Auentino.
Vicus materiarius.
Vicus mundiciei.
Vicus Loreti maioris; vbi erat Vortumnus.
Vicus fortunæ dubiæ.
Armilustrum.
Templum Lunæ in Auentino.
Templum commune Dianæ.
Thermæ Varianæ.
Templum Libertatis.
Doliolum.
AEdis Bonæ deæ in Auentino.
Priuata Traiani.
Remuria.
Atrium Libertatis in Auentino.
Mappa aurea.
Platanon.
Horrea Aniceti.
Scalæ Gemoniæ.
Porticus Pabaria.
Schola Cassij.
Templum Iunonis reginæ à Camillo dd. Veiis captis.
Forum pistorium.
Vici xvii.
AEdiculæ totidem.
Vicomagistri lxxiiii.
Curatores ii.
Denuntiatores ii.
Insulæ ii mil. ccccLxxxviii.
Domus ciii
Balineæ priuatæ lxiiii.
Lacus lxxviii.
Horrea xxvi.
Pistrina xx.
Regio in ambitu habet pedes xvi mil. cc.

REGIO DECIMAQVARTA, Trans Tiberim.

Vicus Censorij.
Vicus Gemini.
Vicus Rostrati.
Vicus Longi aquilæ.
Vicus statuæ Siccianæ.
Vicus Quadrati.
Vicus Raciliani maioris.
Vicus Raciliani minoris.
Vicus Ianiculensis.
Vicus Bruttanus.
Vicus Larum ruralium.
Vicus statuæ Valerianæ.
Vicus Salutaris.
Vicus Pauli.
Vicus Sex. Luceij.
Vicus Simi publici.
Vicus Patratilli.
Vicus Laci restituti.
Vicus Saufeij.
Vicus Sergij.
Vicus Plotij.
Vicus Viberni.
Gaianum.
In Insula AEdis Iouis & AEsculapij, & AEdis Fauni.
Naumachiæ.
Cornifcæ.
Vaticanus.
Hortus Domitiæ.
Ianiculum.
Mamæ sacellum.
Balineum Ampelidis.
Balineum Prisciillianæ.
Statua Valeriana.
Statua Sicciana.
Sepulchrum Numæ.
Cohortes vii vigilum.
Caput Gorgonis.
Templum Fortis fortunæ.
Area Septimiana.
Ianus Septimianus.
Hercules cubans.
Campus Bruttanus.
Campus Codetanus.
Horti Getæ.
Castra Lecticariorum.
Vici xxii.
AEdiculæ totidem.
Vicomagistri lxxxviii.
Curatores ii.
Denuntiatores ii.
Insulæ iii i mil. ccccv.
Domus cl.
Balineæ priuatę lxxxvi.
Lacus clxxx.
Horrea xxii.
Pistrina xxii.
Regio i ambitu habet pedes xxxiii mil. ccccLxxxviii.

SENATVLA TRIA: vnum, inter Capitolium & Forum; vbi magistratus cum senioribus deliberant: alterum, ad portam Capenam: tertium, citra ædem Bellonæ in circo Flaminio; vbi dabatur senatus legatis quos in vrbem admittere nolebant: quartum senatulum matronarum in Quirinale, Antoninus Pius Bassiani filius fecit.

BIBLIOTHECAE vndetriginta publicæ. ex iis præcipuæ duę. Palatina & Vlpia.

OBELISCI MAGNI SEX: duo in circo maximo: maior pedum cxxxii. minor, pedum lxxxviii, & semis. vnus, in Vaticano, pedum lxxii. vnus, in campo Martio, pedum lxxii. duo in Mausoleo Augusti pares, singuli ped. xlii. & semis.

OBELISCI PARVI, xlii. in plerisque sunt notæ AEgyptiorum.

PONTES VIII, Moluius, AElius, Vaticanus, Ianiculensis, Fabricius, Cestius, Palatinus, AEmilius, qui ante Sublicius.

CAMPI VIII, Viminalis, Exquilinus, Agrippę, Martius. Codetanus, Bruttanus, Lanatarius, Pecuarius: vnus vltra Tiberim campus Vaticanus, extra numerum

FORA XVII: Romanum, quod dicitur Magnum; Cæsaris, Augusti, Boariũ, Transitorium, Holitoriũ, Pistorium, Traiani Aënobarbi, Suarium, Archemorium, Diocletiani, Gallorum, Rusticorum, Cupedinis, Piscatium, Sallustij.

BASILICAE XI; Vlpia. Pauli, Vestini, Neptunoij, Macidij, Marciana, Vascellaria, Floscelli, Sicinini, Constantiniana, Basilica Porcia à Porcio Catone facta.

THERMAE XII. Traiani, Titi, Agrippæ, Syriacæ, Commodianæ, Seuerianę Antoninianę; Alexandrinæ, quæ Neronianæ; Diocletianæ Decianę, Constantinianæ, Septimianę.

IANI per omnes regiones incrustati & adornati signis, duo præcipui ad arcum Fabianum, superior inferiórque.

AQVAE XX, Appia, Marcia, Virgo, Claudia, Herculanea, Tepula, Damnata, Traiana. Annia; Halsia siue Halsientena, quæ Augusta, Cærulea, Iulia, Algentiana, Ciminia, Sabbatina, Aurelia, Septimiana, Seueriana, Antoniniana, Alexandrina.

VIAE XXIX, Appia, Latina Labicana, Campana, Prænestina, Tiburtina, collatina, Nomentana, quę Figalensis, Salaria, Flaminia, AEmilia, Claudia, Valeria, Ostiensis, Laurentina, Ardeatina, Setina, Quintia, Gallicana, Triumphalis, Patinaria Ciminia, Cornelia, Tiberina, Aurelia, Cassia, Portuensis, Gallia, Laticulensis.

CAPITOLIA II; vetus & nouum.

AMPHITHEATRA II.

COLOSSI II: Columnę cochlides II.

MACELLA II: Theatra iii. Ludi v, Naumachię v.

NYMPHAEA XI. Equi ęnei inaurati, xxiiii: equi eburnei, xciiii: tabulę, signa, sine numero: Arcus marmorei, xxxvi: Lupanaria, xlv: Latrinę publicę, cxliiii: Cohortes prętorię, x: Cohortes vrbanę, iiii: Cohortes vigilum, vi: Excubitoria, xiiii. vexilla ii communia: castra peregrina, castra Misenatium castra tabellariorum, castra lecticariorum, castra victimariorum, castra falgamariorum. castra salicariorum, castra equitum, singulorum ii. Mensę olearię; xxiiii mil.

DE ORIGINE VRBIS ROMÆ.

DE origine vrbis Romæ, eius conditoribus, & nomine, variæ & discrepantes sunt sententiæ, quæ à Liuio & Plutarcho recitantur, atque refutantur, & ab Onuphrio etiam Panuinio initio librorum de Republica Romana breuiter recensentur, quas huc referre non est opus. Simplicissima autem, & vero maxime consentanea hæc est: Conditam esse vrbem a Romulo Rheæ Syluiæ filio, Numitoris nepote, cuius prosapia refertur ad Æneam Troianum. Capta enim & diruta Troia propter raptum Helenæ, Æneas cum patre Anchise, & alijs socijs fuga sibi consuluit: & incolumis quidem a Græcis, quia autor Troianis reddendæ Helenæ fuerat, dimissus est: post longam autem & diuturnam nauigationem in Latium, quod est pars Italiæ, ad Regem Latinum venit, ibique aliquandiu commoratus, accepta Regis Latini filia Lauinia in matrimonium, post soceri obitum, hæres Regni relictus est. Sublato autem & ipso è rebus humanis, Ascanio filio, qui tamen nondum maturus imperio erat, Regnum auitum, paternúmq; ad puberem ætatem incolume mansit, & tutela matris Lauiniæ stetit. Is vero Ascanius vbi ad maturam rebus gerendis ætatem peruenit, abundante Lauinij multitudine, florentem atque opulentam Vrbem matri reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condens, quæ à situ porrectæ in dorso vrbis, Alba longa appellata est. Interfuere inter Lauinium conditum, & Albam longam coloniam deductam triginta ferè anni. Initium regni Albani cœpit anno post captam Troiam trigesimosecundo, ætatis Ascanij vigesimoquinto: à quo, ad Procam vsque, vndecim Reges præfuerunt Imperio Albano: quorum nomina apud Dionysium Halicarnassæum recensentur hæc: I. Syluius successor Ascanij, regnauit annos 29. II. AEneas Syluius 31. III. Latinus Syluius 51. IIII. Alba 39. V. Capetus, hunc quidam Atym dicunt, 26. VI. Capys 28. VII. Calpetus 13. VIII. Tyberinus 8. IX. Agrippa 33. X. Alladius, alij Romulum Syluium vocant, 19. XI. Auentinus 37. Post Auentinum Procas rerum Albanarum potitus est, & regnauit annos 13. relictis duobus filijs, Numitore & Amulio, quorum hic regnum, quod Numitori fratri propter ætatem debebatur, fraude occupauit: & ne vindex Regni ex fratris genere oriretur, ac ipse Regno eijceretur, Rheam Syluiam filiam Numitoris, Vestæ sacerdotem consecrauit. Hæc perpetuæ virginitati deuota, a Marte, vt finguot aliqui, siue ab alio quodam, grauida facta, geminos procreauit pueros: Romulum scilicet ac Remum. Amulius igitur hac re cognita, Rheam Syluiam carceri includit, pueros exponi iubet, qui à Faustulo regij pecoris Magistro in ripa fluminis Tyberis reperti, inter pastores, ab ipsius vxore Laurentia, quæ ob vulgarum corpus Lupa dicta fuit, educati sunt. Remus vbi ætaté virilem est adeptus, captus à prædonibus, perductúsque ad Amulium patruum Regé, accusatur, vt qui Numitoris greges abigere solitus sit. Itaque Numitori traditur, vt ipse de eo pro arbitrio pœnas sumat. Verùm Remus, multis sermonibus vicissim habitis, & signis cognitis, nepos Numitoris agnitus est. Superuenit & Romulus cum Faustulo, auxilium fratri Remo laturus. Atque hi omnes, coniuratione facta, ex inopinato Amulium obruunt, atque obtruncant, regnúmque auo Numitori restituunt. Anno huius secundo Romulus & Remus vrbem Romam in eo loco, vbi expositi fuerant (anno à capto Ilio 431. Olympiadis septimæ anno primo, anno mundi 3213. II. Calen. Maij, siue, vt alij traduut, anno mundi 3220. 21. die Aprilis) condiderunt. Exorto postea bello inter Romulum ac Remum de Imperio Remus occiditur: Romulus ciuitati ac ciuibus Romanis nomen dedit. Liuius, Plutarchus Dionysius Halicarnassæus, Messala Coruinus, & Bartholomæus Marlianus, ex quo posteriora ferè adverbum descripsi.

De forma & magnitudine Vrbis Romæ.

PERMISSA Numitori Albana re, vt iam dictum est, Romulus & Remus condiderunt vrbem Romam, quæ postea Septicollis dicta fuit, quòd septem montes muris suis complexa sit. Non autem initio tam capax ea fuit. Romulus enim primum eam quadratam condidit in monte Palatino, atque pomerio clausit. Ne autem qua vis externa vrbem adoriri posset, atque finitimi colles, hostium aliquando arces essent, ex quibus Romani vexarent, non quod ijs locis indigeret, Capitolium primò, mox Quirinalem & Cælium colles, qui erant vrbi viciniores, & ex quibus vrbs ipsa magis oppugnari poterat, fossa, siue aggere, aut muro firmauit, præsidióque locato, tanquam arces muniuit: cum nihilominus extra vrbis ipsius mœnia pomeriúmque essent. Paulo post Titus Tatius, Sabinorum Rex, cum a Romulo in prælio victus, & in vrbem receptus esset, veteris vrbis pomerio Tarpeium montem adiunxit, eúmq; Sabinis, qui secum Romam commigrauerant, habitandum dedit, quem & ipse habitauit. Quirinalem quoque montem, addita custodia, firmauit: non tamen vrbis pomerio inclusit.

Romulo sublato, Numa Pompilius II. Rex, teste Dionysio, collem Quirinalem, qui a Tito Tatio custodia tantum firmatus erat, vrbis circuitu inclusit, & Pomerium protulit. Neque vero hac vrbis capacitate reliqui Reges contenti fuerunt: quum nullus fuit, qui non pomerium protulerit, & montem aliquem vel collem vrbi addendo, eam capaciorem fecerit. Tullius enim Hostilius, Hosti F. Rex III. Alba longa diruta, Albanisque in vrbem receptis, montem Cœlium Pomerio addidit, eúmque Albanis colendum assignauit. Quem tamen montem Ancum Martium IV. Regem Pomerio inclusisse Strabo, vel L. Tarquinium Priscum, Tacitus produnt. Post hunc Ancus Martius, Numæ F. Rex IV. Politorio, Latinorum vrbe excisa, Latinis in vrbem adscitis montem Auentinum habitandum concessit, quem tamen vt ominosum vrbis pomerio non inclusit. Idem autem Rex, fossas circùm vrbem fecit, quæ Quiritium appellatæ sunt, & Ianiculum, quem, facto super Tiberim ponte sublicio, muro cinxerat, vrbi addidit. Secutus eum L. Tarquinius, Damarati F. Priscus Rex V. Vrbis muros ruderibus, vilibúsque structuris ad eam diem, ædificatos, primus cœpit saxis magnis, Albano, Tiburtino, & Prænestino ad regulam formatis extruere, quo Seruius Tullius Rex VI. perfecit. De hoc enim rerum Romanarum scriptores tradunt, quod Esquilias, Quirinalem & Viminalem, mótes, Vrbis Pomerio addiderit. & Roma aggere, fossis & muro lapideo, circumdederit. Tandem L. Tarquinius, L. F. Superbus Rex VII. immenso ab Oriente aggere addito, Vrbem tutiorem fecit. Et ad hunc quidem modum septem illi Reges Vrbem amplificasse, a veteribus scriptoribus traduntur: quanquam de nonnullis inter eos non conueniat. Libertate populi constituta, produntur L. Cornelius L. F. P. N. Sulla Felix dictator. C. Iulius C. F. C. N. Cæsar & imperator Cæsar Diui F. C. N. Augustus, vrbis ambitú adauxisse, Vrbisque Pomeriú protulisse: quo vero modo, aut quo loco vrbi addito, nó exprimunt. Inter Imperatores Tiberius Claudius, Drusi F. Cæsar Augustus Auétino móte, L. Domitius Aurelian. Cæsar, Augustus, Câpo Martio Pomerio inclusis: Flauius Côstâtinus Maximus, Augustus, Castro prætorio exciso, Vrbis ambitum ampliorem fecerunt. Hæc omnia prolixè & diligenter, adductis plurimis veterum scriptorum testimonijs persequuntur Georgius Fabricius in sua Roma, & Onuphrius Panuinius libro I. Commentariorum Reipublicæ Romanæ: vnde pleniorem eius rei cognitionem, qui his contentus non est, petere potest. Nos veró, his præmissis, ad reliqua accedemus: & cúm mentio Pomerij, eiúsque prolationis facta sæpe fuerit de eo nunc quædam dicemus.

De Pomerio.

POMERIVM, quasi post murum vt autor est Varro, quia veteres mœriú pro murum dixerunt vel, vt Festus, quasi promurum: id est, proximum muro dictum. apud Agellium sic definitur. Pomerium (inquit ex Augurum libris) est locus intra agrum effatum per totius Vrbis circuitum, poné muros, regionibus certis determinatus, qui faciat finem vrbani auspicij, &c. Ex quibus verbis intelligitur quid Pomerium sit: quod idem tamen clarius fit ex antiquo illo ritu, quem in condendis & circumscribendis oppidis Veteres obseruarunt, qui a Terentio Varrone libro 4 De latina lin-

na lingua ita describitur: Oppida, inquit, condebant in Latio, Etrusco ritu multi, id est iunctis bubus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum: hoc faciebant religionis causa, die auspicato, vt fossa & muro essent munita. Terram vnde exsculpserant, Fossam vocabat: & introrsum factum, Murum. Postea quod fiebat orbis Vrbe. Principium quod erat post murum, Pomerium dictum: eiusque ambitu auspicia vrbana finiuntur. Hæc Varro. Cum quo consentit Plutarchus in Romulo, vbi indicat, Romam etiã hoc ritu a Romulo conditam: cuius verba, vberioris explicationis gratia, libet quoque adscribere: sunt autem hæc, Romulus postquam Remum vna cum nutritiis suis in Remonia sepeliuit, condidit Vrbem: ad quod acciuit Hetruscos, qui velut in mysteriis, vt quidque faciendum erat, cæremoniis quibusdam, & scriptis præscripserunt, docueruntque. Comitio fossa est rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quæ de more vt bonis, natura vtebantur vt necessariis. Postremo, ex qua quisque aduenerat regione, eius terræ portiunculam collatam, eo coniecerunt, & commiscuerunt. Fossam hanc eodem quo cœlum nomine vocauerunt Mundum. Hinc Vrbe, sicut circulo, centrũ circumscripsere. Cõditor aratro æreum vomerem adiungit, iunctisque bobus, mare & fœmina, ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum. Sequentium munus est, vt excitatas ab aratro glebas introuertant, nec vllam sinant extra ferri. Ita mœnia linea definiut, idq; elisis aliquot literis, Pomerium dicitur, quasi post, vel pone mœnia. Vbi portam designare visum est, vomere exempto atque aratro sublato spacium relinquunt. Vnde totum habent murum, præter portas, sacrum. Nam eas si ducerent sacras, religiosum esset, necessaria & impura in Vrbem recipere, & exportare. Hactenus Plutarchus. Quibus addi possunt, & ea, quæ Dionysius lib. 1. eadem de re scribit, & Liuius lib. 1. de Ser. Tullio loquens, vbi indicat, Pomerium locum fuisse, tam intra quam extra vrbis murum, quem antiqui in condendis vrbibus augurato consecrarint, neque in eo vllũ fieri ædificium passi fuerint. Inde fit, vt quotiescunque Roma amplior facta scribitur, Pomerium prolatum esse dicatur: atque ita proferre Pomeriũ, idẽ fit, quod mœnia Vrbis amplare. Ius autem proferendi Pomerij, teste Agellio, habebat is, qui populum Romanum agro de hostibus capto auxerat.

De monte Palatino.

Dixi anteà vrbem Romam Septicollem appellatã fuisse, quod septem colles siue montes Pomerio eius inclusi fuerint: inter eos præcipuus fere est Palatinus. Hic mons alias Palatium dictus fuit: cuius nominis causæ varię ab autoribus referuntur. Terentius Varro lib. 4. de lingua Latina scribit, Palatium dictum fuisse, quod Palantes cum Euādro in illum locum venerint: aut, quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino qui appellatur Palatium, ibi cõsederint: & addit, alios a Palatia vxore Latini dictum cũ montem tradidisse: alios verò a pecore balante, vnde a Neuio Balantium sit appellatus: quod etiam Festus probat, in hæc verba scribens: Palatium mons Romæ appellatus est, quòd ibi pecus pascens balare consueuerit vel, quòd palare, id est, errare ibi pecudes solerent: & subiungit, alios existimasse, Palatium dictum, quòd Hyperborei filia Palanto ibi habitauerit, quæ ex Hercule Latinum peperit: alios, quòd Pallas Hercule & Dyna Euandri filia procreatus, ibi sepultus sit, quod & Dionysius ex Polybio recitat. Solinus cap. 11. scribit quosdam auctores esse, Palatium a Pale Dea pastorali nomen adeptum. Nos in tanta Scriptorum dissensione, quid sequamur ignorantes vnicuique liberum iudicium relinquimus, vt ex his, quam velit, sententiam amplectatur. Hoc certè constat Romulum hunc montem primum omnium muro cinxisse, & in eo Romam quadratam condidisse, quæ postea additis semper aliis & aliis montibus & collibus & Pomerio prolato ampliata fuit. Causas autem eius rei propter quas Romulus hunc montem, & nõ alium voluerit primùm muro cingere, & in eum Coloniã suam ducere, Dionysius refert duas præcipuas fuisse: primam, loci fortunam, quæ fratribus expositis incolumitatẽ & educationem præbuerat: alteram deinde causam accessisse auspicium, quod duodecim vultures Romulo imperium addixerant. Vix alius locus scriptis ita celebratus fuit, atq; hic mons. Primùm enim a Romulo deinde à Tullo Hostilio est habitatus: fuitque in hoc monte sedes Imperij Romani, & domus Augustana. Ab Octauio enim Augusto deinceps omnes Romani Imperatores in Palatio habitauerunt. Et quia Imperij sedes in eo constituta fuit cuiusuis Principis aulam aut splendidi hominis domum, Palatium dicimus. Quę verò templa, aut alia celebria ędificia in hoc monte fuerint, manifestum fiet ex quatuordecim illis Vrbis Romæ regionibus, quæ iam recitabuntur, regione decima. Habet ad Ortum Suburram & Cælium: ad Occasum forum Romanũ & Capitoliũ: ad Meridiem Circum maximum & Auentinum: ad Septentrionem viam Sacram & templum Pacis. Hodie suffosionibus & subterraneis specubus totus est quasi pensilis, & aut ruinis deformis aut hortis occupatus.

De Capitolino monte.

Tribus hic mons insignitus nominibus est, Capitolij, montis Tarpeij, & Saturnij. Saturnius dictus fuit a Saturno, qui antiquis temporibus illum locum tenuisse dicitur, & in cuius tutela adhuc esse existimatur: Terentius Varro, Dionysius Festus, vnde etiam Saturnia terra ab eo dicta fuit Italia. Tarpeij appellationem accepit a virgine Vestali Tarpeia, quæ ibi armis a Sabinis necata & sepulta est. Historiam eam recitant præter iam dictos Scriptores, etiam Liuius libro 1. & Propertius lib. 4. Capitolium idem mons dictus fuit, quòd in eo cùm fundamenta foderentur ædis Iouis, caput humanum inuentum fuerit, testibus iisdem & Plutarcho. Theodorus Caterus libro 1. Variar. lect. capit. 11. ex Arnobio demonstrat, montem hunc sic appellatum à capite Toli inuento, qui in monte Capitolino fuerit sepultus. Verba Arnobij ex libro 6. contra Gentes, quæ a Theodoro citantur, nolo addere. Celeberrimus autem hic mons fuit, cùm propter alia multa, tum propter amplissimum templum Iouis Capitolini quod in hoc a Tarquinio Prisco rege inchoatum, & a Tarquinio Superbo exædificatum est: de quo suo loco. Habet ad ortum Forum & montem Palatinum: ad Occasum Vrbem planam: ad Aquilonem Traiani forum & Quirinalem: ad Meridiem Auentinum, Tiberim & Theatrum Marcelli, &c. Hunc collem cum Palatino ix. Vrbis regionem Augustus fecit.

De colle Quirinali.

Colles Quirinalis, vt auctor est Varro, à Curetibus dictus est, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quòd ibi habuerunt castra. Festus ait, primùm dictũ hunc collẽ Agona, inquiens: Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agon appellabatur, antequam in eũ commigrarẽt Sabini, Curibus venientes, post fœdus inter Romulum & Tatium ictum, a quo hanc appellationem sortitus est: quamuis existiment quidam, sic dictum fuisse, quod in eo factum sit templum Quirino. Idem alibi: Agonia sacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romę mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonensis. Quæ etiam confirmat Dionysius lib. 2. appellans hunc collem Agonalem. Porrò si quis verba Varronis diligenter considerauerit, inueniet eiusdem collis aliquot partes, siue colles particulares fuisse: quorum vnus Salutaris, alter Mutialis, alius Latiaris sit vocitatus. Sub Imperatoribus autem Caballum hunc montem dictum fuisse, a duabus statuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulerit, atque in medio thermarum a se in Quirinali extructarum collocauerit, annotat Onuphrius & Georg. Fabricius in sua Roma. Collis hic habet ab Ortu Esquilias & Viminalem: ab Occasu Vrbem planam & campum Martium: à Meridie Neruę & Traiani fora; atque Capitolium. a Septentrione collem hortulorum, & portam Viminalem: In hoc colle fuit præcipua sextæ regionis pars, quæ Alta semita dicebatur.

De monte Cælio.

Montis Cælij (quem primum Romulum muniuisse, Pomerio vero Tullũ vt Dionysius & Liuius, vel Ancum, vt Strabo, vel Tarquinium, vt Tacitus scribunt, inclusisse) sic meminit Varro lib. 4. de lingua Latina: In Suburanæ regionis parte princeps est Cęlius mons, à Cęlio Vibẽno Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse, auxilio contra Sabinum Regem. Hactenus Varro, cum quo & Dionys. & Sext. Pompeius Festus consentiunt: nisi quòd Festus non Cęlium illum Etruscum ducem, sed Cælem dictum fuisse scribit. Querquetulanum etiam hũc montem appellatum docet Tacitus lib. 4. inquiens: Haud fuerit absurdum tradere montem eum (de Cælio loquitur) antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis sylux frequens, fœcundúsque erat, mox Cęlium appellatum: a Cęle Vibenna qui dux gentis Etruscę, cũ auxilium appellatum ductauisset, sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco seu quisalius Regum dedit: nam in eo scriptores dissentiunt. Habitasse autem cum montem Etruscos, & deinde cùm eũ nimis muniissẽt, & in suspicionẽ venissẽt, ab illo in planum locum deductos fuisse, qui ab iis Tuscus vicus dictus sit, tradit Varro, & breuiter meminit Tacitus. Qui etiam cum Suetonio auctor est, montem

eum à Tiberio Imperatore, quòd is post incendium habitatoribus ædificia consumpta instaurasset, Augustum dici cœptum esse. Habuit in hoc monte Regiam suam Tullus Hostilius, vt scribit Liuius, quæ posteà Curia Hostilia vocitata est. Hodie insignis is mons in Vrbe habetur, Basilica Ioannis Lateranensis, de qua alij. Hic mons ab Oriente habet Vrbis mœnia, terminúmque Esquilinæ regionis, portam Esquilinam & Amphitheatrum: ab Occidente Suburam & montem Palatinum: a Septentrione Carinas, Cælium & Esquilias: a Meridie Piscinam publicam & Vallem, quæ est ante viam Appiam, quæ prope Septizonium Seueri inchoans, versus portam Capenam protenditur. In hunc montem secundam Vrbis regionem, Cælimontium appellatam Aug Cæsar posuit.

De monte Esquilino.

ESQVILINVS mons quando Vrbi sit additus, & Pomerio inclusus dictum supra est. Accepit autem nomen, vt plerique existimant, ab excubiis, quas Romulus in illo monte habuit, cùm Tito Tatio parum fideret, eúmque infidæ societatis suspectum haberet, quasi Excubinus: vnde postea Esquilinus factum est. Quam vocabuli etymologiā etiam Ouidius agnoscit libro 3. Fastorum. Alij verò non ab excubiis, sed a quisquiliis dictum eum montem Esquilias arbitrantur, quod Aucupes ibi quisquiliis sparsis aues illuderent. Alij verò, quòd excultæ Esquiliæ à Rege Tatio in illo monte fuerint, sic appellarunt: quæ omnia Terentius Varro libro quarto de lingua Latina indicat, & quædam etiam Sextus Pompeius Festus. Habuit autem hic mons aliquot colles, quorum vnus Cispius, alter Oppius, Septimius alius dictus fuit, teste Varrone loco eodem. Quomodo excultus hic mons, & quibus ædificiis exornatus fuerit, ostendet quintæ regionis descriptio, paulò post secutura. Habet ab Ortu Vrbis muros; versus aggerem & castrum Prætorium: a Meridie viam Labicanam: ab Occasu vallem inter Cælium & Palatinum longè latéque patentem: a Septentrione Viminalem.

De monte Viminali.

VIMINALIS mons, teste Varrone Romanorum omniū doctissimo, a Vimineo Ioue, quod ibi aræ eius sint dictus est: vel, quod ibi vimineta, vel viminum sylua fuerit: quod idem & Sextus Pompeius affirmat & Iuuenalis: cuius autem generis vimina illa fuerint, nemo prodit. Fuit etiā Fagutalis appellatus, a sylua fagea, testibus iisdem. Maxima eius montis pars hodie inculta iacet, & vel hortos, vel vineta, vel populos, salices, & harundines habet. Hunc collem cum Esquiliis quintam vrbis regionem fecit Cæsar Augustus, quum spacium Vrbis in vicos & quatuordecim regiones diuideret: vnde ex descriptione eius regionis etiā huius collis ædificia & ornamenta cognoscentur. In Ortū tendens hic mons, habet campum Esquilinum & Vrbis muros, cum castris Prætoriis: in Occasum vero Quirinalē, falsaus Suburam, & vallem planam interiectam: in Meridiem Esquilias, viamque interpositam a Septētrione Vrbis muros, versus portam Viminalem.

De monte Auentino.

AVENTINVM montem multis de causis sic appellatum, scribit Varro: videlicet, vel ab Auentino Rege Albano, qui ibi sepultus fuerit: vel ab aduentu hominum, quòd ibi commune Latinorum Dianę templum sit constitutum: vel ab auibus, quæ sese à Tiberi eò ferrent: vel etiam ab aduectu, quòd cùm olim mons ille paludibus a reliquis esset disclusus, ex Vrbe ratibus eo aduecti homines essent: cui sententiæ ipse accedit. Quod ab Auentino Albanorum Rege hic mons Auentinus dictus sit, docent etiam Sextus Pompeius Festus, Dionysius Halicarnasseus, Liuius & Ouidius. Meminit Varro in libris de Gente populi Romani, quosdam ab Auente Sabinorum fluuio montem illum Auentinum dictum fuisse opinari, quòd Sabinis in Vrbem susceptis, Romulus eum habitandum concesserit. Quæ tamen opinio non videtur esse verisimilis: cùm & Virgilius, & Ouidius quodam in loco testentur, ante Euādri & Herculis in Italiam aduentum hunc montem id nominis habuisse. Fuerunt præterea & aliæ huius montis appellationes: nam Murcius dictus est, teste Sexto Pompeio Festo, a sacello Deæ Murciæ, quod sub eo monte fuit. Item collis Dianæ, a templo eius Deæ, quod in hoc monte extitit. Et celebris fuit Auentinus, Auētini & T. Tatij Regum, ac Remi sepulcris: secessione etiam plebis Romanæ in eū montem facta. Sed & hoc obseruandum de eo est, quod Romulus neminem eum habitare passus fuerit, sed sacrū fratri esse voluerit. Ideóque cùm reliqui colles, de quibus hactenus dictum, Vrbis Pomerio a Regibus inclusi fuissēt, hoc tamen de Auentino non legitur. Sed is tandem à Tiberio Claudio Imperatore Augusto Vrbi additus legitur. Cuius quidem rei Messala apud Agellium libro 13. capite 14. hanc causam fuisse recitat, quod in eo monte Remus Vrbis condendæ gratia auspicauerit, auésque irritas habuerit, & superatus in auspicio a Romulo fuerit. Idcirco addit, omnes qui Pomerium protulerunt, montem illum exclusersit, quasi auibus obscœnis ominosum. Hæc Messala. Hic mons, quem propter longitudinem certò describi non posse, Georgius Fabricius fatetur, ad Ortum in Meridiem declinantem respicit mœnia: ad Meridiem campum Figulinum: ad Occasum flumen: ad Septentrionem montem Palatinum. Hunc montem Augustus XIII. regionem fecit: vnde ex ex cognosci poterit, quomodo fuerit excultus.

De reliquis tribus collibus: Hortulorum videlicet, Ianiculo, & Vaticano.

CVM Romani nimiùm studerent, non imperij tantùm auctioni, sed Vrbis etiam amplificationi, vt cuiuis, qui in scriptis veterum non plane hospes est, manifestum esse potest: ideóque non contenti veteribus Pomerij finibus, illos sæpe mutarunt, & aliis atque aliis montibus Vrbi subinde additis, protulerunt, vti hactenus de septem illis principalibus montibus dictum est: præter quos tamen etiam alios colles superioribus magnitudine nequaquam pares Vrbis Pomerio incluserit, de quibus hoc capite pauca dicam. Fuerut autem hi tres: collis Hortulorum, & Ianiculum Vaticanus.

Collis Hortulorum, vel, vt alij, Hortorum, hanc appellationē accepisse videtur a proximis ei hortis Sallustij. Posteà vocitatus fuit Pincius, quod in eo Pinciorum domus essent: quæ familia nobilissima fuit, ac claruit in vrbe circa tempora Constantini. Hic collis antiquitus extra Vrbis mœnia fuit, ideóque extra septem montium numerum: Tempore autem Aureliani Imperatoris Pomerio inclusus est. Celebris fuit cùm propter Neronem in eo sepultum, vti Tranquillus in Nerone testator, tum propter Candidatos, quibus vsus erat (vt Macrobij verbis vtar) in Comitium nundinis venire, & in hoc colle consistere: vnde ab vniuersis possent videri: & inde in Campum Martium, petitum Magistratum descendere.

Ianiculum, inquit Sextus Pompeius Festus, dictum, quòd per eum, tanquam per ianuam, populus Romanus primitùs transierit in agrum Etruscum. Alij sic appellatum scribūnt, a vetustissimo oppido, quod Ianus in Italia condidit. Macrobius autem dictum putat Ianiculum, quod Ianus ibi vel sit sepultus, vel habitauerit. Hodie à flauis arenis mons aureus nominatus, & corrupto vocabulo Montorius. Ex hoc monte propter altitudinem Roma maximè est cōspicua. Cæteris autem infrequentior est, ob aeris grauitatē, vt Martialis testatur. Celebris fuit Numę Romanorum Regis, vt Dionysius & Liuius, itémque Statij Cæcilij Poetæ, vt Cæsariensis Eusebius produnt sepulcris. In hunc aliquādo plebem secessisse Romanam, & à Quinto Hortensio Dictatore reuocatam, scribunt Plinius libro decimosexto, & Liuius. In eodem, vt scribunt Liuius, Dionysius, Italicúsque Silius, Rex Tuscorum Porsenna castra habuit. Fuit autem trans Tiberim.

Vaticanus etiam mons trans Tiberim fuit, olim non habitatus, nec ad Vrbem pertinuit. Nomen accepit: vt est apud Agellium libro 16 cap 17. a vaticiniis, quæ in eo agro fieri solerent. Sextus Pompeius scribit: Vaticanum collem appellatum esse quod eo potitus sit populus Romanus Vatum responso, expulsis Etruscis. Alij volunt a Vaticano, vel Vagitano Deo sic appellatum. Vetustissima in eo ilex fuit, de qua Plinius sic scribit: Vetustior Vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Etruscis religione arborem iam tunc dignam fuisse significat. Nobilis olim fuit Scipionis sepulcro. Nunc verò clarus, cùm propter alia, tum propter celeberrimam totius orbis Bibliothecam Vaticanam.

Porrò autem ij montes iam rarissimi habitantur, maxima ex parte hortis & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati: aut veterum ędificiorum ruinis obrusi. Vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit Palatinus, vt scribit Tibullus: Capitolinus dumetum, vt Virgilius: Esquilinus, Quirinalis vimina & syluam fageam, vt Varro: Cælius querceum, vt Tacitus: Auentinus lauretum, vt Solinus: Ianiculum esculetum, vt Plinius. Vaticanus ilicetum, vt Fuluius, prodidère.

Et hæc quidem quæ de Vrbis initio ambitu, amplificatione & montibus Pomerio inclusis, hactenus dixi, præter veteres rerum Romanarum scriptores quos citaui, habent etiam Georgius Fabricius in sua Roma. Bartholomæus Marlianus in antiquæ Romæ Topographia, & Onuphrius

Panuinius

Panuinius lib. 1. Comment. Reipublicæ Romanæ, ex quibus plura peti possunt.

De Vrbis Romæ regionibus.

His explicatis, de quatuordecim nunc regionibus dicendum est, quod hoc capite faciam. Vrbem Romam Romulus in tres partes distribuit, quas Tribus appellauit, Dionysio & Liuio testibus. Varro eas partes appellat, hæ fuerunt Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum. An verò regiones rectè dici possint dubitari potest: sed tamen habent cognationem aliquam cum regionibus, eo ipso quod vnaquæque harum Tribuum propriam sedem in Vrbe occupauit. Ramnenses enim à Romulo sic dicti, Palatium & Cælium montes coluerunt: Tatienses, à Tito Tatio nomē adepti Capitolium & Quirinalem habitarunt: Luceres, à Lucumone, vel, vt aliis placet, a Luco, in quo Asylum fuit, denominati, loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circùm forum tenuère. Fuerunt autem tres tribus à Tarquinio Prisco auctæ, & ex tribus sex factæ. Seruius Tullius vi. Romanorum Rex ex iis quatuor fecit, aliásque eis nomina attribuit, de quibus Dionysius lib. 4. ita scribit: Cæterum Tullius, postquam septem colles vno muro complexus est, Vrbem in quatuor partes diuisit, a collibus cognominatas: Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam: & quatuor Tribus esse fecit, quæ ad id temporis tres fuerant, suósque cuique tribules adscribit, diuisa habituros munia, nec mutaturos domicilium. Et hæc quidem Vrbis diuisio in quatuor partes, seu regiones à Seruio Tullio facta, durauit vsque ad tēpora Augusti. Is enim primùm Vrbem in certas regiones distribuisse legitur apud Suetonium, qui in Augusto capite 30. scribit, Augustum spacium Vrbis in regiones & vicos diuisisse. Plinius autem lib. 3. cap. 5. auctor est, in quatuordecim regiones eā diuisam esse: a quo non dissentit Tacitus, qui libro 15. Annalium, de incendio Neroniano loquens, idem perspicuè confirmat: ne dicam de Sext. Rufo & P. Victore, qui quatuordecim illas Vrbis regiones descripserunt. Hos secutus est Onuphrius Panuinius Veronensis, cuius descriptionem cum reliquis sit plenior & clarior, huc referre placet. Qualem autem in ea ordinem secutus sit, ipsemet indicat his verbis: Huic, inquit, meæ Vrbis descriptioni, integros illos duos libellos (Sexti Rufi scilicet, & P. Victoris) inclusi, vtriusque ordinem secutus in recensendis Vrbis regionibus, quos deinde ex antiquis probatisque auctoribus, sexcentis locis auxi. In eis autem enumerandis, quæ per singulas regiones erant, eorum ordinem non admisi, sed quandā mihi commentus sum rationem, quam iis tradendis rebus cōmodissimam esse existimaui, vt facilè legentes cognóscere poterunt. Primo enim loco regionis nomen, deinde montes, Insulam, vias intra Vrbem, riuos, aquas, si quæ erunt, ponēdæ: cliuos, vicos, vicomagistros, curatores, denunciatores, cohortes vigilū, nomina locorum publicorum, vel incertorum: deinde lucos, templa, ædes, ædiculas, porticus, Ianos, vel æanos, atria, areas, sacraria, sacella, delubra: nomina cæterorum locorum sacrorū, aras, signa, statuas Deorum, hominum vel animalium: hippodromos, equitia, circos, obeliscos, stadia, factionum stabula, theatra, amphitheatra, ludos, naumachias ædificia reliqua publica incerta fora, cœnacula, curias, basilicas, regias, comitia, septa, carceres reliqua publica ędificia profana, castra siue stationes, campos, hortos, scholas, tabernas, aquas, thermas, balinea, limphea nymphea, lauacra lacus, fontes, bibliothecas, arcus, columnas, septizonia, sepulcra, emporia, macella, horrea, pistrina, domus, insulas, & postremò regionis ambitum. Hęc ille. Regio autem à rego dicitur, quòd priusquàm prouinciæ fierent, regiones sub Regibus erant, atque ab iis regebantur. Postea a similitudine earum regionum, in quas orbis diuiditur, maiores in Vrbe partes regiones appellari cœptæ. Regionis pars est vicus: quippe Vrbs in regiones tanquàm in maiora membra, & in vicos tanquàm minora diuiditur. Dictus verò est vicus, quod vias circùm haberet, nos Germani dicimus, *Eine gassen, oder strassen.*

HISTO-



HISTORIARVM ALIA-RVMQVE RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN ROMANÆ HISTORIÆ SCRIPTORIbus continentur accuratissimus Index.

Prior numerus tomum, secundus paginam, postremus columnam indicat.

agger

Ami-

A a

INDEX.

anseres

Antoninus

Aquilæ

Arro

Auaritiæ

Aurosa

belluam

bos au-

C

Augustus

Suessio-

C A L I G V L A.

Capillorum

INDEX

celer Ar-

chorau:

circa

præſe-

cogi-

concitus

conue-

Coronæ

Cyneas

D

deditioni

F 3

cum

dolus

DOMITIANVS.

dumna-

E

Elei &

Ephæstion

Ethopia

Exolcti &

F

fœderis

fortuna

G

GALBA.

Germaoi

Græco-

bel-

Hermogenes

Hortarius

I

Impietas

Insidiæ

Italia

K

L

lapis

Legati

licinius

INDEX

Lingnam

Locren.

Ludorum

macedoni-

Manlij

INDEX.

marium

matri-

maxen.

menin2

milites

NERO.

Nomen-

O

N

Ouyssus

OTHO.

N 3

Pallenen-

INDEX.

Pater

paupe-

Pensi

ad pi-

● 4

pręnestinę

PRODIGIA.

E

Q

P 3

Quinquage-

Reso-

rhetia

Roma-

e

Rossiua

S

Samni-

solitus

ſcythæ

Seleucus

fer-

Signu

ſponta

Stozas

ſucceſ-

Sumaui

Tarsus

Tiaræ

TIBERIVS.

consul

TITVS.

Torqua-

eiusdem

tribuni-

Triumphi

Verones

Vili

Viri-

VITELLIVS.

Vltio-

V

vectiga

Ex Officina Typographica Petri de la Rouiere
14. Cal. Sept. 1609.

FINIS.



